Digitized by Google

NAZIONALE
8
48 F
8
R. BIBLIOTECA CENTRALE V. E. II
ROMA

1645.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

OPERUM MORALIUM TOMI I. PARS II.

HOC EST

EXPERIENTIARUM THEOLOGICARUM.

DE

SEPTEM SACRAMENTIS

CASIBUS PLUS SEPTINGENTIS

FACTIS NON *FICTIS*

IN ORDINE AD PRAXIN EXPLICATIS

TRACTATUS TRES POSTERIORES

DE ORDINE, EXTREMA UNCTIONE ET MATRIMONIO.

Quibus acceſſit

ALPHABETUM QUADRUPLEX,

DE VOTIS, JURAMENTIS, BLASPHEMIIS ET SUPERSTITIONIBUS

CUM QUADRUPLICI INDICE

Uno Axiomatum: Altero Quæſtionum Novarum: Tertio Præcipuorum Caſuum. Quarto Rerum & Verborum Locupletiſſimo.

Abbey D. Julius emit 1684.

AUTORE

R. P. GEORGIO GOBATO, SOCIETATIS JESU THEOLOGO.

BIBL. S. PUDEN. DE URBE.

CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

MONACHII,

Typis & Impenſis, JOANNIS JÆCKLINI, Typogr. Electoralis, & Bibliopolæ.

ANNO M. DC. LXXXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

FLORILEGIVM THEOLOGO-JURIDICUM.

SEU

Elenchus Axiomatum Regularum, Acroamatúmque Theologicorum, & Juridicorum, quæ in hoc opere uſurpantur.

Primus numerus deſignat Tractatum: Secundus numerum marginalem ejuſdem Tract.

A.

NUllum argumentum eſt validius, quàm ab *Abſurdo* vitando. VIII. 705.

Sublato principali, ſubmovetur *Acceſſorium*. XI. 88.

Proximè *Accingendus* habetur pro jam accincto. VIII. 609. *in App. 2. lit.* h.

Actio non oritur ex facto à Legibus improbato. X. 166. *in App. lit.* b.

Fraus præſumitur ex vicinitate *Actuum*. VIII. 420.

Dans facultatem ad aliquem *Actum* removet omnia impedimenta ad illum. VIII. 447 *in App. lit.* d. *ad finem.*

Actore non probante, abſolvendus eſt reus. X. 95.

Actus præſumitur factus ſecundùm ſuam naturam. XI. 82.

Actus præſumitur in dubio ita eſſe geſtus, ut ſit gerenti quàm minimè oneroſus. XI. 376.

Contra *Actum* ſolenniter geſtum nullæ præſumptiones valent. X. 43.

Actus agentium non extenduntur ultra intentionem ipſorum. VIII. 775.

Actus ſemper ita interpretandus eſt, ut non ſit inanis. IX. 659.

Ætatis minorennis infirmum eſt Judicium. XI. 851.

Affectio propinquitatis veritatem impedire ſolet. X. 143.

In his quæ pendent ab *Animo* ſtatur potiùs declaratione expreſſâ, quàm facto contrario. VIII. 296.

Allegans legem, intelligi debet ſecundùm legem, quam allegat. VIII. 111. §. *Quod.*

Allegans ſuam turpitudinem, audiendus non eſt. IX. 145.

Amoris furore nihil eſt vehementius. X. 26.

Quorum unum corpus eſt, debet eſſe & *Animus*. X. 104.

Agitur non de lana, ſed de *Anima*. IX. 357. *in App. lit.* d.

Appellatio vulgaris pro Lege habetur. IX. 708.

Appellatio eſt theriaca contra venenum Judicum. X. 242. *in App. lit.* l.

Appellatio eſt tam neceſſaria, quàm ſol mortalibus. *Ibid.*

Inducta in *Augmentum*, non debent parere diminutionem. VIII. 328.

Auxilio Legis dignus non eſt, qui ſe ultro in neceſſitatem conjecit. X. 313.

B.

ADjuvari nos, non decipi *Beneficio* oportet. VIII. 599.

Nihil horribilius eſt *Blaſphemia*. XI. 792.

Par *Blaſphemiæ* pœna ab hominibus inveniri non poteſt. XI. 828.

Blaſphemi anima eſt planè ſaxea. XI. 829.

Non minùs peccant, qui *Blaſphemant* Chriſtum regnantem in cœlis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris. XI. 831.

Lingua *blaſphemi* eſt vehiculum Diaboli. XI. 831.

Si omnes *blaſphemi* decapitarentur, pauci eſſent, qui blaſphemare poſſent. XI. 835.

Pacem non impetrabis, Roberte, priuſquam *blaſphemos* ex Regno exturbaveris. XI. 863.

Blaſphemi ea cantica diſcunt in mundo, quæ canent in inferno. XI. 891.

C.

SCriptum ſequi, *Calumniatoris* eſt. X. 184. *in App. 2. lit.* i.

Summopere in omnibus *Caſtitas* procuranda eſt, & defendenda. XI. 974.

In mulieribus ingenuis *Caſtitatis* obſervatio præcipuum debitum eſt. *ibid.*

Reliquæ virtutes utcunque diſſimulari à fœminis poſſunt: *Caſtimonia* eis gloriandum. XI. *Ibid.*

Cauſa & modus implendus in favorem tertii, præſumitur *cauſa finalis.* IX. 707.

Ceſſante *Cauſa*, ceſſat effectus. X. 242.

Digitized by Google

Ubi majus imminet malum, ibi majore opus eſt *Cautelâ*. IX. 157. §. *Quod.*

Omnis *Cautela*, quæ talibus (impotentibus) adhiberi poteſt, adhibenda eſt propter periculum Animæ IX. 436.

Quæ propter *Charitatem* inſtituta ſunt, contra *charitatem* militare non debent XI. 432.

Diſcant Judæi, & Gentiles, quòd civitatis Salvatores ſunt *Chriſtiani.* XI. 794. *ad finem.*

Clauſula nulla eſt fruſtra, ſed debet aliquid operari. IX. 383. *lit.* c.

Judicem ſemper Commendat *Clementia.* XI. 854.

Nemo pro alieno *Commodo* debet jacturam ſentire. VIII. 609. *in App. I. lit.* b. §. *Periculum.*

Non immeritò præferimus ſpeciali utilitati *Communem* XI. 514.

Conceſſo uno, conceduntur omnia ad illud unum neceſſaria. VIII. 447. *in App. lit.* d.

In generali *Conceſſione* non veniunt ea, quæ quis non eſſet in ſpecie conceſſurus. XI. 114.

Conditio ſubintellecta, non reddit actum Conditionatum. IX 150. *lit.* a.

Conditio quæ de jure ineſt, non facit actum Conditionatum. IX. 150. *lit.* a.

Omnis actus ſine *Conditione* requiſitâ exercitus eſt nullus. IX. 706.

Conditione deficiente, deficit conditionatum. IX. 706.

Paria ſunt: Non fieri, & fieri ſine *Conditione* requiſitâ. *Ibid.*

Perfecta Donatio *Conditionem* poſtea non recipit. X. 137.

Jure civili receptum eſt, quoties per eum, cujus intereſt, *Conditionem* non impleri, ſtat, quo minùs impleatur, perinde eſſe, ac ſi impleta fuiſſet. X. 272.

Conſenſus *Conditionatus*, poſitâ *Conditione* tranſit in abſolutum. X. 455.

Non debet alteri per alterum iniqua *Conditio* adferri. XI. 40. *ad finem.*

Cadente *Conditione* cadit conditionatum. XI. 287.

Confeſſionem adverſarii admittens, debet & admittere qualitatem. X. 183.

In claris non eſt opus, nec locus *Conjecturis* VIII. 751. §. *Cæterum.*

Conjectura petita ex communiter contingentibus eſt efficaciſſima. X. 27.

Quod fit contra *Conſcientiam*, ædificat ad gehennam XI 966. *ad finem.*

Ad *Conſenſum* ſufficit cogitare in genere. XI. 123

Conſuetudo diuturna pro lege obſervari ſolet. IX. 25.

Conſuetudo ſi ſit rationabilis, & legitimè præſcripta, juri poſitivo præjudicium generare poteſt. IX. 25.

Conſuetudo, ex qua diſrumpitur nervus Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, irritanda eſt IX. 42.

Qui *Contemnunt* me erunt ignobiles. XI. 886.

Contractus veri nequeunt claudicare. IX. 383. *lit.* a.

In *Contractibus* voluntas facto magis, quàm verbis declaratur. X. 394.

Contrarius ſibi nemo præſumitur. IX. 47.

Argumentum à ſenſu *Contrario*, eſt fortiſſimum. X. 142.

Contrariorum contrarii ſunt effectus. XI. 123.

Contrariorum eadem eſt ſcientia. XI. 121.

Pravum eſt *cor* hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? XI 912.

Coram Titio aliquid facere juſſus, non videtur eo præſente feciſſe, niſi is intelligat. IX. 492.

Incompoſitio *corporis* inæqualitatem indicat mentis. XI. 1017.

Diſpoſitum de uno *Correlativorum* cenſetur & diſpoſitum de altero. XI. 56.

Sublato uno *Correlativorum*, tollitur & reliquum. IX. 501. *in App.*

Rem quæ *culpâ* caret, in damnum verti non convenit. VIII 447. *in App. lit.* f. *ad finem.*

D.

MAjus *Damnum* in unius Animæ amiſſione eſt, quàm mille corporum. XI. 88.

Damnum patitur, qui perdit lucrum. VIII. 721. *lit.* c. & d

Tale *Damnum* tali lucro compenſandum non eſt. VIII 394.

Damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet, non aliis imputare. X. 361.

Qui occaſionem *Damni* dat, *Damnum* dediſſe videtur. X. 122. *in fine.*

Nullum eſt tam grave crimen, in quo ſit deneganda *Defenſio.* XI. 858.

Rarenter in corpore *deformi* nobilis formoſuſque animus inſidet. XI. 1017.

Cujus facies *deformis*, vix poteſt habere bonos mores. XI. 1017.

Quod ſemel ſtatuendum eſt, diu *deliberandum* eſt. XI. 162.

Delicta tanto ſunt graviora quanto diutiùs animam detinent alligatam. IX. 307.

Vah! portio terræ, vilis homo, tantum ſpernis inique *Deum*? XI. 792. *ad finem.*

Nemo præſumitur *Dicere* quod mente non agitavit. VIII. 761.

Dies poſterior eſt diſcipulus prioris. XI. 323.

Dignius trahit ad ſe minùs dignum. VIII. 787.

Probatio *Dilectionis* exhibitio eſt operis. XI 874. *ad finem.*

Quod quis non eligit, non *diligit.* X. 104. *ad finem.*

Non debet quis *diſpendium* inde pati, unde videtur præmium meruiſſe. VIII. 739.

Poteſtas *diſpenſandi* eſt amplè interpretanda. IX. 700.

Diſſimulans pro tacente habetur. X 184. *in Append. III lit.* m. *ad finem*

A *Diverſis* non valet illatio. VIII. 195.

Redemptio animæ viri *divitiæ* ejus. XI. 434.

Diſſi-

Digitized by Google

Difficillimum eſt, juſtum *dolorem* temperare. XI. 849.

Quod ſine *Dolo* conſequi poſſumus, ad id Dolo non nitimur. VIII. 738. *ad finem.*

Inimici hominis *domeſtici* ejus. XI. 162.

Dubia in meliorem partem interpretanda ſunt. XI. 661.

In *dubio* reſpiciendum eſt id, quod fit in pluribus. XI. 390.

In *dubio* tutior pars eſt eligenda. XI. 377.

In *dubio* votum non obligat formaliter loquendo. XI. 378.

E.

NOn eſt dignus, qui *Eccleſiæ* benignitatem experiatur cujus ſalubria monita contempſit. IX. 55 §. *Verùm.*

Epiſcopus eſt ſuorum Diœceſanorum parens. IX. 501. §. *Reſpondi.*

Quoties aliquid *Epiſcopo* conceditur, Perſonæ Vicarii eadem diſpoſitione comprehenſa videtur. X. 503.

Errare non licet in rerum ſuarum qualitate. VIII. 413.

Error in nomine non vitiat actum. VIII. 740.

Errantis nullus eſt conſenſus. IX. 105.

Error perſonæ conjugii conſenſum non admittit. IX. 107.

Qui me *erubuerit*, *erubeſcet* illum filius hominis. XI. 609.

In jure paria ſunt non *eſſe*, & non apparere. X. 295.

F.

FAcies omnium intentionum ſpeculum eſt. XI. 1018. *ad finem.*

Paria ſunt, mentem declarare *Facto*, vel Verbis. X. 148.

In dubio præſumitur *factum*, quod de jure erat faciendum. X. 136. §. *VI.*

Factum contra jus, pro *Non-facto* habetur. IX. 211. *in App. lit.* e.

Factum infectum fieri nequit. *Ibid.*

Ex *Facto* legibus vetito non oritur obligatio. X. 165. *in App. lit.* b. *prope finem.*

Facta non præſumuntur, ſed probari debent. XI. 375.

Favore alicujus introductum, non debet in ejus incommodum redundare. X. 361.

Fictio commendatur ad cautelam, dummodo vitetur mendacium. VIII. 235.

Nihil eſt tam congruum *Fidei humanæ*, quàm ea ſervare, quæ placuerunt. XI. 541.

Fruſtra quis ſibi *Fidem* poſtulat ab eo ſervari, cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat. X. 273. XI. 541.

Infamis eſt, qui *Fidem* non ſervat. XI. 541.

Dicitur etiam illud *fieri non poſſe*, quod commodè facere non poſſumus. IX. 658. §. *Sanè.*

Paria ſunt non *fieri*, & non legitimè *fieri*. IX. 49.

Credendum eſt, eum, qui ex juſtis nuptiis natus eſt, juſtum *filium* eſſe. IX. 449. *in Append. lit.* gg.

Natura hanc mortalibus legem poſuit, ut *filii* parentibus illatam injuriam vindicent. XI. 795. & 1054.

Fiſcus eſt ſemper ſolvendo, & immortalis. XI. 628.

Idem eſt Iudicium *Fori* interni, quod externi, quando hoc non nititur falſa præſumptione. X. 546.

Fraus qua Reus facilè illaqueetur, debet procul abeſſe à Judice. XI. 536.

Fruſtra expectatur eventus, cujus nullus eſt effectus. IX. 449. *in Append. lit.* x. & XI. 48.

G.

GEneralis diſpoſitio omnes ſpecies comprehendit. IX. 731.

In *Generali* conceſſione non veniunt ea quæ quis veroſimiliter non eſſet in ſpecie conceſſurus. VIII. 701. *in App. 2. lit.* h.

Eccleſia Dei *Gladium* non habet niſi ſpiritualem. XI. 836.

Gratiæ quantumvis amplæ intelliguntur ſine præjudicio tertii. VIII. 701. *in Append. II. litera.* h.

I.

IGnorantia eſt mater cunctorum errorum. VIII. 370.

Ignorantia juris obſcuri & controverſi excuſat. XI. 152.

Ea *ignorantia* tollit obligationem juramenti, quæ tollit voti. XI. 506.

Ignorantis nulla eſt voluntas. XI. 99.

Turpe eſt Patritio *ignorare* jus, in quo verſatur. VIII. 371.

Ignoranti non currit tempus. X. 242. *in App. lit.* o. *ad finem.*

Illudere Sedi Apoſtolicæ non oportet. X. 548. §. *Duo.*

Non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, ſe *immiſcet*. X. 363.

Impoſſibilia cenſentur ea, quæ impleta pietatem, exiſtimationem, & verecundiam noſtram lædunt. XI. 495.

Indignum eſt, ut quod ſua voce quiſque proteſtatus eſt, id in eundem caſum infirmeur. IX. 449. *in App. lit.* o.

Induſtria Perſonæ, quando eſt electa, non poteſt ſubdelegari. IX. 709.

Homo eſt *Infinitæ* potentiæ ad peccandum, *infinitæ* impotentiæ ad aliquid boni ex ſe agendum. XI. 775.

Inhabilis ad ſolvendum, eſt etiam *inhabilis* ad promittendum. X. 547.

Tanto eſt *Injuria* major, quanto is, cui infertur. XI. 870.

Verba deſervire debent *Intentioni*, non *Intentio* verbis. IX. 713.

Tenetur quiſque *Intentionem*, in qua ſe fundat, probare. X. 183. *lit.* a.

Interpretatio quæ fit pro valore actûs, eſt Regina aliarum Interpretationum. VIII. 735. *ante append.*

In his quæ ad divinum cultum faciunt, benigna eſt *Interpretatio* facienda. VIII. 390.

Impedit *Ira* animum, ne poſſit cernere verum. XI. 848.

Duo infenſiſſima rectæ menti celeritas & *Ira*. *Ibidem*.

Irregularitas nulla incurritur, niſi in caſibus in Jure expreſſis. VIII. 660.

Judex debet eſſe perpenſior ad liberandum, quàm ad condemnandum. X. 94.

Quod quis mandato facit *Judicis*, dolo facere non videtur. VIII. 520.

Per *Judicium* injuriis aditus patere non debet. XI. 534.

Juramentum eſt maximum medium extinguendarum litium. X. 90. *in fine*.

Juramentum promiſſorium admittit omnes conditiones actûs, cui adjicitur. X. 171.

Juramentum promiſſorium ſortitur omnes conditiones quas ſimplex promiſſio. XI. 504.

Cùm de conſcientia alicujus quæritur, ſtatur *Juramento* ipſius. XI. 147.

Juramentum eſt inſtar medicinæ, & torturæ ſpiritualis. XI. 457.

Juramentum non debet eſſe vinculum iniquitatis. XI. 495.

Iuramentum regulatur ſecundùm naturam actûs, cui adjicitur. XI. 504.

Iuramentum auget obligationem intenſivè non extenſivè. XI. 504.

Iuramentum regulariter non extendit contractum. *Ibid.*

Iuramentum ſervandum eſt, quando ſine diſpendio æternæ ſalutis ſervari poteſt. XI. 514.

Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum *Iuramentum*. XI. 531.

Frequens *Iuramentum* eſt blaſphemiæ tyrocinium. XI. 887.

Iurationi non aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa. XI. 459.

Iure ſuo utens nemini facit injuriam. XI. 434.

In re à *Iure* determinata non licèt arbitrari. VIII. 583. *in App. lit.* e.

Iura poſteriora non derogant prioribus, niſi in caſibus expreſſis. X. 144.

Cùm *Iura* partium ſunt obſcura, reo potiùs favendum eſt quàm actori. XI. 850.

Diſcite *Iuſtitiam* moniti, & non temnere divos. XI. 693.

L.

Nemini *Laqueum* injicere debemus. XI. 373.

Legitima non accipit ullum gravamen. XI. 435.

Lex Generalis non derogat Concilio Generali, vel privilegiis. VIII. 408.

Lex non debet eſſe vinculum iniquitatis. XI. 277.

Lex publica non obligat ad actionem inutilem. XI. 303.

Ceſſante *Legis* cauſa totali, ceſſat & *Lex*. IX. 382.

Committit in *Legem*, qui verba Legis complectens, contra Legis nititur voluntatem. X. 184. *in App. 2. lit.* i.

Fruſtra *Legis* auxilium invocat, qui committit in Legem. IX. 43. & X. 334.

Legis auxilio dignus non eſt, qui ſe ultro in neceſſitatem conjecit. X. 333.

Ratio Generalis *Legis* reſtringitur ex fine, & mente *Legis*. VIII 378.

Patere *Legem*, quam ipſe tuliſti. IX. 51.

Legibus potiùs, quàm exemplis judicandum eſt. XI. 853.

Omnes naturaliter naſcimur *Liberi*. VIII. 435.

Libertas rebus omnibus favorabilior eſt. XI. 205.

Cui *Licet* quod eſt plus, *licet* utique, quod eſt minus. IX. 619. *in App.* explicatur. *Ibid.*

Ejuſdem eſt ſolvere, & *ligare*. IX. 603.

Lingua oris eſt tuba cordis. XI. 482.

Cui binas dedit ergo manus, *linguam* dedit unam, unde manus ſimplex eſt tibi, *Lingua* duplex? XI. 681.

Magnæ Sapientiæ eſt revocare hominem, quod malè *Locutus eſt*, XI. 520. *ad finem*.

Non quæritur cum quo quis *loquatur*, ſed ad quem *loquentis* intentio dirigatur. XI. 15.

Qui contra omnes *loquitur* non bene *loquitur*. X. 707.

Semper ſunt favorabiliores partes damnum declinantis, quàm *Lucrum* captantis. VIII. 721. *lit.* d.

M.

Longè gravius eſt æternam, quàm temporalem offendere *Majeſtatem*. XI. 871. *ad finem*.

Maleficos non patieris vivere. XI. 1040.

Semel *malus* ſemper præſumitur eſſe *malus*. XI. 680.

De *malo* homine ſemper *malum* præſumimus. X. 242. *in App. lit.* e. *in fine*. & 432.

Matrimonium non concubitus, ſed conſenſus facit. IX. 105.

In *Matrimoniis* contrahendis non juris effectus, ſed animi deſtinatio attenditur. X. 711. §. *Reſpondeo*.

Satius eſt in morbo deſperato uti *Medicinâ* dubiâ quàm nulla. IX. 720. *in fine*.

Dic petis à *Medico* ſurgant quibus artibus ædes? Quáve leves podagram, conſulis, arte, Fabrum? XI. 162.

Mendacium inſtar blaſphemiæ habetor à puero. XI. 598.

Mendaciis plena ſunt omnia, & tamen nolumus vocari mendaces. XI. 676.

Mendax id lucri habet, ut etiam vera dicenti non credatur. XI. 680.

Mendax ſemel in uno judicatur mendax ſemper & in omnibus. XI. 680.

Vir bonus præſtare debet, ne *mentiatur*, prudens ne *mendacium* dicat. XI. 584.

Lo-

Digitized by Google

Locum non habet conſenſus, ubi *metus* interve-nit. IX. 244.

Nihil conſenſui tam contrarium eſt, quàm vis & *Metus*. XI. 136.

Eundem effectum operatur ſuſpicio de cruciatu, quem *metus* cruciatûs. XI. 144.

Malum non cauſat *Metum*, niſi apprehenſum. XI. 137. *ad finem*.

Contractus *Metu* initus, indignus eſt omni fa-vore. XI. 145. & 138. *ad finem*.

Matrimonium *metu* Contractum, indignum eſt omni favore. XI. 145.

Semper in contractibus ad id, quod *minimum* eſt, redigenda ſumma eſt. XI. 89.

Fas non eſt, ut divini muneris *Miniſtri* tempora-lium poteſtatum ſubjiciantur arbitrio. XI. 301.

Qui ſpernit *modica* paulatim decidet. XI. 96.

Ceſſante *mora*, ceſſat culpa. X. 242. *in Append. lit.* m.

Mos Papæ eſt ſequendus inferioribus. XI. 395.

Mutatio Animi non præſumitur, ſed probanda eſt. XI. 99.

N.

NAvita de ventis, de tauris narrat arator. XI. 160.

Negantis nulla eſt per rerum naturam directa probatio. XI. 149.

Qui è duobus propoſitis unum aſſerit, altero, ta-cito, videtur hoc tacitum *negare*. IX. 740. XI. 150. *ad finem*.

Negotia in quibus nihil amittendum timetur, ſed potiùs lucrum ſperatur, audacter tractanda ſunt. VIII. 824.

Non-entis nulla ſunt accidentia. X. 249.

O.

NEmo ſe *obligat*, qui ſe obligandi voluntatem non habet. XI. 7.

Obligans ſe ad finem, obligat ſe etiam ad media neceſſaria. XI. 202.

Ex facto à Lege improbato, nequit oriri *obligatio*. X. 165. *in App. lit.* b. *prope finem*.

Tunc ceſſat *obligatio*, quando in eum caſum inci-dit à quo incipere non potuit. XI. 339.

Obligationes præſertim gratuitæ, ſunt potiùs re-ſtringendæ, quàm ampliandæ. XI. 85.

In omnibus *obligationibus*, in quibus dies non po-nitur præſenti die debetur. X. 358. XI. 87.

In *obſcuris* inſpici ſolet, quod plerumque fieri ſo-let. X. 156.

Nemo debet alterius *Odio* prægravari. VIII. 735.

Non præſumitur quiſquam voluiſſe ſibi impone-re *Onus*, niſi manifeſtè conſtet. XI. 376.

Quod *operatur*, propoſitum in propoſito, id o-peratur *oppoſitum* in *oppoſito*. XI. 123.

Indigniſſimum eſt, proſilire in illius *opprobri-um*, qui probra noſtra portavit. XI. 792. *circa fi-nem*.

Ubi *Ordo* Juris non eſt ſervatus, non poteſt con-demnari reus. XI. 537.

Major ut in dictis conſtantia, quàm ſit in actis, *Os* idcirco tibi, non dedit *Ora* Deus. XI. 681.

P

PActum rei turpis vel impoſſibilis nullam obli-gationem inducit, X. 98. & XI. 543.

Par in parem non habet poteſtatem. X. 242. *in Append. lit.* q.

Parum diſtans nihil diſtare videtur. VIII. 531.

Paſtor nec nomen Paſtoris meretur, ſi non per-ſonaliter attendat ſuo gregi. IX. 715. *in Append. lit.* c.

Non poteſt eſſe *Paſtoris* excuſatio, ſi lupus oves comedit, & paſtor neſcit. XI. 1050.

Si non *paviſti*, occidiſti. XI. 886. *ad finem*.

Inſtruunt nos *Patriarchæ* non ſolùm docentes, ſed etiam errantes. XI. 598.

Per quæ *peccat* quis, per hæc & torquetur. XI. 833.

Pro menſura *peccati* erit & plagarum modus. XI. 786.

Ubi eſt majus *periculum*, ibi eſt pleniùs conſulen-dum. XI. 277.

Quod ſemel *placuit*, ampliùs diſplicere non po-teſt. IX. 167. *lit.* d.

Omnis *pœna* ſi juſta eſt, peccati pœna eſt. X. 164. & XI. 31. *ad finem*.

Interpretatione legum *pœnæ* molliendæ ſunt po-tiùs quàm aſperandæ. X. 363.

Ah! miſer: & ſi quis primò perjuria celat, Sera tamen tacitis *pœna* venit pedibus. XI. 793.

Judex *pœnam* metiatur ex culpa. XI. 786.

Convenit *pœnam* conformem eſſe delicto. XI. 856.

Dicitur illud fieri non *poſſe*, quod commodè fa-cere non *poſſumus*. IX. 658. §. *Sanè*.

Illud ſolùm *poſſe* dicimur, quod de jure, & ho-neſtè poſſumus. XI. 495.

In dubio melior eſt conditio *poſſidentis* ſuam li-bertatem. XI. 374.

Quæ geruntur à *Prælatis* facilè trahuntur à ſub-ditis in exemplum. XI. 129. *ad finem*.

Secundùm *præſentis* temporis jus æſtimari debet Stipulatio. X. 166.

Præſumptio eſt liquida probatio, donec contra-rium appareat. X. 142. *ad finem*

Præſumptio, quòd actus ita ſit geſtus, ut valeat, & nullitas removeatur, ſuperat omnes alias præ-ſumptiones. X. 394. §. *Ex hiſce*.

Præſumptio cedit veritati. VIII. 720. §. *Dico*, III.

Præſumptio, quæ in naturæ affectibus fundatur, raró fallit. X. 95. *in App. lit.* i.

Præſumptio habetur pro ipſa veritate, niſi elida-tur alia præſumptione. XI. 384. *ad finem*.

Nulla probatio admittitur adverſus *præſumptio-nes Iuris*, & *de Iure*. X. 394. *circa finem*.

Digitized by Google

Contra Tractatum ſolennem nullæ *præſumptiones* valent. X. 430.

Nemo *præſumitur* jactare rem ſuam. X. 184. *in App. 3. lit.* n.

In dubio *præſumitur* id factum, quod de jure erat faciendum. X. 136.

Nemo *præſumitur* dicere, quod non habet in mente. XI. 387. *ad finem.*

Papa accommodat ſe *precibus* Oratoris. XI. 141.

Qui habet *Primum* eſſe, habere debet *Primum* frui, & gaudere. X. 326.

Quid faciendum ſit *Principi*, judicent multi: quid facturus ſit, ſciant pauci. XI. 576.

Privilegium Perſonale extinguitur cum perſona. XI. 38.

Privilegia in ſua forma ſervari debent. VIII. 617. *in App. lit.* b.

Privilegia intelligenda ſunt ſine præjudicio tertii. VIII. 609. *in App. 1. lit.* b.

Non debemus diſſimulare illius opprobria, qui *probra* noſtra delevit. XI. 864.

Culpa caret, qui ſcit, ſed *prohibere* non poteſt. X. 135.

Impia eſt *promiſſio*, quæ ſcelere impletur. XI. 543. & 547.

Illa *promiſſio* perſe labe caret, quæ ſine labe impleri poteſt. XI. 547.

In omni *promiſſione* ſubintelligitur hæc conditio: Si res in eodem ſtatu permaneant. XI. 501.

Aliud in malis *promiſſis*, aliud in malè promiſſis. XI. 279.

In malis *promiſſis* reſcinde fidem. XI. 543.

Eſt etiam contra officium nonnunquam ſolvere *promiſſum*. XI. 543.

Inhabilis ad ſolvendum, eſt etiam inhabilis ad *Promittendum*. X. 547.

Propoſitum non infringit, qui in melius mutat. XI. 356.

Quæ ſunt *proximi* tui, intellige ex te ipſo. XI. 870.

In *pulchro pulchra* reſidet anima. XI. 1017.

R.

Ex iis, quæ *rarò* accidunt, jura non conſtituuntur. XI. 727.

Id quod non eſt, *ratificari* non poteſt. XI. 152.

Ratio Legis reſtringitur ex fine Legis. VIII. 378.

Ratio Legis eſt anima Legis. VIII. 841.

Altiſſimus eſt patiens *redditor*. XI. 979.

Qui habet *Regulam* pro ſe, habet fundatam intentionem. X. 548. *in Appendice. III. lit.* d.

Summa ratio eſt, quæ pro *Religione* facit. VIII. 390.

Res tranſit cum ſuo onere. XI. 38.

Res una & eadem, non debet diverſò jure cenſeri. IX. 449. *in App. lit.* i.

Res inter aliquos geſta aliis nocere non debet. X. 251.

Res non judicatur ex eo quod erit, ſed ex eo quod eſt. VIII. 609. *in Append. 2. lit.* g.

Rei ſuæ quiſque modum ponere poteſt. VIII. 583. & XI. 291.

Par non eſt, ut quis ſuam *rem* emat. X. 267.

Rem ſuam jactare nemo præſumitur. X. 184. *in App. 3. lit.* n.

Quiſque eſt *rerum* ſuarum moderator, & arbiter. XI. 433.

Reſcriptum quantumvis gratioſum non eſt extendendum ultra omnem verborum proprietatem. VIII. 617. *in App. lit.* a.

Reſcripta intelligenda ſunt juxta mentem ab Oratore expreſſam. VIII. 571. *in Appendice. litera.* i.

In omni *Reſcripto* Principis ſubintelligitur clauſula: *Sine præjudicio Tertii.* IX. 382. *litera.* e.

In omni *Reſcripto* intelligitur hæc conditio: *Si ita eſt.* VIII. 46.

Reus ſuam exceptionem probare debet. X. 183.

Cùm jura partium ſunt obſcura, *reo* favendum eſt potiùs quàm Actori. XI. 850.

Æterni tribunal Judicis illum *Reum* non habet, quem injuſtus Judex condemnat. IX. 449. *in App. lit.* nn.

Eſt *rogare* Ducum ſpecies violenta jubendi. XI. 859. *ad finem.*

S.

Nemo in extremis conſtitutus præſumitur eſſe immemor ſuæ *Salutis.* XI. 231.

Qui derogat alicui *Sanctorum*, derogat & cæteris omnibus in Regno cœlorum. XI. 777.

Scientia eſt Mater virtutum. VIII. 370.

In totum omnia, quæ animi deſtinatione agenda ſunt, non niſi verâ & certâ *ſcientia* perfici poſſunt. IX. 323. §. *In hunc.*

Sententia per ſubreptionem obtenta eſt nulla. X. 242. *in App. lit.* m.

Sententia nulla nullum producit effectum. X. 242. *in App. lit.* m.

Juvenis poteſt quidem cito mori, ſed *ſenex* non poteſt diu vivere. VIII. 557. *ad finem.*

Nemo eſt ad certam *Solutionem* adigendus pro debito incerto. XI. 380.

Totum inter homines *Spebus* agitur. X. 95. *in Append. lit.* i.

Species Corporis ſimulacrum eſt mentis. XI. 1017.

Quod non eſt SS. Patrum Decreto Sancitum, non eſt *Superſtitioſis* adinventionibus præſumendum. VIII. 108. *in App. lit.* b.

Stylus Curiæ pro lege habetur. IX. 611.

T.

Digitized by Google

T.

IN odioſis contra *Tacentem* lex interpretatur. X. 83.

Qui *tacet* conſentire videtur. X. 83. *Explicatur.*

Res magnæ ab eo præſtari non poſſunt, cui *tacere* grave eſt. XI. 576.

Taciturnitas habetur pro aſſenſu, quando intervenit actus poſitiuus. X. 83.

Character prudentis & *Taciturnitas* eſt ſilentium. XI. 564.

In dubio ſpectandus eſt mos *Teſtatoris*. XI. 101.

Nemo in propria cauſa eſt idoneus *Teſtis*. IX. 310. & X. 186.

Teſtis argumentans nihil probat. IX. 491. *props finem*

Teſtis de ſuo facto deponenti habetur plena fides. IX. 449. *in Append. lit.* d.

Inoffenſus *Teſtium* affectus quærendus eſt, & non ſuſpectus. X 143.

Teſtimonium legitimum præfertur privilegiato. VIII. 504. *lit.* d.

Varium & mutabile *Teſtimonium* ſemper fœmina producit. X. 186.

Omiſſum in *Tranſactione* pro omiſſo habendum eſt. XI 553. *circa finem.*

Æterni *Tribunal* Judicis, illum reum non habet, quem injuſtè judex condemnat. IX. 449. *in Append. lit.* nn.

Cui *Tributum*, *Tributum*. XI. 631.

Comburam *Tunicam* meam, ſi meorum eſſe conſiliorum conſciam ſcivero. XI. 576.

V.

PRæſumitur talis animus, qualia ſunt *Verba*. X. 430.

Verba diſpoſitionis ſunt intelligenda ſecundùm naturam actûs, ad quem diriguntur. IX. 659.

Verba legum pænalium debent intelligi cum effectu. IX. 180.

Verba Reſcripti non ſunt ad alium caſum extendenda niſi de intentione concedentis aliud expreſſè appareat. IX. 639.

Non Mens verbis, ſed *Verba* menti deſervire debent. XI. 17.

Verba repetita indicant enixam loquentis voluntatem. XI. 130.

Divina judicia talia *Verba* noſtra audiunt, qualia ex intimis proferuntur. XI. 711.

Humanæ aures *Verba* noſtra talia judicant, qualia foris ſonant. *ibid.*

Non aliter à *Verborum* ſignificatione recedi oportet, quàm cum manifeſtum eſt aliter ſenſiſſe teſtatorem. VIII. 609. *in Append. 2. lit.* e.

Peccata *Verborum* maximè ſunt ex intentione dicentis dijudicanda. XI. 711.

Vicinitas actuum gignit præſumptionem fraudis. VIII. 420. §. *Cenſuit.*

Vim vi repellere licet. X. 721.

Mea eſt *Vltio*, & ego retribuam. XI. 539.

Secundùm quod exceſſus accidit, *Vindicta* procedit. XI. 786.

Præſumitur *Vnitas*, ubi non probatur pluralitas IX. 167. *lit.* g. *in fine.*

Voluntas in omnibus dominatur. VIII. 744. & XI. 646.

Voluntas non fertur in incognita. IX. 383. *lit.* d.

Ultima defuncti *Voluntas* modis omnibus ſervari debet. VIII. 609. *in App. 2. lit.* c. & XI. 435.

Cùm *Votum* voveris Domino, Deo tuo non tardabis reddere. XI. 87.

Non eſt dicendus *Voti* tranſgreſſor, qui quod vovit auctoritate Apoſtolica diſtulit implere. XI. 87.

Votorum tunc maximè locus, cùm ſpes vitæ nulla eſt. XI. 162. *ad finem.*

Omnes expetimus vtilitatem, & ad eam rapimur. X. 95. *in Append. lit.* i.

Vtile per inutile non vitiatur. VIII. 732.

SYLLA-

Digitized by Google

SYLLABUS QUÆSTIONUM NOVARUM DECISARUM IN SEQUENTIBUS TRACTATIBUS.

Illas quæſtiones appello **NOVAS**, quas vel nullus Theologus, quem legerim, legiſſéve meminerim, vel nonniſi unus, altérve aut attigit, aut ſatis explicavit.

Tractatu VIII.

AN ſit reus gravis delicti, & reſtitutioni obnoxius, qui Tirocinium Religioſum ingreditur ſine animo perſiſtendi in Ordine? 29. & 30.

Cur nunc ſit alia materia Diaconatûs, quàm olim fuerit? 51.

An reordinandus, qui ſine urceolis eſt creatus Subdiaconus? 54.

Aut cum calice pleno vini? 56.

Aut Acolythus, qui ſolùm extendit digitos verſus candelabrum? 58.

An Diacono, qui eſt Parochus, ſit fas concionari ſine ulteriore facultate? 77.

Quo ſenſu dicatur non eſſe uniformis in tota Eccleſia materia, & forma Ordinationis? 97

An peccent contra juſtitiam, qui celebrant pro ſtipendio, ſcientes, ſe fuiſſe ordinatos ſine vino in calice? 98. prope ſinem.

Quantum aqua infuſa calici preſbyterandorum vitiet valorem Ordinis? 99. in App. lit c.

An ſit, omnibus conſideratis, practicè probabile, illum eſſe rurſum ordinandum, qui fuit creatus Preſbyter ſine tactu hoſtia? 104. & 108. in App. lit. b.

An id ſit ſuperſtitioſum & temerarium? 108. in Append. lit. b. & e.

An reordinandus, qui tetigit aut ſolum parergum Calicis, aut uno ſolo digito madente ex Chriſmate? ibid. lit. m. & ſeqq.

An cui Epiſcopus impoſuit manus tectas Chirotheca. ibid. lit. t.

An reordinandus qui tetigit hoſtiam at non patenam? 110.

An peccaret mortaliter Epiſcopus, ſi verba conſecrationis Sacerdotis omnia proferret ante, vel poſt prabitionem calicis? 116.

An, qui ob ſupervenientem ægritudinem non accepit impoſitionem manuum Epiſcopalium, poſſit celebrare primitias ante ſuppletionem illius defectus? 120.

An teneantur Neomyſta ſub mortali conſecrare cum Ordinatore? 132.

An reordinandus Sacerdos, qui fuerat baptizatus, ſolo panno madido applicato ejus corpori? 181.

An liber Pontificalis pro libro Epiſtolarum porrigi poſſit novis Lectoribus? 193.

An neceſſariò debeat reiterari inauguratio illius, qui creatus fuit Preſbyter, formà aliquantùm poſt prabitam materiam in numero plurali prolatâ? 209

Quo ſenſu fuerint olim pronuntiatæ irrita Ordinationes, quas fecerunt excommunicati, aut hæretici? 246.

Sitne abſolutè neceſſarium, ut Epiſcopus ordinans Sacerdotes, faciat etiam Sacrum. 257. & 259.

An Capitulum poſſit quandoque Sede vacante, dare Suffraganeo poteſtatem conferendi Ordines? 273.

An poſſit Epiſcopus initiare juvenem natum quidem, & baptizatum in aliena Diœceſi, ſed genitum ex parentibus ſpectantibus ad ſuam? 282.

An licitè ordinetur, cujus origo, & ætas ignoratur? 286.

An Epiſcopus ordinans privatim debeat habere ſandalia. 321.

An Abbas hac ætate licitè conferat ex facultate Ordinarii Ordines Minores ſæcularibus? 326.

An hodiéque Generalis Abbas Ciſtertienſis validè conferat Diaconatum? 329.

An, ſi Ordo collatus ab Abbate ſine licentia Epiſcopi, non valeat collatus cum illa? 342.

An Abbas celebrans in pontificalibus extra diœceſin incurrat ſuſpenſionem? 345.

An Abbas, qui renuntiavit dignitati, poſſit licitè, & validè in neceſſitate conferre Minores Ordines? 347. & ſeqq.

Quale jejunium debeat Epiſcopus continuare, quando vult die Dominica continuare Ordinationem? 355.

An recèns ordinati teneantur ſub mortali communicare ex manu Ordinatoris? 358. & 359.

An non jejunus poſſit creari Sacerdos? 350. & 360.

An ſumptio Sacræ Hoſtia vino ablutionis madida tollat rationem jejunii naturalis? 363. & ſeqq.

An cuivis Sacerdoti ſit neceſſum ſcire formulam Abſolutionis. 382.

An præſtans muſicus, deſtitutus tamen ſcientiâ neceſſariâ, ad Preſbyteratum poſſit inaugurari? 368. & 391.

An Epiſcopus Diœceſanus opponatur Epiſcopo originis? 411.

Quinam Religioſi dicantur poſiti in hac, vel illâ familia? 415.

Digitized by Google

An poſſit promotionem ad ordines, & Beneficia petere occultus illegitimus, cum quo fuit per errorem diſpenſatum à Papa, quoad ſola beneficia? 447. in Append. lit. d. & f.

Quid exprimendum, quando petitur diſpenſatio in Natalibus? ibid. k.

Quomodo intelligenda aliqua clauſula talium diſpenſationum? lit. m. & n.

An ſimplex Sacerdos, ſubdelegatus Nuntii Apoſtolici poſſit diſpenſare ut Nuntius? 455.

An Monachatus habeatur in materia Ordinum pro Beneficio Eccleſiaſtico? 459.

An queant uno die conferri uni & eidem prima tonſura, quatuor minores, & ſubdiaconatus, contra morem Diœceſanum? 463. in App. lit. a. *& ſeqq.*

An Epiſcopus poſſit totam Ordinationem transferre in diem Dominicam? 467.

An per feſtum de præcepto intelligatur in Bullis diſpenſationis feſtum, prout opponitur feſto ad libitum? 482.

Quid ſi feſtum celebretur in uno ſolo Monaſterio? 486.

Quanti faciendum ſit pro Ordinibus teſtimonium patris de ætate filii? 503. in App. lit. b. *& ſeqq.*

An etiam conceptionis dies ſit quandoque attendendus in judicio de ætate? 533.

An ſit in æſtimanda ætate pro Ordinibus habenda ratio Annorum Biſſextilium? 546.

An, quando Preſbyteri Iubilares volunt celebrare ſuum Sacrum Iubilaum? 557.

An Germania tota accenſeatur in jure locis valde remotis ab Vrbe? 571. in App. lit. f.

Ad quid proſit reſolutio hujus quæſtionis? ibid. lit. g.

An Epiſcopus licitè ordinet dimiſſum cum clauſula: Dummodo per decem dies dederit in aliquo ſeminario ſpecimen ſuæ vocationis, *ſi hoc non dedit ob impoſſibilitatem? 583. in App. lit.* b.

Abbas pollens juriſdictione quaſi Epiſcopali, an det dimiſſorias? 574.

An dimiſſus ad recipiendos Ordines ab Epiſcopo A. poſſit eos petere ab Epiſcopo B? 598.

An poſſit ab executore teſtamentario conferri ſtipendium illi, qui nondum eſt Magiſter Philoſophiæ, cùm teſtator appoſuerit conditionem de Magiſterio? 609. in App. *lit.* a. *& ſeqq.*

An ſit ſatis de Beneficio proviſum illi, cui promiſſa eſt indeterminatè ſuſtentatio ſufficiens? 615.

An ſit irregularis, qui nequit dextra manu præbere ſacram hoſtiam? 701. in App. I. lit. a.

An & is, qui nequit ſacrum ſanguinem ſumere, niſi tenendo calicem utrâque manu? 701. in App. II. lit. d.

An Teſtis, dans ex neceſſitate teſtimonium in cauſa ſanguinis, incurrat Irregularitatem? 659.

An fiat Irregularis, qui monet carnificem, ut citò expediat reum? 661.

Quid ratione periculi incurrendæ irregularitatis ſit peculiariter obſervandum miniſtris ægrorum? 672.

An licitè celebret Sacerdos, qui ex reliquiis morbi nequit elevare Hoſtiam, nec Calicem? 675.

Et is, qui nequit celebrare ſine berruca? 680.

An natus ex Miniſtro Hæretico ſit Irregularis? 688.

An & Sacerdos, qui ſuum ſclopetum oneratum reliquit ſupra ſcamnum, quo ſclopeto exploſo ab alio, fuit nonnemo occiſus? 697.

Et ille, cujus minis territa mulier occidit ſe ipſam? 700.

Et ille, qui Miſſam defunctorum legit ideo pro aliquo vivo, ut hic tantò citiùs moriatur? 701.

An validè ordinetur Irregularis, ſe ingerens contra Epiſcopi publicam proteſtationem de voluntate non conferendi Ordines ulli Irregulari? 704.

An ſuſpenſus evadat ille Irregularis, qui die ſuæ Ordinationis cantat Epiſtolam? 713.

Sitne differentia inter Vicarium generalem & Officialem? 718. lit. e.

An Epiſcopus poſſit ordinare occultum irregularem occultè diſpenſatum, ſi ei conſtet de utroque? 719. §. *Titius.*

Vtrùm obnoxius Irregularitati, licitè hanc diſſimulet, ne faciat jacturam magni lucri? 721. lit. a.

An Prælati Regulares diſpenſent cum externis in illegitimitate? 719. & 721. in App. 2.

An quando in diſpenſatione pro ætate ponitur clauſula De Diaconatu jam ſuſcepto, *valeat illa diſpenſatio, ſi nondum ſuſceptus ſit Diaconatus? 728. & ſeqq.*

An fervens deſiderium Sacerdotii ſit ſufficiens cauſa diſpenſationis? 731. & 733.

An ſubſiſtat diſpenſatio, quam Dominus impetravit pro ſuo mancipio ignorante, & non volente? 745.

An poſſit uti beneficio diſpenſationis ille qui prudenter judicat, eſſe jam diſpenſatum? 751. §. *Cæterùm.*

An Subdiaconus diſpenſatus ad Matrimonium ſub conditione: Si actum Ordinis non exercuiſti, *poſſit frui hoc beneficio, poſito, quòd in ſua Ordinatione cecinerit Epiſtolam? 766.*

Quando Regulares promittunt in ſua Ordinatione obedientiam, quomodo eſt intelligenda illa obedientia? 774.

Cujus diei Nocturnum poſſit injungere Ordinator? 772.

An pro Oleo Infirmorum licitè adhibeatur Chriſma? 785.

An æger prorſus undique obſitus variolis ſit capax hujus Sacramenti? 798. lit. a. *&* b.

An formula extremæ Vnctionis, quæ valet Conſtantiæ, valeret etiam Romæ? 809.

Quid propriè intelligatur nomine infirmitatis, quando quis eſt extremè ungendus? 835. & ſeqq.

An fractis rotâ, & adhuc viventibus ſit danda extrema Vnctio? 848.

An, ſi Parochus nolit parochianum ungere, teneatur quivis alius id præſtare? 861.

An, ſi quis ſæcularis vacans in Collegio Societatis Exercitiis Spiritualibus, corripiatur morbo lethali, poſſit extremè ungi à Sacerdote Collegii. 864.

Et an ille, qui judicatur quidem eſſe obnoxius apoplexiæ, attamen nullo adhuc morbo lethali laborat? 875.

An & ille integrè ſanus, cui Medicus prædicit, nihilominus moriturum intra decem horas? 874. in App. lit. e. f.

An valeat unctio correpti deliquio minimè lethali? 894.

An

An Parochus licitè aſſervet domi Sacrum oleum ea intentione, ut ſi de nocte evocetur ad ægrum, habeat illud in promptu? 930.

An idem licitè oleo ungat ægrotantem non lethaliter ad recuperandam valetudinem? 932. *ad finem*

An idem licitè præbeat mulieribus oleum infirmorum volentibus illo uti pro puerperis? 933 *Remiſſivè*

An ad tollenda Maleficia? 933. *in Append. lit.* a. *&* *ſeqq.*

An Miniſter hujus Sacramenti prudenter ſtet judicio domeſticorum dicentium abeſſe periculum mortis? 934. *&* 936.

Tractatu IX.

Poſſitne Archiepiſcopus irritare Matrimonia inita ſine ſua facultate, & denuntiationibus? numero. 19.

An Statutum locale, ut filia nubens extraneo, privetur dote, ſit illicitum? 20.

An Magiſtratus loci licitè inhibeat Parocho, ne aſſiſtat alienigenis, niſi hi priùs pendant Magiſtratui certam taxam? 21. *in App. lit.* a *& ſeq.*

An conſuetudo poſſit tollere illa impedimenta Matrimonialia, quibus contrariam conſuetudinem damnant Canones? 23.

An novum impedimentum poſſit inducere conſuetudo? 25.

An Leges Eccleſiaſticæ de Impedimentis Matrimonii ligent etiam Hæreticos? 27. 49. *&* 52.

An exceptio Legis non recepta patrocinetur etiam Hæreticis? 50.

An contrahens Matrimonium cum Impedimento admittat ſacrilegium? 60.

An, ſi plebejus fingat ſe prænobilem, ſubſiſtat Matrimonium initum cum Nobili? 119.

Aut ſi quis fingat, ſe natum è ſtirpe ſemper Chriſtiana? 21.

An puella ignorans, quid ſit copula carnalis, contrahat verum Matrimonium? 128.

An mulier, quæ alteri ſuppoſuit alienam prolem, teneatur manifeſtare crimen? 129. *in App. lit.* g.

An Reſtituenda dos poſt cognitam nullitatem Matrimonii? ibid. lit. n.

Sitne permittendum, ut Matrimonio adjiciatur aliqua conditio? 138.

An, quando pubes init ſponſalia cum impubere, reſervans ſibi jus reſiliendi: Si quando pœniteret, *poſſit cum patre impuberis contrahere obtentâ diſpenſatione; at non factâ mentione adhuc ſuperſtitis impuberis, nec conſenſu præſtito ab hoc cum autoritate Tutoris?* 381. *& ſeq.*

Utrùm Recentior Thomiſta rectè ſcripſerit, Statum Religioſorum Societatis IESU ante Profeſſionem eſſe Statum duntaxat conditionatum? 149.

An conſuetudo poſſit inducere Impedimentum Cognationis Spiritualis? 171.

Utrum Ordinarius poſſit interdicere omne Matrimonium illi, qui alienam uxorem duxit? 194.

Sitne probabile, ad incurrendum Impedimentum ratione adulterii exigi ſcientiam hujus Impedimenti? 201. 202.

Quæ cautio uſurpanda Catholicis, volentibus contrahere cum Hæreticis? 222.

An Hæretici communiter ſeparent Sacramenti rationem à ratione contractus Matrimonialis? 231.

An Matrimonium Hæretici cum Catholica ſit communiter nullum ex defectu intentionis? 235.

An, quando Hæreticus contrahit cum Catholica ſub conditione diſſolubilitatis, ſemper invalidè contrahat? 239.

An, & quomodo contrahens ex metu, det alteri poteſtatem ſui corporis? 259 *& ſeq.*

An ſit hodie probabile, Impedimentum Publicæ Honeſtatis per mutuum receſſum à ſponſalibus tolli? 358. *&* 362. *& ſeqq.*

An movendus ſcrupulus illis, qui contraxerunt cum tali impedimento? 377.

Utrum mulier licitè transeat ad ſecunda vota, ſi Teſtes deponant, ejus maritum eſſe viſum à ſe decumbentem ex morbo certò lethali? 330.

Quid agendum eunucho, cum quo imperitè diſpenſavit, quoad Matrimonium, Epiſcopus? 419. *in App. lit.* b.

An alius eunuchus, qui contra propoſitum cognovit ſuam carnaliter, hoc ipſo acquiſiverit jus pergendi in illo commercio carnali? ibid. lit. h.

An poſſint eſſe ſimul duo unius Parochiæ Parochi? 501. *in App.* 2. *lit.* n. & o.

An facultas contrahendi coram alieno Parocho valeat, ſi petita fuit aſſumendo aliud nomen & cognomen? ibid. in App. 3. *lit.* p. *& ſeqq.*

Sintne compellendi ad perpetuò cohabitandum, qui primò negârunt in actu ſolenni, & judicio impotentiam, deinde aſſerunt eandem in judicio, nullam deprehendente medico? 449. *in Append. lit.* g. *& ſeqq.*

An fides habenda primò neganti copulam, deinde aſſerenti, tertiò rurſum neganti? ibid. lit. tt. *& ſeqq.*

Duæ hactenus intactæ quæſtiones occaſione dubii de impotentia viri proponuntur, & ſolvuntur. 448.

An quando Hæretici habent commune templum cum Catholicis, contrahant validè coram Prædicante? 459.

An Catholica nupta Hæretico contrahat licitè, aut renovet licitè Matrimonium coram Prædicante? 472. *&* 474.

An hodie ſubſiſtat Matrimonium, ſi è loco, ubi eſt receptum Tridentinum, eas ſtudio ad alium, ubi non eſt receptum? 480.

Sitne abſolutè verum, quòd Concilium non ſit receptum in Gallia? 485.

Sitne etiam verum, quòd Parochus affectans non intelligere, quid agant ſponſi, hoc ipſo ſatis intelligat? 491.

An Parochus teneatur quandoque ex charitate dare alteri licentiam aſſiſtendi? 501.

Quatenus diſpenſatio cum ſponſo extendatur ad ſponſam? 589.

An Nuntius Apoſtolicus validè ſuæ diſpenſationi addat hanc clauſulam: Sublatâ ſpe alterius Matrimonii? 600. *in App. lit.* d.

An validè contrahas coram alio, quàm nominaverat tuus Parochus? 525.

An validè coram Parocho Sacrum faciente, & te Contrahentem audiente? 538.

Quid

Quid agendum Magiſtratui ſæculari, deprehendenti Impedimentum? 562.

An validè copulentur impediti ante receptam Bullam diſpenſationis? 570.

Quatenus PP. Capucini in Helvetia diſpenſent in Impedimentis? 724.

Nuntii Apoſt. In quibus Impedimentis diſpenſent? 587. *& ſeqq.*

An poſtquam ſupplicatum eſt Papæ pro diſpenſatione in uno Impedimento, poſſit interim Nuntius diſpenſare in alio? 588.

Et an Epiſcopus in eodem, ſi urgeat neceſſitas? 576. *& ſeqq* 581. *& ſeqq.*

Et quid ſi non ſuppetant expenſæ? 591.

An allegatio anguſtiæ loci habeat locum, etiam reſpectu maſculi? 646.

An Magiſtratus Eccleſiaſticus poſſit adigere conjuges ad cohabitandum ſine ſpe mutationis ſententiæ, quando impotentia non fuit ſatis probata? 449. *in App. lit.* y.

Quid ſi intra propriam Parochiam reperiatur idonea ſponſa? 649.

Quandonam cenſeatur alteruter eſſe pauper? 656. *&* 658.

Et ſingulariter in Diœceſi Conſtantienſi? 658. §. *In hac.*

An, quando ſolùm alteruter ſponſorum eſt pauper, cenſeantur ii eſſe pauperes? 659.

An diſpenſatio ob paupertatem ſupponat utramq; partem eſſe pauperem? 666.

An, quando Epiſcopo datur facultas diſpenſandi cum clauſula: Dum in actuali viſitatione exiſtis, *debeat ipſemet viſitare?* 699. *&* 714.

Quid juris competat Religioſis circa diſpenſationem Matrimonii? 718.

Oracula vivæ vocis an ſint revocata reſpectu Capucinorum? 731.

An in actu ſecundo ſint revocata reſpectu Mendicantium? 736. *&* 739.

Tractatu X.

AN ſponſalia contrahantur per hanc formulam: Propino tibi in Matrimonium, *ſi altera ſubdat*: Proficiat? *num.* 1.

An Epiſcopus poſſit irritare ſponſalia clandeſtina? 12.

An judex credet alleganti, ſe præ æſtu libidinis neſciviſſe, quid loqueretur, quando ſuo ſcorto promittebat Matrimonium? 26.

An promittat Matrimonium dicens: Te non deſeram? 38. *&* 81.

Et qui dicit: Promitto tibi amorem, & fidelitatem? 65.

Utrum Statuta in cauſa Matrimoniali ſint etiam ſtatuta in ſponſalitiis? 74. *&* 76.

An opinio ſingularis pro valore Matrimonii præferenda ſit communi contra valorem? 74. *ultra medium.*

Sponſalia eſſe contracta, quomodo probetur? 89. *& ſeqq. accuratè.*

Quid requiratur, ut poſſit alicui deferri juramentum in ſuppletionem probationum? 94.

An tale juramentum habeat locum in ſponſalibus? 95.

An ſtari poſſit veroſimilibus depoſitionibus puellæ, aſſerentis, eſſe ſibi promiſſum Matrimonium à Cajo, præciſè nunc dicente, ſe ignorare, an promiſerit? 95. *in App. lit.* m.

Sciens ſe cum aliqua ſoluta concubuiſſe circiter duodecim menſibus antequam ea pareret, an teneatur credere, ſe eſſe patrem? ibid. lit. n.

Quid aget Confeſſarius, quando audiet, ſponſam eſſe paratam ad cogendum ſponſum, ut ſtet promiſſis? 134.

Quid ſi alterutra pars juravit conſtantiam in ſervando pacto ſponſalitio? 135.

Utrum frater poſſit à Judice compelli, ut ferat teſtimonium contra fratrem? 140.

An apud Germanos habeat practicè locum quæſtio de vi conditionum impoſſibilium adjectarum ſponſalibus? 155.

Utrum judex licitè compellat illum, qui ſeriò adjecit turpem conditionem? 159.

Cur oporteat Dataria Romanæ pendere magnam taxam, cùm conceditur diſpenſatio Matrimonialis? 164.

Quatenus obliget promiſſio ſub conditione: Si Deo placuerit? 169.

An judex credet honeſtæ aliàs puellæ juranti, ſe impragnatam à Cajo? 188.

An Menochius ſcribat probabiliter, denuntiationes eſſe de ſubſtantia Matrimonii? 478.

An judex poſſit parti refractariæ minari ſub disjunctione mulctam, aut excommunicationem? 178.

An pars læſa licitè petat compenſationem, lucri proventuri ex alio Matrimonio, quod ipſa neglexit? 182.

Sponſus dicens, promiſi tibi quidem Matrimonium, ſed addita hac aut illa conditione, tenetúrne probare ſe addidiſſe: an ſponſa, non addidiſſe? 184. *in App.* 2.

Quomodo probabit corrupta, ſe fuiſſe ab hoc, aut illo alio defloratam? 185. *&* 187.

An judex addicet prolem neganti adverſus matrem, ſe eſſe patrem illius prolis? 295.

Cauſa educationis quanti fiat à Theologis? 196.

Stylus Curiæ Conſtantienſis circa deflorationem? 208. *in fine.*

Sponſo deſerente ſponſam impregnatam, quis alet prolem? 242. *in App. lit.* a. *&* d.

Sponſi fuga ex arreſto probátne, eum verè promiſiſſe Matrimonium? ibid. lit. b.

Si Appellans non proſequatur, impediente paupertate, appellationem, an expirent fatalia? ibid. lit. m.

An deferendum appellationi introductæ à Regulari reclamante poſt quinquennium profeſſionis? ibid. lit. o.

An ortus ex patre ſpurio det cauſam reſiliendi? 309.

An ſuperveniens magnus horror à ſponſa? 337.

An opes magnæ, aut magna paupertas ſuperveniens? 339. *&* 340.

Curioſa quæſtio, an ſponſa ſit quadratura ſponſo? 359.

An impregnata ab alio teneatur id manifeſtare ſponſo ignoranti, & urgenti executionem promiſſionis? 374.

An, ſi ante Matrimonium cognoſcatur ſponſa, cen-

)( )(*ſeatur*

ſeatur hoc ipſo eſſe conſummatum Matrimonium? 404.

Quibus verbis contrahatur Matrimonium per procuratorem? 405.

An quis poſſit Matrimonium de præſenti contrahere cum muliere per ſacerdotem tanquam procuratorem? 405. lit. b. & c.

Quomodo probetur interveniſſe fictionem in Matrimonio? 440.

Sitne turpis hæc conditio teſtamentaria: Lego meo filio quinque millia, ſi manſerit in ſæculo, mille, ſi non manſerit? 470.

Rectène Stephanus à S. Paulo arguat erroris Autorem in materia denuntiationum omittendarum ob Benedictiones? 509. *in App. totâ.*

An res Conſilii ſint quandoque præferenda rebus præcepti? ibid. lit. f. & g.

Quid aget Confeſſarius cum ſponſo impotente, at volente vivere cum ſponſa inſtar fratris & ſororis? 546.

In dubio de quarto, & quinto gradu conſanguinitatis quid præſumendum? 548. *in App.* 3. *totâ.*

Diſcutitur ratio licentiæ tacitæ ad aſſiſtendum Matrimonio. 549. 550. & *ſeqq.*

An quando propter invaletudinem viri ſemen non eſt prolificum, liceat petere debitum? 606. § *Theologi.* & *ſeq.*

An uxor poſſit effundere ſemen futurum ſibi noxium? 646. *in App. I. totâ.*

An liceat debiti redditio ſolùm imperfecta? 576. 589. *in App.* & 597.

Vtrum proles concepta, lite pendente, ſit legitima? 645. §. *Obſervavi.*

Quid aget Confeſſarius, quando à nova nupta interrogabitur, quid ſit licitum, vel illicitum, in commercio conjugali? 648.

An ſit hodie probabile, oſcula inter ſponſos habita ob delectationem veneream carere mortali noxâ? 672.

Vtrum oſculans puellam præſumatur id facere ex amore venereo? 673.

Poſſitne jam abſque contumelia Sedis Apoſtolicæ negari, Pontificem habere poteſtatem dirimendi Matrimonii Rati? 691.

An Matrimonia Hæreticorum ſint verè communiter diſſolubilia? 699. & 708.

An ſeparanda Matrimonia inita ab Hæreticis cum Impedimento juris Eccleſiaſtici? 711.

An quando uxor non ſeminat cum marito, hic licitè digitis provocet illam ſeminationem? 589. *in App.*

An, qui puellam impregnavit, licitè ingrediatur Religionem, conſcia puella, at ignorante Prælato Regulari? 727.

Vtrum ebrietas præbeat jus ad divortium, quoad torum? 731. *Remiſſivè.*

An ſubſiſtat Matrimonium contractum coram Sacerdote, qui ſolùm probabiliter eſt Parochus? 734.

An & illud, quod falſo, probabiliter tamen, putabatur carere Impedimento? 744.

Quid ſi tota Communitas falſò credat, Tridentinum non fuiſſe promulgatum in ſuâ Parochia? 748.

Quid ſi Teſtis erat ſurdus, & tamen putabatur eſſe probè auritus? 749.

An nactus uxorem ebrioſam, licitè præbeat ipſi pharmacum ad tollendam appetentiam vini? 774.

An uxor, inſcio marito, licitè ſuæ ſorori egenæ ſuppeditet notabilem partem ſuſtentationis? 801.

An ſit incapax abſolutionis conjugatus, qui non conatur extirpare vehementiſſimum in alienam amorem, ortum ex ſolis dotibus naturæ, abſque ullo morali periculo ullius impudicitiæ? 804. 810.

Tractatu XI.

AN Fiſcus teneatur perſolvere, aut poſſit commutare Realia vota Rei læſæ Majeſtatis? 47.

Quæ Regula ſtatuenda ad dignoſcendum, quiſnam finis voti vitiet, vel non vitiet hujus valorem? 63.

An, & quatenus ſubſiſtat votum nunquam peccandi venialiter? 73.

Aut ſemper faciendi id, quod erit perfectius? 74.

An voto non bibendi vini ligatus, peccet mortaliter tunc ſolùm, quando bibit plus, quàm ſoleat bibi in ſobrio prandio? 92.

An, qui vovit abſtinentiam à vino, ut ſe privaret hujus ſuavitate, licitè bibat, ſi deſinat percipere ſuavitatem? 95.

Illi, qui vovit, ſe quavis feria ſexta fore contentum ſolo pane, & rurſum vovit, ſe ſemper in vigilia Sancti N. Abſtenturum pane, contentúmque fore aliis eduliis, quid faciendum, ſi hujuſce Sancti vigilia incidat ex improviſo in feriam ſextam? 98.

Ad quid obligetur Cajus, qui in periculo naufragii conſtitutus, educit è pera nummum aureum, & ratus eſſe argenteum, dicit: Voveo, me hunc nummum miſſurum in gazophylacium, ſi evaſero naufragium? 102. & 120.

Quid S. Franciſcus ſenſerit de illa controverſia: Sitne Deo gratius edere carnes feria ſexta, in quam incidit Natalis Domini, quàm tunc jejunare? 116.

An ignorans, quid repugnet caſtitati, poſſit vovere caſtitatem? 121.

Et an validè ineat conjugium puella, ignorans neceſſaria ad generationem prolis? n. 122.

Quomodo intelligendæ, & probandæ ſint Clauſulæ diſpenſationis factæ cum Subdiacono in ordine ad Matrimonium? 140. & ſeqq.

Et ſingulariter illa de probanda nullitate Ordinis? 141.

An metus ſufficienter probetur juramento? 142.

An is poſſit dici metu adactus, cui nemo eſt quidquam minatus? 143.

An Subdiaconus cenſeatur ratificare ſuum Ordinem, dum percipit emolumenta ſollita dari ſolis Subdiaconis? 151.

Quid ſi priori beneficio addat aliud, ad quod admittuntur ſoli Subdiaconi? 153.

An allegans, ſe nec ratificâſſe Subdiaconatum, nec in eo miniſtrâſſe, debeat hoc probare? 149.

An ſubſiſtat votum ingrediendi Religionem, editum ad impetrandum privilegium aſyli iniquè negati? 155.

An liberi prudenter agant, ſuos parentes conſulendo circa ſtatum vitæ deligendum? 159.

An parentes S. Catharinæ Senenſis deliquerint, repugnantes voto ejus adhuc impuberis? 219.

Quid

Quid agendum adoleſcenti Catholico, habenti patrem Lutheranum, ac volenti irritari votum caſtitatis, editum à ſe adhuc impubere? 220. & 222.

An ſubſiſtant vota, quæ filii hæreticorum adhuc impuberes edunt ritu catholico? 223.

An ſubſiſtat votum uxoris dicentis: Si meus maritus rediverit vivus è bello, faciam hoc, aut illud ad honorem Dei, *redeat autem hic vivus quidem, at lethaliter æger?* 229.

An Superior cenſeatur irritare votum præciſe dicendo inferiori: Bene potuiſſes ſuperſedere hoc voto? 231.

An, ſi voviſti ceream ſtatuam ad locum pium conſtituram. 50. Florenis, præfectus autem loci pii ſit contentus. 40. In parata pecunia, ſatiſſacias voto dando illos 40. Florenos? 237. & 261.

Reſolvuntur quinque quæſtiones circa vota Oettinganæ peregrinationis. 254. & ſeqq.

An filius teneatur ratum habere votum, quo parens illum mortuum devovet Deo, ſi reviviſcat? 267.

Sitne practicè probabilis ſententia tenentium, votum caſtitatis deſinere obligare, quando superveniunt graviſſimæ tentationes carnis? 272. & 280.

An conjux voto non petendi debiti abſolvatur, quando cogitur cubare in eodem lecto cum altero conjuge? 281.

An valeat votum ducendi Bertham, & poſtea, ſi hæc præmoriatur, intrandi religionem? 288.

An deſerens rationabili ex cauſa Novitiatum, potiatur Legato deſtinato ei ſub conditione, ſi fiat Religioſus? 292.

An poſt ſtuprum ingreſſus Religionem, licitè mulctetur pœna ſtatuta in hoc crimen à Magiſtratu ſæculari? 300.

An valuerit B. Staniſlai Koſtkæ votum de non ceſſando, donec reciperetur in Societatem? 309.

An votum ex ſe reſervatum valeat, ſi vovens putabat non eſſe reſervatum? 321.

An & illud reſervatum, quod emiſiſti ante pubertatem, at parentes ſunt ante confirmationem mortui, deſinat eſſe reſervatum poſt horum fata? 324.

Quomodo intelligendum Votum de pio opere cum addito: Ubi evaſero hoc periculum? 369. 370.

Sitne fas vota nuncupare in honorem defunctorum, nondum relatorum in ſyllabum Beatorum? 401.

An mulier, quæ obligata voto Religionis ingrediendæ nupſit, teneatur poſt conſummatum Matrimonium ingredi illam Religionem, ſi maritus eam hortetur ad ingreſſum? 408.

An ſubſtiterit votum, quod quis valde pretioſum edidit, & poſtea liberos ſuſcepit, eo non perſoluto, impleta autem conditione, ſub qua voverat? 410.

An Joſephus Patriarcha revera peccârit jurando per ſalutem Pharaonis? 477.

An Iudex licitè utatur dolo, ut à Reo extorqueat confeſſionem? 533. 534.

An obliget Catholici Principis juramentum præſtitum ad inſtantiam Acatholici, de plectendis, qui obirent peregrinationem Eremitanam? 546.

An inſtrumentum Pacis faciat Catholico Laico jus acquirendi, vel retinendi poſſeſſionem Beneficii Eccleſiaſtici? 550.

An juramentum nec uſurpandi, nec docendi artem curandæ podagræ ſubſiſtat? 556.

An juramento reddendi pecunias mutuò acceptas ſatiſfiat, remittendo creditori debitum æquale? 558.

Juramentum Vaſallorum an obliget ad vitam exponendam pro ſalute Domini? 571.

An obliget ad prodendam machinationem ſuſceptam à ſuamet civitate? 575.

An Catholicus interrogatus à Lutherano, utrùm ſit Religionis Evangelicæ, *aut* Reformatæ, *licitè reſpondeat affirmativè?* 609.

An quis juſſus pendere ſteuram, ſeu collectam, licitè cum æquivocatione juret, ſe habere tantùm 20. florenos, cùm habeat 60? 625. & ſeqq.

Quid de illo, qui ſubticet 6000. florenorum? 632.

An complementa verborum, quibus utuntur Gallizantes, ſint accenſenda mendaciis? 669.

An Concionatores peccent mortaliter, non rectè citantes Sacram Scripturam, 674.

Quid cenſendum de Germanis, in ira præponentibus, aut poſtponentibus nominationi Sacramenti voculas nihil, aut aliquid ſignificantes? 736.

An blaſphemia propriè dicta committatur etiam in illos, qui nondum ſunt canonizati, ſed ſolùm renuntiati Beati? 762.

An & in illum, qui necdum eſt Beatificatus, imò adhuc mortalis? 769.

Quis primus blaſphemus? 781.

Quis Iudex in cauſa blaſphemiæ? 860.

An excuſandus Confeſſarius, qui confitenti horrificas blaſphemias dixit: Tantùm exue calceos, & perge àd Cacodæmonem? 815.

An reus inauditus poſſit quandoque affici ſupplicio corporali? 858.

Quæ argumenta meritò inducant Principem Sæcularem æqu ac Eccleſiaſticum, ut omnem conatum adhibeat extirpandis blaſphemiis? 870. & ſeqq. prolixè.

Quibus modis poſſint revera extirpari? 882. & ſeqq.

Sitne Superſtitionis damnandus Titius, qui, ut prægnans edat vivam prolem, mandat, ut hæc ex ſuis veſtibus conficiat induſiolum pro infantulo IESV, & geſtet inter ubera radicem præbitam à Titio, benedictam à Parocho, atque imminente partu radat radicem, abraſam materiam mixtam aqua, aut vino ebibat? 893. 895.

An & ejuſdem criminis damnandus Judex, in vincula rapiens illum, coram quo cœpit ſanguine manare cadaver occiſi? 918.

An & Medici præbentes ſemper pilulas in numero inæquali? 930.

Et is, qui filo cannabis, quod puella virgo neverat, ſubmurmuratis quibuſdam precibus, utebatur ad morbos ſanandos? num. 932.

Et ſcopas invertens, ut iis inverſis cogatur venefica gradi more cancrino? 941.

Et ſoleam equi per maleficium occiſi comburens ideo, ut maleficus ſentiat etiam ignem, etſi loco diſtans? 942.

Et illi Galliæ Epiſcopi, qui ad ſuum tribunal citant animalcula vitibus infeſta, conſtituunt iis procuratorem, & denique ſententiam excommunicationis fulminant in ea non ſe ſiſtentia? 955.

Aut peculiarem numeri Novenarii rationem habens in operibus pietatis? 956.

Aut prægnans, quæ pia opera facit, ut fœtus, quem geſtat, ſit maſculus? 958.

Aut, ut honoret Doctorem Angelicum ſcribens, nec Pontifices, nec Concilia poſſe deſciſcere ab ejus doctrina? 959.

Aut ſuas omnes ſatiſfactiones transferens in defunctos? 960.

Aut Clericus utens pulvere certo ad ſanandos illos, quorum ſanguinem miſcuit illi pulveri, eſto ii procul diſtent? 961.

Aut faber ferrarius tunc ſanans equum, dum ejus uxor lavat alibi frænum equi? 965.

Aut mulier Deiparam inſtituens hæredem omnium ſuorum operum, ac proprii nominis? 958.

An fugiens ob denuntiationem Dæmonis reddat ſe ſuſpectum? 974.

An qui philtro pellexit honeſtam virginem ad libidinem, ſit puniendus amputatione membri, quo abuti volebat? 973. 974.

An & is graviter puniendus, qui inimicum citat ad divinum tribunal? 975. & 982.

Quid cenſendum de illo verbo ſuperſtitioſo Abrocultabra*? 983.*

An ſit reus ſuperſtitionis, qui pecora tabe laborantia curat appenſo ad colla ligno, exciſo ex feretro prægnantis, unà cum prole mortua? 991.

Aut ſeram omnino novam injicit in vas lactarium, ut conficiat butyrum? 994.

Aut geſtans lapidem fulmine dejectum, ut hoc munitus ſternat tres, vel quatuor viros robuſtos? 997.

Aut ex metu mortis accelerandæ nolens aſſidere menſæ, in qua jam duodecim ſedent? 999.

Aut cum certis cæremoniis recitans orationem S. Eraſmi, ad obtinendum felicem exitum negotii litigioſi? 1001.

Aut graveolentiam oris pellens virgis è ſalice, ductis per os, ac poſtea ſuſpenſis in camino? 1002.

Aut curans ſtrumam dicendo: Quod video creſcat, quod tango decreſcat? 1003.

Aut ſanans colicam dicendo: Quàm verè paſſus eſt Chriſtus ſimilia, ita certò auxilium tibi feratur? *1004.*

Aut puerpera eo fine primum obvium eligens in patrinum, ut hac electione pariat vivam prolem? 1008.

Aut tempore Sacri ſub elevatione recitans Pater & Ave, *ut liberetur dolore dentium? 1010.*

Aut eques geſtans nummum S. Georgii ad evitandum periculoſum lapſum ex equo? 1014.

Aut alens ſerpentem domeſticum ad obtinendam proſperitatem in domo? 1020.

Aut gallum gallinaceum edens in gratiarum actionem pro præſervatione ab igne? 1021. 1022.

Aut geſtans tres cruculas ad ſiſtendum ſanguinem? 1025. & 1028.

Aut preces fundens ad glires avertendos ab ædibus? 1030. & ſeq.

Aut verrucas curans piſis in clibanum injectis? 1022.

Aut infantem pedibus captum immittens in paſtam &c? 1034.

Quas pœnas in ſuperſtitioſos ſtatuat jus Bavaricum? 1046.

Ad quod forum ſpectet punitio ſuperſtitioſorum? 1048.

An excuſandi Magiſtratus, prætexentes ignorari à ſe, has aut illas ſuperſtitiones paſſim vigere in ſua ditione politica, vel Eccleſiaſtica? 1050.

ELEN-

Digitized by Google

E L E N C H V S
RARIORUM, AC RARISSIMORUM
C A S U U M.
In hoc Opere Propoſitorum, & Reſolutorum.

In Tractatu VIII.

Caſus puniti divinitus, qui indignè ſuſceperat Ordines Sacros. *num.* 17.
Promoti ad Subdiaconatum cum calice pleno vini. 35. & 58.
Diaconi concionantis ſine licentia Epiſcopi. 75.
Ordinati Sacerdotio ſine vino in calice. 90.
Dubitantis an nimis multum aquæ eſſet affuſum tali calici. 99. *in Append. lit.* a.
Nobilis Sacerdotis plurimum adjuti doctrinâ de tactu hoſtiæ. 108. *in Append lit.* a.
Alterius Religioſi ſimiliter reſpirantis ex doctrina de tactu calicis. *Ibid. lit.* l. *& ſeqq.*
Ordinati ſine tactu patenæ, attamen Hoſtiæ. 109.
Tangentis materiam poſt formam integrè prolatam. 113.
Cogitantis ob ægritudinem non exſpectare impoſitionem manuum pro Sacerdotio. 128.
Neomyſtæ honorati à ſuo Angelo Cuſtode. 134.
Epiſcopi non uncti in ſua Ordinatione. 136.
Epiſcopi ſoliti formam Ordinationis proferre poſt materiam pluribus exhibitam. 164.
Obſtetricis baptizantis lacte 174.
Religioſi ſenis rebaptizati ob cauſam ancipitem. 175.
Alterius ob materiam non aptè adhibitam. 180.
Plurium ordinatorum in Lectores per tactum Pontificalis. 193.
Unius per ſaltum uncti in Sacerdotem. 194.
Epiſcopi dormiturientis ſub Ordinatione. 199.
Duorum ſcrupuloſè dubitantium de ſua inauguratione. 221. & 222.
Mirabiliter initiati Ordinibus 227.
Doloſi cum reſponſo ingenioſi. 233.
Suffraganei ordinantis cum dubia poteſtate. 243.
Epiſcopi non valentis præ ſenio Miſſam dicere, quando initiabat Candidatos. 254
Petentis ordinari immediatè poſt generalem Ordinationem. 260.
Eccleſiæ Cathedralis ſpoliatæ ſuo capite in ipſis angariis. 265.
Capituli Cathedralis facientis rem inſolitam. 275.
Ordinati in loco diſputabili. 277.
Et in loco paternæ Originis. 282.
Et ignorantis, quo loco natus, & cujus ætatis eſſet. 286.
Volentis initiari in loco, in quo parens obtinebat officium publicum. 302.
Confeſſarii prærigidi circa Epiſcopum Pontificalia exercentem in aliena Diœceſi. 314.
Sæcularis ordinati ab Abbate. 322.
Ordinati non jejuni. 350.
Minoriſtæ communicantis poſt jam ſumptum cibum. 361.
Sacerdotis ſumentis ante ſecundum Sacrum Natalis Domini particulam immiſſam in vinum purificationis. 363.
Muſici indocti, & tamen aſpirantis ad Sacerdotium. 368.
Fabri ferrarii prenſantis Sacerdotium. 402.
Religioſorum afferentium dubias literas dimiſſorias. 404. & 414.
Et non rectè dimiſſi aliò. 420.
Accingentis ſe ad Ordines, & tunc primùm audientis ex matre, ſe eſſe illegitimum. 427.
Matris ingenioſè conſulentis filio illegitimo. 431.
Legitimi paradoxi. 438.
Illegitimi licitè promoti contra verba Pontificiæ diſpenſationis. 447. *in Append.*
Volentis juſta ex cauſa ſuſcipere eodem die Minores, & Subdiaconatum. 448.
Petentis ordinari pridie Pentecoſtes. 488.
Multiplicis quæſtionis de ætate pro Ordinibus. 496. & 527.
Recurrentis pro ætate ad tempus conceptionis. 533.
Et antequam adeſſet diſpenſatio, jam tamen expedita Romæ. 751. §. *Ceterùm.*
Dimiſſoriarum faceſſentium Examinatoribus negotium. 571. *in Append. lit.* a.
Et aliarum. 583. *in Append.*
Allegantis pro ætate Annos biſſextiles. 534. & 537.
Dimiſſi ſine diſpenſatione in interſtitiis, & tamen initiati. 592.
Habentis dimiſſorias à Vicario incompetente. 593.
Ordinati ab alio, quàm erat expreſſum in dimiſſoriis. 598.
Patrimonii multùm controverſi. 610.
Mentiti ſufficere Patrimonium, quod offerebat Ordinatori. 624.
Alumni Pontificii non admiſſi abſque alio titulo menſæ. 609. *in Append.*
Organœdi offerentis pro patrimonio redditus ſuæ artis Muſicæ. 636.
Alius offerentis Officium Capellani Aulici. 628.
Alius offerentis Beneficium litigioſum. 641.
Sacerdotis habiti pro irregulari ob erectionem ægri, quam ſecuta fuit mors illius. 646.

Juvenis, qui nequibat dextrâ manu porrigere hoſtiam. 701. *in Append. 1. lit.* a.
Carthuſiani non valentis Sacrum Sanguinem ſumere, niſi tenendo utrâque manu calicem. 701. *in App. 2. lit.* d.
Extraordinariæ charitatis. 662.
Patris Joſephi Anchietæ timentis Irregularitatem, ubi alii non timerent. 663.
Aliorum viginti trium clarè, vel dubiè Irregularium. 673. *& ſeqq.*
Litigioſè ordinati ab Abbate. 702.
Ordinati contra proteſtationem Ordinatoris prohibitivam. 704.
Prælati Religioſi diſpenſantis cum ſæculari illegitimo. 719.
Diſpenſationis pro ſolo foro interno imprudenter notificatæ ipſi judici fori externi. 721. *in App. 3. lit.* p.
Alterius involutæ multis dubiis. 721. *in App. 2. lit.* I.
Parochi nolentis ungere moribundum variolis undique contectum. 798.
Ordinati poſt falsò inſertam ejus diſpenſationi penuriam Sacerdotum. 734.
Ordinati cum diſpenſationis clauſula: *Curſum Philoſophiæ abſolviſti*, cùm tamen deeſſent quinque menſes. 739. *lit.* a.
Et cum clauſula: *Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini Profeſſori*, Pro: *Auguſtanæ Diœceſis Clerico.* 742.
Domini petentis diſpenſationem pro mancipio nequaquam petente. 745.
Diſpenſati cum clauſula: *In animam tuam.* 751.
Subdiaconi diſpenſati in ordine ad Matrimonium. 765.
Decani ruralis benedicentis Oleum infirmorum. 790.
Differentium ex cauſa ridicula extremam Unctionem. 813. & 815.
Puellæ deliræ ab anno decimo ætatis, poſtea adductæ in diſcrimen vitæ. 828.
Ebrii habiti pro morituriente. 831.
Puerperæ periclitantis ex puerperio ſine alio morbo. 842.
Extremè Uncti, priuſquam afficeretur extremo ſupplicio. 847.
Sanctæ Hedwigis petentis extremam Unctionem ante omnem morbum. 855.
Rotâ fracti extremè ungendi. 849.
Extremè uncti non apparente ſigno morbi. 872. & 874.
Ruperti Imperatoris differentis extremam Unctionem ex falſa opinione. 881.
Mulieris perſæpe extremè unctæ. 891.
Anûs ebriæ, & unctæ. 892.
Uncti in deliquio minimè lethali. 894.
Puniti in altera vita ob neglectam extremam Unctionem. 883.
Deliri, & deſperabundi ſanati extrema Unctione. 905.
Puellæ conſanatæ corpore. 92[illegible].
S. Malachiæ extremè ungentis mulierem poſt morbum depulſum. 934.

Tractatu IX.

Caſus Neocatholici volentis ducere alteram uxorem, vivente priore, quam duxerat cum Impedimento Juris Eccleſiaſtici. *num. 1.*
Archiepiſcopi irritantis matrimonia inita ſine ſua facultate, & denuntiationibus. 19.
Judicis ſæcularis immiſcentis ſe cauſæ impedimenti. 64.
Fictè promittentis nuptias variis. 69.
Puellæ volentis poſt votum caſtitatis tranſire ad nuptias. 81.
Alterius emittentis in periculo pudicitiæ votum Religionis. 98.
Meretriculæ fingentis ſe Comitiſſam, hácque ratione impetrantis inſigne Matrimonium. 103.
Jacobi Patriarchæ decepti. 110.
Juvenis plebeji fingentis magnam Nobilitatem. 119.
Doli ingenioſi. 121.
Amoris cæci. 125.
Erroris flagitioſi. 126.
Matrimonii irriti ob ignorantiam conditionis ſervilis. 130.
Nubentis, & tamen ignorantis, quid eſſet actus conjugalis. 128.
Mirabiliter ſupponentis alienam prolem. 129. *in Append.*
Apponentis Matrimonio conditionem cum eventu infelici. 1[illegible]0.
Et cum alio triſti. 144.
Monialis, non Monialis. 146.
Dubitantis de Impedimento Cognationis abſque ſufficiente fundamento. 151.
Depoſcentis in Matrimonium ſororem tui abavi. 164.
Petentis in uxorem ſuam filiaſtram, quam in pueritia levarat è Sacro fonte. 169.
Mariticidii patrati ad præveniendum periculũ. 182.
Adulterii cum multis circumſtantiis. 188.
Alterius non benè reſoluti. 194.
Mulieris æquivocè reſpondentis adultero. 205.
Adulteræ priùs nuptæ bona fide, at malâ permanentis in Matrimonio invalido. 209.
Catholicæ nuptæ hæretico, à quo deinde repudiata ob adulterium voluit alteri nubere. 212.
Allegantis metum, & arctitudinem poſt Matrimonium. 243.
Juſſi dimittere mulierem, quam duxerat Subdiaconus. 268.
Confeſſarii malè reſolventis caſum cognationis ſpiritualis. 177.
Rati, votum continentiæ eſſe annexum Minoribus Ordinibus, quos ſuſceperat. 274.
Mulieris fruſtra allegantis pro alio Matrimonio mortem mariti. 276.
Mulieris volentis nubere poſt mariti abſentiam per 24. Annos. 329.
Alterius probantis, maritum fuiſſe viſum morti proximum. 330.
Sponſi inducentis falſum de morte ſponſæ Teſtem. 333.
Jurantis, prius ſuum Matrimonium fuiſſe invalidum, & ideo adſpirantis ad ſecundum. 344.
Mortis probatæ per duos Teſtes de ſolo auditu. 353. & 355.
Mariti comparentis octennio poſt novas nuptias uxoris. 356.

Alte-

Digitized by Google

Alterius comparentis tunc, cùm celebrarentur pro ipſo funebria. 357. §. *Vt cùm.*
Contrahentis cum præſumpta morte mariti. 357. *in App.*
Matrimonii initi cum ſorore ſponſæ poſt ſponſalia mutuo conſenſu diſſoluta, & reprobati à Papa. 358.
Publicæ Honeſtatis reſolutus Caſus aliter, ac debebat. 371.
Patris ducentis viduam, cujus duas filias eodem die deſponſabant ſibi duo filii ipſius. 387.
Impotentis tracti per tribunalia. 410.
Eunuchi malè diſpenſati ab Epiſcopo. 419. *in App. lit.* a.
Impotentis maleficiati. 449. *in App. lit.* oo.
Negantis bis, fatentis ſemel in judicio copulam fornicariam. *ibid. lit.* tt.
Impotentis valdè importuni. 449. *in App. lit.* b. & e.
Alterius valde perplexi. *ibid. lit.* g.
Sponſi nati in Gallia, & volentis in Belgio copulari ſine Parocho. 451.
Parochi obligati dare alteri licentiam aſſiſtendi. 501.
Decipientis aſſiſtentem Matrimonio. 501. *in Append. 2.*
Nobilis invitantis ad cœnam Parochum, & ſub cœna contrahentis coram ipſo nihil tale ſuſpicante cum ſua ſponſa. 506.
Religioſi aſſiſtentis Matrimonio vagorum. 513.
Contrahentis coram Parocho A. cùm tamen ſolùm accepiſſet à ſuo proprio Parocho facultatem contrahendi coram Parocho B. 525.
Contrahentis coram Parocho multùm dubio. 531.
Migrantium pro copulatione ad locum, ubi non erat receptum Tridentinum. 535. *& ſeqq.*
Duorum obruentium ſuum Parochum Sacris operantem. 538. & 539.
Et decumbentem in lecto. 539. §. *Confirmatur.*
Profugientis clam cum ſponſa. 540.
De Impedimento malè reſoluto à Parocho. 548.
Aperientis Confeſſario, ſe intra decennium nequiviſſe ſemen immittere in vas. 566.
Laborantium Impedimento, ſed copulatorum à Parocho ante acceptam Bullam diſpenſationis. 570. & 600.
Novæ difficultatis inter Papæ & Nuntii forum. 588.
Non habentium ſumptus pro diſpenſatione. 591.
Volentis ducere ſuammet nurum. 603.
Petentis diſpenſationem, poſtquam falſò juraverat ſponſam non fuiſſe cognitam à ſe. 627.
Helvetii prædivitis diſpenſati ſub titulo paupertatis 660. 661. & 667.
Cognoſcentium ſe carnaliter ante executionem diſpenſationis. 629
Erroris commiſſi circa ætatem in materia diſpenſationis. 642
Nobilium allegantium paupertatem. 663.
Mulieris allegantis eandem ob deformitatem. 664.
Peccantis gratis. 94.
Cogitantium contrahere ante allatam Bullam diſpenſationis. 741.

Tractatu X.

Caſus juvenis propinantis puellæ poculum in Matrimonium. *num.* 1.
Sponſi percutientis Clericum turpiter agentem cum ſponſa. 5.
Defectum libertatis allegantis ob æſtum libidinis 23.
Utentis in contractu ſponſalium hac formula: *Non te deſeram.* 38.
Promiſſionis muliebriter clauſulatæ. 85.
Fœminæ non valentis, niſi juramento, probare factam ſibi promiſſionem. 93.
Valde dubiæ promiſſionis matrimonialis. 95. *in Append. lit.* b.
Alterius non ſatis credibilis. *Ibid. lit.* g.
Sponſalium contractorum, invitis parentibus, & tamen approbatorum. 96.
Caſus ſponſionis matrimonialis ſatis intricatus. 118.
Nolentis ſolvere ſumptus diſpenſationis. 166. *in Ap.*
Falsò nominantis patrem ſuæ prolis illegitimæ. 191.
Fugientis ex arreſto poſt citationem ob promiſſionem matrimonialem & copulam. 242. *in App.*
Introducentis appellationem poſt fatalia decurſa ob pauperiem. *Ibid. lit.* i.
Nolentis dimittere ſponſã ſine pacto pecuniario. 243.
Perjuri divinitus puniti. 255.
Sponſæ multùm inconſtantis. 271.
Sponſæ confugientis ad Monaſterium, ut declinaret nuptias. 316.
Erroris in antiquitate Nobilitatis. 343.
Sponſæ impregnatæ ab alio, & dubitantis, an licitè pareat ſponſo urgenti copulationem ſoleñé. 365.
Caſus propè metaphyſicus de ipſo contractu Matrimonii. 385.
Parochi ridiculè interrogantis copulandos, & ita dantis occaſionem petendi divortii. 394.
Contrahentis cum muliere per procuratorem Sacerdotem. 405. *in Append. lit.* b.
Matrimonii dubiè ficti. 408.
Mendacii utiliter adhibiti in cauſa Matrimoniali. 425.
Sponſi multùm fraudulenti. 427.
Matrimonii conditionati non bene reſoluti. 447.
Sponſi volentis dimittere ſponſam impregnatam, niſi remitterentur denuntiationes. 474.
Matrimonii contracti coram Parocho aliquo modo alieno. 510.
Habentis cognitum ſub ſecreto Impedimentum, at dubitantis, an teneretur revelare. 527.
Inceſtûs tragici. 538.
Denuntiantium Impedimentum poſt ipſas nuptias, & ipſammet mortem impeditæ. 543.
Et denuntiantis, cùm jam deducerentur ſponſi ad Eccleſiam copulandi. 544.
Aperientis Confeſſario Impedimentum impotentiæ cũ animo convivendi inſtar fratris, & ſororis. 546.
Parochi conjungentis alienos in aliena Parochia ex tacita licentia valde controverſa. 549.
Teſtantis Sponſos eſſe junctos quarto vel quinto gradu cognationis. 548. *in Append.* 3.
Volentium haberi pro illegitimis natos ex Matrimonio non benedicto. 569.

Pa-

Digitized by Google

Parochorum duorum litigantium de jure benedicendi ſponſas. 571.
Petentis, & reddentis debitum cum imperfecta copula ad vitandam multiplicationem prolis. 576.
Voventis non reddere primo triduo nuptiarum. 608.
Mariti immittentis ſemen noxium uxori. 646. *in App.*
Conjugatæ mirificè declinantis Copulam conjugalem. 640. *in Append. lit.* b.
Novæ nuptæ quærentis ex Confeſſario, quomodo conjuges poſſint peccare circa materiam caſtitatis. 647.
Matrimonii inter plebejos Rati, diſſoluti tamen à Papa. 676.
Neocatholici permiſſi ducere Catholicam, vivente adhuc uxore hæretica. 695.
Alterius volentis id ipſum facere, at non permiſſi. 708.
Suum amorem conjugalem teſtantis inhumanâ verberatione conjugis. 714.
Mulieris lepidè ulciſcentis ferociam mariti. 720.
Ingreſſi Monaſterium, relictâ, quam imprægnaverat, puellâ. 727.
Matrimonii cauſantis Septem quæſtiones. 731. *in App.*
Parochi aſſiſtentis ex opinione ſolùm probabili aliquibus Matrimoniis. 732.
Mariti cogitantis uxorem merobibam reddere abſtemiam. 774.
Neocatholicæ volentis tres ob cauſas diſſolvere Matrimonium initum cum hæretico adultero. 712.
Mariti mirificè amantis alienam. 804.

Tractatu XI.

REi læſæ Majeſtatis ligati obligatione votorum realium, *num.* 46.
Matronæ voventis non ſpuere in templo. 50.
Canonici Cathedralis pro Matrimonio diſpenſati cum variis clauſulis. 140.
E Lutherano facti Catholici, & petentis irritationem voti, patre hæretico adhuc vivente. 220.
Vicini, onerantis obligatione voti ſuum Vicinum, ſi hic ex amente fieret ſanæ mentis. 264.
Ingredientis Religionem poſt ſtuprum commiſſum, & poſtulati ad pœnam à Judice Laico. 300.
Edentis votum ex cæco amore in Amaſium. 314.
Sacerdotis nondum ſoluti voto peregrinandi in veſte Eremitica, & geſtandi crucem ad Limina Apoſtolorum, quod votum emiſerat ante clericatum. 332.
Ferdinandi. II. Ambiguâ clauſulâ nuncupantis votum. 369.
Uxoris ante Matrimonium obſtrictæ voto ingrediendi Religionem, cui maritus facit ultro facultatem exequendi ſuum votum. 403.
Uxoris inſcio marito promittentis *quidquid* peteretur ab ipſa. 416.
Nobilis voventis facere ſumptus in futuram Canonizationem Patris Bernardi Colnagi. 430.
Caſtigati à Deipara ob fraudem in voto. *n.* 436.
Graviter punitæ ob non ſervatum votum rei parvæ. 443.
Docti ab equo ſervare votum. 447.
Solymanni exoticè jurantis. 448.
Juramenti Germani non Germani. 509.
Judicis dolo extorquentis à Reo confeſſionem criminis. 533.
Principis Catholici promittentis Acatholico, ſe puniturum exercentes opera Religionis Catholicæ. 540. & 546.
Laici volentis Præpoſituram retinere prætextu Inſtrumenti Pacis. 550.
Medici Podagricis non ſat æqui. 5 6.
Senatoris lepidè tegentis ſecreta Senatûs. 560.
Steuram non integre ſolventis. 577. & 632.
Judicis iniquiſſimè uſi Æquivocatione, & juſtiſſimè puniti. 606.
Catholici eâ uſi in cauſa Religionis, & quidem abſque peccato. 609.
Ducis Bernardi Weinmari non ſtantis pactis. 614.
Caroli IV. Etiam inique abuſi jure æquivocandi. 616.
Sancti Felicis ſanctè uſi reſervatione mentali. 623.
Ferdinandi II. Severè plectentis aulicum doloſû. 636.
Puellæ ex inceſtu imprægnatæ, & per æquivocationem celantis nomen veri patris. 639.
Rudolphi. I. Cæſaris vindicati à mendacio. 658.
Barbæ amiſſione divinitus puniti ob perjurium. 692.
Medici jurantis per centum millia Sacramentorum, in bonum infirmi. 704
Accipitris vindicantis votifragû, & blaſphemû. 751.
Religioſi puniti ſubitanea ſubmerſione poſt petulans dictum in S. Ignatium, licèt tunc nondum canonizatum. 763.
Concionatoris horrifica morte mulctati, ob convitium jactum in B. Staniſlaum Koſtkam. 766.
Equitis Religioſi, ob blaſphemias in fruſta cultro diſſecti à Cacodæmone, & vorati à duobus aliis Cacodæmonibus. 782.
Confeſſarii tractantis præfervidè blaſphemum pœnitentem. 815.
Conſtantienſis Senatûs clementer plectentis blaſphemum hæreticum. 837.
Judicis mulctantis linguæ abſciſſione blaſphemum inauditum. 857.
Mulieris blaſphemæ in fruſta coram toto populo diſcerptæ à Cacodæmone. 867.
Blaſphemi à Cacodæmonibus ipſis aſſati, præſentibus quinque ſceleratis capitibus. 8.8.
Crudeliſſimæ vindictæ exercitæ ob irriſionem. 874.
Ruſtici ſuperſtitioſè ſuccurrentis mulieribus abortientibus. 893.
Clerici recenter utentis medicina agente (ut apparet) in diſtans. 961.
Fabri ferrarii ſuperſtitioſè ſanantis equos. 965.
Mulieris mirabiliter inſtituentis hæredem B. Virginem. 968.
Fugam corripientis ob energumenæ teſtimonium contra ſe. 973.
Tremendum exemplum injuriantis, citati ab injuriato ad divinum tribunal. 978.
Arte Cabaliſtica utentis ad pellendas febres. 983.
Magni Principis geſtantis eo fine Nummum S. Georgii, ne periculoſè cadat ex equo. 1014.
Cacodæmonis obeuntis officium Subulci. 1037.

TRA-

TRACTATUS OCTAVUS,

SEU

ALPHABETUM ORDINIS, ET EXTREMÆ UNCTIONIS.

QUO

XXIII. Præcipuis Caſibus, atque aliis plus LXXX. *FACTIS*, non *FICTIS*, declaratur univerſa materia.

Sacræ Ordinationis, & Extremæ Vnctionis.

DISPOSITIO TRACTATUS.

Hujus Alphabeti Caſu 1. dico. Quid ſit Ordo, & quis effectus? 2. Quæ diſpoſitio ad illum? 3. Quæ materia, & forma ſex inferiorum? 4. Quæ Preſbyteratûs? 5. Quæ Epiſcopatûs? 6. Quando iterandi? 7. A quo Epiſcopo conferendi? 8. An ab Abbate? 9. An jejuno? 10. An illiterato? 11. Quomodo Regulari, & illegitimo? 12. An extra tempora? 13. Qua ætate? 14. Quibus dimiſſoriis? 15. Quo patrimonio? 16. Quo Beneficio inſtructis? 17. An irregulari? 18. Malè ordinati pœna. 19. Diſpenſatus in ætate. 20. Ordinati obligationes. 21. Extremæ Unctionis eſſentialia. 22. Neceſſitas & ſubiectum. 23. Effectus & accidentia.

ORDO QUID? QUOTUPLEX? QUID EFFICIAT?

BIBL. S. PVDEN. DE VRBE.

CASUS I.

Antiquitatis teſtis.

SUMMARIUM.

Quomodo S. Ambroſius fuerit Sacris Ordinibus initiatus? Num. 1.
Ordines majores erant jam in primitiva Eccleſia, ſicut interſtitia temporum. 2. & 3.
Ordo quid ſit? 5.
Duplex ejus ſignificatio notanda. 6.
Prima Tonſura an ſub Nomine Ordinis intelligatur in jure? 8.
Cur majores Ordines vocentur ſacri? 12.
Quænam generatim ſint de ſubſtantia alicujus Ordinis? 13.
Ordo eſt unum è ſeptem Sacramentis. 14.
Ordinis effectus quadruplex. 16.

AMbroſius Ambroſii civis Romani filius, 1
juſſu Probi Præfecti Mediolanum venit, ingreſſúſque Eccleſiam, ut ſedaret ſeditionem populi, de Epiſcopo deligendo diſſentientis, cùm multa de tranquillitate reipublicæ præclarè dixiſſet, derepente puero Ambroſium Epiſcopum exclamante, univerſi populi vox erupit, Ambroſium Epiſcopum depoſcentis. Itaque cùm ad populi deſiderium Imperatoris voluntas acceſſiſſet, Ambroſius baptizatus (erat enim catechumenus) ſacríſque ini-

 tia-

tiatus, ac ſervatis omnibus ex inſtituto Eccleſiæ Ordinum gradibus octavo die Epiſcopale munus, quod populi precibus reſiſtens recuſaverat ſuſcepit.

2 Contraxi in hos paucos verſus ea, quæ Breviarium Romanum pluribus proponit ad ſeptimum Decembr. quo die colitur annua memoria huius ſapientiſſimi Eccleſiæ Doctoris. Voco autem hanc narratiunculam, ſeu Caſum *Antiquitatis teſtem.* Et quidem duplicis. *Prima* eſt, quòd jam antiquitus fuerit non ſolùm cognita, ſed etiam uſurpata diverſitas ſacrorum Ordinum; cùm enim S. Ambroſius fuerit in Epiſcopum unctus An. Chriſti 374. ut probat Cardinalis Baronius in Annalibus illius anni, vel hinc oſtenditur errare Calvinum, cùm *Lib. 4. inſtitut. cap. 19. §. 27.* apud Cardinal. Bellarmin. *Lib. De Clericis, cap. 12.* ſcribit, Ordines, præcipuè Minores, incognitos fuiſſe primitivæ Eccleſiæ, & multis poſtea annis excogitatos. Sanè nec ſæculo S. Ambroſii, nec eo, quo floruit S. Cyprianus, ſcilicet circa Annum 240. excogitata eſt diverſitas Ordinum, ut videre eſt apud eundem *in Epiſtolar. Lib. 2. cap. 10.* ergo jam fuit nota primitivæ Eccleſiæ; ut etiam inde liquet, quòd & S. Ignatius Martyr, & S. Clemens Romanus meminerint Ordinis Lectorum, Oſtiariorum, Exorciſtarum, ut leges apud P. Vaſquez *Tom. 3. in 3. p. Diſp. 237. num. 20.*

3 *Altera* Antiquitas, cui teſtimonium perhibet præſens *primus* Caſus, eſt hæc, quòd nimirum primis ſæculis ſoliti ſint impertiri Ordines, etiam Minores, non uno, ſed diverſis diebus; etenim S. Ambroſius fuit conſecratus in Epiſcopum octavo die, ut ſcribit Paulinus *in ejus vita*; ergo ſeptem dies præcedentes illam conſecrationem, fuère impenſi ſinguli recipiendis ſingulis Ordinibus, conformiter legi à S. Cajo Pontifice, (qui rexit Eccleſiam Anno Chriſti 284.) ſtatutæ, & relatæ à Gratiano *in c. 1. diſt. 77.* hoc enim innuunt illa verba Breviarii Romani: Servatis *ex inſtituto Eccleſiæ* Ordinibus.

4 His breviter, nec planè extra rhombum, inſinuatis

Quæritur 1. *Quid ſit Ordo?* de quo differemus primis XX. Caſibus hujus Alphabeti. 2. *Quotuplex?* 3. *An Sacramentum?* 4. *Quis effectus?* Supponitur autem, ſicuti omnia reliqua Sacramenta ſunt *immediatè* inſtituta à Chriſto, ita & illos Ordines, quos certum eſt, eſſe Sacramenta; ſecùs de illis, qui non ſunt Sacramenta.

5 Dico I. *Ordo*, de quo Theologi diſputant, quando diſſerunt de Sacramentis, rectè definitur à S. Thoma *in ſupplem. 3. Part. quæſt. 34. art. 2.* poſt Magiſtrum, eſſe *ſignaculum quoddam Eccleſiæ, quo ſpiritualis poteſtas traditur Ordinato.* Quaſi dicas: Ordo eſt cæremonia ſacra, qua ordinato traditur poteſtas ſpiritualis circa Euchariſtiæ in Miſſa tractationem. P. Henriquez *in Summa lib. 10. cap. 1.* ex communi; nam Ordinis Sacramentum refertur per ſe, & præcipuè ad Euchariſtiæ tractationem. S. Thom. *loc. cit. quæſt. 37. art. 2.*

Ubi nota, *Ordinem* generatim accipi dupliciter. 1. Pro qualitate, & ſtatu hominum. Quo ſenſu dicimus, hunc eſſe *Ordinis* Senatorii, *Ordinis*, ſeu ſtatûs Religioſi. 2. Pro digeſtione, & collocatione rei cuiuſque in ſuo loco. Vnde illud Ciceronis *in Paradox. Quidquid peccatur, perturbatione peccatur regionis, atque Ordinis*, id eſt, quia non ſervatur digeſtio, & collocatio debita; ut proinde *ordo* in *prima* ſignificatione ſit quaſi effectus *ordinis* ſumpti in *ſecunda*; nam ſtatus Equeſtris, Senatorius, Religioſus oritur ex digeſtione, diſtributione, collocatione facta. Et quidem Scriptores ſacri differentes de Sacramento Ordinis utuntur nomine *Ordinis* ſumpti jam in priore, jam in poſteriore ſignificatione. Etenim *cap. Cùm contingat. De ætate, & qualit. præfic.* dicitur, per Primam Tonſuram conferri Ordinem Clericalem, adeóque per tonſuram fieri, ut quis ſit non jam ampliùs in ſæculari gradu, ſeu ſtatu, ſed in Clericali, ut rectè explicat hunc textũ P. Ferdinand. de Caſtro Palao *Tract. 27. punct. 2. num. 5.* 6

At verò quando quæritur, utrùm *Ordo* ſit Sacramentum, non ſumitur nomen *Ordinis* in *prima* illa ſignificatione; conſtat enim, ipſum ſtatum Sacerdotalem, Epiſcopalem, & generatim Clericalem non eſſe Sacramentum, quandoquidem iſte ſtatus eſt aliquid permanens: Sacramentum verò *Ordinis* eſt aliquid tranſiens, ſeu Sacramentum in fieri, ut loquitur P. Dicaſtillo *De Sacram. Tract. 6. num. 60.* ſicuti Baptiſmus, Confirmatio, Extrema Unctio. Item *Ordo*, quatenus eſt Sacramentum, efficit ſtatum Clericalem, Sacerdotalem, ergo non eſt ipſe Status. Igitur *Ordo*, prout *principaliter* de illo diſſeritur in hac materia, eſt digeſtio, & collocatio hominum in certo loco, ſeu ſtatu; ſeu id, quod exteriùs geritur cum ordinato. S. Thom. *in Supplem. quæſt. 37. art. 2.* Hinc rectè obſervat ſubtilis Scotus *in 4. d. 24. art. 1. Ordinem*, prout eſt Sacramentum, rectiùs dici *Ordinationem*, quàm *Ordinem*, ideóque ab ipſo etiam Concilio Trident. *Seſſ. 23. De Sacram. Ordinis cap. 4. Can. 3.* vocatur expreſſè Ordinatio. 7

Quando ergo in definitione dicimus cum S. Thoma, Magiſtro Sentent. Scoto, & aliis communiter, *Ordinem* eſſe *ſignaculum quoddam Eccleſiæ, quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato*, eſt perinde, ac ſi dicamus, eſſe quandam ſignationem, ſeu obſignationem, actionémque ſacram, qua impertitur jus quoddam ſpirituale circa ſacram Euchariſtiam, eo modo, qui indicabitur, quando de ſingulis Ordinibus tractabitur. 8

Ex

Digitized by Google

9 Ex qua deſcriptione, & explicatione communiter recepta ſequitur I. Primam Tonſuram non eſſe propriè Ordinem, ut rectè notant, docéntque poſt S. Thomam *in Supplem. Quæſt. 40. art. 2.* ubi Primam Tonſuram non aliter vocat, quàm *Coronam*, paſſim Theologi Scholaſtici, & Morales cum Navarro Canoniſta, contra cæteros communiter Canoniſtas *in cit. Cap. Cùm contingat.* quos inter doctus Barboſa *in cit. Cap.* expreſſè addit contra S. Thom. *ibidem ad 2.* & cæteros Theologos, per Primam Tonſuram imprimi characterem. At refutantur inde, quòd nulla ſpiritualis poteſtas quidquam agendi tribuatur per Primam Tonſuram, ſed ſola ſegregatio à Statu ſæculari, & aptitudo ad recipiendum beneficium Eccleſiaſticum, atq; propriè dictos Ordines. Ita ut tonſuratus ſe habeat, reſpectu Ordinatorum, ferè ſicut Novitius familiæ Religioſæ, reſpectu Profeſſorum.

10 Cenſet nihilominus idem Navarrus *Conſil. Lib. 1. De Temp. Ordin. Conſil. 11.* cum Barboſa, & cæteris Canoniſtis contra Cardin. Toletum *Lib. 1. cap. 49.* Suarium *De Cenſuris Diſp. 31. Sect. 1. num. 58.* Bonacinam *De Cenſur. Diſp. 3. Punct. 5. §. 1. num. 11.* nomine *Ordinis*, & *Ordinationis* poſito in Bullis Pontificiis, & Conciliis intelligi etiam Primam Tonſuram. Adeóque iis, quibus eſt ſine limitatione veritum conferre, vel accipere Ordines, hoc ipſo vetitam eſſe Primam Tonſuram. Exemplum adfert Navarr. *loc. cit.* itémque Garciàs *De Benef. Part. 7. cap. 1. num. 6.*

11 Sequitur II, Meritò aſſeri à Theologis communiter, eſſe ſeptem Ordines, ſcilicet quatuor Minores, & tres Majores. Etenim illis omnibus, & ſingulis convenit definitio *Ordinis* allata, ſicuti patebit, cùm diſſeremus de ſingulis. Imò quia hæc ipſa deſcriptio convenit Epiſcopatui, idcirco docebimus *Caſu V.* Epiſcopatum eſſe Ordinem.

12 Licèt autem omnes Ordines ſint aliquid Sacrum, deputatúmque ad cultum Divinum, attamen ſoli tres Majores nuncupantur Sacri, ut exprimit Innoc. III. *Cap. A multis, De ætat. & qual. præf.* ideo videlicet, quòd corpora initiatorum uno ex his Ordinibus ſint conſecrata Deo, per votum caſtitatis, ut innuitur in eodem capitulo. Unde, quando in Conciliis, & Bullis Pontificiis ſtatuitur aliquid de conſtitutis *in ſacris*, intelliguntur illi ſoli, qui ſunt initiati aliquo ex tribus Majoribus Ordinibus, ut patet vel ex Concilio Baſil. *Seſſ. 21. § quoſcunque*, ubi pronuntiatur, *conſtitutos in ſacris teneri ad Horas Canonicas*; qui quidem idcirco appellantur Majores, quòd habeant majus officium, quàm qui dicuntur Minores, ſcilicet celebrandi Miſſam, vel *immediatè* ſerviendi, ſeu miniſtrandi celebranti ſolenniter, nullus quippe Minoriſtarum miniſtrat *immediatè* celebranti ſolenniter.

13 Sequitur III. Falſam, ac prorſus tam *practicè*, quàm *ſpeculativè* improbabilem eſſe doctrinam Raym. Aſtenſ. Angeli, & Gofr. apud Silveſt. *verb. Ordo q. 11.* pronuntiantium, omnia illa eſſe de ſubſtantia Ordinis, quæ in jure, aut Paſtorali, ut addit Angelus, præcipiuntur fieri, ſeu obſervari in Ordinatione. Etenim illa ſola ſunt de ſubſtantia, quæ indicantur in definitione Ordinis, quia definitio explicat eſſentiam; multa verò præcipiuntur hîc fieri, quæ nullo prorſus modo indicantur in definitione ſuperiùs allata. Quia verò in decurſu deſcenſuri ad ſpecialia, diſſentiemus toto cœlo à quibuſdam Canoniſtis, ideo obſerva hîc in anteceſſum ſapientiſſimi Silveſtri veriſſimam cenſuram de Canoniſtis in Materia Ordinis ſic ſcribentis: *Adverte, quòd Canoniſtæ in hac parte non plenè ſatiſſaciunt ingenio, ſed materiam involvunt, & multiplicant ſcrupulos ſine cauſa, quia non habent clavem.*

Dico II. Ordo eſt propriè unum è ſeptem 14
Sacramentis Eccleſiæ. Ita definitur à Concil. Trident. *Seſſ. 23. de Sacram. Ordinis c. 4. Can. 3.* etenim generalis definitio Sacramenti convenit ipſi ad amuſſim.

Ergo eſt de fide, Ordinem Acolythi v. g. eſſe 15
Sacramentum? Reſp. negando conſequentiam, eſt enim ſolùm de fide, quòd ſaltem unus ex ſeptem, ſeu Octo Ordinibus ſit Sacramentum; an verò ſingulis competat hæc dignitas, eſt quæſtionis ancipitis, de qua quid videatur veroſimilius ſentiendum, aperiam tribus ſequentibus Caſibus, interim indicando, non poſſe ſalvâ religione Catholicâ negari, quin ſaltem Sacerdotium ſit verum Sacramentum. P. Tannerus *Tom. 4. Diſp. 7. q. 2. n. 39.* tum quia id ſatis apertè traditur in Concil. Florent. *in Decreto Unionis*; tum quia ſi Sacerdotium non eſt propriè Sacramentum, non ſuppetit ratio dandi ulli è cæteris Ordinibus locum inter Sacramenta.

Dico III. Ordinis effectus eſt præcipuè qua- 16
druplex. *Primus*, ſpiritualis poteſtas & jus faciendi aliquid circa ſacram Euchariſtiam, ut exponetur, quando explicabitur ratio ſingulorum. *Alter* eſt Character, ſeu qualitas ſpiritualis indelebilis, impreſſa animæ; ita quidem, ut certum ſit, eum imprimi per illos Ordines, qui ſunt propriè Sacramenta, ſicuti deſumitur ex Trident. Conc. *loc. cit. Can. 4.* non autem imprimi per illos, qui non ſunt Sacramenta; nec enim ſuppetit ulla ratio aſſerendi. Tannerus *cit. q. 2. dub. 5. n. 108.* *Tertius* effectus eſt gratia *habitualis prima*, aut *ſecunda*; omnia quippe Sacramenta hanc, *per ſe loquendo*, conferunt, ut nôrunt omnes. *Quartus* eſt collocatio in certo ſtatu, & gradu, ſicuti notavi ſuprà *num. 6.* Porrò quæ diſpoſitio requiratur ad tres priores effectus recipiendos, dicam *Caſu ſequenti.* Sit itaque

DE DISPOSITIONE ORDINANDI.

CASUS II.

Tremendus, horrendus.

SUMMARIUM.

Punitus divinitus, qui indignè ſuſceperat Ordines ſacros. num. 17.
Diſpoſitio neceſſaria ad ſuſceptionem Ordinum. 19. & ſeqq.
An requiratur pro Ordinibus Minoribus ſtatus gratiæ? 26.
Quid ſi quis ideo ſuſcipiat, ut declinet forum ſeculare? 27.
Aut cum propoſito deſerendi ſtatum Clericalem? 28.
Quid de ingrediente Novitiatum Religioſum ſine intentione emittendi vota? 29.
An talis teneatur ſatiſfacere pro victu? 30.
An hermaphroditi ſint ordinandi? 31.

17 *Berengarius Clericus clam ſuffuratus fibulam auream à quadam Comitiſſa, ad noſtrum Monaſterium ex voto miſſam, etſi tanti ſacrilegii conſcius, nullà tamen id neque Confeſſione, neque pænitentià expiavit, ſed confidenter nobiſcum ad Sacros Ordines in Quadrageſima proficiſcens Diaconus ordinatus eſt, non attendens, quod ſcriptum eſt:* Mundamini, qui portatis vaſa Domini. *Abſoluto dein Sacrificio, & precibus veſpertinis, nos ad hoſpitium imus productâ jejunia ſoluturi. Ibi inter cœnandum confrater noſter cadit, frendet dentibus, mirè, ac miſere colliſis, nóſque admirabilitate ſtupefactos cogit laboranti ſibi adeſſe. Mox à menſa ſurgimus, permulta remedia ſummâ benevolentiâ adhibemus. Sed fruſtra omnia, Divino judicio in eum jus ſibi diabolo vendicante. Totâ nocte diſcruciamur animis, & valde affligimur. Tandem benignus Deus nolens apud exteros tam fœdum caſum nobis cedere ad ignominiam, profligato dæmone præſtitit, ut nobiſcum incolumis rediret. Sed cùm facinus ſuum nollet confiteri; acriùs à dæmone corripitur, & brachium dextrum, quo rapuerat aurum, penitus exareſcit, tandémque, licèt pudibundus, ſuam culpam agnoſcit, & purè confitetur, &c. Revaleſcit frater, reſtituitur brachium, dæmon prorſus ab eo eliminatur.*

18 Fidem integram, & ex fide, credulitatéve ſalutarem timorem, ac tremorem commeretur hic, ut etiam vocat ipſe Hiſtoriographus. Caſus, etenim qui has omnes circumſtantias, & adhuc alias, ſtudio brevitatis præteritas, mandavit literis, extitit omnium teſtis oculatus Notkerus è Monacho Epiſcopus Leodienſis, ſcriptor gravis, & pius *Lib. 2. de miraculis S. Remacli* Epiſcopi Leodienſis apud Laurent. Surium ad diem 3. Septembr.

Quæritur jam I. *Quænam diſpoſitio neceſſaria ſit ad percipiendos effectus Ordinis, indicatos Caſu ſuperiore, num. 16?* Reſp. ſequentes: 19

I. Baptiſmus; ita ut non ſolùm *illicitè*, ſed etiã *invalide* conferatur quicunque Ordo nondum regenerato in Chriſto Baptiſmus enim eſt janua, & fundamentum Sacramentorum, *text. in cap. Veniens. De preſbyt. non baptiz.* Quid verò faciendum cum Sacerdote dubio de ſuo Baptiſmo, dicam *Caſ. VI.*

II. Confirmatio: ita ut mortaliter ſecundùm nonnullos, venialiter ſecundùm alios delinquat, qui Primam etiam Tonſuram ſuſcipit nondum confirmatus. Authores pro & contrà retuli *in Alphab. Baptizant. & Confirmant. Caſ. XXII. num. 732.* Et verò aſſentior poſterioribus, quia verba illa Trident. Concilii *Seſſ. 23. cap. 4. De Ref. Prima Tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint*, non indicant obligationem mortalem. Vide plura *cit. Caſ. XXII. num. 733.* & Iordanum *Elucubr. Vol. 1. lib. 3. tit. 6. num. 198.* 20

III. Ut ſuperior Ordo non ſuſcipiatur ante inferiorem *cap. unic. de Cler. per ſalt. promot.* & nullus ante Primam Tonſuram. Tridentin. Concil. *Seſſ. 23. cap. 2.* Ut proinde graviter peccet non ſervans hunc ordinem. *citat. cap. unic. De Cler per ſalt. promot.* P. Palaus *Tract. 27. punct. 5. num. 8.* licèt utique valeat ejuſmodi Ordinatio *cit. cap. un.* 21

IV. Ut conferatur non per veram coactionem. Licèt enim *verè, validéque* ſit ordinatus, ac proinde inſignitus Charactere ſacerdotali, qui metu juſto, aut injuſto, gravi, vel levi adactus permittit circa ſe fieri, quæ circa alios fiunt, tangitque, quæ tangenda ſunt, ſi videlicet hæc permittat, & tangat cum intentione ſuſcipiendi Ordinem; ſi tamen ſolùm fingat, ſe velle ſuſcipere Ordinem, revera non ſuſcipit: quod enim Innocentius III. *cap. Majores. De baptiz.* pronuntiavit nominatim de baptizato cum fictione: *Ille adu tus, qui nunquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec Characterem ſuſcipit Sacramenti*, idipſum de Ordine dicendum eſt, ac proinde intentio, quam *in Alphab. Bapt. & Confir. Caſ. X n. 293. & 294.* dixi neceſſariam eſſe ad Baptiſmum, neceſſaria quoque eſt ad Ordinem. Vide, ſi placet, Caſum recentiſſimum ſubdiaconatu initiati ex metu, permiſſique ducere uxorem, quem diſcutio *in Alphab. Quadrupl. P. 1. num. 140. & ſeqq.* 22

At ſuffi-

23 *At ſufficitne ad Ordinem omnis, quæ ad Baptiſmum adulti?* Reſp. Omnis. Nec enim apparet ratio faciendi diſcrimen. *At* inquies: *Baptiſmus eſt Sacramentum neceſſarium?* Reſp. Ex hoc antecedente infertur, non omnem, qui habet *habitualem* voluntatem ſuſcipiendi Baptiſmi, habere quoque *habitualem* recipiendi Ordinem. At malè inde inferes: Ergo intentio *habitualis*, quam *cit. Caſ. X. num. 295.* dixi eſſe ſufficientem ad valorem Baptiſmi, non eſt ſufficiens ad valorem Ordinis. Rectiùs concluderes, ſicut ſaltem *habitualis* exigitur pro Baptiſmo adulti, ita & pro Ordinatione exigi. Vide dicta *Tract. 1. n. 244. & 245.*

24 *Quid verò ſentiendum de parvulis?* Reſp. Id explicatum iri *Caſ. XIII.* Vide Jordan. *num. 221.*

25 V. Requiritur ad Ordinem dignè, ſeu ſine ſacrilegio ſuſcipiendum immunitas à peccato mortali. Ita quidem, ut certum ſit, peccare mortaliter, qui conſcius criminis lethalis nec contritione, nec Confeſſione deleti ſuſcipit unum ex Ordinibus illis, quos certum eſt eſſe Sacramenta. Conſtat enim id ex generali doctrina de ponentibus obicem gratiæ per Sacramenta infundendæ. Confirmat communem doctrinam noſter Caſus *tremendus, horrendus*, referente inſuper Navarro *in Conſil. Lib. 1. De Temp. Ordin. Conſil. 35.* caſum alterius, quem *ſubreptitiè* promotum ad Subdiaconatum invaſit, inſeditque genius Tartareus.

26 At verò quia Prima Tonſura non eſt Sacramentum, ideo non delinquit graviter, qui permittit ſe attonderi in Clericum, non præmiſſo ullo dolore de ſuis peccatis. Quia etiam probabile eſt, quatuor Minores Ordines eſſe extra numerum Sacramentorum, ut videbimus *Caſu ſequenti*, ideo non damnarem criminis mortalis, qui permitteret ſe initiari uno illorum Ordinum, conſcius lethalis delicti, modò confiteretur ante Communionem. Poſſet enim ſic ratiocinari: Poſſum *licitè* me exponere periculo ſacrilegii duntaxat *materialis*, quando verè probabile eſt, abfuturum reipſa illud ſacrilegium, ut patet vel exemplo illius, qui non confitetur ea peccata, quæ verè probabilis ſententia negat eſſe mortalia: atqui verè probabile eſt, abfore ſacrilegium *materiale*, licèt ſuſcipiam quatuor Minores conſcius noxæ lethalis. Conſentit P. Quintanadvennas *Singul. Tract. 6. Singul. 17. num. 1.* poſt hæc à me lectus.

27 VI. Qui ſuſcipit Clericalem Tonſuram tantùm ideò, ut declinet tribunal ſæculare, delinquit mortaliter juxta Dominicum Bann. Arrag. Rodriq. & alios apud P. Ferdinandum de Caſtro Palao *Tract. 27. punct. 8. n. 6.* eò quòd Concil. Tridentin. *Seſſ. 23. cap. 4.* videatur id graviter prohibere. Ego poſt Sanchez *De Matrim. Tract. 6. diſp. 31.* P. Coninck *in 3. Part. diſp. 20. dub. 10.* Palaum *loc. cit num. 7.* Bonacinam, & Laymannum apud eundem Palaum, etiam à veniali excuſo, niſi fortè crimen aliquod priùs commiſiſſet, & pœnam fugiens curaret ſe initiari, cum Eccleſiæ perturbatione. Nec enim eſt indecens, petere rem ſacram ob privilegium illi annexum. Utrùm verò, qui illo crimine patrato, convolat ad ſacros Ordines ſolo animo ſubtrahendi ſe poteſtati ſæculari, & utrùm hic animus ſit præſumendus in dubio, edifferunt Menochius *De Præſumpt. Lib. 6. quæſt. 76.* Bonacina *De Legib. Diſp. 16. punct. 1. §. 1. n. 16.* P. Layman. *Theol. Moral. Lib. 4. Tract. 9. cap. 4. n. 12.* Diana *Part. 1. Tract. 2. Reſ. 26.* atque alii, diſſentientes inter ſe.

Infero autem cum iiſdem Doctoribus, eſſe 28
etiam immunem, ſaltem à gravi culpa, qui ſuſcipit Ordines Minores cum ſola intentione fruendi aliquamdiu privilegiis Clericalibus. Quis enim damnet Doctorem, aut Comitem, qui, ut poſſit creari Rector Univerſitatis, petit coronam Clericalem, cogitans interim de conjugio poſt unum, alterúmve Annum ineundo?

Ergo, inquies, *nec ille erit reus gravis deli-* 29
cti, qui ſubit Novitiatum Ordinis Religioſi, ſine animo emittendi vota Religioſa? Reſp. Negando conſequentiam. Talis quippe graviter decipit Superiorem, à quo ſuſceptus eſt. Nec enim fiunt ſumptus in illos, aut admittuntur ad ſecreta Ordinis cognoſcenda, niſi qui ſperantur fore conſtantes in vocatione, quam præ ſe ferunt. Unde poſt hæc ipſa ſcripta literis è cele-
bri Monaſterio à viro pererudito interrogatus 30
de

Vero Caſu cujuſdam

Juvenis, qui etiam ultra ordinarium tempus Novitiatûs fuerat in probatione ſine votis (& quidem licitè, *ſicut etiam interrogatus reſpondi ex Sanchez* Lib. 5. Moral. Cap. 4. num. 21.) *cum magnis moleſtiis Monaſterii, exſpectantis morum emendationem, retentus, poſtea tamen ob incorrigibilitatem dimiſſus.*

Reſpondi, *omnino fuiſſe obligatum facere reſtitutionem aliquam, ſi* fictè *permanſit in Tyrocinio. Secùs, ſi ſyncero animo ſe reddendi aptum, per ea, quæ tradit Layman,* Lib. 4. Tract. 10. cap. ult. §. 4. num. 39. *verſ.* Tertia pars. *Vide hac de re Caſum* Factum, *non* Fictum, *quem ventilo* in Alphab. Quadrupl. Part. 1. Caſ. 9. n. 301. & 302.

VII. Sexum fœmineum excludi ab ipſa
quoque Prima Tonſura, certum eſt ex praxi 31
Eccleſiæ. Imò eſt de fide, quòd Presbyteratûs ſint incapaces mulieres. Vaſquez *Diſp. 245.* Nec obeſt, quòd conſtet, fuiſſe olim in Eccleſia Diaconiſſas. Etenim *Caſu III.* declarabo, quænam illæ fuerint.

32 Quid verò ſentiendum de hermaphroditis, illis ſcilicet, in quibus aliquando fœmineus, aliquando virilis ſexus prævalet, nolo diſputare, ne cum exiguo fructu dem Lectori anſam cogitandi non cogitanda. Si aliquando Caſus contingat, poterit Epiſcopus, vel ejus Vicarius (hos enim ſpectat ultima deciſio) conſulere vel Vaſquezium *cit. Diſp. 245. Tom. 3. in 3 Part.* vel Sanchez, *De Matrim. Lib. 7. diſp. 106.* vel ſingulariter Cardinalem de Lugo *in Conſil. Moral. Lib. 1. dub. 3.* ubi ex profeſſo diſputat *De hermaphroditis varii generis*, addens *n. 4.* hermaphroditum illum, qui, quando in eo prævalebat ſexus virilis, *validè* inauguratus erat in Sacerdotem, ſi poſtmodum in eo prævaleat ſexus fœmineus, retinere quidem Characterem ſacerdotalem animæ impreſſum, non tamen poſſe *validè* conſecrare, vel à peccatis abſolvere quenquam. Cæterùm hermaphroditos eſſe jure *poſitivo* irregulares, etiamſi in iis prævaleat ſexus virilis, tradunt Suarez *De Cenſur. Diſp. 51. Sect. 2.* Bonacina *De Cenſur. Diſp. 7. quæſt. 2. num. 15.* & alii contra Toletum & Fornar.

33 De aliis diſpoſitionibus neceſſariis ad ſuſceptionem differam inferiùs, ſcilicet de domicilio *Caſ. VII.* de jejunio *Caſ. IX.* de ſcientia *Caſ. X.* de tempore *Caſ. XI. & XII.* de interſtitiis *eod. Caſ. XII.* de ætate *Caſ. XIII.* de patrimonio *Caſ. XV.* de Titulo beneficii *Caſ. XVI.* de irregularitate *Caſ. XVIII.* & aliis *Caſ. XX.*

34 Quæres II. *Quanto crimine ſe alliget ſuſcipiens aliquem Ordinem, carens debita diſpoſitione?* Reſp. Mortali. Nam Leges Eccleſiæ exigentes hanc, aut illam qualitatem, ſeu conditionem, & diſpoſitionem in Ordinando, tametſi ſecundùm corticem verborum non indicent ſemper obligationem mortalem, ſunt tamen uſu communi receptæ tanquam graviter obligativæ. Excipe probabiliter illum, qui non eſt Confirmatus juxta dicta ſuprà *n. 20.*

ORDINES MINORES, ET DUO MAJORES.

CASUS III.

Geminatus.

SUMMARIUM.

Caſus promoti ad Subdiaconatum ſine debita materia. num. 35.

35 *CÆcilio Epiſcopo datus fuit pro iis, quos ad Subdiaconatum promovebat, calix plenus vino & aquâ, coopertus etiam patenâ, cùm dari debuiſſet calix vacuus cum patena. Dubitatum fuit de valore hujus? At* 36
verò die 27. Martii, Anno 1660. Coſmas promovendus in Subdiaconum non tetigit urceolos, quos Magiſter cæremoniarum ex præſcripto Pontificalis porrexerat aliis, & ipſimet Coſmæ tangendos. An repetenda fuit Ordinatio?

Teſtis prioris Caſûs eſt Cardinalis de Lugo 37
in Reſp. Moral. Lib. 1. dub. 30. poſterioris ego, at non major omni exceptione, quia ſum teſtis non de viſu, ſed de auditu, illo enim ipſo die convenit me Vir Clariſſimus, qui actui illi interfuerat, & ſeriò quæſiit. Quid judicarem de valore hujus Ordinationis.

Priùs, quàm exponam meum judicium, ex- 38
pediam *primam* ex ſeqq. quæſtionibus: 1. *Quæ ſit materia ſingulorum horum Ordinum?* 2. *Quæ forma?* 3. *Quod officium?* 4. *Quinam ex iis ſint Sacramenta?* 5. *Dicam quænam fuerint olim Oſtiariæ, Diaconiſſæ, Preſbyteræ, Epiſcopiſſæ.* Duas priores quæſtiones expediam Sectione *primâ*, tres poſteriores *ſecundâ*.

SECTIO I.

Materia, & Forma ſex inferiorum Ordinum explanantur.

SUMMARIUM.

Singuli Ordines conſtant materia proximâ, *&* remotâ: *num. 39.*
Quæ remota? *Quæ* proxima? *41.*
Et ſingulariter Minorum. 42.
Quæ Subdiaconatûs, & Diaconatûs? 43. & 44.
Proponuntur Theologorum lites de materiis Subdiaconatûs, & Diaconatûs. 41. & ſeqq.
Cur nunc ſit alia materia Diaconatûs, quam fuerit in primitiva Eccleſia? 51.
An Calix pro Diaconatu debeat eſſe conſecratus? 52.
An repetenda Ordinatio illius, qui fuit ordinatus cum materia ſolùm probabiliter apta. 53.
An, quando ſine urceolorum tactu eſt quis factus Subdiaconus? 54.
Caſus ordinati in Subdiaconum per præbitionem Calicis vino pleni. 56.
Tactus phyſicus *materiæ* remotæ *an* eſſentialiter *requiratur? 57.*
Quid ſi Acolythus ſolùm extendat manus verſùs candelabrum? 58.
Cur in Sacramentis non liceat ſequi opinionem minùs probabilem? Ibid.
Quid ſi materia tangatur manu opertâ ſtrophiolo? 60.
Quid ſi ſolo ungue? 62.
Quæ ſint forma ſingulorum Ordinum? 64.

Dico

39 Dico I. Singulorum horum Ordinum duplex eſt materia, ſcilicet *Remota*, & *Proxima*. *Remota* eſt res aliqua palpabilis, quæ traditur ordinando. *Proxima* eſt ipſamet traditio materiæ *remotæ*, ſicut docent paſſim Theologi, & Canoniſtæ, patebitque ex nominatione materiæ pro ſingulis adferenda. Ubi etiam apparebit, aliquos ex his Ordinibus requirere ſolùm ſimplicem materiam *remotam*,
40 aliquos duplicem. Supponitur autem, eſſe quatuor Ordines, qui vocentur Minores, ſcilicet Oſtiariatum, Lectoratum, Exorciſtatum, Acolythatum, uti inter Theologos cæteros loquitur P. Joannes de Dicaſtillo *in 3. Part. de Sacrament. Tr. 6. Diſp. unic. num. 47.* & inter Canoniſtas D. Pax Jordanus Epiſcopus *Elucubrat. Vol. 1. Lib. 3. tit. 6. num. 4.* Sicuti univerſim numerantur tres Majores, ſcilicet Subdiaconatus, Diaconatus, Preſbiteratus, quibus quartus, ſcilicet Epiſcopatus additur ab iis, qui aſſerunt, Epiſcopatum eſſe Ordinem diſtinctum à Preſbyteratu, de quo infrà *Caſ. V.* Cur verò illi quatuor nuncupentur Minores, cur cæteri Majores, dixi *num. 12.* ſicuti etiam ibidem attuli cauſam, cur ſoli Majores appellitentur *Sacri*.

41 I. Itaque, generatim loquendo, illa res dicitur eſſe materia *Remota* ſingulorum Ordinum, *per cujus traditionem confertur Ordo*, inquit expreſſè Concil. Florent. *in Decret. unionis. §. ſextum Sacramentum*, & aſſignatur miniſterium *ad illum Ordinem pertinens*, ut paulò pòſt ibidem ſubditur.. Forma verò ſunt illa verba, quibus Ordinator tradens, ſeu exhibens materiam utitur, *ad ſignificandum miniſterium, ad quod aſſumitur ordinandus.* Ita idem Concilium.

42 II. Igitur Oſtiariatûs materia *Remota* ſunt Claves, quas porrigens Epiſcopus dicit: *Sic agite* (quando plures initiantur) *quaſi reddituri DEO rationem pro iis rebus, quæ his clavibus includuntur.* Lectoratûs materia eſt liber Lectionum traditus cum hac formula: *Accipite, & eſtote verbi Dei relatores, habituri, ſi fideliter & utiliter impleveritis officium veſtrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene adminiſtràrunt ab initio.* Per librum Epiſtolarum intellige etiam libros Prophetarum, item Homiliarum, ſeu Sermonum, qui & quæ ſolent è SS. PP. legi in Eccleſia Dei. Tannerus *Tom. 4. Diſp. 7. q. 2. num. 48.* Exorciſtatûs materia eſt liber Exorciſmorum cum hac formula: *Accipite, & commendate memoriæ, & habete poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos, ſive baptizatos, ſive catechumenos* Acolythatûs materia eſt duplex, ſcilicet Ceroferarium, ut vocatur in Pontificali Romano, ex quo deſcribo has omnes formulas, id eſt, candelabrum cum cereo, & urceolis, ita ut Ordinator præbens candelabrum dicat: *Accipite ceroferarium cum cereo, ut ſciatis, vos ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari in nomine Domini.*

III. De materia, & forma Subdiaconatûs 43
ſic loquitur Pontificale, *Pontifex accipit, & tradit omnibus calicem vacuum cum patena vacua ſuperpoſita, quem ſucceſſivè manu dexterâ ſinguli tangunt, Pontifice dicente: Videte, cujus miniſterium vobis traditur, ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut DEO placere poſſitis.* His verbis ſubjunguntur hæc: *Et Archi-Diaconus accipit, & tradit eis urceolos cum vino, & aqua, ac bacile* (id eſt, pelviculam) *cum manutergio, quæ omnia ſimiliter tangere debent.* Rurſum paulò inferiùs referuntur verba, quibus utitur Pontifex, dum ſupra caput Subdiaconi ponit Amictum, ſeu Albam, dúmque immittit Manipulum, & induit Tunicâ. Denique ſubjungitur: *Poſtea accipit & tradit omnibus librum Epiſtolarum, manu dextera ipſum ſimul tangentibus* (ſi plures adſint) *dicens: Accipite librum Epiſtolarum, & habete poteſtatem legendi eas in Eccleſia Sancta Dei, tam pro vivis, quàm pro defunctis. In nomine Patris, &c.*

De Diaconi Ordinatione ſic ſtatuit idem 44
Pontificale: *Pontifex &c. Stolam, quam ſinguli in manu habent, imponit ſucceſſivè ſuper humerum ſiniſtrum dicens ſingulis: Accipe Stolam candidam de manu DEI, adimple miniſterium tuum, potens enim eſt Deus, ut augeat tibi gratiam ſuam: Qui vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum.* Poſt hæc Pontifex accipiens Dalmaticam induit eâ quemlibet ſucceſſivè uſque ad humeros, & ſic fit uſque ad ultimum, quem ea totaliter induit, & hoc, ſi una tantùm ſit Dalmatica, ſi verò quilibet ſuam habet, tunc ſingulos ſuâ totaliter induit dicens: *Induat te Dominus indumento ſalutis, & veſtimento lætitiæ, & Dalmatica Iuſtitiæ circumdet te ſemper. In Nomine Domini.* Poſtremò Pontifex accipit, & tradit omnibus librum Evangeliorum, quem manu dexterâ tangunt, dicens: *Accipe poteſtatem legendi Evangeliū in Eccleſia Dei, tam pro vivis, quàm pro defunctis. In Nomine Domini.*

Hæc omnia volui verbis Pontificalis idcirco 45
co repræſentare, tum quia exiſtimo fore, ut complures è Venerabilibus Dominis Sacerdotibus libenter ſint in memoriam revocaturi Formulam, modum ac rationem, quibus ante 20. 30. 40. Annos adſcripti ſunt in haſce claſſes Miniſtrorum Eccleſiæ, tum quia hac ratione intelligentur faciliùs nonnulla ex jam jam dicendis. Materiam, & Formam Preſbyteratûs, & Epiſcopatûs proponam *Caſu ſequenti*.

IV. Ex hiſce patet, videri aſſignari pro a- 46
liquibus ex his Ordinibus duplicem, aut etiam triplicem materiam, ut pro Diaconatu. Et verò Theologi non conveniunt inter ſe in aſſignanda præciſa materia ſingulorum. Referam breviſſimè opiniones ſingulorum, indicando, quæ mihi præplaceant, & ſupponendo, pro fundamento, quòd de eſſentia cujuſlibet Ordinis ſit materia illa, per cujus traditionem confertur Ordo, & aſſignatur miniſterium pertinens ad illum Ordinem, ſicuti ſuprà deſcripſi

Digitized by Google

47 ex Concilio Florentino. Quod quia loquitur in genere de miniſterio, non autem ſpecificè de Principali miniſterio, idcirco multiplicantur lites inter Theologos, dum alii pro materia neceſſaria habent illam omnem, per cujus traditionem deſignatur aliquod miniſterium Ordinis: alii cum S. Bonaventura, Durando, Comitolo mox citando, & legendo, & Vaſquez *Tom. 3. in 3. Part. diſp. 238. cap. 5. n. 50.* illam ſolam, per cujus traditionem ſignificatur præſtantior actio, ſeu præſtantius miniſte-
48 rium illius, qui inſignitur Ordine. At neque hi ipſi inter ſe conveniunt in aſſignando ubiq; præſtantiore miniſterio, licèt ſine diſſidio fateantur omnes, materiam inferiorum Ordinum eſſe illam ipſam, quam deſcripſi ſuprà ex Pontificali, & communior opinio S. Thom. atque aliorum ferat, tam candelabrum cum cereo, quàm urceolos, ſeu urceolum eſſe materiam neceſſariam quarti Ordinis, ſeu Acolythatûs à Græco nomine ἀκόλουθος, ſignificante idem, quod *ſequens*, ſeu *pediſſequus*.

49 V. Subdiaconatum quod attinet, Viguerius, Fornarius, Tannerus, Dicaſtillo *Tom. 2. in 3. Part. Tract. 6. diſp. 1. dub. 12.* cenſent, ejus materiam eſſe librum Epiſtolarum, itémque calicem vacuum cum ſuperpoſita patena vacua. Vaſquez *Diſp. 238. cap. 5. n. 50.* & apud P. Comitol. *Lib. 1. Reſponſ. Moral. quæſt. 52.* fortiſſimè pugnantem, plerique Scholaſtici negant, librum ſpectare ad materiam hujus Ordinis. De calice nullum poteſt eſſe dubium propter authoritatem Concil. Florent. ubi Eugenius Papa id expreſſè definivit. De Epiſtola id ipſum non omnino improbabiliter aſſerunt citati, cùm per ejus traditionem conferatur nobile miniſterium. Urceoli non ſunt materia, quia non traduntur ab Epiſcopo, ſed ab Archidiacono: multò minùs veſtimenta, ut notant citati contra Medinam, quia per ea non denotatur ulla poteſtas.

50 VI. Pro Diaconatûs materia aſſignat Durandus ſolam manuum impoſitionem. Vaſquez *loc. cit.* Bonacina, Palaus *cit. punct. 4.* ſolam traditionem libri Evangeliorum. Henriquez, Bellarmin. Laymann. *Lib. 5. Theolog. Moral. Tract. 9. cap. 5.* tam manuum impoſitionem, quàm ttaditionem Evangelii. De traditione libri Evangeliorum non dubito, idcirco maximè, quòd Eugenius IV. *in Concil. Florent.* expreſſè dicat: *Diaconatus per libri Evangeliorum dationem confertur.* De impoſitione manuum nil determino. Licèt non aſſentiar Vaſquezio *cit. Diſput. 138. num. 35.* inurenti notam temeritatis, & erroris ſententiæ Laymanni, aſſentior autem Lugoni mox citando, aſſerenti, idem Miſſale, quod præbetur Diacono, poſſe tradi Subdiacono.

51 Objicies: *Fuerunt creati Diaconi, ut Sanctus Stephanus, antequam ſcriberetur liber Evangeliorum. Quo igitur jure aſſignatur hic liber pro materia neceſſaria Diaconatûs?*

Reſp. Cum Cardinali Bellarmino *De Ordine Cap. 9. in fin.* Comitolo *Lib. 1. Reſponſ. Moral. Quæſt. 52.* Petro Marchantio *in Tribunal. Tom. 1. Tract. 6. Titul. 5. quæſt. 2.* Scildere *De Conſcientia Tract. 2. num. 114.* Cardin. de Lugo *Diſp. 2. De Sacrament. Sect. 5.* Dicaſtillo referendo infrà *num. 97.* Boſco *De Sacram. Part. 4. diſp. 10. ſect. 2. num. 111. & 134.* pòſtque Bonaventuram, & alios triginta (quorum nomina exprimit, & veſtigia ſequitur partim Diana *Part. 10. Tract. 11. Reſol. 65.* partim & maximè Verricelli *De Apoſtol. Miſſion. Titulo 10. quæſt. 168. ſect. 1.* adverſùs S. Thomam, Suarium, Vaſquezium) Chriſtum Dominum non determinâſſe in particulari, ſeu individuo materiam ſingulorum Ordinum, ſed aliquorum tantùm in genere, mandando Apoſtolis, ut in particulari uſurparent cæremoniam exteriorem, qua pro diverſitate temporum ſignificaretur munus, atque officium cujuſque Ordinis, ut magis declarabitur infrà. Ergo Apoſtoli contulerunt ab initio Subdiaconatum, & Diaconatum cum materia nobis nunc ignota. Scriptis autem Epiſtolis, & Evangelio Matthæi, cum libro Epiſtolarum, & Evangelii, Evangeliorúmque.

Confirmatur illa S. Bonavent. Alenſis, Richardi, Paludani, & hoc ſæculo communior doctrina, tum iis, quæ addam infrà *num. 97.* tum inde, quòd ſit certum apud omnes, teſte Verricelli *loc. cit. num. 8.* Chriſtum Dominum non determinâſſe quoad ſpeciem preces conſecrationis Chriſmatis, cùm tamen conſecratio Chriſmatis & olei infirmorum ſpectet ad *eſſentialem* rationem materiæ Confirmationis, & Extremæ Unctionis: tum quia formula Confirmationis approbata ab ipſomet Concilio Oecumenico, ut teſtatur omni fide dignus Beſſarius Cardinalis apud Verricelli *cit. Quæſt. 168. num. 12.* eſt præciſè hæc: *Signaculum doni Spiritûs Sancti*, ſicut & S. Ambroſius *Lib. 2. De Sacram. Cap. ult.* refert hanc pro eodem Sacramento formam: *Deus Omnipotens, qui te regeneravit ex aqua, & Spiritu Sancto, ipſe te tergat in vitam æternam*, quæ duæ formæ, quantum *materialiter* differant ab ea latinæ Eccleſiæ, quam protuli *Tract. II. Caſu 22. n. 748.* facilè quiſque videt.

Nec hinc ſequitur, Chriſtum Dominum non inſtituiſſe omnia omnino Sacramenta, ſicut enim rectiſſimè ex ſenſu omnium Theologorum creditur ſolus Chriſtus dare juriſdictionem Papæ recens electo, tametſi electores *immediatè* determinent ſubjectum juriſdictionis activæ, ita & idem, iſque ſolus nuncupatur Auctor omnium Sacramentorum, licèt Prælati tanquam executores divinæ voluntatis, atque ex poteſtate ſibi ab eodem tradita determinent materiam, aut formam qua à ſe approbatâ, poſitâque conferat ipſe gratiam Sacramentalem. Vide P. Didacum Avendanno *Problemat. Theolog. Tom. 2. ſect. 30. n. 1266.* conſentientem.

At Ca-

Digitized by Google

52 *At Calix, qui traditur tangendus, debetne eſſe conſecratus?* Reſp. Debere eſſe conſecratum, patet tum ex eo, quòd Palaus *cit. punct. 4. num. 16.* cum aliis contra Henriquez, Bonacinam, Filliucium *Tr. 9. Cap. 2.* alios probabiliùs diſſentientes cenſeat, non conferri *validè* Ordines Majores, niſi calix, qui traditur, ſit conſecratus: Idem aſſerit de patena pro Preſbyteratu.

53 Ex his reſolvendus eſt duplex Caſus, quem propoſui initio. Et quidem ad *primum* quòd attinet, reſpondet (diſſentiente P. Avendanno *in Problem. Tom. 2. ſect. 30. num. 1316.*) Cardinalis de Lugo *cit. dub. 30. num. 2.* minùs probabile eſſe, quòd debuerit repeti Ordinatio illa, eò quòd, licèt in Preſbyteratu, & Epiſcopatu non eſſet ſuſtinenda Ordinatio probabilis, ſed reiteranda *ſub conditione*, propter graviſſima inconvenientia, quæ afferret *invalida* collatio Sacerdotii, vel Epiſcopatûs, in Subdiaconatu tamen non videtur neceſſaria repetitio *conditionata*, etiamſi ſolùm probabilis ſit ejus valor. Porrò probabilem eſſe valorem talis ordinationis, probat idem Cardinalis, tum aliis rationibus, tum hac, quòd utile per inutile non vitietur. Ergo calix, qui eſt legitima compars materiæ pro Subdiaconatu, non vitiatur per præſentiam, & continentiam vini impertinentis. Cùm Epiſcopi intentio ſit, tradere ſola vaſa ſine materia in iis contenta. Hic diſcurſus totus totus mihi probatur, eique acquieſco: & quoad omiſſionem iterationis pluribus explicabo *Caſ. VI.*

54 *Alterum* Caſum quod attinet, reſpondi tunc, & nunc quoque reſpondeo, nihil ſcrupuli eſſe, aut fuiſſe movendum illi Subdiacono, quandoquidem ſuperiùs ex communi ſententia dixi, urceolos non ſpectare ad materiam Subdiaconatûs, cùm ii non tradantur ab Epiſcopo.

55 Hæc omnia, ſicuti hic jacent, jam deſcripta erant ab amanuenſi, cùm à Veterano Profeſſore Theologiæ, quem rogaveram, ut locupletaret hoc Alphabetum commemoratione aliquorum exploratorum Caſuum, accipio tum narrationem, tum etiam doctam, ſequentémque elucidationem expreſſas verbis, quibus conſtat hic

Caſus Neotericus.

56 *Superiore Anno, cùm duo extra tempora Ordinandi eſſent, unus ad Subdiaconatum, alter ad Preſbyteratum. N. pro Ordinatione Sacerdotis vino replevit Calicem, ſuperpoſitâ patenâ, quem ſic opertum Ordinando Subdiacono Epiſcopus porrexit, idque primùm poſt finit s Ordinationes, poſt Miſſam, & abitum Epiſcopi notatum fuit. Statim dubitatio exorta An Ordo Subdiaconi* validè *collatus, & an repetendus, cum ſaltem dubius eſſet? Ratio dubitandi erat, quòd interceſſerit* eſſentialis *error in materia, qualis pro Subdiaconatu eſt calix cum patena vacua, juxta Concil. Florent. calix verò cum vino non eſt Subdiaconatûs, ſed Preſbyteratûs materia, conſequenter fuiſſet iterandus. Contrà verò aliis videbatur* validus, *quòd error ille non fuerit* ſubſtantialis. *Ordinatus enim accepit totam materiam Subdiaconatûs, nempe calicem & patenam, etſi plus acceperit, quàm neceſſe erat, hoc enim additamentum nec demere, nec vitiare materiam, cùm* per accidens *in calice fuerit, ſicut E. G. in Baptiſmo, ſi aquæ addatur aqua roſacea, vel alius liquor, vel vino conſecrationis etiam alius liquor, non vitiat Sacramentum. Sed cùm error iſte ſaltem dubiam reddat Ordinationem, manet altera quæſtio: An ſit iteranda? Ego, ſalvo meliori judicio Reverentiæ Veſtræ, quia poſterior ſententia mihi vera videtur, puto, non eſſe iterandam. Quam confirmare licet 1. Quia ſi Epiſcopus notato errore effudiſſet vinum, ſine dubio* validè *ordinâſſet licèt aliquid vini, & aliquæ guttæ remanſiſſent in calice ſufficientes ad Sacrificium, & in rigore ad Preſbyteratum. Ergo ſimiliter, licèt aliquantò plus vini in calice fuerit. 2 Pro Subdiaconatu eſt alia materia, nimirum liber Epiſtolarum, & tamen ordinariè datur aliquod Miſſale, in quo præter Epiſtolas continentur Evangelia, & idem Miſſale pro Evangeliis præbetur etiam Diacono.*

Hactenus arbitrium illius Doctoris, ſanè limatum, & concordans quoad *primam* dubitationem cum Cardinalis de Lugo, noſtráque reſolutione. Quoad alteram cum ea, quam dabimus *cit. Caſ. VI.*

Dico II. Communior quidem ſententia S. Thom. *in 4. d. 24.* Bonacinæ, Palai, Sanctgallenſium tradit, ad eſſentiam Ordinis pertinere tactum aliquem *phyſicum* materiæ *remotæ*, at verò perquàm probabile eſt, nullum planè tactum requiri in collatione, ſeu receptione cujuſcunque Ordinis. Eſſe hoc valde probabile patet inde, quòd hanc ſententiam poſt Albertum M. Franc. Victoriam, Cajetanum, Armillam teneant multi Recentiores, ut Henriquez, Zambranus, Filliucius, Boſcus *hic n. 164.* fuſè, Laymannus *cit. Cap. 5. n. 4.* Diana *Part. 3. Tr. 3. Reſol. 185.* Dicaſtillo *dub 14. num. 208.* Reginald. *l. 30. n. 8.* atque alii nonnulli, & horum anteſignanus Vaſquez *Diſp. 246. Cap. 2. n. 20.* probans ſimul ac defendens hanc ſententiam, in quam me, necdum lectis hiſce Scriptoribus, pertraxit, & propè rapuit hæc ratio, quòd ipſemet S. Thom. ac plerique omnes alii, ut vide- 57

Digitized by Google

ut videbimus *Caſ. XIII.* doceant, etiam infantes unius diei *validè* conſecrari in Diaconos, Preſbyteros, Epiſcopos. Quis, amabo, tactus reperietur in his reſpondens verbis Ordinationis: *Accipe &c.* Adde, quòd Eugenius Papa in Concil. Florent. pro materia *proxima* Ordinis aſſignet non modò Traditionem, Dationem, ſed etiam Porrectionem, Aſſignationémque. Idcirco nullo modo eſt dubitandum, quin hæc ſententia ſit probabiliſſima. Licèt ſine dubio delinquat mortaliter, qui omittit tactum *phyſicum*, ſaltem quando vult ſuſcipere Preſbyteratum, vel Epiſcopatum, quandoquidem & delinquit graviter contra morem univerſalis Eccleſiæ, & ſuſcipit Sacramentum verè dubium. Proinde repetenda eſt Ordinatio taliter facta, ſicuti explicabo intrà *Caſ. VI.* Vide Sanctgallenſes *Tom. 10. pag. 403.*

58 *Quid ſi autem Ordinatus in Acolythum non tangat quidem, attamen manus extendat verſùs candelabrum?* Ita factum eſt alicubi, & poſtea mihi relatum ſcripto, quæſitúmque, an eſſet iteranda Ordinatio. Ad quam quæſtionem reſpondebo etiam *Caſ. VI.* Interim fateor, eſſe mihi difficile, damnare peccati mortalis illos, qui infra Preſbyteratum omittunt aliquid, quod probabilis ſententia negat, eſſe de eſſentia, modò abſit ſcandalum, & alia extrinſeca. Hoc enim ipſo, quòd negent aliqui tactum e.g. *phyſicum* eſſe de eſſentia, negant quoque, eſſe graviter præceptum, ut apparet ex eorum argumentis, ſolutionibúſque argumentorum. Accedit ſatis recepta doctrina P. Vaſquezii, quod cauſa unica, cur non liceat ſemper ſequi in Sacramentorum receptione, vel adminiſtratione ſententiam minùs tutam, eſto probabilem *ſpeculativè*, ſit obligatio juſtitiæ, aut charitatis erga alium. Atqui hæc ratio ceſſat in propoſito: Ergo non eſt opus, ſequi P. Franciſcum Bardi *de Conſcient. diſcept. 6. Cap. 11.* damnantis de mortali talem Acolythum. Alia eſt ratio Sacerdotii, quo *invalidè* collato ſequuntur graviſſima incommoda, eſto proceſſum fuerit ex ſententia etiam probabiliore.

59 At ſupponendo tutiorem, communiorémque ſententiam, quòd requiratur aliquis tactus *phyſicus*, *exigitúrne immediatus? An ſufficit mediatus?*

Reſp. I. Certum eſt, non exigi *immediatum* tactum omnium omnino materiarum neceſſariatum ad eſſentiam Sacramenti. Nam vinum in calice exiſtens pertinet ad materiam ſubſtantialem Preſbyteratûs. Infrà *Caſ. ſeq.* nemo autem hactenus docuit verbo, vel facto, vinum illud debere contingi *immediatè*. Idipſum *ibid.* dicam de tactu hoſtiæ poſitæ ſupra patenam.

60 II. Si quis claves, ceroferarium, calicem, &c. tangeret manu obvolutâ ſtrophiolo, ſuperpelliceo, aut chirotheca, non ideo eſſet irritus Ordo. Palaus poſt Vaſquez, Coninck, Bonacinam addens, videri id ſibi ferè certum, nec ſcio, qui de hoc dubitet. Ratio eſt, quia communiſſimè, & rectiſſimè dicimur tangere, & etiam palpare hominem, ſi apprehendamus, trahamus illum manu veſtitâ chirothecâ brumali, ac pelliceâ. Vide circa hoc Caſum ſingularem apud Petrum Marchantium *loc. cit. q. 3 Coroll. 2.* Vide & Boſcum *de Sacram. Part. 4. Diſp. 10. totâ ſectione ſeptimâ*, ac Dom. Reding *Tom. 6. quæſt. 10. art. 2. Controverſ. 3. num. 9.* conſequenter qui tangit continens, cenſetur tangere contentum. Cenſetur autem calix, cui ſuperimpoſita eſt patena, & hoſtia, continere hæc duo, ideo qui tangeret talem calicem, judicaretur ſufficienter tangere patenam, atque hoſtiam, ſicuti de hoſtia debere indubitatum nunc eſſe, videbimus *num. 103.* & de patena fatetur idem Palaus *ibid* cum Reginal. *Lib. 30. num. 9.* etſi aſſecla ſententiæ exigentis tactum *realem*.

Obſervant verò DD. non eſſe opus, ut manu utrâque tangatur id, quod tangendum eſt, quia nulla lex id exigit. Imò ſufficit, ſi tangas uno digito. P. Sanchez *Conſil. moral. l. 7. cap. 1. dub. 2. n. 3.* nam ibi verificatur tactus. 61

Quid ſi autem ſolo ungue? Reſp. Ungues » 62
ſive ſint animati, ſive inanimati, ita ſunt ma- »
nuum, & digitorum pars, ut quando manu, »
vel digitis aliquid apprehendi debet, ſatis ſit, »
ſi unguibus digitorum tangatur. Sic Sacer- »
dos in ſua Ordinatione, qui tangere debet, »
cuppam calicis digitis mediis, ſufficit, ſi un- »
guibus eorum digitorum tangat, quia ii pars »
digiti cenſentur. Ita in terminis loquitur »
Cardinalis de Lugo *in Reſp. moral. l. 1. dub. 1. num. 8.*

III. Tactum neceſſarium non debere neceſſariò fieri illo ipſo momento, quo proferuntur verba formulæ ab Epiſcopo, oſtendam *Caſ. ſeq. n. 114.* 63

IV. Materias tangendas præbere debet ipſe Ordinans. Jordanus *Elucubrat. Vol. 1. l. 3. tit. 6. num. 498.* aſſerens, hoc eſſe indubitatum, ſi loquamur de materiis Ordinum Sacrorum. At communiter id negari de materia cæterorum, quam ab Archidiacono poſſe tradi, cenſent multi.

Dico III. Formæ ſingulorum è prædictis Ordinibus, ſeu Ordinationibus ſunt ex verbis, (quæ ſuperiùs retuli,) illa, quæ Epiſcopus profert, dum tradit illas res, quæ vel ex certa, vel ex probabili ſententia ſunt partes, aut compartes materiæ. Ita docent omnes propter generalem doctrinam allatam *n. 41.* 64

Dices Cardinalis de Lugo *cit. dub. 30. n. 7.* ait, poſſe quem *validè* ordinari in Subdiaconum, & Diaconum, accipiendo ſimul utriuſque Ordinis materiam: Atqui differunt formæ horum duorum Ordinum.

Reſp. Tantùm indicat, ſi, poſtquam Epiſcopus protulit formulam pro Subdiaconatu, ſtatim proferat reſpectu ejuſdem hominis formulam

Digitized by Google

mulam Diaconatûs, fore hunc verè Diaconum, licèt non fiat ulla mutatio materiæ.

SECTIO II.

Quæ officia ſingulorum Ordinum inferiorum Preſbyteratu? Quinam ex iis Sacramenta? Quænam olim Oſtiariæ, Diaconiſſæ, Preſbyteræ, Epiſcopiſſæ?

SUMMARIUM.

Officia Minoriſtarum quæ? 65. *& ſeqq.*
An puer Exorciſta licitè *fungatur hoc officio?* 68.
Subdiaconi Officium quod? 71.
Diaconi quod? 73.
An hujus ſit ſolenniter baptizare, & ſolenniter præbere Euchariſtiam? 74.
Caſus Diaconi prædicantis ſine facultate Epiſcopi. 75. *&* 78.
Quid ſi talis ſit Parochus? 77.
Quo ſenſu dicatur in Pontificali, eſſe Diaconi Officium prædicare? 80.
Explicatur ſanctio Pontificalis circa hoc. 82.
Minores Ordines fortè non ſunt Sacramenta. 83.
At Subdiaconatus probabiliùs, Diaconatus ferè certò. 84.
Preſbyteratus certiſſimò. 85.
Epiſcopatus probabiliſſimè. 86.
Chorepiſcopi qui fuerint olim? 87.
Diaconiſſa quæ olim? 88.
Preſbytera, & Epiſcopiſſa quæ? 89.

65 DIco I. Ex veteri inſtituto Eccleſiæ Officia Minoriſtarum, itémque Subdiaconi, atque Diaconi ſunt ſeqq.

I. Oſtiariorum munus eſt, res, & depoſita Eccleſiæ fideliter cuſtodire, inter dignos, & indignos diſcernere, ut illos admittant, hos inde ejiciant. P. Tannerus *Diſp.* 7. *q.* 2. *num.* 48. citans Canones, & addens, *accidentarium* munus eſſe, aperire, & claudere oſtium Eccleſiæ, & pulſare campanas.

66 II. Lectorem oportet legere ea, quæ prædicat, & lectiones cantare. Ita loquitur Pontificale, addens: *Et benedicere panem, & omnes fructus novos.* Hæc benedictio eſt prorſus *accidentaria* huic Ordini, prior actio *principalis.* At hodie non uſitata, ſicuti nec actiones, quas aſſignavimus Oſtiariis.

67 III. Officium Exorciſtarum eſſe expellere dæmones è corporibus hominum, ut ſic eos faciant aptos ad intereſſendum Sacrificio Miſſæ, liquet ex formula hujus Ordinis ſuprà relata, & communi ſenſu DD.

68 Dices: *Ergo, ſi quis aut puer, aut adoleſcens inſignitus ſolis quatuor Minoribus Ordinibus exorcizaret dæmonem, qui virum, aut fœminam inſidet, non eſſet reprehendendus?* Reſp. *Per ſe loquendo* non eſſet. At verò *per accidens* eſſet ideo reprehendendus, quòd ob copiam tot Sacerdotum, quibus nunc abundat Eccleſia Dei, non permittat Magiſtratus Eccleſiaſticus ejuſmodi Exorciſtis uſum ſuæ poteſtatis.

Porrò quia longè difficillimum eſt cognoſcere, utrùm aliqua perſona ſit verè infeſſa à ſtygio hoſpite, necne: Quia etiam communiter multi menſes, ne dicam, Anni impendendi ſunt exorciſmis, interveniúntque interea multi valde perplexi caſus, ſuadeo inprimis, ne quiſquam hoc muneris ſuſcipiat, niſi ex conſilio plurium virorum ſapientum, piorúmque, & ſingulariter, ne ſine præſcitu Superioris. Deinde ne quis Capellanus etiam Curatus id auſpicetur, ſed potiùs relinquat ſuo Parocho, huic enim præcipuè incumbunt hæc extraordinaria, & majorem prudentiam exigentia miniſteria. Atque ita primùm nuper reſpondi cuidam ejuſmodi Capellano, cui tamen dixi, poſſe aliquos exorciſmos uſurpare ante Confeſſionem energumeni, ſi expertus eſt, ſolere à Cacodæmone tunc turbari. Uſus quippe docuit, haud rarò prodeſſe ejuſmodi res ſacras. 69

IV. Acolythi Officium eſt duplex. Unum eſt, præparare vaſa vini, & aquæ, & ea dare Subdiacono in Miſſa. Alterum eſt, ferre cereum ante Sacerdotem, & cùm legitur Evangelium in Miſſa. Ita P. Fornarius *de Ordine Cap.* 7. *num.* 5. 70

V. Subdiaconum oportet aquam ad miniſterium Altaris præparare, Diacono miniſtrare, Pallas altaris, & Corporalia abluere, Calicem, & patenam in uſum Sacrificii eidem offerre: Oblationes, quæ veniunt in altare, panes propoſitionis vocantur &c. Pallæ, quæ ſunt in ſubſtratorio altaris, in alio vaſe debent lavari, & in alio corporales pallæ. Ubi autem corporales pallæ lotæ fuerint, nullum aliud linteamen debet lavari, ipſáque lotionis aqua in baptiſterium debet vergi. 71

Hæc omnia ad verbum habentur in Pontificali ſub titulo: *De Ordinatione Subdiaconi.* Quibus adde alterum præcipuum munus Subdiaconi, quod indicatur per traditionem libri Epiſtolarum, & formulam verborum, ſcilicet Epiſtolæ lectionem ſolennem. 72

VI. Denique Diaconi Officium eſt, in Sacro Miſſæ Sacerdoti panem, & vinum in vaſis tradere, ſanguinem populo propinare, cùm eſſet dandus: imò etiam perferre Corpus Chriſti in patena, non tangendo illud, at verò illud tangere, aliiſque tradere juſſu Epiſcopi, vel Preſbyteri, legere Evangelium in Miſſa cum ſtola. Ita Fornar. *de Ordin. cap.* 7. ex communi. 73

At quæres. *An non etiam ſit Officium Diaconi baptizare ſolenniter, & ſolenniter miniſtrare Euchariſtiam?* Reſp. Eſſe huic utrique quæſtioni copioſè à me ſatiſfactum *in Alphab. Baptiz. Caſ. IV. & in Alphab. Communic. Caſ. XXII. n.* 445. *edit.* 3. 4. *&c.* quibus addo, à Toleto *in Sum, Lib.* 2. *Cap.* 28. ita *abſolutè* ſcribi: *Quando ne-* 74

Digitized by Google

do neceſſitas eſſet, ut ſi quis infirmatur, & Sacerdos non adeſt, vel non poteſt, licet Diacono ſoli etiam corpus miniſtrare.

75 Quæres 2. *Quid reſpondendum ad hunc*

Caſum Caſiſticum.

CUnibertus caſuum conſcientiæ ſtudioſus ſimul, & Diaconus quandoque ſe offert Parocho ad concionandum ejus loco, quandoque hoc munus obit invitatus, at ſine ulla peculiari facultate conceſſa à D. Vicario Generali. An eſt laude, an verò pœnâ dignus?

76 Nonnulli è meis olim in Theologia Morali diſcipulis hoc factitârunt in pagis non multùm remotis ab hac urbe Conſtantia. Ratio dubitandi ex una parte eſt, quia Pontifex ordinaturus Diaconos legit altâ voce: *Provehendi filii dilectiſſimi ad Leviticum Ordinem, cogitate magnopere, ad quantum gradum Eccleſiæ aſcenditis. Diaconum enim oportet miniſtrare ad altare, baptizare, & prædicare*: Atqui Diaconus non eget peculiari facultate Ordinarii ad miniſtrandum, ſicuti nec ad baptizandum, ergo nec ad prædicandum. Ex altera autem parte obſtant Conſtitutiones Synodales hujus Diœceſis, quæ *Part. 1. tit. 18. num. 3.* ſic ſanciunt: *Concionandi munus nemo ſibi uſurpet, niſi legitimè vocatus, & per Vicarium, & Examinatores noſtros prævio examine approbatus.* Et paulò inferiùs *n. 5.* vinculo excommunicationis innodantur, *qui aliter prædicationis Officium uſurpare præſumpſerit.*

77 Reſp. Si talis ſtudioſus Theologiæ eſſet Parochus, uti nonnullos habui, poſſet, ſpectato jure communi, abſque ulteriori facultate concionari in propria Parochia. Navarr. *Conſil. Lib. 1. conſ. 7.* incipit: *An prædicare*, addente Panormitano *in cap. Inter cætera. De Offic. Ordin.* quemlibet rectorem Eccleſiæ habere poteſtatem prædicandi in ſua Eccleſia, quia ſcilicet incumbit paſtori, paſcere etiam verbo ſuas oves.

78 II. Spectato jure communi, poteſt talis ſtudioſus, etſi non ſit Parochus, verbum Dei prædicare in aliqua Eccleſia, accedente conſenſu Parochi, vel rogatu. Silv. *verb. Ordo n. 7.* Navarr. *loc. cit.* ubi ſic loquitur: *Communis uſus totius orbis Chriſtiani videtur habere, ut Parochi rogent frequentiſſimè Theologos doctos nondum Sacris Ordinibus, vel ſolùm Subdiaconatu initiatos, ut prædicent ſolenniter Parochiis.* Conſentit apertè Gloſſa *in cap. Adjicimus. 16. q. 1.* quia ſcilicet omnia ſpectantia ad juriſdictionem ſunt delegabilia. Gloſſ. *in cap. Pervenit. diſt. 95.* Imò cenſet P. Palaus *Tr. 27. punct. 4. n. 11.* expreſſè, traditione libri Evangelii deſignari, munus Diaconi eſſe, legem Evangelicam prædicare ſive in ſacrificio, ſive extra. Eſſe tamen munus prædicandi generaliter interdictum Diaconis, eò quòd Eccleſia abundet Epiſcopis, ac Presbyteris. Sed ego adhæreo in utroque puncto Doctoribus, quos citavi, & jam citabo.

79 III. Nemini, niſi animarum curam gerenti, licet propriâ authoritate concionari. Ita communiter DD. patet *ex cit. cap. Adjicimus.* Eſt enim concionari actus juriſdictionis. Adeò ut Navarr. *loc. cit.* aſſerat, Diacono non magis competere ratione ſuæ Ordinationis jus prædicandi, quàm Subdiacono, & alii cuivis.

80 Nec obſtat, quòd *in c. Perlectis diſt. 25.* & in Pontificali dicatur, Officium Diaconi eſſe *prædicare*. Etenim Gloſſ. *cit. c. Adjicimus.* Navarr. *loc. cit.* Petrus Sotus *de Ord. lect. 2.* Jordan. *Elucubrat. Vol. 2. Lib. 6. tit. 1. num. 83.* & alii communiter obſervant, per *prædicare* intelligi lectionem, vel cantationem Evangelii ad Miſſam.

81 Inquies: *Hæc explicatio eſt valde torta.* Reſp. Ita quidem mihi videtur, ſed in re tanta non eſt ſecedendum à ſenſu communi, quia integrum eſt judicium, quod plurimorum ſententiis confirmatur *cap. Prudentiam. De Offic. Ind. deleg.* Porrò cùm dixi, nemini, niſi paſtori animarum, licere prædicare, intellexi prædicationem in Eccleſia ex pulpito, ſeu ad populum in publico, cœtu. Nam Abbatiſſa e.g. *licitè* prædicat in Refectorio, aut Capitulo ſuis Monialibus, Jordanus *loc. cit. n. 82.* cum DD. *in cap. Dilecta. de majori, & obed.* Sicuti etiam Tann. *q. 2. num. 66.* notat poſt Sa, eſſe Officium Diaconi, ſolenniter per modum Catechiſmi exponere fidei articulos.

82 IV. Sanctio Conſtantienſis, de qua ſuprà, non eſt recepta eo rigore, quem præ ſe fert. Scio quippe, non ſolere à Dominis Examinatoribus examinari Diaconos, volentes quandoq; conſcendere exedram. Imò ne quidem omnes accedunt D. Vicarium Generalem, quem tamen adiri ſuaſi, & omnino ſuadeo ſaltem ab iis, qui vel Conſtantiæ, vel propè incolunt. Quòd ſi quis auderet, vel ſine cujuſquam Parochi facultate ſemel iterúmve prædicare verbum Dei è ſuggeſtu in Eccleſia, vel cum facultate Parochi obire ordinariè tale Officium, profectò jure timeret gravem pœnam in hoc Epiſcopatu. An in aliis, docebit uſus & ſtatuta peculiaria.

83 Dico II. Incertum eſt, utrùm quatuor Minores Ordines ſint vera Sacramenta, necne? Stant enim pro utraque parte graves, piique DD. in hoc tamen concordes, quòd prima Tonſura non ſit Sacramentum. Cùm non tribuat ullam poteſtatem ſpiritualem. Contra communiorem aſſerentem quatuor Minores eſſe vera Sacramenta, objicit P. Leſſius inclinans in negativam *in 3. Part. de Sacram. Ordin. c. 4. dub. 4.* hoc argumentum, quòd Eccleſia eſſet procuratura, ut initiandi Minoribus præmitterent Confeſſionem Sacramentalem, ſi ipſa cenſeret illa eſſe vera Sacramenta.

Subdia-

Digitized by Google

84 Subdiaconatum Sacramentis annumerat major pars Theologorum, præſertim Recentiorum, quidni adhæreas? Et firmiùs id ipſum aſſerentibus de Diaconatu? cùm Palaus *Tr. 27. punct. 3. n. 6.* velit, id pro certo haberi, & gravium cenſurarum parciſſimus Dom. Abbas Reding *Tom. 6. Theolog. Scholaſt. q. 10. art. 1. Controverſ. 3. n. 9.* temeritatis damnet adverſantem huic reſponſo noſtro, ſubſcribens etiam *n. 9.* illi communiori opinioni, de qua ſuprà *n. 83.* eò quòd omnes Theologi, exceptis duobus præſtantiſſimis, Durando, & Cajetano, adeò unanimiter, atque aſſeveranter id tradant, ut Vaſqu. *d. 238. Cap. 2.* ſcribat non videri, poſſe id negari abſque errore in fide, eò quòd Concil. Trident. *Seſſ. 23. can. 6.* definiat, eſſe in Eccleſia Hierachiam conſtantem ex Epiſcopis, Preſbyteris, *& Miniſtris.* Ergo ſaltem Diaconi deſignantur nomine Miniſtrorum. Ergo ſaltem ii ſunt pars conſtitutiva hujus Hierarchiæ, ſeu Statûs, & Ordinis Eccleſiaſtici.

85 Preſbyteratum eſſe unum è ſeptem Sacramentis, credimus fide Divinâ, quandoquidem conſtat, nulli Ordini magis, & certiùs convenire hanc dignitatem, quàm Sacerdotio. Unde in Trid. Concil. *Seſſ. 13. Cant. 4.* definitur, per Ordinationem Preſbyteri communicari Spiritum Sanctum, imprimique characterem.

86 Denique de Epiſcopatu, quatenus eſt *incompletè* diſtinctus à Preſbyteratu, plerique Recentiores, intérque hos D. Reding. *n. 4.* contra alios graves DD. pronunciant, illum, ſeu adminiſtrationem illius eſſe etiam Sacramentum, quod ſanè eſt veroſimillimum propter neceſſitatem Divinæ gratiæ, qua ſpeciali eget Epiſcopus ad ſua munia ritè peragenda. Vide plura infrà *Caſ. V. n. 137.* & adde, à D. Reding *loc. cit. Controverſ. 4. n. 20. & ſeqq.* latè probari, attento Philoſophorum proprio loquendi modo, videri conſecrationem Epiſcopalem convenientiùs dici non tam Sacramentum *abſolutè* ſumptum, quàm complementum Sacramenti.

87 Chorepiſcopi, de quibus ſæpe meminerunt Canoniſtæ, & alii, erant propriè Epiſcopi, ſed ſimiles iis, quos vocamus *Titulares*, ita tamen, ut ordinariè conſecrarent ſolos Diaconos. Vel erant ſolùm ſimplices Sacerdotes, participantes tamen de juriſdictione Epiſcopi. Vide Cardinalem Bellarminum *Lib. 1. de Cleric. cap. 17.* aut P. Suarez *de Cenſur. diſp. 11. Sect. 2. num. 7.*

88 Dico III. Diaconiſſæ, quarum frequens mentio fit in hiſtoria Eccleſiaſtica, ipſiſque adeò Conciliis, erant mulieres ideo ita dictæ, quòd vel eſſent legitimæ uxores Diaconorum, ſed ſeparatæ à toro conjugali, (ſicut etiam Preſbyteræ, vel Epiſcopiſſæ, nuncupantur eæ, quas mariti promoti ad hanc dignitatem deſeruerant continentiæ ſervandæ causâ) vel miniſtrarent (Diaconi enim è Græco Latinum nomen ſignificat Miniſtrum) in templo tum inſtruendo alias mulieres in iis rebus, de quibus debebant agere cum Diaconis, & Epiſcopis, tum aſſiſtendo ad oſtium templi, ut dignas intromitterent, indignas arcerent. Tum abſtergendo mulieres (quarum frontes oleo Sancto in Baptiſmate ungebantur) ne aſpicerentur à viris. Vel ab Epiſcopo mittebantur ad domos mulierum, cùm aliquod munus eſſet ibi peragendum. Vide de his fundamentaliter P. Vaſquezium *hîc diſp. 246. cap. 3.* & poſt, atque ex illo Laymannum *hîc cap. 11.* Palaum *hîc punct. 6.* & alios plures.

Ex his palàm eſt, Preſbyteras, & Epiſcopiſſas fuiſſe olim ita nuncupatas. Longè alio, atque utique honeſtiore titulo, quàm ſub initium ſuperioris ſæculi pluribus in locis fuerint appellatæ *Dominæ Præpoſitæ*, *Dominæ Decanæ*, quæ reipſa nihil aliud erant, quàm concubinæ Præpoſitorum, Decanorum, & quas ut his liceret in uxores ducere valde inſtanter à Pio IV. & Patribus Concilii Tridentini poſtulavit Ferdinandus Primus Rex Romanorum, atque etiam alii pii Principes Germani, ut legere eſt non ſemel apud Cardinalem Pallavicinum in præclara Hiſtoria Concilii Tridentini. 89

Quæres fortè: *Utrùm, ſi quis ex indicatis Ordinibus ſit malè collatus, oporteat repetere?* Sed ad hanc quæſtionem reſpondebo *Caſ. VI.*

DE ESSENTIA, ET PROPRIETATIBUS PRESBYTERATUS.

CASUS IV.

Cribratus.

SUMMARIUM.

Caſus ordinati in Sacerdotem ſine vino in calice. 90.
Quæ materia Preſbyteratûs in Eccleſia Romana? 93.
Quæ in Græcanica? 94.
An defendi queat illa Ordinatio Græca? 95.
Quo ſenſu non ſit uniformis in tota Eccleſia materia & forma Ordinationis? 97.
Verène fuerit Ordinatus Sacerdos, cui præbitus erat calix, vacuus? 98.
Refertur caſus recentiſſimus de hac re celebrantis pro ſtipendio. Ibid.
An ipſe, & alii peccârint contra juſtitiam? Ibid.
An incurrerit ſuſpenſionem celebrando poſt talem Ordinationem? 99.
Tactus calicis eſt materia Preſbyteratûs. 100.
Quid ſi fiat ſolis unguibus? 101.
Caſus Preſbyterandi, tangentis calicem cum patena, at non hoſtiam. 102.
Alius huic ſimilis recentiſſimus. 103.
Eſt moraliter *certum, valuiſſe illam Ordinationem. 104. & ſeqq. accuratè.*
Reſpondetur ad Autoritates verè, aut in ſpeciem contrarias. 106. & 107.

Digitized by Google

An ſaltem ſub gravi peccato ſit tangenda hoſtia? 108.
Peccaret mortaliter, qui lectis, quæ ſuprà ſunt adducta, peteret rurſum ordinari. Ibid.
Caſus tangentis hoſtiam. at non patenam. 109.
Eſt certum, talem fuiſſe ritè ordinatum. 110.
Reſpondetur ad autoritatẽ Concilii Florentini. Ibid.
Et ad Diana. 111.
Citans aliquem autorem intelligendus eſt ſecundùm ſenſum citati. Ibid.
Forma Sacerdotii. 112.
Caſus tangentis materiam poſt integram formam prolatam ab Ordinatore. 113.
An valuerit Ordinatio? 114.
An imitandum exemplum? 116.
Ad Sacerdotium ſubſtantialiter *perfectum requiritur impoſitio manuum.* 117.
Caſus cogitantis ob ægritudinem non expectare impoſitionem manuum. 118.
An fuerit obligatus eam petere ante ſuas primitias? 120.
Unctio digitorum non ſpectat ad ſubſtantiam Preſbyterii. 128.
Caſus, quo pro tali unctione fuit præbitum Sacrum Chriſma. 129.
Neomyſtæ quomodo debeant pronuntiare cum ſuo Ordinatore formulam Conſecrationis? 131.
An revera teneantur eam proferre? 132.
An ii conſecrent verè, ſi abſolvant formulam ante Ordinatorem? 133.
An validè applicent alicui talem Miſſam? Ibid.
Caſus Neomyſtæ honorati à ſuo Angelo Cuſtode 134.

90 *DAmaſo Epiſcopo in quadam celebratione, & collatione Ordinum extra Germaniam facta Ordinem Sacerdotii conferente contigit, Magiſtri cæremoniarum inadvertentiâ, ut in calice vinum non fuerit. Unde ex illis, qui tunc Sacro Preſbyteratûs Ordine initiati ſunt, alii opinati, Characterem Ordinis hujuſmodi impreſſum non fuiſſe, & in ea opinione perſiſtentes, rurſus ſe eodem Ordine ab aliis Antiſtitibus initiari curârunt. Alii verò contrarium tenentes, & ſententiæ Epiſcopi, qui idem tenebat, inhærentes, ab ipſius Ordinis reiteratione prorſus abſtinuerunt. Quapropter quæſitum fuit 1. An in iſto caſu repetitio Ordinis ſit neceſſaria, necne? 2. Si neceſſaria non ſit. An illi qui repetierunt, cenſuris propterea innodati abſolutione Sedis Apoſtolicæ indigeant? 3. Si repetitio ejuſmodi Ordinis requiratur. An illi, qui eâ prætermiſſâ ad alios Ordines aſcenderunt, & in illis miniſtrârunt, teneantur ob id abſolutionem, & diſpenſationem à dicta Sede obtinere, & nihilominus dictos Ordines repetere? Ad hunc caſum Anno 1617. conſultus, ſalvo meliori judicio, in hunc modum reſpondi 1. &c.*

Admenſus ſum verba P. Adami Tanneri, 91
quæ cum reſponſionibus ad tres illas quæſtiones reperies *Tom. 4. Diſp. 7. q. 2. dub. 4. n. 90. & ſeqq.* Caſum autem indigitavi *Cribratum*, eò quòd Cardinalis de Lugo referens illum ipſum *in Reſp. Moral. Lib. 1. dub. 3. num. 2.* teſtetur, fuiſſe circa illum multa à multis dicta, & ſcripta. Imò ab ipſomet Ordinatore Epiſcopo Hiſpano compoſitum librum, ad defendendum illius valorem Ordinationis.

Priuſquam reſpondeam ad tres quæſtiones 92
motas à P. Tannero, propono alias quatuor expediendas. 1. *Quæ ſit materia* remota *Sacerdotii?* 2. *Quæ* proxima? 3. *Quæ forma?* 4 *Quæ alia huc facientia?* Ubi expedivero *primam* harum quatuor, reſpondebo ad illas tres.

Dico *primò*. Calix cum vino, ſuperpoſitâ 93
petenâ cum hoſtia eſt ultra impoſitionem manuum, de qua *n. 117.* (ſaltem in Eccleſia Latina) *eſſentialis* compars, & materia *remota* Sacerdotalis Ordinationis. Ita plerique Theologi, hujus & ſuperioris ſæculi, à quibus diſſentiens Petrus Marchantius, tum *in Tribun. Sacram. Tom. 3. Tr. 3. q. 3.* tum rurſum in *Reſolutionib. notabil. Caſ. I. De Sacram. Ord* in contingentia facti non modò reſolvit, omiſſionem vini in Calice, aut hoſtiæ ſuper patenam eſſe tantùm omiſſionem partis *integralis*, ideóque non repetendam Ordinationem abſque iis factam, ſed etiam *abſolutè* contra P. Tannerum, graviter (*ſed immeritò, quia illum legit ſine perſpicilliis*, ut loquitur Boſcus *loc. cit. n. 122.* Minorita de Minorita) à ſe reprehenſũ, negat, tam calicem, quàm patenam eſſe materiam *eſſentialem*, affirmans, eſſe certum, quòd in Eccleſia multo tempore, adeóque uſque ad ætatem S. Stephani Papæ (qui vixit An. 157.) viguerit mos in univerſali Eccleſia, ut ſolâ impoſitione manuum conferretur Ordo Sacerdotalis, idque probari à Franciſco Hallier accuratiſſimo ſcrutatore antiquorum Rituum. Succeſſu tamen temporis factum, ut impoſitioni manuum ſuccederet traditio calicis cum patena, vino & hoſtia, jungeretúrque ab Eccleſia tanquam materia *integralis*. & neceſſaria ex ſolo præcepto, & ſub peccato adhibenda. Sed refutatur hæc opinio tum communiſſimo ſenſu Theologorum, quos nominabo *explicitè*, & *implicitè in App. Nobilis Sacerdotis* annectenda *n. 108.* à quo ſenſu in re tanti momenti recedere, non eſt tutum. Tum ſingulariter ob autoritatem Concil. Florent. ubi Eugenius Papa ſic loquitur: *Sextum Sacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo. Sicut Preſbyteratus traditur per calicem cum vino, & patena cum pane porrectionem.* Et quidem cenſet Palaus *Tr. 27. punct. 5. num. 16.* repugnante cõmuniore, calicem, & patenam debere de neceſſitate Sacramenti eſſe conſecrata. Quod etſi puto aſſeri ſine ſufficiente ratione,

interim

interim tamen nequit dubitari, quin Preſbyteratus poſſit ſaltem *inadæquatè* conferri per traditionem rerum indicatarum, ita ut eæ res ſint ſaltem idoneæ, & aptæ ad Ordinationem Sacerdotalem. *At non neceſſariæ*? Reſp. Non *abſolutè* neceſſariæ, ut convincit hic

Caſus Græcanicus.

94 *Doſitheus Epiſcopus Græcus in ipſa Urbe Roma, vidente, audiente P. Ioanne de Lugo nondum tunc evecto, contra ſuam voluntatem, ad Cardinalitiam dignitatem, ordinavit aliquos ſuæ gentis homines in Sacerdotes, nihil cogitando de calice, vel patena ſed ſolùm imponendo manus ſuper capita eorum, ac dicendo:* Divina gratia, quæ ſemper infirma ſanat, & quæ deſunt, ſupplet, creat ſeu promovet N. venerabilem Diaconum in Preſbyterum. Oremus igitur pro eo &c. *An tales accenſendi ſunt veris Preſbyteris, necne?*

95 Reſp. Clarè demonſtrari à noſtro P. Nicolao Serario, *in propria diſp. de Ordin. Græcorum*, itémque à Cardinali Joanne de Lugo *Tom. 2. in 3. part.* ſeu *de Sacram. in gen. diſp. 2. ſect. 5. n. 85. ac ſeqq.* & inſigniter à P. Dicaſtillo *Tom. 1. in 3. part. Tr. 1. diſp. 1. de Sacr. in gen. dub. 20.* & præterea à P. Amico, & P. Franciſco de Lugo, quorum longos diſcurſus deſcribit, ac ſequitur Diana *part. 8. Tr. 1. Reſol. 42.* immeritò à quibuſdam, atque inter hos à P. Tannero *loc. cit.* quem ſat acriter refutat Marchant. *loc. cit.* revocari in dubium, utrùm hæc Ordinatio valeat, necne? 1. Quia certum eſt, ita hodiéque ordinari Romæ Sacerdotes Græcos, ut omni exceptione major teſtatur ille Cardinalis, aſſerens, ſciente, & conſentiente Pontifice, ita conſueviſſe ordinari Græcos, ſéque ſemel interfuiſſe ejuſmodi ordinationi. Imò Petrus Marchantius *loc. cit. concluſ. 4.* poſt ſanctū Bonaventuram, & Franciſcum Hallier tenet, Romanam Eccleſiam fuiſſe olim uſam ſolâ impoſitione manuum. 2. Quia DD. & alii plures teſtantur, Græcos ita ordinatos, haberi ab omnibus Romanis, ipſiſque Pontificibus pro legitimis Sacerdotibus, & inter hos Beſſarionem eruditiſſimum Cardinalem, qui Florentino Concilio interfuit, & qui non aliter erat inauguratus Sacerdotio. 3. Quia Clemens VIII. ut videre eſt apud Dicaſtillo *loc. cit. num. 363.* edidit Conſtitutionem, qua ſanxit, *Romæ habendum eſſe Epiſcopum Græcum Catholicum, qui Græcos, Epiſcopis Latinis Italiæ, & Inſularum adjacentium ſubjectos, ab Epiſcopo Græco ordinari volentes, cum illorum dimiſſoriis, ad id tantùm concedendis, ritu Græco ordinaret.* Igitur non videtur poſſe rationabiliter negari, quin Preſbyteratus *validè* conferri queat ſine calice, & patena.

Dices: *Hoc autem apparet mihi valde mirabile, & paradoxum. Ego enim ſemper credidi contrarium, præſertim quia nonnulli Epiſcopi, dum ordinant Preſbyteros, ſolent dicere*: Tangite bene: Tangite diligenter. 96

Reſp. Novi omnino, ſed jam pridem vitâ functum, & quidni cœlo receptum? optimum D. Suffraganeum, qui ita monebat ſuos *dilectiſſimos filios* (ut nominat ex Pontificali) & meritò. Quia plurimi Theologi arbitrantur, tactum *phyſicum* calicis, & patenæ eſſe neceſſarium, ut videbimus inferiùs. Et verò ſunt calix & patena neceſſaria *ex hypotheſi*, non tamen *abſolutè*. Non *abſolutè*, ut jam oſtendi autoritate Eccleſiæ Græcanicæ, attamen *ex hypotheſi*, poſito ſcilicet, quòd impoſitio manuum ſuper caput fiat ſine prolatione formulæ ſignificantis poteſtatem ſacerdotalem, ſicuti apud nos Latinos Epiſcopus non profert ulla verba, quando ſtatim ſub initium Ordinationis imponit manus ſuper capita ſingulorum. At verò profert, quando præbet tangendas illas res. Ergo earum præſentia eſt, ut ſic, neceſſaria.

Inſtabis: *Ergo non eſt in tota Eccleſia uniformitas, neque* quoad materiam, *neque* quoad formam *tanti Sacramenti. Quis credat? Imò ſequitur, materiam hujus Sacramenti poſſe mutari ab Eccleſia, & fieri, ut materia, quæ eſt nunc valida, ſit poſteà invalida.* Reſp. Concedendo, non eſſe unam ubique materiam *phyſicè*, eſſe tamen unam *moraliter*, ajo. Chriſtus enim Dominus, ut jam monui *n. 15* & pulchre explicat P. Dicaſtillo *cit. dub. 20.* itémque P. Amicus apud Dianam *loc. cit.* ſolùm inſtituit, & ordinavit, ut iſtud Sacramentum, conferatur tali uſu alicujus rei, ut per verba adjuncta ſignificaretur poteſtas Ordinationi annexa. Quænam autem debeat eſſe illa res, non determinavit, ſed commiſit judicio Eccleſiæ, ut pro diverſitate temporum, ac locorum uteretur jam hac, jam illâ materiâ, adhibendo verba, quæ cum reſpectu ad eam materiam prudenter indicarent miniſterium, ad quod aſſumendus eſſet is, quem illa verba reſpicerent, adeò ut, ſi Eccleſia, (aliud eſt de homine privato, cujus non eſt, mutare ſignificationem publicorum ſignorum) nunc vellet per ſolam traditionem calicis, & patenæ ſine pane, & vino, aliquem ordinari, & eâ intentione tradi hæc vacua inſtrumenta, foret valitura, & ſuffectura illa traditio. Dicaſtillo *num. 371.* poſt Amicum, non immeritò ſubjiciens judicio Eccleſiæ hanc ſpeculationem, qua omiſſâ, tranſeo jam ad ſolutionem noſtri Caſûs *Cribrati*, & 97

Dico II. Licèt P. Tannerus *num. 94.* rectè pronuntiet, eſſe *ſpeculativè* probabile, quòd illa Ordinatio, de qua ſuprà *num. 90.* fuerit valida, re enim verâ non datur poteſtas conſecrandi hoſtiam ſine poteſtate conſecrandi vinum, *practicè* tamen loquendo, omnes, quos ordinavit Damaſus, debuerant iterum ordinari, 98

Digitized by Google

Ita contra Henriquez *Lib. 10. cap. 6.* Barboſam *de offic. Epiſcop. alleg. 14. num. 9.* Petrum Marchantium, fuſè & doctè tractantem hoc dubium loco mox citando idem Tannerus *loc. cit. num. 98.* & Lugo *cit. dub. 30. in Lib. 1. Reſp. Moral.* qui teſtatur, eos, juſſu Cardinalis Sandovallii, Toletani Archiepiſcopi, fuiſſe rurſum conſecratos. Adſtipulantur apud Mathiam à Corona *de Dignitate & poteſt. Epiſc. Tr. 2. cap. 15. §. 10. num. 10.* conſentientem Turrianus, Campanile, Villalobos, Joannes Crucius. Quibus malè jungit Barboſam. Ratio eſt, quia omnes ſunt iterum ordinandi, quos probabile eſt, fuiſſe *invalidè* ordinatos, ut ex inſtituto probabo *Caſu VI.* eſt autem probabile, illos fuiſſe *invalide* ordinatos, tum quia ita cenſuerunt Tanner. Lugo, ille Archiepiſcopus, & plures alii viri doctiſſimi apud Dianam *part. 3. Tr. 4. Reſ. 105.* recentiſſimúſque Boſcus *loc. cit. n. 111.* tum quia verba Eugenii ſuperiùs relata non exprimerent, Ordinationem Preſbyteri fieri per traditionem calicis cum vino, niſi judicâſſet Papa, vinum eſſe tam neceſſariam materiam, quàm eſt calix. Dicitur quidem in Pontificali, aquam debere eſſe immixtam illi vino, ſed utique illa mixtio non tangit eſſentiam Sacramenti, ſicuti & Lugo *in Reſp. Moral. Lib. 1. dub 40. num. 6* obſervat, gutt s, quæ vino effuſo remanerent in calice, ſuffecturas in rigore ad valorem ordinationis Communis doctrina noſtra confirmatur recentiſſimo facto, cujus teſtes ſunt

Hæ Literæ.

PRofuit R. V. opuſculum de Ordine nupero Paſchate Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo Viennenſi. Ordinaverat is Sacerdotes, non affuſâ per incuriam N. materiâ calicis. Recurſum eſt ad P. N Hic cùm pervolviſſet autores aliquot, nec caſum reperiret, ad me, qui tunc inibi eram, recurrit. Ego caſum in terminis à R. V. ſuo Tractatui de Ordine inſertum docui, móxque reperi, & juxta ejus deciſionem Illuſtriſſimus, qui nonnihil exhorruerat, proceſſit.

Ita ad me 25. Octobr. Anno 1665. R. P. Nicolaus Avancinus eruditiſſimus Theologiæ olim Profeſſor Viennæ, nunc Provinciæ Auſtriacæ Præpoſitus. Ob quem eventum, qui utique ſæpius accidere poteſt, confirmo ſuperiorem doctrinam tum autoritate P. Ludovici Seildere *de princip. formandæ conſcient. Tr. 2. cap. 9. num. 114.* expreſſè conſentientis, & etiam mirantis, quòd Petrus Marchant. *in Tribunali Tom. 3. Tr. 6. Tit. 6. q. 3. Concl. 5. & in Reſolut. Notabilibus tit. de Ordine Caſ. I.* negârit neceſſitatem reordinationis, tum eâ ratione, quòd ſuprà *num. 51. & 97.* tradiderimus, materias Ordinum non fuiſſe omnes à Chriſto Domino determinatas in particulari, ſed aliquas ſolùm in genere, mandando Apoſtolis, & Eccleſiæ, ut determinarent, quas pro loco, & tempore judicarent maximè idoneas ad indicandum proprium finem hujus, aut illius Sacramenti. Atqui conſtantiſſima praxis Eccleſiæ Occidentalis demonſtrat, tactum calicis cum vino eſſe nunc maximè idoneum, & neceſſarium ſignum collatæ Preſbyteralis poteſtatis, eſto in Orientali, ſeu apud Græcos nec ſit, nec fuerit ſignum neceſſarium, ut vidimus ſuprà *num. 95.* Quapropter Sacerdos ita inauguratus peccaret contra juſtitiam quoque, ſi accepto ſtipendio ſacrificaret pro aliquo. Nam generatim loquendo, iniquè decipit homines, qui non habens *moralem* certitudinem de validitate ſui Ordinis Preſbyteralis petit, accipítque ſtipendium ab ignaris deficientis hujus certitudinis. Diana *Part. 10. Tr. 16. Reſol. 88.* cujus ſi autoritate ductus credas, hanc ipſam de ſtipendiato doctrinam tradi à Cardinali de Lugo *in Conſil Lib. 1. Conſil. 1, num 11.* itémque Tannero *Tom. 4. Diſp. 7, q. 2. dub. 1. n. 14.* decipieris. Hi enim duo Doctores non tangunt hoc dubium *practicum.* Tangit autem, ac Diana item conſentit quoad illum, qui tetigerit *immediatè* calicem ſolùm, Dicaſtillo *Tom. 1. in 3. part. Tr. 6. diſp. 1. dub. 14. n. 205.*

Porrò pœnas Suſpenſionis, & Irregularitatis quod attinet, nullas incurrerunt prædicti Sacerdotes ſacrificantes, quandoquidem excuſabat illos ignorantia tum *facti*, ut eſt manifeſtum ex ipſa narratione, tum etiam *juris*, ſiquidem probabile eſt, talem ordinationem eſſe *validam*, ut paulò antè dixi ex Tannero, nec reperitur Canon, qui infligat pro tali caſu ejuſmodi pœnam. 99

APPENDIX NOVI DUBII.

LIteræ datæ ad me 19. Junii hujus decurrentis Anni 1673. dederunt anſam annectendæ hujus Appendicis de qualitate vini neceſſariò infundendi, ſeu potiùs infuſi calici, qui deſtinatis Sacerdotio tangendus eſt. Siquidem Deicola jam ab annis propè triginta inſignitus charactere ſacerdotali, lectis, ut ſcribit, iis, quæ hoc loco concluſi de neceſſitate dicti vini, valde anxius quæſiit ex me multùm remoto ab ipſo, quid ſibi nunc agendum ſit, quandoquidem ea lectio revocavit ſibi in mentem verba nonneminis, jam penitus deleti ex ſua memoria, reddentia hunc ſenſum: *Satis multùm aquæ impoſui calici, qui præbitus fuit vobis tangendus,* prolata autem ſtatim poſt peractum totalem actum ſolennis inaugurationis. *Quid ſi igitur plùs aquæ infudiſſet, quàm Eccleſia admittat? An valeret nihilominus Ordo Preſbyteratûs? An quia de hoc dubito, teneor* (ajebat ille) *petere ſaltem ſub conditione iterationem?* a

Hæc ipſa quæſtio excitat propè ſopitas memorativas ſpecies alterius affinis quæſtionis, b

etiam

Digitized by Google

etiam anxiè propoſitæ mihi abhinc complures Annos, à viro bono, cui dixerat is, à quo infuſum vinum in ſimilem calicem, ſe non multùm attendere, infunderétne parum, an multum aquæ, quandoquidem ibi non fiat conſecratio. Dubitabat igitur, eſſétne in conſcientia obligatus, monere ea de re Superiores, aut illum, vel illos, qui erant tunc promoti? Hi duo Caſus dant cauſam opinandi, ejuſmodi inconcinnam permixtionem contingere toties, ut videatur non penitus prætereunda hæc hactenus

Illibata, intacta Quæſtio.

c *AN, & quantum aqua infuſa calici, tangendo à preſbyteratis, vitiet valorem Ordinationis, cum obligatione procurandi repetitionem?*

Reſp. I. Fruſtra proponi hoc dubium, ſi ſtetur judicio eruditi Petri Marchantii, utpote qui [illegible] *quaſt. 3. Coroll. 2.* reſolverit, quatuor Religioſos, quibus erat præbitus calix planè vacuus, non debere eſſe ullo modo ſolicitos de ulla iteratione poſtulanda, eò quòd ſit *moraliter* certum, & extra omne dubium *practicum*, quòd appoſitio vini ſit pars ſolùm *integralis*, non autem *eſſentialis*. Verùm autoritas tot, támque ſapientum virorum, quos in contrarium nominavi, tollit illam certitudinem, gignitque dubium *practicum*, ſi planè nihil vini ſit in eo calice.

d At quantum in comparatione ad aquam? *An tantum, quantum exigitur eſſentialiter ad ipſam conſecrationem? At, unde probatur hæc neceſſitas? An ſufficit, modò permaneat ſubſtantia vini, eſto nullo ſenſu percipi queat?*

Reſpondeo II. Videri mihi id ſufficere. Ratio eſt, quia correctio juris vitanda eſt, quoad fieri poteſt. *Argum. Leg. Præcipimus. Cod. De appellat. in fin.* atqui primis ſæculis non erat neceſſarium aut vinum, aut calix, ut Petrus Marchantius *loc. cit. concluſ. 4.* probat. Ergo Eccleſia inducendo correctionem, ſeu mutationem ritûs antiqui, ſeu ſimilis illi, quo adhuc utuntur Græci, de quibus ſuprà *num. 94*, non requiſivit ad ſubſtantiam materiæ plus, quàm ut re verâ ineſſet in illo calice vera vini ſubſtantia, cùm præſertim per hanc qualem qualem quantitatem poſſit abſque dubio ſufficienter indicari poteſtas conſecrandi. Accedit, quòd illud vinum infundatur quandoque è laicis ſæpe cum tanta diſtractione, & turbatione ob multitudinem initiandorum à Clericis, ut pronum ſit immittere tantum aquæ, ut nec guſtu, nec odoratu, aut viſu percipi valeat ulla, ut ſic loquar, vinoſitas.

e Hoc videtur mihi certum, modò queat aliquo ſenſu percipi dicta vinoſitas, nihil prorſus habendum ſcrupuli, eſto ſciatur, fuiſſe in calice plus aquæ, quàm vini. Certum quoque videtur, nullum Epiſcopum repertum iri, qui etiam *ſub conditione* vellet rurſum porrigere calicem alterutri eorum, de quibus ſuprà *lit. a. & b.* præſertim *primo*, cùm verba relata non ſufficiant ad dubium *morale* gignendum, ego autem ſummi, ut par eſt, facio commune judicium ſapientum, ſummorúmque virorum, ſiquidem in eos ſingulariter illud pernunciatum Innocentii: *Integrum eſt judicium, quod plurimorum ſententiis confirmatur. Cap. Extra. diſt. 64.* eam ob rem nollem eſſe autor ullius in alterutro Caſu repetitionis, ſicut nec eſt facienda, quando calici nulla aqua infuſa eſt. Avendanno *Problem. Theolog. Tom. 2. n. 1337.*

Dico III. Materia *proxima* hujus Sacramenti eſt tactus calicis, & patenæ. Ita omnes aſſertores *primæ* concluſionis. 100

At debétne ille tactus eſſe phyſicus? Jam reſpondi *Caſ. III num. 57* eſſe id controverſum. Interim tamen certum eſt, mortaliſſimè peccaturum, qui non tangeret *phyſicè*, quia ſcilicet exponeret ſuam Ordinationem diſcrimini nullitatis, cum periculo infinitorum ſacrilegiorum, invalidarum conſecrationum, abſolutionum. Etſi Filliucius *Tr. 9. n. 43.* Bauny, & Petit apud Dianam *Part. 6. Tr. 8. Reſol. 19.* item P. Eſcobar *Theolog. Moral. Lib. 23. problemat. 31. num. 184.* Wigers *q. 34. num. 13.* & Sanctgallenſes, poſt Henriquez, & multos alios apud eundem Dianam *Part. 10. Tr. 16. Reſol. 88.* rectiſſimè negent, ad eſſentiam ſpectare tactum *immediatum* patenæ, eſto idem Filliucius requirat *immediatum* Calicis.

Quid ſi autem ſolis unguibus tangat patenam? Erit perinde, ac ſi totâ manu. Cardinalis de Lugo *Reſp. Moral. Lib. 1. dub. 1. num. 1.* utique enim ſe mutuò (ut rudi exemplo utar) tangunt pueri, quando unus unguibus lacerat vultum alterius Vide ſuprà *n. 62.* 101

Sed quid reſpondebis ad hunc

Caſum Dianæum?

QVidam Diaconus, cùm Ordinem Sacerdotalem ſumeret, tetigit càlicem cum patena, ſed non tetigit hoſtiam. Quæſivit à me poſtea, an talis tactus ſit de neceſſitate Sacramenti? 102

Caſum hunc appello Dianæum, quia & fuit propoſitus Dianæ, famoſiſſimo hac ætate caſuum reſolutori, & à Diana reſolutus, ut videbis *in 2. p Tr. 2. miſcell. Reſol. 3.* ubi non modò reſpondet *negativè*, ſed etiam tradit, eſſe prorſus tenendum, quòd ne quidem ſit opus tangere hoſtiam. Utraque reſponſio eſt quidem apud me certa. Quia tamen menſe Junio Anni 1663. nonnemo mihi aſſeverantiſſimè dixit, fuiſſe quendam virum bonum, ac doctum, qui adhuc vivat, aliquando ſummè perplexum, idcirco quòd in ſua Ordinatione non contigiſſet hoſtiam, & hæc ipſa perplexitas fortè nonnullos alios tenet, demonſtrabo breviter 103

Digitized by Google

duo. *Primum*, eſſe prorſus improbabile, tactum *immediatum* hoſtiæ ſpectare ad valorem Ordinationis Sacerdotalis. *Alterum*, illum non peccare, qui omittit *deliberatè* talem tactum. Unde inferemus, haud eſſe iterandam Ordinationem peractam abſque tactu hoſtiæ.

104 *Primum* probo inde 1. Quia nullâ ratione, ſpeciem probabilitatis habente, poteſt probari talis neceſſitas. Atqui oportet probare, & non dicere: Sufficit Gloſſ. v. *dicatur, loc. cit. ff. Si Quadrupes.* Quia in Rituali, & in Pontificali Romano, in quibus traduntur exactiſſimè neceſſaria ad eſſentiam hujus Sacramenti, fit mentio tactûs ſolius calicis, & patenæ, ut de Rituali (fortè Pontificali) teſtantur Sotus, & Coninck mox citandi. Sed non ego, quia in meo exemplari nulla fit mentio hujuſce argumenti. At de Pontificali poſſum teſtari, & teſtor. 3. Quibus natura dedit breves digitos, perſæpe nequeunt tangere hoſtiam ligatis manibus. 4. Non eſt opus tangere vinum calicis: ergo nec panem. 5. Bonacina *hîc diſp. 8. q. un. p. 2. num. 10.* teſtatur, illos, qui cum ipſo cenſent, ad eſſentiam hujus Sacramenti requiri tactum *phyſicum* rerum, quæ porriguntur, nullo modo exigere, ut tangatur *immediatè* hoſtia, quod etiam P. Hurtadus *Tr. de Ordine diffic 15.* diſertè aſſerit. Inſuper teſtes ſunt Diana *P. 3. Tr. 3. Reſol. 85. in fin.* & P. Dicaſtillo *de Sacram. Ordin Diſp. 1. num. 205.* autores tam aſſerentes, quàm negantes neceſſitatem tactûs *phyſici* convenire in hoc, quòd hoſtia non ſit neceſſariò tangenda *immediatè*.

105 Hinc ſapientiſſimus Dominicus Sotus *in 4. diſt. 24. quæſt. 1. art. 2.* opinionem, qua ordinatus ſine tactu hoſtiæ putat. ſe non ritè ordinatum, vocat *ſcrupulum*, ſicut & Valentia *Tom. 4. d. 9. q. 1. p. 5. in fin.* Palaus *hic punct. 4. n. 20.* pronuntiat, eſſe pro certo habendum, quòd non requiratur tactus hoſtiæ. Coninck quoque *Tom. 3. in 3. part. diſp. 20. n. 71.* etiam judicat, eſſe certum, ut patet ex ejus diſcurſu. P. Georgius de Rhodes recentiſſimus Scriptor *Tom. 2. diſp. Theolog. Tr. 12. in 3. part. ſect. 4. de Sacram. Ordin. §. 13.* rotundè ſic definit: *Certum eſt, non eſſe neceſſarium contactum hoſtiæ, patena ſuperpoſita, ſicut non requiritur contactus vini.* Idipſum eſſe *moraliter* certum, ſcribit Diana *Part. 10. Tr. 16. Reſol. 88.* poſt Palaum, Dicaſtillum, & Præpoſitum, cujus diſcurſum deſcribit. Conſentit recentiſſimus Stephanus à S. Paulo *in Theolog. Moral. Tr. 5. diſp. 7. n. 9.* mihi citato ſubſcribens.

106 Denique hunc tactum non eſſe neceſſarium, tradunt ultra citatos in terminis plurimi DD. apud Palaum *loc. cit.* Dianam *loc. cit. & Part. 2. Tr. 2. Miſcell. Reſol. 3.* Imò omnes, quos habeo DD. vel ita ſentiunt, vel nihil hac de re dicunt. Quod ſilentium eſt mihi pro negatione neceſſitatis, nam dicentes, tactum patenæ eſſe neceſſarium, exprimerent hoc ipſum de hoſtia, ſi hoc ipſum cenſerent de ea. *Argum. Cap. Nónne. De præſumpt.*

107 Accedit, quòd P. Coninck *loc. cit.* teſtetur, Epiſcopos ordinantes, & miniſtros iis aſſiſtentes non ſolere eſſe ſolicitos, ut tangatur *immediatè* hoſtia, & P. Valent. ſcribat, eam ſolere tangi *communiter.* Non ergo ſemper. Inſuper habeo penes me chirographum cujuſdam viri integerrimi I. V. Licentiati, atque Sacerdotis, qui ex officio interfuit Ordinationi multorum centenorum Sacerdotum, à Sapientiſſimis, Doctiſſimis, Religioſiſſimis Antiſtitibus creatorum. Eo chirographo exprimit hæc verba: *Alii* phyſicè *attigunt hoſtiam ſuprà patenam: alii tantummodo patenam.* Hæ rationes demonſtrant, planè errare Fernandez, & Fabrum, ratos apud Dianam *cit. Reſol. 185.* addentem *cit. Reſol. 88.* his duobus noſtrum P. Bernal. cum rationibus Fabri infirmis, *immediatum* contactum hoſtiæ eſſe de neceſſitate Sacramenti.

Dices: *Utique authoritas Fabri, Fernandez, & Bernal contraria gignit rationabile dubium cùm reddat opinionem illorum probabilem?* Reſp. Nego, prorſus nego, horum trium, etſi doctorum virorum, autoritatem ſufficere ad gignendum infimum gradum probabilitatis ejuſmodi opinioni, quia propoſitio contraria certæ nihil probabilitatis obtinet. Oſtendimus autem, noſtram reſponſionem eſſe certam. Adde, quòd Lugo *Reſp. Moral. Lib. 1. dub. 33. n. 4.* rectè aſſerat, ad dubium *morale* Ordinationis non ſufficere, quòd aliqui autores dixerint, illam non eſſe *validam*, ſi tamen conſtet, eos abſque fundamento ſufficienti id dixiſſe. Dicunt autem Faber, & Fernandez ſine fundamento id, quod de iis teſtatur Diana.

Urgebis. Coninck *loc. cit.* ſcribit, aliquos cenſere, eſſe tangendam *immediatè* hoſtiam. Sanchez *cit. dub. 2. n. 4.* teſtatur, quòd Sotus dicat, eſſe fortè verum, quòd non ſit opus tangere hoſtiam. Victorellus quoque in Em. Sa. *verb. Ordo n. 4.* indicat, haberi à P. Gregorio de Valentia pro probabiliore, quòd requiratur tactus hoſtiæ. *An non tantorum virorum autoritas reddit dubiam illam Ordinationem?*

108 Reſp. Illi, de quibus teſtatur P. Coninck, non loquuntur de neceſſitate tactûs ex vi valoris, ſed ex vi conſuetudinis, quia ante Coninck non nominatur ullus, qui requiſiverit illum tactum, tanquam *eſſentialem*. Verba Sanchezii, & victorelli ſunt intelligenda de tactu *phyſico* calicis. Certum enim eſt, neque Sotum, neque Valentiam ſtare pro imaginatione Fabri, ut fatebitur, qui leget. Unde rectè concludit Wigers *loc. cit.* non eſſe movendum ſcrupulum iis, qui juxta illam praxin fuerint ordinati, quod etiam ſcribit Scildere *de princ. conſc. Tr. 2. Cap. 9. n. 116.* atque indicat Stephanus à S. Paulo *in Theolog. Moral. loc. cit.*

Etſi autem illi, de quibus P. Coninck, arbitrentur, quem teneri ſub gravi peccato tangere *immediatè* hoſtiam, ego tamen id nego cum R. Palao *cit. num. 20.* quia nulla aut lex, aut con-

Digitized by Google

aut conſuetudo ad id graviter, obligat, multò minùs periculum, ne, ſi non tangatur, Ordinatio reddatur irrita; etenim tam parum ejuſmodi periculi imminet hinc, atque imminet, ſi Neomyſta veritus, ne habeatur pro quadrato ruſtico, ſi immittat digitos in calicem, abſtineat hâc immiſſione. Quare rectè ſcripſit Valentia in hunc modum: *Modò non ſcrupuloſe fiat, conſultum eſt, hoſtiam quoque ipſam attingere, ſicut etiam ſolet communiter fieri. Sed iſta ita notentur, ut non detur locus magnis ſcrupulis qui ſolent aliquando remanere in hoc genere poſt Ordinationem.* Ita ille, addente P. Leſſio *in 3. Part. De Sacramento Ordin. n. 17. Bonum eſt, eſſe diligentem in tangenda hoſtia*, Bonacina *loc. citat. Tutius eſt tangere hoſtiam.* Hæc accuratiùs, quàm mei anteceſſores, conſcripſi in gratiam ſcrupuloſorum.

Ex quibus infero, peccaturum mortaliter, qui hiſce lectis, peteret iterari in ſe Ordinationem Sacerdotalem ex ea ſola cauſa, quòd ſciret, non fuiſſe tactam à ſe hoſtiam; eſt quippe ſacrilegium, iterare Ordinem ſine prudenti dubio de valore, ut declarabimus *Caſ. VI.* Quid ergo dicemus de illo, qui non ſcit, hoſtiam non eſſe tactam à ſe, ſed ſolùm putat, vel timet? præſertim ſi ſit ſcrupuloſus. Hæc planè omnia jam erant commiſſa *ſecundo, tertióque* prælo, hujus Alphabeti, cùm iis lectis, dedit literis ad me exaratis Prælatus, ſapientiâ, (quam libri defæcatiſſimi ab ipſo in lucem editi conteſtantur,) dignitatéque ſummâ notiſſimus Urbi & Orbi, occaſionem, imò cauſam annectendi hanc

Appendicem Nobilis Sacerdotis.

a *SCripta R.V. legi cum magna delectatione, ſiquidem nemo clariùs ipſâ explicat, ad Ordinem ſacerdotii recipiendum ſufficere contactum calicis, & patenæ ſine contactu hoſtiæ; qua doctrinâ penitus reſpiravit Nobilis ſacerdos. Si quid hac ſuper re ſcribet confirmando, quæ impreſſit, inſcribat literis N. Datum N. 10. Martii Anno* 1674.

Ita literæ & ſuggerentes prædicatum, ſeu epitheton præſentis Appendicis, & ſubdentes calcar ad corroborandam illam doctrinam in ſolidiſſimam non unius duntaxat, ſed plurium, ſeu nobilium, ſeu ignobilium animi quietem.

b Dico igitur 1. atque ſcribo: Nequit nunc abſque nota ſuperſtitionis aſſeri, tactum *immediatum* hoſtiæ, requiri ad valorem Sacerdotii, ac proinde iterandam eſſe ordinationem peractam abſque tali tactu. Probo ex *cap. 2. De tranſl. Epiſc. §. Romani*, ibi: *Quod non eſt SS. Patrum Decreto ſancitum, ſuperſtitioſis NB. adinventionibus non eſt præſumendum.* Quo loco Innocentius III. conditor illius prolixi, adeóque ſæpiſſime allegari ſoliti Canonis, loquens de re ſpirituali, ſeu Canonicâ, juréque ſacro, atque utens phraſi Capituli *Conſuluiſti 2. q. 5.* afficit notâ *ſuperſtitionis* illos, qui abſque rationabili cauſa aſſerunt, eſſe à Pontificibus circa jura ſacra aliquid ſtatutum, cùm non ſit à parte rei ſtatutum.

c Et verò tactum hoſtiæ, factum ex opinione, quòd ſit neceſſarius ad ſubſtantiam Sacerdotii, iterandúſque actus exercitus abſque tali tactu, annumerandum eſſe ſuperſtitionibus *theologice, propriéque* dictis, & conſequenter eſſe ex genere ſuo noxam lethalem, evadit manifeſtum ex iis, quæ *in Alphabet. Quadrupl. part. 4. Caſ. XXII. ſect. 1.* refero ipſe ex S. Thoma, communíque Theologorum, quòd videlicet ſuperſtitio ſit vitioſus cultus veri, aut falſi Numinis; tactus autem hoſtiæ procedens ex opinione, quòd ſit neceſſarius ad recipiendum characterem ſacerdotalem, gratiámque *actualem* annexam ex ordinatione divina, atque repetitus, ſi fortè ſit prætermiſſus, eſt vitioſiſſimus, utpote nixus falſâ, temerariáque, ut paulò pòſt demonſtrabo, imaginatione, repetitio quoque eſt verè ſacrilega.

d Confirmatur inde, quòd alii atque alii Theologi, quos nomino in eodem *Caſ. XXII. ſect. 2.* ſuperſtitionis damnent exercentes ad honorem Dei opera, quæ tamen non cedunt ad honorem Dei, ut quando vovetur res indifferens, manens indifferens, collocatur fides & ſpes in aliquo certo numero precationum, circuitionum &c. Jejunatur feſto Natalis Domini, aut Paſchatis, recitatur in Miſſa hymnus Angelicus, aut ſymbolum, cùm non deberet. Et utique damnandæ ſuperſtitionis reus eſſet, qui, ut tantò ſit certior de valore conſecrationis, Baptiſmi, Abſolutionis, repeteret bis, térve formulas abſque rationabili dubio, an priùs rectè pronuntiâſſet, quemadmodum oſtendi *Tract. 1. & 2.* ſuis locis, igitur & ille eſt ſuperſtitioſis accenſendus, qui contra mentem totius venerabilis Antiquitatis, ipſiúſque adeò Eccleſiæ, ut eſſe hunc, mox videbimus, cenſet, illum contactum eſſe ad rem, ter, quatérque ſacratiſſimam neceſſarium, atque ductus hâc vanâ, falſâque perſuaſione tangit hoſtiam, vel ſi non tetigit, poſtulat conſecrationem repeti. Hoc ſanè non eſt Sanctorum Patrum Decreto ſancitum, imò potiùs contrarium, ergo ſuperſtitioſis adinventionibus annumerandum.

e Dico II. Eſt, hac ſaltem ætate, temerarium, docere, aut ſentire, prædictum tactum exigi ad ſubſtantiam Sacramenti Ordinis; ſiquidem opinio ut minimùm temeraria eſt, quæ in re gravis momenti, & religionis aliquid affirmat, abſque gravi ratione, vel autoritate, contra ſenſum communem, & Theologorum, & totius antiquitatis, ipſiúſque adeò Eccleſiæ; ſic enim, ut minimùm, ſententias temerarias deſcribunt Theologi, atque in his P. Vaſquez in

Digitized by Google

in 1. 2. diſp. 62. num. 13. & P. Tannerus *Tom 3. diſp. 1. de fide q. 8. dub. 5. num. 991.* opinio autem de neceſſitate tactûs in præſenti materia eſt talis. Nam in primis deſtituitur omni etiam veroſimili ratione, eſt quippe infirmiſſima, miniméque probabilis hæc ratiocinatio Philippi Fabri apud Dianam *Part. 1. Tract. 16. Reſ. 88.* Pontificale præcipit tangi materiâ porrectam, porrigitur autem hoſtia, ergo.

f Reſpondeo enim, ab eodem Pontificali determinari, quænam materia ſit tangenda, dum expreſſè dicit: *Cuppam calicis, & patenam ſimul tangant.* Ubi quia æque nulla ſit mentio hoſtiæ, ac vini, de qua tamen vel maximè dubitari poterat, locum planè hîc habet ſaltem reſpectu hoſtiæ illud Innocentii *in cit. cap. 2. De tranſl. epiſc.* Si fieri voluiſſet, poterat (id eſt debebat) exprimere. Nec etiam ſubſiſtit altera ratio Fabri: Chriſtus dedit Apoſtolis in ultima cœna panem in manus, ergo cùm præſcripſerit materiam hujus Sacramenti, ſequitur, tactum hoſtiæ eſſe neceſſarium. Negatur enim meritiſſimò hæc conſequentia. Tum quia Faber ſuum antecedens intelligit de pane vel nudo, & ſic ſapit hæreſin, *Chriſtus* enim *commendans* (in ultima cœna Apoſtolis) *corpus ſuum, ferebat illud corpus in manibus ſuis*, inquit Auguſtinus *in Pſal. 33. concl. 1.* ex ſenſu omnium Catholicorum. Vel jam conſecrato, & ſic inferam: Ergo ſicut Chriſtus tradidit in manus Apoſtolorum panem jam conſecratum, ita & Neomyſtis præbenda eſt neceſſariò hoſtia conſecrata. Tum quia non ſubſiſtit illatio à valde diverſis, eſt autem magna diſparitas inter factum Chriſti, & Pontificis initiantis, Chriſtus enim præbuit hoſtiâ manducandam, ergo neceſſariò tangendam *immediatè*. Hæc puto ſi expendiſſet Faber, non fuiſſet conatus in ſcholas, & mores inducere ſuam novam ſpeculationem. Sed neque eſſe quidquam deferendum hac in re autoritati contrariæ, jam dixi, probavíque *n. 107.*

g *Tertiò*: Illa ipſa nova doctrina repugnat ſenſui communi Theologorum, ſiquidem ultra eos, quos præcedentibus §§. expreſſos jam nominaveram in prioribus editionibus, ita ſentiunt S. Bonaventura, cum & apud Petrum Marchantium ſuprà *num. 93.* Ioannes Wigers *in Supplementum tertiæ partis q. 34. n. 13.* reſolvens, non eſſe hîc locum ſcrupulis, Eſcobar *Theolog. Moral. Lib. 23. ſect. 2. n. 191.* referens *num. 189.* complures alios, intérque hos Ludovicum de S. Iuan, P. Didacus Avendanno *Tom. 2. Problematum n. 1342.* Mathias Corona *De dignit. & poteſtat. Epiſcop. Tr. 2. cap. 17. §. 9. num. 10.* Theologi Illuſtriſſimi Monaſterii ad S. Gallum in ſuo inſigni Curſu Theologico, *Tom. 10. Tract. 3. quæſt. 1. dub. 3. num. 3.* citantes pro noſtro dogmate Victoriam *De Sacram. Ordinis num. 230.* ſicut ultra hactenus nominatos, pro hac eadem ſententia ſtat etiam Boſcus *loc. cit. num. 175. & num. 176.* aſſerens, haberi ab omnibus pro indubitata. Pro illa ipſa habent tum Lezana in ſumma Verb. Ordines Sacri: tum allegati à Palao Vaſquezius, à Diana verò *Part 2. Tract. 2. Reſ 3. Miſcel.* Zambranus, Summa, Corona, Valentia, Bonacina, Fornarius, Nugnus, Chamerota, Ledeſma, Vega, Victorellus, quibus addit idem Diana *in Part. 10. Tract. 16. Reſol. 88.* Leandrum de SS. Sacram, *Tom. 2. Tr. 6. diſp. 3 q. 24.* allegantem plures alios. Poſtremò Illuſtriſſimus dignitate, ſapientiâ, profundâ eruditione Princeps Dom. Auguſtinus Reding. de Biberegg toties hactenus nominatus, & porrò nominandus *Tom. 6. Theolog. Scholaſt. diſp. decima, art 2. Controverſ. 3. num. 9.* tanquam irrationabiliter vocatum in dubium ſupponit, *immediatum* tactum hoſtiæ eſſe haud magis neceſſarium, quàm vini. Eſt autem hic *ſextus* Tomus ipſo Autore præſente luci datus noviſſimè, ſcilicet Anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo quarto.

Ex quibus apparet, hanc ſententiam eſſe certò communiſſimam Eccleſiæ Doctorum, & adeò quidem, ut, licèt Sanctgallenſes videantur inclinare in contrariam de valore, attamen *abſolutè* ſcribant, non eſſe repetendam inaugurationem illius, qui hoſtiâ non tactâ *immediatè*, fuit conſecratus. Ego tamen inſiſtendo principio ſuprà *n. 98.* poſito, & probato, nego omnem veram probabilitatem dictæ ſententiæ, alioqui deberem concedere, eſſe *morale*, & prudens dubium, an talis ſit verus ſacerdos, éxque hoc *morali* dubio certiſſimò inferrem: Ergo repetat, ſeu petat repeti ſacram Ordinationem.

Adhæc hanc eandem ſententiam, quam impugno, adverſari ſenſui Matris Eccleſiæ, liquet inde *primò*, quòd valde ſit abſurdum cogitare, omnes Doctores, Italos, Hiſpanos, Gallos, Germanos, exceptis tribus Neotericis, diſſentire in re omnium propè ſacratiſſima à ſenſu Eccleſiæ. *Secundò* quòd uſus non unius, vel alterius Prælati, ſed communis eorundem demonſtret, illam communem ſententiam comprobari conſenſu Eccleſiæ, ut argumentatur P. Præpoſitus. Equidem certum eſt, haud ſemel, ſed ſæpe, ut liquet ex dictis *n. 107.* fuiſſe omiſſum illum tactum, de quo lis præſens, eſt tamen inauditum à ſæculo, & in Eccleſia Dei, factam fuiſſe repetitionem, ſicut è diverſo non uno, ſed pluribus exemplis ſuprà indicatis, & aliis duobus apud Boſcum *loc. cit. num. 116.* manifeſtum eſt, factam fuiſſe iterationem Sacerdotii collati per tactum calicis vacui. Sanè non diſſimulâſſent Theologi omnes hanc iterationem, ſi facta fuiſſet. *Tertiò*, quòd certiſſimum ſit, ordinationem Græcorū peractam abſque præbitione, tactúve inſtrumentorum, haberi ratam ab iis, qui totam repræſentant Eccleſiam, ſummis Pontificibus, Cardinalibus, Prælatis Romanis, ut vidimus ſuprà *num. 95.* Similiter veriſſimum eſt, quod ſuprà h

Digitized by Google

ſuprà ex Marchantio, atque Hallier retuli de primo, alteróque ſæculo Chriſtianitatis, quòd videlicet fuerint uſque ad tempora S. Stephani Papæ & Martyris, creati ſacerdotes per ſolam Chirotoniam, dicunt autem omnes Theologi cum Jureconſultis, mutationem præſertim in re Sacramentorum, communi toti Eccleſiæ non eſſe præſumendum, ſed validè probandam, correctionem quoque Jurium cavendam. Suprà *in Append. Lit. b.* Reſcripſit idem S. Stephanus: *Nihil innovetur, niſi quod traditum eſt*, id eſt, ſtetur traditione majorum, nihilque novi in rebus ſummi ponderis innovetur agendo, vel docendo; innovetur, inquam, à perſonis privatis.

i *Poſtremò* obligatio repetendi ordinationem eſt magnum onus, non igitur aſſerenda ſine graviſſima ratione, ut toties repeto. idoneáque autoritate probo in hoc toto volumine; re autem verâ, quas producunt rationes illi triumviri, carent vero pondere, & gravitate, tametſi apparenter turgeant. Ex quibus infero, cum Soto, & Wigers, opinionem de invaliditate ordinationis, abſque *immediato* tactu hoſtiæ peractæ, eſſe merum ſcrupulum, cum Diana, & Avendanno *loc. cit.* contrariam eſſe *moraliter certam*: cum Rhodes eſſe *abſolutè* certam: cum Ferdinando de Caſtro Palao eſſe pro certa habendam, cúmque hac certitudinis aſſeveratione impono finem huic diſſertationi mutuatâ phraſi S. Auguſtini *Epiſt. 208.* ad Maximinum: *Rebaptizare* (reordinare) *Catholicum* (ſacerdotem non tactâ hoſtiâ initiatum) *immaniſſimum ſcelus eſt.*

k Sed ecce: hiſce jam deſcriptis ab amanuenſi, redduntur mihi literæ Prælati, cui petenti tranſmiſeram hoc meum de ſententia Fabri judicium, his formalibus conceptæ.

Appendix, quam R. V. incluſit ſuis ad me datis 16. Aprilis digna eſt &c. pleniſſimè Reverentia Veſtra, ſatiſfecit fluctuanti ſacerdoti, qui anchoram fixit in ſua doctrina, qua ſe ſperat, perpetua tranquillitate inpoſterum fruiturum. Omnia graviter & clariſſimè explicata ſunt ex eo Theologia fundamento, ut omnis conſcientiæ ſtimulus viro optimo, & Nobili exemptus penitus ſit. Gratias ille agit plurimas pacatori ſui cordis. Romæ 12. Maji Anno 1674.

Quod reſcriptum refero non ea ex cauſa, quam mihi affingit Anonymus confutatus in Apologia ad calcem *Tract. præcedentis*, ſed ea ſola de cauſa, ut hujus viri optimi & Nobilis exemplo inducam ad omnem ſcrupulum deponendum, ſi quis fortè initiatus abſque tactu hoſtiæ legerit ea, quæ produxi in medium.

l *At quo pacto ſuccurrendum erat illi, jam multis abhinc annis quotidie ad aram Sacrificanti, & quidem Theologiæ Moralis plurimùm ſupra vulgus perito viro, qui binis literis efflictim me rogavit, ut ſibi eximerem hoſce, ut loquitur,*

Sex moleſtiſſimos ſcrupulos, & Dubia.

PRimò, *quòd initiandus ſacerdotio non tetigerit ſuperiorem partem cuppæ planam, & ſolùm inauratam, ſed inferiorem, quæ veſtita eſt, ut perſæpe fit, argento, ita ut tetigerit ſolùm aliquem nodum, aut prominentem, aſperámque particulam illius adjecti parergi argentei.* Secundò, *quòd ſolo unico digito.* Tertiò, *quòd illâ parte digiti, quæ adhuc madebat ex oleo, tetigerit.* Quartò, *an practicè tutum ſit, quòd Ordo per ſaltum collatus valeat?* Quintò, *vel collatus per impoſitionem manûs Epiſcopalis tecta chirothecâ?* Sextò, *an ſit certum, quòd ſubſiſtat Ordo ſacerdotalis, quem quis accepit ab alio Epiſcopo, quàm à quo Diaconatum?*

Reſpondeo, certum eſſe, nullum ex his defectibus obeſſe valori ordinationis. Ad *primum* enim quod attinet, adeò indubitatum eſt, tactum *immediatum* illius argentei nodi, aut fortè ſpuriæ gemmæ ſuffeciſſe, ut quamvis doctrinæ odioſæ ſint reſtringendæ, attamen ea, tum quæ de veniali damnat laicum temere tangentem calicem vacuum, tum quæ de mortali tangentem tunc, dum eſt in eo ſanguis Chriſti, extendatur certò ad illos, qui conſecratum calicem temere apprehenderent illis argenteis lamellis, ſtriis, figuris variis cinctam cuppæ partem. Conſequenter dicendus eſt & ille tangere propriè, qui uno tantùm digito unam particulam ejuſmodi parergi. Ratio deſumitur tum ex communi modo loquendi, cujus ſummam rationem habendam eſſe, toties in hoc Volumine repeto. tum ex iis, quæ Doctores notant, dum explicant ſeu Regulam: *Acceſſorium*, ut nominatim Peckius, Strenius, Barboſa *Axiom. 4.* ſeu vulgatum Axioma: *Dignius trahit ad ſe minùs dignum, Leg. Quæ Religioſis ff. De rei vindicat.* ſeu doctrinam §. *Si quis autem. Inſtit. De rerum diviſ.* ut Mynſingerus, & Manzius: Ea, quæ habent diverſam naturam, ſi acceſſoriè annectantur rei diverſæ, tum res annexa recipit naturam principalis, cui eſt annexa. Barboſa *loc. cit. n. 9.* m

Addo, quòd Boſcus *Part. 4. De Sacrament. diſp. 10. ſect. 2. n. 174.* poſt P. Ioannem Præpoſitum ita firmiter credat, tactum *mediatum* inſtrumentorum ſufficere ad valorem, ut aſſerat, eſſe *moraliter* certum, quòd valeat ordinatio (qua de re vide plures autores ſuprà *n. 100.*) illius, qui patenam tetigit mediante ſolo tactu calicis, cui impoſita ſit, adeò ut opinio exigens *immediatum* tactum patenæ non ſit, eo judice, probabilis. Qui autor *n. 176* præmiſerat, ex ſententia Præpoſiti, ſuſtinentis valorem tactûs *mediati* (& quam ipſemet approbat, quid diceret de illo, de quo movetur *prima* ſcrupuloſi quæſtio? Cùm rectiſſimè dici queat, n

ipſum-

Digitized by Google

ipſummet calicem eſſe tactis parergis argenteis *immediatè, phyſicéque* tactum) ſequi, quòd etiam calix ſufficienter tangatur, tactâ (quam à ſe tactam fatetur ille vir optimus ſimul & Doctiſſimus) patenâ ſolâ, quia quando duo præbentur per modum unius tangenda, tacto uno illorum *immediatè*, cenſetur alterum ſufficienter tactum. Denique P. Præpoſitus apud eundem Boſcum teſtis eſt, ſemet interfuiſſe Romæ ordinationi peractæ ad Epiſcopo Græco, per ſolam, ut conſueverunt, manuum impoſitionem duntaxat *mediatam*, ita ſcilicet ut Epiſcopus illam Ordinationem exequatur mediante pallio, quo tegit verticem presbyterandi. Accedit his tum autoritas illorum qui apud P. Didacum Avendanno *in Problem. Theolog. Part. 1. ſect. 30. num. 1336.* aſſerunt, tactum (*mediatum*) ſolius vini, aut ſolius hoſtiæ ſufficere ad valorem, tum ea, quæ hujus ipſius *Tract. VIII. Caſ. XXI.* proferemus *in Append. Doctorali*, de renuente extremè ungere corpus pueri variolis prorſus undique obliti.

o Ad *alterum* dubium *lit. l.* propoſitum reſpondeo, meritò ab Avendenno *loc. cit. num. 1342.* poſt Sanchez relatum ſuprà *num. 61.* & P. Præpoſitum, haberi pro vera doctrinam de ſufficientia (ad valorem) tactûs facti unicâ manu, & ratio eſt, quia nos non debemus aſſerere, quidquam ſpectare ad eſſentiam Sacramenti, niſi ad id nos adigat autoritas Scripturæ, aut Eccleſiæ, quando aliunde ſubſiſtit vera forma Sacramentalis. Boſcus *cit. ſect. 2. n. 164.* Atqui ex una parte liquet, ſubſiſtere illam veritatem, tametſi tactus fiat unâ ſolâ manu; aut uno ſolo digito: ex altera nec Scripturæ, nec Eccleſiæ mos indicat illam neceſſitatem. Equidem in Pontificali, in quo fit tam frequens, reflexáque mentio Rituum neceſſariorum, & etiam non neceſſariorum ad ſubſtantiam inaugurationis, nec verbulo innuitur uſus utriuſque manûs. Vide de tactu ſuprà *num. 61.*

p Ad *tertium.* Scrupulus ille eſt inaniſſimus, tum quia aliàs graviter delinqueret Eccleſia mandando fieri illam functionem; ſic enim daret perpetuam occaſionem impediendi tactum neceſſarium, cùm vix poſſit calix aliter tangi, quàm particulâ digiti delibutâ oleo, tum quia nulli ſano venit hactenus in mentem, dubitare, quin propriiſſimâ, & omnibus familiari locutione dicatur quis alterum *immediate* tangere, qui tangit totâ manu illitâ atramento, butyro &c. Et quando olim in ludis Olympicis Athlethæ nudi, totóque corpore peruncti luctabantur. An non ita propriè ſe tangebant, ut ſi tactus alterius nudi fuiſſet ſub pœna capitis vetitus, tales fuerint certò minuendi capite? Quare immeritò ille Sacerdos, de quo hîc ſermo, alteris literis me *ſummopere rogat*, ut etiam ab hac ambiguitate ſe liberem.

q Ad *quartum*, eſt utique id tutiſſimum, nam ita ſentiunt Gloſſa, aliíque omnes Canoniſtæ ſcribentes *in capit. Unic. de Cleric. per ſalt. promot.* & Avila *de Cenſur. part. 7. diſp. 9. ſect. 1. dub. 2.* disertè ſcribit, eſſe ſupponendum tanquam certum, quòd quis recipiat verum Ordinem, quamvis de laico *immediatè* fiat ſacerdos, probatúrque inde manifeſtè, quòd Innocentius III. relatus *cit. Capit. unic.* ad Caſum, quo P. Presbyter Diaconatûs ordine prætermiſſo, ad ſacerdotii ordinem promotus fuerat, ſolummodo reſpondeat, eſſe initiandum Diaconatu, & *ſic* NB. permittendum eſſe miniſtrare in ordine ſacerdotis: illa enim dictio *ſic* eſt demonſtrativa ad oculum, quoad formam, & modum ſervandum. Barboſa *dict. 365.*

r Quare non eſt dicendum cum Boſco *cit. diſp. 10. num. 121.* eſſe communiorem & *veriorem* ſententiam, quòd Ordo Sacerdotalis nec à Prima Tonſura, nec ab ullo Ordine *eſſentialiter* pendeat, ſed eam ſententiam eſſe unicè, certóque veram, alioquin Innocentius III. quem Cardinal. Bellarmin. *De Scriptor. Eccleſ.* s teſtatur, fuiſſe virum *multæ pietatis, & doctrinæ, nec minoris prudentiæ*, graviter impegiſſet in Regulas prudentiæ, providentiæque, ſi non expreſſè mandâſſet reiterari ſacerdotium, ſiquidem particula *ſic* conceſſionem reſtringit ad præcedentia. Barboſa *loc. cit.*

t Ad *quintum*, ſcripſi ſuperiùs, Epiſcopos Græcos imponere presbyterandis manus interjecto pallio, addidi ex Boſco tactum *immediatum* nuſpiam præſcribi, addo, nunc eſſe certiſſimum, quòd Cenſuram Canonis: *Si quis ſuadente* incurrat, qui manus etiam chirothecâ tectas injecit injurioſè in ſacerdotem, háncque cenſuram incurrendam, tametſi canon diceret: qui *immediatè* manus injecerit.

u Ad *Sextum*: Scrupuloſi idcirco ſæpe inſaniunt, quòd non faciant reflexionem ad ea, quæ publicè peraguntur ab, & coram viris ſapientiſſimis, ut ſanè quotidie contingit cum candidatis Ordinum, qui jam hunc Ordinem hic, jam alium alibi ſuſcipiunt, nemine ullam faciente difficultatem, moventéque ſcrupulum. Repetant ſcrupuloſi ſexcenties auream ſententiam, quam ſuprà *lit. b.* ponderavi, ſcilicet non eſſe ſuperſtitioſis adinventionibus præſumendum, quòd non eſt Sanctorum Patrũ Decreto ſancitum, & ſingulariſſimè nihil, planè nihil cogitandum eſt pertinere nunc ad valorem ullius ſacri Ordinis, niſi clarè, & irrefragabiliter probetur autoritate Canonum, Pontificiorúmque reſponſorum, cùm enim ſalus æterna infinitorum hominum pendeat à valore Sacerdotalis, Epiſcopaliſque Ordinis, capita Eccleſiæ haud ſatis providè poſt tot ſæcula Chriſtianitatis occurriſſent variis, graviſſimiſque erroribus, ſi non determinâſſent ea, quæ vel *eſſentialiter*, vel ſaltem *ſub graviſſimo præcepto* exiguntur ad illos duos Ordines.

x Quòd ſi Lector nôſſe cupiat, quid emolumenti ſpiritualis attulerint ſuperiores reſolutiones, diſcet ex literis, quas 9. Ianuarii hujus

Anni

Digitized by Google

Anni 1675. ad me dedit is, cujus ſingulari commodo eas conſcripſeram: ſic ergo ille: *Literis R. V. quas rependam gratias, ignoro, fateor enim, tanto per eas me cumulatum eſſe beneficio, ut ejus prædicandi, etſi voluntas minimè deſit, facultas me penitus deſtituat. Rediit animo tranquillitas, medicante charitatis pleniſſimâ R. V. manu. Doleo quidem, quòd meâ causâ labore moleſto onerata fuerit; rogo tamen, ut nullam illius pœnitudinem in animum admittat, cùm ego quidem fructum exinde referam multiplicem, ſua autem Reverentia meritum coram Deo non mediocriter auxerit.*

Vellem, ut in actu *ſecundo* mererer (accipere nullatenus opto) parem gratiarum actionem pro reſponſo ad hunc

Alterius Scrupuloſi Caſum.

y *Audivi, qui hoc de ſe dubium proponeret: um Sacerdos & Curator animarum, aliquo modo tamen dubius circa meam Sacerdotalem Ordinationem, licétne mihi ſine ſcrupulo & impedimento bonâ conſcientiâ pergere in adminiſtratione Sacramentorum, exempli gratiâ Euchariſtiæ, Confeſſionum &c. Dubium autem in his(quantùm ego ſcio, & memini) conſiſtit. Ille Sacerdos, cùm in Clericum ab Epiſcopo attonderetur, non dixit illa verba* Dominus pars hæreditatis meæ & Calicis mei; tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi. *Ignorans nempe, illa debere cum Epiſcopo pronuntiari ab ordinando. Et ita putat, ſe nullum Ordinem ſuperiorem bene ſuſcepiſſe, quia dubitat de Prima Tonſura quæ eſt janua ad reliquos Ordines ſacros (uti Baptiſmus ad Sacramenta) Et ſicut non fit Matrimonium validum, niſi utraque pars ſenſibiliter conſentiat, ita iſte putat, ſe non ſatis conſenſiſſe in ſuſceptionem Clericatûs, quia illa verba nullo modo protulit, quæ ex ſenſu quaſi* naturali *Matrimonium Spirituale & Clericale ſignificare videntur.* Secundò *putat, aut timet idem ipſe, valde, uti credit, rationabiliter, ne candelabrum, & urceos, cereum &c. tetigerit, vel nimis ſerò poſt prolata ab Epiſcopo verba, vel etiam omnino non, alterutrum ſaltem, ſed tantùm unum, ac proinde materiam tantùm acolythatûs inadæquatam. Videbatur mihi eſſe utcunque ſolicitus circa hæc. Ideo Reverentiam veſtram pro eo rogo, ut nodum bene nobis ſolvat, ne eum ampliùs premere poſſit.*

z Ita nonnemo ex Diœceſi Biſuntina. Cui reſpondi, eum aliquando clarè cogniturum ex iis, quæ hic proximè ſcripſi, non poſſe ob illos defectus, etſi poneremus, eſſe revera commiſſos in dubium revocari vel ordinationem in Preſbyterum, vel Sacramenta poſtmodum adminiſtrata: nec eſt de ratione contractûs aut *in genere*, aut *in ſpecie* matrimonialis, ut conſenſus manifeſtetur verbis propriè dictis: locum verborum ſupplebat ſufficienter corporalis præſentia, quam ibi, & tunc præſtabat ille ſcrupuloſus dubitantius, ſiquidem animus magis facto, quàm verbis declaratur *L. Reprehendenda*, & ibi Gloſſ. *C. De inſtit. & ſubſt.*

Sed *quomodo pellendus erat ſcrupulus, quem exhibet ſequens*

Caſus oppoſitus priori?

Priori inquam, propoſito ſuprà *num. 102.* cùm *Diodorus ordinandus Sacerdos tetigit quidem* imediatè *hoſtiam, fuitque conatus tangere etiam* immediatè *patenam, ſed magnopere dubitavit, an revera contigerit hanc* immedjatè *eámque ob rem ſubiit, pulſavitque aliquot annis animum hæc anxia cogitatio*: Fortè non es ritè ordinatus Sacerdos. *Quomodo huic medendum?* 109

Novi hunc Diodorum, quem levâſſet omni ſcrupulo P. Ioannes Præpoſitus, niſi Diana, & Buſenbaum obſtitiſſent. Etenim, referente eodem Diodoro, P. Præpoſitus *in 3. Part.* aſſerit, eſſe ferè certum, valere talem Ordinationem, nec repertum iri Epiſcopum, qui propter omiſſum *immediatum* tactum patenæ eſſet cuiquam rurſum impoſiturus manus. Certè non impoſuiſſet Petrus Marchantius relatus ſuprà *n. 106.* nec Sanctgallenſes *cit. dub. 3. pag. 421.* addentes tamen, patenam quoque eſſe ex præcepto Ritualis Romani tangendam. At verò Diana *in Summa* inducitur ſcribens, valere quidem probabiliter illam Ordinationem, at nihilominus iterandam eſſe. P. Hermannus Buſenbaum *in Medulla Lib. 6 Tract. 5 c. 2 dub. 1.* ſic ſcribit: *Contactum* phyſicum, *&* immediatum *materiæ* remotæ, *etſi, non eſſe* eſſentialem, *aliqui probabiliter doceant, contrarium tamen communius eſt, at tutius, ut alterâ ſaltem manu tangatur, imò ex præcepto ad ſcrupulum vitandum utrâque manu, & quidem omnia, v. g. calix cum patena, hæc cum hoſtia, ut docet Filliucius.* Ita Buſenbaum, ſatis clarè indicans, eſſe communius, tutius, & in præcepto, ut *immediatè*, & *phyſicè* tangatur & patena, & hoſtia.

Ego tamen, ſalvo meliori judicio, & aſſentiente mihi quoad ſubſtantiam Stephano *loc. cit.* arbitror, nihil prorſus probabilitatis habere opinionem de neceſſitate *eſſentiali* tangendi *immediatè* & *phyſicè* patenam ſimul, & hoſtiam, ſed ſufficere, ſi præter calicem tangatur *immediatè* hoſtia impoſita patenæ, quia nullus apex ſcripti juris indicat, ſeu patenam, ſeu 110

ho-

Digitized by Google

hoſtiam eſſe *immediatè* tangendam, cùm enim oſtenderimus, tactum hoſtiæ nullo modo eſſe neceſſarium caſu, quo patena tangitur *immediatè*, non poteſt cum ulla veriſimilitudine exigi tactus *immediatus* patenæ, quando fuit *immediatè* tacta hoſtia; etenim neceſſitas hujus *immediatè* tactûs nequit provenire, niſi ex voluntate Eccleſiæ. Suprà *n. 57.* non poteſt autem ullo probabili argumento oſtendi, Eccleſiam induxiſſe hanc neceſſitatem, ſiquidem unica cauſa, ob quam præcipitur tactus inſtrumentorum, eſt, ut illo tactu ſignificetur poteſtas, & miniſterium. Suprà *n. 41.* ſignificatur autem multò aptiùs per tactum hoſtiæ, quàm patenæ, ſi ergo ſufficit, ut verè ſufficit, tactus patenæ ſolius, caſu, quo hoſtia eſt illi ſuperpoſita, potiori jure ſufficit tactus *immediatus* hoſtiæ ſuperpoſitæ patenæ. Propter quod aliquid eſt tale, illud eſt magis tale, tactus patenæ continentis hoſtiam eſt ſufficiens propter hoſtiam ſuperpoſitam, ergo tactus hoſtiæ eſt magis ſufficiens. Denique tactum *immediatum* ſolius calicis ſufficere, tradunt in terminis Henriquez, Filliucius, Bauny, Petit, relati ſuprà *num. 100.* cum Nugno *in Additionib. ad 3. Part. quæſt. 34. art. 5. difficultat. 2. ſub fin.* P. Eſcobar, & aliis.

Non obeſt, quòd Concil. Florent. ſuprà *n. 41.* tradat, materiam eſſe illam, per cujus traditionem confertur Ordo, confertur autem per traditionem patenæ. Nam reſpondeo, conferri per traditionem patenæ cum hoſtia, adeóque ſufficere tactum vel patenæ vel hoſtiæ.

111 Ad autoritatem Dianæ quod attinet, nihil ejuſmodi habet Diana *in Summa Colonienſi Verb. Ord materia. n. 3.* Imò hic Doctor *Part. 6. Tr. 8. Reſ. 19.* interrogatus ab aliquo Illuſtriſſimo Antiſtite, an *validè* ordinatus eſſet, qui in Ordine Sacerdotii tetigerat calicem tantùm, non autem patenam, teſtatur, ſe reſpondiſſe *affirmativè*, non factâ ullâ mentione iterationis, quam certè mentionem facere debuiſſet, ſi exiſtimâſſet, eſſe repetendam Ordinationem; ille quippe Antiſtes erat ſine dubio magis ſolicitus de *practica*, quàm *ſpeculativa* reſponſione, & in fine ejuſdem reſolutionis nihil aliud pro praxi dicit, quàm quòd ſit curandum, ut tam calix, quàm patena *immediatè* tangatur, graviterque proinde peccaturum, qui ſecus faceret cum advertentia. Verum quidem eſt, quòd idem Diana *Part. 10. Tr. 16. Reſ. 68.* exprimat, repetendam eſſe inaugurationem, illius, qui tetigit calicem, & non patenam, ſed non loquitur de caſu, quo una cum calice eſt tacta *immediatè* hoſtia poſita ſupra patenam, ſicut neque P. Dicaſtillo *Tom. 2. in 3. Part. Tr. 6. Diſp. 1. dubio 14.* aut P. Tannerus *Tom. 4. Diſp. 7. quæſt. 2. num. 14.* E diverſo tradit in terminis P. Scildere *De principiis Conſcientiæ formandæ Tract. 2. cap. 9. num. 116.* non videri reordinandum ſub conditione eum, qui in Ordinatione Sacerdotali *immediatè* cuppam Calicis, & hoſtiam attigit, non autem patenam hoſtiæ ſuppoſitam, niſi mediante hoſtiâ, nam talis ſaltem *mediatè* tangit patenam, & infra digitos concludit, licèt ex una parte calix ſit interjectus, ex altera hoſtia: nec ſolida ratio poteſt afferri, cur vinum ſufficienter tangatur, mediante calice, non ſufficienter mediantibus eodem calice, & hoſtiâ, patena, quæ his duobus eſt comprehenſa pro verè, & ſufficienter tacta habeatur. Quin imò P. Præpoſitus *in 3. Part. quæſt. un. De Sacram. Ordinis num 89.* cenſet, ac rationibus probat, fore illum verè Sacerdotem, cui Epiſcopus præberet ultra Calicem tangendam hoſtiam ſeparatam à patena, adeóque porrectam *immediatè.* Verba ejus deſcribit Diana *cit. Reſol. 88.*

Quòd ſpectat Patrem Buſenbaum, hoc ipſo quòd citet Filliucium, indicat, ſe non docere aliud, quàm doceat Filliucius, ſicuti qui aliquam legem citat, intelligi debet ſecundùm legem, quàm allegat. Coccinus *in Deciſ. Rotæ Deciſ. 291.* poſt Bartol. *in L. Non ſolùm ff. De libert. n. 7.* Atqui Filliucius non exigit *immediatum* tactum patenæ, ut fatebitur, qui legerit, quæ de hoc argumento conſcripſit *Tr. 9. num. 38. & 43.* Unde etiam præmiſerat *n. 35.* ſi quis ordinatus ſit per tactum duntaxat *moralem*, non eſſe neceſſariò repetendam Ordinationem. 112

Dico IV. Forma, qua datur poteſtas conſecrandi, eſt hæc: *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, Miſſáſque celebrare tam pro vivis, quàm defunctis in nomine Domini. Amen.* Cujus formæ poſtrema verba: *In nomine Domini. Amen.* utique non ſunt de eſſentia, quod etiam puto (tacentibus hîc cæteris Theologis) eſſe negandum de reliquis, exceptis primis: *Accipe poteſtatem offerre Sacrificium Deo.*

At quid videtur pronuntiandum de hoc

Caſu imperiti ſui muneris?

113 DOmnus, *dum accederet ad Sacerdotium accipiendum, prohibitus fuit à Magiſtro cæremoniarum parum muneris ſui perito, ne tangeret calicem, & patenam, dum Epiſcopus verba illa formæ proferret*: Accipe poteſtatem &c. *Sed* immediatè *poſt formam totam prolatam juſſus fuit tangere: dubitavit poſtea de valore, & ſecuritate ſuæ Ordinationis, & an poſſet, vel deberet iterum ſub conditione ordinari?*

Ita omnino loquitur Cardinalis de Lugo *Reſponſ. Moral. Lib. 1. dub. 33. n. 1.*

Reſp. 1. Tam Miniſter ille, quàm Epiſcopus egerunt contra Rubricas Pontificalis Romani, quod ita ſonat: *Cuppam calicis, & patenam ſimul tangant* (Preſbyterandi) *Pontifice ſingulis dicente*: Accipe poteſtatem &c.

2. Illa Ordinatio fuit *valida*, licèt forma 114
non

non fuerit pronuntiatâ tunc, cùm reipſa tangebatur calix. Lugo *loc. cit.* teſtans, eſſe hoc *moraliter* certum, licèt nonnulli diſſentiant. Et Palaus *cit. Tract. 27. punct. 4. num. 20.* ait, eſſe pro certo habendum, afferens hanc in rem Sa, Henriq. Bonacinam, Laymannum. Et teſtatur Lugo, fuiſſe quidem multos Epiſcopos à Domno, de quo hic Caſus, rogatos, ut eum iterum ordinarent, conſtanter tamen recuſâſſe, non audentes, ob leviſſimum illum ſcrupulum, ſacram Ordinationem etiam, *ſub conditione*, reiterare. Probatur reſponſio *inprimis* à ſimili, quia de facto, quando multi in una Ordinatione accipiunt Subdiaconatum, aut etiam Diaconatum, Antiſtes profert tantùm ſemel formulam, in numero plurali, ut vidimus *Caſu III. num. 44.* & tamen præbet uni poſt alterum tangendas materias neceſſarias. *Deinde* nullâ probabili ratione oſtenditur, debere in hoc Sacramento conjungi *phyſicè* ſimul materiam *proximam*, & formam. Quia tamen Cajetan. *in Opuſcul. Tract. 26.* & Navarrus *in Man. cap. 22. num. 17.* loquentes in ſpecie de Ordine, tanti, inquam, viri poſt Paludanum, apud, & cum Silveſtro *Verb. Unct. §. 7.* exigunt in hoc etiam Sacramento *phyſicam* conjunctionem formæ cum traditione, tanquam *eſſentialem*, idcirco nolim illam noſtram ſententiam vocare *moraliter* certam.

115 3. Utrùm, ſpectatis omnibus principiis *intrinſecis*, & *extrinſecis*, fuerit repetenda, an potuerit repeti illa Ordinatio dicam *Caſ. VI. num. 209.*

116 4. Si quis ex Sacratiſſimo Ordine Reverendiſſimorum Dominorum Epiſcoporum ex me ſciſcitaretur, utrùm poſſet ſine peccato mortali imitari Ordinatorem Domni, dicerem ego poſt Bardi *De Conſcient. Diſcep. 6. cap. 21. p. 6. § 2. n. 5.* non poſſe, niſi interveniente cauſâ gravi. Ratio eſt, quia ſaltem charitas debita proximo exigit obſervari hac in re Rubricas Pontificalis, nec enim dubito, quin plerique ferrent ægerrimè, & gravibus ſcrupulis cruciarentur, ſi viderent ſe ita ordinari, & ordinatos, ut apparet exemplo illorum, de quibus in ſimili loquemur *Caſ. VI. num. 164.* Certè non reor, vivere multos Epiſcopos, qui non valde graviter ſenſiſſent, ſi tali ratione fuiſſent inaugurati in Sacerdotes; ergo utantur eâ lege in alios, quam vellent erga ſe adhiberi *Argument. leg. Quod quiſque. ff. eod.* Poſtremò miniſter Sacramentorum tenetur generatim ſequi ſententiam tutiorem, ſaltem ſi conformis ea ſit communi conſuetudini loci. DD. *in materia de conſcientia probabili.*

117 Dico V. Licèt *concluſ. 1.* dixerim, ſacerdotium ſaltem *inadæquatè* conferri per traditionem calicis, & patenæ, non confertur tamen *adæquatè* per illam, ſed ad ſacerdotium *ſubſtantialiter* perfectum exigitur probabiliter impoſitio illa manuum, quam facit Epiſcopus poſt Communionem, dum ait ſingulis: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis.* Eſt hæc ſententia multò magis communis in Eccleſia, inquit P. Dicaſtillo *Tract. 6. De Sacram. Ordin. dub. 10. n. 145.* citans multos pro ea, & alios addens P. Tannerus *cit. quæſt. 2. num. 73.* oſtendénſque S. Thomam non fuiſſe alienum ab hac ſententia, etſi abſque dubio diſſentiant Silveſter, Sotus, Valentia, alii, rati, totam planè materiam & formam *eſſentialem* hujus Sacramenti conſiſtere in traditione calicis, ac patenæ, cum vino, & pane, ac formâ ſuperiùs relatâ. Ratio noſtra eſt, tum quia & Patres, & antiquiſſima Concilia perſæpe ſcribunt, ſacerdotes creari *per manuum impoſitionem*, ipſum quoque Concilium Tridentinum *Seſſ. 23. Can. 4* apertè dicit anathema iis, qui dicunt, per Sacram Ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde Epiſcopos fruſtra dicere; *Accipe Spiritum ſanctum.* Ude exiſtimat Petrus Marchantius *cit. quæſt. 3. concl. 2.* hanc doctrinam eſſe de fide. At cauti Sanctgallenſes *loc. cit.* meritò abſtinent tali cenſurâ, inferunt tamen inde, non poſſe quem extremè ungi ab eo, cui defuiſſet ejuſmodi impoſitio manuum, ſeu Chirotonia, quod etiam mihi probatur.

Dices: *Ergo poteſt quis realiter conſecrare* 118
Corpus Chriſti, antequam poſſit abſolvere à veniali conſtitutum in extremo agone? Reſp. Optima illatio. *At quid cenſes de hoc*

Caſu formidato, & formidando?

D*idacus aliquantulum malè habens corpore, acceſſit Ordinationem publicam, ſed peractâ traditione, tactúque debito Calicis, ac Patenæ, ita aucta fuit debilitas ut propè deſperaret, poſſe à ſe exſpectari impoſitionem manuum Epiſcopalium. Intulit tamen vim ſibi ipſi, atque ſubjecit verticem manibus Reverendiſſimi, & Illuſtriſſimi Domini Ordinatoris. Quæſitum poſtea ex me fuit, quid cenſerem fuiſſe faciendum caſu, quo revera nequiſſet perſiſtere uſque ad illum articulum temporis, & ſanctiſſimæ actionis?*

Narro, quod contigit hic loci, & reſpon- 119
deo. 1. Certum eſt, talem, ſi ſuas Primitias ſolennes celebrâſſet, non petitâ illâ impoſitione manuum, fuiſſe *validè* conſecraturum. Etenim omnes fatentur, Neomyſtam, ſi habeat intentionem conſecrandi materiam, quam Epiſcopus ipſum ordinans tenet in manibus tempore conſecrationis, revera conſecrare, ſ poſito, quòd formulam abſolvat ante omnes alios, nec dubium eſt, quin S. Thom. ita ſenſerit. 2. Non video ullum *per ſe*, ſeu ſpectato ſolo jure *Divino*, peccatum, tametſi Didacus ſuas illas Primitias celebrâſſet, ante impoſitio-

Digitized by Google

nem manuum, licèt enim poteſtas abſolvendi ſupponat *eſſentialiter* poteſtatem conſecrandi, cùm prius ſit, habere poteſtatem in Chriſti Corpus verum, quàm in Myſticum, attamen nec *accidentaliter* quidem dependet prior à po-
120 ſteriore. 3. Fuiſſet nihilominus *per accidens*, ſeu ex jure *poſitivo* obligatus ille Sacerdos petere impoſitionem manuum ante ſuas Primitias. Nam *cap. Paſtoralis. De Sacr. non reiter.* expreſſè decernit Pontifex, eſſe in Diacono, qui acceperat impoſitionem manuum, cautè ſupplendum, quod fuerat incautè prætermiſſum. Confirmatur ex iis, quæ dicam *Caſ. VI. n. 226.* cum Sanchez *Lib. 7. Conſ. Moral. cap. 1. dub. 13.*
121 4. Et abſque omni dubio peccâſſet mortaliſſimè, ſi tentâſſet excipere Confeſſiones, non acceptâ impoſitione. Etſi enim probabile eſt, poteſtatem abſolvendi impertiri cum traditione calicis, & patenæ &c. contraria tamen ſententia eſt, ſi non probabilior, ſaltem probabilis, ergo extra caſum extremæ neceſſitatis non eſt practicanda prior, ſine conſenſu pœnitentis
122 expreſſo. 5. Prætermiſſa impoſitio manuum debuiſſet ſuppleri non quocunque die, ſed die, & tempore præſcripto pro Ordinibus. Habetur expreſſè *in cap. Preſbyter. De Sacram. non iter.* Ubi eſt ſermo expreſſus de corporali impoſitione manuum omiſſa in Diaconatu, & Preſbyteratu. Qua deciſione confirmatur no-
123 ſtra *tertia* reſponſio. 6. Si Didacus cecidiſſet in deliquium in ipſo templo, potuiſſet, durante deliquio, fieri illa impoſitio, nec enim deerat tunc Didaco voluntas ſufficiens ad reci-
124 piendam illam partem Sacramenti hujus. 7. Si ægritudo durâſſet eo die, potuiſſet, meo judicio, ordinari Dominicâ proximè ſequenti. Etenim *Caſ. XII.* oſtendemus, poſſe juſta ex cauſa Ordinationem Sabbatinam protrahi in ſequentem diem.
125 *At quid ſi interea prandiſſet, ſeu cœnâſſet uterque?* Reſp. Nihil obfuiſſet, quia impoſitioni manuum non debet præmitti jejunium naturale, conſtat enim ex Pontificali, illam actionem ſolere exerceri primùm poſt ſumptam ablutionem. Hæc de iſto Caſu, ab omnibus, quantum novi, præterito, videntur mihi dicenda, ſalvo meliori judicio.
126 Conſtat autem ex hactenus dictis, juxta noſtram ſententiam eſſe triplicem materiam *proximam* Preſbyteratûs, ſcilicet traditionem calicis, traditionem patenæ, & manuum impoſitionem.
127 Utrùm verò poſſet *validè* conſecrare, qui tetigiſſet ſolam patenam, aut ſolum calicem, & utrùm Character Sacerdotalis imprimatur in traditione illorum duorum inſtrumentorū, videri poteſt inter alios P. Dicaſtillo *cit. dub. 10. num. 147. num. 154. & ſeqq.*
128 Conſtat quoque, nos diſſentire à Cardinali Hoſio, arbitrato, Unctionem ſacerdotalium digitorum ſpectare ad ſubſtantiam Ordinationis, nam nec Concilia, nec Patres, aut alii Theologi quidquam tale inſinuant. Quia tamen certum eſt, eſſe cæremoniam antiquiſſimam, nec poſſe omitti ſine ſcelere, quæres, quid faciendum fuerit in hoc

Caſu inadvertentiæ Naturalis?

IN quadam Urbe Gallicana, in qua fui annis ab hinc 56. contigit per inadvertentiam naturalem magiſtri caremoniarum, ut is Pontifici uncturo digitos jamjam creandorum ſacerdotum, porrigeret ampullam ſacri Chriſmatis, dum debuiſſet olei catechumenorum, ut liquet ex Pontificali: illo igitur Chriſmate uſus fuit conſecrator. Quid ei agendum errore comperto? 129

Reſp. Si ſupererant adhuc aliqui ungendi, debebat utique abſtinere Chriſmate reſpectu illorum: & propter diſpoſitionem *cap. Preſbyter. De Sacr. non iter.* rurſum benè ungere malè unctos, non tamen opus erat repetere formam, quia nihil iterandum eſt. *cit. cap.*

Si verò errorem comperiſſet, peractâ jam 130
integrâ Ordinatione, cenſeo, non fuiſſe adhibendam aliam unctionem, cùm & in Chriſmate contineatur oleum catechumenorum, & certum ſit, diverſitatem ejuſmodi unctionis nihil prorſus facere ad ſubſtantiam hujus Sacramenti, & idcirco non videatur Eccleſia petere, ut cum tam multorum, ut ſolent eſſe, perturbatione, & nova Ordinatoris defatigatione corrigatur error ſanè non magnus.

Aliud pronuntiarem de caſu, quo fuiſſet 131
vice verſâ per errorem in adminiſtratione Confirmationis adhibitum oleum catechumenorum, aut infirmorum, ut unà cum Quintanadvenna, teſtante id factum eſſe in Hiſpania, trado *in Alph. Baptiz. & Confirm. Caſu XXI. n. 704.*

Claudo hanc de Neopreſbyteris materiam monitione duplici. *Prima*, ut, in quibus locis, ſicuti ferè ubique, juxta Pontificale Romanum, ſolet à talibus proferri cum Epiſcopo Miſſam celebrante, formula Conſecrationis, illam ita proferant, ut non præveniant Epiſcopum, ſicut inter cæteros monet providè P. Suarez *Tom. 3. in 3. Part. Diſp. 61. ſect. 4. in fin. Secunda*, ut forment expreſſam intentionem proferendi illa, eo ſenſu, quem petit Eccleſia. Ita idem cum cæteris communiter. Huic duplici monitioni ſubjicio duplicem quæſtiunculam.

Quæres enim I. *An reverà teneantur tales Neomyſtæ proferre illa verba Conſecrationis?* 132

Reſp. P. Dicaſtillo *Tom. 1. in 3. Part. Tract. 4. Diſp. 3. num. 231.* aſſerit teneri, & ut addit P. Quintanadvennas. *Singul. Tract. 6. Sing. 17.* ſub mortali, at hoc nego. 1. quia nullâ lege, nullâ generali conſuetudine probatur

hæc

Digitized by Google

hæc ſeveritas. 2. Quia P. Tannerus *Tom.4. diſp. 5. quæſt.9. dub.3. num.62.* teſtatur, hanc conſuetudinem non fuiſſe ſuo tempore obſervatam (etſi nunc obſervatur) in Diœceſi Eichſtadiana, in qua tunc vivebat, dum ea ſcribebat, neque in Archidiœceſi Moguntina, cui ſubeſt Eichſtadiana. P. Laymannus quoque *Lib. 5. Tract. 2. cap. 7. num. 5.* ſolùm dicit, id fieri ex conſuetudine ubique ferè recepta, & denique hanc conſuetudinem (licèt immeritò) reprehendunt tacitè, vel expreſſè Durandus, Gabr. Sotus Palatius apud Suarez *loc. cit.*

133 Quæres II. *Utrùm Sacerdotes illi novi revera conſecrent, ſi ante Epiſcopum abſolvant formulam?*

Reſp. Duplex eſt ſententia: una *abſolutè* negans, altera *ex hypotheſi* affirmans. Etenim magni DD. ut Richard. Angel. Cajetan. apud Suarez *loc. cit.* tradunt, illa verba proferri à Neomyſtis ſolùm *materialiter, & recitativè*, id eſt, eo ſenſu, quo recitarent in aliqua pia Comœdia, ſeu in eo ſenſu, quo ea proferunt, quando privatim Miſſam ſiccam coram aliquo inſtructore legunt, ad ſeſe exercendos, & probandos, priuſquam publicè ſacrificent primâ vice, tametſi mens Eccleſiæ inducentis illam recitationem eſt, ut proferant in ſignum poteſtatis verè conſecrandi ſibi conceſſæ, & in memoriam Cœnæ ultimæ, in qua Chriſtus coram Apoſtolis Miſſæ Sacrificium inſtituit, ſicuti loquitur Laym. *loc. cit. num. 6.* vocans hanc ſententiam *valde probabilem*, pro qua illam etiam habent Suarez *loc. cit.* ac Tann. *num. 65.* tametſi Cardinalis de Lugo *De Euchar. Diſput. 11. ſect. 8. num 163.* pronuntiet, nullo modo poſſe defendi.

Altera, & communior ſententia S. Thomæ dicit, ea proferri à Neomyſtis *formaliter*, ſeu in perſona Chriſti, & ita quidem, ut, ſi unus Neomyſtarum finiat totam formulam ante Epiſcopum, ipſe revera ſolus conſecret, non autem vel Epiſcopus, vel alii poſteriùs abſolventes, dummodo habuerit intentionem conficiendi Sacramentum, caſu, quo finiret priùs aliis. Quia verò eſſet maximum abſurdum, ſi Epiſcopus tunc revera non conſecraret, ideo monent, eſſe cavendum, ne finiatur à Neomyſtis formula ante Antiſtitem, formetúrque intentio non conſecrandi, ſi caſu præveniatur Antiſtes. Alii cum Quintanadven. *loc. cit.* addunt, omnes novos Sacerdotes unà cum Epiſcopo facere unum integrum Conſecratorem, etſi fortè abſolvant poſt Epiſcopum. Qui volet videre exactè tractatam hanc materiam, conſulat nominatum Cardinalem de Lugo, & P. Dicaſtillum *ll. cc.* Cæterùm, an Neomyſtæ teneantur ſub gravi peccato communicare in illo Sacro, aperiam *Caſ. IX. num. 339.* ſicut *in Tract. 3. Caſ. IV. n. 117.* reſolvi, an iidem *validè* alicui applicent Miſſam, quam celebrant cum Ordinatore.

134 Interim ut excellentiam ſuæ novæ dignitatis & meliùs agnoſcant, & ſanctis moribus exornare ſtudeant, juvabit memoria hujus

Caſûs Angelicæ reverentiæ.

S. Franciſcus Saleſius Ordinationem habuit Sabbato Quatuor Temporum Quadrageſimæ, cùm Ordinandorum numerus magnus eſſet, repertus unus, homo peregrinus, ignotúſque, cæterùm cui Deus id contulerat prærogativæ, ut eum ſuo conſpectu Angelus Cuſtos dignaretur. Deprehenſum id ex eo, quòd, cùm novus ille Sacerdos ſecundùm Ordinationem ex æde ſacra exiturus hæſiſſet ad templi januam, quaſi primas officioſè alicui itidem exire paranti deferens, & privatim ex homine ad ſe accedere juſſo, quæſiſſet Epiſcopus, quid id tandem rei eſſet: Faſſus eſt ingenuè ſervus Dei, ideo ſe in limine ſubſtitiſſe, quòd, cùm jam diu frueretur familiari conſuetudine Angeli Cuſtodis ſui, ille haud cunctanter ad eam diem, dum talia inciaebant, præiviſſet, ubi primùm Sacerdos creatus eſſet, juſſus eſſet ab eodem antecedere. Id verò, cùm novum ſibi accidiſſet, & inſolens, non potuiſſe facere ſe, quin cunctaretur. Oblectavit mirum in modum famulum Dei obſervantia iſta SS. Angelorum erga Sacerdotes; proinde quoties deinceps Ordinationes habebat, factum inculcabat Sacerdotii candidatis, quo dignitatem ipſi ſuam cognoſcerent, animadverterentque, quantâ demum veneratione dignum ſit Sacerdotium.

Jam deſcripto, ad *primam* editionem, toto 135
hoc libello, nactus ſum editam Coloniæ Anno 1663. Vitam Excellentiſſimi Præſulis Franciſci Saleſii Epiſcopi, & Principis Gebennenſis, ſeu Genevenſis Anno 1661. in Beatorum numerum ſolenniter ab Alexand. VII. deinde in Sanctorum à Clement. IX. relati autore Illuſtriſſimo D. Maupas Epiſcopo Aniciensi, in cujus *Part. 4. cap. 4.* legere eſt hoc præclarum teſtimonium Dignitatis Sacerdotalis, & ſimul ſtimulum ad ſectandam puritatem Angelicam.

ORDO EPISCOPATUS.

CASUS V.

Authenticus, & Dogmaticus.

SUMMARIUM.

Caſus Epiſcopi non nulli in ſua Ordinatione. 136.
Ordinatio Epiſcopi eſt verum Sacramentum. 137.

Qua materia, & forma? Ibid.
Qui ritus? 139.
Epiſcoporum epitheta. 141.
Eorum Ordinatio ſupponit eſſentialiter *Preſbyterium.* 142.
Abbas non propriè conſecratur. 144.
Epiſcopi Titulares *ſunt veri Epiſcopi.* 145.
A quibus ordinandus ſit Epiſcopus? 146.
Deſcribuntur varia officia, & dignitates perſonarum Eccleſiaſticarum. 149. *& ſeqq.*
Quid ſit Dignitas Eccleſiaſtica? Quid Officium? Quid Perſonatus? Ibid.
Qui Archidiaconi, Decani, Præpoſiti, Plebani? 150. *& ſeqq.*
Quomodo olim fuerint electi Epiſcopi? 155.
De Archiepiſcopis, Patriarchis, Primatibus. 157. *& ſeqq.*
De Pallio ſolito mitti Archiepiſcopis. 159.
Sunt quatuor Patriarchæ 160.
De Cardinalibus nonnulla. 163.
Quando cœperint eligere ſoli Pontificem? Ibid.

136 *Epiſcopo Bracarenſi, qui in conſecratione ſua ſacram non acceperat unctionem; quoniam apud vos non conſueverunt Pontifices, cùm conſecrantur, inungi, veniente ad Apoſtolicam Sedem, Nos, quod illi defuerat, mandavimus ſuppleri, facientes caput ejus, & manus per Epiſcopum Albanenſem (aſſiſtentibus ei duobus Epiſcopis) & ſecundùm morem Eccleſiaſticum ſacro Chriſmate deliniri.*

137 Eſt hæc phraſis, doctrina, deciſio *Cap. Unici De Sacr. Unct.* tradita, & facta ab Innoc. III. circa quam, & cætera pertinentia ad Ordinem Epiſcopalem, noto breviter has receptas doctrinas.

I. Ordinatio Epiſcopi eſt verum Sacramentum. Ita contra Scotum, Sotum, alios, tenent Medina, Valentia, alii apud, & cum Palao *Tract. 27. punct. 3.* addente, eſſe tantùm *inadæquatè* diſtinctum à Sacerdotio, cùm *eſſentialiter* includat hoc. Ratio concluſionis eſt, quia Trident. Concilium *Seſſ. 23. cap. 3.* definiens Ordinem eſſe Sacramentum, probat id ſolùm ex Epiſtola *1. ad Tim. cap. 4.* & *ex 2. ad eundem cap. 1.* in qua tamen non fit mentio ulla Ordinationis, niſi illius, per quam Timotheus fuit conſecratus in Epiſcopum. Vide plura *Caſ. III. n. 86.* Ejus materia juxta P. Vaſquez *Tom. 3. diſp. 240. cap. 5.* & alios plures eſt impoſitio manuum facta à tribus Epiſcopis, forma autem ſunt hæc paucula, ſed energetica verba: *Accipe Spiritum Sanctum.* Quæ quidem proferunt ſimul omnes tres Epiſcopi, ut patet ex Pontificali. Addunt alii, ad eſſentialem materiam quoque ſpectare Evangeliorum impoſitionem ſupra cervicem, & ſcapulas electi. Dicaſtillo *Tom. 1 in 3. Part. Tract. 6. De Ordin. Diſp. 1. num. 126.* Unctio verò illa, de qua fit mentio in noſtro Caſu Dogmatico, non ſpectat ad eſſentiam, alioquin Græci, (nam illam Bracaram fuiſſe urbem Græciæ, notat Gloſſa *in cit. cap. Unic. De Sacr. Unct.*) caruiſſent veris Epiſcopis.

II. Ordo Epiſcopatûs eſt jure *Divino* præſtantior Ordine Preſbyteratûs. Omnes Catholici poſt Trident. Concil. *Seſſ. 23. can. 6. & 7.* 138
ita tandem definiens poſt longiſſimam diſceptationem deſcriptam à Cardinali Pallavicino *Part. 3. Hiſtoria ejuſdem Concilii.* Ratio eſt, quia jure *Divino* Epiſcopus poteſt conſecrare Sacerdotes, & Epiſcopos, poteſt etiam inſignire Sacramento Confirmationis, non autem ſimplex Sacerdos.

III. Quando Epiſcopus conſecratur, adſunt 139
tres Epiſcopi, quorum unus vocatur *Conſecrator*, duo alii dicuntur *Aſſiſtentes*, exercentur verò hæ cæremoniæ. 1. Conſecrator, accepto libro Evangeliorum, illum apertum, adjuvantibus Epiſcopis Aſſiſtentibus, nihil dicens imponit ſuper cervicem, & ſcapulas Electi. 2. Conſecrator, & Aſſiſtentes Epiſcopi ambabus manibus caput conſecrandi tangunt dicentes: *Accipe Spiritum Sanctum.* 3. Conſecrator pollicem dextrum intingit in ſacrum chriſma, & caput electi inungit formans ſignum crucis, & dicens: *Ungatur & conſecretur caput tuum cæleſti benedictione in Ordine Pontificali.* 4. Con- 140
ſecrator Chriſmate inungit ambas manus ſimul junctas Electi dicens: *Ungantur manus iſtæ &c.* 5. Conſecrator benedicit Baculum paſtoralem, & benedictum tradit Electo in manus, dicens: *Accipe Baculum paſtoralis officii, ut ſis in corrigendis vitiis piè ſæviens &c.* 6. Idem Conſecrator benedicit Annulum, aſperſúmque aquâ luſtrali immittit in digitum annularem manûs dexteræ, dicens: *Accipe Annulum fidei, ſcilicet ſignaculum, quatenus Sponſam Dei, Sanctam videlicet Eccleſiam intemeratâ fide ornatus, illibatè cuſtodias. Amen.* 7. Conſecrator accipit librum Evangeliorum de ſcapulis conſecrati, & adjuvantibus Epiſcopis Aſſiſtentibus tradit eum clauſum conſecrato, tangenti illum ſine apertione manuum, dicens: *Accipe Evangelium, & vade; prædica Evangelium populo tibi commiſſo &c.* 8. Denique Conſecrator recipit conſecratum ad oſculum pacis, ſimiliter, & Aſſiſtentes Epiſcopi dicentes ipſi conſecrato, *Pax tibi*, & ipſe reſpondet ſingulis: *Et cum Spiritu tuo.*

Placuit hæc omnia deſcribere ex ipſomet 141
Pontificali, cùm ut faciliùs intelligatur, in quonam conſiſtat *eſſentialis* ratio Ordinationis Epiſcopalis, tum ut Venerabiles DEI Sacerdotes, qui mea Alphabeta lectitant, recognoſcentes, quàm multis, quámque auguſtis cæremoniis Supremo Pontifici Chriſto IESU conſecrentur ii, à quibus fuêre ipſimet initiati, ſummâ, infimâ reverentiâ eos proſequantur, atque non ut homines, ſed ut verè Unctos Domini conſiderent: memores, illos meritò nuncupari ſummos Sacerdotes *cap. Un. de Sacr. Unct.* Principes Sacerdotum *c. Cleros. diſt. 21.*

San-

Sanctiſſimos. *Authent. De Sanctiſſ. Epiſc. coll. 9.* Legatos Chriſti *c. Accuſatio quoque 2. quæſt. 7.* Fratres Summi Pontificis. *Cap. Quàm gravi. 6. De crim. falſ.* Aſtra Cœli à S. Greg. *Lib. 4. Ep. 38.* Referentes imaginem Chriſti à S. Ignatio Martyre *in Epiſt. ad Smirnenſes.* Honorandos, ut Chriſtum, ab eod. Sanct. *ibid.* Terreſtres Deos à S Clement. *Conſtit. Apoſtolic. Lib. 2. cap. 30.* Secundùm Deum Parentes noſtros, ab eodem *Ib.* Ob quos titulos, horúmque fundamentum, longè plurimi, ſanctiſſimi ſimul & doctiſſimi Viri repudiârunt oblatas Epiſcopales Tiaras, horum nonnullos exprimit Auguſt. Barboſa. *De poteſt. Epiſc. pag. 88.*

APPENDIX.

AD Confirmationem ſuprà dictorum de neceſſitate, *per ſe loquendo*, trium Epiſcoporum, pro conſecratione Epiſcopi refero ex teſte omni exceptione majore, D. Reding *citat. Tom. 6. quæſt. 10. art. 2. Controverſ. 1. num. 10.* fuiſſe ex delegatione Innocentii X. Epiſcopum Lauſanenſem (Iodocum) conſecratum quidem ab uno ſolo Epiſcopo, & Abbatibus Sanctgallenſi & Einſidlenſi (quorum hic poſterior, Illuſtriſſimus, inquam, D. Placidus ſuam infulam laudatiſſimè geſtatam tranſtulit poſt fata in eundem Dominum teſtem, ſubtiliter defendentem valorem talis delegationis.) At quia hæc delegatio non fuerat expreſſè, ſed tantùm præſumptivè facta reſpectu Epiſcopi N. idcirco fuit inauguratio inde ſecuta habita pro dubia ab Illuſtriſſimo Domino nuntio Apoſtolico N. mandatáque iteratio; nec immeritò mandata propter ingentia mala, quæ conſequi ſolent Epiſcopi invalidam (qualis probabiliſſimè fuit ea, quam hîc refero) conſecrationem, trahentem ſecum obligationem repetendi collationem ſaltem trium majorum Ordinum, Conſecrationem Chriſmatis & Calicis, benedictionémque Olei infirmorum, uti liquet ex iis, quæ ſuis locis retulimus de neceſſitate talis conſecrationis, & benedictionis. Circa actus meræ juriſdictionis, nihil ſcrupuli fuerat habendum, cùm hi non pendeant à charactere.

IV. Ordo Epiſcopatûs ſupponit *eſſentialiter*
142 Sacerdotalem, ita ut, ſi quis non ritè ordinatus ſacerdos reciperet omnia, quæ ſuprà enumeravimus, non eſſet futurus verus Epiſcopus. Palaus *cit. Tract. 27. punct. 3. n. 4.* ex communi; addente tamen P. Ludovico de Scildere *in Synopſi de Sacramentis cap. 7.* Sicut ad ſui valorem Epiſcopatus non requirit *eſſentialiter* Confirmationem, aut Diaconatum, ita etiam non omnino improbabiliter nec Sacerdotium; ita ut ſicut Epiſcopus non Confirmatus *validè* confirmat, ita ipſe non Sacerdos *validè* ordinaret. Sed de hoc judicent alii; ego non velim ita loqui.

V. Ejus munus eſt, Ordines conferre, chriſ-
143 mate ſignare Chriſtianos, conſecrare chriſma, olea infirmorum, & catechumenorum, templa, calices, & univerſim omnia, ad quæ adhibetur chriſma, quamvis multa horum poſſint per Pontificis voluntatem delegari ſimplicibus Sacerdotibus.

VI. Porrò quando quis in Abbatem conſe- 144
cratur, non conſecratur propriè, ſed ſolùm benedicitur. Aſcanius Tambur. *Tom. 1. De jure Abb. diſp. 11. q. 1* quia videlicet non uſurpatur chriſma in ejus creatione, ſed tantùm aliæ variæ cæremoniæ, quæ habentur etiam in Pontificali, & propter quas meritò DD. Abbates afficiuntur honore peculiari. Solus igitur Epiſcopus propriè conſecratur.

VII. Epiſcopi *Titulares* ſunt veriſſimè, pro- 145
priiſſimè Epiſcopi, etenim eodem prorſus ritu conſecrantur, quo illi, qui ſunt prædìti *actuali* juriſdictione, & hoc nomen eſſe nomen non ſolùm *Officii*, ſeu *juriſdictionis*, ſed vel maximè *Dignitatis*, certum eſt ex Trident. Concil. *Seſſ. 23. Can. 6. & 7.* ut proinde tituli expreſſi *n. 141.* conveniant iis. An verò vice verſâ ſint propriè Epiſcopi illi, qui habent quidem veram juriſdictionem in totum Epiſcopatum, non tamen conſecrati ſunt? Dubitabit quiſpiam. Certè vocantur *abſolutè*, & ſine modificatione Epiſcopi ab ipſis Summis Pontificibus, itémque doctis, & indoctis. Nec dubium eſt, quin etiam hic titulus iis competat, ſi attendatur ad derivationem vocis *Epiſcopus*. Ea enim vox Græca ſignificat inſpectorem, ſeu ſuperintendentem *cap. Cleros. diſt. 21.* Ergo dic, vocem *Epiſcopus* ex uſu communiſſimo ſignificare æquè officium, ac ſignificat dignitatem.

VIII. Epiſcopos conſecrari debere à tribus 146
Epiſcopis patet eſt noſtro Caſu Dogmatico, idque eſt juris *Divini*. juxta Vaſq. *Diſp. 243.* & alios contra alios cum Diana *Part. 12. Tr. 1. Reſ. 29* ita tamen, ut ex diſpenſatione Pontificis poſſit fieri per unum Epiſcopum, & duos ſimul ſacerdotes ſimplices. Idem ex communi. Conſtat enim id non ſemel factum, & quidem bis ab Innocent. X. ut videre eſt ſuprà *n. 141. in App.* & apud P. Scildere *De princ. form. conſcient. Tr. 2. c. 9. n. 117.* contra nonnullos id negantes. Factum quoque ab Alexandro Septimo apud P. Terillum *Tract. De conſcientia probabili fol. 384.* At verò negat P. Azor. *Part. 2. Lib. 3. cap. 30. quæſt. 4.* contra Gl. poſſe per ullam Pontificis demandationem fieri, ut à tribus ſimplicibus ſacerdotibus impertiatur *validè* conſecratio talis. Illud ſingulare, & illuſtre, quòd S. Stephanum è Venerabili Ordine PP. Carthuſianorum aſſumptum propemodum per vim in Epiſcopum Dienſem Anno 1208. conſecrârint non ſolùm tres Epiſcopi, ſed tres Archiepiſcopi. Surius in ejus Vita *ad 7. Sept.*

Dices: *Quandoquidem ſcis, & ſcribis, tua Al-* 147
phabeta teri manibus præcipuè Parochorum, & Cooperatorum, his autem non ſuppetunt libri manuales, aut familiares, qui exhibeant aliquam notitiam variorum officiorum, ſeu dignitatum

Digitized by Google

Eccleſiaſticarum, de quibus tamen multa partim in Breviario, partim in ſuo (& utinam ſemper ſuo!) *Laymanno legunt, aut in familiari colloquio audiunt, fac id officii ipſis, ut hocloco, quo de Epiſcopatu diſſeris, aliquid etiam memores eorum, quæ circa indicata officia exiſtimas fore ipſis cognitu gratiora.*

148 Reſp. Faciam. At non merebor magnam gratiarum actionem, quia præter morem deſcribam permulta ad verbum, & quidem ex unico authore, ſcilicet ex P. Ioanne Azor *Inſtitut. Moral. part. 2. lib. 3.* quo per plura capita collegit, ac ſuo *Tomo ſecundo* inſeruit longè plurimas quæſtiones de officiis, ac dignitatibus Eccleſiaſticis. Quia tamen officium, quod præſtare volo meis aſſiduis Lectoribus, non ſpectat huc propriè, ideo tractationem inſignio nomine Appendicis Exorbitantis. Sit igitur

APPENDIX EXORBITANS.

De Dignitatibus, & Officiis Eccleſiaſticis.

149 Quæres I. *Quid ſit Dignitas Eccleſiaſtica? Quid Officium? Quid Perſonatus?*

Reſp. *Dignitas* eſt adminiſtratio rerum Eccleſiaſticarum cum juriſdictione conjuncta. *Perſonatus* verò habet prærogativam quandam ſine juriſdictione in Eccleſia, ut puta, cùm quis in choro in conſeſſu, in collegio, in præcedendo, ſuffragio ferendo habet ſedem, & locũ honorabiliorem, ac digniorem: *Officium* verò eſt adminiſtratio rerum Eccleſiaſticarum ſine juriſdictione. P. Azor *cit. Lib. 3. cap. 13.* Adeóque illi, qui in Eccleſiis Cathedralibus vocantur Cuſtodes, aut Sacriſtæ, aut magni Theſaurarii, ut Veſontione, ſi (ut plerumque fit) non ſint præditi juriſdictione verâ, in Subcuſtodes, & alios ſibi ſubordinatos, dicuntur habere duntaxat Officium, non Dignitatem. E diverſo Priores Reverendorum PP. Auguſtinianorũ, Carmelitarum, Carthuſianorum, Prædicatorũ, Servitarum &c. Guardiani RR. Patrum ex Ordine Seraphico, & noſtri PP. Rectores obtinent veram Dignitatem, utpote quibus convenit deſcriptio ſuperiùs allata; ut proinde meritò dicatur, eos poſſe officio, & munere Conſervatorum Apoſtolicorum (hi ſunt judices à Papa dati ad defendendos aliquos contra manifeſtas injurias, judiciali non utentes indagine *c. Statuimus. De off. jud. del. in 6.*) fungi, eiſque delegari cauſam à Pontifice Romano. Proinde, quando pro executione, vel Vidimatione literarum Pontificiarum fit mentio perſonæ *in Eccleſiaſtica Dignitate conſtituta*, poterit pauper P. Guardianus Ordin. Mendicantium, æquè ac dives D. Abbas Religionum Monaſticarum id præſtare.

150 Quæres II. *Quis ſit Archidiaconus, Archipresbyter, Decanus, Præpoſitus, & Plebanus?*

Reſp. I. Archidiaconus eſt quaſi primus, ſeu princeps Diaconorum, utpote & Diaconorum antiquiſſimus. Azor. *cap. 15. q. 1.* & cui olim præcipuè incumbebat onus dandi operam, ut cæteri Diaconi obirent rite ſua munera At verò ita poſtmodum excrevit ejus dignitas, & poteſtas, ut fuerit, ſitque Vicarius Epiſcopi *c. 1. De Offic. Archidiac.* & proinde juriſdictionem ordinariam in foro externo, etiam in Sacerdotes, obtineret, licèt ipſe non eſſet neceſſariò Sacerdos. Azor. *cap. 14 queſt. 2.* ſubdens *q. 7.* aliquas Eccleſias Cathedrales habere quatuor, alias ſex Archidiaconos. Noſtra Conſtantienſis, & vicinæ Auguſtana, & Baſileenſis nullos habent, at tantò plures Salisburgenſis Archi-diœceſis.

II. Archipresbyter, quaſi primus, ſeu antiquiſſimus Presbyterorum, eſt proximus dignitate poſt Archidiaconum, præditus juriſdictione in Presbyteros conſtitutos in ſingulis pagis, & caſtris, *c. Vt ſinguli. De offic. Archipresb.* Azor. *cap. 15.* Habet quidem Italia multos Archipresbyteros. Germania noſtra paucos. Etenim Illuſtriſſimi noſtri Domini Epiſcopi transferunt plerique in ſuos Vicarios Generales omnem juriſdictionem Archidiaconorum, & Archipresbyterorum. 151

III. Nullus quidem extat in jure titulus de Decanis, ſicut extat proprius de duobus prioribus, ipſorum tamen fit mentio *in cap. Dilectis. De appell.* illos in Francia, & Hiſpania nominari Decanos, qui præſunt toti Canonicorum Collegio in choro, conſeſſu, comitiis, & ſuffragiis ferendis, ita & vocantur in Germaniæ Eccleſiis Cathedralibus. Collegiatarum plurimæ nullos habent Decanos, ſed Præpoſitos. Etſi autem Azor *cap. 17.* teſtetur, Decanum Eccleſiæ Cathedralis poſſe in multis locis ferre ſententiam excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, haberéque propriam curam animarum reſpectu ſuorum Canonicorũ, id tamen non ubique obtinet, etſi enim prima correctio Canonicorum ſpectet ad Decanum, ſecunda ad Epiſcopũ, non ſcio tamen, utrùm illa ſe extendat ad excommunicationem, ſuſpenſionem &c. Clerici deſervientes Eccleſiæ Cathedrali ſubſunt *immediatè* Decano, non Vicario Generali, ſaltem in delictis minoribus. Sicuti, & Decanis ruralibus in hac Diœceſi faciunt Conſtitutiones jus corrigendi *minores exceſſus* ſuorum Capitularium, & mandant, ut ii ſingulis annis unà cum Camerario viſitent Eccleſias, ſacriſtias &c. Item beneficiorum, & beneficiatorum ædes, atque libros (*utinam diligentiſſimè!*) baptizatorum. 152

IV. Præpoſitus olim erat idem, qui Oeconomus, adminiſtrans videlicet proventus Eccleſiaſticos, & poſt Epiſcopum præſidens plebi. Azor. *cap. 18.* Communiter autem in Germania Præpoſiti Eccleſiarum Cathedralium ſunt, qui primam dignitatem obtinent 153

poſt

Digitized by Google

poſt Epiſcopum, ante ipſummet Decanum, at nullam juriſdictionem habent in Canonicos, imò nec ſpectant ſemper ad Capitulum. Qui verò præeſt cum parva, vel magna juriſdictione Eccleſiæ Collegiatæ, ſæpe honeſtatur nomine Præpoſiti, & talem Præpoſituram eſſe dignitatem Eccleſiaſticam, dicam ex occaſione *Tr. ſeq. n. 21. in App.* in qua quæro, an ſit compatibilis cum Suffraganeatu? Eſt autem notum Præfectos Collegiis Canonicorum Regularium, S. Auguſtini indigitari in Bullis Pontificiis, & ipſis illorum Regulis Præpoſitos. Quamquam nonnulli eorum etiam nuncupantur Abbates, ſicuti Reverendiſſimi Domini Creuzlingenſes ad mœnia urbis noſtræ Conſtantiæ, quos in Concilio Conſtantienſi ad Abbatialem dignitatem jure merito evexit Joann. XXIII. confirmante mox Martino V. Papâ laudatiſſimo. Item Reverendiſſimi Domini Wettenhuſani in Epiſcopatu Auguſtano, & alii communiter in Lotharingia, Aquitania, reliqua Gallia.

154 V. Aliquorum ſententiâ dicuntur Plebani illi, quibus committitur cura animarum in pagis, & parvis oppidis, & urbibus. Rectiùs vocaveris Plebanum illum, qui eſt Præfectus Eccleſiæ, ſive plebis habentis in ſua juriſdictione, & poteſtate Capellas, ſeu minores Eccleſias, quibus Vicarii in perpetuum, vel ad tempus præficiuntur. Azor *cap. 21.* ſubdens, Plebanos propriè vocari, qui in majoribus, celebrioribúſque oppidis conſtituuntur, quibus præter Eccleſiæ propriæ curationem certarum quoq; Eccleſiarum, & certorum Preſbyterorum, qui minoribus Eccleſiis præſint, inſpectio, & obſervatio committitur. In Conſtitutionibus noſtris Synodal. *Part. 2. titul. 5.* Plebani accipiuntur pro Parochis. Sicuti, & paſſim in Bullis, & Reſcriptis Papalibus per Rectores Eccleſiæ intelliguntur ii, quibus eſt immediatè, vel mediatè demandata procuratio illius, ut ſunt Parochi, & eorum abſentium Vicarii &c.

155 Quæres III. *Quomodo ſint intelligenda, quæ de electione Epiſcoporum tam diverſa traduntur in Breviario de Sancto Nicolao 6. Decemb. S. Ambroſio 7. ejuſdem, itémque in hiſtoriis Eccleſiaſticis?* Reſp. ex P. Azor *cap. 18.* habuiſſe quidem Apoſtolos ſingulos jus conſtituendi Epiſcopos, at poſt omnium mortem totum jus reſediſſe penes Succeſſores Petri, quorum partim *tacito*, partim *expreſſo* conſenſu factum, ut diverſis locis, ac temporibus Epiſcopi nominarentur à plebe, eligerentur à Clero, ut vice verſâ nominarentur à Clero, eligerentur à plebe. Aliquando autem à plebe, & ſimul à Clero, ſicut fuit electus S. Ambroſius, aliquando ab Epiſcopis totius Provinciæ, ut Sanctus Nicolaus. Aliquando à ſolo Clero civitatis, cui præeſſe debebat Epiſcopus. Etenim olim quælibet urbs proprium habebat Epiſcopum. Imò temporibus Apoſtolorum, & aliquamdiu pòſt plerique omnes Preſbyteri erant Epiſcopi ſimul. Aucto autem numero Preſbyterorum ii ſoli, qui præerant toti alicui urbi, fuerunt inſigniti dignitate Epiſcopali.

Porrò conſuetudo, qua juxta *cap. Nulla, &* 156
cap. Epiſcopos, diſt. 63. plebs ſimul, & totus Clerus eligebant Epiſcopum, duravit, teſte Azorio *cap. 18. quæſt. 3.* uſque ad tempora Caroli Magni qui vixit Anno 800. & ſeqq. Poſtea jus Cleri, & populi tranſlatum fuit in Imperatores, ab Imperatoribus rurſum ad plebem, & Clerum, & deinde ad ſolum Collegium Clericorum uſque ad tempora Clementis V. qui Eccleſiam rexit Anno 1305. & ſeq. At poſt Clementem rurſum conceſſerunt Pontifices Romani Regibus, ut Epiſcopos deſignarent, eligerent, inveſtirent, offerrent Pontifici inſtituendos. Illa porrò Inveſtitura fiebat dato Annulo, & porrecto Baculo. Hoc jure utuntur adhuc Reges Galliæ, Hiſpaniæ, Poloniæ, licèt cum aliqua diverſitate, & non præbendo Annulum, vel Baculum. At Germani Imperatores tum ante, tum maximè poſt Concordata inter Imperatorem, & Pontificem, permittunt liberam electionem Collegio Canonicorum.

Quæres IV. *De Archiepiſcopis, Patriarchis, & Primatibus, & eorum poteſtate.* 157

Reſp. I. Propriè Archiepiſcopus, ſeu Princeps Epiſcoporum eſt, qui præeſt alicui primariæ urbi alicujus provinciæ tanquam matri, & capiti cæterarum, unde etiam ſolet vocari Metropolitanus. Azor. *cap. 33* Quomodo nihilominus differat à Patriarcha, dicam paulò pòſt,
ſicuti, & quomodo à Primate. Communiter 158
habet ſub ſe alios Epiſcopos, qui vocari ſolent Suffraganei ipſius *cap. Suffraganeis. De Elect.* diſtinctiſſimi ab iis, quos Germaniæ noſtræ Illuſtriſſimi DD. Epiſcopi ſolent habere ſuos in Pontificalibus Vicarios, atque ſimul Titulares unius alicujus Epiſcopatus ſiti in Aſia, Africa, & partibus Europæ ſubjectis Turcæ Tyranno. Illorum ſuorum Suffraganeorum judex ordinarius, & immediatus eſt ipſe Archiepiſcopus, at illorum qui ſubſunt ejus Suffraganeis, judex non eſt communiter, niſi per appellationem. Azor. *cap. 34. q. 9.* Unde nec valet abſolvere excommunicatos à Suffraganeo, niſi hi appellaverint ad ipſum. *Cap. Venerabilibus. De ſent. excom. in 6.* ubi diſtinctè de hoc puncto.

Dices: *Audivi toties, mitti à Summis Pon-* 159
tificibus Pallia Archiepiſcopis, & tamen in meo Breviario ad diem 12. Martii lego, S. Gregorium M. negâſſe Syagrio Auguſtodunenſi Epiſcopo Pallium, niſi Neophytos hæreticos expelleret è Gallia. Quomodo quæ legi, concordant cum iis, quæ audivi? Et quid ibi intelligitur nomine Pallii? Reſp. Communiter quidem mittitur pallium ſolis Archiepiſcopis, ut liquet *ex c. Niſi. De autor. & uſu Pallii.* Ubi dicitur: *In pallio Pontificalis Officii plenitudo cum Archiepiſcopalis nominis appellatione confertur.* Attamen nonnullis Epiſcopis ex privilegio ſolet mitti, ac nominatim è noſtris Germanis Bambergenſi.

Digitized by Google

Azor. *cit. cap. 34. q. 3.* obſervans *q. 11.* pallium eſſe veſtem candidam ex lana alba contextam, habentem circulum humeros conſtringentem, & duas lineas ab anteriori, & poſteriori parte pendentes, & quatuor Crucis ſignis purpureis (jam ſunt nigra, ut ipſus vidi) diſtinctas, quorum unum habet in pectore, alterum in humero ſiniſtro, tertium in dextro, quartum in ſcapulis. Et proinde pallium non eſt multùm abſimile illi veſti, cum qua depingi ſolent SS. PP. Græci.

160 Patriarcha propriè differt ab Archiepiſcopo, éſtque hoc major, quia Archiepiſcopus præeſt ſolùm uni urbi, quæ ſit caput aliarum habentium Epiſcopos, adeóque ſolùm uni Provinciæ. At verò Patriarcha pluribus Provinciis; exercens proinde poteſtatem in Archiepiſcopos. Licèt verò ſecundùm jus Canonicum Patriarcha, & Primas non differant, attamen uſus obtinuit, ut quatuor, præter Summum Pontificem, præcipui Patriarchæ nominentur, ſcilicet Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus, Conſtantinopolitanus, cæteri verò minorum gentium Patriarchæ dicuntur aut Primates, aut minores Patriarchæ. Azor. *cap. 35.*

Nos in Germania noſtra non habemus ullum Patriarcham. At Pimatē olim habuit Epiſcopum Bremenſem, jam nec Epiſcopū quidem illic, urbe videlicet, ac provinciâ totâ corruptâ Lutheri dogmatis. Porrò tam Patriarchæ, quàm Primates omnes ſubſunt de jure Succeſſoribus Petri, utpote univerſaliſſimo omnium Chriſtianorum Paſtori. *Ioan ult.*

161 Quæres V. *Quinam fuerint olim Chorepiſcopi?* Reſp. Id eſſe à me expreſſum ſuprà *n. 87.*

162 Quæres VI. *de S. R. E. Cardinalium dignitate, Officio &c.*

Reſp. 1. Cardinalatus non eſt Ordo, ſed, *per ſe loquendo*, ſolum nomen *Officii*. Cardinales quippe ſunt Conſiliarii Summi Pontificis, & habent quidem omnes Officium, aut Epiſcopale, aut Preſbyterale, aut Diaconale, non tamen idcirco inſigniti his ordinibus. P. Sanch. *Lib. 7. moral. cap. 1. dub. 10.* Eorum porrò nomen cœpit jam tempore S. Sylveſtri I. adeóque circa Annum Chriſti 330, uſurpari Azor. *Part. 2. Lib. 4. Cap. 1. II.* Eſt penes Summum Pontificem, augere, vel minuere numerum Cardinalium. Unde, licèt ſuperioribus ſæculis fuerint ſolùm 28 nunc tamen ſolent eſſe ultra ſexaginta. Non habet autem certam authoritatem, quod quidam tradiderunt, Pontiani tempore extitiſſe Cardinales ducentos triginta ſex. Azor. *loc. cit.*

163 III. Etſi olim fuerit penes Clerum, populúmque Romanum eligere Summum Pontificem, iſque mos duraverit ultra mille Annos. Azor. *loc. cit. cap. 2. q. 2.* attamen tempore Alexandri III. qui Eccleſiæ præfuit Anno 1160, & ſeqq. tota poteſtas eligendi Pontificem erat ad Cardinales redacta. Azor. *loc. cit. q. 2. in fin.*

Hæc videntur ſufficere pro hac Appendice. Plura de Cardinalibus dabit Diana *Part. 5.* toto *Tract. 2.* ſicut & recentiſſimus Mathias Corona de Patriarchis & Archiepiſcopis *Tr. 2. de Dignit. Epiſcopi. cap. 2. & 3.* de pleriſque verò Superioribus recentior illo P. Ernricus Pirhing *Tom. 1. in Ius Canonicum Tit. 31.* Nunc redeamus ad ſemitam.

ORDO DUBIUS, ET ITERANDUS.

CASUS VI.

Dubius, & Certus.

SUMMARIUM.

Caſus Epiſcopi formam Ordinationis pronuntiantis poſt materiam porrectam pluribus. 164.
Indicantur variæ quæſtiones circa Ordinationes dubias tractandæ. 165.

Fernandez Epiſcopus Iberiæ conſiderans 164
magnum numerum initiandorum cùm cæteris Ordinibus, tum ſingulariter Preſbyteratu. Quò ſe, atque hos citiùs expediret, ubi venit ad primum è Preſbyterandis porrigendo ipſi calicem, ac patenam pronuntiavit in numero plurali formulam dicendo: Accipite poteſtatem offerre &c. *Eandem repetiit, non quando pervenit ad ſecundum, ſed ſolùm quando ad ſextum vel octavum, & ſic deinceps, interjectis videlicet morulis, ne nimis diſtaret prolatio formæ à contactu materiæ, & ſi bene memini, P. Luiſius ab Alcazar doctiſſimus in Apocalypſin interpres narravit mihi, ſe ita de facto Sacerdotem fuiſſe ordinatum, nec potuiſſe Epiſcopum adduci, ut iterum* ſub conditione *formam repeteret, & materiam porrigeret, conſtanter aſſeverans, id ſine ullo prorſus fundamento exigi.*

Dignus utique eſt Cardinalis de Lugo, cui 165
fidem habeamus, referenti hunc Caſum *in Reſp. Moral. Lib. 1. dub. 33. num. 2.* Dignus quoque eſt, cui credamus indubitanter (per *intrinſeca* principia) neganti, fuiſſe neceſſariò repetendam illam Ordinationem. Et eam ob rem hunc Caſum voco *Certum*, appello tamen etiam *Dubium*, quia ex ipſa narratione conſtat, illos neomyſtas, & utique alios magnopere dubitâſſe. An non vel liceret vel etiam oporteret iterare. Et verò non fuiſſe neceſſariò repetendum, liquet inde, quòd nihil ſit communius inter homines, quàm ut primùm, poſtquam eſt illis dictum: *Accipe has pecunias*: *hanc veſtem*: *hoc poculum*: accipiant reipſa; aut

Digitized by Google

aut etiam tunc primùm, cùm integre jam eſt pronuntiata illa oratio, porrigant manum ad accipiendum. Ergo non eſt credibile, requiri ad eſſentiam Diaconatûs, ut Diaconandus jam reipſa librum tangat tunc, cùm ipſi dicitur: *Accipe poteſtatem legendi Evangelium &c.* Cæterùm, ut ad manus habeatur plena doctrina de re tanti momenti, & planè non infrequentiſſima, quanta eſt certò, vel probabiliter *invalida* collatio, atque iteratio Ordinum, expediam haſce quæſtiones. 1. *Vnde ſoleat provenire invaliditas Ordinis?* 2. *An ſit repetendus omnis, quem conſtat fuiſſe* invalidè *collatum?* 3. *An itidem omnis, quem eſſe* invalidè *collatum, eſt duntaxat probabile?* 4. *An rurſum omnis, de quo propriè dubitatur, an ſit* validè *collatus?* 5. *An ſupplendi neceſſariò defectus non eſſentiales?* 6. *Vbi, quando, quomodo ſupplendi tum accidentales, tum eſſentiales defectus?* 7. *Quid agendum Epiſcopo, qui exercuit multos actus ſui Ordinis, & Confeſſario, qui multos abſolvit, quando uterque vel alteruter habet certitudinem, opinionem, vel dubium de invaliditate ſui Ordinis?* 8. *Quid itidem Sacerdoti Religioſo?* 9. *Quid iis, qui ab Epiſcopo, & Confeſſario talibus ſunt ordinati, vel abſoluti?* Triplici Sectione diſſolvam has quæſtiones: *primâ* quidem tres priores. *Alterâ* quartam, & quintam. *Tertiâ* cæteras quatuor.

SECTIO I.

Reſpondetur ad tres priores quæſtiones de invaliditate Ordinis collati.

SUMMARIUM.

Dicta de neceſſitate rebaptizandi ſunt etiam intelligenda de neceſſitate reordinandi. 166. & ſeqq.

An omnis initiatus aliquo Ordine teneatur petere hujus repetitionem, quando rebaptizatur? 169. & ſeqq.

Caſus obſtetricis baptizantis ſalivâ. 173.

Et alterius baptizantis lacte. 174.

Et Religioſi ſenis rebaptizati ideo, quòd, qui veriſimillimè eum baptizârat, plurimos tinxerat in nomine diaboli. 175.

Et Monialis rebaptizatæ. 179.

Et Religioſi Sacerdotis rebaptizati idcirco, quòd fuiſſet pro baptiſmo ipſi duntaxat applicatum linteum madidum. 180.

*Repetendus neceſſario Ordo, quem conſtat eſſe in*validè *collatum. 182.*

Et Preſbyteratus, quando eſt ſolùm probabile, eſſe validè *collatum. 185.*

Quid ſi talis velit privatim facere Sacrum? 186. & 187.

Quid ſi publicè? 189.

Quid de Ordinibus inferioribus Preſbyteratu? 191.

Quid de illo, qui ſolùm extendit manum verſus librum tangendum? 192.

Caſus plurium, quibus ordinandis in Lectores porrectum fuit Pontificale tangendum. 193.

Caſus promoti per ſaltum ad Preſbyterium, omiſſo Diaconatu. 194.

Moraliter certum quid dicatur? 196.

An ſupplendus defectus ſubſtantialis, *quem aliqua probabilis ſententia dicit, non eſſe ſupplendum? 197.*

An fieri poſſit, ut aliqua ſententia, negans valorem Sacramenti hoc aut iſto modo collati non ſit revera probabilis, & tamen probabilis ſit ſententia aſſerens neceſſitatem iterandi Sacramentum hoc aut illo modo collatum? 198.

SUpponendum, atque notandum eſt I. Pleraſque è ſeptendecim Regulis, quas *in Alph. Baptiz. Caſ. XIII.* trado, declaro, & probo circa neceſſitatem, aut licentiam rebaptizationis, habere etiam locum circa neceſſitatem, aut licentiam reordinationis, quia æquè eſt ex una parte *per ſe* graviſſimum ſacrilegium, iterare eundem Ordinem, ritè collatum, atque repetere Baptiſmum rectè ſuſceptum. Ex altera autem parte ſequuntur ex Ordine malè collato etiam incommoda graviſſima, ſicut ex Baptiſmo. Licèt enim malè ordinatus poſſit utique ſalvari per actum attritionis junctum Sacramento Pœnitentiæ, imò, & extremæ Unctionis, ut videbimus *Caſ. XXIII.* nequeat autem *invalidè* baptizatus, attamen æquè inutiliter ſumit hoſtiam à ſe apparenter ſacratam, atque irritè baptizatus verè conſecratam. Et inſuper Sacramenta Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, Confirmationis, atque Ordinationis (ſi fortè unctus fuit in Epiſcopum) quæ contulit, cedunt in ſummum incommodum plurimarum animarum. Quare applicabo nunc huic materiæ nonnullas ex prædictis regulis, ſed ſine probatione, aut declaratione, niſi quatenus eſt diſparitas aliqua inter Baptiſmum, & Ordinem quoad neceſſitatem iterationis. 166

Supponendum itaque, & notandum ex iis II. Sicut Baptiſmus rite collatus nequit ſine ſacrilegio iterari idcirco, quòd per eum imprimatur Character, ita nec Ordo ſemel legitimè impertitus, cùm etiam imprimat Characterem. Et ſicut graviter peccat, qui etiam ſub ſola conditione repetit Baptiſmum, non habens rationabile dubium de ejus valore, ut ibidem oſtenſum *num. 378.* ita etiam judicandum eſt de repetente Ordinem, non inducto ſaltem dubio rationabili. His ſuppoſitis 167

Dico I. Opinio, aut dubium de validitate Ordinis, oritur generatim vel ratione Baptiſmi, vel ratione formæ, materiæ, aut miniſtri ipſius Ordinis. Etſi enim quandoque oriatur ratione ſexûs. Ut quando priùs prævalebat virilis, & poſtea prævalet fœmineus, jam monui tamen *Caſ. II. n. 32.* me nolle hac de re diſputare. Licèt etiam nonnulli putent, de eſ- 168

ſentia

Digitized by Google

ſentia Ordinis eſſe, ut conferatur & à celebrante Miſſam, & à jejuno. Neutrum tamen quidquam probabilitatis obtinet, ut videbimus *Caſ. VII. num. 257.* & *Caſ. IX. num. 352.*

169 At verò loquendo de Baptiſmo, quoties tenetur, juxta Regulas *in cit. Alphab.* traditas, quis petere rebaptizationem ratione certitudinis, probabilitatis, aut dubii de nullitate Baptiſmi, toties tenetur is, ſi ſit promotus ad Ordines Preſbyteralem, vel Epiſcopalem, velitque in iis miniſtrare, petere illorum iterationem. Ita ſingulariter Quintanad. *ſingul. Tr. 1 ſingul. 10. num. 2.* Ratio eſt, quia ſi certum ſit, Baptiſmum fuiſſe nullum, nemo penitus volet Sacramenta Pœnitentiæ, vel Ordinis accipere à tali. Nemo quoque communiter à tali, ſi ſolùm ſit probabile, Baptiſmum fuiſſe legitimum. Nemo denique extra ſummam neceſſitatem, ſi Baptiſmus ſit propriè dubius. Ergo ſaltem ratione Charitatis, & Fidelitatis obligatur poſt repetitũ Baptiſmum repetere Ordinationem ſine conditione, ſi Baptiſmus fuit *abſolutè* iteratus. Sub conditione, ſi ſub conditione Baptiſmus.

170 Dixi 1. *Ordines Preſbyteralem, aut Epiſcopalem.* Si enim eſt Baptiſmus tantùm idcirco repetitus, quòd eſſet non quidem ullo modo certum ſed ſolùm probabile, fuiſſe irritum, erit conſequenter probabile, Ordinem Diaconalem e. g. fuiſſe *validè* collatum, ſi aliunde non oriatur aliquod dubium, ergo non neceſſariò iterabitur juxta dicenda *n. 191.* At verò quia *n. 185.* dicam, quando ſolùm probabile eſt, Ordinem Preſbyteratûs eſſe *validè* ſuſceptum, debere neceſſariò peti aliam Ordinationem, ideo, quando eſt probabile, Baptiſmum non ſubſiſtere, repetendus Ordo Sacerdotalis, & Epiſcopalis.

171 Dixi 2. *Si velit in iis miniſtrare*: Qui enim eſt reductus ad aquas Jordanis ob certitudinem de nullitate prioris Baptiſmi, non incumbit ei neceſſitas poſtulandi correctionem ullius Ordinis, niſi velit eo uti: nec enim eſt ratio, cur dicamus, teneri ſuſcipere ſtatum Clericalem, ſecùs, ut dixi, quando cogitat exercere officia Sacerdotalia, vel Pontificia ſupponentia Characterem.

172 Unde inferes, huc applicari poſſe omnes illos Caſus, quos *in cit. Alphab. Caſ. XIV. XV. & XX.* ex fide digna relatione verbali, ſcripta, aut impreſſa deſcripſi, & judicavi continere neceſſitatem iterandi Baptiſmi. Quibus addo quatuor ſequentes, quos comperi primùm, poſtquam ille liber ſudaverat aliquot hebdomadis ſub prelo. Duos priores ſolùm tribus verbis indicabo, duos alios pluribus.

Caſus I. Baptiſmalis.

173 *Eſt Catholica obſtetrix, quæ ſuâ ſalivâ baptizavit infantem hæreticæ puerperæ, non permittentis uſum aquæ, licèt videret, ſuum fœtum agere animam, ut mox egit.*

Caſus II. Baptiſmalis.

Eſt alterius, quæ, cùm non haberet in promptu aquam, abluit lacte infantem proximum morti, ſed ſuperveniens, D. Parochus, qui utrumque hunc Caſum mihi ipſi narravit, ſupplevit defectum, ac cælo tranſmiſit infantem; ſicut fuit prior in limbum deportatus, matrem impiam expectante Tartaro. 174

Hos duos eventus etiam idcirco memoro, ut rurſum, ſicuti feci *in cit. Alphab.* excitem DD. Curiones ad inſtituendum ſolertiſſimum examen, quando fuit infans ablutus ab aliqua muliere, & ad repetendum *ſub conditione* lavacrum, ſi non ſit omnino certum, nihil ſubſtantiale omiſſum.

Caſus III.

Religioſus Sacerdos à Miniſterio celeberrimo, & ſatis remoto, me acceſſit proximo vere, referens, eſſe in ſuo illo monaſterio Fratrem Converſum, ut vocant, jam grandem natu, virum optimum, & pro ſua conditione præditum judicio bono, qui dicat: Cùm abhinc quinquennium facerem iter cum Sacerdote vetulo, notiſſimo mihi ôlim, & omnibus perquam charo ob ſingularem probitatem, atque animi candorem, inter cætera mihi aſſeverantiſſimè dixit, conſtare ſibi, Cajum quendam Cooperatorem, & Capellanum pagi N. faſſum eſſe coram legitimis teſtibus, quòd in eo pago baptizârit trecentos infantes in nomine cacodæmonis, eámque ob rem fuiſſe &c. Natus autem ſum eò in pago atque ad Sacrum fontem deportatus eo ipſo tempore, quo Cajus ibidem fungebatur officio Cooperatoris. Utrùm ſim ablutus ab illo, prorſus ignoro, nec ſuppetit ulla planè ratio cognoſcendi veritatem, cùm nec patrini ſuperſint, nec liber Baptiſmalis. Interim certum eſt, me tempore Tyrocinii Religioſi, ſeu Novitiatûs perpeſſum fuiſſe infeſtationes genii Avernalis prorſus extraordinarias, & aliis etiam manifeſtas. Cùm probiſſimus ille Sacerdos horrificum illud flagitium Cooperatoris mihi narraret, nulla Religio de Baptiſmo me inceſſit. At verò dum reminiſcor loci ac temporis, quo ſum editus in lucem, & revoco in mentem illas infernales tentationes, magnopere timeo, ne ſim unus ex illis trecentis. Quare humillimè poſtulo, ut mihi conſulatur optimo, quo fieri poteſt, modo. 175

Hac

Digitized by Google

Hæc ille Religioſus ex ore F. Converſi flagitans meum conſilium.

176 Quæri hìc poteſt, *an, ſi Frater ille eſſet hactenus habitus pro verò Sacerdote, oporteret, eum rurſus conſecrari?*

Ego nixus rationibus, & tot exemplis, quæ produxi in prædicto libello, ſeu tractatu, ſine cunctatione reſpondi, videri mihi rurſum *ſub conditione* abluendum Sacro latice. Conſequenter ajo, denuo initiandum Sacris, ſi hactenus fuiſſet habitus pro Sacerdote, utpote palàm ordinatus.

177 Sanè non eſt ratio cogitandi, aut Fratrem illum, aut ſenectâ, moribúſque Venerabilem Sacerdotem aliquid fingere, ſeu finxiſſe. Sicut nec timor ejuſdem Fratris poteſt dici vanus. Eſt quippe, vel probabile, vel ſaltem non improbabile, fuiſſe è numero illorum 300. miſerabilium infantium, ergo non eſt *moraliter* certum, quòd ſit in nomine SS. Trinitatis ablutus, ergo rurſus abluendus, per ea, quæ ibidem *n. 364. & ſeqq.* diſſero.

178 Porrò ibidem *Caſ. XV.* tractans de Religioſo vitioſè baptizato, tango illam quæſtionem, an ſcilicet ejuſmodi Religioſus *ſub conditione* rebaptizatus teneatur habere ratam ſuam profeſſionem? Atque in robur *affirmativa* ſententiæ refero declarationem Cardinalium, quam, teſte Joanne Gallemart. *in Tridentin. ſeſſion. 25. cap. 16. De Regul. Verb. Ad profitendum admittunt.* dedêre verbis expreſſis hoc

Caſu Religioſæ.

179 *FUit dubitatum, an Monialis, quæ emiſerat Profeſſionem, & deinde probabiliter dubitans, ſe non fuiſſe baptizatam, denuo ad cautelam baptizata fuit, debeat de novo emittere Profeſſionem, & dato, quòd ſic, an debeat exſpectare per Annum? Fuit reſolutum ſub die* 10. *Decembris,* 1588. *Profeſſionem ligare, verùm debere ad majorem cautelam iterum emittere Profeſſionem, expectato alio Anno. Ita Sacra Congregatio.*

Caſus IV. Baptiſmalis.

180 *FLavia obſtetrix non ſine ratione verita, ne fœtus exanimaretur, priuſquam totus ederetur in lucem, intinxit pannum in aquam eóque non aſperſit, ſed ſolùm involvit, involutúmque, ſeu contectum extraxit ex utero infantem, pronuntians debitam formam. Nec poſtea fuit quidquam repetitum à quoquam. Ubi adolevit infans, narravit ei mater, quo ritu eſſet baptizatus. Ille oblitus conſulere peritos prenſavit Ordinem Religioſum, promotus in eo fuit ad Preſbyteratum, excepit multa millia Confeſſionum. Morti vicino redit in mentem ſuus heteroclitus Baptiſmus. Poſtulat Regularem, & Ordinarium. Creditur ejus narrationi, & ſatiſfit petitioni, qua exauditâ migrat è vita. An, ſi ſupervixiſſet, oportuiſſet illum rurſum ſubjicere manibus Epiſcopi?*

Narro rem certam de hoc *ſecundo* (Sacerdotis è Societate noſtra probè mihi noti, & pauculis poſt Sacerdotium Annis defuncti,) Baptiſmo, probabilem de *primo*, ac proinde infero, *primum* Baptiſmum fuiſſe habendum pro rationabiliter dubio. 1. Quia neſcitur, utrùm caput, an pedes proſtiterint ex utero. Si pedes proſtiterunt, tunc ſecundùm S. Thom. *in 4. diſt. 68. a. 11. ad 3.* Silveſtrum *verb. Bapt. 4. q. 2.* & alios apud hunc, talis Baptiſmus eſt valde dubius. 2. Quia præciſè applicare manui, vel brachio pannum madidum, non eſt abluere, ſeu lavare manum, vel brachium, cùm tamen Baptiſmus debeat fieri per modum propriè dictæ ablutionis, ut ex communi dictum *cit. libello*, ſeu *Alphab. n. 43.* Etſi verò illa narratio prædicti Sacerdotis fundata fuerit originaliter in ſola fide matris, quia tamen unicus oculatus teſtis de modo Baptiſmi ſufficit ad gignendam ſaltem opinionem, aut dubium, per dicta ibidem *num. 369. & 370.* ideo fuit meritò correctus *primus* Baptiſmus, & conſequenter repetenda Ordinatio. 181

APPENDIX EXTRAVAGANS.

EXtravagans utique, utpote ſpectans ad Tractatûs *ſecundi Caſum XVI.* ubi & *num. 505.* tradidi ex communi, cæremonias in privato baptiſmo omiſſas debere ſuppleri, & *num. 516.* addidi ex Laymanno, & Chapeaville, eos, quibus illæ non fuerunt adhibitæ, perſæpe magis à cacodæmone infeſtari, quàm alios. Refertur hanc in rem in vita ſapientiâ, morúmque excellentiâ noſtri celeberrimi Patris Petri Cotoni *Lib. 1. Cap. 14.* exemplum parochis probè expendendum, tranſlatum autem in hunc locum ſatis alienum, ideò verò tranſlatum, quòd & hìc reſolverim ex cauſa indicatâ, *num. 172.* quatuor Caſus Baptiſmales, & Vitam Patris Cotoni fuerim nactus jam excuſis tribus primis Tractatibus hujuſce voluminis. Recenſet autem P. Petrus Roverius loco allegato hiſce verbis illum a

Caſum innocentiſſimo nocentiſſimum.

FAmiliæ non ignobilis quinquennis puer raptore occulto, minimèque aſpectabili repente de familiarium conſpectu abreptus, nunc in vinariam cellam, nunc in obſcurum do- b

mûs

mûs barathrum deportabatur. Mæſti parentes ac trepidi, conſilii, opiſque cauſâ puerum ad Cotonum adducunt, quem cùm deprehendiſſet innocentiſſimum, ad Parentes verſus inveſtigare inſtitit, num quæ familiarium, aliorúmve maleficia ſuſpicarentur? Quod cùm illi negâſſent, intulit, vereri ſe, ne in Sacramentis, quæ ſuſceperat, quidpiam reſideret vitii, quo iſta Dæmonis adverſùs eum poteſtas fulciretur. Hic parentes quaſi expergefacti narrare incipiunt, nondum ipſum Baptiſmo luſtratum. Quòd neſcio cujus optimatis adventum adhuc præſtolarentur, qui celebriori Baptiſmo ſuſceptor eſſet. Exhorruit Cotonus negligentiam, quòd privato ſaltem ritu puerum non luſtrâſſent, & magnopere urſit, ne vanæ fortaſſe celebritati tantùm tribuerent, ut pueri incolumitati totam in vitam obeſſent. Illi etſi Baptiſmum privatim illi accurárant, tamen humanis pleni cogitationibus ad celebritatem illam ſuam reſpicere dilatis eò Baptiſmi cæremoniis non deſtiterunt. Sed cùm paucis poſt diebus multo quàm unquam antè inclementiùs ac periculoſiùs abreptus eſſet puer de medio, reguſtârunt Parentes Cotoni verba, acceleratíſque illico Baptiſmi cæremoniis, Filium deinceps extra incommodum, periculúmque omne poſuêre. Quod exemplum in urbe, ubi plurimi ſpretu hæreticâ negligentiâ Eccleſiæ vetuſtis ritibus luſtrati Baptiſmo fuerant, & memorabile fuit & perquam utile.

Ita Roverius meritò hoc exemplum appellans *perquam utile*, eámque ob rem hîc à me deſcriptum.

182 Dico II. Repetendus eſt omnis Ordo, quem conſtat eſſe *invalidè* collatum, ſiquidem quis velit in eo miniſtrare. Ita omnes, propter varios Canones, & apertam rationem. Sicut enim apud Jure-Conſultos æqualia ſunt non citare legem, & citare quidem, ſed ineptam, ita paria ſunt miniſtrare ſine Ordine, & cum Ordine, ſed *invalidè* collato.

183 Dixi: *Si quis velit in eo miniſtrare.* Si enim nolit, eſt in ejus arbitrio poſitum, permanere in ſtatu annexo illi Ordini. Nec enim dubium eſt, quin poſſit *licitè* à ſtatu Cœlibatûs recedere, quem conſtat eſſe *invalidè* initiatum Subdiaconatu, modò non ſuſceperit Diaconatum, aut Preſbyteratum. Hi enim duo Ordines habent ſine dubio annexam obligationem caſti-
184 tatis ſervandæ. Porrò duo teſtes omni exceptione majores, ſi ſint de viſu, efficient certitudinem. Si verò non ſint majores omni exceptione, aut ſi ſint tantùm de auditu, vel ſit tantùm unus de viſu, efficiet illorum teſtimonium affirmans defectum, ut Ordo habeatur pro ſolùm probabili, vel verè dubio.

Dico III. Eſt quoque ſupplendus defectus, 185
quando eſt non quidem certum, ſed probabile tamen, Ordinem Preſbyteratûs aut Epiſcopatûs eſſe *invalidè* collatum, & taliter ordinatus vult facere Sacrum, excipere Confeſſiones, creare Sacerdotes &c. Ita Cardinal. de Lugo *in Reſp. Moral. Lib. 1. dub. 33.* Quintanadv. *Sing. Tr. 1. Sing. 10.* Granadus apud Dianam *Part. 5. Tr. 12. Reſ. 47.* pronuntians, ita eſſe ſine dubio tenendum. Ratio, præcipua, & generalis eſt, quia oportet in adminiſtratione Sacramentorum ſequi opinionem tutiorem ut tradunt paſſim DD. tractantes de Conſcientia; eò ſcilicet, quòd vel juſtitia ex tacito pacto orta, ſicut poſt Joan. Sanch. *in ſelect. d. 44. num. 14. & 15.* cenſet P. Franc. Oviedus *in 1. 2. Tr 5. controv. 3. p. 4. num. 43.* vel ſaltem charitas debita proximo id exigat. Nec enim vellet quiſquam (extra neceſſitatem) confiteri illi, aut accipere Ordines Sacros ab illo, quem non eſſe legitimum Sacerdotem, aut Epiſcopum, probabile eſt, eſto oppoſitum ſit probabilius.

Dices: *Volo facere Sacrum in meo Sacello do-* 186
meſtico, nemine præſente, niſi miniſtro. Volo quoque excipere Confeſſiones, at priùs indicare deſtinantibus confiteri, me non eſſe omnino certum de mea Ordinationis valore. In his duobus Caſibus non peccabo contra charitatem, multò minùs contra juſtitiam. Cùm volenti non fiat injuria. Ergo non tenebor petere aliam Ordinationem, ſi nec velim, nec debeam hæc Sacramenta aliter conficere.

Reſp. Quia ego in Scholis, & Opuſculis 187
meis ſæpiſſime docui ex P. Vaſq. *Tom. 2. d. 63.* Sanch. *l. 1. moral. cap. 9.* & pluribus aliis, unicam cauſam, ob quam non liceat in adminiſtratione Sacramentorum ſequi quamlibet ſententiam de valore, & *ſpeculativè* probabilem, eſſe hanc, quòd ſcilicet ſequendo minùs tutam delinquatur contra vel juſtitiam, vel charitatem, & fidelitatem proximo debitam, non autem agis contra has virtutes, ſi celebres in loco ſecretiſſimo, aut Confeſſiones excipias volentium tibi poſt talem informationem aperire ſuas conſcientias, ideò conſequenter excipio ab illa generali doctrina noſtra hoſce duos Caſus licèt fatear me deſtitui authoritate loquente de talibus Caſibus. Non dubito tamen, quin Patres Vaſquez, Sanchez, alii plerique fuiſſent ita reſoluturi, ſi fuiſſent interrogati.

Hi ipſi DD. ut puto, concederent, poſſe à 188
tali Sacerdote celebrari publicè Sacrum in feſtis *de præcepto*, quando alioquin deberent auditores Sacri carere omni Sacro. Etenim mallent hi intereſſe Sacrificio talis Myſtæ, quàm omnino nulli. Ergo non peccaret contra charitatem.

Quin P. Oviedus *loc. cit. n. 45.* poſt doctiſſi- 189
mum Lorcam ſcribit hæc verba: Sacramentum celebrare, relictâ opinione tutâ, ſecundùm opinionem

Digitized by Google

„ nionem probabilem non eſt ſemper contra
„ charitatem, ſed tantùm, quando pœnitens,
„ aut alius exiſtit, vel exiturus præſumitur in
„ gravi periculo ſuæ damnationis, à quo libe-
„ randus non erit, ſi Sacramentum *invalidè* ce-
„ lebratum fuerit, aut ſuum non ſortiturum ef-
„ fectum. Ratio eſt, quia præceptum chari-
„ tatis obligat tantùm pro tempore, quo pro-
„ ximus eſt in periculo gravi conſtitutus, ut ab
„ eo liberetur, non autem cenſetur neceſſarius
„ valor Confirmationis, Ordinis, Subdiacona-
„ tûs, & Diaconatûs, ut homo poſſit liberari à
„ damno æterno. Et ideo non cenſeo, eſſe con-
„ tra miſericordiam in his Sacramentis uti pro-
„ babili opinione, tutiori relictâ. Idem dice-
„ rem, ſi ſemel, aut iterum præſtaret in Sacra-
„ mento Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ reſpectu
„ hominis, qui aliquoties in Anno hæc Sacra-
„ menta frequentat. Ita ille. Interim *n. 43.*
" aſſerens, tales peccare contra juſtitiam.

190 Dixi rurſum in concluſione inprimis: *Si talis Preſbyter, vel Epiſcopus velit miniſtrare*, ſi enim juſta de cauſa nolit uti illo Ordine, non eſt, cur obligetur ad corrigendum defectus. Quod enim nullâ lege ſtatuitur, id nos aſſerere non debemus. *Cap. Legatur. 24 q. 2.* Cenſet autem P. Quintanadven, *Tr. 1. Singul. 10.* teneri velle, tum propter ſcandalum, quod daret, ſi nunquam uteretur ſuo Ordine. Tum quia accepiſſet in vacuum Characterem Sacerdotalem, & Epiſcopalem, ſi revera acceperat. Tum denique, quia actiones, quæ ex juriſdictione Epiſcopali emanant, verbi gratiâ aſſignationes Parochorum, facultates ad Confeſſiones audiendas, Beneficiorum, & Cappellaniarum collationes, & innumera alia jam malâ fide prodirent. Ita hic autor, cui non acquieſco in hac *tertia* ratione, ſiquidem iſtæ actiones minimè pendent à Charactere Epiſcopali, cùm etiam ab Abbatibus ſoleant exerceri, imò poſſint ab Epiſcopo nondum Sacerdote, nondum conſecrato. Conſentit lectus à me his ſcriptis P. Bardi *De conſcient. diſceptat. 6. cap. 11. Part. 6. §. 2. num. 7.*

191 Dixi deinde: *Preſbyteratus & Epiſcopatus.* qui enim eſt juxta ſententiam ſolùm probabilem *validè* creatus Diaconus, aut Subdiaconus, ut quia e.g. non tetigit *phyſicè* ſymbola, probabiliter non tenetur ad quidquam repetendum. Lugo relatus *Caſ. III. num. 53.* Bardi *loc. cit.* Oviedus *loc. cit.* itémque P. Granadus expreſſè apud Dianam *Part. 5. Tr. 13. Reſ. 47.* conſentientem. Tum quia ſi iſte homo inſignitus eſt Ordine Preſbyterali, hoc ipſo jam habet incluſum Subdiaconatum, & Diaconatum. S. Thom. *3. p. q. 33. a. 5.* Si verò non eſt Preſbyter, functiones, quas obit, nemini ſunt noxiæ, eſto ponamus, fuiſſe commiſſum in ejus inauguratione defectum *ſubſtantialem.*

Approbo tamen factum illud Magiſtri cæremoniarum, quod memoratur ſequente

Caſus.

NOn ita pridem, cùm quinque Ordinandi advocarentur ad tangendum librum, & ultimus ſimiliter juberetur tangere, non poſſet tamen ob diſtantiam, extendit ſolùm dexteram, ac receſſit cum aliis. Quod advertens Magiſter cæremoniarum, jubet eum mox redire, ac realiter *contingere librum. At orta eſt quæſtio, an neceſſe fuerit revocare. Aliis affirmantibus. Aliis negantibus. Reſolutio pendet ex quæſtione, ſitne tactus* phyſicus *de eſſentia.* 192

Ita ad me ille ipſe Theologus, de quo ſuprà *num 55.* Et commendo quidem ſedulitatem Magiſtri cæremoniarum, ea ſingulariter de cauſa, quòd tunc revocârit. Nam, quod parum diſtat, nihil diſtare videtur. Cenſebatur ergo *moraliter* ille poſtremus eſſe adhuc in loco, & quaſi actu Ordinationis: videbatur ergo æquè conveniens eſſe, ut ſuppleret, quàm ut ab initio tangeret. Eſt nihilominus ob authoritatem Doctorum paulò antè nominatorum & ob rationem allatam ex P. Vaſquez *num. 57.* probabile, potuiſſe abſque peccato omitti illam repetitionem, qua tamen poſitâ oportebat, vel certè conveniebat repeti formam, propter doctrinam Cajetan. & Navarri relatam *num. 144.* & rariſſimum Caſum *num. 178.* producendum ex Patre Tamburino.

At ecce: Eodem ex loco ſucceſſor prænominati Theologi Epiſcopalis triennio pòſt 193

Ita ad me.

ESt, in quo judicium R. V. ſcire vehementer expeto. Caſus eſt iſte: *Contigit in nupera Ordinatione, ut, cùm ordinarentur Lectores, quidam ex præſentibus Sacerdotibus Reverendiſſimo D. Suffraganeo noſtro ordinanti pro libro Lectionum porrigeret Pontificale. Hoc igitur porrectum fuit ab Ordinatore, tactúmque ab ordinandis. Quæritur nunc utrùm ritè ſint ordinati hi Lectores? Pergratum mihi &c.*

Cenſui ego, cenſeóque inprimis, ſi omnes illi Lectores erant tunc adhuc in loco conſecrationis, cùm animadverſus fuit error, fuiſſe ſub incudem, ut ita loquar, revocandos, adeóque ſaltem *ſub conditione* rurſum initiandos. Omnis quippe Ordo dubius eſt, ut retuli ſuprà *num. 205.* ex P. Sanchez, *per ſe loquendo*, repetendus *ſub conditione.* Eſt autem valde dubium, utrùm Pontificalis liber jure annumeretur iis, quos *num. 42.* nominavi pro materia hujus Ordinis. Si autem jam diffluxerant, non videbatur mihi diſcurrendum per urbem

Digitized by Google

ad eos revocandos, quandoquidem id fieri nequibat abſque notabili ſeu incommodo, ſeu obmurmuratione, & ſcandalo. Quid igitur faciendum? Judicabam ego, & nunc quoque judico, futurum fuiſſe conſultiùs, ſi, quando erant redituri pro Subdiaconatu, vel Acolythatu, totus ille Ordo repeteretur, quia ex una parte non cenſetur iteratum, quando ſuppletur, quod ignoratur eſſe factum *cap. 1. & ult. De Sacram. non iter.* ex altera ignorabatur eſſe facta legitima Ordinatio, quia neſcitur, an liber Pontificalis ſit idonea materia Lectoratûs. Nihilominus tamen etiam arbitrabar, poſſe verò ſimiliter omitti omnem ſuppletionem, eò quòd ſit veroſimile, Pontificale poſſe aſſimilari, quoad ejuſmodi caſum, libro Homiliarum, quem incunctanter approbat P. Tannerus ſuprà relatus etenim Pontificale continet plurimos Pſalmos, dignos utique in Eccleſia legi à conſtituto in Ordine Lectoratûs, complectitur præterea multas exhortationes perquàm graves, æquiparandas *quoad intenſionem*, ſi non *quoad extenſionem*, prædictis Homiliis, & utique dignisſimas, quæ in Eccleſia recitentur animo, atque intentione docendi, movendi Candidatos Ordinum. Unde ego non pronuntiarem reum ſuſpenſionis latæ in promotos per ſaltum, qui compertum habens, fuiſſe ſibi pro Lectoratu præbitum librum Pontificalem, pro libro Lectionum ſeu Epiſtolarum petiiſſet, accepiſſétque ſeu Acolythatum, ſeu omnes tres Majores. Siquidem, quando probabile eſt, defectum Minoris Ordinis non eſſe *ſubſtantialem*, poteſt emendatio omitti ſine crimine. Suprà *num. 53.*

194 Sed fortè objiciet quis contra noſtram reſponſionem, de probabiliter non neceſſaria iteratione, authenticum reſcriptum ad ſequentem

Caſum ſatis mirabilem, & puerilem.

T*Uæ literæ continebant, quòd [ſicut ex relatione quorundam receperas] P. Preſbyter, Diaconatûs Ordine prætermiſſo, ſe fecit ad Sacerdotii Ordinem promoveri. Ipſe tibi quoque ſecretò confeſſus eſt, ſe pro certo neſcire, ſi res taliter ſe haberet, ſed ex quo boni viri hoc aſſerebant, inter quos fuerat converſatus, credebat aſſertioni eorum, eò quòd tempore, quo Ordines inferiores ſuſceperat, infra Annos diſcretionis, fuerat conſtitutus. Mandamus, quatenus condignam pænitentiam pro hujuſmodi negligentia injungas eidem, qua peracta ipſum in Diaconum ordinare procures.*

Ita Innoc. III. reſcripſit Epiſcopo Bononienſi, ut refertur *cap. Veniens. De Cler. per ſaltum promoto.*

195 Nomino hunc Caſum *ſatis mirabilem*, quòd ſcilicet ex ſpecie facti manifeſtè colligatur, fuiſſe ante Annos diſcretionis creatum Subdiaconum, at nónne jure vocabimus etiam *puerilem*, quòd fecerit hanc conſequentiam: *Fui ordinatus in Subdiaconum circa Annum ætatis ſeptimum, ergo etiam in Diaconum. Ergo* licitè *peto Sacerdotium?* Etenim *ſecunda* conſequentia rectè infertur (ſi adſint alia requiſita) ex *prima*, at *prima* non rectè infertur ex antecedente, quia à diverſis non valet illatio, ut docent I. C. ex *Leg. Papinianus. ff. De min.* & quæ à jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda. *Reg. 28. in 6.*

Reſolutio autem hujus Caſûs firmat apertè doctrinam traditam ſuprà *n. 182.* de Ordine quocunque iterando, quando certum eſt, fuiſſe *invalidè* collatum. At non officit doctrinæ de non repetendo aliquo ex inferioribus Preſbyteratu, qui fuit collatus *validè* juxta probabilem ſententiam, etenim deſcriptio præſentis Caſûs demonſtrat, fuiſſe non modò probabile, ſed *moraliter* certum, quòd ille Preſbyter non fuerit initiatus Diaconatu. Illud quippe eſt *moraliter* certum, de quo prudens homo dubitare non poteſt, ut explico *in cit. Alphab. Baptiz. n. 365.* Nemo autem prudens poterat dubitare, quin ille Preſbyter non fuerit in ſua infantia ordinatus Diaconus, cùm & aperta juris præſumptio, & viri boni inficiarentur eſſe ordinatum, & nulla ratio, vel autoritas ſuppeteret contra horum teſtimonium. Quia verò in illo ipſo *Alphab. n. 369.* docui, illum eſſe *moraliter* certum (ſi non occurrunt contrariæ conjecturæ, teſtimonia &c.) de ſuo Baptiſmo quem verè baptizatum eſſe aſſerit oculatus teſtis, minimè ſuſpectus de mendacitate, ita etiam certus erit Sacerdos e. g. ſe tetigiſſe *phyſicè* patenam, ſi dubitanti dicat unus aliquis: *Ego omnino vidi te tangentem* At ſi alius æquè oculatus, æquè præſens id negaret, tum ſanè foret dubium, vel ſola probabilitas de tactu *phyſico*, eámque ob rem eſſet repetenda Ordinatio ob doctrinam traditam *num. 185.*

Dico IV. Licèt ſupplendus ſit neceſſariò (*per ſe loquendo*) in Sacerdotio, & Epiſcopatu defectus *ſubſtantialis probabiliter* commiſſus, ſicuti probatum eſt *concluſ. præced.* non tamen eſt neceſſariò ſupplendus is, quem aliqua ſententia probabiliter negat eſſe neceſſariò ſupplendum, eſto alia fortè probabilior pronunciet, eſſe ſub mortali emendandum. Ita ſingulariter Cardin. de Lugo *de pæn. Diſp. 7. ſect. 13. num. 273. & ſeqq.* repetens, & inculcans utrumque membrum hujus concluſionis *in Reſp. moral. Lib. 1. dub. 33.* Eſt quippe Regula generalis, & ſine exceptione, inquit ille Doctor *cit. dub. 33. n. 4.* quòd poſſumus ſequi in praxi opiniones probabiles, & ſufficere ultimum judiciũ probabile, quo judico probabiliter, me hîc, & nunc nullam habere obligationem. Quam generalè Regulam quoad *primam* partem, confirmat P. Terillus relatus à me *in Quinario Tr. 1. n. 5.* autoritate plus centum octoginta Theologorũ, & exemplis declarabo infrà *n. 209. & ſeqq.* 196 197

Sed

Digitized by Google

198 Sed quæres: *Virùm fieri queat, ut aliqua ſententia negans valorem Sacramenti hoc, aut iſto modo collati non ſit revera probabilis, & tamen ſit probabilis, ſententia aſſerens obligationem reiterandi Sacramentum hoc, aut illo modo collatum.* Reſp. Id quidem apertè aſſeri à Card. de Lugo *cit. dub. 33. num. 3.* ubi ait: *Poteſt contingere, non eſſe probabilem ſententiam negantem valorem, & tamen probabilem eſſe ſententiam affirmantem obligationem reiterandi Baptiſmi ſub conditione.* At ingenuè fateor, mei ingenii tenuitatem eſſe tantam, ut non perſpiciam veritatem hujus doctrinæ. Certum quippe eſt, iterari non poſſe Presbyteratum e. g. niſi ſit ſaltem *morale* dubium de valore illius, ut liquet ex dictis de receptione Baptiſmi *in Alphab. Baptiz. cit. Caſ. XIII. num. 378.* ſicuti vice verſâ non eſt probabile, ſed certum, debere repeti, quando prudenter, & *moraliter* dubitatur de ejus valore, ut mox dicam, ergo ſi non eſt probabile fuiſſe invalidum, debet, ut *licitè* reiteratur, eſſe ſaltem *morale* dubium de ejus valore. Si *morale* dubium eſt, tum non eſt probabile ſed certum, debere corrigi.

SECTIO II.

De iteratione Ordinis propriè dubii, & Cæremoniarum.

Caſus rariſſimus.

SUMMARIUM.

Caſus Epiſcopi dormiturientis ſub Ordinatione. 199.
Saltem Presbyteratus, & Epiſcopatus eſt in dubio repetendus. 201.
Refutatur quædam ratio P. Tamburini de Privilegio poſſeſſionis. 203. & 204.
Traduntur practicæ doctrinæ de dubitantibus, an ſint rite ordinati 206. & 207.
An neceſſariò, aut ſaltem licitè *petierit P. Alcazar iterum ordinari, poſtquam cognoverat, ſe fuiſſe Presbyterio donatum ab applicante materiam poſt prolationem totius formæ? 209.*
Aut ille, qui non tetigit phyſicè *calicem? 212.*
Aut qui fuit inauguratus ab hæretico Epiſcopo, qui habebatur pro Catholico? 213.
Aut à notorio Calviniſta? 215.
Aut Baptizatus ab obſtetrice veneficâ? 216.
Aut generatim è laico? 217.
Caſus duarum obſtetricum Baptizantium dubiè, 218.
Inanibus ſcrupulis locus dandus non eſt. 220.
Caſus duorum ſcrupuloſorum ordinatorum. 221. & 222.
Supplendi defectus Ordinis accidentales. 226.

199 F*Laminius Epiſcopus ſolebat ob aliquam infirmitatem habitualem ſomno infeſtari, imò & repente opprimi inter loquendum, & operandum. Igitur Titius ab eo promotus ſuſpicatus fuit ex quibuſdam indiciis, num tempore prolationis formæ dormierit Flaminius, atque adeò, an prolatio illa fuerit necne actus liber, & humanus. Quæritur, utrùm ſtante hac ſuſpicione, ac dubio potuerit, aut etiam debuerit Titius petere aliam adminiſtrationem Sacramenti?*

Caſum hunc deſumpſi ex P. Bardi *de Conſcient. diſcept. 6. cap. 11. part. 6. § 2. n. 7.* teſtante, fuiſſe ſibi olim ita de ſomnolentia cujuſdam Epiſcopi relatum. Ac reſolvit his verbis *In tali eventu, & aliis ſimilibus, qui adduci poſſent, homo prudens jure ambigere debet de valore Ordinis ſuſcepti. Quare tenetur vel abſtinere ſe à functionibus ſoli Sacerdoti convenientibus, ſi aliunde ex Beneficio, aut Capellania adictus non adſtringatur, vel ſub conditione iterum ad hunc Ordinem promoveri.* 200

Ita Doctor ille Siculus de hoc ſpeciali Caſu propriè, & ſtrictè *dubio*, quam reſolutionem mihi quoque probatam, ut unà cum ſimilibus roborem.

Dico I. Saltem Presbyteratus, & Epiſcopatus debent iterari, quando prudenter, ac rationabiliter dubitatur, an non interceſſerit defectus *eſſentialis* in collatione illorum. Ita omnes. Nominatim illi, quos nominavi pro *Concluſ. 3. Sectionis præcedentis.* Ratio hujus concluſionis eſt eadem, quæ illius *tertiæ*, imò magis ſtringit hìc, quàm ibi. *Sed talis non vult obire officia Presbyteri, & Epiſcopi?* Reſp. Ergo eſt ei applicanda doctrina tradita *n. 190.* 201

Suſcepit autem bonâ fide Sacerdotium. Ergo in dubio debet eſſe melior conditio illius Reſpondet P. Tambur. *in Decal. Lib. 1. Cap. 3. §. 7. verb. Ordo n. 1. implicitè* ad hoc Argumentum, negando conſequentiam. Tum quia prius eſt, hominem carere Ordine, quàm eo gaudere, ergo prævalet carentia. Tum quia jus ipſius Sacrificii, & jus fidelium, ad accipiendum certa, non dubia Sacramenta, requirit hominem certò, & non dubiè ordinatum. 202

At *prima* ratio mihi non placet, quia funditus evertit illud axioma: *In dubio eſt melior conditio poſſidentis.* Etenim etiam prius eſt, hominem carere equo, quàm eo gaudere, ergo prævalet carentia? Ergo, qui bonâ fide emit equum, tenetur in dubio illum iterum emere? Idem ipſe P. Tamburinus *eod. §. 7. verb. Ætas* ſic ſcribit: *Si ad Beneficium, Ordineſque admiſſus fuiſti, & poſt eorum poſſeſſionem incipis dubitare de Annis* (an ſcilicet attigeris vigeſimum ſecundum) *ſanè tunc prævalebit poſſeſſio Beneficii, Ordiniſve.* Sic ille, & rectiſſimè quidem. 203

Sed nec probo rationem, quam petit ipſe à jure Sacrificii, quia privilegium poſſeſſionis inchoatæ bona fide hìc æquè patrocinatur adverſùs debitam Sacrificio reverentiam, atque 204

patrocinatur adverſùs reverentiam debitam Sacramento Matrimonii, quando quis, poſt Matrimonium bonâ fide contractum, (orto dubio de valore, eóque non ſepoſito, quia nequit,) utitur matrimonio non ſolicitus de revalidatione per novum conſenſum, aut diſpenſationem. Ergo unica ratio, ob quam tali interdicatur celebratio, eſt charitas (aut etiam juſtitia juxta Joann. Sanch. & Oviedum relatos ſuprà *num.* 185.) debita proximo. Unde conſequenter infero, fas eſſe tali Sacerdoti ſacrificare, quamdiu per ipſum non ſtat, quò minùs iterum ordinetur *ſub conditione*, privatim pro ſe. Nam ſi velit aut coram aliis, aut pro aliis, accepto ſtipendio, debebit illos præmonere de dubio. Ita ſanè mihi videtur, libentiſſimè correcturo meum judicium, ſi diſcrepet à Superiorum, aut communi eruditorum.

205 Dixi: *Preſbyteratus, & Epiſcopatus.* Nam ſi ſermo ſit de Diaconatu, & aliis inferioribus, cùm ex eorum miniſterio obito à non ordinato nullum notabile damnum derivetur in quemquam, erit fortè, qui dicat de iis propriè dubitantibus, quod diximus ſuprà de ſolùm probabiliter credentibus. Verùm P. Tambur. *cit.* § *7. verb. Ordo* diſertè negat, talem dubitantium Subdiaconum obligari ad penſum Canonicum, dicturus fortè idem de obligatione ad caſtitatem. Et P. Sanch. *Lib. 7. Conſil. mor. Cap. 1. dub. 13.* generatim docet, Ordines collatos cum dubia materia eſſe iterandos.

206 Concludo tamen, dubium, de quo hîc *principaliter* tractamus, debere proponi Superiori, ejúſque ſtandum ſententiâ hac in re, qui quidem habebit præ oculis in eventu dubiorum Ordinum obſervationem P. Franciſci Bardi *loc. cit. num. 3.* ſic monentis: Quando ſimilia inſurgunt dubia, valde rarò ſolent eſſe rationabilia, atque adeò ſæpius ſunt ſpernenda. Et ratio eſt, quia cùm plures in hujuſmodi ſolennitate adſint perſonæ ex officio aſſiſtentes, ut ipſum promovendum inſtruant, & quæ in his actionibus non parum ſint verſatæ, facillimè animadverteretur defectus ab aliqua ex illis. Proindè non videtur probabile in Epiſcopo, in aſſiſtentibus, aut in ipſo promovendo adeò caſu extitiſſe negligentiam, ut errorem non adverterint, & quantò magis error fuerit gravis, tantò minùs eſt de eo timendum, quia minùs credibile erit, gravem defectum à tot perſonis adeò verſatis non adverti. Debent igitur hujuſmodi dubia, ut irrationabilia expelli, & conſcientiâ deponi, ob rationem allatam, quæ eſt ſatis efficax. Ita ille, cui junge Dianam *Part. 5. Tr. 13. Reſol. 47.* ſic inſtruentem.

207 Tandem pro ſcrupuloſis notandum eſt, hîc oportere hac in re diſtinguere ſcrupulum, aut nimium timorem à verò dubio, & opinione. Non enim, qui timet, an ordinatus ſit, aut quia præciſè non recordatur, tetigiſſe vaſa ſacra, aut non tetigiſſe, imaginatur ſibi, illico ordo iterandus eſt. Solus enim timor, aut oblivio non eſt ſufficiens ad verum dubium, aut probabilitatem. Multa enim obliviſcimur, quæ verè fecimus. Et timor ipſe, ac nimia ſolicitudo tangendi inſtrumenta, in quorum porrectione imprimitur Character, facit videri oblivioni traditum, quod revera memoramur. Ita Diana ſapienter, ut Bardi.

Ex his petes reſolutionem ſequentium Ordinum dubiorum, dubiorum, inquam, vel *ſtrictè*, quando nulla ratio occurrit ſufficiens ad eliciendum conſenſum, de quo genere locuti ſumus in hac tota concluſione, vel *latè*, quando ſcilicet occurrunt utrinque rationes intrinſecæ, ſufficientes ad gignendum prudentem aſſenſum, de quo dubio locuti ſumus *concluſ. 3. ſect. 1.* 208

I. P. Alcazar, & alii ordinati ab Epiſcopo Fernandez eo modo, quem expreſſimus *num.* 209
164. non tenebatur, ſpectatis omnibus principiis, petere aliam Ordinationem, poterat tamen bonâ conſcientiâ. Non tenebatur quia plerique omnes Theologi negant, adeſſe obligationem iterandi Ordinem collatum, quando nullus alius defectus occurrit, quàm quòd forma tota fuerit prolata paulò ante, vel paulò poſt contactum materiæ *remotæ*. Atqui ſuprà *num. 197.* oſtendi, poſſe quem ſibi perſuadere, ſe non teneri ad petendam iterationem, quando aliqui Theologi probabiliter negant ejuſmodi obligationem. Poterat tamen bonâ conſcientiâ, ut fecit ipſe, & alii, quamvis fruſtra, petere aliam Ordinationem, eſſe quippe procurandam, cenſuerunt Cajetan. atque Navarrus relati *Caſ. IV. num. 114.*

His addit Card. de Lugo *cit. dub. 33. n. 5.* 210
Scotum *in 4. d. 6. q. 2.* & Richardum, ac Zambranum, ſed Scotus loquitur expreſſè de ſolo Baptiſmo, & ratio, quam adfert, eſt potiùs contrà, quàm pro Navarro. Rectiùs adderet Paludanum, & Silveſtrum relatos *cit. num. 114.* Rectè quoque referret Granadum pro *licita* iteratione, ſicut ipſe etiam addit expreſſè hæc verba: *Hæc omnia procul dubio licitam reddunt ad minus reiterationem, ſaltem per principia extrinſeca, ex autoritate horum Doctorum. Qui quamvis non reddant probabilem ſententiam negantem valorem illius Ordinationis, reddunt tamen probabilem licentiam illius reiterationis conditionatam.* Ita ille.

Sed contra: Si illi quatuor autores priores 211
non reddunt probabilem ſententiam de nullitate Sacramenti, ergo nec reddunt probabilem de permiſſione iterationis, quomodo enim fieri poteſt, ut & ratio, qua nituntur pro priore membro, & illorum autoritas non ſit ſufficiens ad gignendam probabilitatem pro nullitate, ſit autem ſufficiens pro permiſſione iterationis? cùm certum ſit, nullius Doctoris autoritate effici aliquam ſententiam *practicè* probabilem, niſi ſupponatur, ſeu præſumatur, illum niti ratione probabili. Cenſeo igitur, ſententiam Cajetani, & Navarri de neceſſitate

coëxiſten-

Digitized by Google

coëxiſtentiæ formæ cum materia, etiam in Presbyteratûs Sacramento, eſſe per extrinſeca principia probabilem, & conſequenter peterem hodie cum P. Alcazar iteratam Ordinationem, ſi compertum haberem, primam fuiſſe peractam eo modo, quo peregit Ordinator Alcazaris.

212 II. Quod dixi de hoc individuo Caſu, dicendum quoque de Caſu imperiti Miniſtri, relato *Caſ. IV. num. 113.* etenim eadem eſt ratio utriuſque, licèt ille Antiſtes aliquantò magis conjunxerit formam, & materiam, quàm Epiſcopus Fernandez.

III Repetenda quoque (licèt neget in terminis Fumus *V. Ordo n. 4.*) Ordinatio illius, qui non tetigit *phyſicè* calicem, propter autoritatem DD. nominatorum *num. 57.* ſicut & illius Sacerdotis, in cujus Ordinatione calix ab eo tactus non continebat vinum. Suprà *num. 90.* nequaquam verò illius, qui non attigit hoſtiam impoſitam patenæ, cùm nullum *morale* dubium poſſit eſſe de valore hujus Ordinationis. Suprà *num. 103. & ſeqq.* ſicut nec illius, ſub cujus Ordinatione non fuit Miſſa cantata. *Caſ. VII. n. 257.* contra Silveſt. nec illius, qui non jejunus, aut à non jejuno fuit creatus Presbyter. *Caſ. IX. num. 352.* contra aliquos Canoniſtas.

213 IV. P. Bardi *cit. §. 2.* vult iterari Presbyteratum impertitum ab Epiſcopo, qui habebatur Catholicus, ac poſtea deprehenſus eſt fuiſſe hæreticus. *Etenim poteſt*, inquit Bardi, *talis rationabiliter ambigere tum de Ordine Epiſcopatûs in illo, tum de probatione* (*prolatione* debuit imprimi) *veræ formæ.* Ego potiùs ambigerem de intentione, ſaltem ſi mihi conſtaret, illum Epiſcopum fuiſſe verè Lutheranum, Calviniſtam, aut Zwinglianum, cùm enim ex profeſſo execrentur Miſſæ Sacrificium, nequit prudenter credi, formam hujus Sacramenti proferri ab iis feriò, & cum debita intentione. Aliud cenſerem de Epiſcopo, qui adhuc imbutus eſſet hæreſi Janſeniſticâ, nec enim ſcitur, quenquam erràſſe circa eſſentialia Ordinis.

214 Sicut autem *in Alphab. Baptizant. Caſ. XIII. num. 389.* retuli autores aſſerentes, rebaptizandos eſſe vel omnes, vel ferè omnes quos conſtat fuiſſe ab hæretico Baptizatos, ita etiam valet hæc conſequentia: Ergo ſimiliter ſunt aliis Ordinibus initiandi omnes, aut ferè omnes, qui fuerunt promoti ab hæretico Epiſcopo: Niſi fortè experientia doceret contrarium.

215 Unde Sacerdos, qui intelligit, ſe fuiſſe Baptizatum ab aliquo Calviniſta, poterit, aut etiam debebit petere novam inaugurationem ſi juxta dicta *in cit. Caſ. XIII. ſect. 2.* impetret alterum Baptiſmi: poſtulabit enim rectè alteram impoſitionem cum nova poteſtate ſacrificandi, non autem poſtulabit, ſi non impetravit emendatum lavacrum, cùm totum jus poſtulandi fundetur in dubio de Baptiſmo, quod dubium ſi habeatur pro irrationabili, corruet fundamentum illius poſtulationis, & obſecrationis.

V. Quandoquidem *in cit. Alphab. Caſ. XX. num. 683.* ratione, & authoritate demonſtravi, omnes ferè eſſe Sacro latice ſub conditione tingendos, quos conſtat à venefica, vel venefico tinctos, conſequenter ferè omnes tales erunt iterum ſacrandi in Minoriſtas, & Majoriſtas. 216

Et quia *in eodem Tract. Caſ. V. n. 177.* oſtendi, eſſe de pleriſque Baptizatis à laicis utriuſque ſexûs, etſi non malæ famæ, pronuntiandum, quod de Baptizatis à ſagis, ideò etiam dico, pleroſque ab his ablutos debere iterum conſecrari ab Epiſcopo. 217

Caſus tres recentiſſimi, quos indicavi ſuprà *num 173. 174. 180.* firmant opinionem, quam habeo de multiplicibus ineptiis committi ſolitis in ejuſmodi lavacro. Hos duos Caſus junge pluribus *in cit. Caſ. V.* recenſitis, & mecum ſenties. Adde his exemplum illius Getulii ſexagenarii, qui ex meo conſilio fuit rurſum regeneratus, ut recenſeo *ibid. Caſ. XV. num. 457.* itémque Urſi Sacerdotis, qui, ut refero *ibid. Caſ. XX. num. 656.* fuit reapſe ſecundò ordinatus, uterque autem fuerat Baptizatus ab obſtetrice, primus à merobibula, alter à ſuſpecta de *ſagacitate*, ut loquuntur per jocum nonnulli, ſeu quòd eſſet ſaga. 218

Porrò ſicuti ſuperiùs dixi, non eſſe circa reordinationem, ut ita loquar, dandum locum inanibus ſcrupulis, ita etiam memoranda eſt aurea ſententia ſapientiſſimi Pontificis Leonis *Epiſt. 73. cap. 1* ſic ſcribentis: *Inprimis providere debemus, ne, dum ſpeciem quandam cautionis tenemus, damnum regenerandarum incurramus animarum. Præſertim quia non temeritas intervenit præſumptionis, ubi eſt diligentia pietatis.* Ut addit idem Pontifex relatus *c. Nulla. De conſecr diſt. 4.* Tene certum, dimitte incertum, monet M. Auguſtinus relatus *c. Si autem. De pœnit. diſt. 7.* Certum eſt, alteram Ordinationem prudenter ſuſceptam non fore noxiam tuæ, aut alienæ animæ. Incertum, an prior ſit profutura. Cavendum tamen, ne detur aut occaſio, aut benigna auris ſcrupulis tum aliis, tum ſimilibus illorum, quos exhibent hi 219 220

Duo Caſus Scrupuloſorum.

PRimus. *Dubitat A. Presbyter, an verè Ordines ſuſceperit, quia, cùm Ordinaretur, dubitabat, an per illos Ordines, & verba Epiſcopi conferrentur Ordines cùm ſit aliàs valde ſcrupuloſus, licèt conaretur reſiſtere, & expellere tentationem. Et quia aliqua ex ſolitis veſtibus in illa Ordinatione ex aliqua incuria defuerunt.* 221

Secundus. *Regularis acceſſit ad Ordines recipiendos, & antequam eos acciperet, inſurrexit dubium nolendi, & volendi illos, licèt in partem* affirmativam *potiùs inclinaret, & cœpit tentari, quamvis à principio reſtitit il-* 222

Digitized by Google

li tentationi de doctrina , & opinione falſa ſignificationis Mitræ, & tunc fortiùs dubitavit, utrùm acciperet Ordines, & deinde quietus nihil recordatus præterita tentationis acceſſit, & Ordines accepit. Quæritur, an ſit verè ordinatus?

223 Quis facilè credat, potuiſſe quem ſanæ mentis hominem ita pertinaciter angi hiſce inſanis ſcrupulis, ut nec Confeſſarius, nec Superior Religioſus potuerit eis mederi, ſed oportuerit conſilium, medicinámque petere à peritiſſimo ſuæ ætatis medico Martino Navarro, qui *in Lib. 1. Conſil. tit. de Sacrament. non iterand. conſ. 5. & 6.* narrat deſcriptis verbis utrumque hunc Caſum, meritò reſpondens, *primum* debere pro certo putare, ſe eſſe ordinatum. Religioſum quoq; illum cenſendum eſſe habuiſſe ſufficientem intentionem recipiendi Ordines, & proinde neutrũ debere eos repetere.

224 „ *Primo* nihil obſuit illud dubium, quia nihilominus expreſſè voluit ordinari, & recipere, qnod S. Mater Eccleſia judicat in tali Ordinatione dari, & accipi. Nec obſuit defectus veſtium, cùm ſit certum, non eſſe mentem Eccleſiæ, ut, qui ſine illis ordinatur, *invalidè* ordinetur.

225 „ *Secundus* turbari non debuit, quandoquidem *voluntariè* ivit ad Ordines, & recepit illos *voluntariè* ſine metu mortis. Ergo propterea, quòd habuerit ſcrupulum nolendi, & volendi, & quaſdam trepitationes ſcrupuloſas, & de more ſcrupuloſorum, non eſt cenſendus non accepiſſe Ordines, imò judicandum, quòd acceperit eos, calcatis ſcrupulis injectis à dæmone, transformante ſe in Angelum lucis. Et quia reſtitit à principio tentationi de doctrina falſa ſignificationis Mitræ ideo, quòd ait, ſe dubitaſſe, non eſt intelligendum de vero dubio, ſed de ſcrupulo, quod longè diverſum eſt à vero dubio. Hæc & plura ſapientiſſimus Canoniſta.

226 Dico II. Supplendi ſunt defectus Ordinis non ſolùm *ſubſtantiales*, ſed etiam *accidentales*. Patet *ex cap. Preſbyter. de Sacram. non iterand.* tradúntq; Dominicus Sotus *in 4. diſt. 24. q. 1.* Silveſt. *verb. Irregularitas. quæſt. 12.* & alii Sumiſtæ cum aliis Canoniſtis, & Theologis unanimiter. Adeò ut delinquat lethifere, qui ante ſuppletionem miniſtrat in illo Ordine, ſi defectus fuit unus è præcipuis, ut eſt manuum impoſitio, vel unctio manuum, ſecùs ſi ſit quid minimum, inquit Sanchez *l. 7. Conſil moral. cap. 1. dub. 13.* poſt alios, ut e. g. ſi quis Canonem non legit cum Epiſcopo Tunc enim non oportet ſupplere, ſicut nec orationes, quæ non ſunt de eſſentia, & nec de ſoleñitate. Ita rurſum Sanchez poſt Abbat. *in cap. Preſbyter*, Silveſtrum *verb. Ordo. 2. quæſt. 10.* Tabienam *eod. verb. 2. q. 5.* Qui Sanch. cum aliis contra Jord. *Elucubr. Tom. 1. l. 3. tit. 6. n. 462.* meritò negat, incurri etiam in *primo* caſu ullam irregularitatem.

SECTIO III.

De modo iterandi Ordines dubios.

Et quid Epiſcopus, ac Confeſſarius tunc agere debeant.

Caſus Sacrilegi.

SUMMARIUM.

Caſus mirabilis initiati Ordinibus. 227.
Quis modus ſervandus in reordinandis? 229.
Caſus ex jure Canonico. 230.
Explicatur obſcurus textus illius Canonis. 231.
Quo tempore iteranda Ordinatio? Ibid.
Caſus doloſi cum reſponſo ingenioſi. 233.
Quid agendum Epiſcopo de ſuimet Ordinis valore dubitanti, poſtquam alios ordinavit? 236.
Quid ſimiliter Confeſſario, qui poſt dubium Ordinem excepit Confeſſiones? 239.
Quid pœnitentibus confeſſis tali? 241.

Fabius ſuſcepturus Ordinem Diaconatûs non tetigit librum Evangeliorum. Poſtea curavit ſe inſigniri Sacerdotio dicendo expreſſè: Nolo, ut valeat hæc Ordinatio, ſi non valuit Ordinatio, Diaconatûs, *Tertiò poſt Preſbyteratum functus non ſemel eſt officio Diaconi, & Sacerdotis, pœnitens tamen facti quæſivit ex Romanæ urbis oraculo Navarro, ut leges in ejus* Conſil. Lib. 1. de Sacram. non iterand. conſ. 3. *quid cenſeret de valore illorum Ordinum, & de modo ſupplendi defectus, ſi qui interceſſiſſent ſubſtantiales?* 227

Reſponſum Navarri ſubjiciam huic generali quæſtioni.

Quæritur enim I. *Quomodo? Quando? Ubi ſint ſupplendi defectus, quos ſupplendos conſtat ex dictis præcedente ſectione?* 228

Reſpondit Navarrus illi Fabio, debere ſe gerere cum magna prudentia, curando ſcilicet, ut acciperet illos denuo in aliquo loco ita remoto, vel ſecreto, vel à tali Epiſcopo, ut non poſſit probari, eum accepiſſe illos bis in foro *exteriori*, alioqui puniretur graviter. Obſervat verò Pax Jordan. *Elucubrat. Volum. 1. Lib. 3. Tit. 6. n. 472.* illam tantam cautelam non fuiſſe ſuperfluam in eo caſu, at verò non eſſe communiter neceſſariam, & utique eſt nimia, quando ſcitur, vel præſumitur defectus acciſſe abſque culpa ordinati. Sed diſtinctè reſpondendo ad tres quæſtiunculas hîc à me propoſitas.

Dico I. Ad modum iterandi quod attinet, 229 præ oculis habenda eſt generalis doctrina, & intellectus verus *cap. Paſtoralis. De Sacram. non iterand.* comprehenſi hoc

Caſu

Caſu Canonico.

230 *Nos conſulere voluiſti, an permitti debeat miniſtrare, qui ſine impoſitione manuum fuerit ad ordinem Subdiaconatûs aſſumptus, & ſi Confirmationis Sacramentum debeat in eo iterari, qui in eo fuit non Chriſmate, ſed oleo delinitus? Ad quod breviter duximus reſpondendum, quòd in talibus non eſt aliquid iterandum. Sed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum.*

Ita reſcripſit Innocentius III. Itaque quando una aliqua pars, aut cæremonia Sacramenti eſt vel penitus omiſſa, vel perperam acta, debet ea ſola repeti, non aliæ, ſicut in Caſu iſto Canonico debuit repeti ſola impoſitio manuum.

231 Dices: *Subdiaconis non imponuntur manus, ut liquet ex uſu, & Pontificali.* Reſp. Vel pro voce *Diaconatus* eſt mendoſè impreſſum nomen *Subdiaconatus.* Barboſa *in cit. cap.* vel per impoſitionem manuum intelligitur benedictio. Idem cum communi. Quando autem ſuppletur aliquis actus, debent iterari orationes annexæ illi actui. Silveſter *Verb. Ordo 1. quæſt. 10.* Unde ſi facta eſt inunctio, & non dicta oratio, vel contra, eſt utrumque repetendum, quia non ſunt actus diviſi, cùm in oratione fiat mentio de utroque, ſed ſe habent ſicut materia, & forma. Silveſt. *Ibid. 2. quæſt. 12.* P. Sanchez *Lib. 7. Conſil. Moral. cap. 1. dub. 13.* adeóque quando eſt omiſſa prolatio formæ, tradita tamen materia, debet rurſum hæc tradi, quando ſuppletur forma. Si autem ſit inuncta ſolùm una manus cum prolatione formæ, inungatur altera repetendo formam in numero ſingulari. Silveſt. *Ibid. quæſt. 10.* poſt Abbatem *in cap Preſbyter. De Sacram. non iterand.* ſat diſtinctè. Si denique pars orationis, vel formæ omiſſa, oportet totam repetere. Sanchez *Ibid.* poſt Abbatem, Silveſt. Tabien. ſi videlicet defectus non confeſtim emendetur. Addunt iidem Scriptores, ſuppletionem debere fieri ab illo, ſi queat, Epiſcopo, qui cæteros ritus adhibuit, cùm illud ſupplementum pertineat ad perfectionem Sacramenti ab ipſo adminiſtrati.

232 De tempore verò, & loco iterationis diſſerens P. Quintanadvennas *Sing. Tract. 6. ſing. 1.* & accuratè tractans hoc argumentum docet cum communi DD. hactenus citatorum, propter authoritatem *cap. Tuæ* deſcripti ſuprà *n. 194.* quando certum eſt, Ordinem aliquem, aut cæremoniam fuiſſe penitus omiſſam, debere, *per ſe loquendo*, repeti eo tempore, quo ſolent, & debent ordinariè adminiſtrari Ordines, at verò, quando ob ſolum dubium iteratur Ordo, aut cæremonia, & proinde *ſub conditione*, poſſe iterari quovis die, & in privato ſacello, & quidem uno, eodémque die omnes ſimul, tam Majores, quàm Minores Ordines eidem conferri, nec neceſſariò adhibendas ullas ſolennitates, præter neceſſarias ad valorem: citat pro ſe Granadum, cito ego P. Thomam Tamburinum *De Sacram. Tract. De Ordine cap 5. §. 3.* addentem expreſſè, poſſe à quolibet Epiſcopo adminiſtrari hoſce conditionatos actus. Scio equidem, Canoniſtas ſuprà relatos cum P. Sanchez *abſolutè* ſcribere, iterationem eſſe faciendam tempore ordinario, at non loquuntur de conditionali, ſed de abſoluta. Vide Abbat. *in cit. cap. Preſbyter*, vel potiùs Butrium, qui ibi ſubſtituitur Abbati.

Dixi ſuperiùs: *Per ſe loquendo*, etenim ratio infamiæ, ſcandali, & alia *extrinſeca* incommoda faciunt, ut aliquando locum habeat ſequens

Caſus Doloſi, & Reſponſio Ingenioſi.

Frobenius initiatus Ordinibus, ſed fictè, *quia ſine vera intentione eos ſuſcipiendi, deponit poſtea fictionem, vellétque in iis religioſè miniſtrare, ſed nec poteſt, utpote revera non conſecratus, nec audet accedere aliam Ordinationem, metu ne accuſetur accepiſſe bis eundem Ordinem, declaretúrque irregularis. Quid conſilii dandum ipſi?* 233

Martinus Navarrus, ut videre eſt *in Lib. 2. conſil. tit. De Sacram. non iterand. conſ. 7.* ſubminiſtravit hoc ingenioſum conſilium, ut ſcilicet accederet ſuum Ordinarium. Eíque aperiret in confeſſione Sacramentali ſuum crimen, peterétque ab eo licentiam ſuſcipiendi Ordinem illum, à quocunque vellet Epiſcopo. Eâ obtentâ contenderet ad locum remotiſſimum, ubi eſſet ignotus, ac virtute dimiſſoriarum, ob quas fuerat antè ordinatus, reciperet Ordinem, quo carebat. Ita Navarrus. 234

At quid ſi fuiſſet ordinatus, ſine dimiſſoriis, utpote ab ipſomet ſuo Ordinario? Debuiſſet, judice Navarro, petere à Summo Pontifice dimiſſorias ſine conſueta clauſula: *De conſenſu ſui Ordinarii.* Sed non video, quomodo potuiſſet impetrare, non manifeſtando ſuum prius peccatum, ſicut nec video, quomodo in ſimilibus repetitionibus facilè locum habeat illud pronuntiatum Abbatis *in cap. Preſbyter. n. 3. in fin. Commendatur fictio ad cautelam, dummodo vitetur mendacium, cap In mandatis. diſt. 43. & cap. Utilem. 22. quæſt. 2.* 235

Quæritur II. *Quid agendum Epiſcopo, & Confeſſario, qui, poſtquam exercuerunt actus proprios ſui Ordinis, ſunt certi, vel dubii de nullitate proprii Ordinis, & conſequenter actuum exercitorum ex vi illius ipſius Ordinis?* 236

Reſp. Quid Epiſcopus talis facere teneatur, quando certò comperit, eſſe à ſe aliquos Sacerdotes malè ordinatos quoad *ſubſtantialia*, aperui

Digitized by Google

aperui meum ſenſum *in Alphab. Baptiz. Caſ. XIV. num. 442.* Si error ſit admiſſus quoad ſola *accidentalia* parvi momenti, diſſimulet; ſi magni, & nequeat ſine ſuo probro ſupplere publicè, ſuppleat privatim, memor Regulæ traditæ à Navarro: *Qui non poteſt aliquid facere eo modo, quo debet, faciat eo, quo poteſt.* Si verò dubitet de *accidentalibus*, non cenſeo, eſſe mentem Eccleſiæ eum obligare ad ullam iterationem, cùm enim hæc nunquam fiat ſine plurium turbatione, non eſt hoc certum incommodum ſuſcipiendum propter incertum, & nemini noxium defectum *cap. Ubi periculum. De elect. in 6.* Sicut nec Quintanadvenas *Singul. Tract. 6. Singul. 3. num. 6.* vult repeti Confirmationes impertitas ab eo, licèt ſciat, ſe non fuiſſe verè conſeeratum, eò quòd iſtud Sacramentum non ſit neceſſarium ad ſalutem, ergo non iterandum cum tanta perturbatione. Oleum, quod pro baptizandis, ungendis, confirmandis ad illum annum conſecravit, conſumi faciat, & aliud etiam ante feriam V. in Cœna Domini conſecret, mittátque per Diœceſin, inquit *ibid.* ille Author, ſubdens, reliquas functiones non dependentes à Charactere Epiſcopali fuiſſe validas propter titulum coloratum, & errorem communem. Calicum, & altarium conſecrationem iterandam poterit omittere nixus autoritate DD. à me *in Alphab. Sacrific. Caſ. VIII. IX. & X.* citatorum, &, me non approbante, dicentiū, quando quis bonâ fide celebravit in altari, cum calice, & cum veſte nec conſecratis, nec benedictis, non indigere aliâ conſecratione, aut benedictione.

237 (beside the line "lum. De elect. in 6. Sicut nec Quintanadvenas")

238 (beside the line "Charactere Epiſcopali fuiſſe validas propter")

239 Eodem *Caſu XIV. num. 439. Alphab. Baptizantium. ſeu Tract. 11.* expreſſi etiam, quid judicem faciendum Confeſſario poſt cognitam ſuam Ordinationem irritam ob defectum Baptiſmi, illic dicta habent utique locum, undecunque provenerit ea invaliditas. Si ſolùm dubitet, (eſto valde prudenter,) aget imprudenter refricando ſuis pœnitentibus memoriam peccatorum detectorum.

240 Rurſum *in eodem Alphab. Baptiz. Caſ. XV. num. 459. & ſeqq.* tractatur de Religioſo perperam baptizato, illic dicta, & huc facientia non repeto, ſicut nec Declarationem Sacræ Congregationis deſcriptam ſuprà *num. 179.* & æquè ad hunc, quàm ad illum locum pertinentem.

241 Poſtremò in illo ipſo *Alphab. Baptiz. Caſu XIV. num. 441.* aperui meum ſenſum de obligatione pœnitentium certò cognoſcentium, ſuum Confeſſarium non fuiſſe verum Sacerdotem. Si autem ſolùm dubitent rationabiliter (nulla enim eſt etiam hic ratio habenda dubiorum irrationabilium) videri queat, non eſſe repetendas Confeſſiones, utpote ſummè moleſtas, ergo in dubio non injungendas. Verùm, quia Sanchez *in Summa Lib. 1. cap. 10. num. 71.* Lugo *De pœnit. Diſp. 16. num. 607.* & alii plures tradunt generatim, Confeſſionem eſſe repetendam, de qua dubitatur, an fuerit valida, idcirco nolim *abſolutè* negare neceſſitatem repetitionis. Vide dicta *Tract. 6. n. 563. & 564.*

De Sacerdotibus ſcientibus, aut dubitantibus, an ſuus Ordinator fuerit verus Epiſcopus, quid ſentiendum, patet ex dictis ſuprà *n. 201.* quandoquidem utique rationabiliter dubitāt, an ſit verè ordinati, ſi dubitent, utrùm ipſorum Ordinator fuerit ornatus Charactere Epiſcopali. Et hæc ſufficiant de Ordinibus dubiis, & iterandis. 242

ORDINIS MINISTER EPISCOPUS.

CASUS VII.

Lituanicus.

SUMMARIUM.

Caſus de Suffraganei poteſtate dubia. 243.

G*Regorio Epiſcopo Vilnenſi datus fuit Epiſcopus Suffraganeus à Summo Pontifice, qui in ſuo Diplomate ad illum Suffraganeum directo ſic loquitur:* Concedimus tibi facultatem, Pontificalia officia in Civitate, & Diœceſi Vilnenſi de expreſſa licentia Venerabilis, & pro tempore exiſtentis Epiſcopi Vilnenſis conſenſu, & ſpeciali licentia exercendi, *& rurſum poſtea.* Téque in Suffraganeum dicti moderni, & pro tempore exiſtentis Epiſcopi Vilnenſis conſtituimus, *& inferiùs addit:* Et ut omnia, & ſingula ad hujuſmodi Suffraganeatûs officiū quomodolibet pertinentia, in Eccleſia, Civitate, & Diœceſi Vilnenſi facere, & exercere poſſis, dicti moderni, & pro tempore exiſtentis Epiſcopi Vilnenſis ad id expreſſè accedente conſenſu, facultatem damus. *Poſtea Epiſcopus Vilnenſis Suffraganeum illum admiſit, eique facultatem dedit exercendi, quidquid ipſemet poſſet, qua facultate uſus Suffraganeus, vivente Epiſcopo, ipſo autem mortuo dubitavit, an vi illius facultatis à Capitulo non revocatæ poſſet Pontificia exercere, & conferre Ordines habentibus dimiſſorias legitimas ſuorum Prælatorum, præſertim ſi Capitulum id videat, & non contradicat, an verò neceſſe ſit, petere Capituli conſenſum expreſſum? Quod idem quæritur reſpectu Epiſcopi ſucceſſoris, an oporteat ab eo expreſſum conſenſum obtinere, an verò ſufficiat facultas* 243

Digitized by Google

cultas præceſſoris, quamdiu à ſucceſſore non revocatur.

244 Hic Caſus, quem ut reſolveret Cardinalis de Lugo, rogatus fuit, quemque ipſe recitat verbis à me exaratis *in Reſp. Moral. Lib. 1. dub. 22.* ſubminiſtrat ſeu *directè*, ſeu admodum *indirectè*, non tamen importunè occaſionem ſatiſfaciendi ſequentibus quæſtionibus. 1. *Sitne ſolius Epiſcopi conferre Ordines ſacros?* 2. *An cujuſlibet Epiſcopi?* 3. *An quibuſlibet?* 4. *An quovis loco, & habitu?* Prioribus duabus faciam ſatis ſectione *primâ*, poſterioribus *ſecundâ*.

SECTIO I.

An ſolus, & quilibet Epiſcopus ſit Miniſter Ordinationis?

SUMMARIUM.

Per ſe loquendo, *ſolus Epiſcopus confert Ordines.* 245.
Quo ſenſu fuerint olim pronuntiatæ irritæ Ordinationes, quas fecêre Epiſcopi Hæretici, vel Schiſmatici? 246. & ſeqq.
Caſus Epiſcopi non valentis præ ſenio facere Sacrum, quando conferebat Ordines. 252.
Refutatur error Silveſtri circa neceſſitatem ſacrificandi tempore Ordinationis. 257.
Caſus, quo poteſt fieri Ordinatio ſine Sacrificio. 259.
Caſus petentis ordinari immediatè *poſt generalem Ordinationem.* 260.
Solius Diœceſani Epiſc. eſt conferre Ordines. 262.
Caſus Epiſcopi mortui in ipſa angaria. 265.
Poteſtas Capituli circa commiſſionem Ordinationis, ſede vacante. 266. & 268.
Explicatur locutio anceps Concilii Tridentini 267.
Poteſtas Vicarii, ſede vacante. 269.
Arctatis beneficio quid liceat primo anno Sedis vacantis? 272.
An per Epiſtolam poſſit Capitulum, ſede vacante, dare licentiam ordinandi? 273.
Caſus ſingularis refertur circa hanc rem. 275.
Epiſcopo non licet, per ſe loquendo, *ordinare, niſi ſuos ſubditos.* 276.

245 DIco I. Eſt, *per ſe loquendo*, ſolius Epiſcopi conferre Ordines, ſeu Majores, ſeu etiam Minores. Tridentin. Concil. *Seſſ. 23. Can. 4. & cap. 7* S. Thomas *in Suppl. q. 65. a. 2.* fundatúrque hæc poteſtas in Charactere Epiſcopali, ita, ut ne quidem per mortem auferri queat, proindéque potuiſſet S. Dionyſius, qui demeſſum ſibi caput tulit ipſe ſuis manibus ad notabile ſpatium, Sacerdotes creare, ſi illud ipſum caput cætero corpori iterum univiſſet Deus. Vide Bonacin. *De Sacram. diſp. 8. punct 4. num. 1.* & Barboſam *De Offic. & pot. Epiſc. allegat. 3. num. 3.* Et adde, etiam Primæ Tonſuræ Ordinarium, & per ſe, miniſtrum eſſe ſolum Epiſcopum, alios per ſolum privilegium. D. Pax Jordanus *Elucubr. Vol. 1. Lib. 3. tit. 6. num. 11.* poſt Barboſ. *loc. cit.* & alios contra alios, nec valori Ordinationis obeſſe ullam cenſuram, aut hæreſin, ſiquidem hoc, & alia Sacramenta confert potiùs dignitas, quàm perſona, inquit Abbas *cap. Veritatis. De dol. & contum. num. 46.*

Objicies: Ego tamen ſæpe nec ſine admira- 246
tione, vel dubitatione legi, fuiſſe ab ipſis Summis Pontificibus, & aliis Patriarchis irritas habitas Ordinationes eorum, quos Hæretici, vel Schiſmatici, vel Antipapæ initiaverunt ſacris. Quin lego ex S. Gregorio apud Gratianum *c. Nos. 9. q. 1.* hæc verba: *Nos conſecrationem dicere nullo modo poſſumus, quæ ab excommunicatis hominibus eſt celebrata.* Et ibid. *c 5.* ex Papa Urbano: *Ordinationes, quæ ab Hæreſiarchis nominatim excomunicatis factæ ſunt &c. irritas eſſe judicamus.* Et ut alia omittam, Innocentius II. in Concil. Romano ita ſanxit: *Adhæc Ordinationes factas à Petro Leone* (Antipapa) *& aliis Hæreticis, & Schiſmaticis evacuamus, & irritas eſſe cenſemus.* Baronius ad Annum Chriſti 1139. *in fin. num 5.*

Reſp. Et ego olim legi cum admiratione, 247
ſed factus doctior didici, ejuſmodi locutiones eſſe intelligendas de ſola executione Ordinum, non de poteſtate; id eſt, fuiſſe talibus interdictum uſum Ordinum, non autem negatam poteſtatem. Sanè Paſchalis II. in Syn. Gua- 248
ſtalenſi apud eundem Baronium *ad Annum Chriſti 1106 num. 28* ita pronuntiavit, *Patrum noſtrorum exemplis, & ſcriptis inſtructi, qui diverſis temporibus Novatianos, & Donatiſtas in ſuis Ordinibus ſuſceperunt, præfati regni Epiſcopos in Schiſmate ordinatos* (*niſi aut invaſores, aut criminoſi ſint probati*) *in officio Epiſcopali ſuſcipimus* Explicationem datam reperies apud Gloſſ. *in cit. cap. Nos.* & apud P. Suarez *De Cenſ. Diſput. 11. ſect. 2. n. 4. & ſeqq.* ac Dianam *Part. 8. Tract. 2. Reſol. 2*

Quid ſi autem Epiſcopus ipſe fuit invalidè *or-* 249
dinatus in Diaconum, an validè *efficiet alios Diaconos?* Reſp. *Negativè*, ſi ſtetur communi ſententiâ S. Antonini, Silveſt. Henriq. aliorum apud Dian. *cit. Tract. 2. Reſol. 4.* *Affirmativè*, ſi audiatur Vaſquez, Præpoſitus, alii apud, & cum ipſo Diana Eò quòd poteſtas ordinandi pendeat non ab aliis Ordinibus, ſed à Charactere Epiſcopali. Si tamen Epiſcopus ille haberet perſpectum ſuum defectum, deberet emendare, cùm generatim vetitum ſit miniſtrare in Ordine ſuperiori, ſi cui deſit inferior.

Dixi ſuprà: *Per ſe loquendo* Etenim Ponti- 250
ficis authoritate poteſtas ordinandi aliis communicari poteſt, ut videbimus *Caſ. VIII. X.* & maximè *XIV.* Sicuti & poſſet nondum conſecrato, cui tamen de jure communi ne quidem licet ante Confirmationem adminiſtrare hoc Sacramentum, eſto jam fortè ſit inſignitus coronâ Epiſcopali.

Dico

Digitized by Google

251 Dico II. Tametſi quivis verè conſecratus Epiſcopus conferat *validè* Ordines,non tamen quivis *licitè*.

252 I. Namque debet eſſe immunis ab omni peccato mortali, cenſura, & irregularitate &c. præditus quoque omnibus Ordinibus inferioribus Epiſcopatu, ut patet ex paulò antè dictis, ſicuti & jejunus juxta dicenda *Caſ. IX.*

253 II. Ordines Majores non poteſt conferre, niſi inter Miſſarum ſolennia ab ipſomet celebrata. Gloſſ. *in cap. Quod ſicut. 28. De elect.* Verb. *Dividatur.* Qua de re audi, mi Lector, duplicem curioſum Caſum, ad quorum *primum*, ut reſponderem, rogatus fui literis ex ipſa Sileſia datis die 30. Sept. Anno 1659. ad *alterum* autem coràm, hic Conſtantiæ.

Caſus Primus.

254 *GErmanus Epiſcopus ſenio, & invaletudine gravatus nequit, niſi difficillimè, vacare Miſſæ dicendæ,& ordinandis, qui ſeſe offerunt, tametſi utcumque facilè valeat Ordines conferre. Quæritur igitur, an non queat ita ſublevari, ut alius Sacerdos ſimplex faciat Sacrum, Germanus verò ſub illo fungatur officio Epiſcopali, adſcribendo militiæ Clericali, qui ſe præſentant?*

255 *Videri poſſit eſſe id permiſſum in his circumſtantiis. 1. Quia nulla lex Divina, aut humana præcipit illam circumſtantiam Sacrificantis. 2. Eſto aliqua præciperet, attamen ſicuti plurimæ aliæ non obligant cum magna difficultate, ita nec iſta. 3. Scribebat, qui me conſuluit, alicubi factitari illud ipſum, de quo hîc quæritur, an ſit licitum.*

256 Partim reſpondi, partim reſpondeo nunc I. Illam ſublevationem eſſe, *per ſe loquendo*, illicitam. Tum quia eſt expreſſè,& contra conſuetudinem Eccleſiæ indicatam *cit. cap. Quod ſicut. §. ſuper eo.* & contra Rubricas Pontificalis. Tum quia Gloſſ. *loc. cit.* expreſſè ſcribit: *Quæſitum fuit à me Bernardo Parmenſi in conſecratione D. Octaviani Epiſcopi Bonon. utrùm Archiepiſcopus poſſet conſecrare, & alius Miſſam cantare? Reſponſum fuit à Papa* (ut Gloſſam explicat Jordanus mox citandus) *quòd illud fieri non debebat, cùm illud eſſet contra ordinationem Eccleſiæ in hoc cap.* Quod ſicut, *& nunquam audivi, nec legi, quòd hoc aliquando factum fuerit.* Tum denique, quia omnes Canoniſtæ ſcribentes in illud *cap.* itémque Summiſtæ *in Verb. Ordo abſolutè* docent, Miſſam ab Epiſcopo Ordinatore celebrandam. Multos nominat P. Sanchez *Lib. 7. Conſ. Moral. cap. 1. dub. 4.* addentè expreſſè Jordano *Elucubr. Vol. 1. Lib. 3. tit. 6. num. 447.* non poſſe aliter fieri *ſine gravi cauſa.*

257 Quamquam ſine omni prorſus dubio erravit doctiſſimus cæteroquin Silveſter, dum *Verb. Ord. 2. quæſt. 9. dict. 2.* ſic ſcripſit: *Si Miſſa non præmittatur, nihil fit, ſed totum eſt iterandum, & ſi unus dicat Miſſam, alius ordinet, tenet Ordo in Minoribus, non in Sacris, ſed eſt de ſubſtantia.* Certè nullum Concilium, nullus Pontifex unquam quidquam ſcripſit in favorem hujus ſententiæ, licèt *primam* ejus partem poſt Gloſſ. *cit. Verb. dividatur* doceant Antonius de Butrio, Reinerus, & Angelus apud eundem Silveſt. & apud Sanchez, at ſine ſpecie ullius probabilitatis, cùm de eſſentia cujuſque Sacramenti ſit ſola materia, forma, miniſter cum debita intentione.

258 II. Itaque ſi Germanus non habuit Suffraganeum, debuit à Summo Pontifice petere diſpenſationem, quam, ut exiſtimo, non negaſſet.

259 III. Si Germanum, aut alium Epiſcopum invaderet hebdomadâ quatuor temporum, aut Sanctâ ejuſmodi debilitas, ut nequiret, niſi cum ingenti difficultate, perficere utrumque munus ordinandi, & celebrandi, nec adeſſet alius Epiſcopus, qui ſacram Ordinationem obire vellet, vel poſſet, tunc exiſtimo, ſive Epiikiam, ſive generalem interpretationem communis conſuetudinis permiſſuram, ut propter tam magna incommoda, quæ evenirent, ſi domum remitterentur nudi, qui ſe non abſque grandiore corona redituros ſperabant, ſine omni ſcrupulo curaret Sacrum fieri per alium. Cùm enim tam multæ leges, & conſuetudines Eccleſiaſticæ admittant utramque hanc exceptionem in circumſtantiis non majoris momenti, quàm ſit hîc indicata, quidni, & hæc admittat? Conſentit Iordanus ſuprà admittens gravem cauſam. Conſentit, & Ioannes Præpoſitus *De Sacram. Ordinis num. 150.* ex quo mihi, carenti hoc libro, miſit nonnemo Româ ex eruditiſſimis hæc verba: *Non tamen requiritur, ut ipſe Epiſcopus celebret, cùm id nullo jure caveatur.*

IV. Non tamen cenſui, hanc reſponſionem habuiſſe locum in iſto

Caſu ſecundo repentino.

260 *GAbriel Subdiaconus tridui itinere Anno 1663. venit Conſtantiam, ut promoveretur ad Ordinem Diaconatûs Sabbato Quatuor Temporum Quadrageſimæ, & Preſbyteratûs in Sabbato Sitientes, ſi in interſtitiis diſpenſaretur (ut factum fuit) à Reverendiſſimo Domino Ordinario, in ætate verò à ſua Sanctitate, à qua in horas ſingulas præſtolabatur illam gratiam, quam etiam attulit proprius tabellarius, ſed paulò ſeriùs, ſcilicet, immediatè pòſt, quàm finita erat jam generalis Ordinatio, abſolutúmque Sacrum.*

Accur-

Digitized by Google

Accurrit tamen ille Candidatus Preſbyteratûs illicò ad me, ſcire percupiens, an poſſet illo ipſo adhuc antemeridiano tempore ungi in Sacerdotem à Reverendiſſimo Domino Suffraganeo ſub Miſſa alterius (qui jam conſtitutus erat) Sacerdotis, ſe ſupplicaturum pro ea gratia, dummodo cenſerem, poſſe præſtari.

261 Reſpondi, non videri eſſe ſufficientem cauſam agendi contra triplex (juxta ſententiam multorum) præceptum Eccleſiæ, quà ſcriptum, quà conſuetudinarium, *primum* de Miſſa celebranda ab ipſomet Ordinatore; *alterum* de jejunio præmittendo Ordinationi, ſolverat autem ille Reverendiſſimus, & de quovis etiam infimæ ſortis Clerico bene, ac gratioſè mereri ſolitus Dominus jejunium naturale per ſumptionem purificationis, ablutioniſque in Miſſa, ſub qua contulerat Sacramentum Ordinis plus quàm 40. Gandidatis. *Tertium* de non celebranda niſi una Ordinatione una die. Accedebat, quòd ſupereſſent ſolùm 14. dies uſque ad Sabbatum Sanctum, ut proinde tantilla dilatio non eſſet allatura incommodum par diſpenſationi in hoc triplici more Eccleſiæ. Acquievit ille D. Conſulens facilè reſponſo.

262 III. Non eſt cujuſvis Epiſcopi, conferre Ordines. Patet tum ex variis Canonibus, tum ex Caſu noſtro Lithuanico, ubi Suffraganeo Vilnenſi non eſt facta poteſtas inaugurandi ſacros myſtas, niſi cum licentia Ordinarii. Unde Cardinalis de Lugo ad quæſtionem motam, circa prædictum Suffraganeum, ſic reſpondet: Ego, „cùm prædictus Suffraganeus me de hoc conſuluiſſet, rem totam detuli S. Congregationi Eminentiſſimorum DD. Cardinalium Tridentini Concilii interpretum, cùm totum penderet ex intelligentia dicti Decreti Trident. *Seſſ. 6. cap. 5. De Reform.* ubi cavetur, „quòd nulli Epiſcopo liceat cujuſvis Privilegii prætextu Pontificalia in alterius Diœceſi „exercere, niſi de Ordinarii *loci* expreſſa licentia, præſertim cùm nomine *Ordinarii loci* intelligatur etiam ibi Capitulum, Sede vacante, „ut ſæpius reſponſum fuit in eadem Congregatione. In hoc caſu Eminentiſſimi Cardinales poſtquam ſemel, atque iterum hac de re „cogitârunt, reſponderunt die 22. Febr. 1631. „his verbis: *Sacra Congregatio Concil. Trident. „cenſuit, ſecundùm ea, quæ proponuntur, prædictum Suffraganeum non poſſe.*

263 Nec obeſt, inquit idem Cardinalis *num. 3.* „communis doctrina Thomæ Sanchez *Lib. 8. „De matrim. Diſp. 26. num. 72.* quòd licentiæ, „& facultates conceſſæ à præceſſore durent „etiam poſt hujus mortem, quamdiu non revocantur à ſucceſſore, nam cauſa, ob quam „Congregatio ita declaravit, eſt reverentia „debita Ordinario in ſua Diœceſi, cui opponi „videtur, ſi alius, eo non annuente, ſe ut Epiſcopum gerat, ſicut ſi hoſpes in aliena domo „ut dominum ſe gerat ſine domini conſenſu. „

Hæc, & plura petita ex Regulis Civilitatis ſapienter Cardinalis. 264

Sicut autem non potuit ille Suffraganeus Vilnenſis obire functiones Pontificales ſine permiſſu Ordinarii, ita nec potuit, ſede vacante, eas, *per ſe loquendo*, tunc peragere de conſenſu Capituli, ut oſtendo reſponſione ad

Caſum ob Occaſum.

Sapientiſſimi, & meritiſſimi Præſulis Hiſpalenſis D. Petri de Caſtro, & Quinnones, quo Anno 1622. feriâ ſextâ quatuor Temporum vitâ functo, quæſitum fuit, an Capitulum, Sede vacante, poſſet hanc concedere licentiam Epiſcopo Titulari, vel alteri ejus Diœceſis, ut Sabbato ſequente Ordines celebraret, 265

P. Antonius Quintanadvenn. *Sing. Tract. 6. ſing. 6.* relator, diribitórque hujus eventûs reſpondet, partem *affirmativam* eſſe prorſus tenendam, eò quòd Congregatio Cardinal. apud Garciam *De benef. p. 5. cap. 7. numero 39.* & Barboſam *in Trident. Seſſ. 7. cap. 10.* ita declaret. Probat etiam autoritate Garciæ, Barboſæ, Bellarmini, Villalobos, Molfeſii, Quarantæ. Et quidem Sanchez *Lib. 7. Conſil. Moral. cap. 1. dub. 26. num. 2.* ſentit omnino idipſum, quod Quintanadvenn. Barboſa verò *in locum citat. Tridentini*, itémque Quaranta *Verb. Capitulum Sede vacante. verſ. Undecimò quæro*, prorſus contrarium, reliqui nihil planè favent illi illimitatæ reſponſioni, & meritò, nam verba Tridentini Concil. *loc. cit.* ita habent: *Non liceat Capitulis Eccleſiarum, Sede vacante, infra annum à die vacationis ordinandi licentiam, aut literas dimiſſorias, ſeu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex juris communis diſpoſitione, quàm etiam cujuſvis Privilegii, aut conſuetudinis vigore alicui, qui beneficii Eccleſiaſtici, recepti, ſive recipiendi occaſione arctatus non fuerit, concedere, ſi ſecus fiat, Capitulum contraveniens Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto, & ſic ordinati &c. in majoribus &c. ſint ſuſpenſi &c.* 266

Declaratio verò, qua nititur ille ſanè doctus autor, refertur non à Barboſ. ut ſcribit Quintanadvenn. ſed à Gallemart in hoc ipſſi Caput Tridentini his verbis: *Capitulum, Sede vacante, poteſt concedere etiam licentiam extero Epiſcopo exercendi Pontificalia in eorum Eccleſia, & Ordines conferendi, tam Clericis illius Diœceſis, quàm exteris habentibus dimiſſorias ſuorum Epiſcoporum, juxta tamen formam hujus Decreti.* Ita Declaratio. Cujus poſtrema verba exprimentia, eam eſſe intelligendam juxta *formam hujus Decreti*, id eſt, citati Capitis decimi, manifeſtè indicant, non eſſe in ea ſermonem, niſi de arctatis, hæc enim eſt unica 267

unica

unica forma hujus Decerti: Item illa verba: *Clericus illius Diœceſis* intelligenda ſunt de Clericis Diœceſis ſpectantis ad Epiſcopum, cui Capitulum facit poteſtatem Quod verò ajunt Sanch. & Quintanadv. verbum illud *Ordinandi*, quo utitur Tridentinum, accipi *paſſivè* pro: *Ut Ordinari poſſit*, adeóque idem eſſe, quod dandi dimiſſorias, ut poſſit ordinari, eſt explicatio prorſus aliena à ſtylo Trident. Concil. & repugnat apertè Declarationi citatæ.

268 Reſp. Itaque I. Capitulum, Sede vacante, nequit infra primum annum à die vacationis dare cuiquam, niſi qui arctatus ſit beneficio, literas dimiſſorias, poteſt autem poſt primum annum, ſi fortè Sedes adhuc vacet. *Prima* pars eſt communis Jordani *num. 131.* Barboſæ *alleg. 7. num. 10.* & aliorum contra Sanch. & Quintanadv. jam primùm refutatos. *Altera* pars eſt omnium, patétque ex verbis Trident. Concil. loquentis expreſsè de primo anno ſolo, & proinde relinquentis annos ſequentes in terminis juris antiqui, quo *in cap. Cùm nullus. De temp. Ordin. in 6.* fit generatim poteſtas Capitulo, ut Epiſcopo in remotis agente (longè potiùs mortuo) poſſit literas dimiſſorias impertiri. Intelligitur autem hoc Decretum etiam pro Prima Tonſura. Barboſa *loc. cit. n. 2.* niſi quis ſit præſentatus à Laicis ad Beneficium Eccleſiaſticum. Idem *ibid.* quanquam Garcias *loc. cit. num. 95.* ſentiens cum Barboſa, referat. *n. 93.* Declarationes duas, quæ indicant ſatis clarè, verba Tridentini non extendi ad primam Tonſuram. Plura de dimiſſoriis vide *Caſu XIV.*

269 II. Neque Vicarius Generalis poteſt eas illo primo Anno concedere. Barboſa *in cit. cap. 10. Concil. Trident.* nam Vicarius non habet tunc quidquam poteſtatis, niſi quantum conceditur ipſi à Capitulo. Eſt enim tunc, & vocatur Vicarius Capituli. Cùm enim ejus, atque Epiſcopi Sedes ſit una, atque eadem, Epiſcopo è vivis ſublato, tollitur etiam ejus Vicario omne Vicarium jus, exceptis cauſis jam cœptis.

270 III. Dimiſſoriæ, quas arctatis dedit infra primum Annum, proſunt etiam, finito illo Anno, aut electo novo Epiſcopo. Barboſa *loc. cit. num. 1.*

271 IV. Nequit Capitulum, durante primo Anno, dare licentiam Epiſcopo commoranti in Diœceſi, ut ordinet Regulares, etiam prævio examine. Barboſa *num. 3.* licèt poſſit permittere, ut ille Epiſcopus ſuoſmet, aut aliorum Epiſcoporum ſubditos inſtructos dimiſſoriis ordinet. Patet ex Declaratione ſuprà relata. Addente Barboſâ *num. 5.* idipſum licere, reſpectu illorum, qui obtinuerunt à Sede Apoſtolica facultatem, ut poſſint de licentia ſui Ordinarii promoveri à quovis. Addente rurſum *ibid.* idipſum de ſubditis ipſiuſmet Capituli, ſi habet diſtinctos à Diœceſanis, ſicut etiam poteſt Diœceſanis impertiri teſtimonium idoneitatis. Barboſa *num. 4.* & ſcio, ita factum abhinc triennium, ſede vacante, à Capitulo Curienſi, at pro ipſis Ordinibus oportet accedere Sedem Apoſtolicam. Barboſa *num. 5.*

V. Arctati beneficio, quos à ſuo juris antiqui correctivo Decreto excipit Sacra Synodus, 272
dicuntur illi, vel qui reipſa habent, vel quibus offertur beneficium requirens, ratione fundationis, aut conſuetudinis, ut, qui id obtinet, intra annum habeat Ordinem illum, pro quo ſupplicat primo anno Sedis vacantis. Barboſa *ibid. num. 16.* poſt Garciam. Vide infrà *n. 456.*

VI. Si contingeret (utinam non niſi poſt 273
ſeros annos!) Conſtantiæ ille Caſus Hiſpalenſis, de quo ſuprà, tunc reſponderem, poſſe per epiikiam à Reverendiſſimo Capitulo concedi licentiam Reverendiſſimo Domino Suffraganeo celebrandi Ordinationem generalem. Ratio eſt, quia ſolent in quatuor Temporibus huc confluere 50. 60. 70. juvenes, ac viri, intérque hos multi ex locis biduo, triduo diſſitis, atque examinari plerique ante feriam ſextam, quis credat, eſſe mentem Pontificis, ut tam multi per nives, & aſperos montes, poſt tot ſumptus remittantur domum vacui Septiformi Gratiâ per Ordinationem acquirendâ? Cùm præſertim Sanctio Tridentini corrigat jus antiquum, & proinde velut odioſa reſtringi debeat, ut non includat caſus repentinos, improviſos, junctos magnis incommodis.

Eam ob rem videtur mihi veroſimile, id po- 274
tuiſſe etiam fieri Hiſpali, & in pleriſque, ſi non omnibus aliis locis. Etenim ad pleraſque civitates deſtinatas Ordinationibus contendunt tam multi, & à quibuſdam tam longa curritur via, ut loquar cum Thoma Campenſi, ut nequeat ſine valde notabili incommodo negari honor, quem petunt. In hoc conſentio Pa- 275
tri Quintanadvennæ: diſſentio, quatenus arbitratur, poſſe idipſum factitari non tantùm poſtridie illius mortis Epiſcopalis, ſed qualibet ſequente angariâ. Verùm huic doctrinæ adverſatur praxis, ni fallor, Eccleſiarum Germanicarum, & vel maximè factum illius Nuntii Apoſtolici, de quo accipe

Hunc Caſum.

Cum Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus NN. Epiſcopus Conſtantienſis diem extremum objiiſſet Anno N. in ipſa angaria menſis Decembris, Capitulum Cathedrale dedit Suffraganeo poteſtatem ordinandi omnes, qui aderant magno numero, & ex locis diſſitis itinere tridui. Ubi hoc reſciit Illuſtriſſimus Dominus Nuntius Apoſtolicus Lucernenſis pronuntiavit, omnes DD. Canonicos eſſe ſuſpenſos, eóſque adegit ad petendam abſolutionem. Quid pronuntiandum de his, & de illo?

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Nec damnari à me illud factum Canonicorum propter rationem allatam *n. 273.* præſertim, cùm non ſit mihi dubium, quin eam poteſtatem fecerint, conſultis, approbantibúſque aliis viris doctis, nec etiam incuſari à me ſeveritatem illius Domini Nuntii, qui fortè non aberat procul, ac proinde conſuli poterat, & verò poterant intervenire aliquæ circumſtantiæ, quæ ipſum impulerunt ad hanc ſeveritatem. Adde, quòd ſit tantùm probabile, nullo autem modo certum, poſſe *licitè* id fieri, quod ſcripſi *cit. num. 273*, igitur oppoſitum eſt etiam probabile, ſolent autem Judices fori externi procedere juxta opiniones probabiles, quibus ſunt ipſi imbuti, nec facilè permittere, ut ſubditi propter aliquam difficultatem recedant publicè, propriâ authoritate, à jure claro ſimul, & vigente in uſu.

176 Dico III. Epiſcopo non licèt, *per ſe loquendo*, promovere, niſi proprios ſubditos. Patet *ex cap. Cùm nullus. De tempor. ordin. in 6.* ita ſtatuente: *Cùm nullus Clericum Parochiæ alienæ præter Superioris ipſius licentiam debeat ordinare. Superior intelligitur in hoc Caſu Epiſcopus, de cujus Diœceſi eſt is, qui ad Ordines promoveri deſiderat, oriundus, ſeu in cujus Diœceſi Beneficium obtinet Eccleſiaſticum, ſeu habet (licet alibi natus fuerit) domicilium in eadem.* Ita Bonifacius VIII. Ut proinde nemo, *per ſe loquendo*, queat ordinari, niſi ab Epiſcopo vel *originis*, vel *domicilii*, vel *Beneficii*, ſufficiat autem quilibet horum titulorum: de quibus ordine agam hac *alterâ* Sectione.

SECTIO II.

Quibus, quo loco, quo habitu conferendi Ordines ab Epiſcopo?

Caſus Floridus.

SUMMARIUM.

Caſus Ordinati in loco diſputabili. 277.
Quis dicatur Epiſcopus Originis.? 279.
An Epiſcopus loci, in quo es baptizatus? 280.
Caſus recens circa hanc rem. 282.
Alius caſus ſuſcipientis Ordines in loco paternæ Originis. Ibid.
Filius illegitimus ſequitur Originem matris. 284.
Caſus ignorantis, quo loco natus, & quot ſit annorum, & tamen Ordinibus inſigniri vult. 286.
Epiſcopus ordinat ſibi ſubditos ratione domicilii. 289.
Domicilium habitationis acquiritur tribus modis. Ibid.
Explicantur illi modi. 290. & ſeqq.
Impuberes habent domicilium, ubi Pater. 299.
Ubi habeant, qui plura feuda poſſident? 300.
Et officiales obtinentes perpetua officia hujus, aut illius loci? 301.
Caſus volentis ſuſcipere Ordines in loco, ubi parens agebat Præfectum non perpetuum. 302.
Caſus alterius utcunque intricatus 305.
Locus Beneficii Eccleſiaſtici an aptus pro Ordinibus petendis? 309.
Archiepiſcopus illicitè *ordinat ſubditos ſuorum Suffraganeorum. 312.*
Caſus Confeſſarii rigidi circa Epiſcopum, Pontificalia obeuntem in aliena Diœceſi. 314.
De irregulari accipiente Ordines poſt Epiſcopi edictum prohibitivum. 316.
An Ordines poſſint extra tempora diſpenſatis conferri in Oratorio privato? 318.
An Epiſcopus alienus licitè, *ſine facultate Ordinarii, conferat Ordines in loco exempto? 320.*
An Ordines conferens in loco privato debeat eſſe indutus omnibus ſolitis paramentis? 321.

Gregoras cum matre Venetias advehitur. Illic decem annos conſiſtit, à Patriarcha Primâ Tonſurâ decoratur. Indidem cum matre, & ſorore ſeſe commovens aliam deligit urbem, ut illic figat ſedem. Hanc urbem poſtquam tres annos cuncta ejus familia incoluit, omnes ſacros Ordines ſine aliqua Veneti Patriarchæ conceſſione ſuſcepit. 277

Quæſitum fuit, num in ſuſpenſionis: & celebrando in laqueum irregularitatis ſe ipſe induerit? Homines non defuerunt, qui etiam literati, probique viri habebantur, quorum ſuffragiis hujus Clerici videbatur cauſa damnata, cui ſuccurri cenſui oportere.

Repræſento P. Pauli Comitoli *Lib. 6. reſponſ. Moral. quæſt. 45.* phraſin floridæ Latinitatis. Ejuſdem reſponſionem exprimam, & ſequar *num. 304.* Interim reſpondendo ordine ad tres titulos ſubjectionis, indicatos in calce *præcedentis* Sectionis. 278

Dico I. Omnis ille Epiſcopus dicitur Epiſcopus tuæ *originis*, in cujus Diœceſi natus es non caſu, & fortuitò, ſeu per tranſennam, ut loquitur Barboſ. *De Offic. Epiſc. alleg. 4.* Communis apud, & cum Diana *Part. 8. Tractat. 2. Reſol. 11.* contra P. Hurtadum *Diffic 17.* & Leandrum apud Eſcobar *in Theolog. Moral. Lib. 23. ſect. 2. problem. 74.* ratos, & quidem probabiliter, teſte eodem P. Eſcobar, ſufficere ad acquirendum domicilium *originis* in hoc oppido, ſi tua mater habens alibi domicilium *habitationis* te enixa eſt in eo, cùm illic eſſet itineris, vel negotii cauſâ. Sed in re tanti momenti ſtandum eſt communi ſenſu Canoniſtarum, & Legiſtarum, quòd ſcilicet ille tranſitus, aut parva mora non ſufficiat ad domicilium *originis* contrahendum, ſed debeat eſſe domicilium ipſius patris, adeóque ſi tuus pa- 279

rens eſt Civis Romanus, tua verò mater te effudit in auras Mediolani, diceris quidem *phyſicè* natus Mediolani, *moraliter* autem, ſeu *per juris fictionem* Romæ oriundus. Valaſcus apud Dianam, Barboſ. *De Offic. Epiſc. alleg. 4. numero 8.*

280 II. Proinde licèt ſis baptizatus Mediolani, non tamen ideo te poterit provehere ad dignitatem Clericalem Archiepiſcopus Mediolanenſis. Pax Jordanus *Elucubr. Vol. 1. Lib. 3. tit 6. n. 39.* contra alios, niſi fortè eſſes Turca, vel Judæus, nam tales infideles illic ſortiuntur domicilium *originis*, ubi regenerati ſunt. Jordan. *Ibid. nu. 41.* ut proinde fiat civis Romanus, aut Mediolanenſis, qui Mediolani baptizatur, natus alibi è parentibus infidelibus. Jordan. *ibid.* Quod tamen nolim dicere de illo adoleſcente, qui natus patre Calviniſtâ, & factus Catholicus rebaptizatur Monachii e. g. idcirco, quòd deprehendatur error *ſubſtantialis* in ejus priore Baptiſmo. Hinc deduces reſolutionem Caſûs propoſiti mihi, poſt *primam* evulgationem hujus Alphabeti, ſcripto

His verbis.

QUid Reverentiæ Veſtræ videtur ad hunc Caſum reſpondendum? Petrus à Parentibus tempore belli in Helvetiam profugus, & iſtic per ſeptennium circiter habitantibus, eſt natus in Cormond, Diœceſis Lauſann: ibidem baptizatus, & per annum educatus, poſtmodum ceſſante bello ad patrium ſolum deportatus eſt. Quæritur, an ſit originarius Lauſanenſis, adeòque ab eodem Reverendiſſimo Ordinario poſſit ordinari? Reſolutionem hujus non poſſum ſatis evidenter colligere ex illa aſſertione, quæ in Alphab. Ordinis habetur n. 279. *Reverentiæ Veſtræ mentem libenter intelligam, utpote profuturam pluribus noſtratibus ad evitandum iter oppidò carum, & operoſum.*

Partim reſcripſi, partim nunc dico, Barboſam, Dianam, & Eſcobar, quos *cit. num. 279.* allego, requirere unà cum Jordano *loc. cit. n. 38.* Antonio Cotonio *celebrior. controverſiar. Lib. 3. controv. 1. cap. 6. num. 135.* atque aliis, ut tunc ſolùm profit pro Ordinatione locus propriæ *originis*, ſeu nativitatis, quando in illo loco pater tuus (ſi ſis legitimus, ſeu mater, ſi ſis illegitimus) fixit domicilium: quod & ego tanquam probabilius ſenſi *eod. num. 279.* quia tamen P. Eſcobar, ut refero ibidem, habet pro probabili opinionem doctiſſimi Patris Caſparis Hurtadi, atque Leandri cenſentium, ſufficere, modò revera ſis ibi in tranſitu natus, quia inſuper Gloſſa *cap. 1. De uſuris. Verb. Alienæ in 6.* atque ibidem Joannes Andreas *abſolutè* tradunt, inde cenſeri quem oriundum, ubi natus eſt, & Piaſecius *in Praxi Epiſcopali Part. 1. cap. 1. §. 2. num. 9.* (malè à Cotonio *loc. cit.* nominatus pro communi doctrina) ſine ulla limitatione dicit, illum fieri ſubditum, & Diœceſanum Epiſcopi, qui natus eſt in hujus Diœceſi, ſicuti & qui baptizatus, ideo non poſſum negare, quin ille Petrus, de quo eſt ſermo in caſu propoſito, poſſit valde probabiliter dici acquiſiviſſe domicilium *originis* in Epiſcopatu Lauſannenſi, utpote qui non ſolùm ibi natus, ſed & conceptus, & quidem natus poſt ſexennem parentum commorationem in eo loco, & quia huic tali nativitati fuit junctus Baptiſmus, quem, teſte Jordano *cit. num. 39.* plurimi, intérque hos Rebuffus, & Piaſecius, *abſolutè* ſcribunt, ſufficere ad tribuendum titulum *originis* hîc requiſitum, quia etiam in ſpecie facti aſſeritur, non potuiſſe illum Petrum ſine moleſtia oppidò magna accedere locum *originis*, ſeu *domicilii* paterni: eam ob rem reſpondi, reſpondeóque nunc, potuiſſe bonâ conſcientiâ dari locum mitiori ſententiæ, cavendo tamen, ad evitanda varia incommoda, ne quidquam ea de re deferretur ad proprium Epiſcopum. Non recedo libenter à communi ſenſu Doctorum in actionibus ex ſe publicis, amplectens contrariam minùs probabilem opinionem, niſi ob *accidentalem* circumſtantiam inducar ad hunc receſſum, qualis quidem circumſtantia eſt allegata moleſtia non levis.

281 Similiter potes à Mediolanenſi Epiſcopo accipere ſacros Ordines, ſi tuus pater fuit ex avo tuo illic domicilium habente natus, nam domicilium *originis* paternæ, eſt etiam domiciliũ tuæ *Originis*. Diana *Reſol. 12.* & Pax Jordanus *Vol. 1. Lib. 3. Tract. 6. num. 42.* cum multis contra multos, ſiquidem Congregatio Cardinal. Anno 1599. 1628. 1629. ita declaravit, teſte eodem Dianâ *Part. 4. Tract. 4. Reſol 148.* Vide Barboſam *in Trident. Seſſ. 23. De Reform. cap. 8. numero 17.* referentem eaſdem Declarationes, & plurimos DD. & nota pro praxi eventum hujus

Caſûs veri, & frequentis.

282 *GErontius homo Helvetius natus in ditione Friburgenſi, Diœceſis Lauſannenſis, in eáque educatus proficiſcitur in Galliam, & aliquot annis tranſactis ducit uxorem ſatis divitem, figit ibidem domicilium ſine animo redeundi in patriam. At in hanc patriam venit Nicolaus ejus filius, natus ipſe in Gallia, dat operam literis, dubius verò, an velit in Helvetia vitam claudere, an in Gallia, certus autem ſuſcipere Sacerdotium, petit Primam Tonſuram cum quatuor Minoribus ab Epiſcopo Lauſann. Confert hic illos ipſi ſine ſcrupulo, etſi probè informatus de re tota, an excuſandus?*

Reſp

Digitized by Google

Reſp. Imò laudandus, quòd nullam, ut fortè alius feciſſet, moverit difficultatem, quia nimirum domicilium *originis* paternæ cenſetur eſſe tuæ quoque *originis* domicilium, atque ita practicatur hic Conſtantiæ.

283 *At quid ſi Gerontius fuiſſet, ſicuti & Nicolaus genitus quidem in Gallia, parens verò Gerontii, avus Nicolai in Helvetia?*

Reſp. Nil profuiſſet Nicolao, nec enim ex avi, ſed patris *origine* dicitur quis originarius. Barb. *cit. alleg. 4. num. 13.* cum aliis communiter contra Leandrum apud, & cum Eſcobar *cit. ſect. 2. problem. 76.* Sanè ſi attenderetur avita origo, inquirendus eſſet ager Damaſcenus, ubi Adam creatus eſt, inquit lepidè Joan. Andr. *in cap. 1, De uſur in 6.*

284 *Quid ſi verò non pater, ſed mater habuiſſet Friburgum Helvetiorum pro natali ſolo?* Reſp. Filius ſequitur originem patris, non matris *L. 3. Cod. De municip. & orig.* ergo fruſtra petiiſſet hoc titulo ordinari Friburgi, ſeu Solodori. Barboſa *ibid. num. 14.* Excipe, niſi fuiſſet illegitimus, ſeu naturalis, nam talis filius quoad hoc ſequitur ventrem. Barboſa *num. 15.* Eſcobar *loc. cit.* quia illegitimorum mater, & conſequenter hujus patria eſt notior, quàm patris. Palaus *Tract. 27. p. 15.* Tunc quoque domicilium tuæ matris habetur pro tuo, quando ignoratur paternum. Barboſa *num. 16.*

285 Dices: *Eſt locus in Germania, in quo Quatuor Epiſcopi poſſunt ita aſſidere uni, eidémque menſæ, ut quiſque illorum propriè ſedeat in loco ſuæ Diœceſis. Quid ſi reperiatur infans expoſitus in, ſeu ſupra illam menſam, nec ſciatur, quis genus, unde domo?* Reſp. Si reperiatur in eo latere menſæ, quod ſpectat ad Epiſcopatum A. erit Diœceſeos A. nam expoſitus, cujus parentes ignorantur, non ſolùm judicatur municeps, & civis loci, in quo natus eſt, ſed etiam loci, in quo eſt expoſitus. Barboſa *n. 17.* addente Dom. Reding *cit. quæſt. 10. art. 4. Controverſ. 2. n. 3.* ex Stephano Gratiano, ſi tam patris, quàm matris origo reſpectu filii ſit incognita, veluti accidit in filiis expoſitis, tunc horum expoſitionem ſubrogari origini maternæ, quæ ſingularis doctrina eſt probè notanda. At quid ad hunc

Caſum non imaginarium.

286 G*Lycerius filius militis, nunc ſtudioſus Caſuum, natus eſt in Gallia patre milite, verſante in Gallia, ſed nec ipſe, nec ſorores ejus ſciunt, in qua civitate, vel Epiſcopatu natus ſit, pater, & mater obierunt, nec pater ullibi fixit domicilium, deinde neſcit Glycerius, quot ſit annorum. Quæritur, quid cum hoc homine incipiendum, cùm petat ordinari?*

287 Ita mihi ſcripſit ſolers Theologiæ Moralis Profeſſor, aliquot menſibus antè mihi teſtatus, hujuſmodi Glycerium fuiſſe in Diœceſi B. cum hiſce circumſtantiis promotum ad Sacramentum Ordinis. Et verò ætatem quod ſpectat, aperiam *Caſ. XIII.* quid mihi videatur. De domicilio negaret Pax Jordan. *num. 118.* potuiſſe ordinari ab Epiſcopo B. ſcribit enim hic Doctor poſt Piaſec. *in praxi p. 1. cap. 1. num. 10.* eſſe à Concil. Trident. *Seſſ. 14. cap. 2. De Reform.* vetitum, ne ordinetur is, qui nullius eſt Diœceſis. At revera hoc non dicit illa Synodus, ſed tantùm, ne Epiſcopus Titularis etiamſi in loco nullius Diœceſis reſederit, ordinet alienum ſubditum, ſine expreſſo conſenſu proprii Prælati. Interim tamen hæc ipſa verba Tridentini Concilii videntur improbare factum Epiſcopi B. cùm præſertim idem Piaſecius *ibid.* ſic ſcribat: *Vicinior Epiſcopus, quem ſemel locus carens ſuo Diœceſano elegerit, tales ordinare, & dimiſſorias concedere poſſet, ut etiam reſpondit Congregatio Concil.* Anno 1587. Ecce: Congregatio eos, qui nati ſunt in loco non habente Epiſcopum, non permittit ordinari à quovis, ergo non permiſiſſet Glycerium promoveri à quovis, ergo non ab Epiſcopo B. ergo debuiſſet Glycerius petere à Sede Apoſtolica facultatem eligendi aliquem Ordinatorem. Et omnino puto, fuiſſe, *per ſe loquendo*, faciendum; adeóque vel eam petierit Glycerius, vel habuerit in animo vitam claudere in illo Epiſcopatu, in quo operam dabat literis, & in quo promotus fuit, qua ſanè conditione poſitâ potuit titulo *domicilii* propriè dicti petere Ordinationem, ut patebit ex dicendis. 288

Dico enim II. Epiſcopus poteſt Ordines conferre iis, qui ſunt ipſi ſubditi ratione domicilii habitationis. Ita omnes, & patet *ex cit. cap. Cùm nullus. De temp. ord. in 6.* Ubi nota, domicilium dividi in domicilium *Originis*, de quo in præcedente Concluſione, & in domicilium *habitationis*, ubi quis habitat, & quod plerumque intelligitur, quando vox *domicilium abſolutè* profertur. 289

Acquiritur hoc domicilium tribus modis, origine, lege, habitatione. *Origine*: quia cenſetur puer habere domicilium iſtud eo in loco, in quo habet pater, ſive ſit ibi propriè natus ille puer, ſive non. Suprà *num. 281.* *Lege*: ut per Principis privilegium, Statutum, adeptionem Dignitatis, aut Prælaturæ in loco, Monachatum, Clericatum, Lecturam, aut Profeſſuram publicam, matrimonium &c. Jordanus *Vol. 3. Lib. 13. tit. 8. num. 230.* teſtans *Vol. 1. Lib. 3. cit. tit. 6. num. 5.* majorem partem quindecim modorum, quibus acquiritur *lege* domicilium, & quos *ibid.* recenſet, valere ad effectum pro Ordinibus. *Tertiò*, ut dixi, domicilium acquiritur *habitatione*, de quo modo valde frequenti, & ſæpe controverſo nota ſeqq. 290

I. Ut domicilium habitationis alicubi à jam pubere acquiratur per habitationem adeóque per modum diſtinctum à duobus nunc primùm deſcriptis, requiruntur generatim duo. Primum eſt, 291

 mum eſt,

Digitized by Google

mum eſt, ut quis reipſa verſetur ibi. Alterũ, ut verſetur cum animo manendi illic perpetuò.
292 DD. citati, & citandi in decurſu. Cenſeris autem habere animum degendi perpetuò Romæ e. g. ſi cogites illic permanere, donec te aliquid aliò avocaverit. Laym. *Lib. 5. Tract. 9. cap. 9. num. 10.* aut in dubio, quando illic habitâſti decennio. Sanchez *Lib. 4. Conſ. Moral. cap. 2. dub. 19.* aut quando identidem ſupplicas pro conſequenda civitate illius loci, tunc enim jam acquiris domicilium cum jure petendi illic Ordines, cæteris concurrentibus. Jordan. *cit. tit. 6. n. 71.* Et proinde fit crebrò, ut quis duplex domicilium habitationis habeat, ſicuti fusè ex jure demonſtrat P. Comitolus *Reſponſ. Mor. Lib. 6. quæſt. 45.* & conſentiunt Farinacius, Barboſa, Jordanus, infrà citandi, ac nominatim, quando ita conſtanter jam in hoc, jam in illo loco moraris, ut cogites totam vitam partim in hoc, partim in illo
293 tranſigere. Si tamen non habites æqualiter in utroque, putat Gl. *in cap. Cùm nullus. De temp. ordin. in 6.* ibi eſſe domicilium tuum, ubi eſt major pars tuorum bonorum, exprimente Jordano *cit. tit. 6. num. 65.* quando quis parat domum, & cum effectu habitat in ea, & in pluribus locis converſatur, præſumi velle conſtituere plura domicilia, & poſſe à quolibet talium domiciliorum Epiſcopo promoveri, ſecùs, ſi abſque habitatione poſſideret bona in diverſis locis, aut ſine bonis aliquando alicubi verſaretur. Porrò Diana *Part. 8. Tract. 2. Reſ. 24.* rectè notat, ſi habeas duo domicilia, etſi non habites in utroque æqualibus mathematicis temporibus, ſed propè æqualibus, poſſe te ab utriuſque Epiſcopo promoveri. Lege Cardinalem de Lugo *Lib. 1. conſil. dub. 37.* latè differentem de hac æqualitate, & adde ex P. Sanchez *cit. dub. 19.* eum, qui alicubi habet verum domicilium habitationis, dici etiam in materia ſtricta, *originarium*, & *naturalem* illius loci. Conſentit Lugo *De juſtitia Diſp. 24. ſect. 2. num. 295.* Vide exemplum legati facti originariis apud Sanch. *loc. cit.* ubi in contingentia facti reſolvit, illud legatum potuiſſe obtingere alienigenæ quidem, ſeu alibi nato, at nacto hîc domicilium *habitationis*.

294 II. Primo horæ quadrante, quo incipis habitare in aliquo loco cum animo claudendi illic vitam, acquiris ibi domicilium habitationis, quod non deperdes, donec & reipſa inde abeas, decernáſque, nunquam ampliùs illic conſtanter commorari. P. Sanchez *Lib. 3. De Matr. Diſp. 23.* cum aliis.

295 III. Quòd ſi veniſti huc Auguſtâ, ubi domicilium tam *originis*, quàm *habitationis* habebas, emiſtique, vel conſtituiſti domum ad inhabitandum, declarâſtique, te velle hîc domicilium habere, ſeu hîc perpetuò manere, etſi non tranſtuleris huc majorem partem tuarum fortunarum, poterit tamen ſtatim craſtino die filius tuus petere Ordines ab Illuſtriſſimo Conſtantienſi. Barboſa *De Offic. Epiſc. alleg. 4. num. 41.* Jordanus *cit. tit. 6. num. 53. & 54.* & alii. Idque verum eſt, licèt tuus hic filius fuerit ab Epiſcopo Auguſtano promotus ad aliquod beneficium exigens reſidentiam. Jordanus *num. 55.*

IV. E diverſo ſi venias Conſtantiam cum omni tua ſubſtantia, hícque conſtanter moreris mille annis, priùs tamen declarâſti, te nolle hîc figere domicilium, revera non contraxiſti illud. Jordan. *num. 56.* poſt Farin. Menoch. Navarr. In iis enim, quæ pendent ab animo noſtro, ſtatur potiùs declaratione expreſſâ, quàm facto contrario. Itaque non poteris ordinari Conſtantiæ, niſi mutatâ voluntate diſponas hîc acquirere domicilium. 296

V. Quando non conſtat de certa declaratione animi per verba, recurritur ad conjecturas, inter quas eſt hæc receptiſſima, ſi quis decem annis alicubi habitavit, præſumitur enim in dubio voluiſſe illic figere ſedem perpetuam. Menoch. *De arbitr. jud. cent. 2. Caſ. 86. num. 11.* plenè, Farinacius *in praxi crim. Verb. domicilium. num. 204.* Barboſa *loc. cit. num. 28.* talis enim ibi contrahit forum civiliter, & criminaliter. Jordan. *num. 57.* Imò ſufficit brevius tempus, quoties ex aliis circumſtantiis conſtat de voluntate perſiſtendi. Menoch. *loc. cit.* e. g. quando quis aliquò tranſfert majorem partem ſuorum bonorum, præſumitur in dubio id facere conſtituendi domicilium causâ. Menoch. Farinac. Jordan. *ll. cc.* uti & quando ſecum tranſtulit ſupellectilem, aut familiam. Piaſec. *in praxi p. 1. cap. 1. num. 9.* ſicut, nec ſufficit ſpatium longius decennio, quando adſunt indicia excludentia præſumptionem contrahendi domicilium, indicantiáque potiùs animum remeandi in patriam. Ita citati. 297

VI. Hinc certum eſt, ſtudioſos literarum, qui hærent in aliqua Academia 10. aut 12. (Jordanus exprimit quingentos) annos, ſolo animo illic abſolvendi ſtudia, non contrahere illic domicilium. Quòd ſi in dubio ſimus, elapſo decennio intrat præſumptio, quòd non ampliùs ſtudiorum causâ, ſed contrahendi domicilium permaneant. Menoch. *n. 12.* Jordanus *num. 60.* 298

VII. Impuberes cenſentur habere idem domicilium, quod pater, quia ii non poſſunt ſibi ullum eligere. Navarrus *Lib. 1. conſ. De temp. ordin. conſ. 3.* & quando mater, ſub cujus poteſtate ſunt, commigrat aliò, iique cum ipſa, ſortiuntur maternum domicilium. Comitol. *Lib. 6. quæſt. 45. num. 5.* at poſt pubertatem poſſunt facere illam electionem, licèt adhuc ſint filiifamilias. Idem *ibid. ex L. Placet, & ſeq. ff. Ad municipalem.* Quamdiu autem filius non conſtituit proprium domicilium, gaudet paterno. Ita citati. 299

VIII. Barones, & Nobiles cenſentur cives omnium locorum, in quibus poſſident feuda, 300 poſ-

poſſuntque eorum filii illic Ordinibus inſigniri. Expreſſè Barboſa *cit. alleg. 4. n. 32.* & Jord. *num. 66.* poſt Campanilem, teſtantem ita deciſum à Rota Romana, eſto pater non habitet in loco illius feudi. Diana *Part. 8. Tr. 2. Reſ. 16.* & Paſqualigus *commentar. in Franchis p. 1. n. 1162.* edit. Colonienſ. Et quia idem Jordanus *ibid.* teſtatur, Nobiles Venetos, qui ſimul ſumpti ſunt veri domini totius imperii Veneti, poſſe (hanc conſequentiam negat Paſqualigus *loc. cit. num. 1161.*) ob hoc domicilium promoveri in quolibet Epiſcopatu Venetæ ditionis, fit à fortiori, ut filius Regis, aut Ducis poſſit ſuſcipere Ordines in quavis Diœceſi ſita intra fines Regni, vel Ducatûs paterni. An verò poſſit Princeps inire Matrimonium coram quolibet Parocho, aut ſui Principatûs, aut Civitatis, in qua revera habitat, vide Card. de Lugo *cit. dub. 37. num. 10. & 11.* Negantem utrumque, ſicut & nos *Tract. ſeq.* ſeu *in Alphab. Matrim. Part. 1. Caſ. XVIII.*

301 IX. Officiales ſuſcipientes officia perpetua alicujus loci, quamquam non efficiuntur cives illius, acquirunt tamen domicilium pro ſe, & filiis, & proinde libere poterunt à Diœceſano ordinari Barb. *num. 34.* Rebuff. *in praxi Part. 1. tit. De Cler. num. 34.* Jordan. *num. 67.* teſtans, ita practicatum, & rectè ſubdens hoc non habere locum, quando officia ſunt tantùm temporaria, id eſt, ut interpretor, non ſolent alicui relinqui ad vitam.

302 Ex his deducuntur reſolutiones ad hos Caſus, quorum *primus* eſt

Fictus, & Factus.

Gaudentius filius Senatoris Lucernenſis, gerentis Præfecturam Lugani, Comenſis Diœceſis, ac Scholaſticæ Theologiæ in inclyto Lycæo Lucern. quadriennis auditor, proficiſcitur ſub initium Vacationum Autumnalium animi cauſâ ad parentem; atque ob cauſam juſtam repente oblatam decernit dare nomen ſtatim militiæ Clericali, eámque ob rem Comum vicinam urbem petit, accipítque Primam Tonſuram cum 4. Minoribus, an ritè?

303 Reſp. Ritè, quia DD. Lucernenſes ſunt jure quàm optimo Condomini Præfecturæ Luganenſis. Licèt igitur Præfecti ſoleant eſſe duntaxat biennes, attamen ex doctrina ſapientiſſimi Epiſcopi Jordani de Nobilibus Venetis ſuprà *num. 300.* ſequitur manifeſtè, talem Præfectum habere illic domicilium, & conſequenter habet etiam ejus filius per dicta ſuprà *num. 299.* Porrò appello hunc Caſum *Fictum*, quia neſcio, an ipſe in individuo contigerit. *Factum*, nec enim dubito, quin ſimilis in ſubſtantia evenerit, ſicut Diana *Part. 8. Tract. 2. Reſol. 13.* refert conſimilem de filio civis Ulyſſipon. & Conſiliarii Regii, miſſi Portugallam, ut fungeretur officio Cancellarii, nam hujus filius, etſi natus Ulyſſipone, ſuſcepit tamen Ordines Portugallæ; propter doctrinam allatam *num. 301.*

Hinc patet, Comitolum rectè reſolviſſe, 304
Gregoram; de quo ſuprà *num. 278.* potuiſſe Venetiis attonderi in Clericum, ut liquet ex dictis *num. 299. & 292.* ſecundo loco ungi in ſacerdotem propter doctrinam eandem junctam *num. 289.* ſicut & potuit utrumque fieri circa alium Venetum, de quo idem Scriptor *ibid.* Hinc quoque refutantur Barboſa, Riccius, & Quaranta apud Dianam *Part. 9. Tract. 8. Reſol. 4.* rati, illum, qui habens plura domicilia accepit Ordines Minores ab Epiſcopo unius domicilii, non poſſe abſque facultate iſtius petere Ordines ab Epiſcopo alterius domicilii ſui; etenim prorſus gratis hoc dicitur, ut rectè Diana *ibid.* poſt Trullenck, Zippæum, & Averſam relatos ab ipſo partim illic, partim *Part. 8. Tract. 2. Reſol. 8.*

Caſus II. Auguſtano-Conſtantienſis.

Gallus natus, educatus, conjugatus in 305
Diœceſi Auguſtana migrat cum prole, atque omnibus mobilibus in Diœceſin Conſtantienſem. Nactus illic militare officium ex more perpetuum, aliquot poſt annis redit in avitum ſolum, ducit illic aliam uxorem, cum qua habitat ibidem quinquennium propter lites aliquas, reviſens tamen ſubinde locum ſui officii, ubi liberos reliquerat, & conſtanter eundem inhabitare cogitans; poſtquam lites expediſſet. Verùm ante earum finem evocatur è ſtatione vitæ; filiorum unus Pelagius etiam in Auguſtana Diœceſi natus, at plus decennio moratus in Conſtantienſi ferè inter ſtudia literarum petiit Conſtantiæ Sacros Ordines, an potuêre impertiri?

Ego interrogatus die 19. Sept. 1662. re- 306
ſpondi, potuiſſe duplici titulo. 1. quia ex dictis *num. 301.* conſtat, Gallum acquiſiviſſe domicilium in Epiſcopatu Conſtantienſi, & conſequenter etiam Pelagium ex dictis *num. 299.* nec illud domicilium deſeruit Gallus ex dictis *num. 294.* cùm præſertim reliquiſſet ibi partem liberorum, & pleramque ſupellectilem in priſtina domo conducta. 2. Quia Pelagius habuit ſemper animum permanendi conſtanter in hoc Epiſcopatu, ſi offerretur, ut meritò ſperabat, honeſtus ſeſe alendi modus, ergo ſtatim poſt adeptam pubertatem acquiſivit in hoc eodem Epiſcopatu domicilium per dicta *num. 295. & 299.* cùm præſertim haberet in eo omnes ſuas fortunas.

Nec obſtat, quòd in Conſtit. Synod. Con- 307
ſtant. *Part. 1. tit. 15. num. 7.* exigatur, ut ordinandus ſit *origine, decennali domicilio, aut be-*

neficio Diœceſanus. Inprimis enim hic articulus nihil officit titulo *primo*, & licèt offeciſſet *ſecundo*, ſi Gallus nondum fuiſſet per decennium pubes, poterat tamen in hac Conſtitutione Epiſcopali diſpenſare ex cauſa D. Ordinarius, fuit igitur admiſſus ad ſortem Clericalem.

308 Caſum ſimilem huic quoad *primum* titulũ, reperies apud Navarrum *conſ. Lib. 1. conſ. 3. De temp. Ordin.*

309 Dico III. Circa *tertium* titulum Ordinandi, qui eſt Beneficium Eccleſiaſticum, notanda ſunt ſequentia ex Jordano *in Tom. 1. Lib. 3. tit. 6.* ubi *à num. 73. ad num. 103.* poſt Barboſam *alleg. 3.* perquàm enucleatè exequitur hanc materiam.

310 Clericus poſſidens beneficium dicitur habere domicilium, & eſſe civis loci, in quo id beneficium ſitum eſt. *num. 73.* eſto illud beneficium ſit vel 1. tenuiſſimum, non præbens ſufficientem ſuſtentationem *num. 74.* cum Bonac. *De Sacram. Diſp. 8. punct. 4. num. 14.* contra Quarantam: vel 2. non requirens reſidentiàm *num. 75.* poſt Barboſ. *De Offic. Epiſcopi alleg. 4. num. 47.* ex communi: vel 3. duntaxat præſtimonium *num. 76. & ſeqq.* poſt Barb. *n. 48.* vel 4. licèt habeat illud Beneficium non in titulum, ſed ſolùm in commendam perpetuam. *num. 81.* vel 5. licèt habeat Clericus ille plura in diverſis Diœceſibus Beneficia, poterit enim in ſingulis ordinari *num. 83.* poſt Barboſ. *num. 51.* contra Felinum, & Diaz diſtinguentes inter pinguius, & macrius, inter requirens, & non requirens reſidentiam: vel 6. licèt beneficium non exigat illum Ordinem, quem petit beneficiatus *num. 85.* poſt Garciam *De ben. p. 2. cap. 4. numero 14. & 13.* vel 7. licèt illud Beneficium ſit ſolùm manuale. *num. 87.* poſt Garciam, & Rebuff. non autem ſi ſit aut Capellania non Collativa, ſcilicet non fundata autoritate Epiſcopi, ad nutum amovibilis, aut beneficium verum quidem, & poſſeſſum, ſed nondum cum titulo *n. 101.* contra Garciam, & Barboſam, meritò ratos ſufficere poſſeſſionem ad hunc effectum. Vide plura infrà *num. 630. & ſeqq.*

311 Dico IV. Mortaliter peccat tam Ordinans non ſubditum, quàm faciens ſe ordinari ab alio, quàm à ſuo proprio Epiſcopo. *cap. Eos, qui. De temp. ordin. in 6.* & Tridentinum *Seſſ. 23. cap. 8. De reform.* Suarez *De cenſ. Diſp. 31. ſect. 2. num. 18.* Quam verò pœnam incurrant, videbimus *Caſ. XVIII.* ubi etiam de ratihabitione.

312 I. Itaque ne quidem Archiepiſcopus *licitè* ordinat, ſeu extra, ſeu intra viſitationem, ſubditos ſuorum Suffraganeorum, ſine horum licentia. Iordan. *num. 119.* Sicut nec Titularis Epiſcopus quenquam ſine facultate Ordinarii, nec Nullatenenſis, ut loquitur Jord. *nu. 177.* de quo vide Trident. *Seſſ. 14. cap. 2. De Reformatione.* & ne quidem in loco exempto de licentia ſolius Superioris illius loci Barboſ. *De Offic. Epiſc. alleg. 4. num. 12.* Palaus *Tract. 27. punct. 15. num. 10.* Diana *Part. 9. Tr. 8. Reſol. 29.* contra Vaſq. *diſp. 243. cap. 5. num. 43.* extendentes hanc doctrinam ad quodlibet exercitium Pontificalium, & adferentes hanc in rem ex Riccio Declarationem Congreg. meritò tamen reſtringentes ad locum exemptum, qui ſit ſub aliqua Diœceſi, ſecùs, ſi eſſet extra omnem. Idem dic de Abbate Infulato, ſicut declarabo *Caſ. VIII.* peculiari eventu. Sed vide infrà *num. 320.*

II. Poteſt tamen Epiſcopus loci Ordinarius 313
ad Ordines promovere alienæ Diœceſis hominem, poſtquam hic fuit per triennium ejus familiaris, & ipſi eo tempore commoratus. Trident. *Seſſ. 23. cap. 9. De Ref.* id eſt, continuo triennio ſerviens ipſi. Palaus *loc. cit. num. 6.* Debet tamen ſtatim ipſi providere de beneficio. Trident. *Ibid.* Vide Navarr. *conſ. Lib. 1. De temp. Ordin. conſ. 11. & 12.* Ex his reſolves hunc

Caſum ſat rigidi Confeſſarii.

Quidam Epiſcopus abhinc aliquibus annis 314
in aliena Diœceſi Pontificalia exercuit ſine licentia illius Ordinarii, conſecrando ſcilicet ſemel calicem, vel corporalia, idque bonâ fide, non conſiderans, id ſibi non licere, poſt idem temporis Miſſas celebravit, atque alia Pontificalia exercuit in propria Diœceſi, nihil ad hoc reſpiciens. Quæritur, an in aliquas pœnas inciderit?

Contigiſſe aſſerit Navarrus *Conſ. Lib. 5. De* 315
Cler. excom. conſ. 12. hos tres errores, reſpondétque, incurriſſe in foro *externo* ſuſpenſionem ſtatutam à Trid. Concil. *Seſſ. 6. cap. 5.* & conſequenter irregularitatem. Si tamen fuiſſet à ſupremo Pœnitentiario ille Epiſcopus commiſſus arbitrio, & poteſtati ejuſdem Navarri, ſuſtuliſſet ſtatim irregularitatem, ſuſpendiſſet tamen illum 10. diebus ab exercitio Pontificalium, injunxiſſétque, ut intra illos 10. dies diceret decies Coronam Virginis, & decies largiretur eleemoſynam, quæ ſibi videretur, & duobus aliis diebus non præceptis jejunaret. Ita loquitur, & ex hypotheſi datæ ſibi facultatis ſententiat Navarrus: *Nunquid ſatis ſeverè?* Quandoquidem ſupponit ipſemet Navarrus, illum Epiſcopum non peccâſſe coram Deo. Equidem ſi hac ætate injungeretur alicui ſacerdoti infimæ conditionis ejuſmodi pœnitentia Sacramentalis propter Sacramentum Baptiſmi, aut Matrimonii ex bona fide, ſine tamen neceſſaria licentia adminiſtratum, neſcio, an non eſſet quæſturus de rigore.

Hanc materiam de Epiſcopo, miniſtrante hoc Sacràmentum, claudo reſolutione trium quæſtionum, quarum duæ poſteriores pro-

poſitæ

Digitized by Google

poſitæ mihi fuerunt 14. Sept. 1659. ab Infulato vertice.

316 *Prima* quæſtio. *An, ſi Epiſcopus ante inchoatam Ordinationem edicat publicè*: Nemo alienigena, aut illegitimus, aut falſis teſtimoniis inſtructus &c. accedat. Ego enim tales non intendo ordinare, *cenſeatur nihilominus ordinatus* validè, *qui laborans ejuſmodi vitio acceſſit*? Hanc quæſtionem Navarr. *in Conſ. l. 1. De Temp. Ordinat.* diſtinctè in utramque partem diſcutit ac rectè reſolvit in hunc ſenſum. 1. Si revera intendit, animo, ut verbis edixit, non valet Ordinatio. Quia de eſſentia Sacramenti cujuſlibet eſt intentio miniſtri. Secùs, ſi ejuſmodi proteſtatio ſuit facta ſolo ore ad terrendos id genus homines. 2. Graviter peccaret Ordinator, ſi revera intenderet non conferre Sacramentum talibus hominibus: tum quia ageret contra conſuetudinem optimorum quorumque Epiſcoporum, tum quia daret occaſionem gravium peccatorum, gravíſque infamiæ: tum quia ipſius non eſt, punire ſecreta.

317 3. In dubio, utrùm Epiſcopus ita loquens habeat omnino illam intentionem, præſumendum eſt, non habere, quia dubia interpretanda ſunt in meliorem partem. *Cap. 2. De Reg. jur. in 6.* Et licèt fortè inferres: *Ergo debeo præſumere, quòd talis Epiſcopus loquatur contra mentem.* Attamen minùs eſt malum, loqui tunc contra mentem, quàm habere talem intentionem. Vide plura in hanc rem infrà *n. 704.* & plures Authores apud P. Eſcobar *in Theol. mor. Lib. 23. problem. 360. n. 199.*

318 *Secunda* quæſtio. *An Sacri Ordines poſſint extra tempora habentibus diſpenſationem conferri in quavis Eccleſia, aut oratorio privato?*

Reſp. I. Si alicubi faveat conſuetudo, poſſunt. Nam hæc conſuetudo nunquam reprobatur. At olim potuiſſe Epiſcopos de conſuetudine, *ubi vellent*, conferre Ordines etiam Majores, teſtantur Guiliel. Hoſtiens. S. Antonin. apud Silveſt. *verb. Ordo 2. q. 8.* & apud Barboſ. *De offic. alleg. 14.* Quin hanc conſuetudinem hodiéque vigere, teſtes ſunt Henriq. *Lib. 10. Cap. 11. num. 3.* Filliuc. *Tr. 9. num. 10.* loquens de qualibet Eccleſia, Palaus *Tr. 27. punct. 13. num. 9.*

319 Reſp. II. Etiam abſtrahendo à conſuetudine præſcripta poteſt id fieri. 1. Quia Eſcobar *in Summa Theol. mor. Tr. 7. Exam. 8. n. 72.* ita expreſſè loquitur: *Locus in ſolenni Ordinum collatione Cathedralis Eccleſiæ eſſe debet, in privata autem Sacellum, & Capella.* Conſentit apertè Palaus *loc. cit.* 2. Quia Concil. Trident. *Seſſ. 23. Cap. 8. De Reform.* ſtatuens, ut Ordinationes celebrentur in Eccleſia Cathedrali, abſque dubio loquitur ſolùm de Ordinationibus generalibus, ſicut optimè interpretatur Eſcobar verbis deſcriptis, & patet ex eo, quòd diſponat de ſolis Ordinationibus, ad quas Canonici vocentur, eſt autem contra omnem conſuetudinem, ut ad inaugurationem unius Diaconi, vel Preſbyteri convocentur Canonici. Nec poteſt illa Ordinatio dici generalis, in qua initiantur ſolùm unus, aut duo, Maſconius *de Majeſtate Eccleſiæ Lib. 1. Part. 2. Cap. 1.* aut ſolùm tres, quatuórve. Gloſſ. Innoc. Abbas *in c. De eo. De Temp. Ordin.* Adde, quòd, cùm ſanctio Tridentini Concilii ſit contraria communi conſuetudini, oporteat eam potiùs reſtringere, quàm ampliare, quia correctio jurium vitanda. *cap. Cùm expediat. De Elect. in 6.*

Occaſione hujus ipſius quæſtionis repeto, 320
quod dixi *num. 313.* Epiſcopum alienum non poſſe etiam in exempto Monaſterio conferre Ordines ullos ſine facultate Ordinarii, juxta opinionem Palai *Tr. 27. p. 15 num. 10.* & Dianæ *Part. 9. Tr. 8. Reſ. 29.* contra Vaſquez. *hic diſp. 243. cap. 3* cui ſine dubio adhærent, quos in ſimili de Abbatibus referam infrà *num. 344.* adhæret & Proſper Fagnanus, qui, cùm priùs fuiſſet ejuſdem mentis, cujus Diana, poſtea ſe correxit *in cap. Quia nos De autor. & uſu Pallii* Edit. Venetæ tametſi non extet in Colonienſi Anno 1677. editâ, propter expreſſam Declarationem Congregationis approbatam à Clemente VIII. quam verbatim ipſe exhibet in ultimo folio poſt quintum Decretalium. Caveamus nos exempti, ne noſtras exemptiones nimis ferventer defendamus contra Illuſtriſſimos Dominos Ordinarios, quando his favent aut Bullæ Apoſtolicæ, aut magni Doctores. Vide dicta *num. 312.* & infrà *n. 545. in App.*

Tertia quæſtio. *An, quando Epiſcopus con-* 321
ſecrat in Capella privatim unum, vel alterum, debeat eſſe indutus omnibus paramentis, præſcriptis in Pontificali?

Reſp. Epiſcopus Pax Jordanus *Elucubr. vol. 1. Lib. 3. Tit. 6. à n. 445.* exprimens conditiones ſervandas ab Ordinatore ſubjicit inter cætera *n. 453.* hanc: *Quartò, ut ornatus ſit omnibus Pontificalibus indumentis, ab Ordinario Romano præſcriptis, nimirum pro Prima Tonſura, & reliquis Minoribus, quando extra Miſſam fit ab Ordinario, Rochetto, & Stolâ, ac Mitrâ ſimplici, & loco Rochetti, Cottâ, ſi Epiſcopus ſit Regularis. Pro Sacris autem Pontificalibus omnibus indumentis, etiamſi privatim, & ſine cantu Miſſa celebranda ſit, debétque recitare pſalmum:* Quàm dilecta &c. *ac aliquâ præſcripta in Pontificali ſub Rubr.* De Ord. conf. verſ. *Quando autem &c.* Ita hic Epiſcopus Dalmata. Qui ſi *tacitè* excepit Sandalia, habebit me aſſentientem. Sicuti enim Rubrica Breviarii de genuflexione, ſtatione, intelligitur de ſola publica recitatione, ut dictum *in Alphab. Breviarii num. 695.* ita probabiliter Rubrica Pontificalis de Sandaliis reſtringitur ad publicam Ordinationem.

ORDINIS MINISTER
ABBAS, ET ALII.

CASUS VIII.

Dubius.

SUMMARIUM.

Caſus hominis ſæcularis ordinati ab Abbate. 322.
An, & quales Abbates habeant jus conferendi Ordines? 324.
An licitè *ſuis Novitiis? Ibid.*
An hodie licitè *externis cum facultate Ordinarii?* 326.
Nova circa hac quæſtio. 328.
An nonnulli Abbates validè *conferant Diaconatum?* 329.
An Abbas conferens Minores ſine requiſita facultate conferat invalidè? 330.
Refertur hanc in rem deciſio authentica. 333.
Applicatur ea caſui particulari. 338.
Probatur, ex prohibitione ordinandi non ſequi irritationem actûs. 342.
Abbas illicitè *ordinat extra ſuam Eccleſiam. Ibid.*
An illicitè *exerceat Pontificalia in Eccleſia exempta?* 344.
Et nominatim in Diœceſi Conſtantienſi? 345.
An Abbas, qui renuntiavit Dignitati, poſſit in aliqua neceſſitate conferre Minores? 347.

322 *HEron adhuc ſæcularis accipit, neſcio quâ de causâ, à quodam Abbate Ordines Minores. Ingreſſus poſtmodum Religioſam familiam, ac deinde ſuo tempore miſſus ad locum competentem pro Ordine Subdiaconatûs jungendo Minoribus, debuit redire domum vacuus & inanis. Etenim ubi loci Vicarius cognovit, eum fuiſſe initiatum ab Abbate, noluit eum referre in ſyllabum Candidatorum, niſi pateretur priùs in ſe repeti Ordinationem peractam ab illo Prælato. Quæritur 1. Quo jure potuerit D. Vicarius Generalis exigere hanc iterationem? 2. An, & quo jure poſſint Clerici inferiores Epiſcopo, ſeu Minores, ſeu Majores Ordines conferre?*

323 Hunc Caſum ideo ſingulariter voco *Dubium*, quia ipſe dubito, an, ſicut ex fide refero, ita etiam referam ex veritate, ſiquidem in una mearum chartarum reperio ita integre deſcriptum ex ore unius, qui mihi narravit, at in altera etiam mearum chartarum non fit mentio petitæ iterationis, ſed ſolius repulſæ. Sed utut ſit, fuerat ille Religioſus revera ſub manibus, & forfice cujuſdam D. Abbatis, atq; idcirco non admiſſus ad Ordinem ſuperiorem. Ubi autem, & quot abhinc Annis tota res peracta, tacent mea adverſaria, & quidem ſine ullo detrimento veritatis, cujus tamen integriùs intelligendæ cauſâ fortè

Quæres I. *An, & quales Abbates habeant* 324
jus conferendi Ordines non Sacros, aut Sacros?

Reſp. I. *Abbatibus, ac aliis quibuſcunque, quantumvis exemptis non liceat infra fines alicujus Diœceſis conſiſtentibus, etiamſi nullius Diœceſis, aut exempti eſſe dicantur, cuiquam, qui Regularis ſubditus ſibi non ſit, Tonſuram, vel Minores Ordines conferre.* Verba ſunt Trident. Concil. *ſeſſ. 23. c. 10. de Reform.* Poſſunt ergo Abbates Minores Ordines conferre Regularibus ſibi ſubditis, per hos intelligendo etiã Novitios ſuos, ut placet Suarezio *Tom. 4. De Relig. Tr. 8. Lib. 2. cap. 29. num. 13.* P. Pirhing. *Tom. 1. in Jus Canonicum Tit. 11. num. 45.* poſt Gloſſ. & alios Canoniſtas contra Palaum *Tr. 27. p. 14.* Jordan, *vol. 2. Lib. 5. Tit. 6. num. 30.* Aſcanium Tamburin. *de jure Abbat. Tom. 2. diſp. 2. quæſt. 10. num. 3.* non enim ſolùm certum eſt, nomine Regularium venire etiam Novitios, in materia favorabili, qualis eſt hæc, ſed etiam eos intelligi nomine Regularium ſubditorum, ut patet ex Privileg. Innoc. II. relato à Suarez. *loc. cit.* Et ſine dubio Novitii ſunt magis ſubditi ſuo ſuperiori Religioſo, præſertim Ordinis exempti, quàm Epiſcopo loci, in quo ſitus eſt Novitiatus, ſi fortè Novitius illuc venit ex alia Diœceſi, & tamen volunt Palaus, Jordan. & Sanchez *Libro 6. Summa cap. 10. num. 21.* eum poſſe ordinari ab illo Epiſcopo. Sed de hoc puncto rurſum *Caſ. XI. num. 421.* Interim obſervabis, Congregationem Cardinal. teſte Gallemart *in cit. cap. 10. Trident.* declarâſſe, Abbatem poſſe ex ſpeciali (nam generalem ſufficere non vult) commiſſione Epiſcopi Diœceſani dare Minores Ordines ſubditis Diœceſanis, ſicuti, dum hæc primo prelo mandabam, fecit Reverendiſſimus D. Guilielmus Abbas antiquiſſimi, & Imperialis Monaſterii Peterſhuſiani, ex ſingulari delegatione Reverendiſſimi, & Celſiſſimi Domini Epiſcopi Conſtantienſis, tunc infirmi, & abſente ejus in Pontificalibus Reverendiſſimo D. Vicario Generali, idque jam multis antè annis non ſemel fuerat peractum, ſicut eſt repetitum Anno 1676.

II. Nomine Abbatum intelliguntur hic 325
omnes Prælati Regulares, præditi tribus conditionibus. 1. Si ſint Sacerdotes. 2. Benedicti. 3. Habeant Juriſdictionem. P. Suarez *Tom. 4. De Relig. Tr. 8. Lib. 2. Cap. 29. num. 4.* adeò, ut P. Palaus *Tr. 27. p. 14. n. 15.* aſſerat, ne valere quidem Ordinem, ſi conferatur à non benedicto Abbate. Aſcanius tamen Tambur. *de Jure Abb. vol. 2. diſp. 2. quæſt. 3.* refert varia Privilegia non requirentia benedictionem.

III. Licèt ante Annum hujus ſæculi qua- 326
drageſimum primum fuerit *ſpeculativè*, & *practicè* probabile, verbis Concilii Tridentini nunc primùm relatis non damnari illos Abbates, qui

Digitized by Google

tes, qui habentes uſum Pontificalium, conferebant Ordines Minores alterius Monaſterii Monachis, aut etiam ſæcularibus habentibus legitimas dimiſſorias, & ſpecialem conſenſum Epiſcopi localis, id enim juris faciebant iis apertæ Declarationes Cardinalium, quas refert Gallemart *ad cit. decimum Caput Tridentini*, & quas ſecuti ſunt P. Suar. *loc. cit. num.* 21. P. Tambur. *loc. cit. quæſt.* 7. ac plures alii nominati etiam à Mathia Corona *De dignit. Epiſc. Tract.* 2. *cap.* 15. §. 5. attamen ea ſententia nihil jam habet ex ſe probabilitatis, eſto adhuc eandem defendat idem Corona excuſus Anno 1671. Ratio eſt, quia productas in favorem illius ſententiæ Declarationes vel improbavit tanquam non authenticas, vel irritavit Congregatio Cardinalium. Siquidem fide digniſſimus Diana *Part.* 7. *Tr.* 11. *Reſ.* 42. deſcribit formalia verba noviſſimæ Declarationis factæ 23. Novemb. Ann. 1641. ubi expreſſè dicitur:

327 *Abbates Regulares, Benedictos Congr. Caſinenſis, ſeu alterius Congregationis, Ordinis, aut Inſtituti habentes etiam Iura Epiſcopalia, ſeu quaſi Epiſcopalia, uſúmque Mitræ, Baculi, & benedicendi, ac facultatem Primam Tonſuram, Minoreſque Ordines conferendi, non poſſe dictam Primam Tonſuram, ac Minores Ordines conferre, niſi ſuis ſubditis Regularibus, non autem Regularibus alterius Congregationis, Ordinis, aut Inſtituti, etiamſi habeant literas dimiſſorias ſuorum Regularium, & conſenſum Ordinariorum, intra quorum Diœceſeon fines ipſi Regulares ordinandi exiſtunt, & multò minùs perſonis ſecularibus etiam habentibus literas dimiſſorias à ſuis Ordinariis. Ac propterea inhibuit Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis inferioribus Prælatis Secularibus, ac Regularibus, ut in futurum concedere non audeant ſupradictas literas dimiſſorias hujuſmodi Abbatibus directas, nec ab illis recipi. quòd ſi ſecùs fiat, tam recipientes, quàm Ordinantes à collatione Ordinum ſuſpenſi maneant, præter alias pœnas eidẽ Congregationi reſervatas.*

328 Hactenus verba formalia Congregationis, & Declarationis, De cujus fide ideo non eſt dubitandum, quia idem Diana Romæ An. 1642. ſcripſit, ac teſtatus eſt, hanc ipſam Declarationem eſſe ſibi à ſuo amiciſſimo D. Franciſco Paulucio Secretario ejuſdemmet Congregationis miſſam, & 17. Januarii ejuſdem Anni 1642, ab Urbano VIII. approbatam, juſſámque inviolabiliter obſervari. Verùm patet ex conſuetudine Conſtantienſi, de qua ſuprà *n.* 324. eam Declarationem non eſſe ubique *adæquatè* receptam. Hæc cùm legere dignatus eſſet quidam Reverendiſſimus, & Illuſtriſſimus Dominus Abbas, & Princeps, dedit per unum è ſuis Conventualibus literas ad me, quibus petebatur reſolutio hujus

Tunc recentiſſimi Caſûs.

Venit huc N. obtento priùs in ſcriptis conſenſu ab Ordinario, ut, per quemcunque Epiſcopum, ſeu Abbatem mallet, filio ſuo Primam Tonſuram procuraret. Ad id exoravit Reverendiſſimum & Illuſtriſſimum noſtrum, ut Primâ Tonſurâ ſuum filium initiaret. Quæritur, an hunc nullo modo ſubditum ordinare potuerit? Hic Caſus etſi videtur ſolutus in Alphab. Ordin. n. 328. *quòd illa Declaratio deſcripta* n. 327. *non ubique adæquatè ſit recepta, tamen remanet dubium, an Abbati Exempti Monaſterii, atque immediatè ſubjecti Summo Pontifici, qui quidem in Diœceſi ejuſdem Ordinarii, non tamen de Diœceſi exiſtat, prorogari poſſit poteſtas alieno Primam Tonſuram conferendi, cùm talis Abbas magis teneatur Summi Pontificis autoritatem, & conſequenter ſtatuta, ut* num. 324. & 327. *tueri, atque ſtrictiùs obſervare, quàm Epiſcopi.*

Ad haſce literas reſpondi, ſi ille N. erat inſtructus dimiſſorialibus Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Epiſcopi Conſtantienſis, potuiſſe Reverendiſſimum & Illuſtriſſimum Dominum Abbatem vi earum æquè conferre ipſi Primam Tonſuram, atque potuit aliis Reverendiſſimus Dominus Abbas, de quo ſuprà *num.* 324. Exemptio enim non impedit uſum gratiæ Epiſcopalis, inducta enim in augmentum, non debent parere diminutionem. DD. *ex cap. Quod ob gratiam. De Reg. jur. in* 6. Nec obeſt, quòd exempti videantur obligari ad ſtrictiùs obſervandas leges Pontificias, quàm Diœceſanas conſuetudines. Non enim quæritur hîc, utrùm Abbas exemptus teneatur præferre conſuetudines Epiſcopales legi Pontificiæ, ſed utrùm *licitè* præferat per benignam conceſſionem Epiſcopi in Caſu favorabili? Quod quidem cenſeo eſſe tenendum ob allatam rationem. Quòd ſi ille dimiſſus ſpectabat ad aliam Diœceſin e. g. vicinam Curienſem, & hujus quoque Illuſtriſſimus Antiſtes per conſuetudinem legitimam, privilegiúmve gaudet jure committendi in tali caſu ſuas vices cuilibet Abbati, jus Pontificalium habenti, potuit ſanè committere tali Abbati habitanti extra ſuam Diœceſin. Nam de ſimilibus eſt idem judicium habendum *cap.* 2. *de Tranſ. Epiſc.* poteſtas autem delegandi alteri Epiſcopo eſt ſimilis poteſtati delegandi Abbati: atqui poteſtas delegandi Epiſcopo extenditur utique ad Epiſcopum ſitum extra Diœceſin.

IV. Etſi probabiliſſimum eſt, per ea, quæ differit Aſcan. Tamburinus *de jure Abbat. Volum.* 2. *diſp.* 2. *quæſt.* 5. & Alviſet *de Privil. Regul. Sect.* 3. *cap.* 20. imò certum, ut loquitur Suarez *loc. cit. n.* 24. contra Navarrum *Conſil. Lib.* 5. *conſ.* 54. & alios, Abbatem Generalem Illuſtriſſimi Ordinis Ciſtertienſium, alióſque quatuor primarios Coabbates potuiſſe per Privilegium Innocentii VIII. promovere ad Sacros 329

Digitized by Google

eros Ordines Subdiaconatûs, & Diaconatûs ſuoſmet ſubditos Regulares, id tamen Privilegium, utrùm hodie valeat, non ſatis perſpicio. Revocatum eſſe, ſi aliquando valuit, cenſet (pronuntiante Dom. Reding. *a. 4. Controverſ. 1. num. 11.* ex Navarro, ſublatum eſſe conſuetudine, & uſu, quod utique negant Caramuel & Alviſet *ll. cc.*) Navarrus *loc. cit.* itémq; Vivaldus, & Camerota apud Caramuelem *in Theolog. Regulari diſp. 129. n. 16. & 26.* improbabiliter id aſſeri ab eis pronuntiantem, & ſic loquentem: *Hoc privilegium eſt in praxi, & hodie ſuperſunt, qui ad Majores Ordines ab ipſis Abbatibus fuêre promoti.* Et paulò inferiùs repetit. *Ita praxis hodie permanet.* Scripſit autem hæc, vel certè ſcripta approbavit Anno 1645. eo quippe Anno Librum illum inſcripſit Electori Moguntino, & Abbati Alderſenſi, digniſſimus ſanè, cui pleniſſima fides habeatur teſtanti de praxi. An verò etiam approbanti illam praxin, judicent, quorum intereſt. Ego cum Diana *cit. Reſ. 42.* dico: *Sententiam meam non promam, ſed reſolutionem dubii ad Sacram Congregationem remitto.* Adde, quod non expreſſit, fortè tamen ſubintellexit Diana, ſcilicet mihi difficillimum accidere, damnare ejuſmodi praxin, eam quippe damnando, ago reos ſacrilegii tum Prælatos adeò præſtantes virtute, & doctrina: tum Epiſcopos ipſos, qui promotos ab iis ungunt in Sacerdotes. Joan. Præpoſ. *in 3. Part. De Sacram. Ord. num. 120.* apud eundem Dianam *cit. Part. 8. Tr. 1. Reſol. 34.* ſic loquitur: *Reverendus Adm. Dominus Abbas de Nizella in Brabantia Gallicana mihi retulit, ſe vidiſſe Reverendiſſimum Dominum eorum Generalem uno die conferentem Ordinem Subdiaconatûs quinque Religioſis Monaſterii Crambronenſis in Hannonia Ciſtertienſis.* Equidem videntur probabilitatem illi ſententiæ conciliare, tum Abbas illius Monaſterii, tum ipſummet Monaſterium, atque candidati Ordinum. Abbas quidem & Monaſterium, dum non procurant ita Ordinatis aliam Ordinationem, hi autem, ſeu candidati, dum non ultro exigunt aliam.

330 V. Controverſum eſt, utrùm, quando Abbates conferunt Minores Ordines contra Tridentini diſpoſitionem, non ſolùm peccent, ſed etiam *invalidum* actum exerceant? P. Suarez *cit. cap. 29. num. 8.* ſic loquitur: „Si Abbas „ordinet ſæculares, vel Religioſos non ſui Or„dinis, aut ſibi non ſubditos, Ordinatio non „tenebit ex defectu poteſtatis, ut ſentiunt „communiter Doctores *in cap. Quoniam, & „in cap. Cùm contingat. De ætat. & qual. Or„din.* Ratio eſt, quia, licèt hæc poteſtas ſit ad „actum Ordinis, & ideo latè actus Ordinis di„catur, tamen non eſt ex *intrinſeca*, quaſi Di„vina extenſione, ſive characteris Sacerdota„lis, qui ſolus in Abbate ſupponitur, ſed eſt ex „quadam veluti extenſione *extrinſeca* per Pon-
331 „tificis voluntatem. Ergo hæc extenſio non excedit terminos à Pontifice præſcriptos. Ità ille ibi. At *num. 21.* putat, ſuppoſitâ veritate hujus antecedentis: *Abbates Infulati poſſunt „de licentia Epiſcopi Minores conferre Diœceſa„nis ſæcularibus habentibus dimiſſorias*, eviden„tem eſſe hanc conſequentiam: ergo valebit „ordinatio impertita ſine dimiſſoriis, quia E„piſcopus dat ſolam licentiam, at non dat, „ſed ſupponit poteſtatem. P. Palaus quoque „ 332
Tr. 27. punct. 14. num. 15. ſic diſſerit: Si Ab„bas conferat Minores Ordines non ſubditis, „vel extra ſuam Diœceſin, nulla eſt Ordinatio, „quippe limites ſuæ poteſtatis excedit. Secùs „eſſet, ſi poteſtate conceſſâ uſus tantùm pro„hiberetur, uti ſolùm prohiberi videtur in Tri„dent. *Seſſion. 23. capit. 10.* cùm Abbatibus „non permittitur Ordines Minores concedi „alteri, quàm Regulari ſubdito. Etenim Con„cilium non tollit poteſtatem, ſed uſum pro„hibet, ut indicat verbum: *Non liceat*, quo u„titur. Denique Aſcan. Tambur. *loc. cit. q. 8.* „ſic reſolvit: Si Abbas ordinet ſæculares ſibi, „vel Epiſcopis ſubjectos, vel Regulares non „ſibi ſubditos etiam ſine dimiſſoriis, & licen„tia Epiſcopi loci, hujuſmodi Ordinatio vali„da eſſet, quia per hujuſmodi Ordinationem „Character imprimitur. Idem tenet Joan. Andr. „*in Cap. Abbates. De Privil in 6.* & Rodriq. *quæſt. „Regul. 1. 1. q. 18. a. 1.* Poteſt hæc doctrina „confirmari iſto

Caſu deciſo.

333 *QUidam Laicus Annis elapſis Primam Tonſuram ſuſcepit, & Ordines Minores ab Abbate Caſſinenſi, ejus in temporalibus, & Spiritualibus Superiore, credens, illum habere poteſtatem. Sed cùm videatur eſſe contra diſpoſitionem hujus capitis, dubitatur, an ipſe indigeat diſpenſatione, vel neceſſe habeat cupiens eſſe Clericus, iterum ordinari ad dictos Ordines tanquam nulliter collatos? Congregatio Concilii ſic reſpondit*: indigebat diſpenſatione, ſed non eſt neceſſarium, ut ordinetur iterum.

Ita ad verbum refert Gallemart *in cit. cap. 10. Trident.* quod Capitulum innititur verbis Congregationis.

VI. Quia verò, ſicut non habeo rationem 334
credendi, hanc Declarationem eſſe authenticam, id eſt, verbo facto cum Summo Pontifice ſignatam manu Cardinalis Præfecti, atque Secretarii. Ita etiam non video, cur dubitem, an revera emanârit ab ipſa Sacra, id eſt, graviſſimorum virorum Congregatione, ideo ſubſcribo verbis Tamburini, & univerſim dico, Ordinationes ab Abbatibus factas contra præſcriptum legum Canonicarum, eſſe quidem pro *illicitis* habendas, non tamen pro *invalidis* niſi verba prohibentia illas clarè indicent etiam irri-

Digitized by Google

am irritationem, quia ſcilicet valori actûs, generaliter loquendo, magis quàm nullitati favent jura, quando ſubjectum habet *abſolutè* aliquam poteſtatem, & capacitatem. Etenim pro valore actûs ſtat præſumptio DD. *ex. L. Si Pars. ff. De inoff. teſtam.* & *L. 1. ff. Dè Iur. Codicill.* Nec obeſt, quòd Declaratio Cardinalium deſcripta ex Diana ſuprà *n. 327.* exprimat, Abbates non poſſe conferre Minores ullis ſæcularibus. Etenim nihil eſt communius, quàm quòd dicamur ea facere non poſſe, quæ *licitè* non poſſumus.

335 VII. Hinc deduco reſponſum ad noſtrum Caſum *Dubium*, atque dico inprimis, Heronem illum potuiſſe repelli à Subdiaconatu, quia incurrerat ſuſpenſionem accipiendo Ordines ab illo Abbate, juxta dicta ſuprà *num. 327.* à qua an eſſet abſolutus legitimè, ignorabat ille D. Vicarius, qui tamen, ut puto, potuiſſet abſolvere, ſeu diſpenſare, etſi fortè Religioſus eſſet exemptus, aderat enim ſine dubio voluntas Superiorum, & in actibus voluntariæ, favorabiliſque juriſdictionis poſſunt exempti ſeſe ſubmittere Ordinariis.

336 Dico deinde, ſtante illâ Declaratione, non debuiſſe urgeri illum Religioſum Heronem, ut ſeſe curaret iterum initiari Minoribus, hanc enim neceſſitatem diſertè negat illa Declaratio. Haud tamen idcirco damno illum D. Vicarium, tum quia rationes, quas adfero pro me non ſunt certæ, ſed tantùm probabiles, tum quia fortè legerit Declarationem deſcriptam ex Diana, ponderâritque clauſulam: *Non poſſunt*, & autores loquentes rigidiùs de illa. Si ergo in reipſa erravit, tunc erravit ſolùm (ut ſolent tales) doctè. His omnibus & ſcriptis, & à Reviſoribus pro altera editione approbatis, ſcribit mihi ex Urbe vir graviſſimus in hæc verba: *Nuper in facti contingentia ſub hoc ipſo Pontifice* (Clemente IX.) *Ordines Minores, collati ab Abbatibus ſuis non ſubditis, habiti ſunt pro validis.*

337 VIII. Poteſt quoque veroſimiliter ex dictis decidi quæſtio, quam Theologiæ quidam Profeſſor, atque Epiſcopalis Theologus, ingenii perquam vividi propoſuit mihi literis datis ad me 27. Martii Anno 1663. hiſce verbis: *Liceat, oro, à R. V. petere reſolutionem ſequentis, & in his partibus non rarò accidere ſoliti, nupérque propoſiti*

Caſûs Monachalis.

338 *Abbas quidam Monaſterii exempti Tonſuram, & Minores Ordines contulit ſæcularibus, non ſubditis, non rarò ſine, quandoque cum licentia Ordinarii ſui. Quæritur, an Ordines illi* validè *collati ſint, non obſtante Trident. Concil.* Seſſ. 23. c. 10. de Refor. *& novâ Declaratione Cardinalium apud* Dianam Part. 7. Tr. 11. Reſol. 2. & ſuffragante l. Barbarius, ff. De Offic. prætor. & c. Infamis. 3. quæſt. 7. verſ. Verum tamen. *Certè ſi validi non ſunt, nec licentiam dare potuit Ordinarius quam tamen ſæpe dedit. Nec alii Epiſcopi ad ejuſmodi Abbatem literas dimiſſorias concedere, quæ tamen conceſſa ſunt. Quid igitur dicendum eſt?*

Reſpondi ego mox, me *in præſenti Alphab.* declaraturum, quid ego ſentirem, interim poſſe legi Suarium, Palaum, Aſcan. Tamburinum *locis ſuprà citatis.* Igitur, ut fidem liberem, ajo, videri illos Ordines *validè* fuiſſe collatos, ob rationem, & autoritates indicatas. 339

Cenſeo quoque, huc non improbabiliter applicari legem, & Canonem indicatum ab illo P. Theologò. Interceſſit enim etiam hîc error communis. Siquidem ipſe Abbas, ejus Monaſterium, Candidati Ordinum, Epiſcopi non ſubjicientes eos alteri Ordinationi, illorum eorundem Epiſcoporum Conſiliarii Eccleſiaſtici cenſuerunt utique, nihil defuiſſe valori talium Ordinum. Potuerunt autem prudenter id exiſtimare, quandoquidem fieri potuit, ut legerint Declarationes illas, quas innuî ſuprà *n. 326.* Quid ſi & Aſcanium Tamburinum ille D. Abbas? 340

Accedit, quòd P. Suarez *cit. Cap. 29. num. 22.* affirmet, illam generalem conſuetudinem conferendi non ſolùm Lectoratum, de quo ſolo loquitur *c. Quoniam diſt. 69.* ſed etiam Minores, quæ nunc viget inter Abbates cujuſque Ordinis, niti potiùs jure antiquo conſuetudinario, quàm ſcripto. Si per conſuetudinem poteſt præſcribi id genus, quidni per errorem publicum diuturnum? Nam tali errori jungitur quoque conſuetudo. Accedit factum, quod retuli ſuprà *num. 336.* 341

Quòd verò addit ille Pater: *Si non valet Ordo collatus ſine licentia Ordinarii. Ergo nec cum licentia*, conſequentiam admittet Suarez *cit. num. 21.* ut liquet ex verbis ſuprà recitatis. Poſſet tamen in rigore negari. Nemo quippe inficiabitur, illam Ordinationem fore nullam, quam Abbas perageret poſt editum à Papa ſequens Decretum: *Si quis attentaverit cuiquam ſæculari conferre Ordines Minores, ſine licentia Ordinarii, (ſecùs, ſi cum licentia) decernimus fore nullos.* Nec enim de hac doctrina dubitare fas eſt, cùm poſſit Papa dicere alicui Abbati, aut alteri ſimplici Sacerdoti: *Poteris toto proximo triennio miniſtrare cuivis Minores Ordines, at poſtea expirabit hæc noſtra gratia.* Ergo manifeſtum eſt, non eſſe omnino firmam illam conſequentiam: Si non valet Ordinatio Minorum Ordinum facta ſine licentia Epiſcopi, ergo neque cum licentia valebit. Sed poſt hæc omnia in *prima* editione lecta inſtabat idem, de que memini ſuprà *num. 337.* literis ad me ſcripris. 30. Sept Ann. 1664. in hunc modum: *Poteſtas conferendi Ordines extraordinaria, qualem* 342

lem habent Abbates, ita eſt revocabilis, ut, ſi etiam Pontifex de facto revocet, validè *non Ordinent, quantumvis vel revocationem illam ignorent, vel contrariâ conſuetudine antiquum ſuum jus (ſi quod habuerunt) ordinandi etiam non ſubditos tueri conentur, cùm tota illa commiſſio pendeat unicè à voluntate concedentis. De facto autem revocata eſt ab Urbano VIII. hoc ipſo, quòd eandem Declarationem juſſerit inviolabiliter ſervari, quod velle non potuit, niſi volendo, ut poſthac Abbates* validè *non ordinent non ſubditos, adeóque revocando factam anteceſſorum ſuorum commiſſionem. Neque locum hic habet lex* Babarius. *Cùm ob communem vulgi errorem valeant quidem actus Iuriſdictionis, non autem Ordinis actus, qualis eſt Ordinum collatio, atque hoc eſt dubium meum.*

Reſpondi ego, atque reſpondeo inprimis, tametſi P. Laymannus *in Theolog. moral. Lib. 1. Tr. 4. Cap. 3.* poſt P. Suarez ſcribat, leges irritativas actionum, in quibus Papa liberam diſponendi poteſtatem habet, obtinere vim ſuam ſtatim poſt promulgationem Romæ factam, ac proinde eandem vim exercere adverſùs ignorantes quoque, attamen nego, Declarationem Urbani VIII. deſcriptam ſuprà *num. 327.* eſſe irritativam: tum quia nullo verbulo fit ibi mentio irritationis: tum quia argumentum à prohibitione ad irritationem eſt apud Theologos nullius roboris, ut videre eſt apud eundem Laymannum *cit. Tr. 4. Cap. 26.* tum denique quia Alexander VII. facto ſuo oſtendit, illam ipſam Declarationem Urbani non eſſe irritativam, & Congregatio ſub Clemente IX. ut vidimus ſuprà *num. 336.* Deinde licèt Lex *Barbarius* præciſè ſumpta non habeat locum in actibus Ordinis, habet tamen tunc locum in iiſdem, quando cum errore communi concurrit longæva conſuetudo. Poteſt enim hæc fundare titulum legitimæ præſcriptionis, ſicuti reipſa juxta Suarez ſuprà *num. 341.* poteſtas conferendi Ordines Minores, qua gaudent Abbates, nititur potiùs jure antiquo conſuetudinario, quàm ſcripto. Et *in Tract. 3.* ſeu *Alphab. Sacrific. Caſ. XI. num. 364.* retulimus autores ſcribentes, pleroſque Abbates jus benedicendi veſtes ſacrificales acquiſiviſſe titulo legitimæ præſcriptionis. Unde arbitror, eſſe jam ſatiſfactum rationi, ac fundamento allatis in illa epiſtola familiari, & ad familiarem.

343 IX. Non licet, *per ſe loquendo*; Abbati extra ſuam Eccleſiam conferre Ordines Minores. Aſcan. Tambur. *de jur. Abbat. Tom. 1. d. 21. quæſt. 3.* cum communi: tum quia *Cap. Quoniam. Diſt. 69.* dicitur, quòd Abbates poſſint tantummodo in proprio Monaſterio Lectores ordinare: tum quia eis, *per ſe loquendo*, non licèt extra loca ſuæ juriſdictionis vel deferre Mitram, aliáque Pontificalia Inſignia. Idem *ibid. num. 1.* & nos ſuprà, vel etiam exercere quæcunque Pontificalia ut ſunt conſecratio altarium, valorum, campanarum, populi ſolennis benedictio, Corporalium, aliorúmque altaris paramentorum benedictio. Idem *num. 11.* poſt Laymann. *inqq. Canonicis, De Prælat. Eccleſ. Elect. q. 24.* Indigent ergo ad hoc licentiâ ſpeciali Epiſcopi loci.

At verò ſicuti poteſt in Eccleſia exempta invitatus à Prælato exercere alia Pontificalia, 344
Aſcan. Tambur. *loc. cit. quæſt. 4.* ita & Ordines Minores conferre. Gloſſ. *in cit. cap. Quoniam. verb. Monaſterio*, Dominicus *in cap. Abbates. de privil. in 6.* Tambur. *Vol. 2. diſp. 2. quæſt. 19.* addens Graffiis, & Sairum, dicénſque, vel per poſteriora Privilegia, vel per conſuetudinem fuiſſe ita ampliatam deciſionem citati Canonis: *Quoniam.* Verùm hanc doctrinam negabunt Diana, & Palaus in ſimili de Epiſcopo alieno relati ſuprà *num. 320.* cum Barboſa *De Offic. Epiſc. alleg. 6 n. 12.* poſt Riccium, & alios referentes ita deciſum. Quòd ſi ejuſmodi conſuetudo non vigeat in aliquo Epiſcopatu, nec toleretur, locum illic non obtinebit doctrina illa Gloſſæ. Unde elicies reſponſum ad hunc

Caſum exempti Abbatis.

HEladius Abbas Ordinis, ſeu Monaſterii exempti rogatus à Parochis quibuſdam, celebrat in eorum Eccleſiis Miſſam Pontificalem. Idem factitavit in Eccleſiis quorundam exemptorum Regularium. Utrumque irrequiſito conſenſu Ordinarii loci, qui poſtea vetuit utrumque. Quæritur, quo jure factum, quo jure vetitum? 345

Reſp. *Primum* potuit fieri vi alicujus Privilegii, ſi fortè aliquod eſt circa hoc conceſſum illi Ordini, interdici tamen ab Epiſcopo, ſi in ejus Diœceſi eſt præſcriptum contra tale Privilegium. Sicuti & propter eandem cauſam vetari in *ſecundo* caſu permiſſo à tot DD. negato tamen ab aliis. Ergo neuter damnari poteſt, utpote nixus uterque ratione *intrinſecâ*, & *extrinſecâ*: majori tamen, ut fieri ſolet, cedendum fuit. Vide dicta *n. 312.*

APPENDIX ABBATIALIS.

a ADde dictis hoc *num. 345.* & *num. 320.* me 11. Maji Anni 1673. literis à quodam Principe infulato interrogatum, an Prælatus, ſive Abbas utens Pontificalibus in aliena Diœceſi, ſine licentia Ordinarii, non incurrat ſuſpenſionem ab exercitio Pontificalium? Reſpondiſſe me, non reperiri à me textum juris, ſtatuentem ejuſmodi pœnam, non igitur præſumendam *cap. 2. de Tranſl. Epiſc.* Equidem Navarrus *in Manuali Cap. 27. num. 154. & ſeqq.* Toletus *in Summa Lib. 1. Cap. 47. & 49.* Filliucius *Tract. 17. Cap. 8. & ſeqq.* atq; alii, tametſi accuratè enumerantes ſuſpenſiones, jure latas in diverſos, attamen nullam faciunt mentionem

b tionem de objecto quæſtionis præſentis. Quamvis autem mortalis delicti reum pronuntiarem Abbatem, qui exerceret ſeu in ſua, ſeu aliena (abſque legitima facultate) Eccleſia, illos Pontificales actus, qui à Trident. Synod. *Seſſ. 6. Cap. 5.* inhibentur ſub pœna ſuſpenſionis Epiſcopo extra ſuam Diœceſin, fortè tamen erit, qui non auſit damnare de mortali (niſi fortaſſis ratione ſcandali) ejuſmodi Abbatem, qui extra ſuam Eccleſiam, extrâve ſuam Diœceſin uteretur, abſque ulteriore facultate, ita Pontificalibus, ut præciſè cantaret Offici-
c um ornatu Pontificio. Ratio poteſt hæc adferri, quòd Cardinalis Toletus *cit. cap. 49. ſub init.* ſuſpenſionem à Tridentinis Patribus latam contra Epiſcopum utentem extra Diœceſin Pontificalibus (abſtrahendo ab actibus juriſdictionis) intelligat ſolùm de pertinentibus ad Ordinem Epiſcopalem, & ipſius conſecrationem, idque declarans inſtantiis ait, *Vt Ordinare, Chriſma conficere, Clericos deponere, Virgines benedicere, Eccleſias & altaria conſecrare, & ſimilia.* Quæ clauſula: *Et ſimilia* denotat ſolos illos actus Pontificales, qui exercentur circa perſonam, aut rem ſubjectam per ſe diſpoſitioni Ordinarii, adeóque tales, qui non ſint merè *perſonales*, ſed *reales*, ſiquidem dictio: *ſimilia*, denotat ſimilitudinem reſpectu facti, modi, & qualitatum, abſque ulla difformitate. Barboſa *diction. 367. num. 5.* atqui præciſè ſacrificare in Pontificalibus, non eſt actus niſi merè *perſonalis*, non habens cum illis *realibus*, de quibus Toletus, ſimilitudinem reſpectu facti, modi, & qualitatum.

d Verùm ego nolim cuiquam ſuadere hanc praxin, quandoquidem eſt communi calculo recepta doctrina Aſcanii Tamburini relata ſuprà *num. 343.* quòd Abbati non liceat mitram, & cætera inſignia Pontificia deferre (citra peculiare aut privilegium, aut poteſtatem) præterquam in locis ſuæ juriſdictionis, & dignitatis; cùm ne quidem ſit fas Archiepiſcopo, pallium geſtare in aliena provincia *Cap. Ad honorem*, & *cap. Ex tenore. De uſu & autor. pall.* Equidem ejuſmodi praxin ſatis clarè improbat P. Ernricus Pirhing poſt hæc à me ſcripta editus *in Lib. 1. Iuris Canonici. De Tempor. Ordin. num. 128.* quem ego librum ſingulari æſtimatione dignum cenſeo.

APPENDIX ABBATIALIS. II.

HAnc Appendicem ſubnecto priori ob materiæ cognationem. Etenim die 23. Julii Anno 1677. *me convenit, mandato Superioris ſui, Religioſus certa de cauſa quærens I. An ſi cui Religioſo Canonicorum Regularium conceſſa ſit à Sede Apoſtolica facultas, ut accepta Benedictione Abbatiali, & cum virga (ſeu baculo, ut vocatur in Pontificali) obeat hoc, aut illud Officium, poſſit vi hujus conceſſionis geſtare mitram; hoc enim jus videri deſignari nomine* Benedictionis Abbatialis. *II. An, ſi fortè hæc quidem interpretatio ſit falſa, attamen bona fide fuerit ex vi ejuſmodi interpretationis inductus mos mitræ geſtandæ, qui duraverit plus integro ſæculo, fuerit tam diuturna uſurpatione comparatum verum jus mitræ? III. Quid ſi poſt illam tam diuturnam uſurpationem eſt ab eo deſtitum, adeò ut per Annos jam 30. nullus fuerit uſus illius reverentiæ, an idcirco interiit illud jus?*

Reſp. ad primum: Nomine *Benedictionis* illic intelligi id, quod in Pontificali, etenim voces intelligendæ ſunt ſecundum ſubjectam materiam. In Pontificali verò Titulo *de Benedictione Abbatis*, non modo intelliguntur ſolæ preces, de quibus agitur in Pariſienſi Exemplari de Anno 1615. à *folio 78.* Sed etiam poſtquam omnes illæ preces ſunt peractæ additur *folio 90. Qua Benedictione data, ſi Abbas ſit de mitra*, id eſt mitrâ donandus. Ergò certum eſt illum D. Præpoſitum non gaudere Jure mitræ, ſi ſtetur ſolis verbis mihi in extracto privilegii exhibitis. Vide etiam Aſcanium, Tambur. de Jur. Abb. *Tom. 1. quæſt. XI.*

Ad ſecundum: Minimè dubitandum eſt; quin mitra acquiri poſſit vi longævi uſûs. Eſt enim ſolennis, & generalis doctrina Navarri, & aliorum, quòd, quidquid per privilegium poteſt obtineri, poſſit etiam per longiſſimam, (ut eſt utique centenaria,) conſuetudinem acquiri.

Ad Tertium: Sicut generatim loquendo, privilegii valor non extinguitur per merum non uſum. Suarez. *Lib. 7. De Legib. Cap. 24. num. 17.* ità nec jus acquiſitum, præſcriptione longiſſima. Cùm præſertim ille uſus fuerit tam diu intermiſſus, partim ob ægritudinem Prælati, partim ob tumultus bellicos, partim ob paucitatem Religioſorum tantam, ut Abbates, ſive Præpoſiti tales nequiverint cum decoro, ſeu ſufficiente miniſtrorum numero pontificaliter celebrare. Et hanc ob rem poteſt ille non uſus phraſi Suareziana appellari *non uſus merè negativus*, ideóque prorſus nihil officiens privilegio. Hoc parergon non prorſus alienum ab argumento præſentis Caſûs VIII. æqui boni conſulat Lector.

Quæres II. *Quinam alii præter Epiſcopos, & Abbates, ſeu Prælatos Religioſos, de quibus ſuprà, habeant jus conferendi Ordines?* 346

Reſp. Quinam de facto fruantur Privilegio conferendi Primam Tonſuram, aut Minores præter Abbates, itémque Cardinales non Epiſcopos, de quibus hoc Privilegium aſſerit Diana *Part. 8. Tr. 1. Reſ. 33.* ignoro. Sicuti & ſine dubio nullus, præter quinque Abbates Ciſtercienſes, de quibus ſuprà, pollet poteſtate delegatâ impertiendi ſeu Subdiaconatum, ſeu Diaconatum. Quod ne quidem per Pontificis indulgèntiam poſſit quis non Epiſcopus conſecrare Sacerdotem, ita eſt receptum apud S. Thom. & alios Theologos, ut Granadus, (re-

Digitized by Google

ferente Dianâ *loc.cit. Reſ.36.*) neget, quemquam id docere. At verò idem Diana refert in contrarium Vaſquezium *in 3. Part. Tom. 3. Diſp. 243. cap.* 4. Ochagaviam, & Hurtadum. Qui quidem Hurtadus *de Ord. diff. 18.* addit complures alios DD. Epiſcopus nullo jure valet cuiquam ſimplici Sacerdoti dare jus conferendi etiam Primam Tonſuram, ut tradunt paſſim DD. Huic rei merè *ſpeculativæ* non inhæreo, ſed potiùs tranſeo ad hunc

Practicum Caſum ſimul, & Curioſum.

347 *Hilarion Abbas juſta de cauſa renuntiavit Abbatiæ. Ejus ſucceſſore poſtmodum vel ægritudine, vel longâ abſentiâ impedito, admittitur ex legitima delegatione ad Profeſſionem Novitius, qui cùm de more eſſet attondendus in Clericum, rogatur Hilarion, ut attondeat, ſed ſe excuſat cauſatus reſignationem. An fuit hæc legitima excuſatio?*

348 Reſp. Interrogatus, imò fuiſſe neceſſariam, quia poteſtas iſta non conceditur, niſi habentibus juriſdictionem, ut vidimus ſuperiùs. Et Superiores Ordinum Mendicantium pollent quidem jure benedicendi paramenta ſuarum Eccleſiarum, ut declaravi *in Alphab. Sacrif. Caſ. XI. num. 358.* attamen, ut primùm quis deſiit eſſe Prior, Guardianus, Rector, deſinit illud jus, ut docet praxis.

349 Quia tamen Epiſcopus, qui dignitati renuntiavit, non poteſt quidem conferre Ordines Majores quoad uſum *Cap. 1. De Ordinat. ab Epiſcop. qui renunt.* poteſt autem Minores, teſte Dianâ *Part. 8. Tr. 2. Reſ. 7.* poſt Candidum, ideo fortè erit, qui idem ſentiat de illo Abbate reſignato, ut loquuntur. Maneo tamen in data reſolutione, eò quòd credam, ſeu à jure, ſeu à conſuetudine conceſſam eſſe illam poteſtatem ſolis Abbatibus præditis juriſdictione, quandoquidem non habent ullum alium Characterem, quàm alii Superiores Regulares, aut Decani Eccleſiarum Cathedralium. Certè nemo aſſereret, Reverendiſſimum D. Abbatem Ciſtertienſem, de quo ſuprà, validè collaturum Diaconatum cuiquam, ſi fortè cederet Officio. Sed vide omnino diſtinctionem, quam inter Epiſcopum renuntiantem ſolùm loco, & renuntiantem loco ſimul & dignitati, adferunt interpretes *Cap. 1. De Ordinat. ab. Epiſc. qui renunt.* atque inter hos P. Ernricum Pirhing. *in Lib. Decretal. Tit. 13.* his jam impreſſis editum.

ORDINANS AUT ORDINATUS NON JEJUNUS, AUT NON COMMUNIGANS.

CASUS IX.

Moleſtiſſimus.

SUMMARIUM.

Caſus Ordinati non jejuni. 350.
Falſum eſt, jejunium Ordinantis, & Ordinati eſſe de ſubſtantia Ordinis. 352.
Debent autem uterque jejunio naturali *eſſe jejuni ipſo die Majorum Ordinum. 354.*
Quale jejunium debeat continuare ipſe Epiſcopus, quando vult die Dominico IV. temporum continuare Ordinationem cœptam pridie? 355.
At pridie Ordinationis neuter tenetur jejunare. 357.
Ne quidem Diaconi tenentur ſub mortali communicare die ſuæ Ordinationis. 358.
Imò nec novus Sacerdos. 359.
Novi Sacerdotes non tenentur habere intentionem conſecrandi cum Ordinatore. 359.
Declaratur caſu novo. Ibid.
Potuit non jejunus creari quis Sacerdos. 360.
Caſus Minoriſtæ communicantis ex conſilio Theologi poſt ſolutum jejunium. 361.
Caſus Sacerdotis ſumentis ante ſecundum Sacrum Natalis Domini particulam immiſſam in vinum purificationis. 364.
An debuit abſtinere utroque Sacro? 365. & 366.

Julianus Diaconus ex febri laborans, cupiens tamen in Sabbato Sancto inaugurari in 350 *Sacerdotem, ſumit manè hujus ipſius diei de more aliquid medicinale, prorſus nihil cogitans de inſtante tempore Ordinationis, Vix autem degluttiverat, cùm animadvertit ſuum errorem, accurrit ad me rectà, petit conſilium. Ego non ex meo ſolius, ſed ex aliorum doctorum virorum à me conſultorum judicio reſpondi, poſſe ſaltem à D. Vicario declarari, hic, & nunc non obligare Rubricam Pontificalis de Communione percipienda à recens creatis Preſbyteris. Cæterùm non videri accedendum ad Ordines ſine ejuſmodi ſeu interpretatione, ſeu etiam diſpenſatione, ſicuti etiam intellectâ meâ animi ſententiâ, factum eſt.* Quæret Lector, quo jure ſeu palliare, ſeu prudenter defendere poſſim hoc reſponſum?

Appello Caſum *moleſtiſſimum*, quia non ſo- 351 lùm magnopere angebatur bonus ille vir, timens, ne ego juberem ipſum deponere ſpem Preſbyte-

Digitized by Google

Preſbyteratûs cum magno ſuo incommodo, ſed ego quoque perægre dimiſſurus eram mœſtum, vix minùs ægre reſoluturus è ſtapede, aut in arena Caſum tam inuſitatum. Cùm ex una parte non videretur adeſſe ſufficiens ratio quidquam agendi adverſùs leges, aut conſuetudines Canonicas hac in re notas. Ex alterâ parte ſi agendum eſſet, tum neceſſariò eſſe tranſgrediendam vel illam, quæ Communionem præcipit recèns ordinatis Sacerdotibus; Vel illam, quæ arcet non jejunos à participatione Corporis Chriſti. Difficilem autem eſſe ſeu hujus, ſeu illius tranſgreſſionem. Priuſquam mei facti rationem promam, expediam duas quæſtiones. Primam: *An, & quanto jure Ordines, & ordinandus debeant eſſe jejuni?* Secundam: *An, & quo jure ordinati teneantur communicare?*

352 Dico igitur I. Epiſcopus collaturus, Clericus ſuſcepturus Ordines Sacros (nam Minores ſæpe conferuntur poſt prandium) debet eſſe jejunus, *c. Quod à Patribus. d. 75.* Eſt autem mihi mirabile, quòd tam ſapiens, & ſcientiâ quoque Theologicâ excellens Epiſcopus D. Pax Jordan. *Elucubr. Vol. 1. Lib. 5. Tit. 1. num. 44.* non niſi trepidè diſſentiat ab Hoſtienſi, & Butrio, quos citat, ratis, jejunium tam ordinandi, quàm Ordinatoris eſſe de ſubſtantia Ordinis, ac proinde *n. 40.* junct. *n. 39.* cenſeat, repetendam Ordinationem, ſi alteruter non fuit jejunus. Etenim nulli Theologo venit unquam in mentem hoc dicere, nec ulla umbra veritatis favet illis duobus, aut tribus Canoniſtis. Quandoquidem *Cap. Literas. De Temp. Ordin. Cap. 1. diſtinct. 67. & citat. cap. Quod à Patribus*, quæ capitula loquuntur de hac materia, nihil ſimile innuunt, nec ullus ſapiens dicet, eſſe à Chriſto Domino hanc conditionem tanquam neceſſariam præceptam, multò minus Eccleſiam habere jus eandem conditionem velut *eſſentialem* injungendi.

353 Quare meritò pronuntiavit Armilla *verbi Ordo n. 9.* eſſe *certum*, quòd jejunium non ſit de ſubſtantia, & conſequenter eſt certo certius, non eſſe repetendam Ordinationem peractam à, vel cum non jejuno, nec enim quidquam ſeu *practica*, ſeu *ſpeculativa* probabilitatis obtinet illorum pauculorum contraria opinio, cùm deſtituatur omni ſpecie rationis, & repugnet certæ perſuaſioni omnium Theologorum, quorum potiùs, quàm Canoniſtarum eſt, pronuntiare de eſſentialibus partibus, & conditionibus Sacramentorum. Repete hîc cenſuram de Canoniſtis, quam ſuperiùs ex Silveſtro retuli *Caſ. I. n. 13.*

354 Jejunium autem illud debet eſſe Naturale, id eſt, tale, quale præmittendum eſt *licitæ* Communioni. Sic enim intelliguntur à Theologis, & Canoniſtis citati Canones. Et Ratio eſt, quia ſaltem Communio, ſi non ipſe Ordo, hoc requirit. *At quid dicendum ad hunc*

Caſum objurgatorium?

Literas veſtras accepimus ſuper inordinata Ordinatione Imolenſis electi, quem Bonon. Epiſcopus præcedenti Sabbato in Diaconum, & ſequenti die Dominico (continuato jejunio) in Preſbyterum ordinavit &c.

Hoc epitheto condecorat illam Ordinationem Innocentius III. *cit. cap. literas. De Temp. Ordin.* in quo facit ter mentionem jejunii continuandi, quando Epiſcopus, qui nequit die Sabbati ordinare omnes præſentes, partem illorum differt in ſequentem Dominicam, ut explicavimus *Caſ. XII.* Quæritur autem hîc, *Utrùm illud jejunium debeat eſſe* Naturale? *An ſufficiat, ſi ſit* Eccleſiaſticum? Reſpondeo, licèt P. Laymannus *Lib. 5. Tr. 9. cap. 8. num. 5.* aſſerat, eſſe illi Epiſcopo ſervandum *Naturale* jejunium, ita ut ne quidem ablutionem ſumere liceat in Sacro Sabbati, ut exprimit Abbas *in cit. cap. Literas n. ult.* Henriq. *Lib. 10. Cap. 10. n. 2. lit. p.* Diana, & P. Ernric. Pirhing. *Tom. 1. in Decretal. Tit. XI. num. 85.* rectiùs tamen id negat Sanch *Lib. 7. conſ. mor. Cap. 1. dub. 51. n. 3.* poſt Silv. *verb. Ordo 2. q. 6.* & Tabienam cum Jordano *Lib. 3. Tr. 6. num. 422.* dicente: *Jejunium verò iſtud* (tam ordinandi, quàm Ordinatoris, ut præmittit *n. 420.*) *ſat erit, quòd ſit* Eccleſiaſticum, *nec requiritur* Naturale. Ita etiam loquitur Sanchez, & Silveſter. 355

Ergo, inquies, *poterit talis Epiſcopus die illo Sabbati ſumere horâ undecimâ prandium, ſeu cœnam, & veſperi conſuetam collationem?* Reſp. Id planè ſequitur, hoc enim eſt jejunium Eccleſiæ. Et tamen P. Sanchez *n. 4.* atque Jordan. *num. 421.* dicunt, jejunium illud, quod in eo caſu obſervandum eſt, eſſe *magnum*, ut loquitur Sanchez, &, ut ait Jordanus *indiſcretum, & periculoſum*, ideòque non eſſe abſq; neceſſitate dividendam Ordinationem. Hæc ſanè adjectiva non cadunt in ordinarium jejunium *Eccleſiaſticum*. Ego puto cum Gloſſ. *in cit. cap. Quod à Patribus, verb. Sabbati* non ſervari de conſuetudine aliud jejunium, quàm quale ſolet aliis diebus Quadrageſimæ. Quin P. Eſcobar *in Theol. Mor. Lib. 23. n. 436.* ita rotundè ſcribit: *Dum indicitur tam Epiſcopo, quàm Ordinandis jejunium, clarum eſt, non de* Naturali *geri ſermonem*, & laudat pro ſe Marchinum, atque Leandrum. Categoricè reſpondendo, cenſeo eſſe tunc abſtinendum prandio, ſeu juſtâ refectione, per hanc enim ſolvitur jejunium juxta phraſin Summiſtarum. At permitto collatiunculam veſpertinam, alioqui non ſubſiſteret doctrina Silveſtri, & aſſeclarum. Hoc certum eſt: quòd, quando noſtri Ordinis Religioſi ex ſingulari Privilegio Apoſtolico tres Sacros Ordines tribus diebus feſtivis continuis accipiunt, non jejunent ullo illorum dierum, niſi vel ex devotione mera, vel in aliquem eorum cadat jejunium commune Eccleſiæ. 356

357 Sed, *eſtne neceſſariò jejunandum Epiſcopo pridie Ordinationis*? Reſp. Fuiſſe mihi quidem notum doctiſſimum Epiſcopum Lauſanenſem, D. Jodocum, qui id faciebat, ſéque putabat teneri facere. Verùm, quia nec reperio textum in jure, qui id imperet, neque DD. hoc loco nominati, neque Navarrus, Bonac. Filliuc. Tannerus, Palaus à me ultra priùs citatos lecti quidquam tale indicant, ideo neque Ordinaturus, neque ordinandus tenentur præmittere pridianum jejunium.

358 Dico II. Neque Minoriſtæ, neque Subdiaconi, aut Diaconi obligantur ſub mortali ſumere Sacram hoſtiam. Ita ſingulariter (aliis tacentibus) docet P. Quintannadv. *Sing. Tr. 6. Singul. 17. num. 2.* etenim nulla lex ſcripta, nulla conſuetudo habens vim legis graviter obligantis id imperant.

359 Dico III. Licèt idem autor *ibid. n. 3.* atque P. Thom. Tamburinus *de Ord. cap. 2. §. 6.* peccati mortalis damnent novum Sacerdotem non communicantem, ego tamen hoc non auſim dicere, utpote memor illius ſententiæ, quam leges apud Arragonium *in 2.2. q. 83. a. 12. concl. 3.* his verbis: *Certè videtur valde durum, & à pietate Chriſtiana alienum, mittere aliquem in infernum, aut dicere, quòd peccet mortaliter ſine evidenti, & certa ratione.* Atqui non adferunt hi duo DD. niſi hanc rationem, quòd omnes Neomyſtæ conſecrent cum Epiſcopo, ergo ſub mortali teneantur ſumere hoſtiam, quandoquidem ſumptio eſt *de eſſentia*, aut *ſubſtantiali integritate* Sacrificii. Sed reſpondetur, hanc rationem nullo modo eſſe aut evidentem, aut certam, cùm nuſquam extet lex, quæ obliget ſaltem graviter Neomyſtas ad conſecrandum, ut dictum *Caſ. IV. n. 134.* & deinde ſacrificans non tenetur ſumere, niſi hoſtiam à ſe conſecratam, ut deduces ex iis, quæ *in Alphab. Sacrif. Caſ. XXIII. n. 834. edit. 2.* dixi. Atqui non obligantur Neomyſtæ habere intentionem etiam *virtualem*, aut *implicitam* conſecrandi particulas, quæ ipſis præbentur, cùm ſine dubio *licitè* poſſent iis præberi jam præconſecratæ, et poſſent etiam abſque omni peccato reſtringere ſuam intentionem ad hoſtiam principalem, non ad alias appoſitas Epiſcopo ad conſecrandum. At ponamus, opinionem P. Tamburini, quam impugnamus, eſſe veram, fuitne extendenda ad hunc

Caſum Conſtantienſem?

Cùm ſcilicet N. N. vel ignarus, vel certè immemor conſuetudinis, de qua nobis ſermo, adiit in noſtra Conſtantienſis Collegii Eccleſia Divinam menſam, unâ horâ ante ſuam promotionem ad Sacerdotalem Dignitatem. Cùm verò porrigeretur poſtmodum ipſi, ſicuti & aliis recèns initiatis Sacerdotio, Sacra hoſtia. Renuit accipere, faſſus, ſe jam factum ejus participem in alio templo.

Reſpondeo, neque Patrem Tamburinum, neque Patrem Quintannadvennam videri mihi fuiſſe ſuam doctrinam exporrecturos ad hunc caſum. Etenim propter unum præceptum non omnino clarum, non ſunt tranſgredienda duo alia graviſſima, clariſſima, ſcilicet præcepta de Euchariſtia percipienda à ſolis jejunis, & percipienda tantùm ſemel in die. Quapropter etſi probrum, atque objurgationem non immeritò formidabat ille N. N. qui jam pridem fatis conceſſit, fatendo publicè ſuam vel ignorantiam, vel oblivionem, ex eáque obitam alieno tempore, & loco Synaxin, ob hoc tamen malum, etſi junctum illi legi, pro cujus ſeveritate pugnat P. Tamburinus, non habuiſſet jus diſſimulandi ſuum factum, faciendique, quod alii ſui novi Symmyſtæ. Nec enim videtur poſſe ipſi applicari reſolutio, quam *in Tract. 4.* ſeu *Alphab. Communic. num. 320.* tradidimus ex communi Theologorum de Laico, qui proximus altari recordatur, ſe non eſſe jejunum. Verè enim non poterat timeri tantum probrum, ſeu tantum malum, quantum metum exigerent Theologi non nimis laxi. Et verò ſi præſcitum fuiſſet, illum bis communicaſſe uno die, ídque non jejunum, fuiſſet utique punitus.

360 Ex his decidendum eſt, utrùm reſolutio data *num. 350.* illi Juliano ſubſiſtat. Subſiſtere exiſtimo adhuc hodie, idcirco *fundamentaliter.* Quòd ille Julianus, ſi non fuiſſet promotus ad Sacerdotium, non leve incommodum pati debuiſſet. Inprimis enim venerat ex loco diſtante itinere bidui, & quidem febri laborans, quem locum repetere debuiſſet ſine Ordine, cùm tamen jam eſſent indictæ primitiæ in Dominicam in Albis. Deinde hoc ipſo, quòd laborabat febri pertinace, timere poterat prudenter, ne ea ipſum eſſet impeditura, quò minùs in Sabbato ante Trinitatis poſſet inaugurari Sacerdos. Certè debuiſſet huc redire non ſine magnis ſumptibus, nec ſine incommodo beneficii, quo arctabatur. Hæc ſanè ſunt non levia incommoda, ſed majora, aut certè æqualia aliis quibuſdam, ob quæ tamen fas eſt agere contra ſtatuta humana, & præſertim ea, quæ non obligant ad mortale, ſicuti non obligat Communio ſub Sacro Epiſcopali. Sciebam autem, poſſe ſine omni ſcandalo omitti propter magnum numerum ordinatorum, ita ut poſſet, ſicuti reipſa factum eſt, ſe ſubtrahere Communioni, nemine advertente. Suaſi tamen, ut pro majori ſecuritate, atque obſervantia erga Superiores, peteret Declarationem à D. Vicario Generali, etſi enim Epiſcopus, ejúſque Vicarius nequeunt, communiter loquendo, diſpenſare in legibus Pontificiis, niſi graviſſimâ cauſâ urgente, poſſunt tamen declarare, illas hic, & nunc non obligare, ait Quintannadv. *Singul. Tr. 6. Singul. 12. num. 7.*

361 Dices: *Cur non potiùs ſuaſiſti, ut hoſtiam Sacram ſumeret non jejunus?*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Quia non lubuit ſequi judicium, quod exhibet hic

Caſus improviſus.

Juſtinus adoleſcens, initiandus manè in templo Minoribus Ordinibus unà cum aliis tam ad hos, quàm ad altiores promovendis, comedit quidpiam domi, minimè cogitans de Communione, quam erat de more ſumpturus publicè cum cæteris. Accurrit igitur ad quendam Theologiæ Doctorem non ſanæ infimi ſubſellii, ejúſque conſulti reſponſo fretus excepit Corpus Chriſti.

362 Hoc, inquam, judicium, quod ſcio fuiſſe latum ab illo viro, nolui ſequi. Quia, ut intellexi, cenſebat ille Dominus Doctor, omnibus conſideratis, non potuiſſe Synaxin omitti ſine ſeu ſcandalo, ſeu Juſtini infamia, quam quidem cauſam, (quando revera ſubeſt,) ſeu tale periculum, ego haberem pro legitima per ea, quæ ex communi trado *in Alphab. Communi. cant. num. 319.* at tunc non habui, quia, ut dixi, aberat tale periculum.

363 Quia verò hîc ſermo eſt de jejunio præmittendo Communioni, audi, quæſo, mi optime Lector, hunc recentiſſimum

Caſum Natalitium.

Subjungo Caſum lepidum, quem R. V. pro N. N. decidere dignetur. Legit is nocte ſacrâ Natalis Domini primum Sacrum, atque vel ex incuria, vel cæcutiente oculo in appoſitum calicem immiſit etiam particulam Corporis Chriſti, quam etiam deinde videns exemit è vino ablutionis, jam utique imbibitam vino. Hinc propter ſecuritatem conſcientiæ abſtinuit ſecundo, & tertio Sacro, utpote non ampliùs jejunus ob guttas vini admixtas particulæ Chriſti Corporis. Num benefecit?

364 Eſt hæc appendix literarum à quodam Superiore Religioſo ad me exaratarum 24. Januarii Anni 1663. Reſpondi verò inprimis, fuiſſe illam ſacratiſſimam particulam relinquendam in vino perfuſionis digitorum, ut ſumeretur in tertio Sacro unà cum illo vino. Addidi deinde, illum Patrem non Parum meriti apud Deum acquiſiviſſe, quòd ſe privaverit fructu duplicis Sacrificii ob reverentiam Sacrificii, ſi tamen ſe privavit, nam inducta ad augmentum gratiæ (ob humilem reverentiam) non debent parere diminutionem, ut loquuntur Jureconſulti ex *Leg. Legata inutiliter. ff. De Legatis 1.*

365 Et verò debuiſſe abſtinere, inde ego credebam, quòd ex communi Doctorum ſenſu dixerim *in cit. Alphab. Communic. num. 261.* tunc cenſeri aliquem non eſſe jejunum jejunio *naturali*, requiſito ad Communionem, quandò & quantitas, & qualitas materiæ poſt mediam noctem in os immiſſæ, quæ trajicitur, & modus trajiciendi illam ſufficit in *morali* æſtimatione, ut cenſeatur quis ediſſe, vel bibiſſe. Atqui ſi particulam hoſtiæ non conſecratæ immerſam, ſeu intinctam in vinum, aut lac ſumeres, & ederes; ſanè diceremus, te unà cum illa particula comediſſe (liquida enim dicuntur quidem communiter bibi, edi tamen tunc, quando ſumuntur permixta cibis ſolidis (lac, & vinum.

Quia tamen eodem loco *num. 260.* retuli Tannerum ita loquentem: *Sumere aliquid per modum cibi, & potûs eſt aliquid ore ab extrinſeco ſumptum per ſe actione vitali in ſtomachum demittere edendo, vel bibendo.* Ille autem Sacerdos non ſumpſit ullo modo *per ſe*, ſed ſolùm *per accidens*, illud vinum, quod adhæſerat hoſtiæ, & videtur eſſe quoddam genus irreverentiæ, ſi aliquot horis relinquatur particula conſecrata in vino profano, (nam tunc ita diffluit particula, ejúſque accidentia ita corrumpuntur, ut probabiliter deſinat Chriſtus eſſe ſub iis,) ideo poſſet alicui probabile videri, potuiſſe ad hanc irreverentiam vitandam ſumi talem particulam, eáque ſumptâ fieri alterum Sacrum. Quod enim pro charitate (veneratione Sacramenti) inſtitutum eſt, contra charitatem (venerationem ejuſdem Sacramenti) militare non debet, inquit S. Bernardus à me alibi laudatus. Sed ſto priore reſponſo; 366

Hoc tamen mihi videtur probabiliſſimum, quòd potuerit optimâ conſcientiâ facere alterum Sacrum, ſi nemo alius adeſſet, qui ſolennem Miſſam de more cantaret. Nec dubitandum de Parocho non habente Capellanum, vel habente quidem, ſed ſolito in tam ſolennibus feſtis cantare Officium. Huc faciunt, quæ *in Alphab. Sacrif. Caſ. XIII.* diſputo de Neopreſbytero, qui manè diei, quo erat ſuum primum Sacrum celebraturus, deglutiit integram hoſtiam illius ſiccæ Miſſæ, quam privatim manè peregerat probandi, experiendique cauſâ. Fortè autem alibi aperiam, quid reſponderim ad quæſtionem, propoſitam mihi literis à quodam Reverendiſſimo D. Præpoſito, duobus menſibus priùs, quàm inchoaretur impreſſio hujus Alphabeti, quæ quidem 367

Erat hæc

Quidam Abbas nocte Natalis Domini ſumpſit unà cum Sacro Sanguine etiam guttas, quæ diſcontinuæ adhærebant interiori ſuperficiei calicis. An, poſito, quòd eæ non ſint converſæ in ſanguinem, potuit de die cantare Officium ſolenniſſimum, ſeu Miſſam Conventualem?

Inclino in partem *affirmativam.*

ORDINANS ILLI-TERATUM.

CASUS X.

Cantorum.

SUMMARIUM.

Caſus Muſici imperiti Theologia, & tamen cupientis promoveri ad Ordines. 368.
Quæ literatura requiratur ad Ordines? 370. & *ſeqq.*
Illiteratus quis dicatur? 370.
Quis intelligens lingua Latina? 377.
Quæ hujus intelligentia poſtuletur pro Diaconatu? 379.
Quæ pro Sacerdotio? 380.
An cuivis ſacerdoti ſit neceſſum, ſcire formam Abſolutionis? 382.
In Germania non tam facilè admittuntur imperiti, quàm alibi, 383. & 384.
Cauſa, cur quandoque admittantur minùs docti? 484. & 388.
Practica Reſolutio circa indoctum Muſicum. 391.
Caſus Idiota periti. 393.
Caſus imperiti, ſubrogantis ſibi alium in examine. 397.
Pœna dantium, aut accipientium aliquid pro Examine. 401.
Caſus fabri ferrarii ambientis Sacerdotium. 402.

368 *Kilianus Muſicus bonus, vocalis, & inſtrumentalis, moribus itidem bonis, valde deſiderat fieri Sacerdos, & ſuſcipere beneficium ſimplex in templo Cathedrali, ſed valde parùm ſtuduit. Tranſivit per noſtras ſcholas magis Muſicæ, quàm literis intentus. Latinè vix poteſt loqui, ſed intelligit utcunque communia, quæ ipſi dicuntur Pſalmos & Lectiones in Breviario ſat commodè legit, errat tamen ſæpe in quantitatibus. D. Decanus libenter illum haberet, nec alienus eſt D. Vicarius Generalis, ſed quidam Examinatores adhærentes verbis Concilii Tridentini* Seſſ. 23. cap. 11. 13. & 14. *nolunt illum admittere ob ignorantiam. Alii volunt, licèt enim Rubricas Breviarii, & Miſſalis non ſatis intelligat. Si tamen privatim informetur, & Rubricæ ipſi explicentur, ſufficienter poterit inſtrui. Vt ſatis commodè poſſit legere Breviarium, & Miſſam, præſertim poſt aliquod exercitium in Choro, dum cum aliis cantat, & quia eſt ſatis cordatus, & homo non ſimplex, ſi per dimidium annum fuerit Sacerdos, putatur ſat commodè omnia peracturus. Iterum in bona confidentia ad R. V. confugio in hoc caſu, & judicium ipſius intelligere percupio. Conſtantiâ die 27. Ianuarii. Anno 1652.*

Ita ad me Ratiſbonam ſcripſit quidam 369
Theologiæ Moralis Profeſſor, ingenii limpidiſſimi, & qui ſine dubio potuit ferre judicium aptius, quàm ego. Cur autem meum exquiſierit, intelligam, ubi per Summam Dei Miſericordiam illum convenero in cœlis, ad quos, uti ſpero, jam emigravit ſedecim abhinc Annis. Ut autem reſponſum, quod dedi, mereatur approbationem Lectoris, explicabo, quæ, quantáque ſcientia exigatur ad Minores, Majoréſque Ordines.

Dico igitur I. *Illiteratos nullus præſumat ad* 370
Clericatûs Ordinem promovere. Quia literis carens ſacris non poteſt eſſe aptus officiis. Eſt hæc Gelaſii Papæ *diſt.* 36. *cap.* 1 ſancta ſanctio, vera ratio. Illiteratus verò dicitur ſecundùm ſubjectam materiam. Nam vulgus vocat illiteratum, qui neſcit legere. Literatum, qui peritus eſt legendi, ut notat Menoch. *de arbitr. jud. Caſ.* 425. In materia juriſprudentiæ literatus, qui jura novit. Illiteratus, qui non novit. Felin. *in c. Sciſcitatus. De reſcript. n.* 11. Inter oratores, & eruditos illiteratus nuncupatur, qui excultæ Latinitatis non eſt. Menoch. *loc. cit. num.* 16. In materia *ſcientiæ literarum Sacrarum reſpectu Divinorum Officiorum literatus dicitur, qui novit idioma, quo Sacræ literæ utuntur in Divinis Officiis, Latinum apud Latinos, Græcum apud Græcos, Illyricum apud Illyricos.* Jordan. *cit. tit.* 6. *num.* 228. At in Canone Gelaſii deſcripto illiteratus dicitur, qui prima Grammaticæ rudimenta non didicit. Barb. *de Offic. & pot. Epiſc. alleg.* 36. atque adeò qui nec ſcribere, nec legere novit. Sanè ſicut ſcientia eſt *mater virtutum.* Menoch. *de præſumpt. Lib.* 6. *q.* 1. *num.* 20. ita ignorantia *mater eſt cunctorum errorum. text c. Ignorantia. diſt.* 38. ideo ſummè vitanda Clericis.

Porrò alia ſcientia hic requiritur jure *natu-* 371
rali. Alia *Eccleſiaſtico.* Jure *naturali* omnis illa, & ſola, quæ neceſſaria eſt obeundis Officiis annexis Ordini, quem quiſque vult ſuſcipere. Nam & generatim ſinguli tenentur ea ſcire, quæ ad eorum ſtatum, vel Officium ſpectant. S. Thom. *1. 2. q. 76. a. 2,* & ſpeciatim, ſicut turpe eſt Patritio ignorare jus, in quo verſatur. *l. 2. ff. De Orig. jur.* ſicut etiam jure naturæ *judiciaria poteſtas hoc poſtulat, ut, quod debet quis judicare, diſcernat.* text. *c. 1. De pœnit. diſt. 6.* §. *Caveat.* Ita omnibus Clericis ignorantibus ea, ad quæ obeunda accipiunt Characterem, jure *naturali* ſpectato, applicaveris illam Regulam *in ff. Imperitia culpa annumeratur.*

At verò jure *Eccleſiaſtico* exigitur major 372
ſcientia, quàm jure *naturali.* Nam Tridentinum Concilium *Seſſ. 23. cap. 4. De Reform.* ſtatuit, ut Primâ Tonſurâ non initientur, qui *fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere, & ſcribere neſciant,* & *cap.* 11. non vult conferri Ordines, niſi qui *Latinam linguam intelligant.*

Digitized by Google

De ſcientia neceſſaria ad Subdiaconatum, & Diaconatum ſic loquitur eadem ſacra Synodus *loc cit. cap. 13.* ut non requirat ab iis, niſi ut ſint, *literis, & iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent*, inſtructi.

373 At de his extat impreſſa hæc Sanctio Synodalis Conſtantienſ. *Part. 1. tit. 14. num. 11. Ad examen pro Subdiaconatu nullus omnino admittatur, qui in aliqua publica, & Catholica Univerſitate, aut Gymnaſio Rhetoricam, & Dialecticam non abſolvit, & Caſus Conſcientiæ per duos annos integros non audivit.* Jam tamen uſus obtinuit, ut hæc ſcientia, & ſtudium ſufficiant pro Preſbyteratu, exigantur tamen etiam ex novo Decreto Reverendiſſ. & Celſiſſimi Principis, at *conditionalis* clauſula de iiſdem ſtudiis *cum fructu abſolutis* inſeratur Dimiſſoriis literis. De Sacerdotibus eadem Trident. Syn. *Seſſ. 23. cap. 14. De Reform.* ſic: *Qui ad Preſbyteratûs Ordinem aſſumuntur, hi ſint, qui ad populum docendum ea, quæ ſcire omnes neceſſarium eſt ad ſalutem, ac adminiſtranda Sacramenta diligenti examine præcedente idonei comprobentur.*

374 Denique de Epiſcopo ita ſtatuitur *cap. Omnes. 6. diſt. 38.* ex Synodo ſeptima: *Qui ad Epiſcopatûs promovendus eſt gradum, in promptu habeat, legere ſcrutabiliter tam Sacros Canones, & Sanctum Evangelium, quàm omnem Divinam Scripturam*: Adeóque deberent omnes DD. Epiſcopi, ſpectato hoc Canone, eſſe digni laureolâ Doctorali tam Theologiæ, quàm juris Canonici. Vide, ſi placet, quæ de ſcientia neceſſaria Epiſcopo ſcripſi *in Vindiciis Theologicis*, ſeu *Tract. 2. Quinarii num. 422. & ſeqq.*

375 Dico II. Eruditio illa, quæ in citatis Canonibus poſtulatur, non debet eſſe neceſſariò magna in illo genere, ſed ſufficit mediocris. Quod enim Gloſſ. *in cit. Can. Illiteratos.* tradit, ad Minores Ordines ſufficere mediocrem ſcientiam, adeóque mediocrem intelligentiam linguæ Latinæ, idipſum poteſt proportionaliter, ſeu in ſuo genere dici de Preſbyterando, ſufficere ſcilicet mediocrem ſcientiam docendi neceſſaria ſcitu, miniſtrandíque Sacramenta.

376 Dico III. Licèt omnino illiteratus, ſeu legendi, ſcribendíque imperitus ſit irregularis ex defectu animi, adeóque nequeat ab Epiſcopo promoveri ad Primam Tonſuram; Toletus *in Summa Lib. 1. cap. 59.* Jordanus *Lib. 3. tit. 6. num. 231.* & graviter peccet, *per ſe loquendo*, Epiſcopus, admittens ad Ordines illum, qui ita rudis eſt Latinitatis, ut nequeat ob hujus defectum exequi ſine gravibus defectibus ea officia, ad quæ per ſe obeunda deputatur per ſuſceptionem Ordinis, talis quippe Epiſcopus eſt infidelis diſpenſator Myſteriorum Dei, contra Apoſtoli Pauli doctrinam, attamen poterunt pro praxi, & pro intelligentia majore obſervari, quæ congeſſit noſter P. Quintanadv. *cit. Tract. 6.* ubi omnium, quos vidi, minutiſſimè, & accuratiſſimè proſequitur materiam literaturæ neceſſariæ ſuſcepturo Ordines, præſertim ſequentia.

I. Ille ſolus dicitur linguam Latinam intelligere, qui animo percipit ſenſum verbis Latinis indicatum. Quæ quidem intelligentia non exigitur pro duobus, inquit Qintanadv. *Singul. 14. num. 1.* ſeu etiam pro tribus prioribus Ordinibus, ſed pro quarto, ſeu Acolythatu, nam Trident. Concil. *cit. Seſſ. 23. cap. 11. De Reform.* hoc indicat, dum contentum eſt, ut Minoriſtæ aſcendant de gradu in gradum. Sufficiet itaque Oſtiario, & Lectori, ſi nôrit legere Latinè, & ſcribere: Exorciſtæ, ſi declinare nomina, & conjungere, Acolytho, ſi aliquam ſententiam brevem & facilem queat è Latino in patrium ſermonem vertere, ut e. g. hanc: *Beatus vir, qui timet Dominum.* Si ne quidem poſſit transferre aliquam ejuſmodi ſententiam, nequit, *per ſe loquendo*, inſigniri quarto Ordine, re enim verâ non poteſt ullo proprio ſenſu dici intelligere Latinam linguam, poteſt verò, dummodo queat facillimas ſententias ita interpretari. Ergo non eſt opus, ut Minoriſta poſſit quidquam è vulgari idiomate vertere in Latinum, ſed ut ſaltem facillimas ſententiolas Latinas poſſit efficere Germanicas, Gallicas &c. Si nec iſtud queat, nequit *De jure communi*, ſeu *per ſe*, ordinari, ſi tamen ſit bonæ indolis, ac docilis, poterit Epiſcopus legem Tridentinam interpretari in ejus favorem. Diana *Part. 3. Tract. 2. Reſol. 86.* Quintanadvennas *Singul. 14.* 377

II. Minor intelligentia linguæ Latinæ requiritur in eo, qui antequam præſentet ſe ordinandum, jam alicujus inſtructione, uſu, & exercitio didicit ea, quæ neceſſaria ſunt ad tolerabilem functionem officiorum annexorum Ordini, ad quem adſpirat, quàm qui nihil dum uſu ullo didicit. Vivaldus *in Candel. Part. 2. §. 5. De irregul. num. 94.* Quintanad. *Sing. 9.* & alii. Nam ratio generalis reſtringitur ex fine & mente legis. Navarrus *in Summa cap 17. num 131.* finis autem legis requirentis intelligentiam linguæ Latinæ eſt decens executio miniſteriorum ſacrorum *cit. cap. Illiteratos.* 378

III. Eam intelligentiam Latinæ linguæ in approbando ad Subdiaconatum, & Diaconatum exigent examinatores, quæ ſufficiet, ut communes libros, in quibus continetur Grammatica, intelligant, ſeu ex Latino in vulgare idioma vertere poſſint *Ciceronis Epiſtolas*, *Orationes de Officiis*, *Catechiſmum Romanum*, *Concilium Tridentinum*, *Breviarii lectiones*, *Sacræ Bibliæ textum*, *Novum teſtamentum*, *Miſſale*, *Prophetias*, *Epiſtolas*, *Evangelia*, & *ſimilia*. Ità loquitur Quintanadvennas *Singul. 14.* qui jure poterat omittere illos libros Ciceronis, ſicut & Prophetias, utpote non ita faciles intellectu. Si ritus, & defectus, atque alia, quæ in Rubricis Breviarii inveniuntur, excuſa ſunt linguâ patriâ, aut habeat ſocium, vel alium, à quo condiſcat Rubricas, ſi fortè nequeat eas Rubricas Latinè intelligere, poterit, ſi cætera 379

adſint, admitti ad illos duos Ordines. Quintanadv. *Singul. 10. num. 2.*

380 IV. Ad Sacerdotium ultra dicta requiritur, ut Sacrificium intelligat, *& ſic requiritur, ut bene legat contenta in Miſſa, & mediocriter intelligat, & ut habeat mediocrem ſcientiam, ut poſſit rite ſervare ea, quæ ſpectant ad Miſſam conficiendam, ut quòd ſciat defectus in Miſſa occurrentes, materiam, & formam conſecrationis, diſpoſitionémque animæ, & corporis.* Ita *in terminis* Sanchez *Conſil. Moral. Lib. 7. cap. 1. dub. 45.*

381 Dices: *Concilium Tridentinum exigit indiſcriminatim à Sacerdotibus, ut ſciant neceſſaria ad Sacramenta adminiſtranda, Deum immortalem! quàm multos Capellanos Eccleſiarum Cathedralium reperire eſt, qui prorſus ignorant formam Extremæ Unctionis, & ignorarent aliqui Abſolutionis, niſi nanciſcerentur* quandoque Confeſſarios valde intelligibili voce proferentes: *Abſolvo te à peccatis tuis.* Reſp. Si hos examinâſſet P. Quintanadvennas, rejeciſſet à Sacerdotio, *per ſe loquendo*, adeò, ut diſſentiat *Singul. 14. n. 8.* à P. Hurtado *De Ordine diſp. 12.* negante formulam abſolutionis eſſe ſcitu neceſſariam iis, qui non examinantur pro cura. Ego quoque perpenſis ſolis verbis Synod. Trident. omnes tales repellerem, aut darem ſerium mandatum ediſcendi.

382 At urgebis: *Sacramentum pœnitentiæ eſt ſummè neceſſarium, ergo ſaltem hujus forma eſt condiſcenda ſub mortali omnibus Preſbyteris, quia omnes habent jus adminiſtrandi illud moribundo.* Reſp. Ita quidem Quintanad. contra Hurtadum, at non ita ego, non enim cenſeo, charitatem obligare, ut ego me reddam idoneum ad ſuccurrendum *corporaliter* vel *ſpiritualiter* extremè laboraturo fortè poſt 10. aut 20. annos, ut in ſimili dixi *in Alphab. Baptiz. Caſ. V. num. 168.*

383 V. Communis ſententia Doctorum fert, „poſſe Epiſcopum (ſive per diſpenſationem, „ſive per interpretationem Tridentini id fiat) „ad Ordines ſacros etiam Preſbyteratûs admit„tere illos, qui in officiis Divinis, Ordinúm„que functionibus periti rectè legunt, & can„tant, in Grammatica verò parùm ſunt verſa„ti. Nondum enim orationes nectere ſenſúm„que eorum, quæ in Epiſtolis, Evangeliis, & „Miſſis leguntur, rectè intelligere didicerunt, „quia tantummodo rudimenta Latinæ linguæ „attigerunt, aliquáſque nominum declinatio„nes, & verborum inflexiones, & vocabulo„rum ſignificationes rudi, ut ajunt, Minervâ „aſſecuti ſunt. Sic plures DD. apud Emman. „Rodriq *Tom. 1. quæſt. 24. art. 7.* Et hoc intel„ligendum eſt, etiamſi in his nulla ſpes am„pliùs appareat proficiendi in lingua Latina, „dummodo ſint in ſacrorum Ordinum fun„ctionibus ſtrenui.

384 Repræſento mentem, & verba P. Quintanadvennæ *Singul. 13.* quæ etſi fortè in Hiſpania, aut Italia locum habeant, utpote quibus in provinciis reperire ſit multa millia Sacerdotum, qui Latinè loqui neſciant, ideóque à tam multis edita eſt vernaculo idiomate Theologia Moralis, attamen in provinciis ſeptentrionalibus, præſertim Germania, Polonia, & Ungaria non cenſeo, habere reipſa, aut poſſe habere locum illam doctrinam, utpote ſcandaloſam, probroſam noſtræ Religioni in his provinciis, cùm propter alias cauſas, tum propter hæreticos, inter, aut juxta quos vivimus.

VI. Proinde nec ullo modo eſt in his partibus practicanda opinio ejuſdem Doctoris *cit. Singul. 13. num. 4.* ſic concludentis: Si adſit „cauſa gravis, vel urgens, poteſt Epiſcopus „cum ignaro omnino Grammaticæ, ſeu qui „nunquam primis (ut ajunt) labris deguſtavit „Grammaticam, ſed in Divinis officiis valde „ſtrenuus ſit, diſpenſare, ut etiam ad Preſby„teratûs Ordinem promoveatur. Gravis verò „cauſa, & urgens (*ait ille Autor num. 5.*) tunc „occurrit, quando Eccleſia alicujus Oppidi, „aut Parochiæ eget Preſbytero, qui Divinis of„ficiis, & Miſſæ celebrationi vacet, vel cùm „quis Eccleſiæ in aliquo officio rectè inſervi„ret, v. g. Sacriſtæ, aut Organiſtæ, & hujus ſti„pendio non poſſet congruenter ſuſtentari, ac „ideo Miſſarum eleemoſynis ad ſuſtentatio„nem indigeret, addito, quòd hic multùm, „diúque in diſcenda Grammatica laborâſſet, „nec ſpes eſſet inpoſterum aliqualiter profi„ciendi, ſi tamen ordinandus in iis caſibus ad „omnium Ordinum functiones rectè obeun„das Latinæ linguæ ignorantiâ minimè impe„diretur. Item cauſa eſſet ſufficiens Eccleſiæ „ 385 386
alicujus utilitas, imò & ordinandi utilitas, „& neceſſitas, eſt enim pauperrimus, ac habet „matrem, aut ſorores, quibus ad ſuſtentatio„nem neceſſariò ſuccurrere tenetur, poterít„que, ſi illa Capellania, quæ offertur, confe„ratur, & hæc Capellanum ſacris initiatum „omnino requirit; aliter, ſi non initietur, „amittet. Porrò hæc facultas Epiſcopi non eſt „ad diſpenſandum, ſed ex ratihabitione, pro„babiliter enim credere poteſt, Pontificem at„tentis circumſtantiis perſonæ, temporis, lo„ci, neceſſitatis, aut utilitatis, & præcipuè ſci„entiæ, qua initiatus ad ſacra officia pollet, „ratum habiturum, quòd ſacris initietur, qui „Grammaticam omnino ignorat. „

Hactenus ille autor, cujus judicio non exiſtimo dandum locum in Germania, tum propter ſcandalum; præſentia enim tempora id non permittunt, ut loquar cum Conſtitut. Synod. Conſtantienſ. *Part. 1. tit. 14. num. 11.* tum quia neſcio, an quis Germanus, qui nullum verbum Latinum intelligit, poſſit, ac velit ita (extra Caſum propè metaphyſicum) doceri, ut ſacrificet ſine maximis erroribus. 387

VII. Quando tamen adeſt una ex cauſis indicatis ab hoc autore, adéſtque prædicta peritia, vel ipſo quotidiano exercitio addiſci poteſt, 388

teſt, exiſtimo, etiam in Germania habere locum doctrinam prædicti autoris reſpectu illorum, qui ita intelligunt linguam Latinam, ut ſolent, qui conſueverunt in Germania promoveri è ſuprema Grammatices, ſeu Majore Syntaxi, ut vocamus, ad Poëſin. Exiſtimo quippe, poſſe Epiſcopum tunc uti epiikiâ, cùm enim ipſi demandata ſit executio Ordinum, conſequenter ſpectat ad ipſum declarare, quæ concernunt hanc executionem. At verò nulla ratio permittet, ut Epiſcopus utatur diſpenſatione, vel interpretatione reſpectu illorum, qui non niſi cum maximis erroribus, iiſque diuturnis functuri ſunt officiis Ordinis, ad quem aſſumuntur, niſi fortè Capellano e. g. ita ordinato inhiberetur, ne intra duos, tréſve menſes præſumat litare ad aram, ſed interim navet diligentem operam alicui quotidiano quaſi inſtructori, juxta monitionem Patris
389 Suarez *Tom. 5. in 3. Part. Diſp. 51. ſect. 1.* Sicut generatim aſſentior Barboſæ *alleg. 46. num. 13.* & communi DD. teſte Jordano *248.* quòd poſſit Epiſcopus (ſaltem præſcripto jure) diſpenſare cum deſtituto ſcientiâ requiſitâ à Tridentino, & aliis Conciliis, quando ordinandus verſatur in ſtudiis, éſtque ſpes, fore, ut acquirat neceſſariam ſcientiam: & ſubeſt peculiaris cauſa ordinandi talem.

390 Ex his deducitur. 1. Reſponſio ad noſtrum Caſum de Kiliano Muſico, cùm enim magna ratio ſit habenda publici cultûs Divini, ſumma quippe ratio eſt, quæ pro Religione facit. *Text in L. Sunt perſonæ. ff. De Relig. & ſumpt. fun.* & proinde in his, quæ ad Divinum cultum facere dignoſcuntur, benigna eſt interpretatio facienda *Cap. In his. De privil.* cantus verò Muſicus inſigniter facit ad cultum Divinum; ut liquet vel ex eo, quòd Rex David *1. Paralip. cap. 23.* creaverit quatuor *millia Pſaltas canentes Domino in Organis, quæ fecerat ad canendum*, fit ſanè, ut bonus Vocaliſta, ſimúlque Inſtrumentiſta mereatur gratiam peculiarem.

391 Propter hanc rationem cenſui, & cenſeo hodiéque, potuiſſe dictum Kilianum admoveri aris, at cum his conditionibus. 1. Si ſit bonis moribus, & præſertim non nimis diligat illos humores, quos amant Cantores. 2. Si, priuſquam creetur Hypodiaconus, condiſcat recitare utcunque mediocriter Breviarium, & facere Sacrum: Moniales penitus rudes Latinitatis noverunt optimè perſolvere penſum Canonicum, quidni tolerabiliter addiſcat juvenis tam ingenioſus, & docilis; quàm oportet eſſe eum, qui ferat laudem boni vocaliſtæ ſimul, & inſtrumentiſtæ? & ſi nequit ſtudio acri trium, vel quatuor menſium operâ diligentis inſtructóris pervenire ad indicatam mediocritatem,
392 quis ſperet, perventurum aliquando? 3. Appetente, ſeu præſente tempore Ordinationis generalis committat D. Vicarius illum alicui fideli Sacerdoti, coràm quo faciat ſiccam Miſſam, ac *practicè* oſtendat; ſe utcunque gnarum recitandi Horas Canonicas. Si in utroque ſatiſfaciat utcunque, referatur in numerum majorum Clericorum cum mandato, ut ſeſe magis perficiat ante Diaconatum, ſimiliter ante hunc examinandus, ſi in utroque deprehendatur eſſe plurimùm rudis, ac proinde vel indocilis, vel nimis negligens diſciplinæ, dimittatur ſine petito Ordine, tunc enim applicanda erit ſententia, quam Conſtitutiones noſtræ Synodales *Part. 1. tit. 14. num. 11.* promunt his verbis: *Magis præſtat, in Eccleſia Dei habere paucos, & doctos, quàm plures indoctos, & imperitos miniſtros, idque ratio noſtrorum temporum maximè exigere videtur.*

Deducitur 2. reſolutio ad hunc

Caſum Idiotæ periti.

EGo vidi in Archi-Epiſcopatu Toletano 393
quendam, qui nunquam Latinis operam dederat literis, propter inſignem in officiis Eccleſiaſticis adminiſtrandis, & officiandis peritiam (erat enim inſignis, deligentiſſimúſque ſacriſta) fuiſſe ad ſacros Ordines admiſſum. Nec mirùm, cùm ſacerdotes innumeros literatos invenies, perfectum autem in cæremoniis Eccleſiaſticis, Diviniſque officiis celebrandis expertum vix unum inter mille, ut experientia docet.

Sunt hæc teſtis oculati, laudatoris non fri- 394
gidi verba, nimirum Vivaldi *in Candel. aur. De irregular. ſpecie ſecunda §. 6. num. 6.* cujus tamen autoritas non facit, ut diſſentiam à doctrina tradita *num. 387.* Cenſeo enim, ſaltem in Germania, majora incommoda timenda, ſi Charactere Sacerdotali inſigniatur, qui nihil intelligit in lingua Latina, quàm qui ſacriſta non ſit excellentiſſimus. Tale damnum tali lucro Eccleſia Germanica compenſare non vult. *Text. cap. 1. De converſ. infidel.*

Deducitur 3. Meritò fuiſſe à nobis *in Al-* 395
phab. Breviarii Caſ. XXIII. num. 564. judicatum, non licuiſſe, *per ſe loquendo*, ad Sacerdotium promovere quendam ita imperitum linguæ Latinæ, ut ego ipſe annis abhinc quadraginta, poſtquam jam aliquot annis publicè litaverat, admiſerim illum ad ſecundum ordinem Grammaticæ, quia ſcilicet fuerat eâ conditione inauguratus Sacerdotio, ut adhuc daret operam Grammaticis ſtudiis.

Deducitur 4. Vera eſſe, quæ in eodem Al- 396
phabeto, ſeu *Tract. 5. num. 562.* dixi de imperito Rubricarum Breviarii, aſpirantes tamen ad Hypodiaconatum, & ſingulariter, quando amitteret beneficium, ſi non ordinaretur.

Deducitur 5. Quid cenſendum de hoc

Caſu filii hujus ſæculi.

PEtrus in Latina lingua parùm verſatus 397
Joannem ſubrogavit, ut ficto nomine pro

ſe

ſe examen ad ſacros Ordines ſubiret, & approbato Joanne pro Petro immediatè *ante Ordinis receptionem hoc propalavit Confeſſario: dubitatum eſt, an abſolvi poſſit, vel quid ei conſulendum?*

Hunc eventum his planè verbis exhibet P. Quintanadvennas *cit. Tract. 16. Singul. 16.* & reſpondetur ex dictis, talem graviter deliquiſſe, cùm ſine aut diſpenſatione, aut declaratione, & per tantam fraudem voluerit Ordines ſuſcipere non ſatis peritus linguæ Latinæ, & proinde non fuiſſe abſolvendum à Confeſſario, ſi noluit deſiſtere à malo propoſito, aut ſaltem dare Confeſſario poteſtatem accedendi Epiſcopum, proponendi (tacito nomine pœnitentis) caſum, petendi facultatem ad illum examinandum, & approbandum, ſi ipſe Confeſſarius dignum judicet, reprobandi, ſi indignum. Sicut reipſa factum fuit Hiſpali, optiméque res ceſſit, teſte eodem Doctore. An non fuit *filius hujus ſeculi* ille Petrus *prudens in generatione ſua?* Præſertim ſi etiam cum illa intentione acceſſit Confeſſarium.

Porrò, quia de examine incidit hìc quæſtio, de eo noto breviter ſequentia.

398 I. Licèt ex diſpoſitione *cap. Quando. diſt. 24.* & Trident. Concil. *Seſſ. 23. cap. 7. De Reformat.* Epiſcopus ipſe examini intereſſe deberet, mos tamen Germaniæ permittit, ut ejus Vicarius etiam in hoc negotio vices ejus agat, & rectè quidem, ſi perpendantur omnes circumſtantiæ.

399 II. Examen ſcientiæ requiſitæ diligens eſſe debet, ac rigoroſum, non autem perfunctorium, & ut dicitur, pro forma. *Cap. Nihil. De elect.* Silv. Verb. *Ordo 2. quæſt. 2* Piaſec. & Barboſa *alleg. 10.* Quod, *quæſo, attendamus Domini mei Epiſcopi, & Examinatores, quia rigor iſte diſſolvet ab Eccleſia Dei tenebras ignorantiæ, malorum omnium matris, illorúmque ſententiam potiùs amplectamur, quàm Campanilis, ubi ſuadet, propenſiores eſſe ad pietatem, quàm ad rigorem, eò quòd defectus noſtrorum temporum, quibus non ſolùm materia, ſed etiam corpora ipſa hominum defecerunt, diſtrictionis antiquæ minimè patiantur manere menſuram, hæc, inquam, non attendamus, ſed pro noſtro poſſe ſatagamus, eos, qui altiſſimum dignitatis Eccleſiaſticæ gradum cupiunt aſcendere, qualitates pariter ſecum afferre, quæ ab ipſo gradu requiruntur.*

400 Eſt hæc paræneſis piiſſimi ſimul, & doctiſſimi Pacis Jordani Epiſcopi Dalmatæ *Elucubr. Vol. 1. Lib. 3 tit. 6 num. 279.* omnibus fatentibus, graviſſimè peccari, ſi repertus in examine inhabilis admittatur nihilominus. Legantur Conſtitut. Synod. hujus Diœceſis *Part. 1. tit. 14. num. 11.*

III. Utrùm dans dimiſſorias, an verò is, ad quem dantur, examinare debeat, dicam *Caſ. XIV. num. 577.*

401 IV. Tam Examinatores, quàm examinati ſimoniam committunt, ſi ſive ante, ſive poſt examen pecunia, aut munus ut pretium accipiatur. Quintanadv. *cit. Tractat. 6. ſingul. 15.* poſt Barboſam *alleg. 6.* & alios. Poteſt tamen, *per ſe loquendo*, accipi munus pro labore, ſaltem extraordinario. Unde Synod. Conſtitut. hujus Diœceſis *p. 1. tit. 13. num. 4.* ſtatuunt, ut Parochi mutantes beneficia ſe ſiſtant examini, &, ſi non compareant feriis deſignatis, pendant aliquot Reales.

V. Ex his inferes, quid pronuntiandum de ſequente 402

Caſu Ridiculo.

Olibrius faber ferrarius, legendi tamen Latinè, ſcribendíque ſat peritus, cætera idiota, ratus, Breviarium, & Miſſale leviora eſſe malleo, molliora incude, offert ſe unà cum aliis examini, referendum in ſyllabum Clericorum, ſed repellitur ab omnibus Examinatoribus, præterquam à rigidiſſimo omnium, qui amicè, & publicè interrogatus, cur præter morem eſſet planè juſto benignior in Olibrium? Reſpondit: Vos, mei Domini, tot aſinos, me nequidquam contradicente, mandâſtis initiari ſacris, ut egeant fabro ferrario, qui ſoleas inducat, ne mox claudicent.

Nihil hìc fingo, ſed narro id, quod factum audii annis abhinc plus quinquaginta, & habeo adhuc in recenti memoria cognomen illius rigidioris, laudandi idcirco etiam, quòd ingenioſâ hac allegoriâ ſuaviter monuerit ſuos Dominos Collegas, ne inpoſterum admitterent tam imperitos. 403

ORDINATUS REGULARIS, ET ILLEGITIMUS.

CASUS XI.

Rari Solatioli.

SECTIO I.

Ordinatus Regularis.

SUMMARIUM.

Caſus Religioſi adferentis dimiſſorias controverſas. 404.

Decretum Clementis VIII. de dimiſſoriis Religioſorum. 405.

Et Tridentini Concilii. 407.

Abbatis teſtimonio creditur. 409.

Allegans Privilegium debet id probare. 410.

An

Digitized by Google

An Epiſcopus Diœceſanus opponatur EpiſcopoOriginis? 411.
Caſus Religioſi adferentis dimiſſorias adhuc magis controverſus. 414.
Quinam Religioſi dicantur eſſe poſiti in hac, aut illa familia? 415.
Pater Provincialis etiam validè *dat dimiſſorias.* 418.
Caſus Religioſi non rectè dimiſſi aliò. 420.
Abbas an licitè *det Minores Novitio?* 421.
Ad quem Epiſcopum det dimiſſorias pro Novitio? Ibid.
Regulares non tenentur eſſe tam docti, quàm ſeculares. 422.
Epiſcopus poteſt non examinare Religioſos, quos Superior cenſuit idoneos. 424.
Multi Religioſi Ordines gaudent privilegio mittendi ſuos ad quemlibet Epiſcopum. 426.

404 *LEander Canonicus Ordinis Præmonſtratenſis Profeſſus in Monaſterio N. Diœceſis Auguſtanæ, habitans autem ad tempus in Diœceſi Curienſi, vicina Conſtantienſi, venit Conſtantiam* 13. *April. Anno* 1663. *ut hic inauguraretur Sacerdotio, idque tribus ex cauſis.* 1. *Quòd inſtructus eſſet dimiſſoriis ſui Domini Abbatis, facientibus ipſi poteſtatem ſuſcipiendi Conſtantiæ illum Ordinem, & ideo facientis, quòd ſuus Ordo habeat à Sede Apoſtolica Privilegium mittendi ſuos Religioſos ad quemcunque Epiſcopum, habentem comunionem cum Sede Apoſtolica.* 2. *Quòd eſſet natus, educatus Conſtantiæ.* 3. *Quòd vellet ſuo optimo parenti ſeptuagenario ſeni adferre id rari omnino ſolatii, ut ſuis oculis cerneret ipſe quatuor filios Sacerdotes, quorum tres itidem Religioſi aſſiſterent, miniſtrarentque quarto filio offerenti ſolenni ritu primam Hoſtiam Supremo Numini, & quidem in ipſa Eccleſia Cathedrali. Quæſitum ex me fuit à dicto D. Leandro, an revera poſſet promoveri Conſtantiæ ad illum Ordinem?*

405 Ratio unica dubitandi erat, quòd Congregatio Cardinalium, approbante poſtea Clem. VIII. ita ſanxerit: *Congregatio cenſuit, Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis Ordines ſuſcipere voluerit, literas dimiſſorias concedere, ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempe illius Monaſterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, poſitus fuerit &c.* Hanc declarationem deſcribunt ad longum inter cæteros Aſcan. Tamburin. *De jure Abbat. Tom. 2. Diſp. 2. q. 25.* Piaſecius *in praxi Epiſcopi. cap. 1. num. 14.* Diana *Part. 2. Tract. 2. Miſc. Reſol. 15.* Jordan. *Elucubr. Vol. 1. Lib. 3. tit. 16. num. 24.* teſtans, eſſe uſu receptam.

Reſpondi nihilominus illi Religioſo, ipſum 406
poſſe fieri Conſtantiæ compotem ſui voti, pro cujus veritatis probatione.

Suppono I. Multos Ordines Religioſos obtinuiſſe à Sede Apoſtolica Privilegium quo ipſis liceret ſuſcipere Ordines, à quocunque mallent Epiſcopo Catholico communionem, & gratiam Sedis Apoſtolicæ habente. Auguſtinus de Virgine Maria Carmelita Anno 1663. miſit in lucem librum, cui titulus: *Privilegium omnium Religioſorum*, in quo *verbo Ordinatio* nominat prope viginti quà integras Religiones, quà particulares Congregationes, quà etiam loca ſingularia, quibus impertita fuit illa gratia Apoſtolica.

Verùm Concil. Trident. *Seſſ. 23. De Refor-* 407
mat. mandans, ut unuſquiſque à proprio Epiſcopo ordinetur, revocando quælibet in contrarium Privilegia, videri poteſt derogâſſe etiam huic. Attamen non derogâſſe, certum eſt ex Bulla B. Pii V. incipiente: *Etſi Mendicantium*, quam præter Cherubinum totam deſcribit Rodriquez *in Bullar. Regul.* éſtque hujus Pontificis Bulla 6. in qua *num. 19.* ſic loquitur: *Seſſionis verò 23. cap. 8. (neminem niſi à proprio Epiſcopo ordinari poſſe,) ſtatutum in Regularibus locum non habere, declaramus.* Qui etſi videri queat de omnibus Regularibus loqui, certum tamen eſt, vel loqui de ſolis Mendicantibus (nam tota Bulla eſt conſcripta in ipſorum ſolorum favorem) vel de illis ſolis, qui gaudebant Privilegio generali ſuſcipiendi Ordines à quolibet Epiſcopo, ſicuti in terminis explicat Rodriquez *Tom. 3. qq. Regul. q. 24. art. 1.* poſt Baraſſ.

Suppono II. Licet Aſcan. Tamburin. *cit.* 408
Diſp. 2. quæſt. 18. exiſtimet, hoc Privilegium eſſe ſublatum Anno 1596. per Declarationem ſuprà deſcriptam, attamen id negandum eſt cum Jordano *cit. tit. 6. num. 27.* illud quippe Decretum Clement. VIII. non derogat quidquam aut Concilio Tridentino, aut Privilegiis, cùm non faciat horum mentionem, atqui Lex generalis non derogat quidquam de Concilio generali. P. Laymann. *Lib. 1. Tract. 4. cap. 21. n. 2.* vel Privilegiis, P. Sanchez *Lib. 7. Summ. cap. 29. num. 191.* niſi faciat mentionem illorum. Licèt verò derogaret, poſſet nihilominus noſtra Societas libere, ſicut etiam factitat, hodiéque uti. Siquidem Paulus V. ut etiam notat P. Palaus *Tract. 29. p. 13. num. 12.* innovavit omnia Privilegia, à quibuſcunque Pontificibus impertita Societati.

Suppono III. Quamvis inter illas circiter 409
20. Religiones, Congregationes, & loca, quæ nominat prædictus Auguſtinus de Virg Maria, non reperiam Ordinem Canonicorum Præmonſtratenſium, quia tamen antiquitate, amplitudine, rebus præclariſſimè geſtis exſuperat complures ex illis Congregationibus, & Domibus, ne dicam Religionibus & tam apertè ille D. Abbas teſtatus eſt ſuo chirogra-

pho,

Digitized by Google

pho, ac literis id Privilegii collatum eſſe ſuæ Religioni, viris autem adeò gravibus meritò creditur *c. Nobiliſſimus vir. diſt. 97.* ideo non habebam, cur non prudenter crederem, ita ſe rem habere. Et verò his jam *tertium* prelum expertis, comperio de hac comunicatione id, quod hanc in rem retuli *Tr. 7. in Append. n. 66. lit. C.* ſingulariter de Cruzio, cujus aſſertionem, tametſi non credo eſſe veram, ſi intelligatur de omnibus omnino privilegiis, adeóque etiam de conceſſis cum clauſula vetante, ne etiam ii, qui ſua privilegia cum noſtra e. g. Societate participant, utantur illis, non habeo tamen, cur integre negem fidem aut alleganti Cruzium, aut ipſimet Cruzio. Junge his ea, quæ hanc in rem de iiſdem Præmonſtratenſibus ſingulari ex cauſa protuli *Tractat. præced. Caſ. VIII. num. 424. in Append. lit. H.*

410 Quamquam etiam, quia alleganti Privilegium incumbit onus id probandi, cùm ſit res facti, facta autem non præſumantur, ſed probanda ſint *cit. Lib. 2. cap. 2. De Conſtit.* & ibi DD. atque poſſit Epiſcopus, ad quem mittitur alienæ Diœceſeos Regularis, in rigore poſtulare exhiberi ſibi Privilegium, habent tamen Illuſtriſſimi Domini Epiſcopi Germaniæ jure merito tam bonam opinionem de ſynceritate, ac fide Prælatorum Religioſorum, ut fidem adhibeant ejuſmodi atteſtationibus, ſi nemo ſe opponat, nec fuerit lis mota de allegata gratia Pontificia.

411 Suppono IV. Non eſſe certum, quòd nomine *Diœceſani*, de quo fit mentio in Decreto Congregationis ſuprà deſcripto, intelligatur Diœceſanus, prout opponitur etiam Epiſcopo *Originis*, & non potiùs ſolùm, ut opponitur aliis *Diœceſanis*, qui fortè ante illud Decretum eligebantur ad libitum. Etſi enim accipi *primo* ſenſu, indicet ipſe cortex verborum, quia tamen jura, ac DD. relati *Caſu. VII. num. 279. & ſeqq.* ſine ulla limitatione tradunt, poſſe quemque ſuſcipere Ordines in loco ſuæ Originis, non cenſetur autem derogatum juribus communibus, præſertim Conciliorum, niſi formula derogativa faciat illorum expreſſam mentionem. Laymann. *cit. num. 2.* quam certè non facit illa Declaratio, idcirco cenſeo, poſſe rationabiliter dubitari, an non ſit vera expoſitio Decreti, quam *ſecundo*, loco attuli. Tamburinus, Jordanus, Piaſecius, Barboſa, & alii, quos vidi, utuntur ſolâ voce: *Diœceſani*, ſicut illud Decretum.

412 Accedit, quòd plerique Religioſi, promovendi ad Ordines, habitârunt diutiùs in loco *Originis*, quàm in Monaſterio, poſſunt ergo eſſe Epiſcopo *Originis* æquè noti, ac ſunt Epiſcopo Monaſterii, cùm præſertim longè plurimi Religioſi ante ſacerdotium operam literis dent in locis extra ſuam Diœceſin ſitis. Et generatim quia ſicut qui ordinare poteſt, etiam dimittere poteſt *cap. 3. De temp. ordinat. in 6.* ita & qui dimittere poteſt, ordinare quoque (*per ſe loquendo*) poteſt. Barboſa *in cit. al. cap. 3.* Poteſt autem dimittere Epiſcopus *Originis eod. cap. 3.* ideo vera eſt data reſolutio.

Hinc deduco, illum R. D. Leandrum fuiſſe meritò in expreſſis circumſtantiis decoratum Coronâ Sacerdotali: nam & rationabiliter credebatur verbis Reverendiſſimi D. Abbatis, teſtantis de Privilegio, ſiquidem non licet in rerum ſuarum qualitate errare. *text. in l. Quiſquis major. C. De reſc. vendit.* & non irrationabiliter dubitabatur de vero ſenſu Decreti Clementini, & denique aderant illi DD. fratres, profecti huc è locis non parùm diſſitis, tota agnatio, & affinitas erat extra omne dubium, Candidatus preſbyterii non poterat ſine notabili incommodo, conſtitutus tamen extra omnem culpam, carere diutius Ordine concupito, ergo poterat Illuſtriſſimus D. Ordinarius Conſtantienſis ex Epjikia procedere, atque Leandrum admittere ad Sacerdotale decus, ſicuti intellectis hiſce meis rationibus factum fuit. Sed hunc Caſum diſputabilem præceſſit alicubi alius 413

Caſus adhuc magis controverſus.

Ladiſlaus Monachus profeſſus in Monaſterio A. *Diœceſis* B. *commorans autem cum facultate legitima jam per annum in Clariſſimo Monaſterio* C. *Diœceſis* O. *ac brevi rediturus ad ſuum cœnobium* A. *mittitur à Reverendiſſimo Domino Abbate Monaſterii* C. *cum ſuiſmet dimiſſoriis ad Illuſtriſſimum D. Ordinarium Epiſcopatûs* O. *referente oretenus illo Religioſo, qui Candidatum præſentabat, ſuum Reverendiſſimum D. Abbatem eſſe Vicarium Generalem Ordinis in diſtrictu Monaſterii* A. *alióque patentiore, ac proinde dimiſſorias ab illo datas æquipollere iis, quas ſcripſiſſet D. Abbas Monaſterii* A. *ſi interrogatus fuiſſet. Quæritur, an potuerit ille R. D. Ladiſlaus creari Sacerdos Altiſſimi?* 414

Poſtulatus ego meum judicium cenſebam potuiſſe, alii non potuiſſe. Vera deciſio dependebat 1. à vero intellectu clauſulæ. *In cujus familia poſiti ſunt.* 2. Ab intellectu clauſulæ: *Superioris*, cujus utriuſque mentio deciſiva fit in Decreto Clementino. 3. A cognitione poteſtatis, qua circa Ordines pollet Vicarius Generalis in certo diſtrictu Ordinis alicujus. 4. Denique à praxi. 415

Primam clauſulam quod attinet, non dubito quidem, quin probabiliſſimum ſit, illam clauſulam: *In cujus familia poſiti ſunt*: valere tantundem, quantum hæc: *De cujus familia ſunt.* Dicuntur autem, ni fallor, Religioſi eſſe *de illa ſola familia*, cujus membra exiſtunt, adeò-

Digitized by Google

adeóque Monachi de illa, in qua emiſére profeſſionem, cum voto, ut vocant, ſtabilitatis, Mendicantes autem de illa, ad quam mittuntur non ut hoſpites, ſed ut proprii inquilini, fruentes proinde juribus activæ, & paſſivæ vocis, quibus cæteri domeſtici ejuſdem gradûs, antiquitatis &c. Etenim videtur non eſſe realis differentia inter has duas locutiones. Quia
416 tamen, ſi eæ probè expendantur, videntur propriè ita differre, ut *prima* ſit latior, quàm *ſecunda*, ideo alio modo reſpondendum, & non ſine probabilitate dicendum: Si Clemens VIII. volebat reſtringere ad *ſecundam*, poterat exprimere *cap.2, De elect.* cùm præſertim ſanciret Decretum, ut ſic ſanè moleſtum Regularibus, quibus non eſt integrum, mittere in tempore dimiſſorias ſuis ſubditis alio in Monaſterio degentibus, ideo interpretandum, ut minùs lædat, ſicut de hoc ipſo Decreto loquitur Aſcan. Tambur. *loc. cit. quæſt. 18. num. 3.* ideo non abludet à principiis communibus juris, qui per *poſitos in aliqua familia Religioſa* intellexerit illos, qui cum benedictione ſui ordinarii, ſeu per ſe Superioris Religioſi commorantur ſtudiorum, melioris diſciplinæ, ſuſtentationis neceſſariæ cauſâ in alio Monaſterio, atque ita videtur omnino ſupponere Jordanus *cit. tit. 6. num. 24.* dum reprehendit illos ſolos Superiores, qui ſuos ad aliquod tempus mittunt ad Monaſterium alterius Diœceſis, habentis Epiſcopum faciliorem, & benigniorem, & ubi aliquamdiu illic morati, ordinatíque ſunt, revocant eos domum.

417 *Altera* Clauſula, adeóque vox: *Superior*, profectò non incongruè applicatur Prælato, in cujus domo per unum, alterúmve annum hoſpitatur profeſſus alterius Monaſterii ſui Ordinis, quandoquidem debet ejuſmodi hoſpes ex ſententia P. Franciſci Suarez *Lib. 3. De legibus cap. 33. num. 5.* Bonacinæ *De leg. punct. 6. num. 37.* & aliorum contra alios obſervare ſtatuta propria Monaſterii, quod tunc incolit, atque admittere caſtigationem, qua in ipſum vult animadvertere Abbas, vel Prior, quidni ſentiens hoc onus ſentiat & commodum, per jura vulgaria? tametſi Barboſa *De Offic. Epiſc. alleg. 7. num. 31.* ſcribat, nomine Superioris Regularis intelligi hoc loco Prælatum *Ordinarium.*

418 Item nomine Superioris intelliguntur etiam in hac materia, & in noſtro Ordine non ſolùm *immediati*, ſed vel maximè *mediati*, ut Provinciales, atque Generales. Quod etiam de cæterorum Ordinum Provincialibus, Generalibus intelligi vult Miranda *in Manuali Prælat. Tom. 1. quæſt. 39. art. 3.* ubi conſuetudine eſt receptum, aſt ego cum Barboſa *loc. cit.* reor, eſſe id verum, modò conſuetudo Diœceſana non repugnet *poſitivè*, & *apertè*, re quippe veriſſimâ Præpoſitus Provincialis eſt propriiſſimè Superior omnium Monaſteriorum, Collegiorum, Perſonarum ſuæ Provinciæ.

An verò id cenſendum de omnibus Vicariis Generalibus, quos nonnullæ Religioſæ familiæ habent reſpectu Monaſteriorum, ſeu Conventuum, ſitorum intra fines alicujus amplæ Provinciæ, vel Regni, planè ignoro, quamvis non dubitaverim de Reverendiſſimo, Ampliſſimo D. Abbate O. utpote non minùs conſcientioſo, quàm conſcio ſuorum jurium, & generatim videatur eſſe multùm conſonum rationi, ut communicetur his non minor circa præſentem materiam poteſtas, quàm Provincialibus Ordinum Mendicantium. Quia tamen Monachi ſunt ratione voti affixi uni loco, videtur conſenſus *immediati* Superioris exigi majore jure, quàm in Religionibus Mendicantibus, quæ ſolent dicere uni ſubditorum: *Valde* (illuc) *& vadit* ſine tergiverſatione, quia ex ratione ſuæ Religionis, ſed neque defuiſſe in præſenti caſu conſenſum Ordinarii, & *immediati* Prælati, aſſeverabat præſentator Ladiſlai, dignus utique fide. Denique tamen relatum fuit mihi, in Epiſcopatu, in quo Caſus ille agitabatur, vigere praxin, ut Regulares non Mendicantes commorantes in aliquo Monaſterio, ſolùm ut hoſpites, non ut vera membra, non admittantur ad Ordines ſacros, niſi inſtructi dimiſſoriis Prælati, de cujus familia propriè ſunt, & ob hanc præcipuè cauſam R. D. Ladiſlaum tuliſſe repulſam. 419

Hæc circa illos duos Caſus, quibus conſimiles contingere valent, dixi fuſiùs, ac deſtinaveram, ergo breviſſimè ſubjungam cætera ſpectantia ad Ordinationem Regularium: priùs tamen proponam ſententiam Congregationis Concilii Tridentini contra hunc 420

Superiorem Religioſum.

Qui unum è ſuis ſubditis Religioſum, rejectum ab Epiſcopo proprio propter imperitiam, intra eadem tempora Ordinationis miſit ad aliud Monaſterium alterius Diœceſis, faciendo illum fratrem localem illius ejuſdem Monaſterii, & curando confeſtim ordinari ab illo Diœceſano.

Cenſuit autem Congregatio, referente Riccio *in Deciſionibus Curiæ Neapolitanæ deciſ. 159.* incurriſſe in pœnas ſtatutas à B. Pio V. contra Superiores Regulares facientes ſine privilegio ſuos ordinari ab alio, quàm à proprio Diœceſano, ideo autem incurriſſe, quòd egerit in fraudem, etenim vicinitas actuum habet præcipuum locum inter conjecturas, ad fraudem inducendam, inquit Riccius ex Craveta *Conſil. 113. num. 9.* addente apud eundem Riccium Bartolo, neminem poſſe dubitare, quin fraus præſumatur ex vicinitate actuum. Sicut & Menochius *Lib. 5. Præſumpt. 19.* ait, præſumptionem à vicinitate loci non eſſe levis momenti, addo ego ea, quæ me ſubjuncturum dixi paulò antè.

G I. Licèt,

Digitized by Google

I. Licèt, quando Epiſcopus Diœceſanus non eſt habiturus Ordinationes, vel Sedes vacat, poſſint Prælati Regulares mittere ſuos ſubditos ad alium quemvis Epiſcopum cum dimiſſoriis exprimentibus cauſam, cur mittantur, ſic enim ſtatuit expreſſè Clemens VIII. in toties citato Decreto, peccant tamen juxta Aſcan. Tamburin. *Tom.2. cit. Diſp.2. quæſt.8.n.6.* ſi ſuorum Ordinationem differant deditâ operâ ad mortem, vel abſentiam ſui Diœceſani, niſi fortè ille Diœceſanus ſit nimis moroſus, & rigidus. Verùm ego non video cauſam gravis noxæ, tales quippe Prælati ſuo utuntur jure, ergo non rectè aſſerit hic autor, illos præjudicare Diœceſano.

421 II. Abbas nequit ſuos Novitios initiare Minoribus, teſte Aſcan. Tambur. *loc. cit. quæſt. 10.* poſt Henriq. *Lib. 10. cap. 23.* Mirandam, & alios plures, quia non ſunt propriè ejus ſubditi Religioſi, judice eodem, quod tamen exigit Trident. *Seſſ. 23. cap. 10. De Reform.* ergo ſpectat id ad Epiſcopum loci, in quo eſt Novitius, quia præſumitur quiſque Novitius habere propoſitum permanendi in Ordine. Idem *ibid. n. 6.* poſt Sanchez *in Decalog. Lib.6.cap.10 n.20.* contra alios, conſequenter pertinet etiam ad hunc Epiſcopum dare dimiſſorias Novitio. Idem Tambur. *loc. cit. quæſt. 27.* cum Henriq. *loc. cit. cap.23.* & aliis. Verùm non diſcedo à ſententia tradita *Caſ. VIII. num. 324.* & in omnem eventum habet noſtra Societas expreſſum Privilegium pro Novitiis. Notat verò Tambur. & alii, non eſſe extra neceſſitatem Novitios promovendos ad Ordines.

422 III. Communis ſententia Summiſtarum, imò, & Scholaſticorum Theologorum fert, minorem ſcientiam linguæ Latinæ exigi à Regularibus, Confeſſiones non audituris, quàm à ſæcularibus Sacerdotibus ſimiliter illas non audituris. Quia continuatio inſtructionis privatim *verbis*, publicè *exemplis* efficit peritiores illos, quàm ſæculares. Ergo *modò bene legant, & bene cantent, licèt non bene Latinâ linguâ polleant, poterunt tutâ conſcientiâ præſentari à ſuis Superioribus.* Ita Tamburinus *cit. Diſp. 2. quæſt.21.* poſt Henriq. *Lib.10.cap.16.n.2.* Mirandam *in Manual. Prælat. Tractat. 2. quæſt. 8. art. 7.* & alios, quos refert ipſe Quintannadv. *Singul. Tract. 6. Singul. 11.* quos inter Gloſſa *in cap. Legi. 16. quæſt. 1.* rotundè ſcribit: *Sufficit Monacho, quòd tantùm bonus ſit, licèt ſit illiteratus.* Et Sotus *in 4. diſt. 25. quæſt. 1. art. 4.* ſcribit: *Inter Regulares, qui animarum curam non habent, non requiritur alia ſcientia, quàm*
423 *ut myſterium Sacramenti intelligant.* Sanè hoc ſæculo viget in Germania noſtra tantus Latinæ linguæ uſus inter *nigros, albóſque* Monachos, ut phraſi Pontificiâ utar, intérque cæteros Religioſos, tantus in iis timor Dei, ut non arbitrer, eſſe verendum, ne Prælati præſentent ad Ordinem etiam Preſbyteratûs quenquam è nunquam excepturis Confeſſiones, qui non ſit inſtructus ſufficiente ſcientiâ. Sentio quoque, ab iis Regularibus, qui approbandi ſunt ad Confeſſiones audiendas, non eſſe exigendam tantam ſcientiam Theologicam, quanta ab iis ſæcularibus Sacerdotibus, qui curant Parochias celebres peregrinationibus, etenim aſſidua lectio librorum ſpiritualium, conferentiæ cum domeſticis &c. plurimùm excolunt Regulares.

IV. Tametſi Epiſcopo competat jus exa- 424
minandi etiam Regulares circa ſcientiam neceſſariam, præſertim Ordini Sacerdotali, functionibúſque Confeſſarii. Tridentin. Concil. *Seſſ.23.cap. 12.* non tamen circa mores, & alia. P. Henriq. *Lib. 10. cap.23. n.4.* & Aſcan. Tambur. *cit. Diſp.2. quæſt.29. num. 4.* poteſt tamen abſque ullo ſcrupulo ſuam conſcientiam conformare cum conſcientia Prælatorum, atteſtantium de idoneitate ſuorum in literis dimiſſorialibus. Ita Aſcan. Tambur. *cit. quæſt.20. num.5.* nam Prælati ſunt viri graves, ergo fide digni. *cap. Nobiliſſimus. diſt. 97.* Exciperem caſum, quo experientia docuiſſet inhabiles mitti ex hoc, aut illo Monaſterio, hac, aut illa Religioſa familia.

Sed, & Privilegia conceſſa Societati noſtræ 425
à Gregor. XIII. in Bulla: *Pium.* Itémque à Paulo V. tantum valent apud pleroſque omnes Illuſtriſſimos Germaniæ Antiſtites, ac nominatim apud Conſtantienſes, ut nunquam nos examini ſuo ſubjiciant. Præſentavi ipſe haud ſemel hîc & alibi, attamen fuit ſemper ſtatum teſtimonio noſtrorum Superiorum.

V. Quantum juris quælibet Religio ex Pon- 426
tificum indulgentia habeat circa interſtitia, & tempora conſtituta pro Ordinationibus, continetur in libris Privilegiorum, quos utique ad manus habent ſinguli Superiores. Privilegiorum, quibus gaudet noſtra minima Societas in hac materia, communicationem prohibet Gregorius XIII. *in cit.* Bulla: *Pium, & utile*, etiam illis Religionibus, quæ ſua Privilegia nobiſcum *copioſe* participant. Utrùm verò nihilominus hoc Beneficio participationis poſſint in iſto puncto frui Ordines illi ſat multi, qui apud Auguſt. De Virg. Maria *verbo Communicatio* obtinuerunt, ex indultis Pontificiis, communicationem omnium Privilegiorum aliis Ordinibus conceſſorum, & concedendorum, viderint ſapientiores me, ubi expenderint omnino ſpecialem participationem, quam Vrbanus VIII. Anno 1634. apud eundem Auguſtinum *num. 66.* impertiit Diſcalceatis Ordin. SS. Trinitatis extendentem ſe etiam ad alia, *quæ ſpeciali notâ digna, difficiliſque conceſſionis ſunt, & quæ in generali conceſſione non veniunt.* Scio authenticè, non fuiſſe exauditum quendam Religioſum nobiliſſimi Monaſterii, Ordines petentem extra tempora & ſolùm ideo petentem, quòd affirmaret, ſuum Monaſterium habere communicationem cum Societate Jeſu. Me quod attinet, dico cum Moyſe: *Quis det, ut omnis populus prophetet?* Et addo

ex

Digitized by Google

ex D. Reding *cit. quæſt. 10. art. 4. Controverſ. 2. num. 20. & 21.* tum Gregorium XIV. apud Rodriquez, & Caſtropalaum expreſſè feciſſe illam extenſionem ad alios quoque Ordines, tum Alexandrum VI. & Eugenium IV. diu ante Gregorium XIII. feciſſe aliis Regularibus id ipſum Jus, quod Societati noſtræ ſpeciatim impertivit idem Pontifex. Porrò illi privilegio de non ſervandis temporibus & interſtitiis ordinum nihil planè derogatum eſſe per Concilium Tridentinum, rectè obſervat idem Reverendiſſimus Dom. Abbas *cit. art. 4 Controv. 4. num. 13.* cauſámque ex eodem generalem attuli ſuprà *Tract. 7. Caſ. III. in longa Appendice ad num. 424. lit. T.* ubi alia depromo ex eodem Doctore Infulato.

Ordinatus Illegitimus.

SECTIO II.

Caſus improviſus.

SUMMARIUM.

Caſus accingentis ſe ad Ordines, & tunc audientis ex matre, ſe eſſe illegitimum. 427.
Epiſcopus poteſt ſecundùm nonnullos diſpenſare cum illegitimo occulto. 429.
An filius teneatur credere matri, dicenti ſe eſſe illegitimum? 432.
Caſus hanc in rem ingenioſus. 431.
In dubio, an quis reputandus ſit legitimus? 435.
Tractatus à marito matris ut legitimus, cenſendus eſt legitimus. 436.
An infans expoſitus reputabitur legitimus? Ibid.
Natus ſeptimo menſe poſt nuptias, aut decimo tertio poſt mortuum maritum matris, an habendus legitimus? 437.
Caſus paradoxus de legitimo. 438.
Illegitimitas tollitur per ſubſequens matrimonium. 439.
Legitimatio propriè quid ſit? 440.
An Comites Palatini tollant illegitimitatem reſpectu Ordinum? 441.
Quatenus Epiſcopus diſpenſet cum illegitimis? (442.
Diſpenſatus ad Ordines Minores, non ideo eſt diſpenſatus ad Beneficium ſimplex. 443.
Diſpenſatio eſt ſtrictè interpretanda. Ibid.
Quid exprimendum ab illegitimo, quando petit diſpenſationem? 444.
An Epiſcopus, qui ſuo Vicario ſubdelegavit ſuam poteſtatem, poſſit alteri eandem ſubdelegare? 447.
Declaratur ſpecie facti. 446.

427 *Lucilio accingenti ſe itineri ad primos Ordines, atque Subdiaconatum ſuſcipiendos dicit nihil ejuſmodi exſpectanti mater. Mi fili, te quidem ego, aliique omnes habuimus adhuc pro legitimo, ſed quia ſæpe audivi, grande ſcelus patrari ab illo, qui natus toro non conjugali petit ſacris initiari, ne ego arguar coram Divino tribunali rea, atque particeps hujuſce criminis, pando tibi non ſine pudore, patrem, qui te genuit, nunquam fuiſſe mihi junctum Matrimonio, ergo etiam atque etiam perpende, quid facto ſit opus, feci ego nunc, quod mihi præſtandum eſſe cenſui. Attonitus hac narratione Lucilius convenit virum gravem, doctum, & ſapientem, exponit trepidus, quæ audiverat à matre, petit conſilium. Reſpondet conſultus, nihil eſſe, cur angatur,* primò *enim, ſi revera ita ſe res haberet, ut mater aſſerit, poſſe ab Epiſcopo diſpenſari.* Secundò, *nec opus eſſe ullâ diſpenſatione, cùm nulla lex humana, vel Divina ipſi imperet, ut fidem habeat verbis matris.*

Ita mihi coràm recenſuit Anno 1663. ille 428
ipſiſſimus, qui conſultus dedit hoc reſponſum, dedit autem in Diœceſi alia ab hac, nec ſine optato magis, quàm ſperato eventu; diſpenſavit quippe cum Lucilio, ceu verè illegitimo, ſed occulto, Epiſcopus, ſeu Epiſcopi Vicarius. Meritò igitur quæret meus Lector, quid pronuntiandum de utroque hoc reſponſo?

Dico I. *Primum* reſponſum nititur ſufficien- 429
ti autoritate, & ratione; etenim poſſe Epiſcopum diſpenſare cum illegitimo occulto defendit prolixè Ioannes de Avila *De Cenſ. Part. 7. Diſp. 3. dub. 7.* conſentientibus Peyrino, & Barboſâ *De jure Pontificio.* apud Dianam *Part. 4. Tract. 2. Reſol. 64.* habentibus eam apud eundem Dianam pro probabili Coninck, Laymanno, Præpoſito, ipſomet Diana *Part. 7. Tract. 2. Reſol. 24.* & Petro Cornejo *Tom. 2. Tract. 5. De irregul. Diſp. 14. dub. 2.* ubi fusè probat, defenditque illam ſententiam; atque ita ipſemet ſuaſi in contingentia facti, inductus etiam aliâ peculiari cauſâ. Vide infrà *num. 446.* Caſum ſingularem hanc in rem, & adde illius doctrinæ hanc rationem, quòd Epiſcopus poſſit ex vi Trident. Concil. *Seſſ. 24. cap. 6. De Reform.* diſpenſare in irregularitatibus omnibus, *ex occulto delicto provenientibus,* excepto homicidio &c. atqui irregularitas ob defectum natalium occultum propriiſſimè provenit ex delicto occulto, ergo.

Me quidem non fugit, contrariam opinio- 430
nem eſſe adeò comunem, ut P. Suarez *De Cenſ. Diſp. 50. ſect. 5. num. 4.* dicat, illam priorem eſſe ſine dubio improbabilem, Marchinus apud Dianam *cit. Reſ. 24.* ab aliis ut falſam omnino eliminari, eò quòd irregularitas ex illegitimitate ſtatutâ ſit non propter delictum parentum, ſed propter indecentiam, & contemptibilitatem ſolitam adhærere natis extra Matrimoniũ. Hæc tamen fundamentalis ratio non eſt tam clara, & fortis, ut auferat mitiori ſententiæ probabilitatem, præſertim in caſu præſenti, in quo

Digitized by Google

quo non poterat Lucilius diſcedere ſine probro, etenim jam advenerat ad urbem Epiſcopalem tunc, cùm interrogavit illum, de quo ſuprà. Accedebat, quòd nullo modo eſſet certum, ipſum eſſe ortum natalibus illegitimis, propter reſponſum, quod magni DD. dant ad ſequentem

Caſum ſolertiæ pluſquam muliebris.

431 *Avenionenſis mulier, cùm plures filios haberet, quorum unus eſſet adulterio conceptus, eis accerſitis ad mortem veniens dixit*: Filii mei, unus ex vobis natus eſt ex adulterio, & ideo bona mei mariti defuncti detinet indebitè, ego verò, priuſquam ex hac vita migrem, ne moriar in hoc peccato, eum vobis nuncupare volo, niſi vos remiſeritis jus omne, quod habet alter adversùs alterum. *Tunc filii, cùm quilibet de ſe dubitaret, mutuò ſi ipſos ab hoc onere abſolverunt, júſque invicem remiſerunt.*

432 Ita teſtatur, loquitúrque Covarruvias relatus à me *in Theologia Juridico-Morali*, ſeu *Tr.* V. *Quinarii. cap. 28. num. 73.* cum Alciato, Menochióque referentibus hoc ipſum ſpecimen mulieris planè ſagacis. Addunt tamen, filios illos non fuiſſe obligatos credere aſſertioni matris, etſi jurejurando firmâſſet ſuum illud dictum, quod etiam tradunt Theologi *ibid. n. 72.* nominati, & omnes intelligendi in caſu, quo filius fuit ſemper tractatus, habitúſque ut legitimus, illa quippe continua tractatio efficit præſumptionem tam fortem, ut non elidatur contrariâ aſſertione quantumvis juratâ matris, tametſi conſtitutæ in extremo agone. *Matres ſæpe ob varias cauſas mentiuntur in ſimilibus caſibus*, inquit Navarr. *Conſil. Lib. 1. De filiis Presbyt.* reſpondens uni, qui per 12. annos fuit tractatus, ut legitimus, ac deinde mater ipſi aſſeveravit, eum eſſe furto genitum. Vide plura hanc in rem in Caſu verè Mirifico, quem referam *Tract. ſeq. num. 129. in Append. lit. l.*

433 Igitur nemini dubium eſſe debet, quin potuerit Epiſcopus ad Ordines admittere Lucilium, ſeu diſpenſando, ſeu potiùs declarando, eum nequaquam habendum eſſe pro illegitimo, ac proinde non indigere hac ex parte ullâ diſpenſatione.

434 Et hæc quidem dicta ſunto *directè* ad duos illos Caſus. Quia verò crebriùs, quàm leges Chriſtianæ permittant, fatigantur ratione vitiatorum natalium tribunalia ſacra tam interna, quàm externa, indicabo hoc loco complura particularia quæ de illegitimis partim tradidi in *citato* libro, partim alii ſcripſêre.

435 I. Quoties dubium eſt, utrùm aliquis ſit legitimus, necne, reputandus eſt pro legitimo, ſive de ſuſcipiendis Ordinibus ſacris agatur, Beneficiiſque Eccleſiaſticis, ſive de adeunda poſſeſſione Regni, excluſis, quos conſtat, eſſe legitimos. P. Vaſq. & alii relati *cit. cap. 28.* quia in dubio non præſumitur vitium, & omnes naturaliter naſcimur legitimi, ſicut, & liberi. §. *Illud. Authent. Quibus mod nat. effic. ſui. Collat. 6.* Vide tamen limitationem, quam ibidem *n. 53.* addidi ex P. Palao.

II. Quando maritus aliquem puerum tractavit ut ſuum, nominavit ſuum filium: orto dubio, utrùm ſit revera ab ipſo genitus, an ab adultero, præſumit Jus, eſſe genitum ab illo, ac proinde eſſe legitimum. *Ibid. num. 50.* poſt Maſcard. & Covarr. 436

III. Infans expoſitus, cujus nec pater, nec mater reſciri poteſt, debet haberi pro legitimo juxta opinionem Palai *De Cenſuris. diſp. 6. punct. 9.* poſt Sairum, Coninck, Laymann. & alios, quos magno numero citat, & ſequitur Corona *De Dignit. Epiſc. Tract. 2. cap. 15. §. 13.* Debet haberi pro illegitimo juxta alios, eò quòd, qui exponuntur, longè ſæpius ſint furto geniti, quàm ex Matrimonio vero. Verùm quia irregularitas nulla incurritur, niſi in caſibus jure expreſſis *cap. Is qui. De ſent. excommun. in 6.* in jure autem non ſtatuitur, incurri irregularitatem ob illegitimitatem dubiam, & controverſam, non eſt talis reputandus pro illegitimo, adeóque non indiget diſpenſatione. Palaus *ibid.* cum Anania, Felino, Suarez *De Cenſ. Diſp. 58. ſect. 4* Coronâ, & aliis contra Covarr. *in cap. Si furioſus. p. 1. n. 9.* Certè ſi bonâ fide ſuſcepit Ordinem ſacrum, non debet ullo modo angi, etſi poſtmodum intelligat, ſe fuiſſe expoſitum. P. Henriquez *Lib. 14. cap. 8. num. 10.* & alii, favet enim ipſi apertiſſimè poſſeſſio.

IV. Quamvis natus ſis ſeptimo menſe poſt nuptias tuorum parentum, vel duodecimo, menſe poſt mortem mariti matris tuæ, non ideo tamen dicendus es eſſe furto genitus. Rationem attuli *in cit. Lib. cap. 28. n. 97. & ſeqq.* Sicut etiam ibidem *num. 88.* dixi, licèt certum ſit, matrem tuam commiſiſſe adulterium cum Sempronio, túque lineamentis corporis referas Sempronium, haud tamen idcirco eſſe te collocandum in claſſe illegitimorum. 437

V. Quando vel utraque, vel alterutra pars ignara impedimenti dirimentis contraxit, proles inde nata non indiget diſpenſatione, utpotè verè legitima, ex communi DD. quam doctrinam extendit Silveſter ad hunc 438

Rudioribus mirabilem Caſum.

Quidam in facie Eccleſiæ contraxit cum quadam, factâ denuntiatione, utroque, vel altero ignorante parentelam, ſeu impedimentum, & poſtea accuſati de parentela, & peremptoriè citati, venire noluerunt, ac tandem

Digitized by Google

dem excommunicati in excommunicatione tres filios genuerunt, quibus deinde reconciliatis (Eccleſiæ) *& probatâ parentelâ, divortium celebratum eſt. Quæritur igitur; an dicti filii ſint legitimi?*

Quæſiit Silveſter *Verb. Filii. quæſt. 11. n. 11.* & relatis pro *affirmativa* ſententia tribus Doctoribus, tacet ipſe, more ſuo approbans *tacitè* authores, quos à ſe allegatos non refutat; approbat autem *expreſſè* Majolus apud Dian. *Part. 10. Tract. 11. Reſol. 62.* citans pro ea Zabarell. & Abbat. quibus addit Diana Covarruviam, Barboſam, atque alios, inſuper exprimentes, etiamſi proles naſcatur contra interdictum, & prohibitionem Eccleſiæ, verbi gratiâ ſi fiat tori ſeparatio de conſenſu conjugum, Epiſcopo approbante ſeparationem, ac ſub pœna excommunicationis vetante; ne commiſceantur carnaliter, ſi tamen commiſceantur, prolem fore legitimam. Quæ reſolutio mihi probatur idcirco, quòd *in cap. Cùm inter. Qui filii ſint legit.* expreſſè jubeantur filii, qui ante ſententiam divortii latam nati ſunt ex matrimonio à parte rei invalido, haberi pro legitimis, ſi videlicet matrimonium fuit initum bonâ fide. Hunc autem Caſum ideo etiam refero, ut confirmem praxin illorum judicum, qui, quoad ullo modo poſſunt, in cauſâ Filiationis favent legitimitati, propter meliorem prolis educationem, & faveant etiam in puncto hæreditatis, ut primùm nuper *practicè* reſolvi.

439 VI. Illegitimitas tollitur 1. per ſubſequens Matrimonium, ſi videlicet parentes erant tempore conceptionis habiles ad contrahendum invicem. *cap. Tanta. Qui filii ſint legit.* Silveſt. *Verb. Illegitimus. quæſt. 3.* Unde; quando quis ſolutus imprægnavit aliquam viduam; vel puellam, ac poſtmodum incidit in periculum mortis, eſt ipſi ſuadendum fortiter à Confeſſario, ut eam ducat uxorem, priuſquam exhalet animam, ut hac ſcil. ratione proles in utero latens, aut fortè jam nata evadat notam illegitimitatis. Sicut etiam evadit natus ex Matrimonio invalido; modò vel pater; vel mater ignorârit, eſſe invalidum. Ego *in eod. Lib. cap. 37. num. 247.* ex communi.

440 Tollitur 2. per legitimationem factam à Papa, ille quippe ſolus poteſt legitimare ad jura Eccleſiaſtica. P. Suar. *De Cenſuris, diſp. 50. ſect. 5.* Eſt autem legitimatio nihil aliud, quàm reſtitutio, aut conſtitutio perſonæ in eo ſtatu primævo, ac ſi nunquam fuiſſet illegitima. Differt ergo à diſpenſatione, quia hæc non reponit in primævum ſtatum, ſed relinquendo corruptum, facit jus ad aliqua, ad quæ perſona eſt cæteroquin inhabilis, permanente illo ſtatu. P. Palaus *loc. cit. num. 5.* Plura de vi legitimationis dixi, & dicam *in Theolog. Iuridico-Morali*, ſeu *Quinario Tract. 5. cap. 37. num. 249. & ſeqq.* ſicut & infrà *Caſ. XVIII.* agam ſingulariter de poteſtate diſpenſandi in illegitimitate competente Regularibus. Porrò quia dixi; le- 441
gitimationem fieri à ſolo Papa, ideo nequeunt ſaltem communiter Comites Palatini legitimare ad Ordines; & Beneficia. Navarrus *Conſ. 2. De filiis Preſbyt.* ex hoc fundamento reſpondens, quendam Titium, qui à tali Comite legitimatus acceperat Ordines Minores; & ſimplex Beneficium, fuiſſe malè ordinatum.

Tollitur 3. per diſpenſationem, ita quidem, 442
ut ſolus Papa diſpenſet quoad Ordines Majores; Dignitatem; & Beneficium curatum, Epiſcopus verò quoad Ordines Minores, & Beneficium ſimplex. DD. *cit. ex Cap. 1. & 2. De fil. Preſb.* (ſub quo intelligi etiam Canonicatum Cathedralem, tradit Avila *fol. 327.* & Wangnereck *in Decretales fol. 119.*) adeóque etiam Capitulum, Sede vacante, utpote quod ſuccedit in totam juriſdictionem Epiſcopi. Quanquam, ſi ignarus prædicti vitii es bona fide promotus ad Ordines ſacros, poterit deinde compertâ veritate tecum diſpenſare Epiſcopus. Diana *Part. 7. Tract. 2. Reſol. 24.* poſt Henriq. *Lib. 14. cap. 8.* & alios; atque ita factum eſſe ſemel in hac Diœceſi, ſum certus.

Porrò diſpenſatus ab Epiſcopo ad Ordines 443
Minores, non ideo cenſetur diſpenſatus ad Beneficium ſimplex. P. Avila *De Cenſ. Part. 7. Diſput. 3. dub. 6.* poſt Navar. Henriq. & alios communiter; contra Sairum; & P. Emman. Sa, apud Dianam *Part. 8. Tract. 3. Reſol. 37.* ſicuti etiam diſpenſatus à Papa ad Ordinem Preſbyteratûs non cenſetur diſpenſatus ad Beneficiũ curatum, ſecùs de ſimplici. Diana *l. c. Tract. 3. Reſol. 38.* poſt Palaum, niſi exprimatur. Avila *loc. cit.* & Palaus *Diſp. 6. De cenſ. p. 9.* Diana *loc. cit. Reſol. 40.* poſt Barboſa *alleg. 45.* & alios communiter, quia ſcilicet, quamvis poteſtas diſpenſandi commiſſa alicui ſit latè interpretanda, ipſa tamen *actualis* diſpenſatio, cùm ſit odioſa, ſeu contraria juri, ſtrictè interpretanda eſt, unde nec diſpenſatus ſimpliciter ad Ordines poteſt vi hujus diſpenſationis accipere niſi Minores, & diſpenſatus pro uno certo Canonicatu, una ſpeciali Parochia, non cenſetur diſpenſatus ad aliam Parochiam, ſi fortè reſignet priorem, ſecùs, ſi in literis diſpenſationis exprimatur: *Poſſit promoveri ad Beneficium etiam Curatum.* Ita citati. Nominatim P. Avila *cit. dub. 6. not. 5.* quamvis P. Palaus *n. 6.* meritò pro probabili habeat, quòd etiam in priore caſu poſſit quis, relicto uno Beneficio, accipere aliud. Qui etiam *num. 7.* ſubdit, ſi Beneficio ſimplici, pro quo es diſpenſatus ab Epiſcopo, ſit annexum Parochiale, te poſſe vi illius diſpenſationis accipere utrumque, quia acceſſorium ſequitur naturam principalis, at diſpenſatus ad Beneficium ſimplex non habet jus ad Canonicatum Cathedralem, niſi hic exprimatur. Avila *loc. cit.* poſt Navarrum, ob declarationem Rotæ, & patet ex reſcripto referendo infrà *num. 447.*

Digitized by Google

444 Cæterùm quando petis diſpenſationem, exprimere debes, utrùm ſis progenitus ex utroque parente ſoluto, an ex alterutro conjugato, in ſacris conſtituto &c. alioqui non valebit diſpenſatio. Palaus *loc. cit. num. 11.* poſt Sanchez *De Matrim. Lib. 8. Diſp. 14. n. 3. & 5.* non valebit, inquam, niſi exprimantur iſtæ deteriores, & aggravantes circumſtantiæ, ſi revera adſint.

445 Ex his omnibus deduces reſolutionem dubii, ſuper quo me conſulere dignatus eſt quidam Prælatus Religioſus, quódque exhibet hic

Caſus occultus.

446 *Ludgerus credit, ſempérque credidit matri dicenti, ſe eſſe ab ipſa ſoluta Matrimonio conceptum ex ſoluto, nemine tamen præter ipſam conſcio hujus maculæ. Poſtmodum navans operam Theologiæ impetrat à Sede Apoſtolica diſpenſationem ad Majores Ordines, etiam Preſbyteratûs, at nulla mentione Beneficii ullius facta, vel in petitione, vel in reſcripto. Quæſitum ergo fuit ex me literis. 1. Utrùm executio illius diſpenſationis imediatè delegata Epiſcopo A. non poſſet ſubdelegari Epiſcopo B. propter majorem commoditatem Oratoris? 2. An ſit peculiaris diſpenſatio petenda Româ pro Beneficio? 3. An non aliquis Comes Palatinus poſſet legitimare Ludgerum?*

447 Reſpondi ad 1. quandoquidem Epiſcopus A. jam ſubdelegârat ſuam poteſtatem Vicario ſuo Generali, eam non poſſe rurſum ſubdelegari. Gloſſ. *in cap. Super quæſtionum. §. Porrò. Verb. Transfert.* P. Sanchez *De Matrim. Lib. 3. Diſp. 31. n. 9.* niſi quoad meram executionem, aut niſi revocaretur poteſtas ſubdelegata Vicario, quod utique non deceat. Ad *ſecundum* patet ſolutio ex dictis *num. 443.* & ad *tertium* ex dictis *num. 441.*

APPENDIX CASUS ÆQUE RARI AC RECENTIS.

a Leofridus genitus ex patre, & matre ſolutis petit diſpenſationem, tam quoad beneficia etiam curata, quàm quoad Ordines minores, & majores. accipit autem hujus tenoris: *Vitæ & morum honeſtas, aliáque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud nos fide digno commendaris teſtimonio, nos inducunt, ut te ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequamur. Hinc eſt, quòd nos te aſſerentem, tecum aliàs, ut defectu natalium, quem ex Preſbytero, & ſoluta genitus pateris, non obſtante, clericali charactere inſigniri, & ad quatuor minores, nec non omnes ſacros, & Preſbyteratûs Ordines promoveri, & promotus in illis etiam in altaris Miniſterio miniſtrare libere, & licitè valeres, Apoſtolicâ autoritate diſpenſatum fuiſſe, prout in literis Apoſtolicis deſuper expeditis, & debita executioni demandatis, quarum vigore tu ad omnes etiam ſacros, & Preſbyteratûs Ordines ritè promotus fuiſti, pleniùs continetur, præmiſſorum meritorum tuorum intuitu ſpeciali gratia favore proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis &c. ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis,* b *ad effectum præſentium tantùm conſequendum, harum ſerie abſolventes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tecum, dummodo vita, ac morum probitas, & idoneitas, aliáque virtutum merita, aliàs tibi ſuffragentur, nec aliud tibi obſtet canonicum impedimentum, quæcunque, & qualiacunque, cum cura, & ſine cura Beneficia Eccleſiaſtica, etiamſi Canonicatus, & Præbendæ, Dignitates, Perſonatus, Adminiſtrationes & Officia, ſeu Parochiales Eccleſiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ fuerint, & ad Dignitates, Perſonatus, Adminiſtrationes, & Officia hujuſmodi conſueverint per electionem aſſumi, eiſque cura immineat animarum, ſi tibi aliàs canonicè conferantur, aut tu eligaris, præſenteris, vel aliàs aſſumaris ad illa, & inſtituaris in eiſdem, dummodo Beneficia hujuſmodi recipienda non ſint Dignitates, ac Canonicatus, & Præbendæ, in Cathedralibus, & Metropolitanis, ac Dignitates principales in Collegiatis Eccleſiis, ipſaque in Eccleſiis, in quibus tuus genitor beneficiatus extiterit, ſeu exiſtat, non conſiſtant, illorum fructus, redditus, & proventus, valorem annuum centum & quinquaginta aureorum de Camera non excedant, accipere, dummodo Beneficia ipſa plura ſimul non ſint, quoad vixeris, retinere ac quaſcunque penſiones annuas ſuper ſimilium, non tamen paternorum, aut per tuum patrem obtentorum beneficiorum Eccleſiaſticorum, fructibus, reditibus, & proventibus Apoſtolicâ autoritate tibi reſervandas, & aſſignandas percipere, exigere, levare, ac in tuos uſus, & utilitatem convertere libere, & licitè valeas, Apoſtolicâ auctoritate tenore præſentium diſpenſamus, non obſtantibus defectu prædicto, ac Pictav. Concilii contra illegitimos, aliiſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non Eccleſiarum, in quibus Beneficia conferenda, hujuſmodi ſita fuerint, etiam juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum &c. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1674. ſexto Idus Ianuarii, Pontificatûs noſtri anno quarto.*

Hoc exemplum diſpenſationis cum illegitimis ex ſacrilega fornicatione natis petitæ re c ipſâ, ob illegitimitatem ortam ex ſimplici, non autem ſacrilega (ut per errorem ſcribæ Romani reſcriptum fuit) pro habilitate duntaxat ad Beneficia curata, & Canonicatus Eccleſiarum Collegiatarum, volui repræſentare, non ſolùm in gratiam illorum, qui nihil unquam ejuſmodi legerunt, ſed ſingulariter propter ingens dubium ortum ex *prima* parte hujus Bullæ. Siquidem in ea exprimitur, jam

fuiſſe

fuiſſe cum illo Leofrido diſpenſatum quoad Ordines, extaréque literas teſtes hujus diſpenſationis, cùm tamen ille ipſe, qui nomine Leofridi ſupplicavit, mihi aſſeverantiſſimè dixerit, ſe dilertè ſupplicâſſe, tum in primis pro Ordinibus omnibus, tum deinde pro beneficiis curatis &c. cui viro non poſſum non habere fidem integerrimam, utpote & graviſſimo, & perquam perito ſtyli, cùm inſuper ſit id ipſum mihi teſtatus is, qui literas ſupplices deſcripſerat, juvenis maturæ ætatis, & harum rerum bene intelligens, notiſſimúmque habens illum Leofridum, omni Ordine Sacro nudiſſimum.

d Quæſitum igitur ex me fuit. *Quid agendum cenſerem, cùm præ foribus eſſet Quadrageſima, deſtinata ſuſcipiendis à Leofrido tribus majoribus Ordinibus, nec poſſet abſque magno incommodo ipſius peti, exſpectarique nova diſpenſatio?*

Reſpondi, videri poſſe ſuccurri duplici modo. *Primo* recurrendo ad illud, Theologis æquè ac Jureconſultis familiare principium: *Qui dat juriſdictionem, dat omnia neceſſaria ad illam. Leg. 2. ff. De juriſdict. om. jud.* quam legem Doctores ita extendunt, ut *abſolutè* dicant: *Cui conceditur unum, conceduntur omnia ad illud unum neceſſaria.* Barboſa *Axiom 156. n. 2.* & ſingulariter in materia favorabili. Idem *ibid.* in unius enim talis actûs conceſſione veniunt ea omnia, quæ faciliorem, & commodiorem executionem actui præſtant. Baldus, Alciatus, Menochius *conſ. 14. num. 8.* teſtans, Doctores uno ore ita ſentire, & inſuper applicans ſpeciei facti, concernentis meram commoditatem, facilitatémque majorem. Palàm autem eſt, omnes majores Ordines eſſe non modò ſummè commodos, ſed etiam neceſſarios ad Parochiale Beneficium ſaltem. Trid. Concil. *Seſſ. 24. Cap. 12. De Reformat. in Declarat.* Multarum quoque Eccleſiarum ſtatuta habent, ut nemo, inſignitus Subdiaconatu, aut etiam Diaconatu, hoc aut illud beneficium obtinere valeat. Atqui deſcripta Bulla ſit Leofrido poteſtas admittendi Canonicatus collegiales, & Beneficia curata. Huc facit, quòd Diana *Part. 9. Tract. 9. Reſ. 6.* reſolvat, hoc ipſo, quòd Pontifex dat Clerico poteſtatem pugnandi, tollere periculum irregularitatis, hoc argumento probans. *Qui facultatem præbet ad aliquem actum, amovet omnia impedimenta ad illum.*

e Cùm igitur ſupponatur in ſpecie facti noſtri, non ſolùm fuiſſe ſupplicatum pro habilitate ad Ordines, ſed ipſummet ſummum Pontificem vel expreſſè conceſſiſſe per ſolennem formulam: *Fiat, ut petitur,* incuriâ autem ſcribæ irrepſiſſe illum errorem: vel eundem Pontificem certò conceſſurum fuiſſe, ſi fuiſſet ipſi præſentatus libellus talis, qualis fuit hinc (Conſtantiâ ſcilicet) miſſus, roboratur vis principii à nobis adducti. Confirmatur inde ipſa reſolutio, quòd cùm ſua Sanctitas aſſerat, fuiſſe diſpenſatum circa Ordines, manifeſtè hoc ipſo indicet, ſe facturam fuiſſe expreſſè illam gratiam, ſi fortè nondum facta fuiſſet. Ac proinde exerunt potenter ſuam vim illa duo alia principia juris: *Taciti & expreſſi eſt eadem vis: Statuens ſtatuiſſe videtur id tacitè, quod ſtatuiſſet expreſſe, ſi interrogatus fuiſſet.*

Cauſa verò, ſeu occaſio duplicis erroris in f
reſcripto commiſſi, fuerit probabiliter hæc, quòd ego ipſe eodem curſore acceperim ſimilem diſpenſationem pro aliquo ex Sacrilego concubitu nato, jam diſpenſato quoad Ordines, ideóque in formando libello expreſſerim, eſſe jam creatum indulto Pontificio Preſbyterum, ſupplicari autem pro capacitate ad Beneficia. Quæ mea atteſtatio exprimebatur in Bulla iiſdem, ſi unum, alterúmve demas, verbis, quibus illud, quod hîc offero Lectori legendum. Aut fortè ille ipſe, qui utrumque libellum exhibuit Romæ, ſicuti revera fuit uterque ab uno, eodémque oblatus eodem tempore, per errorem fecerit alterum ſimilem meo. Unde unde provenerit error, maneo conſtans in allata applicatione comuniſſimæ Regulæ, ſeu principii à me producti. *Rem quæ culpâ caret, in damnum verti non convenit,* ait *Canon Cap. 2. De conſtitut.*

Nec obeſt rationi productæ *ex Leg. 2. ff. de Juriſd. om. Jud.* quòd ipſemet Papa apponat re- g
ſtrictivam clauſulam: *Dummodo non obſit tibi aliud Canonicum impedimentum*: hæc enim reſtrictio rectiſſimè intelligitur de alio impedimento diſtincto ab illo, cujus ſit mentio in ipſo reſcripto. Siquidem dictio *Alius* diverſitatem à ſuprà expreſſis, & diverſa ab expreſſis includit. Clarus textus *in L. Si fundum. §. Si libertus. ff. De Legat. 1.* Barboſ. *Diction. 26. n. 17.* valdè mendoſè (vitio typothetæ) allegans hanc legem, Socinum juniorem, Cornejum, & Menochium. Atqui fuit hoc reſcripto facta expreſſa mentio Ordinum majorum.

Alter Oratori ſuccurrendi modus petitur h
ex alio *moraliter* certo (ducentos quatuordecim autores generatim & verè allegavi *in Appendice Apologetica* annexa calci *præcedentis* Tractatûs) principio, quòd uſus ſententiarum verè probabilium *practicè*, ſit licitus ſaltem tunc, quando ſingularis aliqua neceſſitas compellit ad ejuſmodi uſum, abéſtque omne periculum invaliditatis, proindéque ſit Epiſcopus Leofridi futurus immunis omni culpâ, ſi hunc initiet omnibus Ordinibus Sacris. In primis enim eſſe probabile, quòd poſſit, liquet ex tot ſcriptoribus, quos ſuprà *num. 429.* retuli pro hac ſententia, & inter quos poteſt, inſtar plurium aliorum eſſe Auguſtinus Barboſa, utpote ſuâ ſingulari eruditione, & fervore defendendi jura Pontificia notiſſimus, qui quidem de Jure Eccleſiaſtico *Lib. 1. cap. 11. num. 156.* non ſolùm probat, ſed etiam defendit illam ſententiam de Epiſcopali poteſtate diſpenſandi circa irregularitatem ex occulta illegitimitate, ſicuti eſt occultiſſima noſtri Leofridi.

Habemus igitur autoritatem, imò & ratio- i

nem (ſiquidem illa irregularitas *eſſentialiter* fundatur in delicto parentum occulto (ſufficientem gignendæ probabilitati. Neceſſitas eſt jam ſuprà inſinuata, & declaratur magis, quòd videlicet, ſi poſtulanda ſit diſpenſatio alia, cogendus ſit Leofridus ſuſceptionem Preſbyteratûs differre ad decem menſes, cùm poſſit (ſtante diſpenſatione Epiſcopali, intra ſex hebdomadas nanciſci eam gratiam. Atqui tanta dilatio Preſbyterii eſt ſummè incommoda ejuſmodi homini, utpote pauperrimo. Quæ ejus paupertas novam ei incommoditatem pariet, ſi novos ſumptus facere oporteat, cùm illos octodecim ducatos, quos pro literis Romanis expendit, difficillimè potuerit corrogare etiam mendicando.

k His, aliiſque perpenſis, judicatum fuit, opus non eſſe Epiſcopali diſpenſatione. Quibus addo, fuiſſe me ex Urbe monitum, eſſe diligenter exprimendum in libello, utrùm illegitimitas provenerit ex utraque, an ſolùm ex alterutra parte ſoluta: utrùm ex adulterio ſimplici, an duplici: utrùm ex Sacrilego concubitu, nec ne: & ſi ex Sacrilego cum beneficiato, exprimatur locus & qualitas Beneficii, tantò majorem taxam exigi, quantò deteſtabilior fuit ille concubitus. Nihilominus non fuerunt niſi ſedecim ducati poſtulati pro meo Cliente, etſi nato ex ſoluta quidem, ſed commixta cum Sacerdote Capellano. An verò falſitas, aut taciturnitas circa qualitatem fornicationis irritet diſpenſationem, indicavi ſuprà *num. 444.* Meo judicio nil obfuiſſet Leofrido, tametſi falsò ſcripſiſſet, ſe natum ex concubitu Sacrilego, ſecùs ſi natus ex Sacrilego expreſſiſſet deditâ operâ ſimplicem, ut deduces ex Palao, quem refero *num. 444.* & fortè etiam, ſi id feciſſet per meram ſubreptionem, cùm natales ſacrilegi, atque alii profecti ex concubitu legibus damnato, ut loquuntur Jureconſulti, ſint longè probroſiores, quàm non infecti hac maculâ. Equidem Petrus Rebuffus *in Praxi Beneficior. Titul. Diſpenſat. ſuper defectu natalium num. 67.* abſolutè ſcribit, exprimendas eſſe ſpecies ſpurietatis.

l Sed & hiſce jam deſcriptis, alius etiam diſpenſatus cum clauſula: *Dummodo proventus anni non excedant centum quinquaginta Ducatos de Camera*, quæſiit alteris literis ex me 1. *Quantùm Ducatus auri de Camera differat à Ducato Germanico, ſeu, ut vocant, Vngaro.* 2. *An expenſæ faciendæ in ſervos, equos, ſimilia neceſſaria colligendis illis centum quinquaginta Ducatis, ſint etiam accenſendæ reditibus?* 3. *An hic quoque parùm pro nihilo reputetur?*

m Reſpondi ad *primum*, ſedecim Julios ſufficere ad Ducatum de Camera, ſicut ad ſcutum Romæ ſufficiunt decem Julii, æſtimando Julium decem crucigeris, ut mihi aſſeruit vir graviſſimus diu Romæ commoratus.

n Ad *ſecundum*, lucrum, adeóque proventum non intelligi niſi deducto damno, ſeu expenſis. *L. Mutius. ff. De Sec. Leg. 36. ff. De hæred. petit.*

Ad *tertium*, parum & nihil æquiparati apud Jureconſultos. Barboſa *in Diction. 246.* favente apertè Gloſſ *in L. Si pupillus §. 2. ff. Ad Leg. falcid.* & damna non gravia tolerantur. Bonus textus *c. Bonæ. 12. quæſt. 2. & cap. Paſtoralis. De his, quæ fiunt à Prelatis &c. & L. Scio. ff. De in integ. reſtit.* & qui tantùm aliquantiſper abeſt, non videtur abeſſe. Concil. Trident. *Seſſ. 23. Cap. 1. De Reform.* & denique modicitas, eſt quaſi nihileitas. Beja *in Reſponſ. Part. 4. Caſ. XII. ex Ariſt. 2. phyſic.*

At quidnam hoc loco habebitur pro *parùm*, aut *parvo*? Reſpondeo. Non certè ſi Ordinariè viginti, aut plures, Ducati adjiciantur illis centum quinquaginta, ſecùs ſi ferè ordinariè decem, nam & denarius eſt in noſtro caſu ſolùm decima quinta pars totius, quæ cenſetur haberi pro parva reſpectu totius. Et reſcripta gratiæ ſunt potiùs benignè, quàm rigidè intelligenda, ſaltem in materia pœnali, involventéque prorſus innocentem, ſicut & ſecundùm ſubjectam materiam, & hujus qualitatem. *Gloſſ. in Clement. De ſuppl. Verb. Monaſterium.* Materia autem hujus Reſcripti ſunt reditus annui, qui comuniſſimè ſunt incerti ſecundùm quantitatem arithmeticè ſumptam. Ne igitur aperiatur porta perpetuis ſcrupulis, dicendum eſt, tametſi Beneficium, de quo hîc ſermo, referat perſæpe centum ſexaginta Ducatos (deductis expenſis) ita tamen, ut nonnunquam ſolùm centum quadraginta, aut centum quadraginta quinque, non acturum contra benignam, verámque interpretationem Pontificis, ſi diſpenſatus admittat talem præbendam, quam & ipſi, utpote perquam digno, precor.

p Aliud fortè pronuntiandum eſſet, ſi ipſe Papa, vel ejus Legatus conferret diſpenſato Beneficium, cum onere præſtandæ Annatæ, etenim Regula LV. Cancellariæ Apoſtol. quam inter alios deſcribunt Antonius Gomez *in Regul. Cancell. pag. 243.* & Henricus Wangnereck *Commentar. in Decretales pag. 528.* mandat, ut verus NB. Annuus valor ſecundùm communem æſtimationem exprimatur per florenos auri, aut Ducatos &c. nihil autem in noſtræ diſpenſationis literis præſcribitur de vero, ſeu præciſo ſecundùm communem æſtimationem valore, ſed ſolùm de valore, adeóque *moraliter*, & benignè ſumpto. Quandoquidem ſi reſpuatur Beneficium, Perſæpe & ferè communiter adferens centum ſexaginta Ducatos, magnum periculum ſit, ne cogatur admittere tale, ex quo vix centum viginti, aut centum triginta ſit percepturus.

Porrò qui plura de illegitimorum irregularitate, ac diſpenſatione deſiderat, conſulat noſtrum P. Enricum Pirhing. *in Lib. 1. Decretalium*, ſeu *Jus Canonicum Tit. 17.* accuratè, ut ſolet, explicantem hanc materiam illegitimorum, non ſolùm cum reſpectu ad Ordines, ſed etiam quoad beneficia Eccleſiaſtica, atq; legitimationem.

ORDI-

Digitized by Google

ORDINATUS EXTRA TEMPORA.

CASUS XII.

Benignæ Reſolutionis.

SUMMARIUM.

Caſus volentis juſta ex cauſa ſuſcipere eodem die Minores, & Subdiaconatum. 448.

448 *MArianus Regularis ex Ordine Carmelitano venit è ſuo Conventu Straubingano feriâ ſextâ quatuor temporum Ratiſbonam, ubi celebranda erat poſtridie ſolennis Ordinatio. Venit autem ſeriùs, quàm ut poſſet illo die inſigniri quatuor Minoribus Ordinibus, quos petebat: differendi ergo fuêre in diem ſequentem, at percupiebat illo die ſequenti promoveri ad Ordinem Subdiaconatûs. Interrogatus igitur ego tunc ab ipſomet Reverendiſſimo D. Vicario Generali, an poſſent illo Sabbato quatuor Minores conferri unà cum Hypodiaconatu? Reſpondi (pro meo in illum alióſque Ordines Religioſos prono ſtudio) intrepidè, poſſe de jure, & verò faciendum videri. An hoc reſponſum fuit conforme aut juri ſtricto, aut æquitati hic, & nunc ſequendæ?*

449 Priuſquam rationes illius meæ reſolutionis exponam, obſervo, ad Titulum *De Temporibus Ordinationum*, (quem tangit titulus hujuſce *duodecimi* Caſûs,) reduci, has quæſtiones 1. *Quænam tempora, ſeu dies deputati ſint Ordinationibus? 2. An plures Ordines uno die conferre liceat? 3. An die non feſto fori? 4. An non ſervatis interſtitiis?* Duas primas quæſtiones expediam *hac* Sectione. Reliquas *alterâ*.

SECTIO I.

Qui dies deputati pro Ordinibus. Et an plures Ordines valeant conferri uno die?

SUMMARIUM.

Tempora Ordinationum quæ? 450.
Poſſunt Nocte Sabbati Sancti conferri Ordines. 451.
Minores in Germania conferuntur feriâ ſextâ quatuor temporum, in Italia feriâ quartâ. 452.
Die feſto poſſunt pluribus, quàm uni conferri extra tempora Minores. 454.
Quibuſnam extra tempora conferat Nuntius Apoſtolicus? 455.
An ejus ſubdelegatus, ſi non ſit Epiſcopus, poſſit diſpenſare? Ibid.
Quinam dicantur arctati beneficio? 456.
Quale beneficium intelligatur tunc? 458.
Quis dicatur competenter Beneficiatus? 459.
An Monachatus, ſit habendus in hac materia pro Beneficio Eccleſiaſtico? Ibid.
Multi Ordines Religioſi poſſunt facere ſuos ordinari extra tempora. Ibid.
Nefas eſt, uno die ſuſcipere duos Ordines Sacros. 460.
An liceat uno die Minoribus jungere Subdiaconatum? 461.
An quando in literis diſpenſationis de tribus diebus feſtivis non exprimitur: Interpolatis, *debeat hac clauſula ſubintelligi? 464.*
Papa quandoque, etiam reſpectu ſæcularium, diſpenſat circa interpolationem. Ibid.
Poteſt quis eodem die creari Sacerdos, & Epiſcopus, 465.
Quomodo Epiſcopus, qui non potuit Sabbato totam Ordinationem perficere, poſſit ſequenti Dominicâ die peragere? 466.
An poſſit totam transferre in Dominicum? 467.
Declaratur Caſu practico. 470.
Cur meritò ſint adhuc plures Libri de rebus moralibus ſcribendi? 471.

450 DIco I. Grave peccatum eſt, Ordinare, vel Ordinari extra tempora ſtatuta à jure *cap. Cùm quidam. De Temp. Ordin.* & ibi Gloſſ. Extravagans. Pii II. *Cùm ex Sacrorum*, quam totam deſcribit Barboſa *De Offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 17. num. 10.* Tempora autem illa determinata ſunt pro Majoribus quidem Ordinibus ſabbata quatuor Anni temporum, ante Dominicam Paſſionis, & Hebdomadæ Sanctæ, ut etiam oſtendit praxis, quanquam pro Epiſcopatu debet eſſe dies Dominica, vel Natalitium Apoſtolorum, vel etiam feſtiva, ſi ſummus Pontifex hoc ſpecialiter indulſerit. Ita loquitur Pontificale Romanum *Tit. de Conſecr. Electi in Epiſcopum in Rubr.* ſtatim ſub initium *Verſ. Statutâ die.* 451 De Sabbato ſancto obſervat ſingulariter Jordanus *Elucubr. Vol. 1. Lib. 3. Tit. 6. num. 396.* non intelligi ſolùm de hora, qua conſuevit fieri Miſſa, ſed etiam de nocte ſubſequenti, *quoniam ſi quis juxta priſcum uſum Eccleſia celebrare vellet in ipſa nocte, poſſet quoque Ordines conferre, quod non conceditur in aliis noctibus.* Ita ille. Monens tamen, ut non recedatur de facili à conſuetudine horum temporum. Prima Tonſura quocunque die, horâ, & loco conferri poteſt. Minores verò Ordines poſſunt dari ſingulis Dominicis, & feſtivis diebus Duplicibus, ubicunque, manè tamen. Ita loquitur idem Pontificale *Tit. De Ordin. confer. in Rubr. Verſ. Clericatus, & Verſ. Minores* editum Anno 1615.

452 Licèt autem Pax Jordanus *loc. cit. num. 411.* neget

neget, ſe unquam vidiſſe, Minores Ordines conferri feriâ ſextâ quatuor temporum, & ideo non eſſe de facili id faciendum, ſi tamen præfuiſſet ipſe Epiſcopatui alicui Teutonico, ſicut rexit Dalmaticum, fuiſſet, reor, ſecutus morem Antiſtitum Germanorum, imò Hiſpanorum factitantium id, quod ipſe negat facilè practicandum. De Germanis ego teſtor, de Hiſpanis teſtatur Quintannadvennas *Singul. Tr. 6. Sing. 7. num. 1.* & Henriq. *Lib. 10. Cap. 12. num. 2.* addens expreſſè, ab Epiſcopis conferri veſpere illius feriæ ſextæ, teſtatur idipſum Eſcobar *num. 430.* mox citandus. Hîc Conſtantiæ conferuntur manè illius feriæ ſextæ.

453 Explicationem clauſulæ: *Feſtivis diebus*, dabo *num. 472.* hîc autem noto, poſſe non uni ſoli, ſed pluribus ſimul conferri Minores Ordines die Feſto, vel Dominico, dummodo non tot, ut videatur eſſe generalis Ordinatio. Jordanus *loc. cit. num. 414.* P. Henriq. *Lib. 10. cap. 12.* qui Doctor *ibid. num. 2.* addit, Epiſcopum poſſe quatuor Minores feriâ quartâ quatuor temporum conferre non modò ex conſuetudine, ſed etiam ex jure antiquo. Videtur conſentire Barboſa *Alleg. 11. num. 17.* conſentit aperte P. Emmanuel Sa. *Verb. Ordo num. 13.* & fuiſſe in aliquo Epiſcopatu hinc quatridui diſſito id obſervatum cum quodam Eunucho, ſcripſit mihi vir optimus.

454 Denique P. Eſcobar *in Theol. Moral. Lib. 23. Cap. 18. num. 419.* refert Zerolam, Rebuffum, Marchinum, Petrum de Ledeſma, & Ludov. de S. Joanne tanquam docentes, poſſe Minores dari quacunque feriâ. Sed inprimis Zerola non rectè citatur. An rectè cæteri, ignoro. Deinde illa opinio repugnat manifeſtè Pontificali.

455 Et hæc dicta ſunto de jure communi. De ſpeciali autem eſt inprimis repetendum, quod diximus *Caſ. præcedente*, ſcilicet multas familias Religioſas gaudere Privilegio Apoſtolico accipiendi Ordines quovis die Dominico, & feſto. Deinde addendum, quando Epiſcopus non potuit abſolvere die Sabbati quatuor temporum totam Ordinationem, poſſe die Dominico imponere illi finem, ut explicabo *num. 466.* Sicut etiam addendum eſt, ſolere ab Illuſtriſſ. DD. Nuntiis Apoſtolicis diſpenſari, ut extra tempora à jure ſtatuta *licitè* quis Ordinetur. Non diſpenſant autem, niſi cum iis, qui ſunt arctati Beneficio. Quare fruſtra petes ab Illuſtriſſimo D. Nuntio illam gratiam, ſi in tuo libello ſupplici non exprimas, te arctari Beneficio. At verò vidi Breve S. D. N. Clem. X. in quo nulla mentio fiebat Beneficii, ſed ſolùm, quòd Orator eſſet Doctor. I. V. Vide etiam infrà *n. 495. in App. 1.*

Quia verò iidem Illuſtriſſimi Domini Nuntii ſuam diſpenſandi poteſtatem quandoque generatim, ſine limitatione ſubdelegant ad tempus quibuſdam aliis, idcirco unus ex talibus ſubdelegatis, qui non niſi Sacerdotali Charactere inſignitus erat, quæſiit literis ex me, An eſſet capax prædictæ ſubdelegationis, etiam reſpectu actuum tendentium, ad habilitationem pro Ordinibus, ſicuti tendit utique is, de quo nunc diſſerimus. Reſpondi autem, eſſe utique capacem, quandoquidem actus diſpenſandi non eſt actus *Ordinis*, ſed *Iuriſdictionis*, ut liquet vel ex eo, quòd Capitulum Cathedrale, Sede vacante, diſpenſet in omnibus iis, in quibus Epiſcopus.

At, *quid eſt*, inquies, *arctari Beneficio? Et quale Beneficium hic intelligitur?* 456

Reſp. I. Arctari Beneficio eſt arctari, ſeu urgeri occaſione Beneficii Eccleſiaſtici vel accepti, vel accipiendi. Accepti, quando obtines Beneficium requirens Officium *perſonale*, ratione cujus de jure, conſuetudine, ſtatuto, vel fundatione teneris te promoveri facere intra Annum. Garcias *de Benef. Part. 5. Cap. 7. num. 97.* (ubi *num. 103.* exhibet communem formulam hîc diſpenſandi) Barboſa *in Trid. Seſſ. 7. Cap. 10.* in quo capitulo fit expreſſa mentio hujus clauſulæ. 457 Accipiendi verò Beneficii occaſione arctaris, ſi habeas jus, ſeu vocatus ſis ad aliquod Beneficium vacans, ſeu Capellaniam, quæ tamen actu requirit certum Ordinem, quo cares, ſeu ſi ſis Primâ Tonſurâ inſignitus, & præſenteris ad Beneficium. Idem Barboſa *ibid. num. 17.* poſt Garciam, Monetam, Riccium. Secùs, ſi quis tibi velit reſignare Beneficium requirens Ordinem, quo cares. Garcias *loc. cit. num. 101.* eſtque haud dubiè veriſſima hæc doctrina, quando in diſpenſatione exprimitur: *Dummodo verè, & competenter Beneficiatus, & arctatus exiſtat*, ſicuti videbis infrà *n. 480.*

Reſp. II. Tametſi non ignoro, nonneminem 458 theoria ſimul, & praxi præſtantem fuiſſe hujus opinionis, quòd nomine Beneficii intelligatur in ejuſmodi diſpenſationibus duntaxat Curatum, & Duplex, & poſſit inde roborari hæc opinio, quòd *præced. Caſ. XI. num. 443.* dixerim, illegitimum diſpenſatum ad *Beneficium* non poſſe vi hujus vocis admittere, niſi Beneficium ſimplex, diſſentio tamen ab illo præſtanti viro idcirco, quòd Garcias, Ugolinus, Riccius, Barboſa, viri uſu peritiſſimi, ponant in explicatione præſentis Clauſulæ *abſolutè*, & ſine ulla qualificatione tum Canonicatum, tum Capellaniam, requirentes Officium *perſonale*. Atqui nomine Canonicatûs, aut Capellaniæ non venit Beneficium Curatum.

Quia tamen vocula *Beneficium* intelligitur 459 ab hiſce Canoniſtis, & meritò quidem *propriè*, (excluſo proinde *Manuali*, ut mihi ex ſenſu Nunciaturæ Lucernenſis reſcriptum in ſpecie facti 19. April. Anno 1668. & rurſum 17. Septemb. Anno 1675.) quandoquidem recedendum non eſt abſque cauſa à propria, communique ſignificatione vocum *L. Non aliter 69. ff. De Legat. 3.* fit, ut probanda ſit reſolutio, quam inſtanter

Digitized by Google

inſtanter (erat enim periculum in mora) rogatus dedi ad

Caſum,

Quo Illuſtriſſimus D. Nuntius diſpenſarat cum Titio extra Tempora, cum ſolenni formula: Dummodo ſis competenter Beneficiatus, & arctatus. *Dixi enim, non profuturàm ipſi diſpenſationem, ſi non haberet aliam Capellaniam, quàm ſit ea, de qua erit ſermo* Caſ. XVI. num. 628.

Addo verò clauſulæ: *Competenter Beneficiatus* factum iri ſatis, ſi ex Beneficio perciperet tantum, quantum ſufficit ſuſtentando Clerico infimæ ſortis. Adeòque tantum, quantum mos Diœceſanus exigit ab Ordinandis ad Titulum *Patrimonii*, dicemus enim *cit. Caſ. XV.* illud patrimonium debere præbere competentem ſuſtentationem: ſicut & pridie illius diei, quo hæc deſcripta relego, fuit negata promotio cuidam ex Ordine Monaſtico, exhibenti diſpenſationem *extra tempora*, munitam illâclaudulâ: *Dummodo ſis competenter Beneficiatus, &c.* exiſtimantique nomine *Beneficii* comprehendi hîc Monachatum. Sed revera non comprehenditur Monachatus, niſi habeat Monachus jus exigendi fructus expendendos à ſe in uſus honeſtos. Filliuc. *Tr. 41 num. 11*, poſt Abbat. & Azor, contra Gl. & Rebuffum repugnantes in ſpeciem. Etenim definitio Beneficii exigit hanc qualitatem. Unde patet, quid fuerit à me reſpondendum ad hanc novam quæſtionem D. Felicis Paradiſii

Vice-Nuntii Apoſtolici.

Aliud etiam quæro ſuper illis verbis, quæ ſunt in Brevi Apoſtolico, exprimente facultates Nuntii Apoſtolici, videlicet: cum Beneficiatis, & arctatis diſpenſandi. *Confugiunt enim aliquando ad Nuntiaturam Religioſi, petentes diſpenſari extra tempora, aſſerentes, eſſe penuriam Sacerdotum in Monaſterio, nec poſſe obligationibus ſatiſfacere, ideòque ſe arctatos dicunt. Sed cùm non habeant Beneficium, remiſſi ſunt ſine effectu. Libenter ſcirem, quidnam P. V. ſentiat, & an conjunctim, vel ſeparatim poſſint illa verba intelligi?*

Reſpondi, jam editis in lucem iis, quæ de Monachatu hîc expreſſi, verba illa eſſe conjunctim intelligenda, & non ſeparatim, id eſt, eſſe hunc ſenſum eorum: *Diſpenſandi cum illis Beneficiatis, qui ſunt arctati*, non autem hunc; *diſpenſandi cum Beneficiatis, & aliis arctatis*. Patet hoc evidenter tum ex communi formula pro *extra tempora*, quam integram exhibet Garcias relatus ſuprà *num. 456.* tum ex illa particulari, quam deſcribo infrà *num. 480*. cui ſimillimas vidi perſæpè. Et conſentiunt omnes DD. quos congerunt Garcias *loc. cit.* ac Barboſa *in Trid. Seſſ. 7. Cap. 10. De Reformat.* ubi fit mentio *de arctatis Beneficio*. Unde crebrò evenit, ut & Scriptores, & Curiales utantur ſolo vocabulo: *Arctati*, ſub eo intelligentes Beneficium receptum, ſive recipiendum, ut loquitur Tridentina Synodus *cit. Cap. 10.* Quapropter nequeunt Religioſi, quorum occaſione movetur illa quæſtio, appellari voce, & ſignificatione Canonicâ *Arctati*, niſi vel probent Monachatum eſſe Beneficium Eccleſiaſticum, vel iis oblatum, conceſſúmve fuerit aliquod Beneficium à Monachatu diſtinctum. Porrò voculam: *Arctatus* eſſe hîc intelligendam juxta phraſin Canonicam, & non quamlibet Grammaticalem, liquet ex iis, quæ de ſignificatione uſuali præferenda ipſi verborum proprietati Gramaticali tradunt Bartolus *in L. Non dubium. Cod. De Leg. & Conſt.* Abbas *in proœmio Decretalium*, & etiam ibidem Felinus copioſè. Quia tamen frequentiſſimè accidit, ut Religioſi obligationibus Monaſticis ad petendam extra tempora diſpenſationem æquè, ac ſæculares obligationibus propriè dictorum Beneficiorum arctentur, adigantúrque, eam ob rem, ſiqua ex talibus Monaſteriis paterentur crebrò inopiam Sacerdotum, neceſſariorum ad onera ſupportanda, haberent juſtam cauſam ſupplicandi Sedi Apoſtolicæ, pro gratia ſimili arctatis. Et verò complures Religioſi Ordines gaudent Privilegio diſpenſandi hac in re cum ſuis, ut reliquos inter enumerat Auguſt. à Virgine MARIA *in Tract. De Privil. Regul. Verb. Ordinatio Clericorum*, ſicut, & ego infrà *Tract. 9. Caſ. XXIII. num. 699.* indicabo, quandoque concedi Epiſcopo, viſitanti Diœceſin, facultatem diſpenſandi in ætate, & extra.

460 Dico II. Nefas eſt, uno die conferre uni plures Sacros Ordines, *c. Literas. cap. Dilectus. De Tempor. Ordin.* Trid. Concil. *Seſſ. 23. Cap. 13. De Reform.* ubi caſſantur omnia Privilegia in contrarium conceſſa. Quia verò hi Canones, & alii, quos congerit Silveſt. *Verb. Ordo 7. num. 3.* non loquuntur niſi de Ordinibus Sacris, ut patet legenti, quatuor autem Minores non veniunt appellatione Ordinum Sacrorum. Suprà *Caſ. I. n. 12.* & prohibitio circa Sacros non debet extendi ad non Sacros, quandoquidem à diverſis non valet illatio, *L. Papinianus. ff. De minor* præſertim in materia odioſa, & habente adjunctam pœnam ſuſpenſionis, ſicut habent illa Capitula, ideo mihi ſemper placuit ſententia negantium, eſſe ullo jure ſcripto, aut generali conſuetudine vetitum, ne cui conferatur uno die Subdiaconatus unà cum Minoribus Ordinibus.

461 Negant autem Vaſquez *Tom. 3 in 3. Part. Diſp. 246. Cap. 5.* Palaus *Tr. 27. p. 13. num. 5.* Henriq. *Lib. 10. Cap. 11. in fin.* Dicaſtillo *De Ordine Diſp. 5. dub. 23. num.*

Digitized by Google

23. *num.* 354. Eſcobar *in Theol. Moral. Lib.* 23. *Cap.* 6. *num.* 70. Caſpar Hurtad. *Tr. de Ordine difficult* 23. recentiſſimus Corona *loc cit.* §. 9. *num.* 8. *& apud. Dian. Part.* 9. *Tract.* 6. *Reſol.* 58. Præpoſitus, Baunius, Molfeſius, Leo, & Villanomos contra alios multos non adterentes ullum pro ſe jus niſi ſummè dubium.

462 Imò teſtatur Vaſq. ſe aliquando: Palaus, & Dicaſtillo, qui vixerunt in diverſis Provinciis, ſe ſæpe vidiſſe ita practicari, ſicut, & Stephan. à S Paulo *Tr.* 5. *Diſp.* 7. *n.* 28. teſtatur, ſeipſum, & plures alios ita fuiſſe initiatum ab Epiſcopo Gandavenſi. Itaque res tota pendet jam à conſuetudine, quam eſſe ita generalem & ſtrictè obligatoriam, ut Epiſcopus, ſeu ejus Vicarius nequeat in ea ex cauſa rationabili, etſi non gravi, diſpenſare, nemo rectè aſſeruerit, ſicuti me citato ſcribit etiam Stephanus *ibid.* imò contrariam vigere in Hiſpania, tradunt *implicitè* Palaus, & Dicaſtillo. *Explicitè* Eſcobar *loc. cit.* Unde paſſim DD. utriuſque partis agnoſcunt, in locis, in quibus viget conſuetudo conferendi uno die illos quinque, eam tolerari poſſe, cùm nullum jus damnet talem conſuetudinem, ſi Epiſcopus diſpenſet ratione interſtitiorum.

463 Hinc apparet reſponſum, quod dedi de Mariano, nixum fuiſſe autoritate, & ratione ſufficiente ad id, ut ille D. Vicarius Generalis, ſeu per interpretationem, ſeu per diſpenſationem acquieſceret petitioni illius Religioſi, utpote qui Religioſus debuiſſet cæteroquin illud iter non ſine ſumptibus moleſtis ſuo Conventui aliâ vice relegere, & cujus operâ Sacrâ debuiſſet carere ille conventus numerans paucos Regulares. Ac proinde generatim dico, Epiſcopum poſſe id facere, quoties ſuppetit aliqua peculiaris, rationabiliſque cauſa; ut verò ſine peculiari cauſa id fiat, ubi non eſt moris, non ſim autor.

APPENDIX CASVS RARI.

a *FUit die 18. Martii Anni 1673. ablegatus ad me ab iis, quorum intererat, nonnemo, qui ſuſcepturus eodem die Subdiaconatum, debebat pridie de more hujus Diœceſis initiari, quibus carebat, Tonſurâ, & Minoribus, at nullo modo potuit ſe ſatis mature ſiſtere. Quærebatur igitur, utrùm videretur adeſſe ſufficiens cauſa conferendi ipſi, præter morem Diœceſanum, Ordines illos, ac Subdiaconatum illo eodem die?*

b Reſolvi autem, eſſe utique cauſam ſufficientem, debuiſſet enim aliàs ille bonus juvenis, magno cum ſuo, nonnullo ſuæ Eccleſiæ carentis Capellano, incommodo differre ſuſceptionem Preſbyterii, uſque ad Angarias, ſeu Quatuor Tempora Septemb. Certè hoc incommodum ſufficit ad *licitè* ſequendam illam probabiliſſimam opinionem Vaſquezii, quam retuli *num.* 461. & quam fuiſſe Eichſtadii abhinc aliquot Annos redactam in praxin, aſſeveravit mihi Prælatus fide digniſſimus.

Nec oberat 1. mos Diœceſanus, quia quatenus eſt Diœceſanus, poterat in eo diſpenſare Vicarius Generalis, ſicut in aliis ſtatutis Diœceſanis. Quatenus autem aſſeritur, eſſe juris communis, non valebat quidem diſpenſare Vicarius ſed tamen poterat interpretari Canones, pro eo more citari ſolitos in partem mitiorem, nixus autoritate tam magnorum Doctorum, & rationibus, quas in noſtro *Clypeo Clementium Judicum* proferimus in commendationem Judicum, communiter ſectantium clementiores, certò autem probabiles ſententias. Equidem capitulo ſecundo *De eo, qui furtivè*, quod duo recentiores Canoniſtæ adducunt contra noſtram ſententiam, reprehenditur Clericus *H.* ſolùm idcirco, quòd *furtivè*, id eſt *præter conſcientiam* Epiſcopi, ut exprimit Gloſſa & Abbas ibidem, Subdiaconatum junxerit quatuor Minoribus. Etenim fraus, qua circumvenit Epiſcopum, ſola fecit, ut exceſſus illius collocaretur ſub Rubrica, & Titulo: *De eo, qui furtivè Ordinem ſuſcepit.* Nec debet reſponſum illius capituli extendi ultra ſenſum Rubricæ, ut notant paſſim Jureconſulti. Quare nec Abbas, nec Silveſter locis citatis adducunt hunc Canonem ad firmandam ſuam nobis contrariam opinionem, ſed alios. Unde ſi quis alius ſine conſenſu Epiſcopi ſuſciperet illos Ordines ſimul, diceretur Ordinatus *furtivè*, & feriretur pœnâ, in tales decretâ illo eodem capitulo. c

Nec obſtat 2. quòd jura tam antiqua, quàm Tridentinum ſtatuant tempus interſtitiorum, hactenus autem in hac Diœceſi viguerit eatenus ſanctio Tridentini, ut ſaltem unus dies inter ſuſceptionem Minorum, & Subdiaconatûs interjiciatur, & proinde ſanctioni Tridentini nihil ſit derogatum quoad interpolationem. Reſpondi ad hanc à ſapientiſſimo Præſule Domino Georgio Sigiſmundo Suffraganeo non ſemel motam objectionem, privilegium, atq; gratiam non perire per ſolum non uſum. Laymannus & Aſcan. Tamburin. quos in ſimili retuli ſuprà *Tr.* 3. *Caſ. IX. num.* 270. atqui Concil. Trident. ut refero infrà *num.* 490. expreſſè permittit Epiſcopis, ut diſpenſent, ſaltem quando utilitas Eccleſiæ id expoſcit, expoſcebat autem utilitas Eccleſiæ Arbonenſis, ut ille candidatus promoveretur citiùs ad ſacerdotium, functurus Officio Capellani vacante Capellaniâ. d

Adde quòd aut abſolutè generali, aut ferè generali conſuetudine Germaniæ ſit receptum, ut Domini Ordinarii, quoad interſtitia diſpenſent ex quavis rationabili cauſa, & nominatim in hac Diœceſi. Habet autem P. Palaus *loc. cit.* meritò pro rationabili & ſufficiente cauſa ad Subdiaconatum jungendum uno eodémque die quatuor Minoribus, primaque, ut exprimit etiam P. Dicaſtillo, Tonſuræ, procurationem Capellaniæ, ad quam eſt quis præſentatus. e

Propter

Propter has, aliáſque cauſas fuit ille, de quo noſter Caſus *Rarus*, & hîc loci rariſſimus potitus petitâ gratiâ, ſicuti alius (meo judicio priùs requiſito) eaſdem ob cauſas die *29*. Biſſextilis Febr. *1676*. qui etiam nequiverat pridie inſigniri Tonſurâ & Minoribus, & tamen erat præſentatus ad Capellaniam deſtitutam miniſtro.

464 Sed & quando in literis diſpenſationum extra tempora fit copia accipiendi tres Ordines tribus diebus feſtivis, intelligitur de interpolatis, ſicuti quandoque exprimitur in illis Brevibus. Et licèt non exprimatur, ſubintelligendum eſt. Ideóque in Privilegiis noſtræ Societatis ponitur tanquam gratia prorſus ſingularis hæc clauſula: *Tribus diebus feſtivis etiam continuis*, éſtque hæc gratia incommunicabilis cæteris Ordinibus Religioſis, etſi de cætero habentibus communicationem nobiſcum P. Eſcobar tamen *loc. cit. Cap. 6. num. 88*, nominat alias Religioſas Familias, quibus etiam eſt *directè* præſtita hæc gratia.

Quin vidi ipſe diſpenſationem, cuidam Helvetio è plebe impertitam ab Alexand. VII. die 10. Julii Anno 1660. hiſce formalibus: *Ut à quovis Epiſcopo &c. ad Sacros Subdiaconatûs, Diaconatûs, & Presbyteratûs Ordines tribus Dominicis, ſeu aliis feſtivis diebus continuis, vel interpolatis, etiam extra tempora ad id à jure ſtatuta, & interſtitiis non ſervatis, annique curriculo non exſpectato ad titulum patrimonii, ſeu perpetui Beneficii Eccleſiaſtici, dummodo illud pacificè poſſideas, illiúſque redditus ad congruam ſuſtentationem ſufficiant, libere, & licite promoveri valeas, indulgemus.* Porrò cauſa unica hujus tantæ gratiæ (in qua nulla mentio ætatis) exprimebatur hæc: *Qui, ut aſſeris, ut parentibus tuis ſolatio eſſe poſſis, & fervore devotionis accenſus &c.* In qua diſpenſatione, cui conſimilem etiam legi, cernis inprimis gratiam de feſtis non interpolatis, deinde eandem gratiam fuiſſe impertitam ob cauſam minimè urgentem, re enim verâ parentes illius diſpenſati nullo modo egebant operâ filii. Hæc autem tam facilè diſpenſandi conſideratio me multùm confirmat in eo, quod obſervo *n. 737.* videlicet, modò bonâ fide procedatur in petenda diſpenſatione ſuper ætate, atque adſit à parte rei aliqua cauſa, ob quam ſoleat impertiri Breve diſpenſationis, certò illam reapſe concedi, & proinde non eſſe multùm ſcrupuli habendum in executione, quando executor deprehendit, revera ſubfuiſſe tunc juſtam cauſam, quando fuit Romæ expedita gratia, eandémque fuiſſe propoſitam, & adhuc ſubſiſtere.

465 Aliquibus ex dictis hoc *Caſ. XII.* lucem adferent ea, quæ legere eſt infrà *in Append.* ſubjicienda huic *XII. Caſui* poſt *n. 495.* Interim

A concluſione ſuperiore excipe Epiſcopatum. Etenim ſi creeris die Dominico Sacerdos, poteris eodem die ungi in Epiſcopum. Siquidem ad Epiſcopatum non extenduntur Canones ſuprà relati. P. Palaus *loc. cit. n. 4.* contra P. Suarez, teſtans eſſe communem. Ratio eſt, quia Epiſcopatus non diſtinguitur, niſi *inadæquatè* à Sacerdotio. Suprà *Caſ. V.* Intelligitur autem hæc doctrina, ut notat Palaus, in Caſu, quo creaberis illo die Dominico Sacerdos, vel ex diſpenſatione, vel ſine diſpenſatione, ob cauſam nunc adferendam.

466 Etenim quando Epiſcopus nequit Sabbato 4. temporum abſolvere totam Ordinationem, permittitur ipſi in *c. Literas. De Temp. Ordin.* ut partem differat in Dominicum diem, ita tamen, ut illo die Dominico non conferat ullum Ordinem Sacrum iis, quibus die Sabbati contulit aliquem Sacrum. Si enim ei, quem die Sabbati creavit Diaconum, conferret (continuato diei Sabbatini jejunio) die Dominico Presbyteratum, cenſeretur uni & eidem contuliſſe duos Majores, ſeu Sacros Ordines uno die, eò quòd dies Dominicus reputaretur unus, idémque dies cum Sabbatino, ídque propter continuationem jejunii. Sicuti expreſſè traditur in illo *cap.* & ab omnibus Summiſtis, ac Theologis aliis differentibus de materia hujus Caſûs *duodecimi*. Porrò quale jejunium obſervandum tunc ſit Epiſcopo Ordinatori, & Ordinandis, dixi *Caſ. IX. num. 355.*

467 Quibus addo, ſicuti permiſſum eſt Epiſcopo, partem Ordinationis transferre in Dominicum, quando nequit totam abſolvere in Sabbato *Cap. Literas. De Temp. Ordin.* & omnes DD. ſingulariter mox citandi, ita etiam fas eſt ipſi, totam omnino transferre in eandem Dominicam, ſi nequit inchoare præcedendi Sabbato, modò continuet jejunium. Ita ſentiunt, ſi attentè legantur Silveſter V. *Ord. 2. q. 6* Laymannus *cit. Tr. 9. Cap. 8. n. 5.* Palaus *cit. Tr. 27. punct. 13. n. 3.* Jordanus *n. 421.* Villalobos apud Dianam *Part. 2. Tr. 2. miſcellan. Reſol. 30.* Eſcobar. *cit. Lib. 23. n. 433.* dicens: *Poteſt Epiſcopus. Majores Ordines exhibere manè diei Dominicæ, ſi ob gravem infirmitatem non potuit. Sabbato gerere Ordinationem generalem.* Nec diſſentiunt, ſed potiùs inclinant Sanctgallenſ. *Tom. 10. Tr. 3. q. 2. concluſ. 3.*

Et meritò ſic ſentiunt illi DD. etenim *in Cap. Quod à Patribus. diſt. 75.* abſolutè dicitur, *eſſe ejuſdem obſervantiæ, ſi manè ipſo Dominico continuato jejunio celebretur Ordinatio.*

468 Porrò cenſetur tunc non poſſe Epiſcopus inchoare die Sabbati, quando intervenit vel infirmitas, ut loquuntur omnes citati, vel *qualecunque impedimentum*, ut exprimit Jordanus *loc. cit.* vel quando generatim habet rationabilem cauſam differendi, ut loquuntur P. Laymannus, & P. Palaus, ſi videlicet tam ipſe Epiſcopus, quàm Ordinandi continuent jejunium, de quo ſuprà *Caſ. IX.* hanc quippe conditionem exigit expreſſè citatus Canon *Quod à Patribus.* Gloſſ. *ibid.* Silveſt. & omnes alii. Ut videlicet per continuationem jejunii dies Dominicus retrotrahatur quodammodo in diem

Sabbati-

Digitized by Google

Sabbatinum, fiátque *fictione juris* dies unus cum Sabbato. Ergò, quod licet Sabbato, licebit quoque Dominico. Etenim una eadémque res non debet diverſo jure cenſeri, inquiunt paſſim Jureconſulti. Et de ſimilibus (quantò magis de duobus in unum conflatis?) ſimile eſt judicium habendum *Cap. 2. De Tranſl.* Et ſi omnium ſententiâ Ordinatio cœpta die Sabbati valet continuári die Dominicâ, cur non & inchoari, ſi nequit die Sabbati? Et ſic ſuaſi primùm hodie in eventum infirmitatis formidatæ.

469 Quòd ſi non continuetur tam ab Ordinatore, quàm Ordinando jejunium Sabbatinum, tum nequeunt abſque ſpeciali Privilegio conferri die Dominico Majores. Expreſſe Suarez *de Cenſ. Diſp. 31. ſect. 1. num. 42.* concordantibus Canonibus, & Doctoribus ſuprà nominatis, cum Barboſa *in cit. c. Literas.* Niſi enim jejunium continuetur, cenſebitur dies Dominicus æquè ſecundùm jus Canonicum, atque politicum dies diſtinctus à Sabbato.

Excipe hinc Epiſcopatum, omnes enim, teſte Abbate *in cit. cap Literas.* fatentur, illum, qui die Sabbati quatuor temporum promotus eſt ad Ordinem Preſbyteralem, poſſe, non continuato jejunio, die conſequenti ſublimari ad Epiſcopalem.

470 Notanda eſt illa ſuperior doctrina, quia poteſt eſſe uſui, nominatim quando Epiſcopus ob paroxiſmum febrilem triduanæ, vel quadriduanæ febris nequit fungi Officio Epiſcopali, quidni enim tunc *licitè* differat totam Ordinationem in Dominicam diem? Si enim adſint multi canditati, iíque ex locis remotis profecti, quidni tunc ſuppetat juſta cauſa ſectandi *practicam* doctrinam Silveſtri, Jordani, aliorum ſuprà *n. 355.* relatam de ſufficientia jejunii *Eccleſiaſtici*? Quam ſufficientiam defendit reflexè P. Eſcobar *loc. cit. n. 435.* addens Marchinum, & Leandrum.

471 Ex quibus omnibus infero, illum, de quo Caſus *nonus num. 350.* potuiſſe (ſi nihil aliud obſtitiſſet, quàm defectus jejunii *naturalis*) creari Sacerdotem die Dominico. At inquies: *Cur ergo id non ſuggeſſiſti*? Reſpond. I. Quia non aderat ſufficiens cauſa rogandi Reverendiſſimum D. Suffraganeum, etſi de cætero perfacilem ad ſua Officia Pontificalia præſtanda Clericis, ut ſequeretur illam Doctrinam Silveſtri de jejunii *Eccleſiaſtici* ſufficientia. II. Quia nondum conſcripſeram hoc Alphabetum. Fortè neq; tu in arena reſponderes, *ſi non aràſſes in vitula mea*, ut loquar cum Samſone, niſi videlicet legiſſes hunc tractatum. Doctrinæ non niſi obiter, & quaſi per tranſennam, ut hæc, traditæ à Scriptoribus, & non ſolitæ proponi in tribunali Sacro, vel ocurrere in exteriore foro, non conſueverunt in ſubitaneis eventibus ſuccurrère memoriæ. Jam ultra viginti Annos impenderam docendæ Theologiæ, & pleroſque omnes Morali, cùm hæc commentarer, attamen non repereram Scriptores, qui *directè*, aut *clarè* diſſolvant permulta dubia *practica* non levis momenti, quæ mihi ſuboriuntur componenti hoſce tractatulos, quemadmodum tutè fateberis, ſi diligenter eos evolveris. Reminiſcimur in tempore ea, quæ explicata, non quæ implicata legimus. Quare autor ſim, ut tot libris de materiis rerum Moralium jam editis addantur adhuc plures, ut de Theſauro Caſiſtico partim nova (non tamen adverſantia receptis principiis) proferantur, partim vetera, ſed quà ſubobſcura ſunt, donentur luce.

SECTIO II.

An feſto, & ſervatis interſtitiis conferendi ſint Ordines?

SUMMARIUM.

An per dies feſtivos, quibus conferuntur quandoque Ordines, intelligantur feſti fori? 472.
An Epiſcopis ſequenda ſit mitior circa hanc rem ſententia? 477.
Declaratur caſu vero. 478.
Nova explicatio clauſula : feſto de præcepto : 482.
Quid ſi feſtum celebretur in ſolo Monaſterio? 486.
Quid ſi ex ſola devotione in foro? 487.
Caſus volentis ordinari pridie Pentecoſtes. 488.
Quod interſtitium temporis ſit interponendum inter ſingulos Ordines? 490.
In Germania communiſſimè dantur uno die omnes Minores. 492.
Circa interſtitia diſpenſat Epiſcopus, dans dimiſſorias 493.
Salubris Conſtitutio Conſtantienſis circa ſervantes interſtitia. 494.
Refertur diſpenſatio Papalis continens varias gratias circa promotionem. 495. in App. 1.
Quomodo intelligenda clauſula: Dummodo alicui Eccleſiæ te adſcribas? *Ibid. lit. d.*

DIco I. Eſt quidem probabilius, per dies feſtivos, quibus vel ex jure communi permittitur Minorum Ordinum, vel ex diſpenſatione Pontificia Majorum Ordinum collatio, intelligi dies illos ſolos, qui *in choro* ſimul, & *foro* celebrantur feſtivè, attamen contraria opinio aſſerens, ſufficere, ſi celebrentur *in choro*, eſt tam *ſpeculativè*, quàm *practicè* probabilis, ut rectè Palaus *Tr. 27. punct. 13. n. 13. in fin. Primam* partem, quæ communiſſima eſt Gloſſæ *Cap. 2. De Temp. Ordin.* Silveſt. *V. Ordo 2. q. 6.* Jordan. *n. 411.* Palai *p. 13. n. 2.* Eſcobar. *Theol. Moral. Lib. 23. probl. 124.* probantis etiam ex Calepino *V. Feſtus dies*, defendit omnium fuſiſſimè Cardin. de Lugo *in Reſponſ. mor. Lib. 1. dub. 23.* tum quia in vulgari ſignificatione nomine *feſti* intelligitur dies, quo vacatur ab operibus ſervilibus, ut conſtat ex titulo *De feriis*, tum quia ſi vellemus hîc intelligere illos dies omnes, qui in Breviario vocantur *feſti*, deberemus etiam intelligere feſta ſimplicia. Nam æquè ac Duplicia vocantur in Breviario *feſta* 472

tum

Digitized by Google

473 tum quia Urbanus VIII. in nova recognitione Pontificalis in titulo de *Ordinibus conferendis* mandavit expreſſè addi, Minores Ordines poſſe conferri omnibus diebus Dominicis, & diebus *feſtivis ex præcepto*, ut nemo ampliùs poſſit prætendere, ibi non comprehendi etiam dies, qui in Breviario appellantur feſta. Ita Lugo *loc. cit.* Cujus explicationem ſecuta eſt in praxi non ſemel Curia Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. Federici Borromæi (poſtea Cardinalis Eminentiſſimi (dum fungeretur Officio Nuntii Apoſtolici ad Helvetos. Vidi enim haud ſemel diſpenſationes inde pro *extra* expeditas cum expreſſione feſtorum *de præcepto*. Quas haud dubiè tenebantur exequi, & reipſa executi ſunt ad literam ii, quorum intererat, atque etiam habet modernus ſtylus noſtræ Curiæ Conſtantienſis, & S. D. N. Clementis X. ut non ſemel expertus ſum.

474 Abſtrahendo autem à Caſu, quo eſt inſerta clauſula *de præcepto*, contrariam Cardinali de Lugo ſententiam eſſe *practicè* probabilem, liquet inde, quòd in terminis eam doceat Rodriq. *Tom.* 3. *q.* 23. *a.* 5. teſtans, & probans, Clementem VIII. ita declaràſſe, extendendo etiam ad feſta Semiduplicia, quam extenſionem admittit etiam Eſcobar *num.* 469. ſed ſolùm reſpectu Ordinum Minorum. Eandem de quovis duplici ſententiam tenent apud Dianam *Part.* 5. *Tr.* 13. *Reſol.* 77. Joannes Præpoſitus, Fagundez, Homobonus, ipſemetque Diana ac recentiſſimus Corona *de Dignit. & poteſt. Epiſcop Tr.* 2. *Cap.* 15. §. 9. *n.* 17. Et rectè quidem pro hac ſententia referuntur à Diana Præpoſitus, atque Fagundez. An autem rectè Homobonus, ignoro. Quia non repræſentat Diana verba illius, Tannerus *Tom.* 4. *diſp.* 7. *q.* 3. *num.* 44. ſolùm deſcribit verba Pontificalis, relata ſuprà *n.* 451. Eſt autem quæſtio, utrùm per dies feſtivos intelligantur ſoli feſtivi *in foro externo?* Ergo Dianæ non favet, niſi dubiè, Tannerus, ſicuti nec Gavantus, vel Hallier, quos ſuccenturiat ipſe Tannero. Nihilominus tamen hæ tres ambiguæ autoritates, & quatuor, vel quinque aliæ claræ pariunt huic mitiori ſententiæ probabilitatem *practicam*, loquendo etiam cum Diana, Præpoſito, Fagundez, Rodriquez, de feſto Duplici *ad libitum*, ut etiam agnoſcit Tamburin. *de jur. Abbat. vol.* 2. *diſp.* 2. *quæſt.* 13. *n.* 7. addúntq; in conſcientia tutum eſſe Epiſcopum, qui eam ſequitur, nec timenda eſt ulla pœna, ubi nulla ſubeſt culpa.

475 *Speculativam* probabilitatem gignit tum Declaratio Clementis VIII. de qua Rodriquez, & quem apud Eſcobar *loc. cit. problem.* 123. admittunt Villalobos, & Ludovicus de S. Joanne, ſicuti & R. P. Yſon Pfaw *in Collectario Privileg. p.* 1. *Sect.* 3. §. 1. tum quia generatim Leges, præſertim habentes adjunctam pœnam, mitiùs interpretandæ ſunt. *text. Leg. Benignius. ff. De Reg. jur.* Unde teſtatur Eſcobar *loc. cit. problem.* 108. *num.* 423. homines noſtræ Societatis gaudentis Privilegio, de quo ſuprà *n.* 464. fuiſſe à non paucis doctiſſimis Epiſcopis Ordinatos feſtis Duplicibus in ſolo choro. Et alumnis Pontificiis eadem gratia conſuevit præſtari Auguſtæ Vindelicorum.

Ad *primum* argumentum Cardinalis reſpondetur, exprimi in Pontificali dies feſtivos 476 *Duplices*. Ad autoritatem Pontificalis reſpondetur, Gavantum *in Rubr. Miſſal. p.* 1. *Tit.* 7. *lit. N.* teſtari, ſe ſcire, quòd ſine autoritate Superiorum fuerit in Miſſali impreſſo Romæ Anno 1651. poſitum, quòd in Miſſis votivis pro gratiarum actione prima Oratio ſit terminanda ſuâ concluſione: *Per Dominum noſtrum &c.* Quid ſi etiam ſine autoritate Urbani fuit ſuperiùs addita clauſula: *De præcepto?* Adde, quòd illa clauſula: *De præcepto*, ſit controverſa, ut paulò pòſt mirabundus videbis. 477

Unde neſcio, quare quidam Epiſcopi Theologus cum ipſo olim de hac opinione in praxi ſervanda nimiùm ſcrupulis agitaretur. Eſt enim hæc opinio ſatis probabilis, & ideo, me conſulente, ne timeant Epiſcopi illam in praxin adducere. His omnino verbis aliquantùm ambiguis (ſed tamen reipſa indicantibus, illum Theologum cum ipſomet Epiſcopo fuiſſe nimiis ſcrupulis agitatum) concludit illam *Reſolutionem* 97. Diana. Ita & ego concluderem, ſi is eſſem, cui fas eſſet ſuggerere Conſilium Terreſtribus Diis, ſicuti Dominos Epiſcopos nuncupat S. Clemens Rom. *Conſtit. Apoſt. Lib.* 2. *Cap.* 30. ita, inquam, concluderem in ſimili huic

Caſui frequenti.

M*Aurus noſtræ Cathedralis Eccleſiæ Canonicus Anno* 1659. *deduxit ad me Honorium, nunc quidem ejuſdem Cathedralis etiam Canonicū, at tunc Iuvenem literis Philoſophicis, Theologicis, & Canonicis non tinctum duntaxat, ſed & probiſſimè imbutum, origine quidem Conſtantienſis Diœceſis, at verò procul inde commorantem, cupidum verò ſuſcipiendi Minores Ordines hic Conſtantiæ, & quidem die S. Galli Abbatis, ſoliti per totam Diœceſin coli officio Duplici, non tamen* in foro. *Ideo autem id cupientem, quòd juſta de cauſa nollet abire Conſtantiâ, niſi Clericus effectus, non tamen poſſet ſine incommodo peculiari expectare diem Dominicum. Quæſivit ergo ex me uterque: An ſalvus Eccleſiæ legibus, poſſet id peti?* 478

Reſpondi, poſſe. Motus rationibus, autoritatibus adductis, & conſideratâ tum præcipuè rationabili cauſâ Oratoris, tum etiam aliquantum illâ, quòd dies S. Galli feſtiviſſimè celebretur in parte hujus Epiſcopatûs. Unde videri queat Eccleſia noſtra Cathedralis, quæ omnium Diœceſanarum mater eſt, *Argument. Cap. De iis d.* 12. gaudere aliquatenus gratiis ſuarum filiarum. Quanquam, ut verum fatear, hæc 479

at, hæc ratio me parum movit, licèt Barboſa *de Offic. Epiſc. alleg. 11. num. 18.* & Palaus *Part. 13. num. 2 abſolutè* ſcribant: *Sufficit, ſi in ſua Diœceſi ſit ſolemnitas diei feſti.* Et Corona *loc. cit.* rectè ſcribat, ſufficere pro Religioſis, ſi in eorum Monaſterio, aut Religione celebretur ſolenniter aliquod feſtum, eſto non alibi. Quidquid ſit, fuit, ſed poſt longam tergiverſationem, admiſſus ille D. Maurus, ſicut & Anno 1678. facile, me etiam ſuadente, alius ob imminens, aliquale periculum, ne non perveniret reipſa ad Beneficium, ob cujus intuitum Illuſtriſſimus D. Nuntius, Lucern. diſpenſârat cum eo, expreſſâ quidem clauſulâ: *Tribus diebus feſtivis*: at omiſſâ alterâ: *De præcepto.* Sed audi inexpectatam fortè reſponſionem ad hunc

Caſum ſatis novum.

480 **M***Artialis accepit Anno N. ab Illuſtriſſimo D. Nuntio Apoſtolico diſpenſationem conſtantem his verbis*: Diaconatûs, & Preſbyteratûs Ordines in diebus Dominicis, vel aliis de præcepto feſtivis diebus extra tempora à jure ſtatuta, minûſque ſervatis à Concil. Trident. deſignatis interſtitiis libere, & licitè ſuſcipere poſſis, & valeas &c. dummodo verè competenter Beneficiatus, & arctatus exiſtas &c. *Me convenit ille Martialis, quærens, an ſtante hac clauſulâ, poſſet petere, & accipere Preſbyteratum die quarto Iulii, quo per totam Diœceſin in Choro celebratur ritu Duplici feſtum S. Vdalrici Epiſcopi Auguſtani. Conventus etiam fuit quidam alius vir ſanè doctus, & ingenioſus. Fuerunt duorum capitum licèt amicorum duæ ſententiæ. Reſpondi ego, non videri licitam petitionem. Iudicavit alter licitam petitionem, conceſſionémque. Mitioris hujus judicii cauſa unica adferebatur, quòd ſcilicet clauſula illa*: Feſtivis de præcepto *videatur opponi duntaxat feſtivis devotionalibus, & ad lubitum, ſicuti opponitur in Breviario, nominatim in Rubrica præfixa feſto S. Alexii Confeſſoris die 17. Iulii. Feſtum verò S. Vdalrici ſit Conſtantiæ feſtum non ad lubitum, non merè devotionale, ſed ex præcepto Diœceſano, tametſi in ſolo Choro.*

481 Potuiſſet idem vir doctus in robur ſuæ explicationis adducere Dianam *Part. 5. Tr. 13. Reſol. 97.* Verſ. *ſed his non obſtantibus* ita loquentem: *Aliqui tenent, dies feſtivos tam in Ordinibus Minoribus, quàm in Majoribus ſumendis ſufficere, ut ſint de feſto Duplici, licèt non ſerventur Eccleſiæ præcepto, neque in illis abſtineant ab operibus ſervilibus.* Ita ille. Sed clariùs adhuc Aſcan. Tambur. *de jure Abb. Vol. 2. diſp. 2. quæſito 13.* qui cùm *abſolutè* concluſiſſet *num. 6.* dies feſtivos, quibus oportet conferre Ordines, debere eſſe *de præcepto*, mox tamen *num. 7.* ſcribit: *An autem nomine diei feſti intelligatur dies in quo à laboribus ſervilibus populus ceſſat, an verò ſufficiat, quòd ſit dies Duplex, licèt non ſit feriatus, non parva dubitatio eſt.* Ecce! quàm clarè hic autor diſtinguat feſtum *de præcepto* à feſto vacuo laboribus ſervilibus

Hiſce tamen non obſtantibus, fuit ille D. Martialis, ſicuti & Anno ſuperiore in Diœceſi N, ut mihi poſt hæc ſcripta ſignificatum fuit, unus alius, juſſus expectare diem Dominicum, & meritò. 1. Quia Cardinalis de Lugo *loc. cit. dub. 43. num. 3.* ſupponit tanquam ab omnibus admiſſum, quòd per feſta *de præcepto* non intelligantur, niſi illa, quibus ex præcepto debet populus abſtinere à laboribus ſervilibus. Id etiam apertè ſupponit Suarez *de Relig. Tom. 1. Lib. 2. de feſtis Cap. 10. num. 1.* Supponunt quoque omnes Summiſtæ, & Theologi, quando quærentes, quibus diebus obliget præceptum audiendi Sacri, ajunt, omnibus Dominicis, & feſtis, *quæ ſunt de præcepto.* Vide inter cæteros Silveſtrum *verb. Miſſa 2. quæſt. 1.* & Fumum *eod. verb. num. 29.* Neque huic generali loquendi modo derogare poteſt anceps modus loquendi Dianæ, juſto clarior Tamburini, haud rectè jungentis Suarium Rodriquezio, & Stephano Fagundezio. 482

2. Quia reſcripta non debemus in praxin redigere juxta interpretationem unius tantùm Scriptoris, aut alterius, sed ſecundùm communem doctis, & indoctis, *Cap. Literis De ſponſ. L. Labeo, ff. De ſupell. leg.* non videtur autem quiſquam doctus, aut indoctus hactenus in ejuſmodi diſpenſationum literis per Feſtum *de præcepto* intellexiſſe illud, quod celebratur in ſolo Choro. 483

3. Quando noſtri Germani dicunt: Ein gebottner Feyrtag / & Galli: *Vne feste de commendement*, ſemper intelligunt feſtum chori, & fori, ſicut & Itali *per la feſta di precetto*. Quid ergo hîc fingamus novas explicationes? 484

4. In communi Bulla pro Oratoriis privatis, quam totam exhibeo *in Alphab. Sacri, & Breviarii Caſu XVI. num. 347.* ponitur, hæc clauſula: *Volumus, quòd familiares &c. ibidem Miſſæ intereſſentes ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia diebus feſtis de præcepto minimè liberi cenſeantur.* Manifeſtum eſt, hîc per feſta *de præcepto* intelligi ſola, quæ ſint *chori, & fori.*

5. Cenſetur quiſque præſertim Princeps, Principiſque ſuppar intelligere, & intelligi velle ſua verba eo ſenſu, quo exponeret, ſi interrogaretur. Argumento communis doctrinæ, quòd ſtatuens præſumatur ſtatuiſſe id, quod ſtatuiſſet, ſi interrogatus fuiſſet. Atqui ſi fuiſſet interrogatus Illuſtriſſimus D. Nuntius de ſenſu

Digitized by Google

ſenſu illius Clauſulæ, prompſiſſet illum noſtrum. Denique ſi valet allata explicatio, fas erit, quolibet feſto Simplici notato in Breviario præſtare illud miniſterium.

485 Ad rationem petitam ex modo loquendi in Breviario, reſpondetur, omnia verba eſſe intelligenda ſecundùm ſubjectam materiam, ut ſæpe inculcant Jureconſulti. Eſto ergo per feſta *de præcepto* intelligantur in Breviario feſta oppoſita devotionalibus, ſeu ad libitum, non tamen ita intelliguntur in materia de temporibus Ordinationum.

Eam ob rem cùm R. P. Rector Collegii N. mihi ſcripſiſſet die 2. Auguſti Anno 1667. Reverendiſſimum Dominum Proepiſcopum N. meorum amatorem libellorum, cupere ſcire meum ſenſum, an ſcilicet ſibi liceat in Duplicibus, quæ in foro non celebrantur feſtivè v. g. S. Auguſtini, & ſimilium, Ordines conferre; exiſtimare enim illum, hoc ſibi licere tantùm in Dominicis, & Duplicibus, quæ etiam in foro celebrantur feſtivè. Reſpondi, *inprimis* videri mihi unicè veram illius Reverendiſſimi Domini exiſtimationem, ſi ſermo ſit de diſpenſatis, in quorum ſcilicet literis diſpenſatoriis ponatur clauſula: Feſtivis *de præcepto*. Reſpondi *deinde*, licèt in noſtris, aliorúmque Ordinum Mendicantium Privilegiis de noſtris promovendis ad Sacros Ordines tribus diebus feſtis, etiam non continuis omittatur clauſula: *De præcepto*, non tamen mihi videri utendum extra aliquam neceſſitatem hoc privilegio, niſi in feſtis *de præcepto*. Cùm enim hoc Privilegium ſit tam magnum, ut Pontifex nolit extendi ad eos Regulares, qui cæteroquin ampliſſimâ participatione gaudent noſtrorum Privilegiorum, par omnino eſt, ut eo perquam moderatè utamur, cùm ſpectet actum adeò ſolemnem, ut proinde videatur rarò occurrere ſufficiens cauſa ad petendam illam gratiam pro duobus diebus feſtis ſolius Chori, at crebriùs pro uno. Reſpondi *tertiò*, quod attinet ad alios, qui nixi ſolo jure communi petunt extra tempora Ordines Minores, ſentire me hodieq; idipſum. Quod ſcripſi ſuprà *n. 474. & 477.*

486 At inquies: *Quid ſi feſtum celebretur ſolenniter in ſolo Monaſterio, poteritne Abbas illic conferre Minores?*

Reſp. cum Aſcan. Tamburino *cit. quæſt. 13. n. 6.* & Coronâ relato ſuprà *n. 479. affirmativè*:

Ergo poterit Epiſcopus ibidem creare etiam Sacerdotem?

Reſp. Poterit, quia eſt Privilegium locale.

487 Inquies rurſum: *Quid ſi feſtum celebretur quidem in choro. & foro, ſed tamen in foro ex ſola devotione?*

Reſp. Quia Papa videtur habere potiùs rationem ipſiuſmet ſolennitatis publicæ, quàm qualitatis præcepti, ideo cenſerem etiam tunc fas eſſe, uti gratiâ Pontificiâ. Quod ipſum abſque controverſia dices, quando feſtum obſervatur quidem *de præcepto* in tota urbe, ſed tamen ſolùm ante prandium, ut quandoque Lucernæ Helvetiorum.

Hanc ſatis prolixam diſputationem de temporibus Ordinationum claudo hoc 488

Caſu quæſtionis multùm Novæ.

ANno 1660. 13. Maji vir Clariſſimus gradu & virtute D. Ioann. Raſſlerus, cum Longino agnato ſuo, adepto diſpenſationem accipiendi Ordines extra tempora, vehementer cupiebat ex me cognoſcere, an hic ſuus agnatus non poſſet pridie Pentecoſtes initiari 4. Minoribus Ordinibus, quandoquidem avebat die Pentecoſtes imminente ſuſcipere Subdiaconatum.

Reſpondi. Licèt Vigilia Pentecoſtes celebretur quoad Miſſam ritu Duplici, non tamen quoad Breviarium. Et deinde illam Vigiliam eſſe reverà duntaxat feriam, non autem feſtum Semiduplex, Duplex, aut Simplex, à me autem non lectum (licèt aliquos referat Eſcobar ſuprà *n. 454.*) autorem, qui permittat collationem Minorum Ordinum ullâ feriâ niſi quartâ, ſextâ, & Sabbato 4. Temporum &c. Si cauſa urgeat, eſſe potiùs uno die jungendos Minores Ordines Subdiaconatui, juxta diſputata ſuperiùs. Acquievit uterque reſponſo. 489

Dico II. Licèt non ſit jure determinatum, quantum temporis debeat intercedere inter ſuſceptionem unius è Minoribus, & alterius, & proinde omnes unà cum Prima Tonſura conferantur, attamen Concil. Trident. *Seſſ. 23: Cap. 11. De Reform.* ſtatuit, *ut non niſi poſt Annum à ſuſceptione poſtremi gradûs Minorum Ordinum ad Sacros Ordines promoveantur, niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas judicio Epiſcopi aliud expoſcat.* De Subdiaconandis *Cap. 11: Hi* (Miniſtæ) *non niſi poſt Annum à ſuſceptione poſtremi gradûs minorum Ordinum ad Sacros Ordines promoveantur, niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas judicio Epiſcopi aliud expoſcat.* De Diaconandis *Cap. 13.* ſic: *Promoti ad Sacrũ Subdiaconatûs Ordinem, ſi per Annum ſaltem in eo non ſint verſati, ad altiorem gradum, niſi aliud Epiſcopo videatur, aſcendere non permittantur.* Deniq; de Preſbyterandis *Cap. 14.* ſic: *Hi ſint, qui non modò in Diaconatu ad minus Annum integrum, niſi ob Eccleſiæ utilitatem, ac neceſſitatem aliud Epiſcopo videatur, miniſtraverunt, ſed etiam &c.* 490

Ubi vides, inprimis rem totam committi quidem arbitrio (prudenti, non autem mero. Jordan. *loc. cit. n. 432.* Barb. *De Offic. Epiſc. alleg. 18. n. 4.* & alii.) Epiſcopi, ſed cum conſideratione vel utilitatis, vel neceſſitatis Eccleſiæ *disjunctivè* reſpectu Subdiaconatûs & Diaconatus: reſpectu verò Preſbyteratûs *copulativè*, ut ſcilicet adſit tam neceſſitas, quàm utilitas. Rodriq *qq. Regul. q. 24. n. 6.* Bonac. *De Ordin. punct. 6.* Barb. *loc. cit.* Jord. *n. 436.* patétque ex litera. 491

 Nihil-

Digitized by Google

492 Nihilominus tamen videtur generali conſuetudine Germaniæ plurimùm derogatum his Decretis. Quia nuſquam obſervantur, ut jacent, ſed nihil communius, quàm ut omnes planè (niſi intercedat defectus doctrinæ, morum &c.) intra dimidium Annum, & quibuſdam in locis intra ſex hebdomadas Quadrageſimæ aſcendant ab infimo ad ſupremum. Ita ut non putem, quemquam rejici, ſeu retardari ea ſola de cauſa, quòd non ſervet interſtitia. Quanquam noſtræ Conſtitutiones Synodales *Part. 2. Tit. 23. num. 13.* ita habeant: *Conetur Vicarius noſter, ut quantum fieri poteſt, ſaltem aliqua ex parte obſerventur interſtitia.* Quorum quidem ea eſt adhuc reverentia, ut hodiéque locum habeat reſolutio hujus

Caſûs.

493 *Maro Subdiaconus è Diœceſi Lauſanenſi venit ad Diœceſin Conſtantienſem cum dimiſſoriis, facientibus quidem jus recipiendi Ordines à quovis Epiſcopo Catholico &c. At non facientibus mentionem diſpenſationis ſuper interſtitiis, ideóque Reverendiſſimus D. Vicarius Generalis renuit illum ulteriùs promovere, cum nequaquam expletum eſſet tempus interſtitiorum. Me igitur convenit ille Maro petens conſilium, vel auxilium.*

Reſpondi, nullum poſſe à me præſtari. Etenim Pax Jord. *loc. cit. n. 440.* loquens de interſtitiis reſpectu dimiſſi, ſic in terminis ſcribit: In concedendis dimiſſoriis *ſemper opus eſt diſpenſatione expreſſa, vel quòd Ordinatori ſpecificè facultatem concedat. Talis enim diſpenſandi poteſtas pertinet ad concedentem dimiſſorias, non ad Ordinantem, Sacra Congregatio Conc. Trident. teſte Piaſecio* in praxi P. 1. Cap. 1. num, 11. *licèt in reliquis poſſit Ordinator diſpenſare, ſicut poſſet Ordinarius. Quia conceſſâ Ordinandi poteſtate, videntur conceſſa quoque illa, ſine quibus non poteſt Ordinatio expediri.* Arg. Cap. *Preterea.* De Offic. deleg. Ita Jordanus in terminis conſentiente etiam quoad primum membrum Navarro *de Temp. Ordin. conſ. 6.* Barboſâ *alleg. 18.* & Mirandâ *apud ipſum.*

494 Ego quidem minimè dubito, quin is, qui Maroni dedit dimiſſorias, fuiſſet additurus diſpenſationem, quoad interſtitia, ſi veniſſet in mentem, ſed video, Dominos Ordinarios non libenter uti in ejuſmodi Caſibus præſumptâ voluntate dimittentis, niſi habeant claram autoritatem. Regula 16. *in 6. Non eſt ſine culpa, qui rei alienæ ſe immiſcet*, plus habet in receſſu, quàm multi putent. Illud annoto ex citatis Conſtit. Diœceſ. *num. 9. Ad Diaconatum, & Preſbyteratum promovendi adferant etiam teſtimonia à Parochis, in quorum Parochiis interea manſerunt, quòd ſæpius Ordinem ſuſceptum exercuerint frequenter confeſſi fuerint, atque in Moribus Clerico dignam vitam duxerint.* An non eſt hoc ſaluberrimum ſtatutum?

Porrò ubi ſolet ita generaliter cum omni- 495
bus Diœceſanis diſpenſari, non audeo ſequi Jordanum *num. 437.* damnantem de mortali illum, qui ſine ulla particulari diſpenſatione ſuſcipit Ordines, non ſervatis interſtitiis & præſertim tunc non peccat, quando Ordinario oſtendit ſuas, ut vocant, formatas, in quibus exprimitur tempus, quo ſuſcepit ultimum Ordinem. Hoc enim ipſo, quòd Ordinarius talem non repellat, cenſetur diſpenſare cum illo. Barb. *alleg. 18. num. 7.*

APPENDIX. I.

Nonnulla ex dictis hoc *Caſu XII.* illuſtro gra- a
tioſo Reſcripto Alexandri VII, dato die quartâ Auguſti, Anno 1665. at mihi tradito in Originali: in, & ex quo obſervavi ſequentia. 1. Diſpenſatum fuit cum Oratore, ut poſſet à quovis Epiſcopo inſigniri omnibus Ordinibus, tum extra tempora, tum tribus diebus etiam non interpolatis. Hujus autem triplicis gratiæ exprimitur ſolùm hæc duplex cauſa; *Cùm ſicut nobis exponi feciſti, tu ex fervore devotionis, ac ob ſolatium parentum tuorum jam ſenio confectorum plurimùm cupias, &c.* 2. Poteſtas accipiendi Ordines ab alio, quàm Ordinario, limitatur hac clauſulâ: *Ab Ordinario tuo, vel de ejus, cujus teſtimonio vita, moreſque tui commendentur, licentiâ, à quocunque alio, quem malueris, Catholico Antiſtite &c.* 3. Licentia accipiendi quatuor Minores Ordines fit cum permiſſiva clauſula. *Omnes unicâ feſtivâ die.* At licentia ſuſcipiendi Majores exprimitur his verbis: *Nec non deinde ad omnes Sacros, etiam Preſbyteratûs, Ordines tribus Dominicis, ſeu aliis de præcepto Eccleſiæ feſtivis diebus continuis, vel interpolatis, etiam extra tempora ad id à Iure ſtatuta, ſub dicto* (Beneficii, vel Patrimonii) *Titulo, dummodo ad id reperiaris idoneus, & ſervitio alicujus Eccleſiæ te adſcribas, ſi nondum ſis adſcriptus, & conſtito priùs, quòd tu Patrimonium, ſeu Beneficium hujuſmodi verè, realiter, ac pacificè poſſideas, illiúſque fructus ad congruam tui ſuſtentationem ſufficiant, promoveri valeas, concedimus &c.*

Circa *primum* membrum illius Reſcripti b
(cui aliud per omnia ſimile datum die 3. Auguſti Anno 1673. vidi) obſervo: Sicuti petenti diſpenſationem in, ſeu ſuper ætate, ſufficit pro cauſa impetrationis fervor devotionis, & ſolatium parentum ſenio confectorum, ſicuti explico infrà *Caſ. XIX.* ita etiam ſufficere Romæ ad diſpenſationem pro *extra.* Et quidem parentes, quorum ſolatium intenditur, non eſt neceſſe, eſſe pauperes, aut indigentes ope filii, id quippe non exprimitur ſeu in hoc, ſeu in aliis Indultis: ergo nec nos exigere debemus. *Cap. Legatur 24. q. 2.* equidem parentes illius, cui facta eſt præſens gratia, erant, ſúntque fortunæ ſat lautæ.

Circa *ſecundum* membrum noto, non eſſe neceſſe, ut dimiſſoriis taliter diſpenſati inſeratur

Digitized by Google

ratur teſtimonium de doctrina, ſed ſufficit, ſi de moribus, qui enim è duobus unum exprimit, altero tacito, præſumitur negare, ſeu non requirere id, quod tacuit. DD. *Ex Cap. Nónne. De præſumpt.*

Unde confirmatur mos Germanorum Epiſcoporum, qui, ut refero in hoc *Tract. Octavo Caſ. IV. n. 577.* perſæpe expediunt dimiſſorias ſine teſtimonio de doctrina, ſed examen doctrinæ committunt Ordinario, ad quem dimittitur quis.

Circa *tertium* animadverto, quandoquidem Alexander Papa exigit pro collatione Ordinum Minorum diem feſtivum ſine addito: *De præcepto*, at pro collatione Majorum exprimit diſertè clauſulam *De præcepto Eccleſiæ*, minimè dubitandum videri, quin permiſerit impertitionem Minorum pro quovis feſto Duplici, etſi non celebrato in foro. Cùm enim in *primo* ex duobus tam vicinis paragraphis omiſerit illam clauſulam: *De præcepto*, in altero expreſſerit, habet hîc, ſi in ulla alia materia, locum Acroama, ſeu Regula paulò antè deſumpta *ex cap. Nónne. De præſumpt.* ſicut & illa, quòd ex vicinitate actuum magna deſumatur præſumptio. Unde ulteriùs infero, confirmari hoc etiam exemplo probabilitatem doctrinæ tradentium, per dies feſtivos ſine adjecto: *De præcepto*, deſignari generatim illos etiam, qui non ſunt de præcepto. Vide dicta ſuprà *n. 472.*

d Circa idem *tertium* membrum fuit à me magnopere dubitatum, inprimis quomodo intelligenda eſſet illa clauſula: *Dummodo ſervitio alicujus Eccleſiæ te adſcribas, ſi nondum ſis adſcriptus.* Deinde: an eadem importet conditionem ſine qua non? etenim ad interpretationem quod attinet, quid eſt adſcribi ſervitio alicujus Eccleſiæ? Eſtne fieri illius Eccleſiæ Beneficiatum propriè, aut amovibiliter ad nutum? Eſtne fieri cooperatorem Parochi ſine ullo jure percipiendi ullos fructûs ex Eccleſia, ſed ex Parochi patrimonialibus, vel quaſi? ſufficitne eſſe illius Eccleſiæ ſacriſtam, cantorem, organœdum cum ſolo jure percipiendi mercedem, eo titulo, quo percipiunt merè Laici? Rurſum quid eſt? *Te adſcribas*? Eſtne perinde, ac ſi diceretur: *Da operam, ut adſcribaris*? an; *Efficias, ut ſis reipſa adſcriptus, antequam fruare Beneficio diſpenſationis?*

e Hæc ego dubia propoſui illi diſpenſato, atque, omnibus perpenſis, judicavi per ſervitium, de quo in Reſcripto, non neceſſariò intelligi functiones proprias, annexáſque Beneficio Eccleſiaſtico, licèt enim, quando Nuntii Apoſtolici diſpenſant cum arctatis Beneficio, intelligant Beneficium propriè dictum, excludendo proinde *manuale. Suprà num. 458.* non tamen videtur eſſe intelligendum in præſenti Brevi diſpenſationis, cùm ipſe Pontifex *disjunctivè* exigat ab eo vel patrimonium, vel Beneficium Eccleſiaſticum. Accedit, quòd gratiæ, quas ipſe Papa *immediatè* impertitur, ſoleant eſſe ampliores, quàm quas ipſius Nuntii Apoſtolici, ut docet uſus: nihil ergo nos cogit, ut verba generalia Pontificis reſtringamus ad particularia ejus Nuntiorum. Itaque exiſtimavi ego, impletum iri eam conditionem ſervitii, dummodo Orator ſuſciperet obligationem præſtandi aliquod aliud ſervitium, e. g. cantandi, certis diebus concionandi, habendíve Catecheſin, adminiſtrandi hoc, aut illud Sacramentum pro libitu Parochi, eſto nullum ſalarium pro his officiis, ſeu ſervitiis acciperet ab Eccleſia, ſed à ſolo Parocho. Vide, quod in ſimili dixi *Tract. 3. Caſ. XVI. num. 647.*

At: *Debuitne eſſe illâ obligatione oneratus, priuſquàm frueretur gratiâ Pontificia?* Ita quidem viſum mihi fuit, at non perinde quibuſdam aliis ſapientibus, & eruditis viris. Impellebat ad id credendum, quòd ex una parte clauſula: *Dummodo*, ſive modum, ſive conditionem importet, narrata autem in gratia ſint juſtificanda ab eo, qui habet intentionem ſuam fundatam in gratia. Marta *De clauſulis Part. 1. clauſul. 34.* poſt Joann. Andr. *Cap. 1. De lit. conteſt. in 6.* ex altera autem parte videretur mihi illa juſtificatio debere præmitti uſui, fruitionique gratiæ: tum quia clauſula tam *immediatè* præcedens, quàm *immediatè* ſequens eam, de qua eſt hîc lis, abſque omni dubio importat onus conditionis implendæ ante actualem uſurpationem gratiæ; quidni ergo & illa, quæ ponitur in medio? tum quia clauſula: *Si nondum es adſcriptus.* Omnino videtur deſignare Pontificis enixam voluntatem adſcriptionis ante promotionem ad Ordinem Sacrum extra tempora ſuſcipiendum; tum denique, quia, ſi menti Pontificis ſatisfit adſcriptione poſt Sacerdotium, ergo ſufficiet adſcriptio facta decennio pòſt, & ſic reddetur fruſtranea appoſitio illius *conditionalis*, cùm è centum ſæcularibus, imò forſan è mille non ſis repertutus unum, qui Ordines Sacros ſuſcipiat ſine poſitiva intentione nanciſcendi intra breve tempus aliquod Beneficium Eccleſiaſticum, & conſequenter ſervitium alicujus Eccleſiæ, atqui nulla clauſula debet eſſe fruſtranea. Omnes Doctores. f

Quia tamen is, de quo loquimur, fuit ante omnem adſcriptionem promotus etiam ad Presbyteratum, ego autem valde ægre improbo facta Superiorum Eccleſiaſticorum, idcirco ſubjicio meum ſuperiorem diſcurſum judicio eruditi Lectoris, atque addo, illam clauſulam: *Et conſtito priùs, quòd tu patrimonium &c.* non videri mihi referri ad *immediatè* præcedentem, quaſi Pontifex velit, ut diſpenſatus habeat Patrimonium, aut Beneficium pacificum, antequam adſcribatur ſervitio alicujus Eccleſiæ, quandoquidem poteſt quis alicui tali ſervitio etiam nullo Ordine ſacro inſignitus adſcribi, ergo ea clauſula refertur *immediatè* vel ad præcedentem clauſulam; *Titulo*, vel ad ſequentem; *Promoveri.* g

H 4 APPEN-

Digitized by Google

APPENDIX. II.

h Quin imò Anno 1673. fuit alicubi reſolutum, taliter diſpenſatum, ſufficienter adſcriptum eſſe Eccleſiæ, ſi poſt ſuſceptum Preſbyteratum ingrederetur Novitiatum Religioſum cum animo ſincero probandi. Quam ego reſolutionem non poſſum non probare, quandoquidem ex una parte certum eſt, Papam non petere, ut ea adſtrictio ſit perpetua, ex altera autem parte favor Religionis, proprietáſque verborum admittit illam explicationem.

ORDINATUS ANTE LEGITIMAM ÆTATEM.

CASUS XIII.

Multiplicis quæſtionis.

SECTIO I.

Generalia de ætate.

SUMMARIUM.

Caſus multiplicis quæſtionis de ætate pro Ordinibus. 496.
Etiam ignoranter ante legitimam ætatem ordinatus Sacerdos debet, priuſquam celebret primitias, exſpectare requiſitam ætatem. 497.
Liber baptizatorum ſcriptus à Parocho eſt magna autoritatis ad probandam ætatem 409.
Magna quoque teſtimonium parentum. 500. & 503.
Innocenter ordinatus ante legitimam ætatem, non incurrit pœnam ullam. 501.
Ideóque poſt adeptam illam ætatem licitè *miniſtrat in Ordine ita ſuſcepto.* 502.
Abbas præditus juriſdictione quaſi Epiſcopali licitè *abſolvit à cenſuris occultis. Ibid.*
Occultum crimen quod dicatur? Ibid.
Diſtinctè agitur de authoritate teſtimonii paterni circa ætatem. 503.
Declaratur Caſu ex Diana. 504.
Qua ætate ſuſcipiantur validè *Ordines?* 505.
An puer conſecretur validè *in Epiſcopum?* 506.
Qua voluntas in adultis requiratur pro Ordinibus? 507.
Qua ætate licitè *ſuſcipiatur Prima Tonſura?* 508.
Declaratur Caſu practico. 509.
Qua ætate reliqui Ordines? 511.
Caſus pueri tredecennis ordinati in Diaconum. 512.
Privilegia Regularium circa ætatem ſunt revocata. 514.
Sufficit, ſi anni ætatis præſcripti à Tridentino ſint inchoati per momentum. 516.
Declaratur practicè. 517.
Qua ætas exigatur pro variis dignitatibus Eccleſiaſticis? Ibid.
Monentur Parochi, ut diligenter annotent horam nativitatis, ſi poſſint. 518.
Annus ætatis præſcriptus debet eſſe ſaltem moraliter *inchoatus.* 519.
Imò probabiliſſimè phyſicè. 521.
Contraria tamen opinio eſt etiam probabilis. Ibid.
Declaratur Caſu vero. 522.
Itali quid intelligant per horam vigeſimam tertiam 525.
Caſus diſputabilis de defectu ætatis. 527.
Ætas quibus particularibus modis probetur? 529.
In dubio, an adſit ætas, quid agendum? 530.
Epiſcopus an diſpenſet, quando deſunt duo dies? 531.
Caſus, quo judicium de ætate fundabatur in die conceptionis, non autem nativitatis. 532.
Teſti vero ſimiliora deponenti eſt credendum. Ibid.

496 *Nicoſtratus Religioſus è celebri Monaſterio N. ſecutus fidem, & Calendarium, ſeu Ephemerides ſui parentis viri Nobilis, cùm non poſſet tempori nancìſci teſtimonium de ætate à Parocho loci, in quo fuerat aquis luſtralibus ablutus, exhibuit D. Vicario Generali dimiſſorias ſui D. Abbatis, teſtes legitimæ pro Preſbyteratu ætatis, quibus, ut par erat, cùm plenam fidem adhibuiſſet D. Vicarius Generalis, admiſit illam ad ſacrum Preſbyteratûs Ordinem. Vix domum redierat, cùm redduntur literæ à Parocho Eccleſiæ Baptiſmalis, quibus deprehenditur, deeſſe Nicoſtrato quinque ſeptimanas de legitima ætate. Datur ergo mandatum à Reverendiſſimo D. Abbate viro cuidam Clariſſimo recitandi mihi literas continentes illam ſpeciem facti, atque unà cum aliis ad me poſtea directè exaratis, ſequentes quæſtiones.* 1. *An Nicoſtratus ille poſſet, ſtante illâ diſcordiâ teſtimoniorum de ætate, celebrâre ſuas Primitias, ad quas erant ante illam diſcordiam invitati complures, non ſanè infimi ſubſellii?* 2. *An, poſito, quòd revera eſſet erratum in ſupputanda ætate, habendus eſſet Nicoſtratus pro ſuſpenſo?* 3. *An poſt complementum legitimæ ætatis abſque ulteriore diſpenſatione libere, licitéque celebrare, atque actum exercere poſſet Ordinis jam ſuſcepti?* 4. *An ſaltem pro majore ſecuritate ſit petenda diſpenſatio, & à quo?* 5. *An Nicoſtratus, ſuſpenſus à ſuo Ordine, ſaltem per accidens, & conſecutivè ſit ſuſpenſus à juriſdictione?*

497 Ad *primam* quæſtionem reſpondi, & reſpondeo I. Si ſupponatur, eſſe *abſolutè* ſtandum teſtimonio libri baptizatorum, non poteſt abſque diſpenſatione Pontificis Nicoſtratus vel immolare ad Aram, vel Confeſſiones exci-

excipere ante complementum legitimæ ætatis, ita enim ex communi Gloſſæ in Clementinam *generalem de ætat. & qual. ordin.* tradunt Jordan. *Elucubr. Vol. 1. Lib. 3. tit. 6. num. 216.* Avila *De Cenſuris Part. 3. Diſp. 5. dub. 7. Notand. 10.* P. Suarez *Tom. 5. in 3. Part. Diſp. 31.* D. Reding. *Tom. 6. Theolog. Scholaſtica quæſt. 10. art. 3. Controverſ. 2. num. 7.* contra Machadum, & Ledeſmam apud Eſcobar *cit. Lib. 23. Theolog. Moral. probl. 59.* meritò diſſentientem ab iis, quia ſcilicet inhibitio ſuſcipiendi Ordines ante annum ætatis XXV. facta eſt propter executionem munium promanantium ex illo Or-
498 dine. *Argum. cap. Illiteratos. diſt. 36.* ergo executio eſt tamdiu vetita, quamdiu deeſt ætas. Bona fides excuſat quidem à peccato ignorantem, non tamen confert ullum jus comperto errore. Addo nunc, quia ille Clariſſimus Ordo gaudet Privilegiis Mendicantium, poſſe Superiorem diſpenſare, ut Nicoſtratus ſacrificet ante legitimam ætatem, ſicuti oſtendam in hoc ipſo Caſu *num. 514.* Sicut & addo ex eodem Dom. Reding & Suarez, licèt taliter initiatus ſacrificaret ante legitimam ætatem, haud tamen idcirco incurſurum ullam cenſuram, nec enim ulla eſt pro tali caſu ſtatuta in jure Pontificio.

499 II. Licèt ille liber faciat plenam fidem de ætate, ut probo *in Alphab. Baptiz. Caſ. XVII. num. 590.* inde cupiens perſuadere Dominis Curionibus, ut fideliſſimè annotent nomen, cognomen horam, patrinos Baptiſmi, & baptizati, attamen admittit probationem in contrarium, qualis probatio eſt autoritas patris; nam *in L. Etiam matris. ff. De prob.* dicitur: *Etiam matris profeſſio filiorum recipitur.* Unde etiam Navarr. *conſil. Lib. 2. De tempor. ordin. conſ. 8.* reſolvit, quendam N qui ob teſtimonium parentum de legitima ætate fuerat ordinatus ante legitimam, habuiſſe juſtam cauſam
500 credendi, & denique Maſcard. *De probationibus concl. 669.* ſic loquitur: *Efficatiſſimum teſtimonium probandæ ætatis filiorum convincitur ex libro parentum, in quo ſolent deſcribere diem, & horam natalis filiorum*, probàtque tum rationibus, tum multis autoritatibus. Et præſertim potuit teſtimonium patris viri Nobilis præferri poſt Ordinem bonâ fide ſuſceptum, & concordante libro Monaſterii, in quem relatus erat annus, & dies profeſſionis unà cum ætate, ut ſolet. Potuit itaque Nicoſtratus cum bono Deo offerre primam hoſtiam, non expectato ulteriore tempore. Plura hanc in rem dicam paulò pòſt.

501 Ad *ſecundam* quæſtionem ultra ea, quæ D. Conſulens tam ad hanc, quàm ad ſequentes doctè, & ſapienter profert, dico: *Rem, quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit: cap. 2. De conſtit.* caruit autem omni culpâ factum illud Nicoſtrati, ergo non eſt, cur ſcrupulis angatur ob ſuſpenſionem. Navarrus *loc. cit.* in terminis.

Ad *tertiam*. Poteſt Nicoſtratus adeptus legitimam ætatem ſanctè, & *licitè* celebrare; 502
quia nullam incurrit ſuſpenſionem. Rurſum in terminis Navarr. Barboſa *De Offic. Epiſc. alleg. 16. num. 23.* & alii. Unde nec opus eſt petere diſpenſationem pro majore ſecuritate. *Argum. Regulæ* XXXI. *in 6. Eum, qui certus eſt, ulteriùs certiorari non oportet.* Et caſu, quo peteretur diſpenſatio, poſſet eam impertiri Reverendiſſimus D. Abbas, ſi habeat juriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Ita ſentiunt apud Barboſam *in Trident. Seſſ. 24. cap. 6. De Reform. num. 7. & 8.* Henriq. Rodriq. Sayrus, Avila, Sanch. *in decal. Lib. 2. cap. 11. num. 5.* Palaus *Tract. 4. Diſp. 4. §. 1. num. 4.* alii, & ipſemet Barboſa *De Offic. Epiſc. alleg. 39. num. 18.* contra permultos, quos idem Barboſa utroque loco refert, ſicut & Aſcan. Tambur. *De jure Abb. Tom. 2. Diſp. 15. quæſt. 4. num. 4.* adhærens illis. Ratio eſt, quia, ut rectè docet Rodriq. & alii, quos hîc ſequor, facultas abſolvendi à peccatis, & cenſuris conceſſa Epiſcopis à Trident. *cit. cap. 6. De Reform.* competit omnibus habentibus juriſdictionem quaſi Epiſcopalem; cùm non probetur ullo jure, eſſe dignitati potiùs impertitam, quàm officio, inter illas autem cenſuras eſt ea (ſi quam ponamus contractam) cujus reatum contraxit Nicoſtratus, utpote occulta, per ea, quæ tradunt DD. innumeri relati à Barb. *in cit. cap. 6. Tridentini n. 26.* aſſerentes, illud hîc vocari occultum, quod non eſt divulgatum & quod aliqua tergiverſatione celari poteſt. Videri poſſunt Suarez *Tom. 5. in 3. Part. Diſp. 41. ſect. 2.* Bonacina *De cenſ. Diſp. 1. quæſt. 3. p. 2.* alii.

Ad *ultimam* dico, in ſuſpenſione ab Ordine 503
nullo modo involvi actus independentes à Charactere, ſicut non dependent actus juriſdictionis extra forum Sacramentale.

APPENDIX DECLARATORIA.

Quandoquidem etiam poſtquam in publicum prodierunt ea, quæ hactenus expreſſi a
de probatione ætatis pro Ordinibus, ſæpiuſcule fui rurſum interpellatus in quibuſdam Caſibus particularibus; indéque confirmor eà in opinione, quòd perſæpe in aliis quoque locis exoriantur dubia, ac difficultates ratione hujus probationis, cenſui, ea, quæ hactenus dixi, eſſe quà declaranda, quà confirmanda.

Et inprimis teſtimonium libri Baptiſmalis b
quod attinet, Joannes Mauritius IC. *Tract. De in integ. reſtitut. cap. 321.* apud Dianam *Part. 11. Tract. 3. Reſol. 21.* tanti illud facit, ut appellet teſtimonium *certiſſimum*, quod quidem credo propter ea, quæ *in Tract. 2. ſeu Alphabet. Baptizant. num. 590.* dixi. Ita autem credo, ut cenſeam, illius teſtimonii vim multùm minui, tum quando conſtat, vel veroſimile eſt, annum, menſem, & diem non fuiſſe notata ipſo die Baptiſmi, ſed alio tempore, ſicuti ſemel in contingentia facti reſpondi, tunc enim, licèt illa

Digitized by Google

illa dilatio nihil adimat præſumptioni de bona fide Parochi, injicit tamen metum non planè inanem, ne interceſſerit lapſus memoriæ, tum quando deprehenduntur in eodem libro aliqui manifeſti errores, confutati teſtimonio duorum omni exceptione majorum teſtium, tum denique quando parentis Ephemerides

c diſcordant ab illo libro. Quamvis enim lex *Etiam matris. ff. De probat.* quam retuli *num. 499.* cuique omnino concordat. *Lex. 1. Cod. Si minor ſe majorem dixerit.* non adeò multùm faveat Ephemeridibus, & Calendariis, quandoquidem utraque ea lex intelligitur de profeſſione ætatis, quam parentes pro ſuis filiis coram judice faciebant intra diem trigeſimum à Nativitate liberorum, ſicuti obſervavit Diana *cit. Reſol. 27.* attamen in *Leg. 2. §. 1. ff. De excuſat.* ſcribit IC. Modeſtinus, ætatem probari *natalis diei*, ſeu, ut vulgaris lectio habet, *ex nativitatis ſcriptura, aut aliis demonſtrationibus legitimis.* Ubi cùm utatur nomine Græco ἀπόδειξις quod Ariſtoteli eſt vera demonſtratio, ſatis indicat, ſcripturam natalis diei, adeóque librum, in quem parens retulit diem natalem filii, accenſeri à ſe firmiſſimis probationibus, ſeu haberi à ſe pro efficaciſſimo teſtimonio probandæ ætatis, ut loquitur Maſcardus relatus ſuprà *num. 500.* adferens quidem *num. 17.* limitationem, ſed præteritam à pleriſque aliis.

d Certè Marianus Socinus *Conſil. 3. Part. 2.* in facti contingentia reſpondit, ſcripturâ ejuſmodi rectè probari, aliquem nondum fuiſſe Majorennem. Diana quoque *loc. cit.* poſt Joann. Maurit. *abſolutè* ſcribit, eo plenè probari ætatem filii, ſicuti & permulti DD. apud Maſcardum *loc. cit.* & apud Menoch. *Lib. 2. præſumpt. 51.* conſentiente Barboſâ *in cap. Super eo. 22. De teſtib. num. 16.* Et ratio ultra legem *ſecundam* ſuperiùs adductam eſt hæc, quòd, tametſi teſtimonium patris in pleriſque aliis rebus non admittitur *Leg. Teſtes. ff. De teſt.* attamen, quando pater ſtatim poſt nativitatem filii refert in chartam, aut tabulas diem ortûs, abſit omnis planè ſuſpicio, & metus, ne *propinquitatis affectio veritatem impediat*, quæ eſt ratio unica, & fundamentalis, cur *cap. Accuſatores 3. cauſ. 3. q. 5.* Calixtus Papa repellat teſtimonia propinquorum adverſùs extraneos. Quæ tamen affectio ſanè prudenter timeretur, ſi parens tunc primùm ſcripto traderet ætatem filii, quando agitur de promovendo eo ad ſacros Ordines.

e Quam ob rem cenſeo inprimis, eſſe *plenè*, & non tantùm *præſumptivè*, ut vult Menochius *cit. præſumpt. 51.* fidem habendam talibus ſcripturis, factis ſtatim, ut ſolet, poſt prolem luce donatam, niſi contradicat liber Parochi, vel duo teſtes, at ſi contradicat liber Parochi, certò ſcriptus ſub nativitatem illius, de cujus ætate agitur, eſſe hunc alteri præferendum, quia & ita habet praxis, ut reor, omnium tribunalium, & Parochus habetur pro tali actu inſtar Notarii publici.

Ideóque abhinc triennium literis interrogatus, quid cenſerem de Cajo, cujus Parochus ſcripſerat, eſſe natum 12. Maji, parens verò vir probatæ vitæ, & accuratus ſcripſerat ſecundo, *putarémne, poſſe, diſſimulatâ coram Epiſcopo hac diſcordantiâ, peti Ordines?* Reſpondi non poſſe. Et utique fuiſſet inutilis diſſimulatio, quia Epiſcopi non ſtant teſtimonio parentum, niſi aut nullum teſtimonium Parochi poſſit haberi, aut non niſi ſummè dubium, dubictate examinatâ ab ipſis. f

Si tamen teſtimonium Parochi editum eſt primum, poſtquam ex vi teſtimonii paterni eſt quis jam promotus, non dubito, quin multi juriſperiti ſint pronuntiaturi, poſſe ſtari teſtimonio paterno, utpote quod & ſit in poſſeſſione & habeat pro ſe legem inſertam corpori juris, qua tamen careat teſtimonium Parochi. g

Ex quibus patet, fuiſſe rectè à Diana *loc. cit.* reſponſum ad hunc 504

Italo-Conſtantienſem Caſum.

Olim interrogatus, an, qui in loco Domicilii volebat ſuſcipere ſacros Ordines, & nimis diſtabat à loco originis in quo natus erat, pro habenda fide Parochi de ætate, an, inquam, Epiſcopus potuiſſet illum ordinare, ſi ejus parentes de neceſſaria ætate depoſuiſſent? Et affirmativè reſpondi.

Ita teſtatur de ſe Diana, cui integre, & abſque difficultate adſtipulor, ſi vult, ſuam reſolutionem intelligi de ſolo caſu, quo & teſtimonium illud parentum petitum eſt ex libro, ſeu charta, de qua hactenus *principaliter* egimus, & nequit ſine notabili incommodo expectari, donec adveniat Parochi teſtimonium, ſi verò poſſit abſque notabili incommodo differri Ordinatio, differendam cenſeo propter pœnam ſuſpenſionis, quam fortè Nuntius Apoſtolicus, in cujus Nuntiatura contigiſſet hæc properatio, declararet eſſe incurſam, ſi ex libro Parochi produceretur teſtimonium contrarium paterno. Si autem parentes deponunt ex ſola reminiſcentia, non merentur magnam fidem, partim quia reminiſcentia eſt valde fallax, partim quia affectio, de qua loquitur Calixtus Papa, ſuprà relatus, reddit eos ſuſpectos. Si tamen unà cum ejuſmodi teſtimonio concordaret filii vultus, vox, & alia ejuſmodi Phyſiognomica, tunc ſuſtinerem patrocinium talis Candidati. a

Hunc porrò Caſum appello Italo-Conſtantienſem, quia illum reſolvit Diana in Italia, ſeu Sicilia, ego ex parte hic Conſtantiæ, ipſa enim procuravi ex Auſtria teſtimonium Parochi, pro Diœceſani Conſtantienſis promotione ad Sacerdotium, tametſi parens exhiberet Calendarium, in quod retulerat olim, & debito tempore natalem filii. Quia tamen tota b 505

cor-

corporis conſtitutio examuſſim conſpirabat cum Calendario parentis, fuit etiam ex meo conſilio inſignitus Subdiaconatu, &, ni me fallit memoria, Diaconatu, priuſquam adeſſet illud teſtimonium. Huic properationi, ſeu præventioni ſuffragabatur magna parentis inopia, cui filius nequibat opitulari, niſi conſtitutus in ſacris.

APPENDIX CASUS DUPLICIS.

SIcut & fuit Anno 1675. habita fides depoſitioni ex ſola reminiſcentia patris & matris, poſtquam duo omni exceptione majores teſtati ſunt, quòd illum, de cujus ætate diſceptabatur, viderint ante viginti duos annos diſcurrentem in rogula ante ædes, fuit enim rectè præſumptum pro ætate tunc bienni juxta depoſitionem parentum.

Similiter ego ex altera Diœceſi aliquando interrogatus, quid arbitrarer de ætate Caji, quem liber Baptiſmalis prodebat eſſe baptizatum 20. Auguſti anno *1652.* at Ephemerides paternæ, atque duo teſtes idonei aſſignabant diem itidem vigeſimum, at non Auguſti, ſed Aprilis, reſcripſi eſſe haud dubiè ſtandum hoc ſecundo teſtimonio, tum propter alias rationes hactenus indicatas, tum ſingulariter idcirco, quòd teſtimonia legitima (id eſt legibus, & Canonibus alterutro Jure comprehenſis approbata) præferenda ſint privilegiatis. Maſcardus *De Probation. Vol. 3. Concluſ. 1132. n. 16.* poſt Gloſſ. Joan. Andream, alios. Atqui teſtimonium duorum, aut trium eſt probatum omni jure ſcripto, & ipſomet divino, teſtimonium verò libri Baptiſmalis eſt merè privilegiatum, utpote munitum robore adverſùs illa juris communis pronuntiata: *Unius teſtimonio non eſt credendum L. Maritus ff. De quæſtion.* &: *Nulla* NB. *eſt cauſa, quæ unius teſtimonio quantumvis legitimo terminetur.* Text. *in Capit. Ex literis. De teſt.* quod proinde privilegium eò ſolùm valet, ut plena fides tali libro habeatur, quamdiu ejus vires non infringuntur contrariis, validioribúſque teſtimoniis, aut probationibus.

His, occaſione Caſûs *multiplicis quæſtionis*, quem recenſui ſuprà *num. 496.* obſervatis & deciſis, elucidandæ ſunt duæ ſequentes quæſtiones. 1. *Quæ ſit ætas ſingulis Ordinibus præfinita?* 2. *An in computandis annis ætatis habenda ſit ratio annorum diſſextilium?* *Primam* quæſtionem expediam hac ſectione: *Alteram* ſequente.

505 Quæres igitur I. *Quâ ætate Ordines ſuſcipi* validè *poſſint?*

Reſp. P. Ferdinandus de Caſtro Palao *Tract. 27. punct. 7. num. 1.* ſcribit, eſſe contra Durandum certam S. Thomæ *in Suppl. quæſt. 39. art. 2.* S. Bonavent. Soti, atque Recenriorum ſententiam, docentium Sacramentum Ordinis *validè* conferri etiam infanti: etenim *in cap. De Cler. per ſalt. promot.* quod totum deſcripſi *Caſ. VI. ſect. 1. n. 94.* manifeſtè ſupponitur, poſſe quem *validè* infra annos diſcretionis ordinari, & lex Divina non reddit infantem incapacem Sacramenti. Quod capitulum, licèt loquatur de ſolo Subdiaconatu, extenditur tamen à DD. communiter ad Preſbyteratum.

Inquies cum Petro Soto *De Ordin. lect. 5.* 506
Nimis ridiculum videretur credere, puerum eſſe Preſbyterum. Reſp. Ipſe quidem Heraclitus rideret, ſi puerum cerneret Sacerdotem, non tamen hinc ſequitur, fieri non poſſe. *Ergo & poterit infans in cunis vagiens creari Epiſcopus?* Reſp. Conſequentiam admitti à Dominico Soto, Vaſquezio, Filliucio, aliis, quos citant, ac ſequuntur Bonac. *De Sacram. Diſp. 8. punct. 5.* Palaus *loc. cit. num. 5* Dicaſtillo *De Sacram. Tract. 6. dub. 2. num. 317.* Sanctgall. *Tom. 10. fol. 473.* licèt non poſſit ipſi concedi juriſdictio. Diana *Part. 8. Tract. 1. Reſol. 32.* fuſè cum aliis. Rationes pro, & contra adferre longè eſt à meo inſtituto, qui conor explanare facta, non divinare de merè poſſibilibus.

Utrùm verò talis infans perductus ad an- 507
nos pubertatis teneatur caſtitatem ſervare, dicam *Caſ. XX. n. 762.* Interim inferes ex communi doctrina S. Thomæ *num. 505.* exhibita, voluntatem ſuſcipiendi hoc Sacramentum non eſſe diſpoſitionem generatim neceſſariam ad valorem, at verò, ſpeciatim loquendo de adulto, eſt omnino in tali ad valorem hujus Sacramenti neceſſaria intentio poſitiva recipiendi illud, hanc enim in adultis generatim ad omnia Sacramenta exigunt DD. relati *Tr. 1. num. 230.* & ſpeciatim pro Sacramento Ordinis P. Coninck, ac P. Dicaſtillo ibidem. *n. 244.* ſed non integre à nobis approbati, ibidem quippe *num. 245.* ſatis oſtendimus, ſufficere intentionem actualem implicitam, nec eſſentialiter requiri expreſſam, ut volunt illi duo Authores.

Quæres II. *Quænam ætas præſcripta ſit ſingulis Ordinibus?*

Reſp. I. Corona, ut vocat S. Thomas, ſeu 508
Prima Tonſura nemini conferenda eſt ante primum ſeptennium expletum. *Cap. Nullus, junct. Gloſſ. Verb. Infanti. De tempor. Ordin. in 6.* at poſt ſeptennium poteſt tam hæc, quàm 4. Minores conferri ſcientibus legere, & ſcribere, quia Concilium Tridentinum, nihil de his diſpoſuit, ſicut nec clari quidquam Sacri Canones. Jordanus *Elucubr. Vol. 1. Lib. 3. tit. 6. num. 204.*

At quid ſentiendum de hoc

Caſu infantili?

N*Orbertus nondum ſeptennis jam ſcit do-* 509
ctrinæ Chriſtianæ rudimenta, nec non legere ſaltem in vulgaris lingua libris typo excuſis, atque rudibus characteribus ſcribere, an poteſt initiari rimâ Tonſurâ? Etenim jam pervenit ad uſum rationis.

Pater

510 Pater Quintanadvennas *Singul. Tractat. 6. Singul. 21.* rectè reſpondit, potuiſſe. Cùm enim jus non determinet hîc punctum ætatis, poteſt omnis jam compos rationis admitti, illum autem Norbertum, etſi necdum ſeptennem, jam tamen ad uſum rationis perveniſſe, ſupponit ſpecies facti. Ergo poterant attonderi in Clericos illi ſapientes pueruli, quorum mentionem feci *in Alphab. Commun. Caſ. VI. num. 104.* Et verò Rev. & Celſiſſimus Epiſcopus Conſtantienſis hiſce lectis initiavit ob gravem cauſam die 3. Septembris, Anno 1669. Primâ Tonſurâ duos fraterculos ex Comitum à Furſtenberg familia multò Illuſtriſſima, quorum major natu necdum expleverat ſeptennium.

511 At verò quod attinet Ordines Sacros, multi antiqui Canones, ut videre eſt apud P. Vaſq. *Tom. 3. in 3. Part. Diſp. 246. cap. 4.* vetuerunt, ne quis Subdiaconus ante vigeſimum quintum: Preſbyter ante trigeſimum ætatis annum crearetur. Poſtea tamen Clemens V. in Clement. *Generalem, De ætat. & qual. Ordin.* permiſit, ut quis in decimo octavo ad Subdiaconatum, in vigeſimo ad Diaconatum, in vigeſimo quinto ad Preſbyteratum promoveri poſſet. Denique Concil Tridentin. abrogatis, majori ex parte, prioribus Canonibus, *Seſſ. 23. cap. 12. De Reform.* ſtatuit pro Subdiaconatu annum ætatis vigeſimum ſecundum, pro Diaconatu vigeſimum tertium, pro Preſbyteratu vigeſimum quintum, ſicut & aliqua jura pro Epiſcopatu annum trigeſimum primum.

512 Quàm verò turpe fuerit olim reputatum, & vel maximè nunc reputari debeat, ſi quis ſecutus *ſpeculativam* de poſſibili doctrinam præcedentis quæſiti initiaretur Ordine Diaconi, diſces ex hoc

Caſu acriter objurgatorio.

Vel non eſt compos ſui Epiſcopus Conventrenſis, vel nimis videtur à ſe ſcientiam repuliſſe, qui M. puerum latorem præſentium adhuc tredecim annorum, contra Sacrorum Canonum inſtituta, inordinatè in Diaconum dicitur ordinâſſe, in ludibrium Ordinis Clericalis.

513 Hâc cenſurâ, atque inſuper ſuſpenſione mulctavit illum Epiſcopum Honorius III. ut leges *in cap. 14. De temp. ordin.* & meritò quidem: cedit quippe in ludibrium Ordinis, ſeu ſtatûs Clericalis, ſi pueri, vel etiam adoleſcentuli initientur ſacris.

514 II. Licèt Innocentius VIII. conceſſerit viginti quinque Profeſſoribus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, qui nunc ſunt, & pro tempore perpetuo erunt, ut, poſtquam vigeſimum ſecundum annum ætatis attigerint, poſſint ad Preſbyteratûs ordinem aſſumi, itémque toti Ordini FF. Minorum, ut, poſtquam pervenerint ad vigeſimum tertium annum, dum tamen ſufficientes ſint, poſſint promoveri ad Sacerdotium, Miſſáſque celebrare, ut videre eſt apud Auguſtin. à Virg. MARIA *De Privilegiis Religioſorum, verb. Ordinatio num. 18. & 19.* attamen hoc, & alia ejuſmodi Privilegia revocata ſunt à Concil. Trident. *cit. cap. 12* Et quamvis B. Pius V. vivæ vocis oraculo conceſſerit, ut Religioſi poſſint Privilegiis per Tridentin. Concil. revocatis uti *in foro conſcientiæ.* P. Palaus *n. 9.* quia tamen nequit hoc Privilegium deduci ad executionem, niſi Guardianus, vel Provincialis diſpenſet in ætate, & in ſuis ad Ordinatorem dimiſſoriis teſtetur de hac diſpenſatione, & ſic res non remanet intra forum conſcientiæ, idcirco illud oraculum non obtinet hîc ullum robur Sed vide, quæ ex Alviſet in hanc rem retuli ſuprà *num. 471.* & nihilominus adhære Domino Reding *cit. quæſt. 10. art 3. Controverſ. 2. n. 4.* expreſſè ſequenti P. Caſtropalaum.

Quid ſi *autem eſt bonâ fide promotus ad Sa-* 515
cerdotium? An non erit locus Privilegio? Reſp. Erit vel maximè, ut ſingulariter notavit P. Vaſq. *Tom. 3. in 3. Part. Diſp. 246. num. 45.* quia ſi Superior clàm diſpenſet, dicetur propriè diſpenſare in foro conſcientiæ ſolius, etſi taliter diſpenſatus celebret ſuas Primitias coram viginti millibus ſpectatorum, ut ſolebat S. Antonius de Padua habere auditores ſuarum concionum.

III. Anni à Synodo Tridentina præſcripti 516
non ſunt neceſſariò completi, ſed ſufficit, ſi ſint inchoati. Navarrus *in Summa cap. 25. n. 116.* P. Henriq. *Lib. 10. cap. 19. num. 2.* alii communiter cum P. Sanch. *Conſil. Moral. Lib. 7. cap. 1. dub. 33.* atque oſtendit praxis communiſſima. Sufficit verò, dummodo ille ſit inchoatus per unicum diem, Sanch. *loc. cit. n 4.* citans multos, imò ſi per dimidium diem. Sanchez *loc. cit. num. 7.* Bonacina *Diſput. 8. De Sacram. punct. 5. num. 12.* P. Coninck *De Sacram. Diſp. 20. num. 102.* Diana *Part. 2. Tract. 16. Reſol. 29.* contra aliquos apud P. Eſcobar mox citandum. Imò ſufficit, ſi per dimidium quadrantem. Leander apud Dianam *Part. 9. Tr. 9. Reſ. 50.* contra Narbonam, & Baſilium de Ponte apud Eſcobar exigentes cum Diana *ibid.* unam horam. Et quidni, ſi per momentum? Ratio eſt, quia tunc nihilominus propriiſſimè dicetur, quòd non ſit ordinatus ante annum ætatis 25. e. g. Unde autores communiter ſcribunt, ſufficere, ſi attigeris illum annum. Garcias *De Benef. Part. 7. cap. 1. num. 11.* citans Declarationem Cardin. Franciſcus Leo, alii. Conſentit P. Antonius de Eſcobar *in Theolog. Moral. Lib. 23. problem. 55.* citans Leandrum. Favet apertè Sanch. *cit. num. 7.* & Diana *Part. 5. Tract. 5. Reſol. 17.*

Unde ſi fuiſti natus Anno 1640. die 12. Apri- 517
lis horâ octavâ matutinâ, potuiſti Anno 1664. in Sabbato Sancto creari Sacerdos, quia eo anno lætiſſimus dies Paſchalis cecidit in diem

April.

April. decimum tertium. Et hîc Conſtantiæ primùm circa horam nonam fit actualis conſecratio Sacerdotum. Et verò poſt hæc ſcripta datus eſt locus meo reſponſo de quodam, qui natus 7. Junij Anno 1640. mediâ octavâ matutinâ, poſtulabat etiam 7. Junii Anno 1664. quo primùm imprimebatur hic Tractatus, Anno priori conſcriptus, promoveri ad Ordinem Preſbyteralem.

Etſi autem, quæ dixi de ætate ad Ordines Epiſcopatu inferiores, vera ſunt, & huc ſufficientia, placet tamen plenioris doctrinæ ergò referre ex Diana *Part. 10. Tract. 16. Reſ 86.* breviter nonnulla (plura ſuggerit P. Pirhing *in I. Decretalium Tit. 14. n. 7. & ſeqq.*) de ætate reſpectu dignitatum Eccleſiaſticarum 1. Nulla certa ætas pro eligendo Summo Pontifice determinatur à jure, ſed ſi cætera adſint, ſufficiet, eſſe electum à duabus partibus Cardinalium. Sicuti ex concordatis inter Leonem X. & Regem Galliarum ſufficit in Gallia, novum Epiſcopum eſſe conſtitutum in Anno ætatis XXVII. cùm tamen ex jure communi *cap. Cùm in cunctis. De decim.* & Bullâ Gregorii XIV. debeat jam exegiſſe, id eſt, impleſſe Annum trigeſimum. 2. Pro Abbatibus, Decanis, Præpoſitis, Archipreſbyteris, aliiſque dignitatibus curam animarum habentibus exigitur Annus 25. inchoatus. Trident. Concil. *Seſſ. 24. Cap. 12. de Reform.* Quæ deciſio extendenda eſt ad dignitates omnes Regulares, etſi Beneficia ſint manualia. Clement. *Ne in agro §. Cæterùm. De ſtat. Regular.* 3 Ad cæteras dignitates, vel Perſonatus, quibus nulla animarum cura ſubeſt, oportet, & ſufficit, cœptum eſſe annum XXII. Trident. Concil. *cit. c. 12.* Quamvis multi velint eſſe completum propter DeclarationesCard. & rurſum multi hanc deciſionem intelligi velint de Dignitatibus, & Perſonatibus Eccleſiæ non tantùm Cathedralis, de qua disertè loquitur Synodus, ſed etiam Collegiatæ.

518 Si cui autem meorum Lectorum reipſa (ut fieri poteſt) profuerit ad unum, alterúmve Ordinem impetrandum hæc legiſſe, obſequatur velim monitioni, qua *in Alphab. Baptizant. Caſ. XVII. num. 588. 589. 590.* moneo Reverendos Dominos Parochos, ut etiam horam Baptiſmi, imò ſi comperire valeant, ipſiuſmet nativitatis, notent in libro baptizatorum. Et proderit hæc notatio etiam reſpectu Beneficiorum Eccleſiaſticorum, ſive dicamus cum communiori Theologorum, & P. Reginaldi *Lib. 30. Tract. 3. C. 12 num. 163. & ſeqq.* Annos, qui pro iis exiguntur à Sacris Canonibus, intelligi etiam inceptos: ſive intelligi de ſolis conſummatis aſſeramus cum Garcia *De Beneſic. Part. 7. Cap. 4. num. 68.* & aliis ſuam doctrinam reſtringentibus ad ſolas Dignitates, & Perſonatus.

519 Sicuti ſufficit, attigiſſe vel uno momento illos Annos, ita oportet inprimis attigiſſe *moraliter*, ut declarat reſolutio ad hunc.

Caſum non utique iterandum.

Quidam Monachus, cùm nondum haberet 24. Annos completos, & deeſſent ei 30. dies, juſſus à Prælato, dicente, parum pro nihilo reputandum, aſſumpſit Preſbyterium. Quæritur, an per ſuſceptionem illius fuerit ſuſpenſus? & celebrando poſt ſuſpenſionem factus irregularis? Reſpondeo, quòd ſic. Quia licèt dies cœptus habeatur pro completo regulariter, Annus tamen cœptus non habetur regulariter pro completo. DD. in Clement. Generalem de ætate, & qualitate.

Ita reſolvit ad verbum Navarrus *Conſ. l. 1.* 520 *Conſ. 9. De temp. Ordin.* Cui quidem aſſentior abſolutè, quoad rationem reſponſionis, at quoad reſponſionem ipſam non *abſolutè*, ſed ſolùm ex hypotheſi, quòd illi Regulari conſtiterit, ſuum Prælatum errare, ſi enim bonâ fide (ut debent boni Religioſi, quando contraria veritas ipſis non apparet) credidit, ſuum Prælatum haud errare, utique non incurrit pœnam per ea, quæ Petrus Peckius adfert in explicatione *Reg. 24. in 6. Quod quis mandato judicis* (domini, aut patris, ut probat idem Peckius) *facit, dolo facere non videtur,* ergo nec obnoxius eſſe pœnæ.

V. Oportet deinde, juxta probabiliorem, 521 *phyſicè* attigiſſe Annum 25. e. g. Michaël Ferro Manrique *Quæſtion. Vicarial. Part. 2. Quæſt. 23.* poſt Navarrum *loc. cit.* Villabos, Sanch. *l. 7. conſ. moral, c. 1. dub. 33. num. 6.* Paſqualigum apud Dianam mox citandum, contra alios mox citandos. Etenim quando in jure pro forma, & de præſenti requiritur aliqua qualitas, ſeu attingentia, non valet axioma: *parum pro nihilo reputatur*, vel. *Quod parum diſtat, nihil diſtat,* & quando tempus incipit à die determinata, computatur (niſi fiat expreſſa exceptio) de momento ad momentum. *L. 3. § Minorem. ff De minor.* P. Sanchez *De Matrimonio Lib. 2. Diſp. 24. n. 16.* Gomez, & alii. Atqui tempus 25. Annorum hîc incipit à die nativitatis. Quia tamen contraria opinio eſt probabilis, idcirco nota pro praxi reſolutionem ad hunc.

Caſum Dianæum.

Quidam Religioſus inchoabat Annum vigeſimum 522 *tertium horâ vigeſimâ tertiâ diei, ſed manè in eodem die recepit Ordinem Diaconatûs. Quæritur, an peccaverit, & ſuſpenſionem inciderit, tanquam ordinatus ante legitimam ætatem?*

Appello Caſum Dianæum, quia Diana bis 523 illum proponit, ſcilicet *Part. 2. Tr. 2. Miſcellan. Reſ. 29.* & rurſum *Part. 9. Tract. 9. Reſolut. 50.* at non conſtanter reſolvit. Nam *primo* loco ſic loquitur: *Ex his apparet, dictum Religioſum*

Digitized by Google

non incurriſſe ſuſpenſionem illam. At *ſecundo* loco ſic: *Puto ſententiam* (Ledeſmæ rati, potuiſſe tunc ab illo Religioſo ſuſcipi Diaconatum) *eſſe probabilem. At contrariam* (Paſqualigi) *exiſtimo probabiliorem.* Pro Religioſo adducit idem Diana Petrum Ledeſmam, Marchinum, & Leandrum, quibus ego addo Aſcanium Tambur. *De jure Abbat. Tom. 2. Diſp. 2. Quæſ. 15. num. 4* loquentem de hoc ipſiſſimo Caſu, & profitentem ſe adhærere *primæ* reſponſioni Dianæ, quam etiam Trullenck apud Dianam *cit. reſ. 50.* vocat probabilem, tametſi P. Sanchez *loc. cit.* judicet nullo modo practicandam, & Paſqualigus apud Dianam pronuntiet, eam
524 carere *omni probabilitate.* Sed ego negare nequeo, quin tantorum DD. authoritas ſufficiat gignendæ probabilitati illi ſententiæ. Equidem Leander pronuntiat, illum improbabiliter loqui, qui negat, eſſe probabilem, & recentiſſimus P. Eſcobar *l. c. probl. 56.* expreſſè illam amplectitur, tum quia parum pro nihilo reputatur, tum quia veſpera illius diei ad mane retrotrahitur. Unde cenſeo, poſſe ex cauſa gravi redigi ad praxin. Et in facti contingentia ſuaſi die 25. Martii Anno 1673. reſpectu unius, cui deerant ſolùm octo horæ, quique erat arctatus Beneficio. Accedebat doctrina de Annis Biſſextilibus referenda infrà *num. 537. & 538.* Singula quæ non proſunt, multa collecta juvant. Barboſa *Axiom. 209.*

525 At inquies: *Quid amabo intelligit Diana per horam vigeſimam tertiam? Certè nos Germani non novimus ullam ultra duodecimam.* Reſp. Diana, dum loquitur Latinè, loquitur etiam Italicè. Itali enim incipiunt horas numerare ab occaſu Solis aſcendendo in numero uſque ad ſequentis diei veſpertinum tempus. Et quia dies naturalis conſtat 24. horis, ideo hora vigeſima tertia cadit in illud tempus, quod unâ horâ antecedit occaſum ſolis Ergo voluit Diana dicere, illum Religioſum fuiſſe Diaconum factum mane illius ipſius diei, quo erat veſperi impleturus Annum 22. & inchoaturus Annum 23. Si ergo ille Religioſus fuit tribus horis ante meridiem ordinatus ad Evangelium: idque in æſtate, tum ſanè ſaltem decem horis prævenit Annum 23. *phyſicè* loquendo. Solùm verò ſex horis, ſi hieme.

526 Inquies II. *Quid ergo reſpondebis ad hunc*

Caſum Conſtantienſem?

N*Ivardus cupidus primi Ordinis ſacri me acceſſit dicens: Poſſum probare, completum iri proximo die Sabbati quatuor temporum Annum ætatis meæ vigeſimum primum, at neſcio, utrùm ante, an poſt prandium ſim editus in lucem. An eſt mihi fas petere Subdiaconatum?*

Reſpondi, poſſe quidem peti, at probabiliter fruſtra. 1. Quia non habebam in promptu illas probationes. 2. Quia rationabiliter timebam, ne Domini Examinatores non eſſent daturi locum ſententiæ mitiori, cùm præſertim Conſtitutiones Synodales *cit. p. 1. tit. 14. num. 3.* expreſſè dicant, illos annos, quos exprimit Synodus Tridentina, debere eſſe ad *minus cœptos*, ſi nondum *plenè abſolutos.* Ergo in hoc eſt, aut fuit apud nos receptum illud Decretum Tridentinum.

Inquies III. *Quid rurſum de hoc alio* 527

Caſu Conſtantienſi?

N*Icaſius Diaconus ex Ordine Seraphico vir egregiè doctus, conſilii cauſâ mihi dixit, deeſſe ſibi unicum planè diem de Anno ætatis vigeſimo quinto. An non igitur defectus illius unius diei reputari poſſet pro nihilo?*

Reſpondi 1. Non eſſe lectum à me Scripto- 528
rem, qui hoc diceret de integro die. 2. Si Conventus ægre careat ejus miniſterio in Sacris faciendis, poſſe tentari, an ſit concedendus locus ſententiæ defendenti, dies biſſextiles rectè adjici Annis juxta dicenda *ſect. ſeq. 3* Luſtrari poſſe Privilegia ſanctiſſimæ ſuæ Religionis, an non fortè vel *directè*, vel *per viam communicationis* permittat, Ordines accipi extra tempora, adeóque proximâ Dominicâ die. His auditis, diſceſſit ille quidem, at dilata fuit ejus promotio, qua de cauſa ignoro, etſi ſciam, fuiſſe haud invitum, utpote bonum Religioſum.

VI. Si quæras, quomodo ſit probanda æ- 529
tas, dicam *inprimis*: ſtando noſtris Conſtitutionibus Synodalibus *cit. num. 3.* probanda eſt ſcripto teſtimonio Magiſtratûs loci, & Parochi ex libro baptizandorum. 2. Probari poteſt vel per aſpectum, Maſcard. *de probation. totâ concluſ. 667.* Vel per teſtes. Idem *conc. 668.* Vel ex ſcriptis, & libro parentum. Idem *concl. 669.* Vel per annotationem alicujus officialis. *concl. 671.* Vel maximè per librum Plebani, ſeu Curati. *concl. 672.* Vel denique per conjecturas, & indicia. *concl. 675.* Vide dicta ſuprà *n. 499. 500. & 503.*

VII. Quando non poteſt ullâ probabili 530
ratione oſtendi, te eſſe adeptum ætatem legitimam, ſed tota res manet planè dubia, nequis ordinari. P. Sanch. *De Matrimon. Lib. 2. Diſp. 41. num. 38.* quia præceptum eſt in poſſeſſione, & factum non præſumitur, ſed probandum eſt.

VIII. Cuperem, eſſe veram doctrinam Za- 531
nardi apud Dianam *cit. Reſol. 50.* aſſerentis, Epiſcopum poſſe diſpenſare ſuper ætate, quando deſunt tantùm duo, vel tres dies ad ætatem præſcriptam, parceretur enim & ſumptibus, & moleſtiis ſatis multis. Verùm me latet, quis aſſentiatur Zanardo. Diana uſurpat hîc ſuum ſolen-

ſolenne: *Sed tu cogita.* Non ſemel audivi, ne ipſos quidem Illuſtriſſimos DD. Nuntios diſpenſare, quoad unum diem, quantò minùs DD. Epiſcopi? P. Sanch. *l. 7. conſ. moral. cap. 1. dub. 33. num. 18. abſolutè* negat, Epiſcopum poſſe hìc diſpenſare, citans Silveſtrum, Tabienam, Armillam, Navarr. S. Antoninum. Equidem ignoratur Conſtantiæ in praxi illa opinatio.

Objicit Zanardus: *Quod parum diſtat, nihil diſtare videtur.* Verùm, qui legit doctum opuſculum Tiraquelli *de judicio in rebus exiguis*, deprehendet longè plurimas exceptiones, ab hoc Axiomate: unam attuli ex Manrique, & Sanchez paulò ſuperiùs. Addo tamen, me *in Tract. Nono hujus operis*, ſeu *prima parte Alphabeti Matrimonialis num. 699.* relaturum eſſe facultatem diſpenſandi circa tres menſes ætatis, impertitam cuidam Epiſcopo cum clauſula: *Dum in actuali viſitatione exiſtis.*

532 IX. Quia tam in legibus, & Canonibus, quàm in aliis libris ſæpè occurrit ſermo de annis ætatis, placet in gratiam Lectoris, deſcribere explicationem diverſarum locutionum, quam ex Bartolo *in L. Si cui. ff. De leg. 1.* repræſentat Emm. Rodriquez *qq. Reg. tom. 3. q 23. a. 7.* his verbis: Quando ætas profertur in caſu „genitivo, requiritur, quòd ſit completa. In „ablativo cum præpoſitione *In*, ſufficit, quòd „ſit inchoata. Sine præpoſitione requiritur, „quòd ſit completa. In accuſativo autem cum „verbo ſignificante rem perfectam, ut præpoſi„tio *Per*, vel cum futuro conjunctivi requiritur, „quòd ſit completa. Sine tali verbo autem, ſi „de favore agatur, ſufficit inchoâſſe. Si de odio, „requiritur complementum. In accuſativo au„tem cum præpoſitione *Ad*, ſufficit inchoâſſe. Ita Bartolus approbatus à Rodriquezio, & à Miranda *in Manuali Prælat. Tom 1. q. 39. a. 2.* Atqui, quando Synodus Tridentina ſancit: *Nullus impoſterum ad Presbyteratûs Ordinem ante annum ætatis vigeſimum quintum promoveatur*, eſt perinde, ac ſi dicat, *nullus promoveatur, donec pervenerit ad vigeſimum quintum*. Ergo ſufficit inchoâſſe.

533 Ex dictis in reſolutionibus ſuperiorum Caſuum petes ſolutionem ſequentis.

Multùm rari Caſûs.

NUmidius Diaconus Regularis, conceptus Anno 1641. die 17. Septembris deſiderabat initiari Sacerdotio die 19. Junii, Anno 1669. pridie Trinitatis. Patiebatur autem difficultatem inde, quòd, licèt authentico teſtimonio conſtaret, fuiſſe conceptum vel dicto die 17. Septembr. Anno 1641. vel ante illum diem, attamen non haberetur ulla certitudo de die Nativitatis, imò ne quidem de menſe. Nihil quippe probationis peti poterat ex libro vel parochiali, vel paterno, ſed tota probatio conſiſtebat in depoſitione teſtium, quorum nonnulli aſſerebant, eſſe natum menſe vel Aprili, vel certè Majo Anno 16 2. Unus autem unicus deponebat, eſſe natum Majo, vel Junio. Quærebatur igitur 1. Utrùm eſſet aliqua fides habenda hiſce teſtibus, utpote & contraria deponentibus: & titubantibus? 2. Si alicui, ſeu aliquibus: cui, aut quibus? 3. Si ultimo, an tunc procedi poſſet ad conſecrationem Numidii.

Cenſui ego *primò*, teſtes illos non eſſe penitus repellendos. Etſi enim teſtes rejiciantur, quando deponunt ſimpliciter contraria *L. Optimum. Cod. De contrah. & commit. ſtipul.* Alexand. *conſ. 44. vol 4.* Jac. Ayrer *in Proceſſu Hiſtorico p. 1. c. 9. obſerv. 4.* hi tamen non erant *abſolutè* contrarii, quia conveniebant in ſubſtantia, quòd ſcilicet Numidius jam fuiſſet ſaltem menſe Junio extra uterum maternum. Atqui teſtes, etſi in accidente diſcordes, ſi tamen in ſubſtantia conveniant, probant plenè, Ayrer *loc. cit. a. 5.* & pulchre Alex *Conſ. 88. n. 17. vol. 5.* nec propriè dicendi erant titubare, adeóque indigni fide. Gabriel. *de teſtib. lib. 7. concl. 29. n. 1.* quia nullus eorum variabat ſuam depoſitionem, ſed conſtanter aſſerebant, eſſe natum menſe Majo, aut certè Junio. Ad *ſecundum* difficulter reſpondebatur idcirco, quòd, quando teſtes diſcordant, videatur ex una parte eſſe potiùs pluribus, quàm uni credendum. Caſtrenſis *conſil. 65. lib. 2.* Alexand. *conſil. 99. lib. 5.* Tuſchus *lit. T concl. 240.* & ſingulariter, quando diſcordant in tempore. Everhardus *Loc. 119. n. 4.* ex altera autem parte ſint in diſcordia præferendi pluribus pauciores teſtantes veroſimiliora. Peckius *in cap. Inſpicimus. De Reg. jur. in 6. n. 4.* Everhard. *loc. cit.* atqui teſtis de menſe Junio teſtabatur veroſimiliora. Illud quippe habetur pro veroſimiliore, quod plerumque fieri conſuevit. Petrus Peckius *loc. cit. n. 1.* fit autem plerumque, ut proles hereat in utero novem menſes, computandos à die conceptionis, quos novem menſes reperiemus, ſi dicamus, Numidium, qui certò erat conceptus ante diem xviij Septemb. An. 1641. fuiſſe natum xviij. Jun. aut certè xix. Igitur meritò videbatur credendum nominanti menſem Junium. Et quamvis fieri potuerit, ut, quando die xix. Jun. Anni 1666. fervore devotionis accenſus avebat inſigniri Charactere Sacerdotali, deeſſet fortè una, alterâve hora, quia tamen ex una parte erat valde incertum, an deeſſet vel momentum, ex altera autem parte conſtabat, Monaſterium, in quo degebat Numidius, laborare magnâ penuriâ Sacerdotum, quæ autem inſtituta ſunt pro cultu Divino, ut determinatio ætatis, non debent militare contra cultum Divinum, ſicut nec inſtituta pro charitate debent contra charitatem militare. S. Bernardus *De Conſid.* conſtat quo-

Digitized by Google

que ex communi ſenſu etiam rigidiorum Theologorum, poſſe ſententiis mitioribus verè probabilibus dari locum, quando aliqua neceſſitas urget, ſicut urgebat paucitas Miſſantium, ut loquar cum Mart. Navarro, exiſtimavi ego, conſideratis tum teſtimoniis, quæ ſola unà cum allegatione penuriæ Sacerdotum proferebantur, tum rationibus, quas ipſe produxi, potuiſſe omnino in tali caſu in praxin deduci opinionem P. Pellizarii, & aliorum, qui, ut videbimus *num. 538.* arbitrantur, meritò in promotione ad Ordines Sacros haberi rationem annorum biſſextilium.

SECTIO II.

An in ætate ordinandorum habenda ſit ratio dierum biſſextilium?

Caſus indiſcuſſus, diſcuſſus.

SUMMARIUM.

Caſus in Germania reſolutus per annum biſſextilem 534.

Alius etiam ita reſolutus in Italia. 537.

Probabilius eſt, non eſſe habendam rationem dierum biſſextilium, quando computatur ætas pro Ordinibus. 539.

Annum biſſextilem quomodo appellent Germani? 540.

Unde à Latinis dictus biſſextilis? 541.

Quando eſt ſermo de uno ſolo anno, ſi ille ſit biſſextilis, probabilius eſt, poſſe in materia odioſa intelligi de diebus trecentis ſexaginta quinque. 545.

In materiis, in quibus ſit mentio multorum annorum, probabilius eſt, eſſe illos annos omnes computandos perinde, ac ſi nullus inter eos eſſet biſſextilis. 546. & ſeqq.

Reſpondetur ad fundamentum contrariæ opinionis improbabilis. 553. & 554.

Quid ſi autem imperetur tibi, ut quatuor annis totis jejunes in pane, & aqua? liciténe *omittes diem biſſextum? 555.*

534 *Notkerus natus 24. Januarii, Anno 1640. & munitus diſpenſatione Pontificiâ pro tredecim, ut dari ſolet, menſibus, vult ordinari Presbyter hic Conſtantiæ die 23. Decembris Anno 1662. allegans hanc rationem, quòd illi tredecim menſes computari poſſint cum diebus biſſextilibus, qui ſupra numerum reliquorum Annorum, quibus hucuſque vixit, cucurrerunt, ut adeò illi dies biſſextiles quarto ſemper Anno recurrere ſoliti, tredecim dictis menſibus juncti faciant Notkerum omnino 24. Annos impleviſſe, & vigeſimum quintum de facto inchoâſſe, ante vigeſimum tertium Decembris hujus Anni 1661. quo Ordinatio fiet. In computatione enim Annorum ad ſuſcipiendos Ordines requiſitorum Annus ex probabili doctiſſimorum virorum, ut Barboſæ* de offic. Epiſcop. part. 2. alleg. 36. num. 2. *P. Henriquez* L. 10. cap. 39. num. 2. *& aliorum ſententia ſolet accipi pro 365. diebus, quorum ſcilicet 365. dierum revolutionem unà cum ſuppletione 13. menſium per diſpenſationem implebit ætas Notkeri 23. hujus anni vicies quater, & præterea etiã numerabit ſex vitæ eò uſque tranſactæ dies biſſextiles, ſupra numerum viginti quatuor annorum, cum beneficio diſpenſationis Apoſtolicæ completorũ.*

Ita hunc Caſum reſolverunt nonnulli præſtantes Theologi alicubi, aliis Theologis, & Canoniſtis alibi repugnantibus, ſicuti intellexi, cùm res non eſſet ampliùs integra, ſed Notkerus juſſus expectare Quadrageſimam. 535

Poſtea interrogatus ego, quid ſentirem de reſolutione *affirmativa?* Reſpondi, videri mihi probabilem *ſpeculativè* propter allatam rationem, *practicè* propter authoritatem tum ſingulariter Theologorum, qui eam dedêre, & quos ſcio, eſſe idoneos gignendæ probabilitati alicui ſententiæ dubiæ, tum illorum, quos indicat ſequens. 536

Caſus Mantuanus.

Nicephorus natus Annos viginti tres, menſes undecim, & dies viginti novem, cupiebat promoveri ad Presbyteratum. Conſultus ego Ferrariæ, quid ſentirem? Reſpondi poſſe promoveri. Quia ſcilicet Nicephoro ſupererant quatuor dies biſſextiles, qui additi illis viginti novem non ſolùm complent annum vigeſimum quartum, ſed faciunt, ut ordinandus propterea attingat Annum vigeſimum quintum per duos dies. Fuítque hoc meum conſilium approbatum Ferrariæ à viris doctis, imò & practicatum Mantuæ, nec improbabiliter attentâ doctrinâ modò traditâ, nimirum pro legitima ætate Ordinis non debere computari diem biſſextilem, nec de eo curandum eſſe, cùm Annus à jure determinatus intelligatur ex 365. diebus continuis. 537

Factum, teſtimonium, judicium, rationes, denique verba P. Franciſci Pellizarii *in Manuali Regularium tr. 8. c. 2. n. 170.* hîc cernis, mi Lector, ac ſimul novum robur ad firmandam probabilitatem *practicam* ſuperioris ſententiæ, ſiquidem vides, non ab uno, ſed à pluribus viris doctis approbatam illam eandem doctrinam, imò & redactam ad praxin Mantuæ, loco, inquam, culto viris erudítiſſimis. 538

Re-

539 Reſpondeo tamen 2. contrariam opinionem longè magis mihi placere, propter autoritatem majorem, rationem à priori, & conſuetudinem.

540 Priuſquam hæc probem, noto diſcrimen inter Doctores loquentes de ipſomet Anno biſſextili, & loquentes de ſpatio plurium Annorum, conflatorum ex Annis tum communibus, tum biſſextilibus. Per Annum *Biſſextilem* (interpretor hoc vocabulum propter rudiores, qui etiam legent hoc Alphabetum) intelligitur ille annus, quem Germani vocant communiter Schalt-Jahr (per ſarcaſmum Schalck-Jahr/ ſeu *nequam, & doloſum*, ut obſervat Mathias Faber *in Auctario de Circumciſione, them. 2.*) à ſchalten/ quod ſignificat: *Pro-*
541 *movere*. Promovetur autem, & extenditur ille annus, habet quippe 366. dies, cùm alij communes conſtent ſolùm 365. Latini verò nuncupant *Intercalarem*, & *Biſextilem*, ſeu *Biſſextilem*: Intercalarem quidem à die interjectitio, interpoſititio, ut loquitur ipſe Calepinus, eò quòd interponatur, ſeu inſeratur ipſi, apponatúrque unus dies ſupra numerum cæterorum communium annorum. At verò appellatur *Bi-*
542 *ſextilis*, ſeu *Biſſextilis* à die Biſexto, ſeu Biſſexto inde dicto, quòd bis, hoc eſt duobus diebus continuis numeremus, ſeu nominemus in Martyrologio Romano, dicamúſque: *Sexto Calendas* (id eſt, ſexto die ante Calendas, ſeu primum diem) *Martias*, duos nimirum dies pro uno computantes. Ita ut, quando eſt Annus Biſſextilis, ſicut occurrit quarto quoque anno, adeóque iſto ipſo 1664 quo prodit in primam lucem hic libellus, menſis Februarius habeat à parte rei dies viginti novem, more tamen Eccleſiaſtico ſolùm viginti octo, idcirco quòd vigeſimus quartus, & vigeſimus quintus pro uno computentur, dum in Martyrologio, & in literis virorum ſectantium eruditionem, dies vigeſimus quartus, & vigeſimus quintus reputantur pro uno. Quando enim venitur ad diem vigeſimum quintum, hic dies non vocatur vigeſimus quintus, ſed æquè ac præcedens appellatur vigeſimus quartus, & conſequenter ille, qui à parte rei eſt vigeſimus nonus, atque ultimus Februarii, nuncupatur vigeſimus octavus, poſtremúſque ejuſdem menſis.

543 Eſt igitur lis inter Theologos duplex. *Prima*, an, ſi alicui permittatur, aut præcipiatur facere quidpiam uno integro anno, ille autem annus ſit biſſextilis, poſſit, aut debeat illo anno numerare dies 366. quibus reverà conſtat ille annus, an ſufficiat, ſi numeret 365. quibus ſolent alii anni communiter conſtare. Atque adeò quia tempus Novitiatûs Religioſi debet eſſe unius Anni completi, aliquæ etiam pœnæ injunguntur perferendæ toto anno. Quæritur, an ſi tuus Novitiatus, tua pœna ſuſpenſionis e.g. incidit in annum hunc 1664. qui eſt biſſextilis, debeas manere Novitius, & ſuſpenſus per 366. dies, an verò ſufficiant 365.

Altera quæſtio, utrùm, quia nemo poteſt 544
licitè fieri Sacerdos, niſi impleverit ætatis annos 24. debeas illos 24. annos accipere, ſicut vulgus hominum accipit, ſcilicet non cogitando de interjectis biſſextilibus, ſed ſolùm attendendo ad Calendarium, adeóque illos 24. annos computando e.g. ab ultima hora Anni milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi, quo natus es, uſque ad primam horam Anni milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi quinti. An verò liceat illos accipere numerando pro ſingulis dies ſolùm 365. ſi enim leges permittant pro ſingulis numerari dies duntaxat trecentos ſexaginta quinque, tum ſanè tu, qui ſupponeris editus in lucem ultimo die Anni 1640. poteris, ſi vivas, primo die Anni 1665. dicere: *Habeo annos ætatis 24. completos, & inſuper ſex dies*, quia inter hoſce annos 24. ſcio, fuiſſe quarto quoque anno unum diem biſſextum, adeóque ſex annos, quorum ſinguli conſtabant 366. diebus P. Pellizarius conformiter illi ſuo reſponſo exiſtimat, poſſe reverà numerari iſto poſteriore modo. Unde quia Concilium Tridentinum non plus exigit pro Sacerdotio, quàm ut ſit completus annus vigeſimus quartus, concedit Pellizarius, ac permittit tibi, ut ſuſcipias Ordinem Preſbyteratûs ſex diebus ante primum Anni 1665. ſcilicet 26. die Decembris Anni 1664. poſito, quòd per diſpenſationem habeas jus curandi te extra tempora ordinari. Hoc obſervato.

Dico I. Eſt quidem probabilis ſententia 545
Panormitani, quam citat, ſequitúrque Silveſter *Verb. Ætas. 3.* & quorundam aliorum referendorum *num. 554.* ac veroſimilis opinio, quòd, quando eſt ſermo de uno duntaxat anno, ſi fortè ille annus eſt biſſextilis, poſſit in materia odioſa intelligi de diebus 365. eſto in favorabili intelligatur de 366. non tamen inde ſequitur: Ergo, quando eſt ſermo de ſpatio 20. 30. 60. annorum comprehendentium in ſe multos annos biſſextiles, ſeu conſtantes 366. diebus, poſſum ſingulis ex illis 60. annis attribuere dies ſolùm 365. Ratio, cur hæc conſequentia non valeat, petitur inde, quia à diverſis non valet illatio. *l. Papinianus. ff. De minoribus*, fieret autem in propoſito illatio à multùm diverſis, ſcilicet ab acceptione in ſenſu communi, & vulgari ad non communem, non vulgarem. Quando enim loquimur de uno tantùm anno, ſolemus intelligere, dies 365. at verò, quando de multis, ſimul ſumptis, præſertim continuis, intelligimus annos, ſine reſpectu ad 365. dies, ſed prout occurrunt in illa ſimultate, ſeu complexo, & ſpatio continuo, ut jamjam probo. Quin P. Leſſius *Lib. 2. de Juſt. c. 59. dub. 7.* ſic reſolvit: Hinc ſequitur, ſi ætas annorum 16. compleatur anno biſſexto 24. Februarii, non ſufficere vigeſimum quartum

priorem, ſed addendum eſſe alterum (bis enim tunc vigeſimus quartus numeratur, & bis dicitur ſexto Kalendas, (unde etiam Annus Biſſextus nomen accepit) quia hic eſt neceſſarius ad complendũ quadriennium præcedens, cùm ſenæ horæ ſingulis annis defuerint. Ita in ſimili docet Molina *diſp. 573.* Hactenus Leſſius.

546 Dico II. In materiis, quibus fit mentio multorum annorum e. g. 16. 20. 30. 40. &c. *explicitè*, vel *implicitè* continuorum, ſemper ſunt intelligendi anni ſecundùm ſupputationem nihil cogitantium de interjectis annis biſſextilibus. Ita contra Pellizarij reſolutionem *practicam* ſentiunt inprimis ipſe P. Pellizarius, ut mox dicam. Deinde P. Dicaſtillo *To. 1. de Sacramentis. Tr. 6. Diſp. 3. n. 328.* dicens, neminem conceſſurum id, quod concedit Pellizarius. Item Bonacina *de Sacram. Diſp. 8. punct. 5. n. 15.* addens, ſe putare, eam doctrinam repugnare uſui, & praxi Eccleſiæ Mediolanenſis, in qua non admittitur ad Sacerdotium, qui eadem hora, in qua habetur Ordinatio implet 24. annum, non habita ratione biſſextilium. Item Rodriq. *qq. Regul Tom. 3 q. 15. a. 5.* aſſerens generatim, annum eſſe accipiendum *civiliter*, & *politicè*. Item Marchin. Molſ. Leander, Diana *Part. 10 Tr. 11. Reſ. 67.* quos citat, ſequitúrque P. Eſcobar. *in Theol. Moral. lib. 23. probl. 63. n. 285.* Item P. Thom. Sanch. Majolus, Oddo, P. Tiberius, quos nominat ipſe Pellizarius *loc. cit.* habens hanc opinionem pro probabiliore, alteram ſolùm pro non improbabili, quam fuerit ſemel ſecutus conſulendo.

Probatur autem hæc concluſio 1. ex *L. 3. §. Minorem. ff. De minor.* in qua IC. tractans de completo anno vigeſimo quinto requiſito ad id, ut quis deſinat eſſe Minorennis, ait. *Si biſſexto natus eſt, ſive priore, ſive poſteriore die, Celſus ſcripſit, nil referre. Nam id biduum pro u-*
547 *no habetur.* Quo loco Celſus manifeſtè vult, illum annum biſſextilem, quo quis lucem aſpexit, eſſe, quando agitur de 25. annis, numerandum cum ſuis 366. diebus. Ergo etiam voluit ita numerari omnes reliquos biſſextiles uſque ad annum 25.

548 Probatur 2. hac ratione, quia æquipollentium eſt eadem ratio, *L. finali. ff. Mandati.* Idémque ſenſus propoſitionis exponentis, & exponibilis, ſeu expoſitæ, ut didicimus in Logica. Atqui ex una parte certum eſt, æquipollere has duas propoſitiones: *Decem anni continui, &, Decennium continuum.* item has: *Viginti: triginta, &: Vicennium, tricennium &c.* Ex altera autem parte non minùs certum eſt, illis verbis: *Sexennium, octennium, vicennium continuum* intelligi annos juxta ſupputationem nihil ſcientium, nihil cogitantium de annis biſſextilibus.

549 Probatur 3. Ex communiſſimo ſenſu Doctorum æquè, atque indoctorum. Etenim omnes tam docti, quàm indocti dicentes, ſe aut alios eſſe annorum 20. 34. 60. nullam prorſus habent cogitationem de biſſextilibus, etiam quando dicunt: *Sum 30. annorum, & 4. dierum: Poſt biduum implebo annum ætatis vigeſimum, trigeſimum.*

Probatur 4 quia ſunt in jure diverſis locis 550
latæ Leges, & Canones circa numerum annorum requiſitorum ad certas actiones, certáque jura, ut e. g. ad Profeſſionem requiruntur 16. anni, ad uſucapionem 10. 20. 30. 60. 100. anni. Ad Epiſcopatum 30. ad alias functiones alii anni, ut inter Theologos collegit P. Reginaldus *Lib. 30. Tr. 3. C. 12. Sect. 1.* & inter Canoniſtas Garcias *de benef. part. 7. cap. 4.* nóſque ſuprà *n. 517.* nemo autem, cùm eſt obeunda, aut ſuſcipienda illa functio, vel qualitas, probandúmve legitimum jus, ſeu titulus præſcriptionis, habet rationem biſſextilium. Et in noſtra Societate, qui per Dei gratiam eſt ſuſceptus in illam, ſeu ejus tyrocinium Calendis Anni 1664. non admittetur (ita ſcribebam Anno 1664. pro *prima* editione hujus tractatûs) ab ullo Superiore ad vota primo die Anni 1666. ſed primùm ſecundo die, quamvis hac ratione futurum ſit, ut uno die diutius detineatur in Novitiatu, quàm detineretur, ſi ſubiret tyrocinium primo die Anni 1665. admiſſus enim ad vota die 2. Anni 1667. poſſet dicere, ſe egiſſe tyronem ſeptingentis triginta diebus, & aliquot horis: at verò in *primo* caſu deberet dicere, ſe inter tyrones verſatum diebus ſeptingentis triginta uno, & aliquot horis. Nec puto, eſſe ullam Religionem, quæ unquam ullum, aut ullam adſcribat Profeſſis ante annum decimum ſextum, ſumptum in ſenſu communi, quidquid dicat Martinus de San-Iuan apud Dianam *cit. reſ. 67.*

Quintò. Ad quinquennium, novennium 551
decennium conferuntur varia officia politica, & Eccleſiaſtica: elocantur prædia. Conſtituuntur ſervitutes; emuntur cenſus, expreſſo die, quo hæc omnia inchoantur. Horum aliqua juramento firmantur. Quis autem unquam audivit, in hiſce talibus fieri ab alterutra parte, ſive ſit favorabilis, ſive odioſa materia, admittive vel minimam mentionem annorum biſſextilium?

Poſtremò. Certiſſimum eſt, frequentiſſi- 552
mè occurrere in materia Ordinum, & Beneficiorum occaſionem procedendi re ipſâ, & *in actu ſecundo*, juxta ſententiam P. Pellizarii, & tamen reperire erit alia Conſiſtoria Epiſcopalia, in quibus nihil unquam fuerit auditum de ea ſupputatione. Alia, in quibus fuerit quidem facta mentio, ſed vel exploſa, vel non niſi ob cauſam valde gravem admiſſa. Certè hic Conſtantiæ, quo loco ipſemet Reverendiſſimus & Celſiſſimus Princeps (ut nihil dicam de ejuſdem Reverendiſſimo Domino Suffraganeo) ſuo ore creavit Hypodiaconos, Diaconóſque multò plures bis mille, Sacerdotes ad mille ducentos, nullus fuit in illis inaugurationibus uſus, niſi communis, vulgaríſque numerationis.

Con-

Digitized by Google

553 Confirmantur hæc omnia reſpondendo ad tationem fundamentalem, quòd ſcilicet ſex dies ſuperfuerint illi Notkero, & dicendo, à parte rei non ſuperfuiſſe. Ille enim dies intercalaris, qui adjicitur Februario quarti cujuſque Anni, nullo modo eſt ſupernumerarius, ſed prorſus neceſſarius ad complendum quadriennium. Deerant enim ſex horæ unicuique ex tribus præcedentibus Annis, ut ſinguli poſſint in rigore dici conſtare 365. diebus, reſpondentibus curſui Zodiaci. Complementum autem non multiplicat rem, ſed perficit.

554 Citantur à Pellizario, Eſcobar, & aliis pro contraria ſententia Abb. Silv. Henriq. Fornar. Barboſa. Sed Abbas, ſicut & Henriq. loquuntur ſolùm de unico Anno biſſextili. Et quia Barboſa allegat Henriquezium, ideo non eſt cenſendus docere plus, quàm hic. Imò contrarium ſibi ipſi ſcripſit Barboſa *in Opuſcul verb. Annus*. In P. Fornarii editione de Anno 1623. nihil prorſus extat de hac materia. Unde credo, nullum poſſe nominari autorem claſſicum, qui non habeat pro probabiliore noſtram concluſionem.

555 Dixi autem in ea concluſione: *Continui explicitè, vel implicitè*. Si enim tibi hodie imperetur, ut 4. Annis jejunes in pane, & aqua, ſatiſfacies jejunando Anno 1665. 1666. 1667. & 1669. tranſiliendo 1668. utpote intercalarem. Sicuti vice verſa ſi Papa faciat tibi hanc gratiam, ut ſex Annis in vita poſſis quotidie ſacrificando liberare animam purgatorio, poteris eligere merè biſſextiles, & ſic uno ſenario plures dies. Porrò quando Synodus Tridentina dicit: *Nullus ad Preſbyteratum promoveatur ante Annum 25. ætatis*, loquitur utique de 25. Annis continuis, nec enim vidi unquam quenquam, qui interruperit Annos vitæ.

556 „Ex his deduces, verum eſſe id, quod ſcripſit „Dicaſtillo *loc. cit. n. 327.* his verbis: Si quis „natus die 23. Febr. poſt 24. Annos completos „velit ordinari 23. Febr. in Anno biſſextili, non „tenetur computare 23. horas, & ampliùs, „quæ adhuc ſupperaddendæ ſunt intra paucos „dies, ſed illâ poterit ordinari, ſi natus fuit „ante 24. Annos paulò poſt mediam noctem, „& horâ nonâ, vel decimâ ordinandus ſit, „quia nondum Eccleſia connumerat illum fe„rè integrum diem, quem poſt paucos dies (ſcil. primo Martii.) numerabit. Ita ille.

557 Hæc ſufficiant de hoc argumento, quod appellavi *Indiſcuſſum*. Nec enim legi, qui de eo ſcripſerit proferendo in medium rationes in utramque partem, atque ad contraria reſpondendo. Quod tamen mihi faciendum cenſui, cùm centies, millies ſit uſus hujus argumenti. Et nominatim ſæpe cum ſenibus celebrantibus Annum quinquageſimum ſui Sacerdotii, Monachatûs, Matrimonii cum eadem uxore, Servitii cum eodem Hero ſeu Domino, de quibus, eorúmque nonnullis privilegiis, haud ingrata lectu memorat ex ore, ſeu verbali relatione clari ſcriptis Arnoldi Wionii Dominus Rutilius Benzonius *Lib. 1.* de Jubilæo *Cap. 4.* & ſingulariter de quinquagenariis Sacerdotibus Sæcularibus ſcribit eos, poſt celebratam Miſſam Anni quinquageſimi à ſuſcepto Sacerdotio liberos exiſtere ab omnibus Chori obligationibus, nihilominus tamen frui omnibus præbendæ ſuæ æmolumentis perinde acſi perſonaliter convenirent ad Chorum. At verò de Regularibus Monachis, aliorúmque Ordinum, Anno Profeſſionis ſuæ quinquageſimo ita liberos effici, ut quodamodo videantur exempti ab Abbatis, ſive Prælati ſui obedientia, licentia exeundi foras excepta. Nam cum cæteris Monachis ad Chorum non conveniunt, in refectorio non comedunt, non dormiunt in dormitorio, ſed deputato illis ab Abbate ſervo uno, & camera ſeparata intra Monaſterii clauſtrum, ſibi ſolis vivunt, patréſque *Iubilarii* inpoſterum appellantur, idémque, qui ipſis Abbatibus honor omnino illis exhibetur ab omnibus. Ita per calamum Benzonii teſtatur de Gallis & Germanis quinquagenariis Sacerdotibus Wionius. Cui tametſi non ſuffragetur praxis horum temporum, referre tamen volui hoc ipſo Anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono, quo & hæc ipſa Editio hujus Alphabeti quintum prælum experitur, & maximo Dei Beneficio agito Annum quinquageſimum, ex quo fui Sacerdotio inauguratus. Certè nec ego, nec ullus, ut reor, illorum, quos generatim indicavi, cogitavit, aut cogitat de duodecim diebus Biſſextis, qui in lapſu quinquaginta Annorum intercurrerunt. Et tamen omnibus ſeptuagenariis, octogenariis nota eſt (ſi non formidata) veritas (ſi non phraſis (illius ſententiæ, qua Cerealem Conſulem, dictitantem: *Poſſe & ſenes diu vivere, & juvenes citò mori*, excepit non ſapienter minùs quàm argutè Marcella Sanctiſſima vidua: *Iuvenis poteſt quidem citò mori, ſed ſenex diu vivere non poteſt*, ut refert S. Hieron. *in Epiſtola ad Principiam Virginem*.

Ad hunc Caſum ſeu Caput XIII. refer ea, quæ infrà Caſu XIV. diſputo de literis diſpenſationis ſuper ætate. Et quia tam multa de Annis Biſſextilibus attuli in medium, accipe etiam aliquid 558

De Annis Romanis.

Anno 1678. die 28. Januarii *migravit è vita Canonicus A. pro cujus præbenda nanciſcenda mox ſuæ Sanctitati ſupplicavit B. fideliſſimè exprimendo illum Annum milleſimum Sexcenteſimum Septuageſimum octavum. Et ecce accipit quidem reſcriptum ex Vrbe, quale petebat at expeditum his formalibus. Romæ apud S. Petrum Anno incarnationis Dominicæ. Milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo. Decimo Calendas Aprilis.* Ubi vides exprimi menſem 559

Anni ſeptuageſimi *ſeptimi*, non autem ſeptuageſimi *octavi*, quo mortuus fuerat Canonicus A. ut proinde fuerit pleriſque viſum irrepſiſſe errorem at ſolius ſcribæ Romani, ac proinde nihil habendum ſcrupuli, cùm ex una parte poſſet teſtibus duobus omni exceptione majoribus probari, fuiſſe in precibus expreſſum Annum octavum, certúmque eſſet ſuam Sanctitatem re ipſa annuiſſe ſupplicationi Domini B. Nihilominus tamen placuit indubitata ſequi. Eam ob rem fuit Agens Romanus, qui impetraverat Breve, monitus de illo, ut putabatur, vitio. Qui mox reſcripſit hiſce formalibus: *Advertendum eſt quòd à ſummo Pontifice tam in Dataria, quàm in Secretaria Brevium Annus ſumitur à die 25. Martii, non autem à primo die Ianuarii, ut nos ſervamus, unde cùm in noſtra Bulla memorata proviſionis legatur data apud S. Petrum Anno Incarnationis milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo decimo Calendas Aprilis, intelligitur eſſe data die 23. Martii 1677. dum Annus Incarnationis ſub data 23. Martii nondum advenerat, & durabat Annus ille milleſimus ſexcenteſimus ſeptuageſimus ſeptimus, & Annus milleſimus ſexcenteſimus ſeptuageſimus octavus incipiebat die 25. dicti men menſis Martii.* Ita ille Romanus Quibus adde ea, quæ in Quinario, *Tr. 3. num. 16.* Editionis tertiæ expreſſi de Anno incipiente (abſtrahendo à Bullis Datariæ, & Brevium) numerari Romæ à die Natali Chriſti, ſeu 25. Decembris, in quibuſdam autem aliis locis etiam ab eodem die, in aliis ab Incarnatione. Ut proinde ſi qua Pontificia Bulla univerſam concernens Eccleſiam loquatnr expreſſè de aliquo die Anni ſequentis NB. ſequatúrque vigeſimus quartus Decembris, intelligendus ſit dies non illius ipſius Anni, quem nominat Bulla ſed immediatè præcedentis. Vice verſa, quando literæ expeditæ in Dataria, vel Cancellaria Brevium exprimunt diem, aut menſem intercedentes inter Chriſti Circumciſionem & Incarnationem, & ſimul, ut ſolet, faciunt mentionem Anni, quo ille menſis, aut dies occurrebat, intelligendus ſit à Germanis, Gallis Polonis &c. non ille ipſe grammaticaliter Annus, in quo dicitur occurriſſe unus è diebus, aut menſibus fluentibus inter primum Januarii & vigeſimum quintum Martii, ſed poſterior, ſicut in noſtro Caſu debuimus per Annum ſeptuageſimum *ſeptimum* poſitum in literis, & reſcripto Datariæ intelligere ſeptuageſimum *octavum*.

ORDINATUS CUM, AUT SINE DIMISSORIIS.

CASUS XIV. Mixtus.

SUMMARIUM.

Caſus mixtus ex materia de dimiſſoriis, & patrimonio. 560.
Referuntur verba Tridentini Concilii loquentia de dimiſſoriis. 565.
Dimiſſoria quatenus neceſſaria Religioſis? 566. & 574.
Quis eas det ipſis, & ſæcularibus? 567.
Caſus dimiſſoriarum datarum à Papa. 569.
Nuntii Apoſtolici quatenus eas concedant. 572.
Non tenetur Superior eas dare, niſi ex cauſa rationabili 574.
An Abbas exemptus, & pollens juriſdictione quaſi Epiſcopali poſſit concedere ſuis ſubditis ſæcularibus? 574.
Dimiſſoria quid debeant continere? 575. & ſeqq.
In Germania dantur dimiſſoria ſine teſtimonio de doctrina. 577.
Quis circa hoc ſtylus Curiæ Conſtantienſis? 579.
Poſſitne rurſum ſubdi examini ab Ordinatore is, quem eſſe ſufficiente doctrinâ præditum teſtantur dimiſſoria? 580.
Caſus Paduanus de hoc argumento. 581.
Religioſi in Germania habentur ab Ordinariis benigniùs, quàm alibi. 584.
Quamdiu duret valor dimiſſoriarum? 587.
In Germania admittitur pro dimiſſoriis taxa pecuniaria. 590.
Caſus Ordinati, non ſervatis interſtitiis, cùm tamen literæ dimiſſoriæ non diſpenſarent in iis. 592.
Item habentis dimiſſorias à Vicario incompetente. (593.
Item habentis eas à Nuntio Apoſtolico. 594
Item fabricantis falſas dimiſſorias tunc, cùm veræ, & legitimæ eſſent jam in via. 595.
Item Abbatis, dantis eas famulo ſuo ſæculari. 597.
Item illius, qui curavit ſe ordinari ab Epiſcopo alio, quàm erat expreſſum in dimiſſoriis. 598.

Oldradus obtinuit à ſuo Ordinario dimiſſorias, ut à quocunque Epiſcopo communionem Sedis Apoſtolicæ habente ad Subdiaconatûs Ordinem ſe promoveri facere poſſit. Verùm quia in iiſdem dimiſſoriis nulla fiebat mentio tituli, ad quem eſſet Ordinandus, ad id pro ſupplemento eundem Ordinarium adiit, qui Oldrado juſſit indicari, ne Ordines ab alio Epiſcopo acciperet, quia ipſe in ſecundis proximis Ordinationibus eas volebat tenere, et ſic ipſemet ordinâſſet Oldradum. Hic autem impatiens dilationis quamprimum cum 560
dictis dimiſſoriis adiit alium Ordinarium, qui edoctus extrajudicialiter, ſicuti Oldradus erat filius perſona divitis, & qui habebat patrimonium, uti verè habebat, à Patre in mobilibus, utpote, qui nulla immobilia poſſideret, conſtitutum ſucceſſivè, alias tamen ritè Oldrado Subdiaconatûs Ordinem ſimpliciter contulit. Demum Oldradus tanquam Subdiaconus ab eodem ſuo Ordinario obtinuit alias dimiſſorias, ut à quocunque Antiſtite commu- 561

Digitized by Google

communionem Sedis Apoſtolicæ habente ad reliquos Majores Ordines poſſet ſe facere promoveri. Neſcit autem, an, quando Ordinarius conceſſit ſecundas dictas literas, meminerit per ipſum, ut præmittitur, reſponſionis antea datæ. Et quia ab aliquibus Oldrado injectus fuit ſcrupulus, quòd inciderit in pœnas Extravag. Pii II. quia ſine legitima licentia ſui Ordinarii videtur Ordinatus, quia licentia ipſa, ut præmittitur, fuit revocata, ita quia Ordinatus contra formam Concilii Trident. quo ſtatuitur, patrimonium debere conſtitui in rebus non alienabilibus, ſupplicat, ut Excellentia Veſtra unico verbo dignetur reſpondere, an Oldradus egeat aliquâ diſpenſatione.

562 *Reſpondeo, nobis videri, prædictum D. Conſulentem non egere aliqua diſpenſatione: curare autem debet, ut quamprimum dictus titulus bonorum mobilium convertatur in bona immobilia ad mentem Concil. Trident.*

563 Mixtus eſt hic Caſus ex materia ſpectante *directè* ad præſentem titulum, aliâ pertinente ad ſequentem titulum de patrimonio. Ad quem proinde differemus hanc *ſecundam* materiam, at verò circa ea, quæ involvuntur priore materiâ, ſcilicet de literis dimiſſoriis, breviter proponam, quæ de iis reperio in meis Theologis, & Canoniſtis, ac nominatim in excellentiſſimo Doctore Martino Navarro, in cujus *Conſiliorum Lib. 1. Conſil. 34. De Tempor. Ordinat.* licet legere hæc omnia verba, excepto nomine Oldradi, atque adeò ipſammet reſolutionem, quam dedit hic Doctor, breviſſimam quidem illam, ſed ſufficientem, utpote in quem conveniebat illud elogium, Pythagoræ tributum: αὐτὸς ἔφα: *ipſe dixit.*

564 Quæritur autem de dimiſſoriis præcipuè 1. *An, & cui ſint neceſſariæ? 2. A quo dandæ? 3. Quid continere debeant? 4. Quando expirent? 5. An licitè aliquid accipiatur, aut etiam detur pro dimiſſoriis?*

565 Antequam reſolvam haſce quæſtiones, repræſento verba Sacri Concilii Tridentin. *Seſſ. 23. Cap. 8. De Reform.* quæ de titulo hujuſce Caſûs XIV. ſic loquuntur: *Unuſquiſque à proprio Epiſcopo ordinetur. Quòd ſi quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujuſvis generalis, aut ſpecialis reſcripti, vel privilegii prætextu, permittatur, niſi ejus probitas, ac mores ejuſdem Ordinarii teſtimonio commendentur. Si ſecùs fiat, Ordinans à collatione Ordinum per Annum, & Ordinatus à ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.*

566 Dico jam I. Dimiſſoriæ literæ, quæ etiam nuncupantur *Reverendæ* ſunt neceſſariæ tum Religioſis omnibus volentibus ordinari ab Epiſcopo, aut alieno Prælato, tum ſæcularibus volentibus ſuſcipere Ordines ab alio, quam à propio Epiſcopo. Patet ex deſcriptis verbis Concilii, & clariùs *ex capite 10. ejuſdem Seſſionis.* ac nominatim de Religioſis jam oſtendi, & declaravi *Caſu XI.* ubi plenè tractavi de ſpectantibus ad Ordinationem Regularium. Hic autem trado ſæcularibus ſequentia.

I. Dimiſſoriæ pro ſæcularibus dari debent 567
à proprio ſæculari Epiſcopo, ut patet ex *citatis* juribus, ſicut etiam Regularibus dandæ ſunt à proprio Superiore Regulari *mediato*, vel *immediato*, prout explicavi *eodem Caſu XI n. 405. & num. 418.* quemadmodum *Caſu VII. num. 266.* declaravi, quomodo Capitulum Cathedrale per ſuum Vicarium expediat primo Anno dimiſſorias ſuorum ſæcularium. Quibus adde, quòd, licèt nequeat tunc dare quibuſlibet dimiſſorias, poſſit tamen commendatitias, & teſtimoniales de moribus. Barboſa mox citandus. Porrò per *proprium Epiſcopum* intelligitur hîc vel *Originis*, vel *Beneficii*, vel *Domicilii*, ſeu *Habitationis*. Navarr. *De Temp.* 568
Ordin. Conſ. 26. Riccius *in praxi P. 2. Reſol. 235.* ille quippe habet jus dimittendi, qui Ordines dandi. *Diſt. 62. cap. 1.* Barboſa *De offic. & poteſt Epiſc. Alleg. 7. num. 4.* Et quia *Caſu VII. num. 281.* oſtendi, Epiſcopum *originis* paternæ cenſeri etiam proprium, ideo conſequenter dicendum eſt, poſſe ab Epiſcopo tali expediri dimiſſorias propter allatam paulò antè rationem. Licèt autem notent paſſim DD. non competere per ſe Vicario Generali conceſſionem dimiſſoriarum, & proinde Anno 1671. non fuerit hîc Conſtantiæ datus locus expeditis ſolo nomine D. Officialis Biſuntini, reipſâ tamen eâ poteſtate pollent per Germaniam illi Vicarii, ac nominatim Conſtantienſes, etſi expediantur nomine ipſiuſmet Epiſcopi, ut olim factitabat D. Denichius Ratiſbonæ, ſuo Principali reſidente Oſnaburgi, plurimùm diſſiti.

II. Vel maximè Papa concedit dimiſſorias, 569
utpote Epiſcopus Epiſcoporum, & Paſtor univerſalis, de quo quidem ſimul & Epiſcopo obſerva hunc

Caſum Navarreum.

Epiſcopus dedit literas dimiſſorias cuidam Nicolao, ut à quocunque vellet Epiſcopo Ordines aſſumeret. Etiam extra tempora, ſi Papa concederet, etiamſi totum negotium ſibi Papa remitteret. Papa verò conceſſit Ordinari extra tempora ab Ordinario tantùm. Quæritur, an poſſit Ordinari ab alio, quàm ab Ordinario?

Quæſitum fuit hoc ex Navarro, ut teſtatur 570
ipſe *loc. cit. conſ. 25.* & reſpondit, poſſe, eò quòd vocula taxativa, ſeu excluſiva *Tantùm* non excludat ea, quæ ſecundùm æquitatem Canonum,

Digitized by Google

Canonum, & legum includenda ſunt. Sicuti in nomine *Ordinarii* includitur etiam ille, cui Ordinarius delegat ſuas vices. Equidem poterat ille Ordinarius poſt acceptam diſpenſationem impertiri validas dimiſſorias illi ſuo ſubdito. Hoc enim permittit ipſi jus commune, cui nullo modo præjudicavit tunc Papa. Ergo etiam valent illæ, quæ fuerint priùs datæ, quia diverſitas temporis non mutat valorem.

571 III. Licèt, qui à Sede Apoſtolica Privilegium obtinuit accipiendi Ordines à quocunq; Antiſtite Catholico, non indigeat dimiſſoriis ſui Epiſcopi, indiget tamen ejuſdem teſtimonialibus literis de vita & moribus. Liquet ex deſcriptis ſuprà verbis Concil. ac notant P. Henriquez *Lib. 13. cap. 28. num. 2.* & Barboſa *cit. allegat. 7. num. 15.* obſervans, ſummos Pontifices rectiſſimè agere, quando Brevibus ſuis nominatis: *Extra Tempora* aliiſque indigitatis: *In Temporibus*, mandant apponi Clauſulam: *De licentia ſui Ordinarii.* Hæc enim cautela prodeſt ad multas fraudes vitandas.

APPENDIX NOVISSIMI, ET RARO PATRATI HIC CASVS VALLESIANI.

a D*ie decimo nono Decembris Anno 1673. exhibuit mihi Odilo Sedunenſis Diœceſanus, Candidatus Ordinum, literas dimiſſoriales, conſtantes clauſulis, paſſis non unam difficultatem.* Primò *quia Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus dimittens vocabat ſe, ut vere erat, Electum, ergo non competebat ipſi jus expediendi Reverendas ante confirmationem.* Capit. Nihil. 4. extra. De Elect. 2. *Quia præciſe teſtabatur ſufficientis patrimonii titulo eſſe juxta Trident. Concil. Decretum proviſum Odiloni, cùm tamen mos Diœceſis Conſtantienſis, ubi petebat initiari minoribus, & uno è majoribus Ordinibus, atque vicinarum ferat, ut omnes & ſinguli exhibeant talem patrimonii ſpecificationem, qualem proprii Diœceſani. 3. Quia idem Illuſtriſſimus Sedunenſis addiderat clauſulam*: Dummodo Illuſtriſſimus Dominus Nuntius Apoſtolicus approbet haſce dimiſſoriales, *quas quidem approbavit, ſed verbis aliquantum ambiguis, ut dicam inferiùs.*

b Exiſtimavi ego, valori dimiſſionis nil obfuiſſe defectum confirmationis in dimittente. Licèt enim nondum confirmatis inhibeatur *cit. cap. Nihil. & cap. Avaritiæ. De Elect. in 6.* (& quidem ſub pœna nullitatis, imò & privationis,) omnis adminiſtratio Beneficii ante confirmationem, attamen *in cit. cap. Nihil* excipiuntur Prælati *valde remoti, videlicet extra Italiam conſtituti*, quemadmodum Innocentius III. conditor illius Decretalis ſemetipſum explicat. Sedunum autem conſtitutum eſt extra Italiam.

c Licèt verò non vigeat in hac, & pleriſque aliis Germaniæ Diœceſibus uſus exceptionis adjectæ ab Innocentio, ut teſtari ipſemet poſſum, teſtantúrque P. Henricus Wangnereck, & P. Laymannus, uterque ſuis Commentariis in allegatum *cap. Nihil*, attamen uterque fatetur, poſſe nihilominus uſurpari ab omnibus etiam Germaniæ Prælatis, & meritò, quia nimirum privilegium nulli præjudicioſum (ſicuti foret in præſenti materia, ſi Capitulum Cathedrale, Conventuale præſcripſiſſet jus adminiſtrandi uſque ad confirmationem, tunc enim oporteret habere conſenſum Capituli) non amittitur per non uſum. Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcop. Allegat. 26. num. 1. & ſeqq.* Suarez *de Legib. Lib. 8 cap. 34.* alii relati ſuprà *Tr. 3. Caſ. IX. num. 270.*

Et verò cùm Epiſcopus non ſolùm expedierit d illas dimiſſorias, ſed inſuper expreſſè diſpenſârit in interſtitiis, atque de utroque hoc actu fecerit certiorem ſuumet Superiorem, videlicet Nuntium Apoſtolicum, ſeverum, ut par eſt, cuſtodem legum Pontificiarum, eſt non una, ſed multiplex, validáque præſumptio, de ejus poteſtate juriſdictionali ante confirmationem, ideo etiam legitimâ, quòd illius Sedis Epiſcoporum confirmatio differri ſoleat (ut aſſerebat Odilo) ad longum tempus, & quandoque ad plures Annos ob impotentiam ſolvendi taxam Romanam, adeóque habent Epiſcopi Sedunenſes gravem cauſam uſurpandi privilegii Innocentiani. Atqui Laymannus *loc. cit.* expreſſè, ac meritiſſimò ſcribit, tranſmontanos etiam, quorum anteceſſores noluerunt ad praxin redigere dictum privilegium, poſſe ſaltem ex gravi cauſa exercere uſum illius.

Aliud pronuntiandum foret, ſi idem Prin- e ceps non fuiſſet propriè electus, ſed ob defectum Canonicum v. g ætatis competentis, ſolummodo poſtulatus. Cùm enim ſit penes Papam annuere, aut non annuere poſtulationi *cap. Bonæ 1. De Poſtul.* nullum planè jus actuale adminiſtrandi competit poſtulato non confirmato. Auditis, quas protuli, rationibus, habitæ fuerunt illæ literæ pro conceſſis ab inſtructo juriſdictione ſufficiente etiam reſpectu noſtræ Diœceſis, adeóque fuit Odilo facilè initiatus Tonſurâ & quatuor minoribus. De Subdiaconatu dicam infrà *lit. g.*

Occaſione autem hujuſce Caſûs obſervo, f Germaniam noſtram vel maximè accenſeri locis *valde* remotis ab Urbe Roma, cùm Germania æquè ac Valleſia, cujus caput eſt Sedunum, conſtituta ſit extra Italiam, ac proinde Oenipontani, Brixinenſes, & Bolſanenſes quoque (Tridentum, tametſi alens concionatorem Germanicum, locatur etiam in Hiſtoria Concil. Trident *Part. 1. Lib. 4. Cap. 17. num. 9.* autore Cardinale Pallavicino intra ſpheram Italiæ) rectiſſimè dicuntur *eſſe valde remoti* à Regina Urbium Roma, fruique illis gratiis, quas

Digitized by Google

quas Theologi ajunt obtingere non habentibus facilem recurſum ad ſedem Apoſtolicam, nemo enim rectè dixerit, recurſum pro abſolutione à caſibus Papalibus, voto reſervato, vel diſpenſatione in impedimento matrimoniali v. g. è loco *valde remoto* eſſe facilem.

g Notent, amabo, hanc obſervationem Confeſſarii, quam ſi legiſſem alibi, ſempérque habuiſſem in præſente memoria, fuiſſem aliquoties benignior in reſolvendo, quàm fuiſſe me fateor. Nec de ejus veritate dubitent, ut dubitare viſus eſt unus, altérve vir doctiſſimus de ea apud me lecta. Siquidem Cardinal. Hoſtienſ. *in Summ De Elect. & Elect. poteſt. V. extra Italiam* adeò latè intelligit illam explicationem Pontificiam *de Italia*, ut ſcribat, ſi Pontifex, & ejus Curia habitaret extra Italiam e. g. Taurini, futurum ut viciniſſimi Turino Epiſcopi electi gauderent privilegio *cit* Canonis *Nihil*, eò quòd revera eſſent extra Italiam, longè magis eſt, & eſſet id pronuntiandum de Germanis. Sed rectiùs meo judicio, appoſitè tamen ad noſtram de Germania obſervationem, ſcribit doctiſſimus noſter P. Ernricus Pirhing. *Tom. 1. in Ius Canonicum* luce donato, poſtquam illum meum diſcurſum conſcripſeram *Tit. 6.* ſeu *De Elect. & Elect. poteſt. num. 296.* in hunc modum. *Probabilius eſt, deciſionem hujus cap.* Nihil *locum habere in omnibus Diœceſibus, ubicunque ea ſint, quæ tam longè diſtant à Curia Pontificia, quantùm Vrbs Romana diſtat à finibus Italiæ, ita ut ea cenſeri debeant valde remota à Curia, & earum Prælatis, etiam ante Confirmationem poteſtas adminiſtrandi competat. Quia verba legis, ſeu diſpoſitionis debent adaptari intentioni legiſlatoris, quæ colligitur ex ratione, ſeu cauſa finali legis, præſertim ſi illa in ea expreſſa ſit, principalis autem intentio Pontificis, & ratio principaliter motiva hujus inſtitutionis fuit, ne Eccleſia valde remota à Curia Romana, dum diu exſpectatur confirmatio electionis* (dico ego ad meum propoſitum de abſolutione: dum diu exſpectatur abſolvendi, diſpenſandi commiſſio) *interim detrimentum in ſpiritualibus* (dico ego: ruinam ſpiritualem) *patiantur, ut patet ex illis verbis*: Diſpenſativè propter neceſſitates, & utilitates &c. *verba autem legis intelligenda ſunt ſecundùm rationem expreſſam in illa lege, quare verba illa*: Videlicet extra Italiam conſtituti potiùs exempli cauſâ adjecta *fuiſſe cenſendum eſt. quia cùm de facto Curia Papæ exiſtat Romæ, omnes Vltramontani, ſeu qui ultra Italiam degunt, valde remoti à Curia cenſentur: exempla autẽ non reſtringunt Regulam, ſeu legem, nec ejus rationem univerſalem, quò minùs ad ſimilia, in quibus illa locum habet, extendi poſſit.* Gloſſ. *in Cap. 1. Verb. Pauca. Ne Clerici vel Monach. Et hinc ſi Curia Pontificis ultra Montes transferretur v. g. in Galliam, vel Germaniam, etiam ii, qui Romæ degunt, vel in alio loco Italiæ, cenſeri deberent valde remoti à Curia Papæ, & conſequenter non ſolùm privilegio adminiſtrationis, ſed etiam aliis privilegiis, quæ ob valde remotam diſtantiam à Curia Pontificis conceſſa ſunt, gaudere deberent, cùm in iiſdem ratio etiam eadem conceſſionis, ſeu diſpoſitionis locum haberet, & conſequenter idem ius. Abbas hic num. 7 & 8.* Ita P. Pirhing poſt navatam in ſæculo diligentiſſimam (eámque plùs quadriennem) Juri utrique diſcendo operam admotus Cathedræ Canonicæ.

Jam quod attinet de patrimonio noſtri Odilonis Sedunenſis, fuiſſet illud ſufficiens, ſi ſtaretur ſolâ deciſione capituli *Si Epiſcopus De præbend. in 6.* referendâ infrà *num. 607.* at quia hactenus nemo fuit, quemadmodum mihi aſſeritur, exterorum promotus Conſtantiæ ad Subdiaconatum, niſi exhibitis literis patrimonialibus, ſimilibus earum, quas indicabo *num. 602. & 615.* & quidem idcirco nemo ſine iis inauguratus majoribus, quòd non immeritò timeatur, ne dimiſſi poſtea redacti ad incitas faceſſant magnas moleſtias ipſi Reverendiſſimo Domino Ordinario, hanc ob rem fuit ipſi primitus negata promotio ad Subdiaconatum, at poſtea conceſſa, ſicut & quatuordecim hebdomadis pòſt alteri Sabaudo. h

Sed objiciebat, ante factam gratiam, Orator chirographum Illuſtriſſimi Domini Nuntii expreſſè approbantis eas dimiſſoriales, declarantíſque eas habere debere *ſuum robur.* Verùm replicatum fuit, hanc approbationem non referri ad dimiſſorias integre ſumptas, ſed quatenus erant conceſſæ cum clauſula: *Si illuſtriſſimus Dominus Nuntius diſpenſârit ſuper irregularitate*, ſicuti & reipſa diſpenſavit, nec annutus Domini Nuntii fuit neceſſarius Epiſcopo Sedunenſi, niſi reſpectu irregularitatis, conſequenter non videbatur petitus niſi ad hunc effectum *argumento cap. Qui certus eſt. De Regul. jur. in 6.* Cùm igitur præſumatur Princeps ſe in ſuo reſcripto conformare precibus, intentioníque ſupplicantis, prudenter creditum fuit, dictam approbationem, & roboris ſui confirmationem dirigi ad dictas dimiſſorias, ſolùm quatenus fundabantur in conditione impertiendæ diſpenſationis. Hoc fundamento ſi nixi fuerunt Domini Examinatores, nequeo improbare tergiverſationem. i

Irregularitas autem illa, de qua ſermo, præſumebatur contracta in bello Cretenſi, ſeu Candienſi contra Turcas, in quo Odilo aliquot trucidârat Turcas, ſed non fuiſſe re ipſâ contractam, liquebit ex reſolutione Caſûs Hungarico-Turcici, exhibenda infrà *num. 701.* Siquidem illud bellum Creticum fuit æquè ex parte Venetorum propriiſſimè & juſtum, & defenſivum, ac id, quod LEOPOLDUS I. geſſit contra eoſdem Turcas Anno 1663. de quo in Appendice ad *cit. num. 701.* k

IV. Domini Nuntii Apoſtolici habent inter cæteras facultates *licentiam tribuendi quibuſvis* 572
in ætate legitima conſtitutis, & aliàs ad id idoneis, Sacerdotali militiæ adſcribi volentibus, qui

competen-

Digitized by Google

competenter Beneficiati, & arctati fuerint, ut ad omnes etiam Sacros, & Preſbyteratûs Ordines à ſuo Ordinario, vel cum ejuſdem, aut Vicarii ſui teſtimonio, a quocunque alio maluerint Catholico Antiſtite, gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, extra Curiam Romanam, & in propria Diœceſi reſidente, tribus etiam Dominicis, & aliis feſtivis, extra tempora à jure ſtatuta, ad Sacros, etiam Preſbyteratûs Ordines promoveri, & in illis promoti etiam in Altaris miniſterio miniſtrare poſſint.

573 Ita deſcribit ex literis facultatum Nuntii Hiſpani Garzias *De Benef. Part. 5. Cap. 7. num. 105.* inde deducens *num. 104.* Nuntium talem non poſſe, etiam Sede (Epiſcopali) vacante, facere talem diſpenſationem, niſi cum arctatis. Sed P. Molina *Tr. 5. de juſtitia Diſp. 11. num. 4.* quem de Legato à Latere loquens ſequitur P. Eſcobar *in Theolog. Moral. Lib. 23. Cap. 17. n. 400.* tam frequenti praxi, quàm rationibus probat, poſſe Nuntium *abſolutè* dare dimiſſorias, Sede vacante, modò adſit teſtimonium probitatis, & idoneitatis traditum à Capitulo, vel Proviſore Epiſcopatûs. Quod quidem ita diſplicet Garciæ, ut reprehendat *num. 104. & 105.* tam illos Nuntios, qui dimiſſorias dederunt habentibus commendatitias Capituli, quàm non habentibus. Equidem cùm abhinc duodecennium vacaret Sedes Epiſcopalis Curienſis, Illuſtriſſ. Princeps D. Federicus Borromæus Patriarcha Alexandrin. & Sedis Apoſtolicæ Nuntius ad Helvetios, ad Rhætos, poſtmodum in Collegium Cardinalium magno ſuo merito adſcitus, probavit ipſo facto ſententiam Molinæ, cui & ego ſubſcribo.

574 V. Porrò quid ſit arctari beneficio, explicavi *num. 456.* ſicuti & *num. 459.* quid ſit eſſe competenter Beneficiatum. Et qui dies intelligantur per feſtivos *Caſ. eod. XII.* & nominatim, quando additur feſtivis *de præcepto. Ibid. num. 480.*

VI. Non tenetur autem vel Epiſcopus, vel Vicarius largiri dimiſſorias, niſi petentibes ex cauſa multùm rationabili, quandoquidem nec eæ ſuffragari debent, niſi habentibus cauſam legitimam, ob quam à propriis Epiſcopis ordinari non poſſint. Concil Trident. *Seſſ. 7. cap. 11.* nec ipſi Epiſcopi eas concedere præſentibus, niſi impediti, quo minùs ipſimet conferant Ordines. Concil. Trident. *Seſſ. 23. cap. 3.*

VII. Abbas dat ſuis ſubditis Regularibus dimiſſorias eo modo, quo explicavi ſuprà *Caſ. XI. n. 408. & 418.* nec dubitari debet, quin illi Religioſi Superiores, qui potiuntur expreſſo Privilegio Pontificio curandi ſuos ordinari à quocunque Epiſcopo, habente communionem cum Sede Apoſtolica, *licitè* mittant eoſdem ſuos ſubditos Regulares Profeſſos ad quemcunque talem Epiſcopum. Quam doctrinam extendit Barboſa *in Trident. Seſſ. 23. Cap. 10. De Reform. num. 12.* cum aliis etiam ad Novitios. At controverſum eſt, utrùm Abbates exempti habentes juriſdictionem in Parochos, & parochianos *privativè* ad Epiſcopum, in cujus Diœceſi ſua loca ſita ſunt, & qui faciunt Synodum, poſſint dare dimiſſorias ſubditis ſuis ſæcularibus, ut alius Epiſcopus eos ordinet? Etenim Flores Diez *Quæſtion. practicar. Lib. 3. quæſtion. 24.* proponens hanc controverſiam, diſſerénſque fusè, atque pereruditè in utramque partem, concludit, inprimis *num. 32.* ſtando ſolis juribus antegreſſis Concilium Tridentinum, reſponſionem *affirmativam* videri veriorem. Deinde *num. 33.* addit, expenſis verbis Tridentini Concilii *cit. cap. 10.* vetantis *ne ipſi Abbates, & alii exempti literas dimiſſorias aliquibus Clericis ſæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant, non obſtantibus quibuſvis privilegiis, præſcriptionibus, aut conſuetudinibus, etiam immemorabilibus,* eandem reſponſionem *affirmativam*, quatenus comprehendit prædictos Abbates generatim, eſſe admodum dubiam, etſi probabilis videatur. At ſi illa ipſa reſponſio *affirmativa*, comprehendat ſolos Abbates Juriſdictionem Epiſcopalem habentes, Epiſcopo excluſo, & habentes proprium diſtrictum, & facientes ſynodum, & omnia ut Epiſcopi gerentes, ut ſunt Abbas montis Caſſinenſis in Italia, Cluniacenſis in Gallia, & alii perpauci Ordinis S. Benedicti, tunc reſolvit idem Diez *num. 34.* tam illam ipſam *affirmativam*, quàm *negativam* reſponſionem eſſe probabilem, addens, ſe ideo non plus dicere, quòd tunc cùm, ſcribat, ea quæſtio delata eſſet ad Congregationem Concil. Tridentini, cenſeo ego, ſtandum longâ cujuſque loci conſuetudine.

Dico II. Literæ dimiſſoriæ debent ſecundùm jus commune continere ſequentia. 575

I. Cauſam, ob quam Epiſcopus dimittit. Concilium Trident. *Seſſ. 7. Cap. 11.* Attamen uſus obtinuit, ut non exprimatur. Jordanus *loc. cit. num. 14.*

II. Diſpenſationem ſuper interſtitiis. Etenim nequit ſuper iis diſpenſare Epiſcopus, ad quem mittitur Ordinandus, ut jam dixi *Caſu XII. num. 429.* ubi tamen addidi, ſi dimiſſus laboret aliquo impedimento diſpenſabili per Epiſcopum, poſſe in eo diſpenſare illum, ad quem dimittitur, eſto non ſit facta ſpecialis ipſi permiſſio.

At, quid ſi dimiſſoria contineant hanc Clauſulam: Si tamen aliàs nullum tibi obſiſtat impedimentum Canonicum. *Poteritne nihilominus diſpenſare Ordinator?* Equidem hæc Clauſula exprimitur in formula communi Dimiſſoriarum Conſtantienſum impreſſa: cenſeo nihilominus, ea non arctari poteſtatem Ordinatoris, ſed ſolùm indicari, non eſſe mentem dimittentis, facere gratiam ulli indigno, aut inhabili canonicè. Illa enim arctatio poſſet creare magnum incommodum dimiſſo, nullum commodum dimittenti. Et ſicut leges communes benigniùs interpretandæ ſunt. *L. Benigniùs.* 576

Digitized by Google

vigilas. ff. De Leg. ita & particularia reſcripta *cap. Ex Literis. De Conſtit.* Adde, quòd, qui majorem Anni partem commorantur in uno loco, poſſint ab Epiſcopo loci obtinere diſpenſationem, abſolutionémque à votis, juramentis, cenſuris, irregularitatibus juxta P. Sanchez *De Matr. Lib. 3. d. 23. n. 12. & 13.* aliósque plurimos. Ergo hæc doctrina proderit ſaltem iis, qui cupiunt ordinari ab Epiſcopo urbis, in qua navant operam literis. Ita videtur mihi poſſe probabiliter (tacentibus aliis) dici, ſalvo meliori judicio.

577 III. Teſtimonium de ſufficienti doctrina. Nec enim dimitti debent, niſi examinati. Trident. Concil. *Seſſ. 23. Cap. 3. De Reform. & Seſſ. 7. Cap. 11.* junct. Declaratione, quam addit *ibid.* Gallemart. Nec erit tutus in conſcientia Epiſcopus, ſi fortè admittatur deſtitutus ſcientiâ requiſitâ, licèt literis dimiſſoriis inſeruerit clauſulam gravatoriam conſcientiæ Ordinatoris. Jordanus *loc. cit. num. 15.* poſt Barboſam *Alleg. 7. num. 20.* citantem etiam Vivaldum, & Majolum. Verùm illa Sanctio Tridentini non eſt ita rigidè recepta in Germania, quin ſæpiſſimè, imò communiter expediantur ejuſmodi literæ ſine ullo examine. Et quidem fortè ideo, quòd & Germani multò ſæpius, quàm Itali e g. dent literis operam in locis valde diſſitis à Reſidentia Epiſcopali, imò extra Diœceſin, Provinciámque ſitis, ut proinde non poſſent hi canditati Clericatûs niſi cum magnis ſumptibus, atque ſtudiorum ſuorum jactura ſeſe ſiſtere examini. Et in hoc Caſu fas ſit committere examen alteri Epiſcopo. Barboſa ipſe *num. 29.* referens, eſſe ita deciſum.

578 Cauſa autem illius diſtantiæ eſt partim ingens amplitudo Epiſcopatuum Teutonicorum, quorum unus æquat longitudine & latitudine 6. aut etiam plures Italicos, partim genius gentis ſolitæ peregrinari. Quod autem illi Doctores addunt de periculo conſcientiæ Epiſcopalis, refutatur inprimis ex eo, quòd & Germani Epiſcopi committant curam examinis ſuis Vicariis, & ſint tuti in conſcientia, etſi ipſi non examinent Regulares circa doctrinam, ut declaravimus *Caſu XI. num. 424.* aut circa mores, cùm ne quidem liceat ipſis inſtituere tale examen. Suprà *ibid.* Celſiſſimis Epiſcopis Conſtantienſibus patrocinatur hæc peculiaris ratio, præſertim hoc tempore, quòd non tradant dimiſſorias, niſi cum & ſub conditione: *Si tamen priùs in publica aliqua, & Catholica Univerſitate, aut Gymnaſio ſtudiis Rhetorica, & Dialectica abſolutis, ſaltem Theologia Morali, ſeu Caſibus, ut vocant, conſcientia duos integros Annos cum fructu impenderis, ac in examine, quod eidem Antiſtiti committimus, dignus, ac idoneus fueris repertus.* Item negantur in hoc eodem Epiſcopatu dimiſſoriæ non exhibentibus authentica teſtimonia de honeſtate morum.

579

580 Quæres fortè: *An, ſi litera exprimant, dimiſſum eſſe examinatum, approbatúmque poſſit nihilominus, aut teneatur Ordinator examinare eundem?*

Reſp. Poſſe tradunt Bonacina *De Sacram. Diſp. 8. p. 4. num. ult* Barboſa *cit. alleg. 7 num. 22.* Jordanus *num. 17.* pronuntians eſſe id certum poſt Concil. Trident. *Seſſ. 7. num. 11.* imò teneri, cenſent idem Barboſa, Campanilis apud Jordanum, & ipſe Jordanus, favente apertè Tridentino Concilio *cit. cap. 11. in fin.* & clariſſimè Declaratione, quam deſcribit idem *num. 20.* ſuffragante praxi Mediolanenſi, Neapolitanâ, multorum aliorum locorum, teſte eodem Jordano, confirmátque ſuum judicium hoc

Caſu Paduano.

Dum morarer Paduæ de Anno 1628. pro Sitientibus, concurrerunt multi Ordinandi vicinarum, imò etiam remotarum Civitatum, habentes dimiſſorias literas, cum teſtimonio examinis, & approbationis. Nihilominus Epiſcopus mandavit illos rurſum examinari, & majorem illorum partem reprobavit, Cæteros cum Paduanis de Licentia ejuſdem Epiſcopi ordinavit. 581

Hic ſanè Caſus, ut & plures alii, efficiunt, 582
ut, præſertim accedente illâ Declaratione Cardinalium, ſummopere ſuadeam ſubjici examini illos dimiſſos. Et abſque omni dubio debent illi, qui obtinuerunt dimiſſorias ſimiles Conſtantienſibus ſuprà deſcriptis.

At rurſum quæres. *Utrùm alienus Epiſcopus* 583
poſſit ordinare dimiſſos cum Clauſula ſimili Conſtantienſi quoad qualitatem, & diuturnitatem ſtudiorum? Mihi quippe aliunde ſcriptum eſt, fuiſſe alicubi nullam rationem habitam hujus clauſulæ, ſed ſolius ſufficientiæ in doctrina Morali. Sed certè nequeo probare hoc factum. Nam & fines mandati diligenter cuſtodiendi ſunt *L. Diligenter. ff. Mandati*, & quiſque poteſt rei ſuæ modum ponere, cui alter acquieſcere tenetur. *L. In traditionibus. ff. De pact.* & iniquum eſt, ut, cui facta eſt ſingularis gratia dimiſſionis, utatur illâ gratiâ ad promotionem citiùs obtinendam, quàm potiretur, ſi verſaretur in propria Diœceſi. Et Denique diſpenſatio eſt *ſtrictè*, non autem *latè* contra omnem proprietatem verborum interpretanda.

APPENDIX ITALO-GERMANICI CASUS.

Epiſcopus Italus dedit Titio ſuo ſubdito literas dimiſſoriales, ut poſſit Sacros Ordines à quocunque Epiſcopo, dummodo ante quemlibet Sacrum Ordinem (ita moris eſt in Italia) per decem dies in aliquo ſeminario det ſpecimen ſuæ vocationis ad Sacerdotium. Quæritur an poſſit Titius ordinari Friburgi Briſgoiæ, ubi ſtudet Theologiæ, prætermiſſâ eâ exercitatione? Ratio dubitandi patet ex a

Caſu, & creſcit ex hiſce verbis, quæ ponuntur ad finem literarum dimiſſorialium: Non aliter (*ſubintellige, damus facultatem alteri Epiſcopo*) onerantes ſuper hoc conſcientiam Epiſcopi ordinantis. *Reſpondi videri quòd poſſit. 1. Quia abundè dedit aliunde ſpecimen ſuæ vocationis ad Sacerdotium, adeóque ceſſat cauſa finalis probandi, aut petendi aliud experimentũ. 2. Quia hic loci neq; uſitata eſt ea exercitatio: nec ſuppetit occaſio, aut locus eam præbendi. 3. Quia ea conditio videtur potiùs appoſita ab amanuenſi, & Secretario deſcribente dimiſſoriales ex aliqua certa formula, uſitata in Italia, quàm ex interpretativa voluntate Epiſcopi. 4. Quia Epiſcopus cenſetur velle Titio gratificari, modo id fiat ſine detrimento Ordinis Eccleſiaſtici. & gloria Dei. 5. Quia particula.* Onerantes ſuper hoc *videtur limitare oppoſitam conditionem ad caſum neceſſitatis. Placeat Ra. Va. unico verbo &c.*

b Ita ad me menſe Decembri Anno 1673. Vir profundè doctus. Reſpondi nihilominus, videri mihi, non potuiſſe illum dimiſſum inaugurari abſque ejuſmodi exercitatione. Huic meo reſponſo applicavi rationes productas iſto ipſo *n. 582.* cui ſubtexui Italo-Germanicum Caſum. Confirmo inde 1. quòd nequeat prudenter dubitare, quin Epiſcopi Italiæ optimè nôrint, illam conditionem de ſpecimine in aliquo ſeminario non conſueviſſe ubique extra Italiam obſervari. Cùm igitur Caſus de difficultate obſervandi alibi hanc conditionem non ſit ullo modo improviſus Antiſtitibus Italiæ, & tamen nullam prorſus reſtrictionem, explicationémve adjungant, argumento minimè dubio eſt, eos ne *tacitè* quidem excipere ſolitos Caſum difficultatis præbendi nominatum ſpecimen in aliquo ſeminario, ſed velle, ut in Caſu neceſſitatis ad ſe recurratur pro gratioſa diſpenſatione, unde arbitror, habere hîc locum illam *ex Cap. 2. De Tranſl. Epiſc.* deſumptam gnomen: *Si voluiſſet, expreſſiſſet.*

c Confirmo 2. iis, quæ ſuprà *Tr. 3. num. 643.* ex communi perſuaſione Jureconſultorum protuli de vi & efficacia clauſulæ: *Dummodo.* Confirmo 3. ex eò, quòd clauſula: *Non aliter*, indicet præciſam neceſſitatem. Barboſa *de clauſulis clauſ. 81.* & quidem ita præciſam, ut non recipiat aliam interpretationem. Idem *ibid.* cum aliis. Accedit, quòd abſque dubio experientia docuerit, non poſſe in Italia ſufficienter occurri gravibus incommodis, niſi dimiſſoriis inſeratur illa expreſſa conditio impediens, ne facilè extra Italiam promoveantur ſubditi Epiſcoporum Italorum.

d Ad *primam* rationem in contrarium reſpondetur, clauſulâ: *Non aliter*, excludi æquipollentiam, ſeu ſuppletionem per aliud, ut liquet tum ex *ſecunda* doctrina allata ex Barboſa, tum quia illa eadem clauſula inducit formam. Tuſchus *lit. E. concluſ. 311.* & Marra *de clauſulis Part. 1. clauſ. 74.* Eadem clauſula excludit etiam caſum impotentiæ, quia eſt limitativa poteſtatis, & limitativa ſui juris in Caſu contrario. Barboſa *loc. cit. num. 15* poſt pariſium, & alios. Unde liquet reſponſio ad *ſecundam* quoque rationem.

e Ad *tertiam* dicitur, ſicut in re à Jure determinata non licet arbitrari. Garcias *de Benefic. Part. 7. Cap. 4. num. 84.* & in re apertè juſta nulla eſt deliberatio. S. Cyprianus apud S. Auguſtinum *in Sermon. De hoc S. Martyre.* ita nec in re clara locum eſſe divinationibus, nec debere præſumi abſurdum, imò argumentum ab abſurdo vitando eſſe omnium validiſſimum, ajunt, quos referam infrà *num. 705.* foret autem abſurdiſſimum abſurdum, ſi Epiſcopus ſuo chirographo muniret inſtrumentum vitioſum, imitatus Theodoſium juniorem, ſubſcribentem libello, quo continebatur. Eum ſuam uxorem Atheneidem vendere Pulcheriæ ſorori, fabricatrici hujus ſtrophæ ad emendandam ordinariam incuriam fratris. Et ſi dimiſſoriæ ſunt deſcriptæ ex certa formula, ſeu formulari, infertur, eſſe ſcriptas ſecundùm Curiæ Epiſcopalis ſtylum, ſtylus autem Curiæ facit jus. Ad *quartum* & *quintum* rurſum negatur, quidquam tribuendum conjecturæ, & divinationi in verbis tam perſpicuis.

f Hiſce ob affinitatem materiæ addo ex P. Bartolo noſtro in Vita S. Fundatoris noſtri *Lib. 1. num. 18.* fuiſſe à S. Carolo Borromæo in Synodo Provinciali ſaluberrimè decretum, ne quis initiaretur Sacris, & Sacerdotio, niſi aliquot dies primis ſaltem Exercitiorum (S. P. N. Ignatii) meditationibus purgatus.

Cæterùm quia facta eſt mentio examinis, 584 obſervo, Religioſos in noſtra Germania experiri, & quidni? benigniores, & clementiores Dominos Epiſcopos, quàm circa publicam, & præproperam citationem ad examen ſeſe præſtiterint ii, de quibus Illuſtriſſimus eruditione, ac dignitate D. Pax Jordanus Epiſcopus Tragurienſis, in toties allegato, allegandóque *Lib. 3. Tit. 6.* ſuum judicium prompſit *num. 260.* his formalibus: *Id parum rationabile videtur. Sed multi imponunt libentes aliis onera gravia, & importabilia, maximè qui ſedent ſuper cathedram Moyſi, & præſertim, quando agitur de Regularibus.* Ita ille. Nos Religioſi exhibeamus ſincere, humillimè omnem obſervantiam intra limites noſtrorum Privilegiorum Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis Dominis Ordinariis. Sentiemus illos non Dominos, ſed Patres.

IV. Eædem literæ dimiſſoriæ debent ex- „ 585
primere, eſſe jam proviſum dimiſſo de titulo „ menſæ. Nam dimittens obligaretur ad provi- „ dendum de Beneficio, & interim, quantum „ ad condignam ſuſtentationem, quando dimiſ- „ ſorias daret non habenti patrimonium, Ita lo- „ quitur idem Jordan. *ibid. n. 15.* poſt Campa- „ nilem etiam Epiſcopum, propter apertum textum *c. Si Epiſcopus. De præb. in 6.* proinde ſubdens *num. 370.* poſt Quarantam, & Barboſam *alleg. 7. n. 20.* hæc verba: *Obligatio requirendi titu-*

di titulum ſpectat ad Epiſcopum, qui licentiam, ſeu dimiſſorias concedit, non ad Ordinatorem. Unde puto, hanc doctrinam eſſe de jure veram. Admittuntur tamen paſſim ab Epiſcopis Germaniæ proximis, & remotis dimiſſoriales Conſtantienſes impreſſæ, & expreſſæ hac Clauſulâ: *Etiam Majores Clericorum Ordines ad titulum competentis patrimonii, vel Beneficii juxta Sacroſ. Concil. Trident. Decreta &c. ſuſcipere poſſis.* Quæ certè verba nullo modo teſtantur, eſſe proviſum de titulo, ſed totum examen tituli committitur, & remittitur examini Domini Ordinatoris. Verùm ſicuti conſuetudo ſexcenties derogat juri communi in aliis mate-
586 riis, ita & in hac. Quæ tamen non videtur ullo modo derogâſſe ſanctioni citati Capituli: *Si Epiſcopus* ita mandantis: *Si certas commiſiſti alteri ordinare perſonas, tu (qui providere hoc Caſu, an haberent titulum, debuiſti) taliter Ordinato ad prædicta, donec per te Beneficiatus fuerit; obligatus exiſtis.* Ratio eſt, quia alienus Antiſtes ſummo jure recuſaret promovere non ſuum, ſi in eum recideret illud grave onus. Verùm non eſt opus huic materiæ diutius inhærere, cùm non habeat ullam in praxi difficultatem. Procuravi ipſe multas literas dimiſſorias hujus ipſius tenoris præſentatas Dominis Ordinariis Baſileenſibus, Lauſannenſibus, Auguſtanis, Friſinganis, Saliſburgenſibus, Viennenſibus &c. nulla tamen mota lis circa hanc, aut de examine clauſulam.

587 Dico III. Dimiſſoriæ ſemel conceſſæ ſemper valent, tum vivente, tum defuncto concedente. Barboſa *cit. alleg. 7. num. 23.* citans multos, & inter hos P. Henriquez *Lib. 10. cap. 22.* & Rodriquez *Tom. 1. qq. Regul. q. 9. a. 1.* quia ſcilicet dimiſſio eſt gratia facta, non facienda, & proinde non expirat morte concedentis, per ea, quæ ex communi diſſerit P. Laymannus *Lib. 1. Theolog. Moral. Tr. 4. Cap. 23. num. 18.* Eſtque hæc doctrina vera, etiamſi illæ dimiſſoriæ datæ fuerint à Capitulo, Sede vacante, quia per ingreſſum moderni Epiſcopi non expirat. Barboſa *loc. cit.* poſt Quarantam, Gutierez, & alios.

588 Excipe à Concluſione: Niſi revocet, vel qui dedit, vel Succeſſor hujus. De ſucceſſore exprimit Barboſa poſt Rebuffum. De ipſomet concedente patet *ex cap. Novit. De judic.* Gloſſ. *in Reg. 16. in 6.* Silveſt. *Verb. Privil. q. 10. dict. 7.* Debet autem illa revocatio fieri verbis claris, & expreſſis, alioqui non cenſebitur eſſe facta, utpote valde odioſa, & quia mutatio, correctióque non eſt præſumenda, ſed probanda.

589 His omnibus adde tria. *Primum.* Sicut mortaliter peccat, & ſuſpenſioni ſubjacet, qui ſine dimiſſoriis ullis facit ſe ordinari ab alieno Epiſcopo, ut videbimus *Caſ. XIX.* ita qui cum dimiſſoriis vel confictis, vel veris quidem, ſed revocatis. Siquidem talis revera ordinatur abſque conſenſu ſui Ordinarii, adeóque incurrit pœnas ſtatutas, ſeu renovatas à Concil. Trident. & à Pio II. Navarrus *Lib. 1. Conſ. De Temp. Ord. Conſ. 30.*

Alterum. Non eſſe in Germania receptam 590
ſanctionem Trident. Concilii *Seſſ. 21. Cap. 1. De Reform.* anathemate ferientis *tam dantes, quàm accipientes aliquid pro dimiſſoriis, vel quocunque prætextu, etiamſi ſponte oblatum, exceptis Notariis, qui, ſi conſtitutum ſalarium non habeant, licitè accipiunt decimam partem Aurei, ſeu Ducati.* Etenim certum eſt, non ſolùm accipi, ſed peti in aliquibus Diœceſibus dimidium, in aliis integrum Aureum, ſeu Ducatum. In aliis adhuc plus. Ut proinde ſint in conſcientia excuſati inprimis & maximè dantes, quia nequeunt communiter aliter impetrare, tum etiam ipſi accipientes, ſi, ut fieri & poteſt, & ſolet, nitantur vero jure. Vide de hoc breviter Barboſam *loc. cit. num. 27.* fuſè P. Suarez *De Relig. Tom. 1. Lib. 4. De Sim. Cap. 53.* breviùs, ſed nervoſè P. Leſſium *Lib. 2. De juſtit. cap. 35. dub. 10.*

Tertium. Expedit ut Epiſcopus dimittens pro omnibus Ordinibus, etiam majoribus, exprimat hæc verba: *Etiam Preſbyteratûs.*

APPENDIX OB RECENTEM CASUM.

Quàm utile ſit hoc Tertium documentum de exprimendis verbis: *Etiam Preſbyteratûs,* diſces ex recenti hoc

Caſu ſimili ſequenti.

Etenim Diœceſanus Conſtantienſis, navans in recens confirmata, ampliſſimis privilegiis exornata à ſummo Pontifice atque Imperatore Leopoldo Univerſitate Oenipontana operam Theologiæ, atque Brixinam profectus, ut illic vi ſuarum Reverendarum ungeretur etiam in Sacerdotem, non fuit admiſſus, niſi ad Subdiaconatum, & Diaconatum, idcirco quòd mos Brixinenſis ferat, ut quamvis Dimiſſoriæ faciant poteſtatem accipiendi omnes etiam Majores *Ordines, attamen Preſbyteratus non conferatur ulli, niſi fiat hujus expreſſa mentio.* a

Quare literis decimo nono Aprilis hujus ipſius Anni 1678. datis Oeniponto interrogor de ſtylo noſtræ Conſtantienſis Curiæ, accipioque ab ipſomet Reverendiſſimo Domino Vicario Generali, qui mandaverat expediri illas Dimiſſorias, reſponſum hiſce formalibus: *In Curia Conſtantienſi hunc ſtylum obſervari, ut ſi quis ad omnes majores Ordines dimittatur ad alium Epiſcopum, etiam Preſbyteratus Ordo contineatur, etiamſi expreſſè non ſpecificetur, hoc propria ſua manu teſtatur Conſtantiæ 26. April. 1678.*

Joſephus ab Ach. J. U. L.
Vicarius Generalis.

Digitized by Google

b Praxis Brixinenſium, quatenus inſerit Preſbyteratum, eſt quidem conformis ſtylo Dominorum Nuntiorum Apoſtolicorum, ſolitorum exprimere illum Ordinem, ut vidimus ſuprà *num. 572.* attamen reor illam expreſſionem non eſſe de jure communi neceſſariam, adeóque poſſe quemvis Epiſcopum diſpenſare in rigidiore ſtylo circa hoc vigente in ſua Diœceſi. Notum enim eſt, diſpenſandi jus circa ſtylum & conſuetudines particulares ſuæ Diœceſis competere Epiſcopo, ſiquidem eadem eſt poteſtas ligandi, atque ſolvendi, cap. *Cùm inferior. De majorit. & obed.* & ibi notata.

c Porrò quia animadverto Doctores non convenire in judicio de neceſſaria ſpecificatione Ordinum, ad quorum receptionem licitam petuntur, expediuntúrque literæ dimiſſoriæ, refero ego verba formalia diverſorum, quà Theologorum, quà Jure conſultorum.

d Primò itaque omnium, quos habeo, antiquiſſimus Ignatius Lopez de Salzedo in Practica criminali Canonica *cap. 16. Lit. C.* ſic loquitur. Literis dimiſſoriis oportet, ut exprimatur, qui Ordines illarum (dimiſſoriarum) ratione ſint miniſtrandi, quia concedendo ſolùm recipi minores, vel Ordines tantùm, majores Ordines minimè comprehenduntur *Cap. 1. De Tempor. Ordin.* Ita ille, quem verbatim deſcribunt tum P. Sanchez *Lib. 7. Conſil. moral. cap. 1. dub. 20. num. 9.* nihil ſuperaddens niſi Rebuffum, de quo paulò pòſt, tum P. Ernricus Pirhing *Lib. 1 in Jus Canon. Tit. 11. Sect. 1. n. 66.* ſuperaddens hanc rationem, quòd illa facultas ſit ſtricti juris. Argument. *Cap. 1. De Tempor. Ordinat.*

e Secundo Petrus Rebuffus *in Prax. Benef. in formula dimiſſoriarum literarum n.* 5. ſic ſcribit: Concedendo recipi minores, vel Ordines tantùm, non intelligitur concedere de majoribus *cap. 1. De Tempor. Ordin.* ideo oportet & Sacros exprimere, ut in literis dimiſſoriis exprimi eſt ſolitum, ibi: *etiam Subdiaconatus &c.* per quæ ultima verba ſe remittit ad formulam communem dimittendi, quàm *n. 1.* expreſſerat his verbis. *Primam Tonſuram accipere Acholythatum, cæteróſque minores etiam Subdiaconatus, Diaconatus & Preſbyteratus Sacros Ordines.*

f Tertio Joannes Boſcus in Theologiæ Sacramental. Parte quarta *Diſputat. 10. Sect. 3.* diſſentiens ab his autoribus ſic diſſerit: Sub ly *Ordines* abſolutè poſitum non comprehendi Ordines majores, haud facilè credidero, niſi jure aliquo poſitivo, videro expreſſum, quod jus cùm Sanchez non afferat, diſplicet ejus ſententia quoad hanc partem, præſertim cùm ſcriptum ſit. Beneficium Imperatoris, quod à divina ſcilicet Indulgentia proficiſcitur, quàm pleniſſimè interpretari debemus, *Leg. 3.*

g *ff. De conſtit.* Ita ille, cui ſanè repugnat commune judicium, & praxis Epiſcoporum. At verò arbitror, quando dimiſſoriæ expediuntur more Conſtantienſi paulò ſuperiùs deſcripto, preſbyteratum ſufficientiſſimè contineri ſub illa formula. *Omnes majores Ordines.* Qui enim dicit *omne* nihil excipit. Et quia illud dicitur Expreſſum, tum quod ſub expreſſo continetur. Barboſa *Axiomat. 89. n. 5.* poſt Pariſium, Rolandum & alios, tum quod ex natura verborum inducitur. Idem Barboſa ex Bartolo, & aliis. Preſbyteratus autem continetur ſub expreſſo nomine *omnium* Ordinum majorum, inducitúrque ex natura eorundem, idcirco juri communi conſentaneè loquitur, qui clauſulam. *Omnes Ordines etiam majores* expreſſè extendit ad Preſbyteratum, nec exiſtimo huic doctrinæ repugnare Doctores ſuperiùs citatos. Si tamen alicubi vigeat alia conſuetudo, debebit dimiſſus ſubjicere ſe illi. Etenim Epiſcopus loci non tenetur à ſua conſuetudine recedere propter extraneum. Quamvis revera Chriſtiana charitas ſuadeat, ut gratificetur h
ſingulariter, quando nequit ſine notabili incommodo Oratoris exſpectari, donec è propria Oratoris Diœceſi adveniat declaratio.

Nec ullo modo dubitandum eſt, quin, quando in dimiſſoriis exprimitur clauſula: *Ad omnes Ordines, etiam majores*, intelligatur etiam Preſbyteratus, quandoquidem omne gratioſum reſcriptum intelligendum eſt ſecundùm proprietatem ſimul, ſimul & uſum communem, niſi aliud ſtatuatur in Jure. Atqui nihil prorſus peculiare in Jure ſtatuitur circa hanc ſpecialem ampliationem.

Nec obeſt, quòd dicatur ejuſmodi Reverendas eſſe ſtrictæ interpretationis. Ad ſervandam i
enim naturam ſtrictæ interpretationis nequaquam neceſſarium eſt, ut verba improprientur, aut contra ſuam naturam reſtringantur, ſed per ſe loquendo ſufficit ut non improprientur per extenſionem factam ob paritatem rationis argumentationem à majori ad minùs, & alia, ob quæ alia Beneficia, ſeu merè gratioſæ diſpoſitiones extrahuntur extra limites ſui proprii ſignificati.

Receptum eſt in Scholis tam Theologicis, k
quàm Juridicis, tametſi diſpenſandi delegata facultas ſit latè interpretanda, ipſam tamen actualem diſpenſationem eſſe ſtrictè ſumendam, & nihilominus, ut declarem exemplo huc apprimè faciente, optimi Doctores, ut P. Coninck *diſp. 33. De Sacrament. dubio 2. n. 29. & apud Dianam Parte 8. Tr. 3. Reſolut. 36. Texeda in Theol. morali Tom. 2. Lib. 4. Tr. 3. n. 29.* tradunt, ſi Pontifex diſpenſet cum aliquo ut *Ordines* recipiat talem diſpenſationem extendi poſſe ad Ordines *majores.* Cujus doctrinæ contrarium licèt communiter teneant alii, attamen ei favent Calderinus, Decius, Rebuffus, Navarrus, & Covarruvias apud Dianam *loc. cit.* dicentes, diſpenſationē non eſſe ita reſtringendam, ut non extendatur ad omnia, quæ ſub rigoroſa verborum ſignificatione continentur.

Ex hactenus quà indicatis, quà explicatis, 591
& probatis deduces reſolutionem horum.

Caſuum

Caſuum ſeptenorum.

PRimus eſt noſtri Oldradri, *qui fuit uſus literis dimiſſoriis, etiam poſtquam ſuus Epiſcopus juſſit ipſi indicari, ne Ordines ab alio Epiſcopo acciperet.*

Etenim illa indicatio non fuit ullo modo habenda pro revocatione gratiæ priùs conceſſæ. Sed præciſè pro prohibitione utendi gratiâ conceſſâ, permanentéque, vel potiùs pro inſinuatione ſimplici, quòd non eſſet neceſſarium Oldrado, ſe conferre aliò. Atqui dicere: *Non eſt neceſſe, ut Privilegio conceſſo utaris*, non eſt dicere: *Revoco Privilegium conceſſum.*

592 *Secundus* illius: *qui cum legitimis dimiſſoriis ſui Epiſcopi ſuſcepit ab alieno Epiſcopo feriâ ſextâ 4. temporum 4. Minores, & Sabbato pòſt Subdiaconatum, cùm tamen non eſſet iis literis inſerta diſpenſatio ſuper interſtitiis.* Reſpondet enim Navarrus *Lib. 1. conſ. conſ. 6. De Temp. Ord.* peccâſſe in *ſecundo* Caſu propter cauſam allatam *num. 493.*

593 *Tertius* illius, *qui dimiſſorias, ut à quocunque Epiſcopo ad omnes Sacros Ordines promoveri poſſet, à quodam Prolegato conſtituto Vicario obtinuit, & poſtea à diverſis Epiſcopis Sacros Ordines cum dictis dimiſſoriis ſuſcepit.*

Nam rectè reſpondet idem Navarrus *loc. cit. conſ. 26.* illum incurriſſe pœnas jure ſtatutas, eò quòd ille Vicarius nec eſſet Epiſcopus, nec Vicarius Epiſcopi *Originis*, nec *Beneficii*, nec *Domicilii*, nec etiam Vicarius Prælati Religioſi, eſto fuerit Vicarius Anconitanus.

594 *Quartus* illius, *cui primo Anno vacantis Eccleſiæ Burgenſis Nuntius Apoſtolicus Hiſpaniæ dedit adhuc puero literas dimiſſorias, ut poſſet ordinari ab aliquo Antiſtite cum teſtimonio idoneitatis, quarum vi accepit Primam Tonſuram in eadem Eccleſia vacante.*

Licèt quippe Navarrus referens hunc Caſum *loc. cit. conſ. 27.* damnet tam Ordinatum, quàm Ordinantem, quia tamen probabile eſt ex dictis ſuprà *num. 573* Nuntium poſſe expedire tales literas, Sede vacante, & ſuam gratiam non limitavit excludendo tempus Sedis vacantis, imò potiùs videtur reſpexiſſe hoc tempus, idcirco ſatis credibile eſt, potuiſſe utrumque excuſari.

595 *Quintus* illius Hiſpani, *qui commorans Romæ petiit dimiſſorias à ſuo Epiſcopo, quæ & conceſſæ fuerunt, ſed priuſquam pervenirent Romam, fabricavit ille falſas dimiſſorias, quarum virtute inſignitus fuit quatuor Minoribus.*

Etenim ſapienter reſolvit Navarrus *conſ. 33.* illum peccâſſe mortaliter ſuâ illâ fraude.

596 Addit rectè idem Navarrus, illum hominem non fuiſſe incurſurum pœnam ſtatutam in promotos ſine licentia ſui Epiſcopi, eſto ſuſcepiſſet etiam Subdiaconatum. Etenim erat jam data licentia ante Ordinationem. Licèt ergo non fuerit Ordinatus ex vi verarum dimiſſoriarum, fuit tamen verè Ordinatus cum dimiſſoriis veris.

Sextus Abbatis, *Qui nondum Preſbyter conceſſit dimiſſorias famulo ſuo ſæculari.* 597

Talis quippe peccavit mortaliter, non quia dedit eas nondum exornatus charactere Sacerdotali, ſed quia Abbates non habent univerſim jus dandi dimiſſorias, niſi Religioſis ſibi ſubditis. Suprà *num. 567.* Sic etiam reſpondit Navarrus *loc. cit. conſ. 37.*

Septimus illius rurſum Hiſpani, *qui acceptis dimiſſoriis ſui Epiſcopi Granatenſis, ut poſſet ordinari ab Epiſcopo Giennenſi, reliquit hunc, & curavit ſe initiari à Cordubenſi.* An licitè? 598

Placet mihi diſtinctio P. Quintanadvenæ *Singul. Tr. 6. Singul. 19.* ratiocinantis hoc modo: Vel Epiſcopus Granatenſis habuit ex ſe ſpecialem rationem dimittendi ſuum illum ſubditum ad Epiſcopum Giennenſem potiùs, quàm ad quemcunque alium, hácque ratione inductus conceſſit dimiſſorias, non conceſſurus eas ad alium. Et tunc malè fecit ille Orator accedendo Cordubenſem. Aut non habuit ex ſe, & motu proprio ullam ejuſmodi rationem ſpecialem ſed fortè tantùm ideo, quòd eſſet vicinior, & tunc non deliquit ille Orator. Qui tunc ſingulariter eſt tutus, quando ſuus Epiſcopus conceſſit ipſi non motu proprio, ſed ad inſtantiam ipſiuſmet Oratoris, qui expetivit ejuſmodi limitatam gratiam. Quod enim ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium, & incommodum retorquendum, ut habet *Regula 61. in 6.* & adjuvari nos, non decipi Beneficio oportet, inquit Paulus Jureconſultus *L. In commodato. ff. Commodati, vel contra, §. Sicut.* 599

ORDINATUS CUM, AUT ABSQUE PATRIMONIO.

CASUS XV.

Navarræus.

SUMMARIUM.

Caſus Patrimonii multùm controverſi. 600.
Deſcribitur Sanctio Tridentina de Patrimonio. 602.
Quale Patrimonium exigatur generatim? 603.
Epiſcopus tenetur ſuſtentare eum, quem promovit ſine Patrimonio. 603. & ſeqq.
An fingens Patrimonium incurrat pœnam? 604.
Sufficientia Patrimonii unde æſtimanda? 610.
Caſus Alumni Pontificii fruſtra allegantis privilegium promotionis abſque Patrimonio. Ibid. in App.
Quantum exigatur Conſtantiæ? 610.
Quantum alibi? 611.
Patrimonium debet conſiſtere in imobilibus. 613.

Conſtantiæ ſufficit, ſi nobilis, qui conſtituit Patrimonium, promittat, ſe ex ſuis bonis ſuppeditaturum victum. 615.

Literæ dimiſſoriales Conſtantienſes, quæ continent, dimiſſum eſſe inſtructum tali Patrimonio, admittuntur alibi. 616.

Conſuetudo loci ſpectanda in qualitate Patrimonii. 617.

Quid ſi Papa diſpenſet cum clauſula: Conſtito priùs, quòd tu Patrimonium ejuſmodi verè, & realiter poſſideas. Ibid in App. lit. a.

Quatenus non liceat alienare Patrimonium? 618.

Caſus alienantis poſt Subdiaconatum Patrimonium ſuum. 623.

Et illius, qui mentitus fuit, ſufficere Patrimonium, quod offerebat Ordinatori. 624.

Et alterius Ordinati cum titulo Patrimonii ſubjecti reſtitutioni. 625.

Item Organadi, offerentis pro Patrimonio reditus ſuæ artis Muſicæ. 626.

Etiam Doctor Theologiæ repellendus eſt, ſi careat Patrimonio. 627.

600 *Patrophilus accepit juſtum Patrimonium à Patre, ut Sacros Ordines acciperet, & poſſedit illud multo tempore, & adivit bellum, in quo diu militavit, & Pater putans, illum eſſe mortuum, donavit illud Patrimonium ſuæ ſorori, ſi mortuus eſſet in bello. Sororius ejus donavit ei prædium ferè æquivalens ad ſe Ordinandum, ſed antequam ſe ordinaret, obligavit ſe ad ſolvendam certam pecuniam ſorori ſuæ nuptæ, & poſtea cum dimiſſoriis Ordinarii ad titulum donationis præfati prædii datis ſuſcepit omnes Ordines. Quæritur, an ſuſpenſionis pœnam incurrerit, & celebrando ſit factus irregularis?*

601 Par eſt, ut & hunc Caſum inſigniam nomine ſapientiſſimi Martini Navarri, quandoquidem hactenus tam multos mutuatus ſum ab illo, æquè atque hunc expreſſum hiſce verbis *De Temp. Ordinat. conſ. 18.* Hujus ſolutioni præmittam cùm alia complura, tum ſanctionem Sacroſanctæ Synodi Tridentinæ *Seſſ. 21. Cap. 2. De Reform.* apprimè facientem ad hunc & *XVI. Caſum*, ſic enim decernit.

602 *Cùm non deceat eos, qui divino miniſterio adſcripti ſunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere &c. ſtatuit Sancta Synodus, ne quis deinceps Clericus ſæcularis, quamvis ſit alias idoneus moribus, ſcientiâ, & ætate, ad Sacros Ordines promoveatur niſi priùs legitimè conſtet, eum Beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſtè ſufficiat, pacificè poſſidere. Id verò Beneficium reſignare non poſſit, niſi factâ mentione, quòd ad illius Beneficii titulum ſit promotus, neque ea reſignatio admittatur, niſi conſtito, quòd aliunde vivere commodè poſſit. Et aliter facta alienatio nulla ſit. Patrimonium verò, vel penſionem obtinentes ordinari poſthac non poſſint, niſi priùs perſpecto, Patrimonium illud, vel penſionem verè ab eo obtineri, aliáque eſſe, quæ eis ad vitam ſuſtentandam ſatis ſint, atque deinceps ſine licentia Epiſcopi alienari, extingui, vel remitti nullatenus poſſint, donec Beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere poſſint, antiquorum Canonum pœnas ſuper his innovando.*

Hactenus Synodus, circa cujus Decretum notanda ſunt ſequentia. 603

I. Pro ſæcularibus *licitè* Ordinandis debet adeſſe titulus verus vel Beneficii Eccleſiaſtici, vel Patrimonii, aut penſionis Eccleſiaſticæ, ut liquet ex verbis Concilii. At pro Regularibus ſufficit titulus paupertatis, quem cum titulo Beneficii explicabimus *ſequenti Caſ. XVI.* Ita autem requiritur unus ex hiſce titulis, ut, ſi Epiſcopus quempiam Ordinet ſine legitimo titulo, teneatur illum ſuſtentare. *Cap. Cùm ſecundùm. De præbend.* cujus ſunt hæc verba: *Tamdiu per Ordinatores & Succeſſores eorum provideri volumus Ordinatis ſine titulo, donec per eos Eccleſiaſtica Beneficia conferantur.* Hæc autem pœna tunc ſolùm habet locum, quando ille Ordinator ſcivit, aut ſcire potuit, alterum carere legitimo titulo. Secùs, ſi hic alter confinxit falſas literas, quarum fraudem nequiit deprehendere Ordinator, ut rectè Jordan. *Elucubr. Vol. 1. Lib. 3. Tit. 6. n 363.* Nemo enim alterius dolo, aut malignitate prægravandus eſt, ut conſtat ex juribus vulgaribus. Quo in 604
Caſu licèt hic fraudulentus homo non incurrat facto ipſo ullas pœnas. Garcias *de Benef. Part. 2. Cap. 5.* Barboſa *de Offic. Epiſc. Alleg. 20. n. 27.* Jordan. *loc. cit.* ita quippe declaravit Congregatio, ut teſtantur hi, aliíque DD. attamen poteſt, deprehenſâ fraude, graviter puniri ab Epiſcopo. Qui Epiſcopus, licèt, ut dixi, graviter peccet, atque ſuſtentare teneatur illum, quem ſciens Ordinavit ſine titulo, non tamen incurrit ipſo Jure ullam aliam pœnam. Ita citati propter expreſſam Declarationem Cardinal. apud ipſos. Ut proinde illa ultima verba, quæ ex Concil. Trid. deſcripſimus *n. 602.* in fine de renovatione pœnarum, intelligantur de renovatione ſolius pœnæ expreſſæ *in cit. c. Cùm ſecundùm*, id eſt, pœna alendi ſic promotum. Ita Congregat. Cardin. & citati DD. contra Navarr. Sanch. Suar. Bonac. *De Sacram. Diſp. 8. Punct. 24.* Palaum *Tr. 27. Punct 12* qui fortè non viderunt illam Declarationem.

II. Titulus ille non requiritur pro Minoribus Ordinibus, ſed ſolùm pro Majoribus. Et 605
ita quidem, ut ſi quis ſuſcepto Subdiaconatu, amiſiſſet ſuum titulum, nondum ſuſcepto Diaconatu, deberet pro Diaconatu eſſe omnino proviſus de alio, quia verba Tridentini Concil. generaliter inhibent promotionem ad *Sacros* Ordines ſine titulo. Bonacina *loc. cit.* & alii communiter.

III. Ca-

Digitized by Google

606 III Cæterùm, cùm eſt ſermo de pœna Epiſcopi Ordinantis ſine titulo, intelligitur Epiſcopus, partim qui ex officio, partim qui ex ſola commiſſione ordinat. Inprimis enim, qui ſuoſmet ſubditos ita ordinat, abſque dubio tenetur alimentare taliter ordinatos. Id quippe ſingulariter, & præcipuè intendit Synodus Tridentina, & *cit.* capitulum. *Cùm ſecundùm*, i-
607 témque *cap. Si Epiſcopus. De præb. in 6.* At verò de illo, qui alienis, ac proinde ex ſola commiſſione, & delegatione confert Ordines, eſt hæc diſpoſitio *cit cap. Si Epiſcopus. De præb. in 6. Si Epiſcopus, cui, nullis perſonis expreſſis in genere, commiſiſti, ut vice tuâ Ordines in tua Diœceſi celebraret, ad ſacros Ordines promoverit quempiam, titulum non habentem, ei (cùm in culpa fuerit taliter ordinando eundem) tenebitur vita neceſſaria miniſtrare, donec &c. ſi verò certas commiſiſti eidem ordinare perſonas, tu taliter ordinato ad prædicta obligatus exiſtis.* Quæ deciſio cùm etiam poſt Tridentinum vires obtineat, teſte Jordano *n. 371.* apparet, an, & quibus teneantur Reverendiſſimi Domini ſuffraganei proſpicere de neceſſariis, ſi quibus deſtitutis titulo legitimo impoſuerunt manus. Verùm ſtandum eſt hac in re potiùs jure conſuetudinario, quàm ſcripto.

608 IV Nomine ſucceſſoris intelligitur in verbis capituli *Cùm ſecundùm* inprimis Capitulum, Sede vacante, deinde is, quem poſtea elegerit vel Capitulum, ſeu alius, ſicuti & quando Capitulum, Sede vacante, hîc peccat, tenetur Epiſcopus poſteą electus. Jordan. *n. 36.*

609 V. Obligatio alendi promotum ſine titulo non urget, quando promotus nihil quidem habet in propriis bonis, attamen habet patrem divitem. Licèt enim peccârit Ordinator, admittens talem ad Ordines, ut liquet ex verbis Tridentini, & notat Jordan. *num. 333.* onus tamen alendi non incumbit Epiſcopo, quia pater jure naturali tenetur alere filium, éſtque compellendus ad alendum. Barboſa *l. c. n. 4. & ſeqq.* Urget autem, ſi vel patrimonium non eſt, nec fuit ſufficiens. Tenetur quippe Ordinator ſupplere defectum. Barboſa *loc. cit. n. 20.* poſt Henriquez *Lib. 10. c. 17* & Graffiis. Vel fuit quidem initio ſufficiens, ſed alluvione periit. Idem Barboſa *num. 11.* reſtringens ad Caſum, quo parens nequit tali filio proſpicere.

APPENDIX. I.

a SEd nec, *per ſe loquendo*, incumbit alendi obligatio illi Ordinario, qui initiat ſimilem illi, quem exhibet.

Caſus hic hodiernus.

H*Odie quippe me convenit Pontificius in Univerſitate Dilingana Alumnus, petens ordinari in Subdiaconum ſine titulo beneficii, patrimoniique, idque idcirco, quòd tales Alumni potiantur privilegio Apoſtolico; cujus vigore poſſint à quolibet Epiſcopo initiari abſque utroque titulo, & quidem extra tempora, modo à Rectore illius Academiæ (qui, & Collegii noſtri Rector eſt) obtineant communicationem dicta gratia, quam et ſi exhibuit hic Dominis Examinatoribus, atque etiam ipſimet Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo D. Epiſcopo, paſſus tamen fuit repulſam utrobique, partim quòd non modo non conſtet, fuiſſe hactenus datum in hoc Epiſcopatu locum huic privilegio, ſed etiam extet unius ſaltem exemplum, cui fuit negata inauguratio. Partim quia videtur ſubeſſe periculum, ne ſi taliter ordinatus poſtmodum nequeat ſe alere, moleſtia faceſſatur ipſi Ordinatori juxta Concil. Tridentinum. Partim denique, quia adeſt Novum Statutum Epiſcopale, vetans, ne promoveatur etiam patrimonio inſtructus, ſi non ſit proviſus de Beneficio, particularibus autem Statutis non deroget illud Papale indultum.*

b Hæ rationes partim adferebantur, partim adferri poterant, ac proinde judico, potuiſſe conſideratis omnibus, repelli illum Candidatum, non potuiſſe autem conſideratis earum duntaxat nonnullis.

In primis enim non oberat non uſus præciſè talis privilegii. Notum eſt enim, privilegia juri tertii non præjudicantia non evaneſcere per non uſum. Quare ſicut *per ſe loquendo* deliquerunt Epiſcopi, qui exhibito hoc privilegio, cùm eſſet recens, noluêre ſuos Diœceſanos (ſecùs de exteris, nec enim tenetur loci Ordinarius initiare alienos, etſi inſtructos dimiſſoriis, ſicuti erat is, de quo hîc ſermo dimiſſus à Papa) eo donatos promovere, re enim verâ hoc privilegium præbet Diœceſanis tale jus petendi promotionem (abſtrahendo à periculo moleſtationis, de quo paulò pòſt) quale foret, ſi nulla lex præſcriberet exhibitionem tituli menſæ, ita & delinquerent, qui ei locum non darent idcirco præciſè, quòd non conſtaret de ullo uſu, ſicuti patet etiam in illo, qui eſt diſpenſatus in ætate. At verò ſi fuit bis, térve negatus locus tali privilegio, nunquam autem datus, dici poterit conformiter ſtylo plurimorum tribunalium Eccleſiaſticorum, civiliúmque eſſe præſcriptum contra illud.

Periculum alendi talem in neceſſitate nullum ſubeſt, quandoquidem id onus ſuſcepit in ſe Papa privilegians tales, atque dimiſſoriis inſtruens, ut liquet *ex c. Si Epiſcopus.* quod deſcripſi hoc ipſo *n. 607.* Et noverat utique Pontifex, qui id impertitus eſt, neminem pro alieno commodo debere jacturam ſentire *L. Si quando. C. De teſtib.* privilegiáque eſſe intelligenda ſine præjudicio tertii, niſi id exprimatur.

Digitized by Google

tur. Calderinus *conſil. 525.* aliàs *conſil. 11.* Fateor tamen, ſubeſſe, ſubfuiſſéque periculum aliquale moleſtationis, atque litis in caſu inopiæ intentandæ, vel quaſi, quod periculum multis poſſit videri ſubminiſtrare cauſam ſufficientem ad repulſam, præſertim reſpectu extranei. Denique omnino credo ob rationem allatam, eo privilegio non derogari ſtatuto particulari de non ordinando non Beneficiato, quod etſi conditum eſt propter ſolos Diœceſanos *directè*, poteſt tamen, accedente conſuetudine, extendi ad extraneos.

APPENDIX II.

Quandoquidem facta eſt in *præcedente* Appendice mentio Alumnatûs, facilè ignoſcet Lector attexenti illum, qui Alumnatui ſimilis hoc Anno 1674. vix dum inchoato contigit,

Caſum ſtipendiati.

a *Exſtat in Univerſitate N. ſtipendium, cujus collatio ſpectat alternatim ad Epiſcopos* A. & B *ita tamen, ut in fundatione cautum ſit, quòd ſtudioſus ad id promovendus debeat eſſe Magiſter Philoſophiæ, & auditor Theologiæ. Vacante nunc hocce ſtipendio ad interventum Epiſcopi* A. *præſentatur ab Epiſcopo* B. (*utpote, penes quem eſt pro hac vice collatio*) *Titius, juvenis à Magnifico P. Rectore N. & ſuis Profeſſoribus tam de inſigni doctrina, quàm morum integritate commendatiſſimus, ſimúlque pauper, & ad proſequenda ſtudia ſua promotionis hujus ſummè indigus. Verùm expreſſe inſeritur præſentationi, quaſi jam ſit Philoſophiæ Magiſter, & ſtudioſus Theologiæ, quod tamen utrumque prædicatum præſentato competet primùm poſt quinque menſes.*
b *Quæritur, utrùm defectu hoc non obſtante, ſubſiſtat præſentatio in ipſius perſonam facta, poſſitq; hic uſurpari illud vulgatum*: Proximè accingendus habetur pro accincto, *vel utrùm neceſſariò recurri iterum debeat ad Epiſcopum* B. *præſentantem pro facta ſuæ præſentationis declaratione, aut ſiquâ opus ſit diſpenſatione, cujus ſit in præſenti Caſu diſpenſare, an Epiſcopi* B. *tanquam pro nunc collatoris, an potiùs Epiſcopi* A. *tanquam loci, in quo ſtipendium exſtat fundatum, Ordinarii?*

c Hiſce verbis rogatus, lite pendente, ſententiã. Reſpondi 1. non ſubſiſtere *per ſe loquendo*, præſentationem, utpote manifeſtè repugnantem veriſſimæ quidem, at, prô dolor, tam facilè violari ſolitæ monitioni ſimul & præceptioni Gregorianæ *in cap. Ultima 13. q. 2.* conceptæ his verbis: *Ultima voluntas defuncti omnibus modis ſervanda eſt*, atque habenda pro Lege. *Authent. Secundum verò. De nupt. Coll.* 4. fuiſſe autem ultimam voluntatem teſtatoris, ut non valeret præſentatio ita defectuoſa, probatur variis rationibus. 1. Enim repugnat in omnĩ ſenſu, adeóque proprio, comuni, legali, verbis teſtatoris, ergo & menti, cùm ſit talis mens, qualia verba ſumpta in uno ex his tribus ſenſibus. Doctores *in L. Labeo. ff. De ſupell. legat.* Unde illud Baldi à me alibi laudati effatum: *Tuba cordis ſunt verba oris.*

Accedit, quòd, cùm Caſus ſimiles præſenti ſint frequentiſſimi, eos utique præviderit teſtator, fundatórque talis ſtipendii, ergo ſi voluiſſet excipi, excepiſſet, per ea, quæ in ſimili dixi *in præcedente Appendice.* Et verò nihil ſtabilitatis ineſſet ejuſmodi non minùs piis, quàm ſapientibus diſpoſitionibus, ſi eas ſubjiceremus hoc genus interpretationi, cùm tamen ſummè interſit boni publici, propugnare omni poſſibili modo tam ſanctas, támque proficuas Eccleſiæ fundationes. Eas enim acriter propugnando, non ſolùm educantur perſonæ magis idoneæ regendis animabus, ſed inſuper incitantur alii viri opulenti ad ſequenda laudatiſſima exempla jam vitâ functorum, ſicuti vice verſâ avertuntur à faciendis piis fundationibus, quando vident, audiunt, tam facilè agi contra diſertiſſima verba inſtrumentorum ſolenniſſimorum. d

2. Omnes Juris, aut Theologiæ periti pugnantes pro interpretatione legum, ſtatutorum, contractuum, & pactorum ad literam obſervandorum, prõmunt pro Achille, & principali argumento decantatiſſimam legem: *Non aliter. ff. De legat. 1.* ita ſonantem: *Non aliter à ſignificatione verborum recedi oportet, quàm cùm manifeſtum eſt, aliter ſenſiſſe teſtatorem*, ita ut hæc lex habeat tot patronos, & aſſeclas, quot univerſæ Bibliothecæ continent defenſores legum, ſtatutorum, contractuum, & pactorum, in genuina ſignificatione intellectorum. Exſtant autem innumeri ejuſmodi defenſores. e

3. Omnes nôrunt, ſtatuta & ſententias eſſe ſtrictæ interpretationis, ab his autem argumentum valere ad ultimas voluntates, docet poſt alios Everhardus *Loco 52.* Tuſchus *lit. a. concluſ. 196.* Barboſa *in Loco 105.* f

4. Contractus particulares, pacta particularia, adeóque ultimæ etiam voluntates intelligenda ſunt in dubio juxta communes leges aliquid ſtatuentes de ſimili re. P. Ferdinandus à Caſtro Palao, & alii alibi à me nominati. Atqui Leges exigentes certam ætatem, certas qualitates pro Ordinibus ſacris, aut Beneficiis Eccleſiaſticis, e. g. volunt, ut adſint tunc actu illæ qualitates, quando eſt re ipſâ conferendus Ordo, aut Beneficium, ut ex communi declaravi in ipſo hoc *Tract. 8.* ſuis locis, quia videlicet g

licet res non judicatur ex eo, quod erit, ſed ex eo, quod eſt. Felinus *in cap. Cùm adeò. De Reſcript. n. 4.* non enim ſecundùm futuri temporis jus, ſed ſecundùm præſens æſtimari debet ſtipulatio. *L. Continuus 137. ff. De verb. oblig.* nec deſtinatio attenditur, aut habetur pro facto. Felinus *n. 5.* ubi etiam Brocardicam appellat materiam deſtinationis poſt Alexandrum. Et rectè, atque appoſitè ad noſtrum Caſum ſtipendiarii præmiſerat, hòc ipſo, quòd jura ſtatuunt, ut ſolis Clericis conferantur beneficia eccleſiaſtica, horum incapacem eſſe, qui de proximo eſt Clericus, niſi ſit actu Clericus, quantumvis incedat in habitu, & tonſurâ jam jam promovendus. Atqui de ſimilibus ſimile ferendum eſt judicium. *Cap. 2. De Tranſl. Epiſc.*

h Et verò illa Felini doctrina non ſolùm eſt obſervata perſæpe in Reverendiſſima Curia Conſtantienſi, ſed etiam apprimè quadrat noſtræ reſponſioni, oſtenditque, illud pronuntiatum: *Accingendus de proximo, habendus eſt pro accincto*, non ſolùm eſſe intelligendum in ſenſu improprio, & ficto, ſed etiam habere locum in iis ſolis caſibus, in quibus jura, & conſuetudines obtinuerunt, ut proximè accingendus pro accincto habeatur. Vide Cardinalem Tuſchum *in Pract. qq. lit. A. concluſ. 8.* & Barboſ. *Axiom. 4.* obſervantes, dictum Axioma tunc ſingulariter non habere locum in cauſa favorabili, quando ſpes eſt fallibilis: ſpes autem Magiſterii obtinendi primùm poſt quinque menſes eſt fallibilis ex non uno capite, præſertim his bellicis temporibus, Palladi infeſtis.

i 5. Cùm Epiſcopi debeant eſſe forma gregis ex animo, minimè convenit, ut contravenien do illi fundationi confirment intolerandum pruritum, ne dicam libidinem, peſſimè interpretandi, corrumpendi, evertendi ejuſmodi ultima elogia. Expertus loquor, quàm ſæpe, & indignè moleſtentur Patres Rectores hujus Collegii noſtri Conſtantienſis, qui cùm ex antiquo habeant jus ultro conceſſum à piis fundatoribus quà nominandi, quà inſtituendi conſimiles alumnos, patiuntur identidem importunas preces, aut etiam vexationes, partim à propinquis eorum, pro quibus ſunt inſtituta ſtipendia, partim ab iis, penes quos eſt cenſus annuus, dum jugiter inſtant ii, ut agatur contra clariſſimam fundationem, comminiſcentes interpretamenta alieniſſima à mente piorum, ſapientum fundatorum, & interdum obtrudentes alienum, ſeu extraneum pro ſtipendio fundato in favorem alicujus certæ familiæ.

k Imò primùm nuper auſus eſt nonnemo patrocinari uni, qui, cùm ratione fundationis obligatus fuerit operam dare Theologiæ, dederat Juriſprudentiæ. Patrocinabatur autem idcirco, quòd reperiantur multi Parochi, & Canonici, qui, licèt nunquam frequentârint ſcholas Theologicas, attamen æquè, imò magis proſint Eccleſiæ, quàm qui Theologicas. Sanè poterat retorqueri: Ergo licèt fundator expreſſerit, ſtipendium eſſe dandum iis ſolùm, qui ex tua cognatione nati ſunt, poterit nihilominus concedi alteri. Etenim reperiuntur multi ex alia familia æquè, imò magis apti gubernandis, regendis Eccleſiis, quàm tui filii, aut cognati, agnatíve. Hæres non poteſt venire contra factum defuncti. *L. Cùm à matre. C. De rei vindic.* ergo nec legatarius, nec executor *licitè*, aut *validè* contraveniunt.

Ad 2. quæſtionem reſpondeo, eſſe omnino l
recurrendum ad Epiſcopum *B.* qui præſentavit, docendúmque de nullitate ſui actus, ac proinde rogandum, ut vel alium nominet prædítum duabus requiſitis qualitatibus, dummodo non judicetur futurus notabiliter minùs idoneus bono publico, quàm Titius, vel ſequatur doctrinam, quam apud Barboſam *cit. Axiom. 6.* ſuggerunt Flaminius, Paris, & Maſſobrius, ut ſcilicet dicat: *Præſento Titium proximè inſigniendum laureâ Magiſtrali, & peto ei dari reale jus ad ſtipendium, ut primùm fuerit creatus Magiſter &c.* Qui præſentandi modus eſt utique validus *per ſe loquendo*, at hîc non uſurpandus, ſi fundator ſanxit, ut quàm primùm vacaret ſtipendium, ſufficeretur alter. Hoc enim caſu non video, cur ſi alius idoneus, & ſecundùm tenórem qualificatus ſupplicet pro illa conditione, repelli poſſit. Quòd ſi nemo alius prenſet, poterunt, meo judicio, reditus curſuri uſque ad impletionem conditionis de Magiſterio, donari Titio pauperi, cùm intelligam, eos eſſe hoc tempore dimidia ex parte aceiſos, ac proinde tenues.

Ad 3. quæſtionem reſpondeo, ſi eſt locus diſ- m
penſationi, hanc fieri debere ab Epiſcopo loci, in quo aſſervatur fundatio, alter enim eſt merus executor, executori autem nullum planè jus competit diſpenſandi *Argum. Trident. Seſſ. 22. Cap. 6. de Reform.* imò nec huic, aut ulli Epiſcopo; nulla enim lex, aut canon tribuit Epiſcopo talem poteſtatem, ſed duntaxat *commutandi. DD. in cit. cap. 6.* Tridentinæ Synodi: commutandi autem ex cauſa duntaxat *juſta*, & *neceſſaria.* Trident. *ibid.* Erit autem cauſa juſta commutandi in proximè accingendum, ſeu futurum proximè Magiſtrum, ſi nòn ſit, qui ambiat, nec enim teſtator impoſuit alterutri Epiſcopo onus ſolicitè quærendi, an hic aut ille Magiſter, qui prenſat, ſit notabiliter inferior ingenio, probitate &c. Titio, & inſuper gaudens bono patrimonio.

Theologiam quod attinet, cùm intelli- n
gam Titium re ipſâ operam dare Morali, certò dicendus eſt explere conditionem de Theologia, Moralem quippe eſſe propriiſſimè Theologiam, liquet ex iis, quæ profero *in Quinario Tract. 2. Cap. 6.* ſeu in Vindiciis Theologicis adverſùs Jureconſultos.

Caſus

Digitized by Google

Caſus alter Stipendiarii.

o *NEmeſius exigit ab Illuſtriſſimo, ac Principali Cœnobio N. compenſationem annuorum cenſuum, debitorum ab Annis plus triginta. Debitorum autem, ut prætendit Nemeſius, ob octingentos Imperiales Thaleros mutuò (ut loquimur in Germania, cùm tamen non ſit propriè contractus mutui, ſed cenſualis) datos illi Cœnobio à Nicolao Parocho, conſanguineo Nemeſii, cum onere, ut prædictum Cœnobium annuos illorum octingentorum imperialium cenſus penderet uni poſt alterum, ac deinceps filiis, nepotibúſque deſcendentibus Nemeſii, qui aptus foret literis condiſcendis, ac proinde in ſtipendium literarium. Hactenus autem nihil planè cuiquam è Cœnobio, hujúſve officialibus ſæcularibus innotuit. Hoc verò debitum, haud aliter probat Nemeſius, quàm inſtrumento munito tum ſubſcriptione duarum Monialium, tum appreſſione ſigilli Monaſterii; Monialium, inquam, teſtantium, ſe audiviſſe ex ore nominati Nicolai Parochi, cui, utpote ſanguine juncto, diu inſerviverant in longa ægritudine, è qua etiam is extinctus ſit, quod illam ſummam pecuniariam curaverit, ipſe ab officiali N. tradi prædicto Cœnobio, cum onere, ut præmiſſum annuæ penſionis præſtandæ deinceps uni è deſcendentibus Nemeſii navaturo operam ſtudiis literarum.*

p Quæritur igitur 1. *Utrùm ſint in foro conſcientiæ compenſandi illi præteritorum Annorum cenſus? 2. An ſaltem in futurum perſolvendi in foro itidem conſcientiæ?* Reſpondi ad primum negativè, idcirco quòd in foro etiam conſcientiæ ſtetur (quando res eſt dubia) præſumptionibus, probationibúſque ac ſtylo fori externi. P. Sanchez *De Matrimon. Lib. 7. Diſp. 37. n. 12.* Et aliis locis ab ipſómet citatis *ibidem*, atqui una ex parte dubium eſt, an Cœnobium N. revera debeat refundere illos antiquos cenſus. Ex altera, ſi hæc cauſa deferatur ad forum Eccleſiaſticum, ſicuti deberet ſuppoſita communiore doctrina Tiraquelli *Tr. De privileg. piæ cauſæ* Verſ. *Item relictum*, quod cauſa ſtipendii pro ſtudiis literarum accenſenda ſit piis, utpote ſpectans bonum commune. Si, inquam, hæc controverſia decidenda eſſet à judice Eccleſiaſtico, diceret inprimis: Nullius teſtimonio, quantumvis Religioſus *NB.* exiſtat, niſi juratus depoſuerit, in alterius præjudicium debet credi. *Cap. Nuper. De teſtib.* Atqui illæ duæ Moniales nullum præſtitere juramentum.

Quòd ſi fortè objiciatur, appreſſionem ſigil-
q li unius communitatis ex praxi multorum tribunalium ſupplere vices juriſjurandi, ſaltem tunc, cùm teſtes jam exceſſêre è vivis, probo datam reſolutionem in primis textu citati Cap. *Nuper*, quandoquidem Parochus ille nullo juramento firmavit ſuam aſſertionem. Probo deinde textu notando Legis *Nullus ff. De teſt.* pronuntiantis: *Nullus idoneus teſtis in re ſua intelligitur.* Parochus autem Nicolaus edicit, ſe curaſſe illam ſummam Cœnobio tradi per officialem N. ergo eſt teſtis in propria cauſa. Palàm enim eſt, eam eſſe propriam cauſam, cujus emolumentum vel damnum ad aliquem ſuo nomine pertinet, ut loquitur *I. C. in L. 1. §. In propria ff. Quando appell.* Equidem ſi officialis N. interpellatus negâſſet illi Plebano ad huc ſuperſtiti, ſe quidquam unquam ab eo accepiſſe pro Cœnobio, jactura illius ſummæ pertinuiſſet ad Parochum, utpote qui fraudatus fuiſſet grata, piáque ſui memoriâ procuranda per realem nepotum, abnepotúmque promotionem ad literas humaniores, & ſeveriores. Sed eſto, teſtetur Angelus de cælo, eas pecunias fuiſſe à Parocho traditas Titio, ut deferret ad Cœnobium, non idcirco legitimè probaretur, fuiſſe reipſa traditas, nec enim officialis ille ampliùs vivit. Et licèt viveret, non tamen eſſet ipſi neceſſariò fides habenda ſine jurejurando affirmanti factam eſſe à ſe illam numerationem, imò quamvis non uno, ſed pluribus juramentis id, conteſtaretur, hæc tamen infringerentur in primis vi citatæ legis *Nullus*, deinde argumento à conſuetis *Cap. Inſpicimus de Reg. juris in Sexto.* Eſt autem conſuetiſſimum, ut quando celebratur ejuſmodi contractus, petatur, tradatúrque Antapocha, ut cum multis loquitur P. Pirhing. *Tom. 2. in Ius Canon. tit. 22. ſeu de fide inſtrument. n. 5.* Id eſt teſtimonium acceptæ pecuniæ. Item ut referatur in Codicillos, ſeu Regiſtra, quid, à quo, quo die, & ob quid ſit tam notabilis, & ob tam ſpecialem finem accepta ſumma. Atqui nec umbra horum omnium reperitur.

Ad hæc credibile non eſt, quòd nemo ex nunc r
ſuperſtitibus incolis illius Cœnobii quidquam ſciret de illa ſumma accepta, ſi verè accepta fuiſſet. Sicuti nec facilè quis adducetur, ut credat Nemeſio fortè opponenti fuiſſe illam Parochi diſpoſitionem incompertam tamdiu, quoad in lucem protraheretur illud ſcriptum teſtimonium ſanctimonialium. Si compertum habuit, cur ſiluit tamdiu? Sanè non videtur poſſe reddi ratio tam diuturni ſilentii circa tantam ſummam, ac temporibus tam iniquis, quàm fuere circa Annum 1652. ac deinceps, quo Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo conſcripſerunt illud inſtrumentum indicatæ Moniales.

Ex quibus omnibus infertur, inprimis nihil cogitandum eſſe de obligatione compenſandi Cenſus Annorum præteritorum. Infertur deinde nec inpoſterum poſſe jure illos exigi, quandoquidem rationes in medium adductæ non minùs virium habent reſpectu præteritorum,

quàm

quàm futurorum. Quia verò intelligo, illud illuſtriſſimum Cœnobium libenter eſſe inpoſterum pariturum, velléque teneri obligatione fundationis ſtipendiariæ expreſſæ in inſtrumento memerato, idcirco non immoror ulteriori probationi, ſed magnopere commendo illam optimam reſolutionem, ſeu propoſitum.

f Videri quidem poterat, utrumque meum reſponſum fulciri poſſe titulo præſcriptionis tanti temporis, quo nihil ſolutum, nihil petitum. Verùm, quia ex una parte ſuprà indicavi, placere mihi opinionem ſentientium, fundationes pro ſtipendiis literariis annumerandas eſſe cauſis piis, ex altera verò illum titulum non patrocinari, niſi poſt quadraginta Annos à cœpta præſcriptione, ſicut ex communi obſervat Leſſius de *Jure, & Juſtitia L. 2. Cap. 6. n. 25.* poſt Covarruviam, ignoro autem, utrùm jam effluxerint illi Anni quadraginta, & ſi effluxerunt, an non fuerint interrupti bello Suecico, aut ſanctionibus Imperialibus, quibus, ut audio, fuit aliquot à finito illo bello Annis inhibita omnis actio reſpectu veterum debitorum, eam ob rem abſtinui hoc probationis uſitatiſſimo argumento.

e Sed ecce! necdum erat integrè deſcriptum reſponſum meum ad præcedentem Caſum ſtipendii, cùm me convenit Proculus, ac rogavit reſolutionem dubii de hoc

Quaſi legato.

SOror mea famulata eſt, inquiebat ille, multis Annis alicui viduo ferè omnibus membris capto, & quidem ita ſervivit ipſi, ut famuli ſimul, & ancillæ vices ageret per quinque Annos, etiam curam equorum habuerit, totámque œconomiam adminiſtrârit, támque ſedulò adfuerit illi diu noctúque in morbo moleſtiſſimo, ut propter ſomni defectum, aliáſque moleſtias morbum contraxerit. Qua de cauſa ſuus Herus illam valde, honeſtè tamen, amabat. Porrò ille ipſius Herus videns appetere mortem, priuſquam advocaret tabellionem, qui in chartam referret ſuas facultates, atque ultimam voluntatem, vocavit ad ſe ſororem meam, ac mandavit, ut ex quadam ciſta acciperet ſacculum pecuniæ, ſibique adferret. Attulit, dixitque Hero. Quid, amabo, vis facere cum iſta pecunia? *Reſpondit is*: Utique tu libenter haberes hoſce nummos. Expecta, nondum ſum mortuus, ito & ſacculum pone infrà lectum, & cave ne quidquam cuiquam de hoc ſacculo aut pecuniis unquam dicas. *Paulò pòſt moritur viduus, nullos habens neceſſarios heredes. Reſeratur ipſius ultima diſpoſitio, ac deprehenditur omnia, præter illum ſacculum legâſſe ad diverſas pias cauſas, & ſimul centum florenos meæ ſorori, & nulla prorſus mentione facta abſcondita pecuniæ. Sciſcitatur nunc ſoror mea, quid ſibi faciendum illo ſacculo, poſſitne eum ſervare bona conſcientia?* Ita ille Proculus. Cui ego reſpondi videri mihi poſſe omnino ſervare.

u Primò, & fundamentaliter, quia ſicuti nemo præſumitur abſolutè inteſtatus decedere ſaltem in locis, in quibus communis eſt uſus teſtamentorum, ut videre eſt apud Maſcardum *De probationibus Vol. 3. concluſ. 1352. n. 7.* præſertim cùm non adſunt neceſſarii hæredes. Ita etiam nemo præſumitur, nullam feciſſe diſpoſitionem de aliqua parte ſuorum bonorum, in recenti memoria exiſtentium, ſiquidem argumentum à toto ad partem valet. Everhard. *in Topicis loc. 80.* præſertim cùm Jus Civile non patiatur, ut quis partim teſtatus, partim inteſtatus decedat *L. Jus noſtrum. 7. ff. De Reg. juris.* Fuit autem Viduus teſtatus de aliis ſuis bonis. Igitur certò præſumendum eſt, illud etiam de iis pecuniis diſpoſuiſſe per ultimam voluntatem, atque hanc declarâſſe verbis, aut facto, nequit autem, ut ſuppono, nominari quiſquam, qui poſſit ullo verbo, aut facto probare veroſimiliter, eſſe ſibi legatum illud peculium, probat autem veroſimiliter de ſe illa ancilla. Primò, quia ſicut argumentum & præſumptio à vicinitate loci eſt non levis momenti, Menoch. *Lib. 5. Præſumpt. 10.* ita vel maximè præſumptio à vicinitate actûs magnas vires habet apud Jureconſultos, ut non ſemel obſervavi in hoc opere. Prius autem quàm Viduus vetaret, ne ancilla verbum ullum unquam faceret de iis pecuniis, fuit facta expreſſa mentio diſpoſitionis de illis, quando videlicet pronuntiavit ea verba, quæ ſuperius retuli, & quorum illa: *Nondum ſum mortuus.* ſatis clarè indicabant, nummos, de quibus erat ſermo, ceſſuros poſt ſua fata in jus ancillæ, nec enim videntur admittere alium aptum ſenſum.

x *Secundò*, quia diſertè vetuit, ne ancilla cuiquam loqueretur de eodem parvo Theſauro. Quid ergo illo faciet ancilla? An relinquet eo loco, quo abdidit mandato ſui Heri? At cui bono? Erogabítne in pias cauſas? quis eam conſtituit diſpenſatricem? Et cùm ſit, ut eſſe ſolent ancillantes, tenuis fortunæ, cauſa quoque dotis accenſeatur piis. Tiraquellus *De privileg. piæ cauſæ in præfat. fol. 6. §. Item cum*, an non ſaltem hoc titulo applicabit ſibi licitè? Et nunquid in tam accipiti negotio privilegium bonæ fidei poſſidentis, vel quaſi, itémque primò occupantis bonum derelictum favebit ipſi?

y *At* inquies: hoc ipſo quòd Herus expreſſe legaverit ipſi notabilem ſummam pecuniariam, ſatis indicavit, ſe nolle quidquam ulteriùs obvenire ipſi ex ſuis facultatibus. Ita quidem replicabat vir doctus, cum quo hunc ancipitem eventum contuli. Verùm, quia ſpecies facti ſatis indicat, illud legatum non exceſſiſſe terminos remunerationis debitæ ex gratitudine, non difficulter intelligitur, occultatam illam pecuniam, fuiſſe illi relictam ex mera benevolentia, atque amore, de qua ipſa ſpecies facti. Cùm præſertim, ſi manifeſtâſſet illam ſummam, potuiſſet venire in ſuſpicionem inhoneſti commercii, cum tam diuturna

apud

Digitized by Google

apud ſe habitatione junctâ manifeſtato amori.

610 VI. Porrò ſufficientia tituli æſtimari debet juxta qualitatem perſonæ, atque loci conſuetudinem, inquit Barboſa *n. 3.* cui non aſſentior quoad qualitatem perſonæ, non enim ſpectatur hîc, utrùm quis ſit Nobilis, Doctor, filius Principis, ut rectè Jordanus *n. 298.* & priùs illo Garcias *Part. 2. Cap. 5. n. 114. & ſeq.* cum aliis contra Ignatium Diaz. Siquidem ſolet in quaque Diœceſi determinari quantitas patrimonii una, atque eadem reſpectu omnium Diœceſanorum, varia tamen pro varietate Diœceſeon. Et quidem in hac noſtra Conſtantienſi extat hæc Synodalis Conſtitutio *Part. 1. Tit. 14. n. 12. Patrimonia contineant mille, aut ad minus octingentos communes Imperiales florenos, ut videlicet in omnem eventum Clericus pro ſui ſuſtentatione quinquaginta, aut quadraginta annuos florenos habere poſſit, ne cum Clericalis Ordinis dedecore mendicare cogatur.* Hi annui 50. floreni non efficiunt plus, quàm viginti ſeptem Scuta Romana, ac tres Reales, quæ ſanè ſumma non ſufficit ad alendum competenter ullum etiam infimæ ſortis ſacerdotem, quandoquidem nomine victûs comprehenditur etiam veſtitus, & habitatio *L. 43. & 44. ff. De*

611 *Verb. ſignificat.* Quia tamen eadem ſumma ſufficit ad vitam tolerandam, & ſine dubio multæ aliæ Diœceſes, & nominatim Baſileenſis *Conſtit. Part. 1. art. 11.* contentæ ſunt hujuſmodi annuâ penſione, videtur poſſe non incongruè dici, citatum Capitulum *Cùm ſecundùm* non eſſe aliter uſu receptum, quàm ut in caſu tituli ab Epiſcopo requiſiti, aut neglecti enaſcatur obligatio proſpiciendi de ſolo victu neceſſario vitæ conſervandæ. Equidem teſtatur Garcias *loc. cit. n. 120.* decretum eſſe in Diœceſi Hieracenſi, ut ſufficiant in patrimonii titulum 25. Ducati annui, etſi Neapoli exigantur 36. & P. Palaus *Tr. 27. punct. 11. num. 1.* ſic ſcribat: *Crederem, nullius patrimonii, vel Beneficii reditus ſufficientes eſſe, niſi valorem centum Scutorum attingerent.* Sed certum eſt, huic credulitati non dari locum in Germania, in qua fortè Domini Epiſcopi, docente experientiâ, didicerunt, ſæculares, qui titulum ſubminiſtrant, eſſe ita alienos à prodigalitate, ut nolint aſſignare pluſquam annuos 50. 60. florenos, ſeu 20. Ducatos.

612 VII. Quòd ſi patrimonium ſolum non ſufficiat, ſufficiat autem juncto tenuiſſimo, & ſeorſim inſufficienti Beneficio, recuſari non debet. Bonac. *Diſp. 8. De Sacram. punct. 5. num. 29.* & alii.

613 VIII. Licèt verò *Patrimonii* nomine veniat, quidquid Clerico obvenit ex bonis paternis, aut aliunde, debet tamen conſiſtere in bonis immobilibus certis, determinatis, ut cognoſci queat, an ſit ſufficiens ad congruam ſuſtentationem, nec inconſulto, ut mox dicetur, Epiſcopo alienari poſſit, priuſquam Beneficium, aut aliud quid acquiratur ad ſuſtentationem ſufficiens. Ita loquitur Jordan. *337.* poſt Navarrum ſuprà *n. 561.* relatum, P. Azor *Part. 2. Lib. 5. c. 4. q. 7.* Garciam *n. 105.* & Barboſam *alleg. 19.* cum P. Palao *Tr. 27. P. 11. n. 8.* explicantes, quomodo patrimonium poſſit fundari in cenſu redimibili, ſicut & P. Pirhing *Lib. 1. in Jus Canonic. Tit. XI. n. 73.* declarat quatenus ſufficiat penſio aſſignata, & præſtanda à Laico.

IX. Infert autem ex ſupra dictis Jordanus 614
n. 336. non ſufficere, quòd quiſpiam promittat ordinando, ſe omnia neceſſaria victui ſubminiſtraturum, etiamſi fortè urgeret penuria ſacerdotum. Ita etiam declaravit Pontifex, teſte Gallemart. *in Trid. Seſſ. 21. C. 2.* Barboſa tamen *l. c. n. 73.* ſentit contrarium, quando adeſt talis penuria, fortè quia tunc videtur minus damnum timendum, ſi admittatur tale patrimonium, quàm ſi, eo non admiſſo, debeat Eccleſia carere perutili, aut neceſſario miniſtro, cùm præſertim ſit in tali circumſtantia ſpes *moralis* obtinendi brevì Beneficium. Et denique Garcias *cit. c. 5. n. 126.* referat aliam Declarationem contrariam relatæ à Gallemart. Unde doctrinam Barboſæ confirmat hic

Caſus Conſtantienſis, & Quotidianus.

Nos Conſul, & Senatus urbis N. hiſce literis promittimus, ſi prædictus NN. poſt 615
adeptam primam Ordinationem, quæ Subdiaconatus nuncupatur, ob ſupervenientem corporis infirmitatem non poſſit ampliùs fungi Clericalibus officiis, aut alia ex cauſa careat neceſſariis ad ſuſtentationem, priuſquam Beneficio Eccleſiaſtico legitimè inveſtiatur, nos tunc ex bonis noſtri Hoſpitalis (aut communitatis) proſpecturos ipſi de cibo, potu, veſtitu, aliíſque ſtatui ſuo convenientibus, juxta formam S. Concil. Trident. Datum N. Anno N. die N.

Ejuſmodi literas patrimoniales habui per- 616
multas in manibus, interrogatus, an eæ ſubſiſterent. Et primò quidem imbutus communi, fundatáque in Concil. Trident. doctrinâ multùm dubitavi, utrùm ejuſmodi conſtitutio patrimonii eſſet probanda? Quia tamen deciſio pendebat unicè, & ultimatè à judicio Reverendiſſimi D. Ordinarii, reſpondi, eſſe explorandum, ſtandúmque illo. Poſtmodum lectis ipſiſmet Conſtitutionibus Synodalibus reperi, *in Part. 4. Tit. 9.* eſſe in iis præſcriptam typo Germanico hanc ipſam formulam, ita ut, licèt, quando parentes plebei conſtituunt ſuis liberis patrimonium, exprimant ſuis nominibus, aut adjunctis fundum, vel fundos, in quibus illud ſitum ſit, attamen, puando Monaſteria,

Comi-

Digitized by Google

Comites, Communitates laicæ, aut etiam unus aliquis Nobilis offert titulum patrimonii, non exprimat aliud, quàm quòd ex ſuis bonis, ſeu bonorum reditibus ſit proviſurus tali aut tali, & ad id ſe aſtringat, donec, &c. quo talium Perſonarum more ſtandum eſſe, notat P. Pirhing *loc. cit.*

617 Video quidem, hanc formulam adverſari pleriſque Doctoribus nominatis, ipſique Concilio Tridentino poſtulanti, ut patrimonium verè *obtineatur* ab ordinando, quia tamen hæ Conſtitutiones Synodales jam abhinc Annos plus ſexaginta obſervantur, ut ſonant deſcripta verba, certúmque eſt, eſſe conditas, atque approbatas à viris piis, doctis, prudentibus, nec repugnant ullo modo juri naturali, & fatetur Barboſa relatus *n. 614.* pluréſque alii, patrimonii qualitatem eſſe definiendam conſuetudine loci, atque arbitrio, ſeu judicio Epiſcopi, ut exprimit idem Barboſa *in Trid. Seſſ. 21. c. 2. De Reform.* cum plurimis, quos addenſat. Et Diana *P. 5. Tr. 10. Reſ. 4.* cum Flaminio, Zechio, Leandro, quos citat, ſequitúrque P. Eſcobar *Theol. Moral. L. 12. probl. 88.* & denique credibiliſſimum eſt, eos, qui prædictas Conſtitutiones condiderunt, approbârunt, fuiſſe priùs expertos ſynceritatem, ac fidelitatem providentium de titulis in eam formam conceptis, idcirco nemo meritò dubitabit, quin mos iſte poſſit, & hoc ipſo, quòd ſit omnino inveteratus, ínque Cancellariarum tabularia relatus, debeat tolerari, ídque abſque metu peccati ab hac, aut illa parte incurrendi per ſe. Eam ob rem quoties mihi offeruntur ejuſmodi Patentes literæ, eas approbo, & approbatum iri reſpondeo.

APPENDIX. III.

a AT, quid ſi Pontifex diſpenſet pro *extra*, vel ſuper ætate, adjiciendo illam ultimam clauſulam, quam deſcripſi in Appendice *ad num. 495.* hanc ſcilicet: *Conſtito priùs, quòd tu patrimonium ejuſmodi verè, realiter, & pacificè poſſideas*, poterítne Conſtantienſis Diœceſanus, non inſtructus alio patrimonio, quàm quale deſcripſi ex Conſtitutionibus Synodalibus, promoveri ad Sacros Ordines? Ratio eſt, quia ne quidem gratioſum Reſcriptum extendendum eſt ad Caſum nulla proprietate, uſúve verborum ſignificatũ. *L. Non aliter, §. Titius, ff. De legat. 3.* Laymannus *in Theol. Moral. Lib. 2. Tr. 4. Cap. 23.* nam etiam privilegium in ſua forma ſervari debet. Gloſſ. *in cap. Porrò. De privil.* atqui nulla verborum proprietas, nullus eorum uſus deſignat per veram, & actualem poſſeſſionem patrimonii jus ad fructus ex bonis indeterminatis, iiſque alienis percipiendos.

b Quapropter inprimis non dubito, quin ſaltem in iis Diœceſibus, in quibus non eſt uſu legitimo recepta formula conſtituendi Patrimonii, quam ex ſtylo Cancellariæ Conſtantienſis exhibui ſuprà *n. 615.* ſit inhabilis ad fruendum beneficio diſpenſationis, cui non eſt proſpectum de patrimonio diverſo ab eo, quod exprimit eadem formula Conſtantienſis. Deinde addo, eſſe mihi veroſimilius, quòd ne quidem in locis, in quibus uſitatiſſima eſt illa clauſula Conſtantienſis, valeat proviſio patrimonii ſignificati prædictâ formulâ, quando in diſpenſatione exprimuntur verba, quæ exhibet Breve noſtrum. Ratio eſt, quia *ſic Privilegiorum* (diſpenſationum) *ſervare tenorem debèmus, quòd eorum metas tranſgredi minimè videamur.* Text. *in Cap. Porrò. De Privil.*

Nihilominus tamen, ſi longævus uſus Conſtantienſis Diœceſis e.g. ſolitus eſſet etiam Brevia diſpenſationum moderari juxta normam exemplaris, quam deſcripſi *cit. n. 615.* repeterem, & verba, & ſenſum. & efficaciam notiſſimæ Decretalis: *Longeva conſuetudinis non eſt levis autoritas.* c

Necdum erant ab Amanuenſi deſcripta, quæ propoſui de illa formula patrimonii, cùm me convenit Candidatus Sacrorum Ordinum, exhibens ipſum autographum patrimonii impertiti ſibi ab Abbate, & Conventu Monaſterii N. ſuperioris Auſtriæ, atque interrogavit, utrùm cenſerem, eſſe hoc loco admittendum vigore prædicti patrimonii, cujus hæc verba exſcripſi: *Hunc N. ad debitè petitum Canonicæ proviſionis titulum in Eccleſia, & Monaſterio noſtro N. pro Nobis, & ſucceſſoribus noſtris aſſumimus. Ita ut noſtro gratioſè elargito titulo præmunitus ad omnes Sacros Ordines ritè promoveri, ac deinceps proviſione noſtrâ frui poſſit juxta neceſſitatem, & cauſam in ſuis Reverſalibus expreſſam. Datum in Monaſterio noſtro N. Anno 1668. die 14. Iulii.* Porrò in dictis Reverſalibus nihil huc faciens aliud continebatur, quàm quòd Orator promitteret, fore, ut ſe gratum pro occaſione oſtenſurus ſit, ſi Monaſterium ſibi præſtare velit neceſſaria ad ſuſtentationem. d

Reſpondi autem *primò*, admiſſum iri Conſtantiæ, quandoquidem formula Conſtantienſis, quam ſuperiùs deſcripſi, non differt *realiter* ab hac. At verò addidi, non admiſſum iri in locis, in quibus viget uſus, & forma Concilii Tridentini cum Declaratione indicata *n. 614.* multò minùs, ubi conſuetudo ſervat ſenſum verborum, paulò ſuperiùs expreſſorum. *Verè & realiter poſſideas.* Quia tamen ille Orator mihi aſſeverantiſſimè dixit, literas patrimoniales illâ ipſâ clauſulâ conſcriptas admitti abſque difficultate in Archidiœceſi, Saliſburgenſi, Diœceſi Paſſavienſi &c. idcirco eſt in dies facienda minor difficultas circa patrimoniales Conſtantienſes. e

X. Nomine alienationis patrimonii interdictæ à Tridentino intelligitur venditio, diviſio, permutatio, hypotheca, & reliqua omnia, quæ continentur ſub lato vocabulo *alienationis.* Jordanus *l. c. n. 341.* ita ut hæc omnia ſint non ſolùm illicita, ſed etiam invalida. Idem *n.* 618

Digitized by Google

340. ex communi etiam Theologorum apud, & cum P. Palao *Tr. 27. p. 11. n. 11.* contra Suarez *De Cenſ. Diſp. 31. Sect. 1.* id quippe indicat particula: *Nullatenus*, quæ actum reddit nullum. Gloſſ. *in Clement. 1. Verb. Nullatenus. De ſequeſt. poſſeſſ.* Idque verum putat idem Jordanus cum Manrique *quæſtion. Vicarial. Part. 2. Quæſt. 33.* & Barboſa *cit. alleg. 19. n. 89.* contra Garciam: *De benef. P. 2. C. 5. num. 185.* latè, ob voculam: *Donec*, repugnantem cum Palao *loc. cit.* & Barboſa *in cit. text. Tridentini n. 63.* aliiſque, etiamſi quis obtineat alia bona æquipollentia, aut etiam majora ipſo patrimonio, vel Beneficio, ſed tamen agnoſcit idem Jordanus *n. 343.* praxin contrariam ſuæ doctrinæ paſſim obſervari, ſicut, & *n. 344* teſtatur, non æque apud omnes Principes obſervari, quòd patrimonium ejuſmodi frui debeat privilegiis bonorum Eccleſiaſticorum ex communi doctrina, à qua tamen quoad decimarum præſtationem diſſentit Barboſa *l. c. n. 91.* cum Ric-
619 cio, quem citat. Vide Palaum *n. 17.* explicantem hanc doctrinam communem, & inſuper diſputantem in utramque partem, utrùm patrimonium à patre aſſignatum pro titulo debeat computari cum legitima?

620 XI. Nefas eſſe, accipere donationem patrimonii cum pacto redonandi etiam ante aliam proviſionem factam, conſtat ex verbis, & mente Concilii Tridentini. An verò promotus cum tali pacto teneatur illo ſtare, explicat P. Palaus *l. c. n. 19.*

621 Ex his omnibus licet petere reſponſum legitimum ad ſequentes, quà jam indicatos, quà nunc indicandos

Sex Caſus.

PRimus eſt Oldradi, qui, ut vidimus *n. 561.* fuit ordinatus cum patrimonio conſiſtente in ſolis mobilibus. Egit enim Epiſcopus Ordinans contra mentem Tridentini Concilii, & DD.

622 *Secundus* eſt Patrophili, de quo ſuprà *num. 600.* Nam inprimis pater non deliquit donando ſuæ filiæ patrimonium aſſignatum filio. Utpote qui nondum erat ordinatus ad titulum illius patrimonii, quando donavit pater filiæ. Ob quam ipſam cauſam excuſandus. Eſt etiam ſororius, dum loco illius patrimonii dedit ſine fraude, aut coactione prædium aliud ferè æquivalens. Denique nec deliquit Patrophilus, quòd, poſtquam obligavit ſe ad ſolvendam certam pecuniam ſorori, curaverit ſe ordinari ad titulum illius patrimonii, fortè non valentis plus eâ pecuniâ, quam promiſerat ſorori. Re enim verâ nihil egit contra verba Tridentini Concilii. Unde infert Navarrus, non incurriſſe ullam ſuſpenſionem, aut irregularitatem, ut patebit ex dicendis *Caſ. XIX.*

623 *Tertius* illius, *qui Ordine Subdiaconatûs ordinatus ſine Beneficio ad titulum patrimonii, renuntiavit illud in favorem parentum, & poſtea fecit ſe ad ſuperiores Ordines ordinari ab Ordinario, cui facta fuerat fides de titulo patrimonii, cùm ordinaretur ad Subdiaconatum, ignoranti prædictam renuntiationem.* Reſpondendum enim eſt cum Navarro *De Temp. Ordinat. Conſ. 21.* referente deſcriptis verbis illum Caſum, talem non fuiſſe ſine patrimonio promotum ad Preſbyteratum, quia renuntiatio facta patri non valuit juxta dicta *n. 618.* peccavit tamen mortaliter, ſicut idem Navarr *Conſil. 21.* mortalis damnavit illum, qui, antequam promoveretur ad Preſbyteratum, promiſit, ſe hoc adepto eſſe renuntiaturum in favorem concedentis. Si quidem intendebat facere renuntiationem *actualem* contra doctrinam traditam *num. 618.*

Quartus illius, *qui obtulit quidem Ordinatori* 624
titulum patrimonii mentiens ſufficere, cùm non ſufficeret. Reſpondet quippe Navarrus *loc. cit. Conſ. 33.* non incurriſſe quidem pœnas decretas in promotos ſine patrimonio, attamen peccâſſe mortaliter, ſi decepit *in ſumma notabili. At, quænam cenſebitur hic notabilis?* Reſpondet, quinque reſpectu viginti cenſeri notabilem. Quod ego reor eſſe verum in hac Diœceſi, & in aliis, in quibus Domini Ordinarii ſunt contenti exiguo patrimonio. Eſt enim graviter abuti eorum bonitate, ſi adhuc minus aſſignetur à parte rei, & tamen negetur, eſſe minus

Quintus illius, *qui promotus fuit proprio mo-* 625
tu ſui Epiſcopi ad titulum patrimonii ſubjecti reſtitutioni dotis matris ſuæ, quæ tunc erat Monialis, & ſeptuagenaria. Quæritur, an peccârit, eſto revera poſſideret tunc illa bona, licet forſan non omnino ſufficerent ad ſuſtentationem congruam. Reſpondet Navar. *conſ. 36.* de ſufficientia, & inſufficientia, ſicut *in Caſu præcedenti.* Et rectè: Quia tamen ponitur in Caſu, illa bona fuiſſe obnoxia reſtitutioni, ſi fuit *morale* periculum, ne ea repeterentur, priuſquam nanciſceretur Beneficium Eccleſiaſticum, videtur decepiſſe in re gravi Epiſcopum, ſicut & Patrophilus, de quo ſuprà, ſi fuit ſimiliter *morale* periculum, ne præmaturè cogeretur repræſentare ſummam pecuniæ promiſſæ ſorori.

Sextus illius, *qui fungens officio boni Organa-* 626
di, atque accipiens perhoneſtam ſuſtentationem, petiit ſine ullo alio titulo initiari Subdiaconatu. Meritò enim eſt repulſam paſſus propter doctrinam relatam *num. 603.* Et verò teſtatur Gallemart *in cit. cap. 2.* Concilii Tridentini, Congregationem Concilii ita declarâſſe: *Non poteſt promoveri, qui ex induſtria, vel labore honeſto lucratur* (puta, quòd ſit muſicus, magiſter Grammaticæ, pictor, vel alterius licitæ profeſſionis) *ſufficientia ad ſuſtentationem vitæ.*

Hinc communior doctrina cum, & apud 627
Barboſam *in cit. 2. Cap. Trid. numer. 50.* contra Henriq. *Lib. 10. cap. 19.* Avilam & alios negat, eſſe quem etiam Theologiæ Doctorem admittendum ad Ordines ſine ordinario titulo. Equi-

dem

Digitized by Google

dem Synod. Trident. verbis relatis *num. 602.* expreſſè ſtatuit, ut nullus ſæcularis, quamvis ſit aliàs idoneus ſcientiâ, promoveatur ad Ordines ſine uno ex tribus titulis. Rationes plures acervat Eſcobar *cit. l. 23. numer. 397.* habens tamen ſententiam Avilæ pro probabili negante autem D. Reding *Tom. 6. Theolog. Scholaſt. q. 10. a. 3. Controverſ. 3. num. 7.* cum Caſtropalao contra Henriq. poſſe ab Epiſcopo in hac obligatione diſpenſari etiam cum doctiſſimis, probiſſimis.

ORDINATUS CUM TITULO BENEFICII, VEL PAUPERTATIS.

CASUS XVI.

Bis Propoſitus.

SUMMARIUM.

Caſus offerentis pro titulo patrimonii Officium Capellani Aulici. 628.

Beneficium in titulum patrimonii debet eſſe propriè Beneficium Eccleſiaſticum, & quo ſenſu dicatur eſſe jus perpetuum? 631.

An ſufficiat præſentatio ad illud? 633. & 634.

An commoditas vivendi ex ſolis ſacris Votivis? 635.

An alumnatus Pontificius? 637.

Beneficium pro titulo aſſignatum nequit reſignare, niſi factâ mentione tituli. 638.

Caſus promoti tunc ad Ordines, cùm Beneficium erat litigioſum. 641.

Titulus paupertatis quomodo patrocinetur Religioſis? 644.

Decem primi Patres Societatis fuerunt ad titulum paupertatis promoti, priuſquam eſſent Religioſi. 645.

628 *QUadratus fungens honeſto famulatu apud Illuſtriſſimum Comitem N. aſpirat ad ſacros Ordines, deſtitutus quidem titulo patrimonii, attamen certus, ſe, ut primùm fuerit initiatus, receptum iri in Aulicum Capellanum prædicti Domini Comitis, atque ratione hujus Capellaniæ habiturum victum, atque amictum congruentem ſtatui Clericali. Porrò illa Capellania pendet prorſus à nutu D. Comitis, ſiquidem erecta non eſt interveniente autoritate Epiſcopali. Quæſitum fuit, an eſſet ea ſufficiens ad verum titulum pro Sacris Ordinibus?*

629 Ego bis interrogatus reſpondi bis, non eſſe ſufficientem. Ratio petetur ex dicendis in *prima* duarum ſequentium quæſtionum de titulo Beneficii, & Paupertatis.

630 Quæritur enim I. *Quænam ſint obſervanda circa Beneficia, quatenus conferuntur in titulum?* Reſp. Sequentia, præter ea, quæ indicavi *num. 310.*

I. Beneficium, quod pro legitimo titulo conceditur, debet eſſe Beneficium Eccleſiaſticum propriè dictum. Ita DD. citandi in decurſu. Ratio eſt, quia non eſt recedendum à proprietate verborum ſine manifeſta cauſa *L. Non aliter. ff. De legat 2.* Eſt autem Beneficium Eccleſiaſticum *jus perpetuum percipiendi reditus ex bonis Eccleſiaſticis, propter aliquod officium ſpirituale, autoritate Eccleſiæ inſtitutum.* Ita definiunt Leſſius *De Juſt. Lib. 2. c. 34. dub. 1.* Reginaldus *L. 19. n. 78.* Filliuc. *Tr. 41. c. 2.* Laym. *Lib. 4. Tr. 2. s. 1.* ex antiquis Canoniſtis, nec diſſentiunt Navar. *Tr. De redit. Eccleſ. q. 1. mon. 69. num. 4.* & præſertim *Conſil. L. 5. De Simonia conſ. 42.* Rodriq. *Tom. 1. qq. regul. q. 34. a. 4.* Sanchez *L. 7. Summæ c. 29. num. 106.* Suarez *De Horis Canon. L. 4. c. 22. n. 11. & 12.* ac demum Garcias *De Benef. Part. 1. c. 2. §. 1.* conſentiens *n. 79.*

Dicitur verò Jus perpetuum, vel 1. quia datur ad totam vitam, ita ut non poſſit beneficiato invito auferri, *per ſe loquendo.* Leſſius, Suarez, Sanch. Reginald. *ll. cc.* poſt Abbat. & alios. Vel 2. quia non datur ad tempus certum, ſed in perpetuum, donec revocetur ab eo, qui contulit. Leſſius, Laymann. Filliuc. Garcias *ll. cc.* Azor *Part. 2. L. 3. c. 1.* adeóque ſit perpetuum *aptitudinaliter*, ut loquitur Garcias & alii, aſſerentes Beneficia Manualia data ad tempus indeterminatum eſſe verè Beneficia. Vel 3. quia beneficiarius nequit Beneficium reſignare ſine voluntate Superioris. Navarrus *cit. conſ. 42. n. 8.* Vel 4. quia ſemper debet ab aliquo poſſideri, ita ut, quando ab uno deſeritur, transferatur in alterum. Hanc explicationem innuit Navarr. *De redit. Eccleſ. mon. 55. num. 4.* & *de præb. conſ. 5. & 6.* exprimit Sapranis *in Tr. De penſion. cap. 1. q. 8.* & defendit, negans *primum* modum perpetuitatis, etſi non ſciam, qui neget neceſſitatem hujus quartæ perpetuitatis. 631

II. Debet illud Beneficium præbere ſuſtentationem, ſufficientem eo modo, quo de patrimonio diximus ſuprà *n. 610.* exprimúntque DD. addentes cum Ignatio Diaz *in praxi crimin. cap. 18. n. 6.* Garcia *De Benef. Part. 2. c. 5. n. 130.* Barboſa *De offic. Epiſc. alleg. 19. n. 28.* atque aliis, non ſufficere electionem, aut præſentationem ad illud Beneficium, quandoquidem Tridentina Synodus exigit poſſeſſionem, & quidem pacificam, & ſine omni dubio legitimam, quia illegitima poſſeſſio non quadrat ullo modo fini intento à Concil. Trident. 632

Quanquam Jordan *Elucubr. Vol. 1. L. 3. Tit. 6 n. 30.* cenſet, non eſſe improbabilem opinionem Sayri, & Campanilis exiſtimantium, ſi poſt præſentationem, electionem &c. facta ſit collatio, ſeu inſtitutio, atque ſyncerè exiſtimetur, non impeditum iri poſſeſſionem, poſſe quem etiam ante poſſeſſionem ordinari. Dici- 633

tur autem poſſideri pacificè, quando quis poſſidet ſine lite, nec patitur controverſiam *juris*, vel *facti* in judicio, vel extra. Jordan. *n. 303.* præmittens *n. 302.* ex Declaratione Congreg. patere tibi aditum ad Subdiaconatum, etſi primùm poſt ſacerdotium ſuſceptum ſis percepturus fructus tui Beneficii. Et *ſeqq. num.* ſubdens plura de litigioſo Beneficio.

634 III. Nec Vicaria temporalis, nec Capellania ad nutum auferibilis ſufficit pro titulo Beneficii. Diaz, Barboſa, Jordan. *loc. cit.* tum quia nec Vicaria temporalis, nec talis Capellania eſt propriè Beneficium. Tum quia hac ratione non proſpiceretur periculo probroſæ mendicitatis. Quod tamen omnino caveri vult Concil. Trident.

635 IV. Hinc Muſicus Eccleſiæ, in qua propè quotidie poſſet Sacra votiva legendo ſtipendium mereri, non cenſetur habere ſufficientem titulum. Quia jus ad illa Sacra legenda non eſt ullo modo Beneficium. Quare eſt omnino peculiare Privilegium Sixti V. quòd promoveantur Venetiis Sacerdotes deſtituti quidem Beneficio, ſed tamen in perpetuum ita adſcripti, & aſtricti alicui Eccleſiæ, ut ex Sacris quotidianis, quæ faciunt ad inſtantiam piarum mentium, poſſint honeſtè vivere.

636 Vide Breve Sixti V. apud Jordan. *num. 313.* & adde ex citatis, etiam non ſufficere Alumnatum Pontificium, ut declaravit Gregorius XIII. teſte Garciâ *n. 104.* nec etiam aſſignationem ſuper fructibus menſæ Epiſcopalis. Garcias *n. 93.* teſtans, ita declaratum. Vide tamen id, quod de Alumno Pontificio retuli ſuprà *num. 609.*

637 V. Vice verſâ cùm Vicariæ perpetuæ conveniat definitio Beneficii ſuprà allata, non autem Coadjutoriæ cum futura ſucceſſione, fit, ut illa ſufficiat ad titulum, non autem hæc. Ita citati. Limitante Garciâ *n. 132.* ad Caſum, quo Coadjutor non habet tunc jus percipiendi fructûs congruos.

638 VI. Beneficium, ad cujus titulum ordinatus es, reſignare non potes, niſi factâ mentione, quòd ad illius titulum ſis promotus, & niſi conſtito, quòd aliunde vivere commodè poſſis, & aliter facta alienatio nulla ſit. Ita ſtatuit expreſſè Trident. Synodus *cit. c. 2.* ut proinde, corruente alterutrâ ex his duabus conditionibus, corruat & valor reſignationis. Palaus *l. c. n. 10.* ratus contra Navarrum, & Rodriq. hoc verum eſſe, licèt reſerves in ea reſignatione penſionem ſufficientem tibi ſuſtentando. Extendens quoque hanc deciſionem cum Garcia, Barboſa, & aliis ad permutationem etiam in æquivalens Beneficium, ea quippe non valet, niſi Epiſcopo, cum cujus facultate permutâſti, dixeris, illud tuum Beneficium fuiſſe tibi datum in titulum.

639 Ex his deſumenda eſt reſolutio Caſûs de noſtro Quadrato. Certum quippe eſt, ejuſmodi Capellaniæ nullo modo competere deſcriptionem Beneficii Eccleſiaſtici, quandoquidem *prima Regula Iuris in 6.* exprimit, Beneficium Eccleſiaſticum *ſine inſtitutione Canonica* non poſſe obtineri, & talis Capellanus non habet jus percipiendi reditus ex bonis Eccleſiaſticis, ſed ſæcularibus illius Domini Comitis. Et denique Capellanus ejuſmodi eſt ad nutum amovibilis. Ex quibus etiam *per accidens* inferes, ejuſmodi Capellaniam nullatenus ſufficere iis, qui à Dominis Nuntiis Apoſtolicis accipiunt diſpenſationem pro Ordinibus *extra tempora.* Etenim, ut obſervavi *Caſ. XII. num. 455.* non conceditur diſpenſatio, niſi cum *arctatis Beneficio.*

Deduces quoque ex præmiſſis, quid fuerit 640
judicandum de hoc

Caſu.

N Triginta Annos natus fuit legitimè proviſus de quodam Beneficio Eccleſiaſtico, ad cujus titulum, antequam poſſeſſionem adipiſci poſſet, impeditus à ſæculari poteſtate, bonâ fide, ac cum legitimis literis dimiſſoriis ad omnes Ordines promotus fuit.

Interrogatus Navarrus *De Temp. Ord. Conſ.* 641
15. an hic incurriſſet aliquam pœnam? Reſpondit quidem, non incurriſſe. At hæc quæſtio, ac reſponſio ſunt extra præſens propoſitum. Etenim omnes quæſtiones de pœnis differemus ad *Caſ. XVIII.* innuit tamen *n. 3.* & meritò quidem Navarrus, peccâſſe illum bonum virum, quòd, lite pendente, ſuſceperit Ordines, munitus titulo ſolo illius Beneficii. Et poterat quidem utcunque excuſari autoritate Sayri relati *n. 633.* ſi Subdiaconatum ſuſcepit, non ſuſpicatus fore, ut quiſquam impediret aditionem poſſeſſionis, at ſi lis mota fuit inter Subdiaconatum, & Presbyteratum, nihil potuit ei patrocinari in foro *externo*, nihil præter ignorantiam in *interno.* Nec enim ullus Doctor ei favet, damnat verò apertè phraſis Concilii Tridentini.

Caſus triplicis difficultatis.

CUm videlicet Quinctianus promovendus a
ad ſacros Ordines allegabat pro Titulo menſa Canonicatum, cujus in primis ſolam primam poſſeſſionem acceperat, & è quo deinde ante lapſum ſedecim menſium nullos fructus erat percepturus, facientibus illum eorum incapacem Statutis Capitularibus. Et quo denique poterat videri paulò pòſt ſpoliandus ob adeptionem alterius Beneficii, ad quod erat iam præſentatus. Alteri ex illis Reverendiſſimis b
Dominis videbatur neutrum beneficium ſufficere ad Titulum: alter autem cenſebat ſaltem Canonicatum ſufficere.

Roga-

Rogatus ego ſententiam: Reſpondi, nullam ex indicatis circumſtantiis obeſſe, quo minus ille Canonicatus offerretur in titulum. Non primam, quia leges gravamen actui ex ſe licito, honeſtóque apponentes, interpretandæ ſunt potiùs benignè, quàm rigidè. Doctores ex capit. *Odia De Reg. Iur. in 6.* Atqui Synodus Tridentina, dum exigit ab initiando majoribus disjunctivè poſſeſſionem Beneficii, aut Patrimonii, adjungit magnum gravamen ſuſceptioni Ordinum, quæ tamen ſuſceptio eſt actus honeſtiſſimus. Ergo poſſeſſio, quàm exigit dicta Synodus, eſt benignè intelligenda. Baldus in *L. In fraudem ff. De teſtament. milit.* Et cui conveniunt verba Legis in ſenſu vulgari, conveniat & ipſa lex. Tiraquell. in *L. Si unquam* Verbo *libertis Cod. De Revoc. donat.* Atqui verbum *poſſideo* ex communi modo loquendi convenit fruenti prima poſſeſſione. Unde ſiquis ex reſcripto Pontificio habens jus ad vacantem Canonicatum illius Eccleſiæ, in qua dictam primam poſſeſſionem obtinet Quinctianus, depóſceret vi illius reſcripti præbendam Quinctiani, meritò exploderetur. Adde, quòd Doctores relati ſuprà *num. 632* rejiciant illos ſolos, qui ſunt duntaxat præſentati, vel electi.

c Videbatur deinde mihi non obeſſe alteram rationem, ſeu circumſtantiam de incapacitate percipiendi fructus ante menſes ſedecim, ſiquidem & lex Tridentina loquitur de ſola poſſeſſione actuali, non de jure percipiendi mox fructus. Et fundus, qui in Titulum Patrimonii aſſignatur ex diſpoſitione ejuſdem Concilii Tridentini, atque antiquorum jurium tam licitè, quàm validè aſſignari videtur, etſi nullos fructus ante biennium allaturus ſit. Equidem ſtando jure communi debet inter ſuſceptionem Subdiaconatûs & Preſbyteratûs intercedere biennium ſuprà *num. 490.* & tamen Congregatio Concilii ſuprà *n. 633.* declaravit, poſſe quem ornari Subdiaconatu, tametſi primum poſt ſacerdotium percepturus ſit fructus ſui Beneficii titularis.

d Suppoſita veritate) de qua non eſt cur dubitem) hujus Declarationis factæ, non video, cur intercapedo 16. vel 18 menſium, decurrendorum ante plenam poſſeſſionem, videri debeat nimia. Certè neceſſitatem exhibendi actualem titulum, non eſſe ad literam intelligendam, etiam inde infertur, quòd P. Pirhing noſter in ſuo præſtant. *Tom. 3. in Ius Canonicum Tit. XI. num. 71.* teſtetur, non ſervari illam Tridentinam Sanctionem, modò mox poſt promotionem ad Subdiaconatum obtineatur poſſeſſio, adeóque ante inveſtituram.

e Illa conſideratio de Canonicatu amittendo per realem poſſeſſionem Cooperaturæ, capiendam ſtatim poſt promotionem ad ſacerdotium, certò nihil officiebat. Etenim, ut alia taceam, conſtantiſſima conſuetudo hujus Diœceſis, & aliarum Germanicarum habet, ut fruentes ſola prima poſſeſſione alicujus Canonicatûs, ſeu Collegiatæ, ſeu etiam Cathedralis Eccleſiæ, poſſint ante adeptam ſecundam poſſeſſionem, & retinere priſtina, & nanciſci nova Beneficia etiam curata. Et verò poſſe conſuetudine acquiri jus, ut nonnulla Beneficia, etiam integre, perfectéque poſſeſſa non vacent per acquiſitionem alicujus alterius, obſervat inter reliquos idem, de quo paulò antè, noſter P. Ernricus Pirhing *cit. Tom. 3. Tit. De præbend. n. 142.*

Quæres II. *Quænam ſcienda circa titulum Paupertatis?* Reſp. Hæc paucula, & ſufficientia. 642

I. Cùm Religioſa paupertas longè præſtet theſauris omnium Regum, meritò fuit *in Can. Sanctorum. diſt. 70.* ſancitum, ut Religioſis eſſet ſua paupertas loco omnis tituli.

II. Nomine Religioſorum intelliguntur ſoli verè Religioſi, adeóque non Novitii. Barboſa ex communi *De offic. Epiſc. alleg. 19. n. 4.* Imò, *per ſe loquendo*, ſoli verè profeſſi. 643

III. Excipe tamen Religioſos noſtræ Societatis. Ii enim poſſunt ex vi privilegii Apoſtolici Gregor. XIII. & Gregor. XIV. confirmati à Paulo V. & à praxi omnium Epiſcopatuum, poſt emiſſa tria ſubſtantialia vota Religionis, ſcilicet poſt biennalem Novitiatum ante profeſſionem, promoveri ad omnes etiam ſacros Ordines, ut videre eſt apud Vaſquez *Tom. 3. in 3. Part. Diſput. 246. Cap. 6.* alióſque noſtros Scriptores, itémque apud Barboſam, Garciam, Jordanum *locis citatis in præcedenti quæſito.* Sicut illud etiam ſatis ſingulare eſt, quòd decem primi PP. Societatis noſtræ fuerint variis in locis ad titulum paupertatis ordinati, priuſquam ſeſe ſtitiſſent Summo Pontifici pro obtinenda approbatione ſuæ novæ Religionis, utpote quam necdum propriè inchoaverant. Sicut ſingulariter de Sancto Franciſco Xaverio Venetiis ſacerdote creato leges in Relatione pro Canonizatione *fol. 8.* 644 645

ORDINATUS IRREGULARIS, IRREGULARITAS QUOMODO INCURRATUR.

CASUS XVII.

Reſponſi inexpectati.

SUMMARIUM.

Caſus Sacerdotis pro irregulari habiti, quòd mortuus eſſet æger, dum, ſuaſu illius Sacerdotis, attollebatur ab aliis. 646.

At alii negant illam irregularitatem. 647.

Digitized by Google

646 *Rupertus pius Sacerdos, Doctoriſque laureâ ornatus, atque in Chriſtiani officii rationibus evolvendis exercitatus, hominem in via jacentem conſpicatur, comitiali morbo arreptum ſuſpicatur, oculos, cervicémque inflectens, cruore reſperſum illum videt, ferro ſauciatum fuiſſe ſuſpicatur, ad JESU nomen promendum hortatur, hortantis Sacerdotis vocibus commoti non pauci ad corpus vulnerati accurrunt, Sacerdos iis, qui auxilio venerant, ſuadet, ut jacentem erigant. Miſer ille, qui vulneribus confectus erat, dum ſuſtollitur, agit animam. Quæſtio fuit, Sacerdos ille irregularis fuerit, necne, quòd ſuo conſilio celeris interitûs cauſa extitiſſe videretur. In quinque Theologorum cœtu, in quo ipſe intereram, controverſia diſceptata eſt. Excepto uno omnes cenſuimus, in irregularitatem, quæ eſt ex homicidio non voluntario, lapſum eſſe Sacerdotem.*

647 Pater Paulus Comitolus *Reſp. moral. Lib. 6. Quæſt. 52.* ſcriptis mandavit omnia, quæ hîc legis, mi Lector, dicturus, ſi ſis Germanus, hoc reſponſum accidere tibi planè inexpectatum, *ſecundùm ſe*, inexpectatiſſimum, quòd è quinque Theologis non niſi unus ſteterit pro opinione, quàm Germani ſacerdotes hauſerunt *immediatè* vel *mediatè* ex Germanis Theologis, P. Valentia (ſcripſit enim ipſe Hiſpanus, ac typis vulgavit ſuos quatuor tomos Theologicos non ſolùm in Germania, ſed multis Annis, poſtquam cœperat eam illuſtrare docendo) *Tom. 4. Diſp. 6. Quæſt. 3. punct. 3.* Patre Tannero *Tom. 4. Diſp. 6. Quæſt. 10. num. 216.* P. Laymann. *Lib. 3. Tract. 3. Part. 3. Cap. 10. num. 4.* P. Buſenbaum *Lib. 7. Cap. 5. dub. 4. num. 4. & 6.* hi verò Theologi, quos nomino, & quos præcipuè, & frequentiſſimè, præſertim duos poſteriores legunt Germani ſacerdotes, tradunt, Irregularitatem ex homicidio *caſuali* non incurri, ſaltem à dante operam rei non illicitæ, niſi intervenerit gravis culpa, quali caruit hic Rupertus, ut agnoſcit ipſe Comitolus, atque ex ipſa ſpecie facti deducitur.

648 Verùm priuſquam proferam meum de hoc particulari Caſu judicium, enumerabo inprimis ſpecies Irregularitatis, deinde pleraſque breviter explicabo, vel indicabo, ubi jam explicârim, & hoc quidem præſtabo *primâ* Sectione. *Secundâ* producam 23. Caſus de Irregularitate *Factos*, non *Fictos*.

SECTIO I.

Enumerantur, & breviter explicantur ſpecies Irregularitatis.

SUMMARIUM.

Quid, & quotuplex Irregularitas? 649.
Quomodo incurratur ob defectum Sacramenti? 650.
Quomodo ob defectum corporis? 651. & ſeqq. diſtinctè.
Nonnulli defectus animi, & corporis impedientes promotionem ad Ordinem, non impediunt à miniſterio jam promotum. 654.
Ob defectum animæ qui incurratur Irregularitas? 655.
Quid ſingulariter cenſendum de Hæreticis jam converſis? 656. & 657.
Quomodo contrahatur Irregularitas ex defectu perfectæ lenitatis? 657. & ſeqq. diſtinctè.
Quis dicatur inſtructus publicâ poteſtate ad homicidium? 658.
An teſtis dans in neceſſitate teſtimonium cauſativum mortis fiat Irregularis? 659.
Proponitur: explicatur, & variis Caſibus applicatur illa Iuris Regula: Nulla Irregularitas incurritur, niſi in caſibus jure expreſſis. 660. *& ſeqq.*
An incurrat monens carnificem, ut citò expediat reum? 661.
Declaratur illa quæſtio notabili circumſtantiâ interveniente in impia nece P. Edmundi Campiani. 662. & 663.
Et facto Patris Ioſephi Anchietæ. 663.
Quot, & quæ ſint delicta, ob quæ incurritur Irregularitas? 664.
Delictum illud debet, excepto homicidio, eſſe ſecundùm multos notorium. 665.
Et ſciri debet, eſſe ei annexam pœnam Irregularitatis. 666. & 667.
In ſpecie loquendo, Irregularitas ex homicidio (extra defectum lenitatis) non contrahitur, niſi cum peccato coram Deo contra juſtitiam mortali fiat occiſio, vel mutilatio. 668.
Eſto des operam rei illicitæ. Ibid.
Practicè *declaratur illa generalis de peccato mortali doctrina. 669.*
Diviſio homicidii in voluntarium, *&* caſuale *eſt aliter, ac multis placet: intelligenda. 670.*
Non contraxit Irregularitatem ille, de quo eſt ſuprà num. 646. tractatum. 671.
Quid peculiariter notandum de iis, qui inſerviendo ægris timent, ne accelerent mortem, fiantque ideo Irregulares? 672.

Quæres I. *Quid, & quotuplex ſit Irregularitas?* 649

Reſp. Eſt impedimentum à jure Canonico inductum, quo quis inhabilis fit *primariò* quidem ad Ordines ſuſcipiendos, *ſecundariò* autem ad

Digitized by Google

ad Ordinum uſum. Dividitur inprimis in *totalem*, qua quis inhabilis eſt ad omnes Ordines. omnémque horum uſum, atque in *partialem*, qua ſtante, eſt quis nihilominus aptus ad unum Ordinem, non ad alterum, ad Miſſam e. g. celebrandam, non ad Confeſſiones excipiendas. Deinde dividitur in Irregularitatem *ex proprio delicto*, & in Irregularitatem *ex alio defectu*. Multi enim ſunt Irregulares ſine ulla prorſus ſua culpa, ut illegitimi, & cæci nati. Cæterùm Navarrus *in Ench. Cap. 27. num. 192.* non incongruè conſtituit quinque ſpecies Irregularitatis, ad quas cæteræ omnes revocantur, & petitas ex quinque generibus defectuum, ſcilicet *Sacramenti, corporis, animæ, lenitatis perfectæ, & delicti.* Eandem diviſionem ſequitur P. Tannerus *cit. q. 7. n. 177.* & nos quoque.

650 Quæres igitur II. *Quomodo ob defectum* Sacramenti, corporis, & animæ *incurratur Irregularitas?*

Reſp. I. Incurritur ob defectum *Sacramenti* quando initur Matrimonium tale, ut per illud non tam perfectè ſignificetur Chriſti conjunctio cum Eccleſia, quàm communiter ſolet ſignificari. Tale impedimentum eſt bigamia vel *propriè dicta*, quando nimirum quis ſucceſſivè ducit duas legitimas uxores, conſummans Matrimonium cum utraque: vel *interpretativa*, ut vocat Tannerus *cit. q. 10. numero. 183.* cum communi, cùm ſcilicet habet quis copulam carnalem cum legitima uxore, poſtquam fuit ab alio carnaliter intra, vel extra conjugium cognita. Aut *Similitudinaria*, ut nuncupat idem Tannerus, quando ſcilicet quis jam Sacris initiatus contrahit *invalidè* cum aliqua, cognoſcítque eam carnaliter. De qua, ſicut & de duabus prioribus differit diſtinctè P. Joſephus Gibalinus *Tract. de Irregularitate cap. 3. q. 4. n. 9.* obſervans *num. 12.* contra communem, *interpretativam* emergere non ex defectu *Sacramenti*, ſed ex infamia duntaxat uxoris adulteræ, cognitæ poſt adulterium. Quæ ſingularis doctrina poteſt ſaltem in Caſu neceſſitatis eſſe uſui, & addi, ad defectum *Sacramenti Grammaticaliter loquendo*, reduci poſſe defectum *Sacramenti* Confirmationis, de quo ſuprà *Tr. 2. n. 772.* quamvis P. Pirhing *in 2. Decretal. Tit. 11. n. 20.* meritò non repugnet Navarro agnoſcenti culpam ſolùm venialem in eo, qui non confirmatus ſuſcipit Ordines Sacros

651 II. Ob defectum *corporis*, eúmque ſeptuplicem. 1. Natalium, ſicut explicavi *Caſ. XI. Sect. 2.* 2. Alicujus membri. Qui defectus, quando eſt *per mutilationem* ex culpa propria, ut quia *illicitè* tibi abſcidiſti aliquod membrum, inducit Irregularitatem, etſi ſit membri occultiſſimi, nec officientis (ut non officit abſciſſio membri virilis, de qua vide inter alios Toletum *Lib. 1. cap. 63. Regul. 4. & ultimâ*) miniſterio ſacro. Quando autem provenit ſine culpa propria (ut ſi cui ob vitæ conſervationem abſcindantur virilia) non facit Irregularem, niſi reſpectu Ordinis, cujus uſum impedit, aut niſi inducat gravem deformitatem. Hinc carens oculo ſiniſtro, qui vocatur Canonicus à Canone Miſſæ, in cujus lectione ipſe potiſſimùm adhibetur, aut eo nihil videns, eſt quidem Irregularis, non tamen Irregularis, ſi ille oculus ſit integer, id eſt, non erutus, non effoſſus cum gravi deformitate. Et dexter ſit ſufficiens ad legendum Canonem, qua in re poteſt eſſe uſui accommodatio libri, ut poſt Molinam *Tr. 3. d. 70. num. 6.* inquit Laymann. *Lib. 1. Tr. 1. Part. 5. Cap. 7. n. 2.* teſtante Dominico Soto *in 4. diſt. 13. q. 1.* apud Gibalinum *De Irregul. cap. 3. n. 9.* ſe vidiſſe hominem, plane cæcũ, qui ex diſpenſatione Pontificia ſacrificabat.

Subdit porrò Laymannus *loc. cit. num. 5.* 652
ſi pollex mutilatus, vel truncatus ſit ita firmus ut unà cum indice hoſtiam frangere vel elevare queat, poſſe quem promoveri ad ſacerdotium. At nequit mutilatus naſo, vel auribus, niſi deformitas capillaturâ tegi queat. Nequit & ille, qui eſt unipes, aut turpiter claudicans, aut facie valde uſtulatâ, aut deformi gibbo, aut nanus. 3. Valetudinis, vel impediens executionem Ordinis, vel habens adjunctam deformitatem. Nam & leproſi, & morbo caduco, & epileptico obnoxii ſunt irregulares, prout explicavi *in Alphab. Sacrif Caſ. XXIII. n. 829. & 831.* ſicut & teſte Navarro *Conſilior. Lib. 1. conſ. 35.* qui vel ſemel inſeſſus fuit à Cacodæmone. Obſervante è contra Dianâ *Part. 4. Tr. 2.* (in quo habet de ſola Irregularitate Reſolutiones 103.) *Reſ. 73.* Prælatum poſſe diſpenſare cum Sacerdote ſibi ſubdito, & maximè in occulto, etſi ob manus tremulas, chiragram, aut aliud ejuſmodi impedimentum laboret aliquâ inhabilitate obſervandi omnes cæremonias dummodo non oriatur grave ſcandalum, poſſitque ſine periculo complere miniſterium, & maximè ſine effuſione ſanguinis, de quibus defectibus corporis vide duos novos Caſus in duplici Appendice ad finem totius hujus XVII.
Caſûs. 4. Ætatis juxta dicta *Caſu XIII.* 5. Liber- 653
tatis, nec enim poſſunt mancipia adſcribi Clericatui ſine Dominorum conſenſu. 6. Hermaphroditorum, de quibus *Caſ. 1. num. 32.* *Septimus* defectus, qui ſaltem ex parte, ut inquit Tannerus *cit. quæſt. 10. num. 192.* ad hoc caput ſpectat, eſt infamia, quæ partim contrahitur ex natalibus, ſeu probro, & crimine alieno, ſeu ex converſatione propria. Irregularem enim facit infamia juris, & facti, ſicuti benè explicat Laymannus *cit. Part. 5. Cap. 4.* Si tamen ſis à civili magiſtratu notatus aliquâ infamiâ, & hic poſtmodum reſtituat te priſtinæ famæ, quod Germani vocant: widerumb redlich machen / deſinet Irregularitas. Ejuſdem enim eſt abſolvere, cujus ligare, *L. Nemo. ff. De Regul. jur.* Laymann. *loc. cit. num. 10.* Suarez *de Cenſur. Diſp. 48. Sect. 2.* Et ſic reſolvi aliquando in contingentia facti.

Nota autem diligenter, & pro praxi, contingere

tingere plures in individuo defectus tam corporis, quàm animi. Qui, ſi ſuperveniant jam ordinatis, non impediunt, quò minùs hi miniſtrent inOrdine jam ſuſcepto, ſaltem privatim, at ſi præcedant, efficiunt Irregularitatem. Ratio eſt, quia *turpiùs ejicitur, quàm non admittitur hoſpes. cap. Quemadmodum*, §. 1. *De jur. jur.* ergo longè major, cauſa exigitur, ut ab altaris repellatur miniſterio is, qui ſæpe, & legitimè ad aram ſtetit, quàm qui nunquam, e. g. penitus ſurdus. P. Enricus Pirhing *Tom. 1. in jus Canonic. Tit. 20. num. 5.*

655 III. Ob defectum *animæ* incurritur Irregularitas, tum ratione inſcitiæ; de qua ſuprà *Caſu X.* tum ratione puerilis judicii, aut ſtultitiæ, tum ratione paganiſmi, Judaiſmi, aut hæreſis publicæ. Nam ſi fuiſti occultè hæreticus, ac deinde legitimè abſolutus, non es irregularis PP. Tannerus *num. 200.* Laym. *cit. cap. 4. num. 12.* uterque notantes poſt P. Sanchez *Lib. 2. ſumma Cap. 27. num. 28.* Henriquez, Sayrum, Emmanuelem Sa contra Navarr. & alios, filium hæretici parentis ad fidem orthodoxam converſum non eſſe pro irregulari habendum in iis locis, in quibus hæreſis non parit infamiam, ſicut non parit in Germania. Vúltque Gibalinus *de Irreg. Cap. 5. num. 13.* haberi hoc pro certo, & certò ita hîc Conſtantiæ practicatur, tametſi uno, aut altero Domino Nuntio Apoſtolico factum improbante, & ad cautelam diſpenſante, jam factâ ordinatione.

656 Ut proinde Laymann. *loc. cit.* adſtipulante P. Pirhing *in 1. Decret. Tit. 11. num 19.* rectiſſimè approbet praxin Epiſcopatuum ſeptentrionalium, promoventium ad Ordines illos, qui ab hæreſi reſipuerunt, ſubjiciens, eſſe debere certum, quòd cum talibus diſpenſari poſſit per privilegium diſpenſandi ſuper Irregularitatibus omnibus, præter eas, quæ ex voluntario homicidio, mutilatione, bigamia, Natalium defectu contractæ ſunt. Eſt verò apertè deciſum *in Cap. Statutum*, §. 2. *De hæret. in 6.* poſſe ordinari jam catholicum filium hæretici ante mortem converſi, idque in ſpecie obſervant citati cum Suarez *Diſp. 43. Sect. 3.* & Azor. *Part. 2. Lib. 6. Cap. 4. quæſt. 3.* & etiam in hac Diœceſi factitatur. Vide plura infrà *num. 688.*

657 Quæres III. *de Irregularitate ex defectu perfectæ lenitatis, quænam illa ſit, & quomodo contrahatur?*

Reſp. I. Eſt ea, quæ contrahitur ob deformationem juſtam publicâ autoritate factam. Quæ enim fit injuſtè, aut privatâ autoritate, ſpectat ad dicenda infrà. Nomine *deformationis* intelligitur vel mors actu ſecuta, vel mutilatio, ſeu truncatio alicujus membri (non autem debilitatio etiam totalis. Gibalin. *cap. 4. num. 5.* poſt Suar. *De cenſur. diſp. 47. Sect. 1.* & alios contra Silv.) non decreta duntaxat, ſed actu facta. Diana *P. 12. Tract. miſcellan. Reſ. 6.* cum communi contra nonnullos non requirentes executionem ſententiæ. Dicitur porrò, hanc Irregularitatem oriri ex defectu *perfectæ lenitatis*, quia judex, ferens ſententiam ſanguinis in aliquem, non imitatur perfectè lenitatem, & manſuetudinem Chriſti Domini, qui noluit pronuntiare dignam morte mulierem, quæ in adulterio deprehenſa erat. Quíque pro ſceleratiſſimis Judæis Patrem oravit.

II. Hanc irregularitatem incurrunt omnes 658
illi, qui ad deformationem publicâ authoritate in vindictam juſtè factam concurrunt ſponte, & inſtructi publicâ authoritate. Ita ſentiunt unanimiter DD. propter textus juris, quos citavi *in Alphab. ſacrificant. Caſ. XV. n. 452. & 453.* alióſque plures. Dicitur autem concurrere tanquam inſtructus publicâ authoritate inprimis ipſe judex ferens ſententiam deformationis. Tum aſſeſſores. Tabellio, ſeu Notarius ſcribens ſententiam ſanguinis, aut is, qui dictat, vel ſignat ejuſmodi ſententiam, vel eam exequitur, ut carnifex, miniſtríque ipſius, ut lictores. Satellites comitantes, ſeu deducentes reum. Ante hos autem omnes accuſatores, & teſtes, ob quorum teſtimonium, vel accuſationem ſecuta eſt deformatio. Quandóquidem dicuntur omnes enumeratæ perſonæ deformationem cauſaſſe inſtructæ publicâ authoritate, quia ſcilicet acceperunt à magiſtratu poteſtatem pronuntiandi, exequendive ſententiam, ut judex, carnifex, ejúſque miniſtri, vel eam promovere non potuiſſent, niſi præditi certis conditionibus, aut qualitatibus per leges publicas, aut per voluntatem magiſtratûs conceſſis, vel requiſitis, quia nec denuntiator quidem admittitur, ſi ſit hoſtis denuntiati.

Addidi particulam: *Sponte*, ut indicarem, 659
eſſe mentem Gibalini *cit. cap. 4. num. 5. & ſeq.* contendentis, quando teſtis e. g. non poteſt ſine peccato non teſtari in cauſa ſanguinis, haud fieri irregularem, eò quòd Eccleſia non velit inducere ad peccandum. Induceret autem, ſi Irregularitate notaret illum, qui ſub reatu peccati teneretur ferre teſtimonium, citátque pro hac ſententia Coninck *Diſp. 18. dub. 10.* Bonacinam *de cenſ. d. 7. q. 4. P. 3. num. 8.* & alios ex Diana *P. 4. Tract. 2. Reſol. 31.* Etſi autem judex, dum eſt judex, nequeat abſque peccato omittere ſúpplicium hominum noxiorum reipublicæ, quia tamen ſponte admiſit illud Officium, idcirco etiam dicitur ſponte inferre mortem talibus. Ita ille Autor, cujus doctrina negata ab Hurtado *De cenſur. Diſp. 11. Diff. 11.* digna eſt, quæ per otium examinetur, cùm ex ea dependeant permultæ reſolutiones quotidianæ. Certè pluribus in locis ſaltem pars ſatellitum deducentium reum ad ſupplicium adigitur imperio magiſtratûs, ut nihil dicam de quibuſdam aliis huc concurrentibus.

III. Soli illi, de quibus ſum locutus *num.* 660
658. incurrunt Irregularitatem ob defectum perfectæ lenitatis. Covar. *in Clement. Si furioſus* §. 3, & alii apud, & cum Tannero *loc. cit. num.*

Digitized by Google

num. 209. atque Hurtado *loc. cit. num. 39.* contra Cajetan Navarr. alios. Ratio fundamentalis hujus, & aliarum reſolutionum plurium eſt hæc, quia nulla Irregularitas incurritur, niſi in Caſibus jure expreſſis, *Text. expreſſ. in cap. Is, qui, De Sent. excomm.* & quidem ita claré expreſſis, ut meritò dubitari non poſſit, quin ipſamet verba juris extendant ſe ad illos Caſus. Suarez *de Cenſur. diſp. 40. Sect. 4.* aliique plures. Atqui nulla verba ullius Canonis proferri poſſunt, quorum ſignificatio in materia defectûs lenitatis extendatur ad alios Caſus ſeu alia genera perſonarum, quàm indicaverimus.

661 VI. Porrò hunc defectum perfectæ lenitatis contrahunt milites omnes militantes in bello juſto *offenſivo*, ſiquem propriâ manu mutilent. Tale enim bellum ſuſcipitur in vindictam injuriæ. At qui in *defenſivo licitè* quem occidunt, ſunt immunes Irregularitate. Suarez (limitans ad bellum neceſſarium defenſioni Patriæ) *De Cenſur. diſp. 47. Sect. 5.* poſt Navarr & alios. Patebit ex ratione adferenda *num. 669.* Sicut nec contrahit Confeſſarius, qui veritus, ne, ſi diu duret carnificina homicidæ frangendi rotâ, inducatur in deſperationem reus, rogat carnificem, ut valido ictu petat pectus. Aut ut bonum, & bene ſiccum pulverem apponat collo illius, qui eſt vivus exurendus.

662 Hanc ultimam doctrinam in Germania noſtra non planè ignotam, aut inuſitatam illuſtro

Caſu inſolitæ charitatis.

P. Edmundus Campianus ſæpius repetitâ equulei lanienâ in arce Londinenſi ſæviſſimè dilaceratus, nec mitiores dolores perpeſſus, quàm ſuus commilito P. Alexan. Briantus (de quo quidem crudeliſſimus Nortonus quæſtionibus, ſeu torturæ præfectus, jactavit olim per barbarum jocum, equulei vi Briantum uno, quàm ferret natura, pede factum eſſe à ſe longiorem) denique capite in orthodoxæ religionis odium damnatus vimineæ crati imponitur, raptatur è carcere ad infamem ſupplicii locum, jubetur currum conſcendere, collum inſerere laqueo. Subducitur aliquantò poſt currus, cui ſuperaſtabat. Eóque ſubducto pendet pauliſper, faucibus laqueo compreſſis. Abſcindere funem carnifex cùm propere vellet, ut ſpirantem adhuc, aut ſemivivum, quod in Catholicorum ſuppliciis conſuevit hæreſis Anglicana, diſſecaret Campianum, magnorum, qui adſtabant, Virorum imperio prohibitus eſt. Exanimis, præciſo fune, cùm decidiſſet, ſpoliatur. Pectore diſſecto præcordia palpitanti evulſa, in ignémq; conjecta, corpus in partes dilaceratum quatuor. Ea ferventi aquâ elixa conſuetis urbis locis ſpectaculum præbuêre Anno Chriſti 1581.

Hoc crudelitatis Calvinianæ exemplum deſcripſi è Philippi Alegambe libro, cui titulus: *Mortes illuſtres eorum de Societate Jeſu, qui in odium fidei necati ſunt. fol. 99. & 105.* 663

Quæret fortè piè curioſus lector, utrùm hi *magni* Viri non ſint effecti Irregulares. Aſſererent quidem complures è Canoniſtis. Ego autem innixus doctrinæ traditæ *num. 660.* inficior inprimis, incurriſſe Irregularitatem, ob defectum perfectæ lenitatis. Nego deinde, contraxiſſe illam, quæ infligitur ob homicidium injuſtum. Nemo enim jure pronuntiabit, ipſos quidquã peccâſſe adverſùs leges juſtitiæ, quin imò exercuerunt inſigne opus Chriſtianæ pietatis, quòd, non ſine diſcrimine gravis pœnæ, aut mulctæ irrogandæ ſibi à magiſtratu, effecerint, ut longiſſimâ, ſed liberâ vitâ digniſſimus Campianus eriperetur morte leniore, celerioríque. Ergo non eſt, cur demus hîc locum ullum Irregularitati. Vim, & veritatem hujus conſequentiæ petes ex Regula practica tradenda infrà *n. 669.* Sed priùs notabis, & ſaltem in neceſſitate imitaberis

Factum Braſili Thaumaturgi.

Id eſt, R. P. Joſephi Anchieta, miraculis clariſſimi in Braſilia, qui comitatus ad ſupplicium hominem paulo antè à ſe traductum in ovile Petri, ingenii autem ita ferocis, ut ipſe Pater Joſephus prudenter formidaret, ne impatientiâ cruciatuum, quos producebat imperitia carnificis, minùs commodè ſua miniſteria exequentis, induceret reum in gravia peccata, carnificem caſtigatum monet, qua ratione expeditè illo munere fungeretur, inquit P. Sebaſtianus Beretarius in vita Joſephi Lib. 2. fol. mihi 139. *At interrogatus poſtea Joſephus, qui non eſſet veritus Canonicum impedimentum? Reſpondit: quia impedimentum illud, à Divina offenſione ſejunctum, ſuis remediis non caret. Anima illa ſi extremo illo tempore, quod erat in proclivi, à ſuæ ſalutis ſtatu excidiſſet, nulla ſpes ſupererat illam in omnem æternitatem reparandi, quam ut in ea retinerem, non me pigeret illâ notatum labe (Irregularitatis) vitam omnem agere.* Hactenus Hiſtoricus.

Hoc factum, inquam, imitaberis in neceſſitate, cùm ſcilicet obtinget tibi talis, qualis Patri Anchietæ: Nam inprimis, judice hoc ſapientiſſimo viro, non delinques, ipſum imitando. Deinde mihi veroſimillimum apparet, te poti-

Digitized by Google

te potiùs mortaliter peccaturum, ſi non fueris imitatus, quiſque enim ſub peccato lethali tenetur conſtituto in gravi periculo ſalutis ſuccurrere cum aliquo, ſi non extremo, certè mediocri incommodo ſuo. Commentatores in S. Thomam *2. 2. q. 26. a. 5.* Irregularitas autem, ſi quam ponamus ex Navarri, aliorúmq; mente hîc contrahi, non eſt niſi perquam mediocre malum, cùm poſſit perfacilè tolli. Ego autem perſuadere mihi non poſſum, eſſe ullo modo indecens, ut, qui ex Divino charitatis præcepto exercet aliquam actionem, eâ piè, & ſanctè obitâ, fungatur Sacerdotali, adeóq; ſacrificali officio, cùm potiùs habeam ejuſmodi actionem pro inſigni præparatione ad Sacrificium, inſtitutum in robur etiam moriturientium. Quare ſicut aſſentior Patri Henriquez *Lib. 14. Cap. 12. num. 9.* atque P. Avilæ *Part. 7. Diſp. 5. Sect. 2. dubit. 12.* negantibus incurri Irregularitatem à teſte, quando vi præcepti naturalis teſtatur in cauſa ſanguinis, ita aſſentientur & ii mihi in hoc caſu.

664 Quæres IV. *Quot, et quæ ſint delicta, ob quæ contrahitur Irregularitas?*

Reſp. Decem. Irregularis enim eſt 1. committens homicidium autoritate privatâ. 2. Suſcipiens Ordinem Sacrum (non autem Tonſuram, aut 4. Minores) tunc, cùm eſt irretitus aliquâ cenſurâ. 3. Suſcipiens eundem ab excommunicato, hæretico &c. 4. Suſcipiens duos Ordines Sacros uno die. Non autem, ſi uno die ſuſcipiat. 4. Minores, & Subdiaconatum, juxta magis probabilem ſententiam indicatam ſuprà *num. 460.* 5. Faciens ſe promoveri per ſaltum, id eſt, tranſiliendo unum Ordinem. 6. Utens ſolenniter Ordine, quo non eſt initiatus. 7. Violans Cenſuras Eccleſiaſticas, id eſt, exercens Officium Ordinis, à quo eſt ſuſpenſus, aut ſi ſit excommunicatus. Vide infrà *num. 766.* 8. Rebaptizans, aut rebaptizatus ſcienter, quando videlicet ſcitur prior Baptiſmus non fuiſſe nullus, & tamen iteratur. 9. Permittens ſe baptizari ab hæretico. 10. Patrans qualecunque crimen enorme, ſi ſit notorium, & depoſitione dignum. Explicationem ſingulorum reperies apud omnes tractantes de Irregularitate. De ſolo homicidio dicam aliquid ſeorſim, priùs tamen exhibeo has tres Regulas.

665 Regula I, Nullum crimen quantumvis enorme inducit Irregularitatem, niſi ſit notorium, excepto homicidio. Ita expreſſè loquuntur Avila *de Cenſur. Part. 7. Diſp. 4. dub. 7. concluſ. 1.* Nicolaus Garcias *de Benef. Part. 7. Cap. 8. n. 68.* Diana *2. Part. Tr. 17. ſeu. miſc. 3. Reſol. ult.* citátque Garcias pro hac ſententia Henriquez Toletum, Sayrum, Valentiam, Philiarch. Lopezium, & etiam Navarrum *in ſumma Cap. 27. num. 248.* Eſt hæc Regula probabilis ob authoritatem, at abſolutè rectiùs negatur à Suarez loco, quem in ſimili referam infrà *num. 712.* probatúrque textu Tridentini Concilii, quem allego infrà *n. 716.*

666 Regula II. Nullum crimen inducit re ipſâ, & in foro conſcientiæ Irregularitatem, niſi, qui illud patrat, ſciat, Irregularitatem eſſe illi annexam. Ita in terminis, & fuſè contra communiorem Canoniſtarum Diana *p. 4. Tract. 2. Reſol. 85.* poſt Navarr Peregrin. Reginald. Meroll. Sanchez, Cornejo *Tom. 2. Tr. 5. De Irreg. Diſp 6. dub. 3.* legendum, Coninck, Portell. Bonacinam, alios, quos ipſe refert, ac Palaus *de Cenſuris Diſp. 6. p. 6.* habens pro probabili, atque Quintanadvenna *Singular. Tract. 9. ſing. 7. num. 4.* Et extendit Diana ad ignorantem ex craſſa negligentia, excipiens tamen (nec ſine firma ratione, aut praxis authoritate) ab hac Regula homicidium contra Portell. & Hieronymum Garciam, quem citat *Part. 12. Tr. 1. Reſol. 104.* Ratio Regulæ eſt, quia nec excommunicatio, nec ſuſpenſio incurritur, niſi à ſcientibus, actui, quem exercent, eſſe eam pœnam impoſitam. Ergo idem dicendum de Irregularitate ſtatuta præciſè ob peccatum, qualis non eſt ea, quæ ſtatuitur in homicidam, Diana *loc. cit.* contra Portell.

667 Regula III. Quando dubitas, utrùm aliquod ex iis criminibus revera admiſeris, potes, ſtante illo dubio, te gerere, ac ſi ſcires, te non patrâſſe illud. Suarez *De cenſ. diſp. 40. Sect. 6.* & Bonac. *De cenſ. diſp. 1. q. 1. punct. 15.* citans plures. Ratio eſt, quia nulla Irregularitas incurritur, niſi in Caſibus jure expreſſis, ut jam paulò antè dictum *ex cap. Is, qui, De ſent. excomm.* nuſquam autem in jure exprimitur, delicto dubio gigni Irregularitatem. Excipe dubium *facti* de homicidio, ut, ſi ſcias, te commiſiſſe actum mortaliter injuſtum, ex quo potuerit ſequi mors, dubitas autem, utrùm ſit ſecuta ex tuo facto, necne. In hoc enim Caſu (ſecùs, ſi dubites de ſola mutilatione. D. Reding *Tom. 2. a. 7. Controv. 2. n. 6.*) debes te pro irregulari gerere, donec ſcias, non fuiſſe ſecutam, quia ſcilicet ita expreſſè de homicidio deciditur *in cap. Significâſti, & in cap. Ad audientiam. De homic.*

668 Quæres V. *Specialiter de homicidio, quomodo ob illud contrahatur Irregularitas diſtincta ab incurſa ob defectum perfectæ lenitatis, quam ſuprà explicuimus?*

Reſp. Breviſſimè, expeditiſſimè. Tunc ſolùm, quando cum peccato mortali injuſtitiæ perimis aliquem, vel mutilas. Authoritate Gometii, Laymanni, Lugonis, Palai Tanneri, Hurtadi, Turriani, Vaſquezii, atque ratione probavi hanc doctrinam *in Clypeo Clem. Ind. Part. 2. num. 321. Edit. 2.* Authoribus ibi citatis junge Socinum, Ancharanum, Francum, Villadiego, & à Caſtro, quos citat, ſequitúrque Covarruvias *in Clement. Furioſus Part. 2. §. 4. num. 10.* Junge & ſummè à Cenſoribus laudatum Patrem Cornejum *Tom. 7. De Irregularitat. q. 5. diſp. 3. dub. 1. num. 1. junct. dub. 3.* Item Dianam *Part. 4. Tr. 2. Reſol. 10.* junge quoque noſtrum Joſephum Gibalinum in eru-

dite

dito *Tract. De Irregular. Cap. 4. num. 5.* alios addentem, & fundamentaliter hoc dubium ediſſerentem. Atque adeò licèt des operam rei illicitæ, ſi tamen actio, quam exerçes, non ſit hîc & nunc ita periculoſa, ut pecces contra jus naturæ, præciſè ratione periculi occidendi, mutilandi, non fies irregularis. Expreſſè Gibal. *loc. cit. num. 6.* Diana *loc. cit.* poſt Covarruviam, Valentiam *Tom. 4. Diſp. 7. q. 19. p. 3.* Tannerum *Tom 4. d 7. q. 10. num. 216.* Corinck *Tom. 2. in 3. Part. d. 18. num. 80.* alios. Idcòque quandocunque laicus, aut Clericus privatâ autoritate deformando, aut cauſam deformationi privatâ autoritate factæ dando mortaliter non peccat, non incurritur Irregularitas. Ita in terminis Tannerus *loc. cit. num. 211.* Ratio eſt, quia, quidquid dicant Navarrus, & alii non poteſt adferri ullus textus juris, qui exprimat hanc inhabilitatem induci per homicidium, vel mutilationem privatam, niſi interveniat noxa lethalis contra juſtitiam. Vide Gibalinum *loc. cit. num. 12.* expendentem omnes textus contrarios in ſpeciem.

669 Ideo, quando quis haud ignarus, eſſe ex ſua aliqua actione bona, mala, aut indifferente ſecutam aliquam necem hominis, aut mutilationem, te interrogat, utrùm ſit reus Irregularitatis, quære, amabo te, confeſtim ex illo, utrum ea deformatio peracta ſit autoritate publicâ, an privatâ? Si publicâ reſpondebis illi ex doctrina ſuperiùs *num. 658.* allata. Si privatâ, utrùm putaverit, ſe peccare mortaliter (ut ſane peccat exercens actionem ſibi prohibitam ob periculum deformationis) contra *quintum* præceptum, exercendo illam actionem? Aſſerenti dic: *Ergo ex communiore Canoniſtarum ſententia es irregularis, etſi ignorares à te contrahi Irregularitatem.* Neganti dic: *Ergo non es irregularis, ſed potes bonâ conſcientiâ petere ſacerdotium, aut in jam obtento facere omnia annexa illi Ordini.* Irregularitas ex homicidio non incurritur ob concurſum ad illud, niſi aut factum à miniſtro publico, quamvis juſtè, aut factum à perſona privatâ injuſtè, inquit laudatus à nervoſa brevitate ſermonis Hurtadus *loc. cit. num. 39.*

670 Ex quibus deduces 1. Quando homicidium dividitur in *Voluntarium*, & *Caſule*, per *Voluntarium* in materia Irregularitatis intelligi illud ſolum, quod committitur ex intentione *formali*. Per *Caſule* autem illud, quod committitur quidem ſcienter, at præter *directam* intentionem, non autem intelligitur hîc illud, quod per inadvertentiam non mortalem patratur, ut volunt multi, illud enim non inducit Irregularitatem, ex dictis ſuprà.

671 Deduces 2. Reſolutionem Caſûs de Ruperto Patris Comitoli. Dicendum enim eſt, eum nullo modo contraxiſſe Irregularitatem. Imprimis enim non contraxit decretam ob defectum perfectæ lenitatis, quia mors illi non fuit illata ex authoritate publica, ut per ſe conſtat. Deinde fatetur ipſe Comitolus, eſſe præſumendum ex circumſtantiis etiam perſonæ, quòd non cogitârit de ullo periculo mortis accelerandæ ille probus ſacerdos, ergo non peccavit coram Deo mortaliter, ut agnoſcit idem Comitolus. *At debuiſſet cogitare*, inquit ille Autor. Replico ego: *At non debuiſſet cogitare.* Quia non debuit facere, quod non potuit Non potuit autem cogitare, quia prima de re aliqua cogitatio non eſt in noſtra poteſtate, ut alibi ex Ariſtotele, & S. Thoma poſt Vaſquez oſtendo, refutando illam complurium nimis generalem phraſin: *Eſto non venerit iis in mentem; debebat tamen venire. Debebat recordari.*

Deduces 3. generatim de iis, qui aſſiſtunt; 672 aut inſerviunt ægris, eos non debere quidquam prorſus apprehendere de Irregularitate, ejúſve periculo, quando, vel ipſimet, vel eorum hortatu alius charitatis cauſâ, eos, cum debita circumſpectione, movet in lecto, ut vel cibus eis miniſtretur, vel quietiùs, aut tolerabilius cubent. Expreſſè Laymannus *Lib. 3. P. 5. Tract. 3. Cap. 9. num. 4.* citans multos; quibus junge Cornejum *loc. cit. dub. 1. num. 4.* expreſſè quoque Buſenbaum *Lib. 7 Cap. 5. dub. 4. n. 4.* loquens etiam de transferente ex uno lecto in alterum, & rectè citans Dianam *Part. 5. Tr. 3. Reſol. 117.* qui ex Avila, Suarez, Bonacina ſic loquitur: *Sacerdotes, & Religioſi poſſunt ſervire infirmis, etiam conſtitutis in ultimo vita, & eos volvere in lecto, & reliqua exhibere cum prudentia, quæ in hujuſmodi conſueta eſt: Nam quidquid in hoc licet laicis, licet Clericis.* Ita ille. Præmittens, non eſſe in hoc caſu facilè formandum ſcrupulum.

Deduces 4. ex omnibus dictis de Irregularitate reſponſa ad ſequentes Caſus viginti tres.

SECTIO II.

Caſibus XXIII. Factis, & non Fictis declaratur materia Irregularitatis.

I. Caſus mancipli promoti ſine præſcitu Domini. 673.
II. Caſus Sacerdotis laborantis vertigine. 674.
III. Sacerdotis, ob reliquias morbi, non valentis elevare hoſtiam, nec Calicem. 675.
IV. Volentis promoveri poſt unguem avulſum ex pollice. 676.
V. Sacerdotis non valentis pollicem dextra manûs applicare, niſi ſecundo Articulo indicis. 677.
VI. Sacerdotis habitantis cum leproſis, & miſſam facientis pro iis. 679.
VII. Preſbyteri volentis cum berruca celebrare ob debilitatem capitis. 680.
VIII. Surdi ob falſas dimiſſorias promoti. 681.
IX. Alterius ordinati itidem cum falſis dimiſſoriis, ſine tamen miniſterio in Ordine ſuſcepto. 683.

Irregu-

Irregularitas non incurritur propter Minores Ordines, 684.

X. Regularis promoti ante legitimam ætatem, & interea obeuntis varia Officia. 685.

XI. Diaconi ſolenniter baptizantis ſine vera facultate. 686.

XII. Nati ex Lutherani verbi miniſtro, & poſt converſionem aſpirantis ad Ordines. 688.

XIII. Permittentis ſe caſtrari ob ſolam vocem. 689.

XIV. Sacerdotis pungentis jumentum, quo vehebatur reus capitis. 692.

XV. Sacerdotis Caſu occidentis perticâ puerum. 693.

XVI. Sacerdotis equo, cui inſidebat, & quem cohibere non poterat, proterentis puerum. 694.

In materia Irregularitatis non valet argumentum à contrario, ibid.

XVII. Caſus ſtudioſi Academici exonerantis ſclopetum in alium, ignorans eſſe oneratum. 695.

XVIII. Sacerdotis globo perimentis prætereuntem puerum. 696.

XIX. Sacerdotis relinquentis ſclopetum oneratum ſupra ſcamnum, quo ſclopeto laxato ab alio occiſus fuit tertius, præter utriuſque omnem voluntatem. 697.

XX. Militis juſſu Magiſtratûs comitantis cum armis ad patibulum reum capitis. 698.

XXI. Dominicani pronuntiati Irregularis, eo quòd contra conſilium medici ægrum impoſuiſſet currui, paulò pòſt mortuum. 699.

XXII. Clerici prævidentis fore, ut ſuis minis moveretur aliqua mulier ad ebibendum venenum. 700.

XXIII. *Sacerdotum Hiſpanorum legentium pro vivis Miſſam Defunctorum idcirco, ut illi vivi citò morerentur. 701.*

Vocula: plerique *ſæpe accipitur pro*: Aliqui: & plerumque *pro*: Interdum. Ibid.

Irregularitas in Caſu homicidii dubii incurritur tunc ſolùm, quando conſtat, eſſe ſecutum homicidium, at dubitatur, utrùm ex tua actione certa, & ex ſe iniqua. Ibid.

Caſus non valentis porrigere dextrâ manu hoſtiam, & tamen aſpirantis ad Sacerdotium. Ibid. in App. 1.

Caſus alterius jam Sacerdotis, ac non valentis ſumere Calicem niſi adhibitâ utrâque manu. Ibid. in Append. 2.

673 *A. Natus mancipium conceſſit è patria cum parentibus peregrè. Factus cum iis civis loci, habitúſque ultra 20. Annos pro homine libero, petiit Promoveri ad Ordines Sacros. An potuit abſque conſenſu Domini?*

Reſpondi interroganti me, potuiſſe, ſi Annis viginti exiſtimavit, ſe eſſe liberum. Etenim libertatem præſcribi ab eo, qui 20. Annos putavit, ſe eſſe liberum, nec interim tractatus fuit ut mancipium: conſtat ex *Leg. 1. Cod. de long. tem. præſcript.* traditque Leſſius *Lib. 2. de juſt. Cap. 6. dub. 9. num. 26*, ſecùs, ſi vel non fluxit tantum temporis, vel ſciebat, ſe eſſe mancipium, quia malæ fidei poſſeſſor ullo tempore non præſcribit, *Cap. Poſſeſſor. De Reg. jur. in 6.*

B. Prælatus Ordinis N. ita graviter laborat 674
vertigine, ut nequeat ſtare ad aram, niſi jugiter altari innitatur, vel utraque manu, vel alterutro brachio, vel cubito. An habendus in numero Irregularium?

Literis ab eodem interrogatus reſcripſi, poſſe celebrare privatim, non verò publicè ſine neceſſitate. Non publicè, ob murmur. Privatim verò, quia, licèt talis non eſſet fortè promovendus ad Presbyteratum ſine diſpenſatione, jam tamen Presbyter *licitè* fungetur ſaltē ad tempus officio, ad quod *licitè* fuit promotus, cùm defectus iſte non ſit tantus. Rationem diſcriminis vide ſuprà *num. 654.* Adde, quòd idem B. potuerit, utpote Prælatus Religioſus diſpenſare cum aliquo ſuorum ſubditorum, per ea, quæ cum Diana *cit. Tr. 2. Reſol. 73.* dixi *num. 652.* ergo, & ſecum, ſaltem mediante Confeſſario, juxta alibi dicta.

C. Presbyter ex gravi infirmitate contractus 675
ita convaluit, ut omnia ſpectantia ad ſacrificium peragere poſſit, exceptâ elevatione tam hoſtiæ, quàm calicis. Quid de hoc?

Reſpondi idem, quod *primo* loco ad priorem Caſum. Addidi tamen, ſi illa infirmitas ſit diuturna, aut perpetua, rem deferendam ad D. Ordinarium. Licèt enim hic non diſpenſet in ejuſmodi Irregularitate, Navarrus *de Corp. vitiat. conſ. 1.* ejus tamen eſt judicare, an ſine ſcandalo poſſit ſacrificari. Idem *ibid.* Imò poteſt in Caſibus, quibus dubium eſt, an ſit opus diſpenſatione, diſpenſare ad cautelam. Infrà *num. 718.* Gibalinus *n. 678.* referendus *n. 678.* videtur habere talem pro verè irregulari.

D. Monachus *cùm in Annis puerilibus eſſet* 676
conſtitutus, quadam barra ferrea ſupra dextra ejus pollicem fortuito caſu cadens, ungulam avulſit ab eo. Quocirca mandamus, quatenus, ſi ad frangendam hoſtiam ſit in pollice ipſo potens, propter deformitatem ejuſmodi non dimittas, quin eum ad Ordinem promoveas Sacerdotis.

Eſt hæc tota phraſis, atque reſponſum Honorii III. *Cap. fin. De corp. vitiat.*

E. Prior Monaſterii N. incurrit ex morbo 677
tam contumacem contractionem membrorum, ut licèt poſſit ſtare, ambulare, manibus libere uti, nequeat tamen pollicē dextra manûs perfectè applicare primo articulo indicis, ſed duntaxat ſecundo, ut valeat hoſtiam tenere, & frangere ſine ullo periculo irreverentiæ. Poteſtne licitè ſacrificare?

Quodam Reverendiſſimo Domino petente,
ut ſcripto traderem meum judicium, ſcripſi 678
poſſe. Rationem deſumpſi *ex præcedente cap. fin. & primo. De Corp. vitiat.* itemque ex dictis ſuprà *num. 652.* & in omnem eventum poterat ejus D. Abbas diſpenſare cum ipſo. Infrà, *n. 720.* Aliter reſpondi de quodam Parocho, qui incurabili debilitate, & contractione laborans nequit ſiniſtram attollere ultra pectus. Nequit etiam,

Digitized by Google

etiam, vel eâ manu quidquam apprehendere, vel pollicem dextræ manûs jungere indici, ſed cogitur frangere hoſtiam aliis digitis; talis enim eſt etiam jure naturali Irregularis, quia nequit ſine magnis irreverentiis tractare Sacram hoſtiam. Et generatim dicit Gibalinus *de Irregular. cap. 3. num. 11. Qui habet ita debiles manus, ut hoſtiam frangere, calicem elevare non poſſit, aut non ſine periculo, Irregularis eſt; quia perinde eſt, carere aliquo membro, & habere illud, ſed ineptum ad opus faciendum.* E diverſo notat P. Pirhing *Lib. 1. in Ius Canonicum Tit. 20. De corpore vitiatis n. 4.* ubi perbene (more ſuo) negat eſſe irregularem etiam illum, qui integrum digitum, qui tamen ad hoſtiam frangendam neceſſarius non ſit, amiſit v. g. in duello, dummodo abſque ſcandalo celebrare, atque hoſtiam frangere poſſit.

679 *F. Religioſus correptus leprâ poſt Sacerdotium relegatur ad publicum leprodochium, eſtne ipſi fas, Euchariſtiam & conficere, & aliis præbere?*

Doctori Theologo multùm dubitanti dixi, me de neutro dubitare, atque adeò poſſe tum privatim, tum coram ipſis leproſis ſacrificare, ut rectè Tannerus *cit. quæſt. 10. num. 182.* etenim lepra ſuperveniens Ordini non adfert inhabilitatem Canonicam. Licèt autem ille Religioſus eſſet Ordinis Mendicantium, facultas tamen præbendi in aliena Eccleſia ordinariè Euchariſtiam erat petenda à loci Parocho; at verò in Oratorio potuit abſque alia facultate per ea, quæ tradidi *in Alphab. Sacriſi. Caſ. VII. n. 255. edit. 2.* ex communi cum Diana.

680 *G. Nequit ob debilitatem capitis facere Sacrum nudo capite, poteſt verò, ſi tectum ſit capillitio aſſumptitio, quod vocant Beruccam. An adſpirans ad Ordines tenetur aperire hunc defectum?*

Alicui eveniſſe, ſcriptum mihi eſt; ego non ignarus, tale capillitium haberi eo loco, quo naturales capillos, atque adeò non deponi coram ullo Rege terreno, nec coram Rege sæculorum, quando hic vel attollitur, vel ſumitur in Sacramento, eam obrem ſi ita conformatum ſit, ut ab aſpicientibus habeatur pro naturali, non cenſeo, fuiſſe neceſſariò quidquam dicendum ulli Superiori Eccleſiaſtico; uni tamen alteri licentiam impetravi pro majore ſecuritate à quodam Reverendiſſimo D. Vicario Generali.

681 *H. Clericus 4. Minorum, cùm eſſet factus ſurdus, & ſciret, quòd propterea non initiaretur Sacris à ſuo Ordinario, cum falſis literis dimiſſoriis à ſe confectis ſuſcepit ab alieno Epiſcopo duos Majores, & cum teſtimonialibus de his duobus, cúmque ſuis falſis dimiſſoriis fecit ſe ab alio promoveri ad Preſbyterium. An potuit facere Sacrum?*

682 Navarrus *De big. conſ. 7.* conſultus reſpondit, inprimis vix defendi poſſe, quin peccârit mortaliter, etiam ex eo titulo, quòd omnino ſurdus ſuſceperit Sacerdotium, etſi poſſit cum difficultate excuſari à mortali, ideo, quòd nullus Canon prohibeat Ordinationem ſurdi, cùm poſſit facere Sacrum ſine miniſtro reſpondente; fore quidem utile, ſi peteret à Pontifice facultatem faciendi aliquoties in Anno Sacrum, eam tamen ideo non eſſe neceſſariam, quòd habeat juſtam cauſam non celebrandi. Hic totus diſcurſus mihi probatur. Nihi dico de ſuſpenſione incurſa ob falſas dimiſſorias: nam ſpectat hæc res ad *Caſ. XVIII.*

I. Ordinatus ſine literis dimiſſoriis ſui Epiſcopi, ſed cum falſis, & ad omnes etiam Preſbyteratûs Ordines premotus ab alieno Epiſcopo, non miniſtravit in iis. An incurrit Irregularitatem? 683

Reſpondet Navarrus *De temp. ordin. conſ. 16.* incurriſſe, nam qui ſuſcipit aliquem Ordinem Sacrum, dum eſt innodatus vinculo excommunicationis, vel ſuſpenſionis facit ſe reum Irregularitatis. Suprà *num. 664.* ſecùs, ſi fuiſſent quidem miſſæ ipſi dimiſſoriæ, aut iis nondum acceptis ſcripſiſſet falſas. Suprà *num. 595. At nónne ille incurrit quadruplicem Irregularitatem?* Nam & quatuor Minores, & tres Majores accepit abſque dimiſſoriis, & denique fecit Sacrum cum ſuo Ordinatore. Reſp. Non in- 684
currit propter Minores, quia propter illos nulla lex eſt ſtatuta, etiam ſi miniſtrâſſet in iis ſolenniter, quia hac ætate ſolenniter obeunt officia Minoriſtarum, etiam qui carent Primâ Tonſurâ. Et ſic reſpondi conſultus die 26. April. 1658. cum Suarez *De cenſ. d. 40. ſect. 2.* non etiam incurrit propterea, quòd fecerit Sacrum cum ſuo Ordinatore: quia & neſcitur, utrùm revera conſecrârit, & lex tam odioſa, quàm eſt Irregularitatis, non eſt intelligenda de iſto actu tam extraordinario. *Argum. L. Nam ad ea, ff. De legib.* Conſentit Comitolus *Reſp. moral. l. 6. q. 43.* contra Navarrum *De cler. excom. conſ. 8.* Denique poteſt dici, quòd triplicem incurrerit Irregularitatem, in petitione tamen diſpenſationis ſatiſfecit dicendo: *Peto mecum diſpenſari ſuper Irregularitate incurſa ob non ſervatas cenſuras.* Bonacina *punct. ult.* Quanquam *abſolutè* rectiùs dices, primam Irregularitatem continuari in ſecundo, & tertio actu, quàm oriri ſecundam, & tertiam. Suarez *loc. cit.* Filliuc. *Tr. 19. n. 60.*

K. Regularis ex Ordine N. ante legitimam ætatem Sacros Ordines ſuſcepit, electionibúſque, ſtatione, & ſeſſione inter Sacerdotes uſus eſt, & interfuit actibus propriis illorum duntaxat, qui in Sacerdotio conſtituti ſunt. An eſt annumerandus Irregularibus? 685

Reſp. Si ante legitimam ætatem operetur Sacris, fiet Irregularis, utpote celebrans in cenſura, non item, ſi exerceat ſolos actus ſeſſionis &c. quia illi actus non ſunt officia Divina: atqui Irregularitas ob non ſervatas cenſuras incurritur ſolùm ob exercitium Divinorum officiorum, & deputatorum ab Eccleſia alicui Ordini certo. Ita Navarrus *De cler. excommun. conſ. 9.* dicens illud dubium eſſe ſibi ſatis novum. Sed de priore reſponſo videbimus infrà *num. 704.*

Digitized by Google

686 *L. Diaconus ad firmandam pacem inter propinquos ſuos ex una parte, & quoſdam ex altera, rogatus infantem ſolenniter, (credens ſe poſſe, prout à quodam Sacerdote id licere, & aliàs ab eodem factum fuiſſe audierat,) baptizavit, petitâ etiam priùs licentiâ ab Archipreſbytero loci, qui etiam dictæ actioni, ne in aliquo erraret, adſtitit, & quia poſtea ad Presbyteratûs Ordinem ſe promoveri fecit, & miniſtravit, dubitavit, an eſſet Irregularis?*

687 Reſpondit Navarrus *loc. cit. conſ. 3. De Cler. non ordin. miniſt.* non contraxiſſe Irregularitatem in foro conſcientiæ, quia prudenter credidit illi Sacerdoti, & Archipreſbytero dicentibus, id ſibi licere in tali caſu, incurriſſe tamen in foro externo, *per ſe loquendo*; quandoquidem Ordinem Preſbyteratûs ſuſcepit in ſuſpenſione incurſa ob talem actum; nihilominus etiam in foro externo non incurriſſe, ſi potuit (& verò potuit, ſicuti patet ex ſpecie facti) probare, ſe bonâ fide proceſſiſſe.

688 *M. Natus patre Lutherano, & eo quidem verbi Miniſtro, converſus ad fidem Orthodoxam petiit Sacris Ordinibus initiari. An potuit abſque diſpenſatione?*

Egi non ſemel cum hoc M. Omnibus conſideratis, judicatum fuit præcipuè ab aliis, eſſe habendum pro Irregulari ratione infamiæ, ac proinde indigere diſpenſatione. Ratio erat, quòd, licèt Lutherani, Calviniſtæ, & Zwingliani non habeantur in Germania pro infamibus, tum ob pacem publicam, tum quia longè plurima millia eorum ſunt ſolùm *materialiter* hæretici, præſertim juxta definitionem pertinaciæ, ad rationem hæreſis *formalis* ſpectantis propoſitam, ac defenſam à Cardinali de Lugo *in Opere de Fide. diſp. 20. n. 174. & ſeqq.* aliiſque multis, attamen eſt de Prædicantibus præſumptio juris quòd ſint *formales* hæretici; & proinde infames in foro Eccleſiaſtico, & ſaltem reſpectu Ordinum; quam infamiam transfundunt in liberos; ſicuti etiam apoſtatæ à fide, aut Ordine Religioſo, ut bene notat Gibalinus *De Irregul. cap. 6. num. 4.* Accedebat, quòd in Curia hac Conſtantienſi non libenter practicetur, (quam tamen, ſalvo cujuſque aliter ſentientis judicio, arbitror eſſe veram) ſententia Sanchezii, & aliorum relatorum *num. 656.* ac negantium generatim, irregulares eſſe filios hæreticorum in iis locis, in quibus nulla ipſis ob crimen paternum infamia aſperſa eſt. Quare fuit ille M. miſſus ad D. Nuntium Apoſtolicum diſtantem tunc ſolùm unius diei itinere; tametſi Laymannus *in fin. cit. cap. 4.* aſſirmat, potuiſſe ab alio diſpenſari cum tali. Vide ſuprà *n. 656.*

689 *N. Cùm eſſet jam undecim natus Annos, permiſit ſe caſtrari, ut vocem, qua excellebat pro cantu, conſervaret. Provectum ad ætatem juvenilem inceſſit gravis cupiditas ſtatûs Clericalis amplectendi. Dubitatum fuit, an abſque diſpenſatione? Denique itum in ſententiam mitiorem, ideòque promotus ad omnes Ordines abſque ulla diſpenſatione. An ſalvis Sacris Canonibus?*

Scio locum, ubi abhinc pauculos Annos id 690
reſolutum, id factum. Et quia libenter defendo, quoad alma veritas permittit, facta Dominorum Ordinariorum, etiam hoc defendo; tum quia non eſt improbabilis opinio Salonii, & aliorum apud Tannerum *Tom. 3. d. 4. q. 8. dub. 5. num. 101.* contra Cardin. de Lugo *De juſtit. diſp. 10. ſect. 1. num. 21.* & P. Raynaudum de triplici Eunuchiſmo (uti Paſqualigum Salonianæ ſententiæ acriter inhærentem appellat emaſculatorem puerorum) veroſimiliùs, & fortiter repugnantem, docentium, fas eſſe permittere ſe caſtrari ad conſervandam vocis teneritudinem: tum quia Irregularitas ſtatuta in abſcindentes ſibi, vel abſcindi facientes membrum aliquod non infligitur, niſi illis, qui vel ex indignatione; vel ex zelo indiſcreto caſtitatis id faciunt. Palaus *cit. d. 6. p. 12. n. 4.* Turrianus apud
Dianam *Part. 4. tr. 2. reſol. 60.* & alii expli- 691
cantes Canones tractantes hac de re: tum quia nullus textus hanc Irregularitatem indicens, loquitur de eo, qui ſibi teſticulos abſcidit, ſed ſolùm de eo, qui virilia ſibi abſcindi fecit, ut loquitur Palaus *loc. cit.* Imò apertè negat Gibalinus *cit. cap. 4. num. 16.* Canones loqui de faciente ſe caſtrari, ſed de illo ſolo, qui ſibi ipſi infert hoc mali, qui proinde docet, non videri improbabile, quòd in illo caſu non incurratur Irregularitas. Denique non dubito, quin Itali, ut erat ille N. id factitantes putent, eſſe ſibi licitum, cùm habeant Doctores pro ſe; ergo excuſat illos bona fides, per ea, quæ dixi ſuprà. Conſentit P. Tambur. *de Irregular. c. 8. §. 2. n. 16.*

Unde ego interrogatus de

Hoc Caſu.

QUi juvandus eſſet Clericus, qui ſine culpa ſua caſtratus, tacito hoc corporis defectu, relatus fuit in ſyllabum initiandorum; at audiens, Magiſtrum Ceremoniarum altâ voce intonantem: Nullus à jure prohibitus accedat, *dubitavit, eſſetne ſibi fas accedere; hoc autem dubio inſuper habito fecit, quod alii. Poſtmodum verò convenit Confeſſarium; hic me, ex illius permiſſu*

Interrogatus, inquam, ego quid opis ferendum huic homini timenti, ne reus eſſet tum Irregularitatis, tum ſuſpenſionis latæ in irregulares ſuſcipientes Ordinem Sacrum, reſpondi, eſſe ſolandum, eò quòd neque Irregularitatem, neque ſuſpenſionem incurriſſet. Non Irregularitatem, ut liquet ex modò dictis: non ſuſpenſionem; eſt hæc quippe pœna propriè dicta; ubi autem nullum delictum, ibi nec pœna. S. Auguſt. *Retract. Lib. 1. cap. 9.* S. Tho. *2. 2. q. 108. a. 4.* Nec obeſt, quòd is, de quo agitur

agitur hîc, fortaſſe acceſſerit Ordinationem cum dubio *practicè practico*, an id liceret ſibi, necne, etſi enim, ut ſic peccaverit abſque dubio, ſiquidem nefas eſt operari cum conſcientia *practicè* dubia. Vaſquez *Tom. 1. in 1. 2. diſp. 65. cap. 1.* ex communi, attamen hoc peccatum non efficiebat, ut ipſa Ordinis ſuſceptio eſſet *materialiter*, ſeu in ſe peccaminoſa, ſed tantùm ut *formaliter*, & planè *per accidens*; ergo illa malitia tam parum ſubjiciebat illum hominem pœnæ ſuſpenſionis, quam te excommunicationis, ſi lanionis humeros fuſte defrices, ratus eſſe Clericum. Vide in ſimili D. Franciſcum de Arauxo *De ſtatu Eccleſiaſt. Tract. 3. q. 31. num. 16.* poſt hæc ſcripta lectum à me.

692 *O. Confeſſarius quidam, ut audivi de illo, cùm reum quendam ad patibulum comitaretur, & caſu jumentum, quo ille vehebatur, pepuliſſet, inde ſcrupulum Irregularitatis concepit, quòd ſuâ cauſâ properantiùs eum morti obtuliſſet. At verò hæc ridicula ſunt.*

Sic refert, ſic judicat Dom. Sotus *De juſt. Lib. 5. q. 1. a. 9. poſt med.* ego cum ipſo; quia nec authoritate publicâ id egit ille O. nec privatâ cum culpa mortali.

693 *P. Ex literis tuæ Fraternitatis accepimus, quòd, cùm H. Presbyter fœnum vellet de curru deponere, perticam ſuperiùs alligatam projecit in terram, & cùm fœno inſiſteret, deponendo, quidam puerum quendam juxta currum reperit ſemivivum, in quo præter modicum livoris in fronte nihil potuit inveniri læſionis. Nos autem ab eodem quæſivimus Sacerdote, ſi priuſquam projeciſſet perticam, circumſpexiſſet ſolicitè, an aliquis eſſet apud currum? Qui, quòd diligenter circumſpexit, aſſeruit, ſed quòd vidiſſet aliquem, denegavit. Ad te igitur remittentes eundem mandamus, quatenus, ſi res ita ſe habet, niſi per eundem grave ſcandalum ſit exortum, vel tantâ laboret infamiâ, quòd deficiente accuſatore oporteat eidem Canonicam purgationem indici, ipſum permittas libere officium exequi Sacerdotis.*

694 Eſt hoc oraculum Innocent. III. *cap. Ex lit. De homicid.* Rationem veriſſimæ hujus reſponſionis ſumes ex Regula, atque inſtructione data *n. 669.*

Q. Dilectus filius A. Capellanus propoſuit, quòd, cùm quadam corporis moleſtiâ gravaretur, ut comedendi appetitum aliquantulum excitaret, equum, quem nutriebat, aſcendit, qui cùm bene non pareret habenis, ſed præter ſeſſoris arbitrium ſaltibus laſciviret, ipſe (ut ejus refrenaret impetum) calcaribus ſtimulavit, cúmque fracto fræno equus proprio arbitrio relictus curreret feſtinanter, quædam mulier veniens ex obliquo infantulum bajulans obviavit; in quam equus irruens (procul abjecto ſeſſore) puerum prædictum oppreſſit. Ideóque mandamus, quatenus, ſi eſt ita, cùm idem Capellanus nec voluntate, nec actu homicidium perpetravit, nec dedit operam rei illicitæ, non impedias, quò minùs Divina poſſit officia celebrare.

Ita idem Pontifex, *ibid. cap. Dilectus.*

Ergo, inquies, *ſi dediſſet operam rei illicitæ, non licuiſſet officia celebrare Divina?*

Reſp. Hanc conſequentiam obviis quidem ulnis excipit Navarrus, & alii ſat multi, ſed neque ego, neque alii plurimi, quia in materia Irregularitatis non valet argumentum à contrario. Fusè Gibalinus *loc. cit. cap. 4. n. 11.* & breviter recentiſſimus Canoniſta P. Henr. Wangnereck *Commentario in Decretales Lib. 5.* in hoc ipſum Capitulum *Dilectus*, addens tamen, eſſe præſumptionem juris, quòd dans operam rei illicitæ, non adhibuerit diligentiam; quam tamen, ſi ſe adhibuiſſe probaverit, futurum immunem ab irregularitate etiam in foro externo, quod probè nota.

R. Studioſus Academicus Anno 1622. exercens ſe Ingolſtadii (ubi tunc literis navabam operam) in armiluſtrio, quod adornabatur ad celebrandam Canonizationem SS. Ignatii, & Franciſci Xaverii, dixit jocabundus cuidam Illuſtriſſimo Comiti propè aſtanti: D. Comes attendat ſibi, en! jaculor in ipſum. Optimus ille, atque animi cæteroquin heroici D. Comes, inſtigante bono Angelo, atque, ut præſentes non vanè interpretabantur, duobus illis Cœlitibus, recipit ſe poſt arborem, ante quam priùs ſtabat; vix ſe movet à loco, cum Academicus ille laxat rotulam, ejaculatúrque è fiſtula virgam, ſeu bacillum, quo ſolet glans intrudi in fiſtulam, qui impactus in arborem probabiliſſime peremiſſet illum D. Comitem, ſi ſtetiſſet in priore veſtigio. An, ſi non ſe moventem peremiſſet ille jaculator, incurriſſet in Irregularitatem? 695

Reſp. Minimè; erat enim illius ſtudioſi probitas, & in illum D. Comitem obſervantia ita perſpecta, ut nulli adſtantium fuerit mota vel tenuiſſima ſuſpicio ullius, vel malæ voluntatis, vel negligentiæ in circumſpiciendo culpabilis. Ergo patrocinabatur ei Regula noſtra generalis.

S. Presbytero vitæ honeſtiſſimæ projiciente ex atrio globum in conos collocatos in horreo, Domicellus illuſtri genere natus proſilit è loco, in quo videri non poterat, ſed tam infauſto omine, ut globus impactus in ejus caput vitâ ſpoliaverit; an Sacerdoti tanquam irregulari erat nefas operari Sacris? 696

Reſp. In foro *interno* non erat, ob regulam propoſitam *n. 669.* quia tamen factum erat notorium, meritò ſe ultro ſtitit D. Ordinario, qui ſine omni dubio habebat jus eum citandi. Audivi tamen, fuiſſe ab eodem Ordinario ad cautelam diſpenſatum cum illo. Sunt Anni plures viginti, ex quo tempore contigit hic illætabilis Caſus in Diœceſi Tridentina.

T. Presbyter tormentum manuale, ſeu archibuſium (quod geſtaverat propter Hugonotos omnia cadibus miſcentes) ſuper quodam ſcamno 697

poſuit, gallitto non flexo, & quidam puer, neſcitur, quo ſpiritu ductus, fibulam rotæ tetigit, unde alius puer occiſus fuit; inſcio omnino, & nolente eodem Presbytero. Super quo ſententiam reportavit à ſuo Ordinario, à quo, donec abſolutionem à Sede Apoſtolica obtineret, ab altaris miniſterio ſuſpenſus, & ad Eccleſiam B. M. V. montis Serrati pedeſter proficiſci, ac ab officialatu Ceritaniæ per Annum exulare, eleemoſynas largiri, & patri pueri triginta aureos dare juſſus eſt, ut in ſententia dicti Officialis continetur; quæ omnia prædictus Presbyter adimplevit. Quibus præmiſſis, quæritur à D. V. R. utrùm Orator ſit irregularis?

Ad hanc quæſtionem his verbis ſibi propoſitam reſpondit Navarr. *De homicid. conſ. 40.* incurriſſe Irregularitatem ex homicidio *caſuali*, ob negligentiam commiſſam in non flectendo rotam, quando depoſuit ſupér ſcamno bombardulam prædictam.

Nec potuit aliter ipſe reſpondere juxta ſua principia expreſſa *in Man. c. 27. n. 219.* & 230. Nos verò, quia prorſus aliis inſiſtimus, non poſſumus aſſentiri ipſi. Non videmus hîc ullum peccatum mortale, ergo nec tantam pœnam, Suprà *n. 669.*

698 *V. Studioſus literarum, ferens tamen arma pro patria turbata à perduellibus, juſſu ſui Centurionis comitatus fuit ad patibulum nonneminem è perduellibus. An potuit ſine diſpenſatione initiari Sacris?*

Non potuiſſe, oſtendi *in Alphab. Sacrif. Caſ. XV. num. 451. edit. 2.* contra nonnullos, pro quorum opinione reperies ibi rationes non planè ſpernendas. Sed pro nobis ſtat communis, ut teſtatur Gibalinus *De Irreg. cap. 4. num. 67.* ſententia, quia poſt pacem factam fuit ille miſer affectus extremo ſupplicio. *At quid ſi durante bello, fuiſſet ſumptum illud ſupplicium?*

Reſp. Quia erat bellum *defenſivum*, in bello autem *defenſivo* nemo juſtè occidens incurrit Irregularitatem; ſuprà *num. 661.* Idcirco forſan erit, qui adhuc magis patrocinabitur illi V. At certè conſiderandum, an ſit defenſio, quando hoſtis captus necatur juxta formam juris?

699 *X. Quidam Religioſus Dominicanus alium fratrem ejuſdem Ordinis extra Conventum moribundum invexit, & contra medici judicium eum in curru impoſuit, & miſit ad Conventum, quò perveniens ſtatim mortuus fuit. Inquiſitum eſt, utrùm infirmum moribundum tali periculo exponens, ſcilicet ictibus currûs, ex quo ejus mors accelerata fuit, contraxerit Irregularitatem ex homicidio?*

Sunt hæc omnia verba Franciſci de Arauxo *Tract. 3. quæſt. 21. caſ. 10.* reſpondentis *affirmativè*, eò quòd ille Religioſus non adhibuerit diligentiam, quæ communiter à prudentibus eminere ſolet circa tam debiles, credens illum currui, & famulo contra medici conſilium. Ita ille; at, quoad forum *internum*, non ii, quos *num. 668.* produxi; quis enim ſuſpicetur, nedum opinetur, Religioſum illum patrâſſe crimen morte æternâ dignum, dum ex mera, etſi indiſcreta charitate impoſuit illum currui, deſtitutus lecticâ, & omnibus medicinis neceſſariis prorogandæ vitæ? Idem Doctor *loc. cit. Caſ. 9. abſolutè* pronuntiat irregularem illum, *qui enſe nudo, & acuto perſtrinxit, ſeu percuſſit ſuum ſocienum, ex mero quidem joco, ſed ita infeliciter, ut præter omnem opinionem ipſum vulneraverit, & quidem lethaliter, morte videlicet inde ſecutâ.* Verùm etſi non damnarem de iniquitate judicem, qui illum percuſſorem de Irregularitate condemnaret; in foro tamen conſcientiæ ſtarem verbis negantis, eſſe a ſe animadverſum ullum prorſus periculum, ſéque libentiùs moriturum fuiſſe, quàm ut fidiſſimum Achatem illum adduceret in vitæ diſcrimen.

T. Clericus carnaliter cognoſcebat quandam fœminam nuptam, ac Zelo commotus ex ſuſpicione, quam habuit, quòd illa tertium alium adamaret, comminatus ipſi eſt dicens, ſe revelaturum ejus laſciviam marito. Quod illa timens muliebri fragilitate ait: Si id feceris, illico me veneno ſumpto ſum occiſura. *Statimque emptum venenum oſtendit Clerico dicens*: Iſto veneno me ſum occiſura, ſi marito reveles hanc fragilitatem. *Tunc Clericus imprudenter, & temerariè perſiſtens in dictis comminationibus dixit*: Faciam ſine dubio: *& ad puerum præſentem ejuſdem mulieris filium, aut, ni fallor, famulum ait*: Vade puer: dic patri, vel Domino tuo hæc, & hæc &c. *Illáque aſſumpto veneno intra duos dies mortem incurrit. Inquiritur, an iſte Clericus incurrerit Irregularitatem?* 700

Rurſum deſcripſi verbatim Illuſtriſſimum Dominum Franc. de Arauxo ex Illuſtriſſima Divi Dominici familia evectum ad Infulam Segovienſem, atque eâ poſt aliquot Annos depoſita reverſum (exemplo ſanè laudando) ad priſtinum paupertatis Religioſæ ſtatum, ferentémque ſententiam Irregularitatis in dictum Clericum, eò quòd dans operam rei *illicitæ* fuerit ſaltem *indirecta* cauſa hujus homicidii; quod & ego exiſtimo, perpenſis, quæ proponuntur, circumſtantiis, ideóque arbitror, peccâſſe non ſolùm contra charitatem, ſed etiam contra juſtitiam eo ſenſu, quo adverſùs hanc virtutem delinquit, qui alteri eſt *directè* autor propriæ necis; eo, inquam, ſenſu, non eo modo, cùm & ſit cauſa ſolùm *indirecta*, & juxta nonnullos occiſio *indirecta* differat ſpecie à *directa*.

Habes, mi Lector, hîc integrum Alphabetum Hebraicum, id eſt, numerum viginti duorum Caſuum de Irregularitate *Factorum* (maxima ex parte) non *Fictorum*, è quorum reſolutionibus poteris expedire tot alios, quot characteribus conſtant Alphabetum Latinum, & hoc longius Græcum, præſertim factâ reflexione ſuper doctrina exhibita, probata *n. 668.* & *669.* quam elucidabit hic *vigeſimus tertius*

Caſus

Digitized by Google

Caſus antiquus, & (Deo ſint laudes) Antiquatus.

701 *Plerique ſacerdotum ſauciati inimicitiæ dolo Miſſam, pro requie defunctorum promulgatam fallaci voto, pro vivis ſtudent celebrare hominibus, non ob aliud, niſi ut is, pro quo ipſum offertur Sacrificium, ipſius ſacroſancti libaminis interventu mortis incurrat periculum. Proinde noſtræ elegit unanimitatis conventus, ut ſi quis deinceps talia perpetrâſſe fuerit detectus, à proprii deponatur Ordinis gradu, & tam ipſe ſacerdos, quàm ille, qui eum ad talia peragenda incitâſſe perpenditur, exilii perpetui ergaſtulo religentur.*

Hunc Caſum appello *Antiquatum*, quia prorſus inuſitatum hiſce poſterioribus ſæculis. Appello, & *Antiquum*, ſiquidem evenit intra Annum Chriſti ſexcenteſimum, & ſeptingenteſimum, utpote hac pœnâ, his verbis caſtigatus à Concilio Toletano *decimoſeptimo cap. 5.* ut videre eſt apud Gratianum *Cap. Quicunque. 26. q. 5.* Fuit autem ea Synodus celebrata Anno Chriſti 694 teſtibus Baronio ad illum Annum, & Binnio *Tom. 3. Concilior.* ubi ſuperiori pœnæ additur privatio Sacræ Communionis, excepto mortis articulo.

Quæret fortè Lector curioſus, fuerintne illo ævo plerique Sacerdotes Hiſpani adeò ſcelerati, ut ſolerent conſciſcere tam deteſtabile ſacrilegium! Quæret & ſtudioſus, an imitator eorum eſſet incurſurus Irregularitatem? Ad *primum* reſpondeo, cùm illo ſæculo rexerint Toletanam Eccleſiam ſanctiſſimi, vigilantiſſimi Epiſcopi, Eugenius, Ildefonſus, & Iulianus ſecundus, aliique plurimi per Hiſpaniam Antiſtites optimi, ut videre eſt apud Baronium, atque Binnium, non eſſe ullo modo credibile, quòd plerique, id eſt, ferè omnes, aut plurimi ſacerdotes obnoxii fuerint ſacrilegio tam ſathanico. Igitur vocula *plerique* accipitur illic pro: *nonnulli*, ſicut & memini, me non ſemel legere in S. Gregorio ac nominatim *Homil. 24. in Evangel.* & autor Theſauri linguæ Latinæ obſervat, quandoque ita uſurpari à Latinis ſcriptoribus; atque doctiſſimus Menochius *De præſumpt. Lib. 5. præſumpt. 30 num. 19. & 20.* idem aſſerit de adverbio: *plerumque*, ſcilicet ſumi etiam pro: *Interdum, nonnunquam.*

Ad *alteram* quæſtionem, cujus ſolius causâ inſerui huic renovato quater Operi præſentem Caſum, reſpondeo, tametſi non incurritur Irregularitas per tam nefarium Ordinis abuſum, ſi non ſequatur mors illius, ad quem è vivis tollendum tam impiè immolatur author Vitæ Chriſtus, ſicuti contra Majolum rectè obſervat Gibalinus noſter *De Irregularit. c. 5. q. 1. n. 34.* cùm Synodus Toletana nil tale indicet. Si tamen conſtaret, Cacodæmonem motum illâ ſathanicâ intentione intuliſſe, permittente ſingulariter Deo, per ſe *immediatè*, aut per veneficium necem homini illi, quem deſtinârat deteſtabilis, execrabilis myſta, tunc non video, cur hic non eſſet accenſendus iis, qui alterius mortem procurant prece, vel pretio: quos quidem veris homicidis annumerant leges Canonicæ, atque Civiles. Quòd ſi dubitetur, utrùm mors illam Miſſam, pro requie defunctorum promulgatam, ſit aut re ipſâ ſecuta, aut ſecutura non merè naturaliter, ſed vi ejuſdem pravæ intentionis diabolum ita potenter permoventis, cùm illa intentio ſit ex ſeſe tam inefficax, & fortè centies repetita vix ſemel potiatur effectu, nolim ad eam extendere communem doctrinam deſumptam *ex cap. Significâſti 2. & cap. Ad audientiam. De homicid.* præſertim cùm multi magni DD. quos nominat Gibalinus *loc. cit. Cap. 4. q. 1. nu. 16.* & ſequitur *n. 22.* inficientur, Irregularitatem in caſu homicidii dubii contrahi, quando dubitatur, utrùm mors ſit actu ſecuta, ſed ſolùm, quando ſcitur, eſſe ſecuta, dubitatur verò, utrùm ex tua de ſe perniculoſa actione, quam certò exercuiſti, an verò ex alterius? In quo *ſecundo* caſu etſi omnes DD. conveniant, quia tamen, ut dixi, tam raró ſequitur actualis mors impiam illam intentionem, poteſt ob tantam raritatem præſumi, dictam intentionem fuiſſe inefficacem juxta *Leg. Ea quæ raró. ff. De reg. jur.* & *ibid.* not. per DD.

APPENDIX I.

Iam excuſis ſuperioribus, convenit me, præſente iam angariâ menſis Decembris, nonnemo laborans ejuſmodi defectu dextri pollicis, ob curvitatem aliquanto brevioris, ut poſſit quidem eo frangere Sacram hoſtiam, at eam præbere communicantibus non valeret ſine aliqua partim inconcinnitate, partim vero periculo lapſûs è manu; quod tamen periculum erat abfuturum, ſi eam præberet manu ſiniſtrâ. Quæſivit ergo ex me, an oporteret eum defectum manifeſtare Domino Vicario Generali.

Reſpondi 1. non eſſe manifeſtandum, perinde ac ſi dubium aliquod foret de irregularitate, cùm indicata brevitas pollicis non aſſimiletur iis defectibus corporis, quos ſeu generatim, ſeu in particulari habent Theologi pro inducentibus inhabilitatem ad ſacerdotium. Navarrus *De corpore vitiat. Conſil. 1.* loquens ſpeciatim de pollice. Addidi quoque, ſi eſſet futurus Canonicus, aut Capellanus talis eccleſiæ, cujus Canonicis, aut Capellanis non incumbit onus diſtribuendi Sacram Eychariſtiam, ne tunc quidem fore neceſſariam detectionem impedimenti digitalis, ubi enim deficit generatim intentio legis, deficit & ipſa lex; intentio autem legis ſtatuentis inhabilitatem ob defectum *corporis*, eſt, ut caveatur peri-

Digitized by Google

periculum vel irreverentiæ notabilis circa Sacrificium, vel ſcandali, & probri, quod quidem periculum generatim deſinit in Canonicis,& Capellanis,de quibus eſt hîc ſermo. Conſentit Navarrus *loc. cit.*

c Reſpondi tamen 2. quandoquidem conſulens aſpirabat ad Beneficium parochiale, ſeu curatum, cui ſolet annexa eſſe obligatio per ſemet diſtribuendi Sacram hoſtiam, nunc parvæ, nunc magnæ multitudini, perſæpe involventi aliquos ineptiùs æquo accommodantes ſe ad excipiendum in os divinum hoſpitem, non poſſe niſi vel planè temere fungi tunc officio ſacerdotis, ſi uteretur manu dextrâ, vel cum perturbatione, murmurationéve communicantium, ſi adhiberet ſiniſtram, repugnante communi omnium uſu. Quapropter temere acturum, ſi nihil de ſuo defectu diceret, quandoquidem eſt, ut ſuperiùs dixi, Epiſcopi, judicare in dubio, utrùm quis ſit ob hunc, vel illum defectum *corporis* admittendus ad Sacros Ordines, corúmque omnia miniſteria, & cum hoc reſponſo dimiſi illum nonneminem.

APPENDIX II.

d SEd & erat jam relata in chartam præcedens Appendix, cùm accipio ex Religioſiſſima Carthuſia N. duplicem Epiſtolam: alteram ab ipſo Adm. Reverendo & Clariſſimo Patre loci Priore, alteram ab ejuſdem Eremi, ut vocant, Sacerdote Annis, meritiſque gravi, quorum uterque exquirebat meum judicium de

Caſu impoſſibilitatis rite celebrandi.

OCcurrit mihi (*ſcribebat ille venerandus, viribúſque fractus ſenex, 18. Ian. hujus Anni 1671.*) *dubium, utrùm mecum diſpenſari poſſit, ut Sacrum calicem, quando in Miſſæ Sacrificio ſumendus eſt, ambabus manibus comprehendere auſim, ſaltem eo tempore, quo eum ſine periculo alicujus effuſionis (ob valde notabilem tremorem manuum, ut exprimebat Clariſſ. Pater Prior) exhaurire nequeo unâ ſolummodo utens manu, quando verò ambabus arripio, ac teneo, poſſum abſque periculo erroris ebibere, patenâ ſuper aram collocatâ è regione menti mei, in quam patenam collabi poſſet guttula, ſi qua, quod Deus avertat, è calice inter bibendum caſu effunderetur. Peto à V. R. hujus dubii reſolutionem, expectóque reſignatè ad majorem Dei gloriam.*

e Ita literæ illius Stylitæ Myſtici, quibus etiam inſerebat rationes, ob quas credebat, poſſe ſecum diſpenſari. *Primam*, quòd Apoſtoli potuerint utique ſtatuere, ut liceret celebrare ſine patena ſuppoſita calici; ergo, & moderni Prælati Eccleſiæ poſſunt per diſpenſationem id permittere. *Alteram*, quòd ego ipſe *in Alphab. Sacrificant.* ſeu *Tract.* 3. hujus voluminis, in variis locis, quos ipſe digito demonſtrabat, exprimam varias Cæremonias Miſſæ, in quibus tametſi præſcriptis diſpenſet non rarò Pontifex, quid ni ergo etiam in hac diſpenſari queat? *Tertiam*, quòd ſit minus periculi effundendi aliquid ſupra caſulam, barbam, albam &c. quando ſumitur calix capite verſùs patenam in altari accommodè poſitam inflexo, quàm ſi bibatur capite erecto, aut etiam verſùs dorſum, retracto, ac patenâ ſub menti longa barba *immediatè* detentâ, ſicut moris eſt, apud Miſſas ſæcularium in Helvetia.

f Hiſce verbis hanc *tertiam* rationem proponebat ille optimus ſenex; ſubjiciebátque: Cùm hæ tres rationes oſtenderent, poſſe ſecum diſpenſari, videri ſibi exercendam erga ſe hanc poteſtatem, quandoquidem ſi non permittatur Sacris operari, ſibi ſint recitandi Monachatus (Monachatum vocant totum pſalterium Davidicum cum verſiculo *Requiem* claudente ſingulos pſalmos) tam multi, partim à Statutis, Superioribúſque vivis decreti; partim ex confœderatione cum duabus aliis Carthuſiis debiti; ut ſit ſibi valde difficile, ſi non *moraliter* impoſſibile, eos perſolvere, quorum tamen magnâ parte liberaretur, ſi fas eſſet ſacris Aris aſſiſtere.

g Itaque quæruntur hîc duo; Primum, *An, & à quo poſſit diſpenſari circa Rubricam Miſſalis mandantem, ut dum ſacrificans Sacrum ſanguinem ſumit, ſupponat ipſe patenam Calici?* Alterum, *An moralis impoſſibilitas perſolvendi omnes Monachatus ſit ſufficiens cauſa ad impetrandam reipſa gratiam diſpenſationis?*

Ad *Primum* reſpondeo, haud dubiè poſſe ſaltem à Pontifice diſpenſari circa illam rubricam, id quippe demonſtrant tum duæ priores rationes adductæ ab illo piiſſimo Patre, tum hæc generalis, quòd quivis poſſit in ſua, ſuorúmve anteceſſorum lege diſpenſare, tum hæc ſpecialis, quòd tot ſæculis, quibus fuit Laicis permiſſus uſus calicis, non fuerint hi uſi patenis. At verò cenſeo, Epiſcopo non competere jus hîc diſpenſandi: tum quia nequit Epiſcopus diſpenſare in lege Pontificia, niſi in caſibus permiſſis à Papa, uſûve longo receptis, ut tenent omnes Theologi, & Canoniſtæ, ac nominatim Navarr. *De corp. vitiat. conſ.* 1. loquens de vitiis corporis: tum quia nominatim loquendo de Rubricis Miſſalis non conſueverunt Epiſcopi diſpenſare in iis.

h Prælatos Religioſos quod attinet, tametſi Patres Carthuſiani per communicationem polleant tam amplâ diſpenſandi (declarabunt in caſu neceſſitatis tum ipſi, tum vel maximè Epiſcopi) poteſtate, quàm competere Ordini-

bus

Digitized by Google

bus Mendicantibus dixi, retulique ſuprà *num. 719. & 720.* non auſim tamen aſſerere, eâ generali conceſſione comprehendi caſum præſentem, eò quòd in generali conceſſione non veniant ea, quæ quis non eſſet in ſpecie conceſſurus, ſi interrogaretur. *Reg. 18. in 6.* atqui non videtur Pontifex eſſe in ſpecie conceſſurus omnibus Ordinibus Mendicantibus facultatem generalem diſpenſandi in ejuſmodi Caſu. Tum quia per uſum illius induceretur manifeſtè novus Ritus, cùm tamen Bullæ præfixæ Miſſalibus, & Breviariis, deteſtentur hanc inductionem: tum quia etiam quando Principes ſeriò pollicentur, ſe huic, aut illi donaturos, quidquid ab ipſis petiverit, nihilominus tamen hanc generalitatem reſtringunt ad ea, quæ Principes donare ſolent. Joannes Streinius *in cit. Reg. 18. in 6.* declarans id exemplo Regis Aſſueri, utentis tam illimitatâ promiſſione erga Eſtherem. Atqui non auſim ego aſſerere, quòd Pontifices ſoleant impertiri jus diſpenſandi in noſtro caſu, qui videlicet continet periculum effuſionis, & conſequenter irreverentiæ erga Chriſtum. Gratiæ autem tametſi amplæ intelligantur ſine injuria, & præjudicio tertii. Anchar. *Conſil. 34.* quod incipit: *In hac cauſa.* Nec iſtud periculum arcet inclinatio, quam pro ſe allegat Rever. ille Pater. Eſt quippe perdifficile, parvum vitrum, ne dicam calicem vitro mediocri profundiorem exhaurire ſine aliqua effuſione, ſi caput non erigatur, aut in tergum non retorqueatur. Tenentes patenam ſub prolixa barba non probo, deberent quippe tenere ſub mento.

i Impoſſibilitas perſolvendi Monachatûs, fortè non movebit Pontificem, cùm poſſint, atque etiam debeant Superiores Religioſi diſpenſare in ſtatutis, præceptis, fœderibus, indicatis, & intra cellam implendis. Quia tamen carere in perpetuum Miſſæ Sacrificio, eſt piis Sacerdotibus moleſtiſſimum, eámque ob rem S. Franciſcus Borgias inſcriptus nuper Faſtis Eccleſiaſticis perſæpe longa, per moleſtáque itinera conficiebat, ſolùm, ut nanciſceretur copiam quotidie litandi, eam ob rem ſuadeo, ut hæc infirmitas literis proponatur vel Illuſtriſs. D. Nuntio Apoſtolico, vel ipſimet Reverendiſs. P. Generali, quorum uterque utique novit, quid poteſtatis ſibi competat in hoc eventu, & an non ſit conſultius, ut alius ſacerdos, aut Diaconus aſſiſtat illi optimo Patri, teneátque ipſe patenam ſub calice. Interim poterit, aſſiſtente Diacono, ſemel iterúmve in menſe, aut fortè hebdomade celebrare juxta ea, quæ tradit Suarez *loc.* in hanc rem *allegato* à me *in cit. Alphab. Sacrif.* ſeu *Tract. 3. Caſ. XXII. num. 743.*

k In hunc ferè modum reſpondi ad utramque epiſtolam. Corrige me lector, ſi erravi: certè Theologi Ingolſtadienſes à me conſulti negârunt etiam Epiſcopo, & Provinciali jus diſpenſandi, ſed nec fuit ille bonus ſenex permiſſus ſacrificare.

APPENDIX. III.

Caſus Hungarico-Turcicus.

a Accipio die decimo Decembris anni 1673. literas hujus argumenti: *Sempronius è ſtudioſo literarum factus miles Anno 1663. in ultima expeditione Ungarica, ſub Bavaricis ſignis contra Turcas pugnavit, & aliquot occidit. Finito bello rediit ad ſtudia, quibus abſolutis petit tonderi in Clericum ſed patitur repulſam eo tenore: donec ſententiam exhiberet, vi cujus ſe à contracta irregularitate immunem declaret. Conſilium ultimum à R. V. pendet, num fortè oſtendi poſſit, quòd eo ipſo milites, qui contra Turcas pugnando occidunt, ab irregularitate excipiantur.*

b Ita literæ, ad quas paucis (nec enim otium ad plura ſcribenda permittebat abituriens veredarius, & imminens tempus conferendis Ordinibus deſtinatum) reſpondi, non ad generalem theſin, ſed ad hypotheſin, Caſúmque individuum, ſcilicet Sempronium pugnâſſe in bello juſto, propriéque defenſivo, ac proinde non incurriſſe irregularitatem. Nunc ergo plenioris doctrinæ ergò, & quia hoc tempore, id eſt Anno 1675. vel maximè furit, prô dolor! Mars Germanicus, Suecicus, Hiſpanicus, Gallicus, Polonicus, Moſcoviticus, Tartaricus, Turcicus, Siculus, Danicus, Ungaricus, atque Belgicus, offerens innumeras occaſiones incurrendæ certæ, aut dubiæ irregularitatis, breviſſimè proponam ea, quæ *directè & proximè* faciunt ad ſolidam reſolutionem Caſûs Semproniani, ſupponendo, reſolutionem non pendere neceſſariò à reſponſo ad hanc generalem quæſtionem. *An ſcilicet quis ſit ab irregularitate immunis eo ipſo, quòd pugnando contra Turcam necaverit unum, aut plures?* etenim ſufficit ad propoſitum, ſi declaretur I. *An laici quempiam perimentes in juſto bello, merè defenſivo, evadant irregulares?* II. *An bellum Turcicum Anno 1663 geſtum auſpiciis glorioſiſſimi Leopoldi Primi Victoris fuerit propriè, meréque defenſivum, & juſtum?*

c Dico igitur *primò*, Laicus interficiens quempiam in bello juſto *defenſivo* pro ſalute reipublicæ, non incurrit irregularitatem. Joſephus Gibalinus in ſolido *Tract. De irregularitate cap. 4. difficult. 6. fol. 255.* in terminis, teſtans, ferè omnes, præſertim recentiores ita ſentire. Et verò ita ſentiunt Suarez *Tom. 5. in 3. part. Diſp. 47. ſect. 6.* Filliuc. *Tract. 19. cap. 10.* Coninck *De Sacram. Part. 2. Diſp. 18. n. 97.* idque eſt verum, tum quando ille laicus non poteſt aliter evadere, quàm occidendo, ut limitat Sylveſter, *verb. homicidium quaſt. 6. n. 2.* tum quando illius laici, & ſimilium præſentia, & opera eſt neceſſaria ad conſervationem boni publici, ſicuti videtur limitare Coninck, & Filliucius

loc. cit. tum denique ſine hiſce duabus limitationibus. Suarez, Laymannus *in Theol. Moral. Lib. 3. Tract. 3. p. 3. cap. 9.* & maximè Gibalinus *loc. cit.* Ratio eſt, quia nulla irregularitas incurritur, niſi in caſibus in jure expreſſis. *cap. Is, qui. De ſentent. excommunicat.* in terminis, & quidem ita clarè expreſſis, ut meritò dubitari nequeat, quin ipſamet verba juris extendant ſe ad tales caſus. Suarez relatus hoc ipſo *Tract. 8. n. 660.* & declaratus multis Caſibus *num. 673 & ſeqq.* Atqui nulla verba juris canonici ſe clarè extendunt ad laicos occidentes pro ſalute reipublicæ tempore juſti belli *defenſivi* hoſtes, & conſequenter nec ad eos, qui perimunt infeſtiſſimos toti Chriſtianitati, ad quos mactandos eſſent præmio propoſito invitandi à Pontifice laici, potiùs quàm metu ſeu pœnæ, ſeu inhabilitatis abſterrendi. Hoc ipſo quòd Papa det Clerico poteſtatem pugnandi, tollit periculum irregularitatis, inquit Diana *Part. 9. Tr. 9. Reſ. 6.* quæ doctrina non omnino incongruè huc tranſfertur.

d Nec obſtat deciſio *capit. Petitio. De homicid.* ubi Clericus, qui in defenſione caſtri invaſi ab infidelibus, aliquos præſumptivè occiderat, jubetur abſtinere miniſterio altaris. Etenim & non valet argumentatio à Clericis ad laicos, & rectè obſervat Laymann. *loc. cit.* ideo latam fuiſſe hanc ſententiam, quòd ejuſmodi actio (exercita à clerico) non fuerit neceſſaria ad vim repellendam, ſi enim fuiſſet neceſſaria pro defenſione arcis, ſeu patriæ, non fuiſſet is Clericus reus irregularitatis. Barboſa *in cit. cap. Petitio* poſt Covarr. Molin. & Henriquez.

e Porrò cenſetur quis hoſtem occidere in bello, non ſolùm quando illum necat in prælio, ſed etiam quando extra prælium, ſiquidem nomine *belli* intelligitur non ſolùm actualis conflictus, ſed generatim diſcordia hoſtium cum præparatione utrinque ad conflictum. Coninck ex communi mox referendus. Unde dicimus, hoc aut illud bellum duràſſe decem, viginti &c. Annos, & eleganter ſcripſit Livius: *Populus Romanus nullo bello, multis verò præliis ſuperatus fuit.*

f Dico *ſecundò* Bellum anno 1663. bellatum in Ungaria contra Turcas, fuit & juſtiſſimum, & verè, propriéque *defenſivum.* Certum enim eſt, fuiſſe jure ſummo ab Auguſtiſſimo Leopoldo ſuſceptum *primariò* atque *principaliter* ad reprimendam vim à Turca injuſtiſſimè actu illatam, occupatis multis locis, atque aliis conſtitutis in præſenti diſcrimine. Atqui bellum *defenſivum* eſt id, quo ſolùm, aut *principaliter* conatur quis repellere vim ſibi, aut rebus ſuis actu illatam ab aliquo invaſore. Coninck *De actib. ſupernat. Diſp. 31. dub. 2. n. 220.* ex communi, ubi perappoſitè ſubdit: *Et quamvis in eo ſæpe neceſſe ſit, aliquam vim hoſti inferri, aut etiam occidi, quia tamen non fit, niſi quia neceſſarium eſt, ut vis actu illata repellatur, tota illa actio habet rationem meræ defenſionis.* Ita Coninck.

Unde infero, Sempronium fuiſſe liberum ab irregularitate, non modò ſi illos aliquos, de quibus ſpecies facti, trucidavit in prælio, aut velitatione, de quo non dubitant Gibalinus, & Laymannus, ſed etiam ſi idem Sempronius unà cum decem, aut viginti commilitonibus, offendit in via, vel pago aliquot milites Turcicos, fugam capeſſentes, aut ſedentes, eóſque Cerbero in cœnam miſit, quandoquidem illa actio fuit & juſtiſſima, & exercita potiùs *defenſive*, quàm *offenſive*, ut liquet ex ſingulari obſervatione Patris Coninck. Si tamen illi Turcæ voluiſſent ſeſe dedere, puto, Coninck, & omnes Canoniſtas cum pleriſque Theologis agnituros tunc irregularitatem, & meritò. g

Nec obeſt noſtro principali reſponſo I. quòd ille Sempronius ultro dederit nomen militiæ, etenim rectè obſervat Gibalinus *loc. cit.* ad effugiendam irregularitatem ſufficere, quòd ratione neceſſitatis & periculi, in quo verſatur publica res, liceat (Principi) bellum *defenſivum* gerere, etiamſi quilibet (gregariorum, & Ducum) in particulari ſe à militia potuerit retrahere. h

Nec obeſt 2. quòd Sempronius fortaſſe non fuerit ſubditus Imperatoris, nam in primis fuit ſufficienter ſubditus, ſi Bavarus, omnes quippe ſubditi Principum Imperii agnoſcunt Imperatorem pro ſuo ſummo in temporalibus capite. Deinde cauſa fidei, & Religionis ſummè periclitantis eſt cauſa communis fidelibus, unde judicandi ſunt ſinguli, tum in communi, tum in privata cauſa, ſeu pro communi & privato bono capeſſere arma, quando illa corripiunt Galli, Hiſpani, Poloni & longè magis Germani pro tuitione Religionis Catholicæ, ædiúmque ſacrarum, infeſtatarum ab exercitu Turcico, Calviniſtico &c. ſiquidem ſumma ratio eſt, quæ pro religione facit, inquit Chriſtianè Papinianus relatus *in L. Sunt perſonæ. ff. De relig. & ſumpt. fun.* i

Propter hæc, & alia dedi illud, de quo ſuprà, benignum reſponſum, quia tamen non reperio, qui ita ſpecificè de hac re loquatur, atque ego, volui id ſubjici cenſuræ duorum Theologorum verſantium in loco, unde conſulebar, qui & probaverunt, ut poſtea didici. k

Propoſui hoc toto capite, ſeu Caſu XVII. varia exempla irregularium, addam *num. 710.* irregulares ex communiore ſententia Doctorum eſſe ipſo jure incapaces Beneficii Eccleſiaſtici, ac proinde ſequitur inde, graviter delinquere, quotquot ad ejuſmodi præbendas promovent manifeſtè obnoxios irregularitatibus. Quam ob rem videtur diſcutienda hoc in loco hæc

APPENDIX IV.

Mira exteris, uſitata Germanis.

Diè 26. Jul. Anno 1677. erat pro more his locis receptiſſimo Miniſter ſectæ Zwin- a

gliana

gliana à noſtro Reverendiſſimo Capitulo Cathedrali præſentandus Magiſtratui etiam Zwingliano, ut hic illum miniſtrum inſtitueret Parochum pagi B. olim Orthodoxi, nunc hæreſi corrupti. Paulò antequam convenirent Domini Capitulares, unus ex illis me convenit, ſuſcitatur, an abſque peccato poſſet ſuffragium ferre in favorem præſentandi, cùm hæc ſuffragatio ſit jure Divino & Naturali vetita?

b Reſp. Ita quidem ſe rem habere per ſe loquendo, quia tamen certum ſit ejuſmodi præſontationes, imò collationes, & inſtitutiones factas eſſe innumeras hoc toto, & ſuperiore ſæculo, factitatas autem non à ſolo Capitulo Cathedrali, ſed & ab aliis Collegiatis, imò & Monaſteriis Sanctgallenſi, Einſidlenſi, ac proinde à plurimis doctiſſimis, ſapientia, virtutéque clariſſimis viris, poſſe illum Reverendiſſimum Dominum conſulentem formare ſibi conſcientiam per principium extrinſecum rectam hic & nunc, & proinde dare ſuum ſuffragium proteſtando in animo, quòd illud eo ſolo modo, quo poteſt ſalvâ conſcientiâ, det. Idcirco autem ita reſpondi, quòd & Reverendiſſimũ Capitulũ jamjàm eſſet adeundum, & mihi non ſtatim occurreret modus refellendi, retundendiq; rationes, quæ mihi adverſus adeò informem, heteroclitámque præſentationem occurrebant.

c In primis enim tales miniſtri ſunt multiplici ex capite irregulares, utpote meri laici, uxorati, hæretici, infames juxta id, quod dixi hoc ipſo *num. 688.* & propter quod hanc Appendicem ſtatuo potiùs hoc loco, quàm alio, has autem irregularitates tollere vel in iis diſpenſare jure ordinario poteſt ſolus Papa. Infrà *num. 716.* Secundò, poſtulantur hæc Beneficia ad peſſimum finem, videlicet ad confirmandas hæreſes, ad miniſtranda indigniſſimè Sacramenta, ſingulariter Baptiſmi, Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, illud illicitè, hæc duo etiam invalidè, in iis locis, in quibus habentur hæc duo pro Sacramentis. Tertiò, qui talem præſentat Magiſtratui Acatholico uſurpanti jus inſtituendi, incitat hunc ad faciendum id, quod ſine ſacrilegio nequit, ſcilicet ad inſtituendum & invalidè, & illicitè, atqui talis actio eſt propriè ſcandalum, adeóque actio vetita jure divino, humanóque.

d Hæ tres rationes pariunt difficultatem ſanè non modicam circa talem præſentationem, quia verò gaudent illi Prælati, de quibus ſuprà, non ſolo jure præſentandi hæreticos, ſed etiam quandoque tum inſtituendi præſentatos ab heterodoxis, tum etiam libere conferendi, eâdem opera dicam, qua ratione mihi videatur, poſſe hoc triplex genus actionum innoxiè obiri. De confirmatione nihil dicam, quandoquidem confirmatio propriè eſt conceſſio Beneficii electionis facta à Prælato. Abbas *in cap. Autoritate. De inſtitut. n. 7.* talia verò non habent acatholici, carent enim Collegiis, quorum membra potiuntur jure ſuffragii, tum ſingulariter activi, tum etiam paſſivi, ſicut plerumque iſtud jus eſt conjunctum, ſicut obſervabo Tract. ſequent. *num. 25.* lit. R.

Ut verò adductis rationibus ſatisfaciam ordinatiùs, obſervo, poſſe in iſtis præſentationibus, collationibus &c. intervenire duplex genus, ſeu duplicem modum, *permiſſive* inquam, ſeu *negativè*, item *activè*, & *poſitivè*. *Permiſſivè* duntaxat ſe habet, & convenit Canonicis Capituli, potientis jure præſentandi, quando præciſè dicit: *Per me licet, ſi vultis hunc præſentare*: merè negativè, ſi diceret: *Nolo me immiſcere huic periculoſo negotio, facite, quòd vobis collubitum erit.* At verò ſe habet *activè*, & *poſitivè*, quando *huic, aut iſti do meum ſuffragium*, aut dico: *Puto hunc præſentandum*, ſimiliter poſſumus conſiderare ipſum corpus Capituli immediatè præſentantis hæretico Magiſtratui inſtituendum, poteſt enim in literis ad ipſum datis ſcribere vel: *Hunc Stichum præſentamus pro tali Parochia*, id eſt: *Volumus hunc inſtitui Parochum talis loci*, vel: *Non prohibemus, quo minùs hunc inſtituatis.* e

Qui ſolùm permiſſivè, aut negativè ſe habent, f longè faciliùs evadunt iram divinam, quàm qui activè & poſitivè, nec enim eſt communiter tanta obligatio impediendi malum, quàm non patrandi, quamquam ſine dubio perſæpe delinquitur non impediendo ſecundùm illam à S. Leone prolatam ſententiam. *Qui alios, cùm poſſit, ab errore non revocat, ſe ipſum errare demonſtrat.* Hiſce præmiſſis.

Dico I. Habens jus vel totale, ut e. g. Prin- g ceps, aut ipſum corpus Capituli, vel partiale, ut ſinguli Canonici, ſeu Capitulares præſentandi ad Parochiale Beneficium, peccat mortaliter per ſe loquendo, etiamſi merè negativè ſe habeat, quando agitur de præſentando hæretico miniſtro. De concurrente activè res eſt ſole meridiano clarior. De permiſſivè, aut negativè probatur. Nec enim minùs diſpenſatores Beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæ ſunt bona, ſeu res Dei, *Trident. Concil. Seſſ. 25. cap. 1. De Reformat.* quàm myſteriorum Dei oporteret eſſe fideles *1. Corinth. 4.* fidelitas autem conſiſtit non in eo ſolùm, ut ſervus nullum ſuo Domino damnum inferat, ſed etiam ut inferendum impediat. Unde perſæpe graviter divinam Majeſtatem offendunt Capitulares, ſenatores, aliique habentes jus aliquid ſanciendi decernendi ex communi conſenſu, quando ob reſpectus humanos tacent, ſi videant taciturnitate multiplicatum iri, ſeu prævalitura ſuffragia, in rem iniquam tendentia. Dixi, *per ſe loquendo*, etenim apud illos quoque locum habet monitio Eccleſiaſt. *cap. 32. Ubi auditus non eſt, non effundas ſermonem.* Si igitur videant ſe nihil effecturos, tametſi declamarent adverſus nominationem tam inepti ſubjecti, erunt extra culpam.

Dico

Digitized by Google

h Dico II. Longè manifeſtiùs delinquit per ſe loquendo, qui ſe habet in ejuſmodi ſuffragationibus merè permiſſivè dicendo: *Non prohibeo, quò minùs & tu petas à tuo Magiſtratu te inſtitui, & ipſe Magiſtratus te inſtituat.* Ratio eſt, quia jus præſentandi eſt Patronis ab Eccleſia datum, non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem beneficiorum Eccleſiaſticorum, deſtruuntur autem illa beneficia, quando committuntur hæreticis, tunc enim corruit finis, ob quem ſunt inſtituta. Nihilominus tamen poteſt illa permiſſio juſtificari, quando res ſunt eo loco, ut vel Magiſtratus hæreticus ſit ipſemet illum, qui præſentatur, aliúmve inſtituturus, aut Parochiam relicturus ſine omni paſtore. Ratio eſt prima, quòd è duobus malis eligendum ſit minus, S. Thomas *1. 2. quæſt. 19. art. 6. ad 3. cap. Super eo. De uſur*, atque omnes Theologi, & Canoniſtæ, eſt autem minus malum, tunc permittere, quia ſi non fiat permiſſio, alterutrum è duobus malis eveniet, ut videlicet Parochiani relinquantur ſine omni Parocho, & tunc paulatim evadant Athei, aut ſemiathei, aut Magiſtratus Acatholicus conſtituet, quem maluerit, alterutrum autem ex his duobus malis eſt majus, quàm permiſſio, tum quia illa ratione perdit omne ſuum præſentandi jus Capitulum præditum poteſtate præſentandi, atqui melius eſt antè jura ſervare, quàm poſt vulneratam cauſam remedium quærere. Tuſchus *lit. P. Concluſ. 648.* quale certè remedium fruſtra quæreret Capitulum, ſi fortè fiat mutatio Religionis, aut velit promovere aliquem è ſingulari modeſtia, moderationéque commendatum.

i Accedit quòd ſaltem Epiſcopi, aut magni Prælati, quando illis ſe ſiſtit præſentandus, poſſint haud raro iis modis ſuos illos clientes hortari ad articulos fidei communes utrique Religioni Chriſtianæ proponendos, explicandóſque plebi: ad abſtinendum ab inſectatione directa Sacerdotum, Religioſorum: ad Sacramentum Baptiſmi cautiſſimè, & diligentiſſimè per ſe, atque obſtetrices ab iis probè edoctas adminiſtrandum, ut hac ratione plurimùm boni enaſcatur, plurimùm mali impediatur. Unde fit, ut quidam ex illis, quos doctiſſimos, ſibi & Germaniæ ſemper educavit Illuſtriſſimum Monaſterium ad S. Gallum, graviſſimus Theologus à me ſuper hac ipſa controverſia conſultus, meritò reſponderit, laudandum eſſe procuratorem, qui, cùm non poſſit ſui Domini totam ſubſtantiam conſervare, conſervat tamen partem. Et præmiſerat: Quibuſdam locis illos miniſtros, qui à Catholicis Præſulibus præſentantur, vel inſtituuntur, debere præſtare juramentum, de fide Chriſtiana prædicanda, ſeditioſis concionibus cavendis, item nonnullos ab iiſdem Præſulibus puniri, quandoque etiam loco moveri. Et verò memini abhinc paucis Annis quemdam prædicantem, quem ſibi à Magiſtratu Acatholico præſentatum inſtituerat Illuſtriſſimus Epiſcopus Conſtantienſis, fuiſſe graviſſimè increpitum, & ſub pœna exautorationis, ni ſe corrigeret, commonitum propter librum Catholicis contumelioſum in lucem editum. Denique videmus ab ipſis Romanis Pontificibus permitti poſitivè tum lupanaria, tum Judæorum Synagogas, & in his obſervationem rituum judaicorum.

Dico III. Quod dixi de permiſſione in præ- k
ſentatione, idem dico de inſtitutione, & collatione libera, adeóque poteſt Prælatus Catholicus illi, qui ipſi propriè præſentatur inſtituendus (nam inſtitutio propriè eſt collatio Beneficii Eccleſiaſtici facta præſentato à Patrono P. Laymann. *Lib. 4. Tract. 2. cap. 10. n. 13.*) ad aliquam præbendam, dicere: *Permitto, ut adeas, poſſideas hoc Beneficium*, poteſt, inquam, quando videlicet interveniunt eæ cauſæ, quas expoſui pro licitè permiſſa præſentatione. Ratio eſt, quia, ſicut una, eadémque res debet eodem judicio, ſeu jure cenſeri *Leg. Eum, qui ff. De uſurpation.* ita & de ſimilibus ſimile judicium ferendum eſt, ergo in caſu & neceſſitate, quam ponimus, excuſabitur Prælatus pollens jure inſtituendi dum dicit: *Permitto hiſce literis, ut capeſſas hoc Beneficium*, poteſt & iiſdem verbis uti, quando habet poteſtatem liberè conferendi.

Dico IV. Vix apparet Caſus, quo Prælatus l
licitè concurrat *activè* ad tales promotiones, per *activum* concurſum intelligendo in proprio ſenſu hæc verba: *Te præſento: Te inſtituo*, quia tenemur non ſolùm abſtinere à malo, ſed etiam à *ſpecie* mali. *1. Theſſalon. cap. 5.* id eſt ab iis, quæ habent ſpeciem mali, etiamſi per ſe non ſint mala. S. Thomas *2. 2. quæſt. 43. art. 1. ad 2.* atqui vix reperietur Caſus, quo illæ poſitivæ actiones non ſint & malæ, & præſeferentes ſpeciem mali. Quòd ſint ex ſe malæ, peſſimæ & ſacrilegæ, oſtendi ſuprà *lit. e.* éſtque evidens ex ſe, unde fit, ut etiam præſeferant ſpeciem mali, quam ſpeciem non amittent, etiamſi Canonicus dans ſuffragium poſitivum, aut Prælatus dicens: *Te inſtituo: Te præſento, Tibi confero hoc Beneficium, idcirco quòd non poſſim non conferre, non inſtituere*, intelligat ſolam permiſſionem, re enim vera poteſt communiſſimè occurrere malis imminentibus, etſi non utatur illis verbis ex ſe indicantibus activum concurſum, ſiquidem communiſſimè ſufficiet uti ſola permiſſione, ſeu abſtinentia
à contradictione. Quod ſi ponamus oriri in- m
ter Catholicum Prælatum, & Acatholicum Nobilem aut Magiſtratum de jure litem hic & nunc præſentandi, inſtituendi &c. ita ut non ſufficiat, ſi Catholicus dicat: *permitto*, ſeu *non prohibeo*, quò minùs hic Stichus adeat hoc Beneficium, poterit dicere, vel: *Non conſentio, nec quantum in me eſt, permitto, ut alius præter hunc Stichum acceptetur in Parochum*, poterit inquam, hæc locutio tolerari in foro Dei, & æque finietur lis, ac ſi apertè dicat Prælatus:

Volo

Digitized by Google

Volo huic, non alteri competere jus ad hoc Beneficium, & tamen Prælatus ſic loquens non utitur illis verbis: *Præſento*: *Inſtituo*: *Confero*, atqui nullus fingetur caſus, qui moraliter loquendo exigat plus, quàm hîc ultrò concedo, ergo abſolutè dicendum eſt, in nullo caſu fas eſſe uti illis verbis tam clarè indicantibus formalem actum volendi, & poſitivè conſentiendi, cùm ne quidem tunc ſit neceſſarius ille actus, quando fortaſſe oportebit (ad tuendum jus) armis uti, armatâque manu tradere actualem poſſeſſionem, ſufficiet enim dicere: *Has claves accipe, nulli niſi tibi hic & nunc permitto uſum omnium jurium Parochialium ſeu haberi pro Parocho.*

n Neque dicas, haſce ſubtilitates eſſe nimias, & poſſe in ejuſmodi caſu dici: *Tibi & non alteri trado claves Eccleſiæ*: *Te & non alium eſſe volo hujus loci Parochum*, quandoquidem tam multi Doctores tradunt, fas eſſe parato facere grandius malum, ſuadere minus, Miniſter autem, qui præſentatur, ait cum ſuperbiſſima Junone:

Flectere ſi nequeam Superos (Epiſcopum)
Acheronta movebo:

rem, inquam, deferam ad meum Magiſtratum, qui etiam armis extorquebit conſenſum, & ubi fuero adeptus id, quod peto, quidquid potero, moliar in Clerum Papiſticum.

o Reſp. Neminem docere illam ſuaſionem eſſe licitam, quando poteſt ratione remotiore à ſpecie mali impediri peccatum, poteſt autem, etſi non utatur quis verbis poſitivum actum indicantibus, ut fit, quando præcisè dicitur: *Sum contentus*, ſeu *permitto* (quia impedire nequeo) *ut tu, & nemo alius ſit Parochus*. Quòd ſi ponamus hæreticos nolle eſſe contentos verbo permittendi, ſed exigere verba: *Conſtituo*: *Creo*: *Præſento* te, & niſi hoc obtineant petitum, moturos ſeditiones, tunc poterit cedi minis ita tamen, ut ſubaudiatur modalis clauſula: *In quantum poſſum*, poteſt autem Epiſcopus, Abbas, Capitulum dare poſitivè miniſtro hæretico poteſtatem, ut ſaltem in extrema neceſſitate baptizet, laborantes ignorantiâ articulorum ad ſalutem neceſſariorum doceat tunc, quando nemo alius adeſt, imminétque mors corporis, & animæ.

p Et omnino deſiderarem hanc doctrinam notam & familiarem eſſe omnibus, certe non committerentur illa peccata, quæ veroſimiliter ſunt commiſſa ab iis, qui non attendentes ad irregularitates, quibus ſunt obnoxii Prædicantes, nihil ad Sacrilegam injuſtitiam, quam iidem admittunt, & volunt extorquere conſenſum ad poſſidenda ſine ullo vero titulo, diſſipandáque bona Eccleſiaſtica, abſolutè dicunt in Capitulo: *Do huic meum ſuffragium*, vel extra Capitulum. *Te creo*, ſeu *inſtituo Paſtorem hujus loci.*

q Verùm quia viri ſapientiſſimi, qui ex officio expenderunt hanc totam Appendicem, exiſtimant, revera nunquam eſſe utendum verbis conſenſum poſitivum ex communi uſu ſignificantibus, idcirco nec cenſeo ego utendum, ea etiam de causâ, quia nunquam licet parere petenti quidpiam in Religionis contemptum, ut declaravi *Tract. 1. num. 276. & ſeqq.* videntur autem hæretici poſtulantes ejuſmodi verba, id facere in contemptum Religionis, cùm ex una parte non ſint neceſſaria, ex altera videantur ipſi illa exigere eo fine, ut habeantur pro talibus, qui verè poſſint circa ſpiritualia mandare rem tantam Catholico Clero, igitur non ſatis tutum eſt in foro Dei ipſis acquieſcere.

MALE ORDINATI POENA, ET ABSOLUTIO.

CASUS XVIII.

SUMMARIUM.

Caſus hominis ſæcularis inſigniti quatuor Minoribus ab Inſulato Abbate, at ab alio Epiſcopo non admiſſi ad Subdiaconatum, ſed rejecti, tanquam ſi eſſet ipſe, & Ordinator Abbas ſuſpenſus. 702.

Cenſuram non incurrit ignorans, ſuam actionem notari Cenſura. 704.

Validè *ordinatur irregularis, furtivè ſuſcipiens Ordines, etiam poſt proteſtationem publicam, quòd Epiſcopus non intendat conferre Ordines ulli irregulari. Ibid.*

Suſpenditur ordinatus ſine dimiſſoriis ab alieno Epiſcopo. 707.

Et qui ante legitimam ætatem. 708.

Et qui extra tempora. 709.

Et fingens titulum Beneficii. 710.

Adeò ut multi habeant pro irrita collationem Beneficii factam irregulari. Ibid.

Promotus per ſaltum, aut in excommunicatione, eſt ſuſpenſus. 711.

Illæ ſuſpenſiones incurruntur per peccata etiam occulta. 712.

Sicut & irregularis audit, qui ſuſpenſus, vel excommunicatus fungitur ſolenniter miniſterio ſui Ordinis. Ibid.

Non autem is, qui in ſuſpenſione celebrat cum Ordinatore, vel cantat ſolenniter Evangelium eo die, quo obnoxius cenſuræ curavit ſe ordinari. 713.

Declaratur caſu Romano-Burgenſi. Ibid.

An ſuſpendatur Abbas, qui abſque privilegio confert Minores Ordines? 714.

Quis tollat prædictas ſuſpenſiones? 715.

Quis Irregularitates? 716.

An etiam Prælati Religioſi? 717. & 719. Et ſingulariter in App. ad finem hujus Caſûs.

Quis ſingulariter in bigamia & defectu natalium? 718. Et ſingulariter in Append.

Epiſcopi eſt declarare, utrùm defectus corporis, incurrens in ſenſus, adferat irregularitatem. 718.

An

Digitized by Google

An diſpenſet in irregularitate ex defectu perfectæ lenitatis? ibid.

Caſus rarus, quo indagatur privilegium, cujus vi legitimè diſpenſârit Prælatus Regularis cum ſeculari irregulari ob defectum natalium. 719.

Prælatus Regularis an diſpenſet cum ſubdito laborante morbo caduco, & maniâ? 720.

An in dubio poſſit declarare adeſſe, vel non adeſſe irregularitatem? Ibid.

Utrùm obnoxius Irregularitati poſſit, hâc diſſimulatâ, ſuſcipere Ordinem Sacrum, ſi non ſuſcipiendo pateretur grave damnum? 721.

Proponitur Caſus multiplicis quæſtionis. Ibid.

702 *SErvatus à Diœceſi Curienſi profectus ſtudiorum cauſâ ad Diœceſin A. cum legitimis dimiſſoriis, accepit ibidem poſtmodum 4. Minores Ordines à quodam infulato Abbate aſſerente, ſe potiri privilegio conferendi illos etiam laicis. Ita attonſus in Clericum pergit ſuo tempore ad Sedem Epiſcopalem A, petitque Subdiaconatum. At repellitur dicendo: tam ipſum, quàm ejus Ordinatorem contraxiſſe pœnam ſuſpenſionis, cùm Ordinator malè alleget ſuum privilegium. Quapropter contendit in Diœceſin B. tentaturus aleam, quam & tentavit tam felici ſidere, ut abſque difficultate ulla fuerit admiſſus ad omnes ſacros Ordines, etiam poſtquam exhibuit teſtimonia D. Abbatis, à quo fuerat in claſſem Clericorum relatus. Quæritur, an æquè juſtè ac benignè egerit Ordinarius B?*

Hic, aliíque Caſus de pœna malè ordinatorum habebunt expeditam reſolutionem ex iis, quæ breviter referam 1. De pœnis Eccleſiaſticis, quibus obnoxii ſunt promoti vitiosè. 2. De poteſtate relaxandi has pœnas.

703 Quæres igitur I. *Quænam pœna ſint jure ſtatutæ in eos, qui contra præſcriptum ſacrorum Canonum ſunt initiati Ordinibus?*

Supponitur autem 1. Non eſſe ſtatutas pœnas in omnes omnino, qui cum peccato etiam mortali ſunt ordinati, ſed tantùm in aliquos, licet tales ita diſpliceant Deo, ut eos aliquando plectat immiſſione mali genii in eorum corpora. Caſum proponit, & reſolvit Navarrus *Conſil. Lib. 1. Conſ. 35.*

Supponitur 2. Eſſe in praxi probabiliſſimam opinionem plurimorum tradentium, probantium non incurri in foro conſcientiæ reatum ullius cenſuræ gravis, niſi ab eo, qui & peccavit mortaliter, & ſcivit, cenſuram eſſe ſtatutam in factitantes tale opus. Autores nominantur PP. Sanch. *De matr. Lib. 9. d. 32. n. 31.* Ferd. de Caſt. Palao *1. Part. Tract. 2. Diſput. 1. punct. 17.* & alii *in materia De Cenſuris.* Vide etiam ſuprà *num. 666.*

704 Supponitur 3. Subſiſtere valorem Ordinationis, etſi quis obnoxius alicui impedimento Canonico, ſubdolè, vel ignoranter diſſimulato, ſe immiſceat, contra expreſſam prohibitionem Ordinatoris, turbæ legitimè initiandorum. Quæ ſuppoſitio eſt omnino, ſeu abſque limitatione certa in aliquo caſu, in alio certa cum aliqua limitatione. Eſt illimitatè certa, quando ſeu Magiſter cæremoniarum, ſeu alius mandato Reverendiſſimi Ordinatoris recitat immediatè ante initium Ordinationis verba, quæ in Pontificali Romano præmittuntur titulo, ſeu paragrapho: *De Clerico faciendo*, videlicet hæc: *Reverendiſſimus in Chriſto Pater* &c. *mandat ſub excommunicationis Pœna, ne quis forſan irregularis* &c. *aut aliàs à jure prohibitus* &c. *ullo modo audeat ad ſuſcipiendos Ordines accedere.* Ratio hujus certæ ſuppoſitionis eſt, quia in pœna excommunicationis non includitur pœna nullitatis, cùm nec mandata pœnalia ſint amplianda, ſed potiùs reſtringenda, nec ſit ullius prorſus Ordinatoris intentio, à qua valor dependet, velle tales privare effectu formæ Sacramentalis. Addo quaſi per parentheſin, ne quidem excommunicationem prædictam incurri à laborantibus uno, alteróve ex impedimentis Canonicis prorſus ignorato, etenim ignorantia facti excuſatur. *cap. Ignorantia. De Reg. jur. in 6.* ſed ne quidem ab iis, qui ſciunt ſe obnoxios huic, aut illi vitio, at probabili ratione, vel autoritate ducti credunt, ab eo vitio non promanare impedimentum. Ratio eſt, quia etiam *juris* ignorantia, quando eſt probabilis excuſat ab incurrenda tanta pœna, quanta eſt excommunicationis. DD. in materia de cenſuris.

Rurſum illa noſtra *tertia* ſuppoſitio eſt cer- 705
ta in alio caſu, ſed cum limitatione; caſu, inquam, illo, quo Magiſter cæremoniarum, ſeu quis alius, mandante Ordinatore, non ſolùm prælegit valde ſeria verba, ſuperiùs deſcripta, ſed inſuper addit, & nomine Ordinatoris proteſtatur, non eſſe intentionem iſtius ullum ordinare, qui laboret impedimento Canonico, cujuſmodi proteſtationi prorſus inuſitatæ in hac Diœceſi Conſtantienſi ſe interfuiſſe, teſtatur P. Dicaſtillo *Tom. 1. in 3. Part. Tract. 1. Diſp. 3. dub. 9. n. 187.* teſtante inſuper Patre Henriquez *in Summa Lib. 2. cap. 8. num. 5.* viſum à ſe Pontificale, in quo exprimebatur illa proteſtatio, atque etiam addente in Commentario *lit. E.* Canoniſtas, ac Theologos ſenſiſſe id, quod diximus paulò antè, ſicut ſentit & Dicaſtillo *loc. cit.* ſed multùm ambigente, & ejuſmodi proteſtationem valde improbante Cardinali de Lugo *Tom. 1. in 3 Part. Diſp. 8. num. 119.* & meritò. Sanè nec umbra illius extat in Pontificali impreſſo vel Lugduni An. 1544. vel Pariſiis An. 1615. Nihilominus tamen probatur noſtra reſponſio inde, quòd, licèt Ordinator præcipiat fieri talem proteſtationem, attamen communiter vel eâ utatur ſolùm ad terrendos impeditos. Dicaſtillo *loc. cit.* vel eſto caruerit tunc, quando fiebat clarâ voce prædicta

dicta

dicta proteſtatio, intentione conferendi *realiter* Ordines irregularibus, attamen in ipſo actu Ordinationis induat illam intentionem. Henriquez *loc. cit.* Cauſam ſic divinandi deſumo ex principio valde efficaci in ſcholis Canoniſtarum, & Legiſtarum, ſcilicet ab abſurdo vitando, adeò ut Riminaldus apud Barboſam *in opuſc. De locis probation. verb. Ab abſurdo n. 1.* Leges, & Doctores aggerentem ſcribat, nullum argumentum eſſe eo validius, ſequerentur autem graviſſima abſurda, ſi Ordinator, à cujus intentione pendet *eſſentialiter* valor, revera conſtanter careret voluntate impertiendi characterem omnibus, qui inhabiles ſe ſe præſentarent, quæ abſurda deducunt Dicaſtillo, atque Lugo. Limito tamen hanc doctrinam, excipiendo cum Dicaſtillo caſum, quo Epiſcopus meritò retinet intentionem non ordinandi efficaciter illos inhabiles, ut ſi e. g. intellexiſſet, unum, aut plures Huſſitas latere inter Candidatos Ordinum, volunt enim Huſſitæ, & Schiſmatici habere Sacerdotes à Catholicis initiatos, ut ſint certi de valore conſecrationis, poſſet quippe tunc Epiſcopus valide, & licitè dicere: *Nemo Huſſita, vel Schiſmaticus accedat, nec enim eſt, aut erit noſtra intentio talibus conferendi Characterem Sacerdotalem.* Vide, & junge his ea, quæ ſuprà *num. 316.* ex Navarro retuli de ingerentibus ſe furtivè.

706 His ſuppoſitis obſervandum eſt, cenſuras à malè promotis incurri in Caſibus ſequentibus, quos ex jure Canonico inter cæteros collegit, ſed præ cæteris accuratè explicavit P. Suarez *Tom. 5. in 3. Part. Diſput. 31. ſect. 1. & ſeqq.* ordinem illius ſequar.

I. Suſcipiens unum ex Majoribus Ordinibus ab Epiſcopo, qui cum facultate Pontificis (aliter enim non valet) renuntiavit non tantùm loco, ſed ipſimet dignitati Epiſcopali, ſciens renuntiàſſe, ſuſpenſus eſt officio, & miniſterio ſui Ordinis. *cap. 1. De ordinat. ab Epiſcop. qui renunt.* Suar. *loc. cit. ſect. 1.*

707 II. Suſpenditur & is, qui ſine dimiſſoriis ſuſcipit Ordines Majores ab alieno Epiſcopo Pius II. *Extrav. Cùm ex ſacrorum*, ſecùs, ſi Minores, nam Pontifex loquitur expreſſè de Ordinibus *Sacris*, Suarez *ſect. 1.* cum aliis multis, diſſentiente tamen Palao *De cenſ. Diſp. 4. p. 10. §. 1. num. 4.* quoad Ordines Minores, conſentiente contra Eſcobar *in Theol. Moral. Lib. 23. num. 314.* & alios, quoad Primam Tonſuram. Porrò ſuſpenſio prædicta durat, quoad proprius Epiſcopus permittat ipſi uſum Ordinis. Excipe, niſi ex prudenti ſpe ratihabitionis id fecerit, tunc enim non incurrit ullam pœnam. Suarez, & alii cum Eſcobar *loc. cit. probl. 87.* poſt Marchin Mandoſ. alios contra Bonac. *De Sacram. Diſp. 8 p. 4 num. 28.* Barboſam *De Epiſcop. alleg. 8. num. 4.* & alios. Sicuti nec peccat, qui ab alio Epiſcopo petit tunc Ordines, cùm ſuus proprius eſt vel ſuſpenſus, vel excommunicatus. Porrò prædicta pœna extenditur ad illum, qui, Sede vacante, ſine dimiſſoriis facit ſe ordinari, aut aliàs à ſuo proprio Epiſcopo accipit Ordines in alia Diœceſi. Suarez *cit. ſect. 1. num. 20. & 21.*

708 III. Suſpenſionis ſententiæ actu ipſo incurſæ ſubjacet, qui ante legitimam ætatem ſuſcipit Ordinem *Sacrum*. Pius II. *in Extrav. Cùm ex ſacrorum.* & alii Pontifices. Suarez *cit. ſect. 1. num. 25.* ſi videlicet ſcienter id fecit; ſecùs, ſi fuit bonâ fide ſecutus fidem parentum. Eſcobar *probl. 58.* ex communi, nam talis excuſatur ab omni peccato. Suprà *n. 500.* Peccabit tamen mortaliter, ſi actum Ordinis ſacri exerceat ante legitimam ætatem. Suprà *num. 497.* at non fiet idcirco irregularis juxta Eſcobar *loc. cit.* & Laymann. *Lib. 5. Tract. 9 cap. 10. num. 3.* contra Navarrum, & Marchinum, cùm enim non incurrerit ſuſpenſionem in ſuſceptione Ordinis, cur diceretur miniſtrare in cenſura? Vide ſuprà *num. 501.*

709 IV. Idem Pius II. ferit ſuſpenſione permittentes ſe ordinari extra tempora, ita ut non liceat ipſis uti illo Ordine ſacro, quem tunc acceperunt *illicitè*, liceat tamen inferiore. Suarez *cit. ſect. 1. num. 32.* Huc refer illum, qui duos ſacros Ordines ſuſcipit uno die *cap. Litteras. De temp. ordinat.* incurrit enim ſuſpenſionem ſententiæ ferendæ, non verò latæ. Suar. *num. 14.* ſuſpenſionem, inquam, à poſteriori, non priori Ordine, hunc enim ſuſcepit legitimè. At ſi quatuor Minores unà cùm Subdiaconatu ſuſcipiat, ſciente Epiſcopo nulla prorſus pœna timenda eſt. Suprà *num. 460.* Sicuti nec ſtatuta eſt in eos, qui non ſervant intercapedinem Ordinum explicatam ſuprà *num 491.*

710 V. Qui fingit, ſe habere titulum Beneficii, quem non habet, vel exhibet quidem Epiſcopo verum titulum, attamen eſt cum eo, qui illum ipſi dedit, pactus, quòd velit ſtatim illum reſignare, ſeu reddere ipſi, habendus eſt pro ſuſpenſo, teſte Suarez *num. 35.* Laymann. *loc. cit. num 8.* & aliis *ob cap. 1. & 2. diſt. 7.* non habendus, arbitris Henriq. *Lib. 14. cap. 37* Avilâ, aliis multis, quos refert Eſcobar. *loc. cit. probl. 89.* non omnino improbabiliter.

Et quia eſt hic ſermo de Beneficio, noto, eſſe quidem communiorem ſententiam, quòd collatio Beneficii facta irregulari ſit ipſo jure irrita, attamen, ſi loquamur de Irregularitate proveniente ex mero jure *humano*, plurimi DD. cenſent, collationem eſſe tunc non irritam jure ipſo, ſed ſolùm irritandam. Vide P. Gibalinum *De irregul. cap. 2. quæſt. 3. n. 9. & ſeqq.* fusè hoc probantem, atque referentem Autores.

711 VI. Qui per ſaltum eſt promotus, id eſt, aliquem ſuperiorem Ordinem ſuſcepit ante inferiorem, nequit vel obire officia Ordinis ita ſuſcepti, vel aſcendere ad alium ſuperiorem. Palaus *cit. Diſp. 4. p. 10. §. 1. num. 9.* poſt Navarr. Suarez, alios contra Turrecrematam,

Bern. Diaz, & alios. Priori ſententiæ favet Tridentinum *Seſſ. 23. cap. 14. De Reform. n. 4.* ſicut & ille eſt ſuſpenſus, qui vel excommunicatus, vel ab excommunicato, aut ſuſpenſo ordinatus, qui verò innodatus præſumit ſuſcipere Ordinem ſacrum, novum vinculum ſuſpenſionis contrahit. Ita citati ob textus juris varios.

712 VII. Prædictæ pœnæ incurruntur, etiamſi peccatum ſit occultum. Suar. *cit. ſect. 1. n. 68.* ex communi contra Alphonſum à Caſtro. Incurruntur quoque ab Epiſcopo, qui ſcienter impertit Ordines iis, quos hactenus damnavimus de ſuſpenſione. Vide Bonacin. *De Cenſur. Diſp. 3. q. 2.* & Palaum *cit. punct. 10. §. 5.* enumerantes omnes cenſuras, quas Epiſcopus incurrit peccando in Ordinum adminiſtratione.

VIII. Qui ſuſpenſus, aut excommunicatus fungitur ſolenniter miniſterio proprio pleriſque caſibus facit ſe reum ſuſpenſionis, eſt quoque obnoxius Irregularitati. Ita jam dixi ex communi *Caſu XVII.* Vide Palaum *loc. cit. p. 6. num. 4.* & apud P. Franc. De Arauxo *De Eccleſiaſtico ſtatu Tract. 3. q. 31. Caſ. 7.* reſolutionem hujus

Caſûs Romano-Burgenſis.

713 *Quidam ſtudens exiſtens in curia Romana, abſque licentia Diæceſani, promotus eſt ad omnes Ordines, & poſtea venit ad ſuam Diæceſin, quæ eſt Burgenſis, & petit licentiam ab illius Ordinario ad celebrandum, & uſum Ordinis Sacri exercendum. De quo duæ ſe obtulerunt difficultates.* Prima *eſt, an iſte ſic promotus manſerit ſuſpenſus duntaxat, aut etiam irregularis?* Secunda *difficultas eſt, an Ordinarius poſſit ei talem licentiam concedere, & eum à ſuſpenſione, quam incurrit, abſolvere?*

Ita Arauxus, rectè reſpondens, ſolam ſuſpenſionem eſſe ab illo ſtudente incurſam, eò quòd Irregularitas non ſit ſtatuta à jure adverſùs talem, nec obſtare, quòd ille Scholaris fortaſſe exercuerit ſolemniter actum Ordinis tunc, quando ipſe initiabatur, ut e. g. quia tunc publicè cecinit vel Epiſtolam, vel Evangelium, aut creatus Sacerdos celebravit, conſecravitque cum ipſo Ordinatore; etenim Regula tenens, quemcunque irretitum cenſura Eccleſiaſticâ celebrando fieri irregularem, intelligitur de illo ſolo, qui celebrat extra actum ipſum ſuſceptionis Ordinis; ob quam manet ſuſpenſus, computatur enim pro eodem actu ſuſceptionis totum illud officium, quod Epiſcopus obit, dum Ordines celebrat. Ita Arauxus, ita & Gibalinus *De Irregular. cap. 5. quæſt. 2. num. 10.* citans etiam Sayrum, Suarium, Laymannum, quam doctrinam applicabo alii peculiari Caſui infrà *num. 765.*

Ex his patet reſponſio ad Caſum noſtri Ser- 714
vatii, videlicet poſito, quòd ille D. Abbas non habeat Privilegium actuale inſigniendi Minoribus externos, probabiliter fuiſſe, probabiliter non fuiſſe ſuſpenſum, aut ipſummet D. Abbatem, aut Servatium. Potuit ergo uterque Epiſcopus ſequi opinionem ſibi magis placitam. Utrùm verò tale Privilegium illi Prælato competat, ignoro, cùm ſit quæſtio *facti.* Videri poſſunt, quæ in hanc rem attuli *n. 532. & ſeqq.*

Quæres II. *Quis prædictas ſuſpenſiones, & ir-* 715
regularitates tollere queat?

Reſp. I. Suſpenſiones quod attinet, poteſt Epiſcopus abſolvere ab omnibus occultis, & non deductis ad forum contentioſum, id quippe juris facit iis Concilium Trident. *Seſſ. 24. c. 6. De Reform.* ſicuti & poſſunt Confeſſarii Societatis deputati à Superioribus ob privilegiû Gregor. XIII. cujus etiam meminit Palaus *cit. punct. 9. num. 7.* Potiori jure hoc faciunt Prælati omnes Religioſi reſpectu ſuorum ſubditorum, vi Privilegii à Clement. IV. conceſſi, & Bullati pronuntiante: *Prælatos Regulares, etiam locales, poſſe non ſolùm proprios ſubditos Regulares abſolvere à qualibet excommunicatione, ſuſpenſione, interdicto, à jure, vel ab homine generaliter promulgatis, ſed etiam diſpenſare in irregularitate, quam ii fortè incurrunt, ſive celebrando Divina officia in loco interdicto, ſive ſuſcipiendo Ordines, niſi fuerit adeò gravis & enormis exceſſus, quòd ſint ad Sedem Apoſtolicam meritò deſtinandi;* qualis gravis exceſſus non eſt ſuſpenſio in Ordinibus. Ita loquitur Pellizarius *in Manuali Regularium Tract. 8. cap. 2. ſect. 3. num. 187.* addens inprimis, hoc Privilegium non eſſe revocatum à Concil. Trident. Deinde ſi illa ſuſpenſio ſit deducta ad forum externum, recurrendum eſſe ad Datariam.

Irregularitatem quod ſpectat, poteſt in fo- 716
ro conſcientiæ Epiſcopus diſpenſare in omni illa, quæ provenit ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentioſum Trid. Conc. *Seſſ. 24. cap. 6. De Reform.* per delictum occultum intelligendo illud, quod non eſt divulgatum, ſeu notorium notorietate *juris*, aut *facti*, aut *famæ*, eſto ſit patratum coram tribus, aut quatuor, ità ut poſſit legitimè probari in judicio, etenim hanc voculam: *Occultum* ita intelligunt graviſſimi quique Scriptores, & nominatim citat ad quadraginta Barboſa *in cit. locum Trident. num. 26.* ſubdens *num. 27.* cum aliis, licèt illud delictum ſit notorium, & publicum *materialiter*, non autem *formaliter* in ratione delicti, poſſe nihilominus diſpenſare Epiſcopum. Unde ſi occultè excommunicatus celebret ſacrum ſeu privatim, ſeu publicè, abſolvet, ſeu diſpenſabit cum eo *licitè*, & *validè* Epiſcopus. Idem Barboſa *loc. cit. num. 29.* poſt

Navar-

Digitized by Google

Navarrum, Zechium, alios. Sicuti & quando homicidium occultum non fuit *directè voluntarium*, ſed tantùm *Caſuale*. Idem Barboſa *n. 30. & 31.* poſt Navarr. Covarr. Ugolinum, Riccium, Bonacinam, alios permultos, tribuentes idem jus reſpectu mutilationis *directè voluntariæ*, modò ſit occulta.

717 III. Religioſi, qui gaudent privilegio abſolvendi ab omni cenſura excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, & aliis pœnis Eccleſiaſticis, poſſunt diſpenſare in irregularitate orta ex delicto. Gibalinus *De irregul. cap. 6. n. 4. & ſeq.* fuſè probans, defendénſque hanc ſententiam poſt pleroſque Thomiſtas, contra Molinam *Tract. 3. De juſt. diſp. 80.* & alios multos ab eo relatos. Ratio eſt, quia ejuſmodi irregularitas eſt propriè pœna Eccleſiaſtica. Excipit meritò idem Gibalinus *num. 12.* homicidium, cùm enim Papa ſoleat ſibi illud ſpecialiſſimè reſervare, non comprehenditur generali conceſſione.

APPENDIX PLAUSIBILIS.

Quin imò cenſet idem Gibalinus, atque fuſè probat, defendítque, veram eſſe communem opinionem Thomiſtarum, à qua tamen præter alios ab ipſo citatos, latè diſſentit Barboſa *in cap. Quærenti. De verb. ſignif.* negantium, ullam irregularitatem decretam ob delictum, ut eſt e. g. ſcienter rebaptizati, vel rebaptizantis *validè* baptizatum, eſſe *propriè* dictam cenſuram, & proinde ſcribentium, poſſe omnem talem (præter contractam ob homicidium) in foro interno tolli per quemvis præditum poteſtate in quaſvis cenſuras, niſi concedens illam poteſtatem expreſſè excipiat irregularitates, ſicut ſolent hac ætate excipi in Jubilæis. Nec poteſt huic ſententiæ, perbene à Petro Cornejo *Tom. 2. Tract. 5. quæſt. 1. Diſp. 1. dub 2.* defenſæ adversùs allegationem *cit. cap. Quærenti*, magnis rationibus, maximis autoritatibus nixa negari probabilitas *practica* ſingulariter in caſu, quo parochus irretitus aliquâ cenſurâ adminiſtravit aliquod Sacramentum, aut celebravit, nec patet, ut ſæpe non patet in partibus Septentrionalibus continentibus Epiſcopatus longiſſimos, facilis aditus ad Epiſcopum, Vicarium, aut Pœnitentiarium. Sed & in ſolatium talium, aliorúmque noto, eundem Cornejum *cit. Tract. 5. De irregularitat. Diſp. 6. dub. 3.* ſtatuere hanc concluſionem: *Ignorantia invincibilis tam præcepti, quàm facti excuſat ab irregularitate, quæ propter peccatum incurritur, ſive ſit cenſura, ſive non. Hac eſt communis, & quantum ad irregularitatem, quæ eſt cenſura, ſatis probata fuit ſupra diſp. ult. De cenſuris, de irregularitatibus, quæ cenſuræ non ſunt, eſt eadem ratio, nam cùm hujuſmodi ignorantia excuſet à culpa, conſequenter excuſet à pœna.* Ita doctus Cornejus inferens, ex homicidio patrato à furioſo, dormiente, ebrio (qui nullo modo prævidit periculum homicidii) non exſurgere irregularitatem.

At quid cenſendum de caſu qui contigit

Anno M. DC. LXXVIII.

Cùm Sophronius poſt non enormem, mortaliter tamen malam, & notoriam percuſſionem Clerici, hujúſque peccati abſolutionem in foro conſcientiæ impertitam à Religioſo Ordinis Mendicantium, fecit Sacrum publicè, planè ignorans eſſe annexam irregularitatem celebrationi in excommunicatione.

Reſpondeo primò, Sophronium in foro interno non incurriſſe irregularitatem, tum quia Confeſſarius Ordinis Mendicantium abſolvit illum validè à vinculo excommunicationis in foro conſcientiæ, ut liquet ex privilegiis talium Ordinum, tum quia irregularitas ex delicto probabiliter non incurritur ab ignorante eſſe annexam huic, aut illi delicto. Suprà *num. 666.* At verò quia Epiſcopus in rigore non tenetur ſtare abſolutione data à Confeſſario, juxta relata ſuperiùs *Tract. 7. num. 645.* ſicuti nec ſtare opinione de ignorantia excuſante ab incurſu irregularitatis, quandoquidem communior ſententia Canoniſtarum, ut vidimus *cit. num. 666.* eſt in contrarium, eam ob cauſam potuit illum plectere pœnitentia aut multa, quam exiſtimabat omnibus conſideratis eſſe infligendam, habito etiam reſpectu ad circumſtantias multùm aut parùm ſcandaloſas, quæ comitatæ erant illam violentam manuum injectionem.

IV. Quoad bigamiam *propriè* dictam rariſſimè diſpenſat Papa, nunquam Epiſcopus, at in *impropriè* dicta, ſeu *ſimilitudinaria* diſpenſat etiam Epiſcopus. Henriquez *Lib. 14. c. 6.* Tannerus *Tom. 4. Diſp. 6. quæſt. 10. num. 185.* egóque in contingentia facti primùm nuper reſolvi, ſicut & in irregularitate ex defectu natalium, pro ſimplici Beneficio, & Minoribus Ordinibus. *cap. Is, qui defectum. De fil. Preſb. in 6.* at non in irregularitate orta ex defectu membri, niſi eſſet occultus (neceſſitatem hujus conditionis negat contra Palaum Pater Tamburinus *De irregul. cap. 8. §. 2. num. 19.*) & propriâ culpâ contractus, ſi enim alienâ, non foret irregularis ob occultum defectum. Etſi autem non diſpenſat Epiſcoqus in defectibus corporis manifeſtis, ſeu incurrentibus in oculos hominum, ejus tamen eſt judicare, utrùm ii ſint tanti, ut allaturi ſint, aut grave ſcandalum, contemptúmve, aut graves irreverentias, alióſve defectus non leves circa cæremonias reales, aut verbales. Idem Epiſcopus non diſpenſat in ullo momento ætatis, tametſi poſſit ex rationabili cauſa ſequi mitiorem ſententiam de biſſextis ſex diebus, de quibus *Caſ. XIII. totâ ſect. 2.* & fortè illam, quam ex Zanardo retulimus 718

num.531. Poteſt & diſpenſare in irregularitate contracta ex defectu perfectæ lenitatis juxta Gibalinum ſupra citatum, & alios, favente Covarruviâ *in Clem. Si furioſus p.2* §.3. *num.7.* ſed contra communem, & praxin hujus Diœceſis.

APPENDIX VICARIALIS.

a Quia hoc loco tanquam proprio diſſerui de poteſtate diſpenſandi circa irregularitates, conceſſa, vel non conceſſa Ordinariis locorum, propono difficultatem recenter in hac materia motam, occaſione Vicarii Generalis amandati, publicorum negotiorum cauſâ, ad Sedem Apoſtolicam, qui proinde ſibi neceſſariò ſubſtituit alium, & quidem committendo ipſi omnes functiones ſui officii, quas inter eſt etiam diſpenſatio cum illegitimis quoad ſuſceptionem Ordinum Minorum, & Beneficii ſimplicis. *Dubitatum igitur, & ex me quæſitum fuit, utrùm eâ generali ſubdelegatione comprehendatur, etiam reſpectu ſubſtituti poteſtas illa diſpenſandi?*

b Reſpondi ego, quandoquidem illam commiſſionem Dominus Vicarius Generalis fecit autore potiùs, quàm approbatore ipſomet Illuſtriſſimo D. Ordinario, ſeu principali, videri eſſe ſimul delegatam dictam poteſtatem, unà cum toto officio, nihilominus tamen ad tollendum omnem ſcrupulum, cùm facillimè tolli poſſit, petendam eſſe declarationem, quandoquidem in generali commiſſione facta Vicario Generali non venit facultas diſpenſandi. Expreſſè Garcias *De Benef. p.5. cap.8. n 47.* & *50* inde inferens *num. 48.* Non poſſe Vicarium, vi generalis commiſſionis, diſpenſare in irregularitate, & ſuſpenſione ex occultis delictis. Conſentit Barboſa *De offic. & poteſt. Epiſ. allegat. 14. n 121.*

c Nihilominus tamen, quia Suarez *Tom. 5. in 3. p. Diſp 41. ſect. 2. n. 8.* & apud Garciam, Henriquez, atque Genuenſis, *abſolutè* tradunt, facultatem diſpenſandi exerceri poſſe etiam per quemcunque, cui eſt generalis facta delegatio, & ſtylus hujuſce Diœceſis habet, ut Vicario Generali, unà cum Vicariatu concedatur expreſſè facultas diſpenſandi, & proinde hæc poteſtas videatur jure Diœceſano annexa generali poteſtati, juriſdictionique Vicarii in ſpiritualibus Generalis, eam ob rem poteſt hîc ſuſtineri illa *prima* noſtra reſponſio, atque obſervari id, quod Laymann. *in Concluſ. Canon. De juriſdict. n.74.* perappoſitè notat, ſcilicet illum, cui impertita eſt facultas diſpenſandi, primò quidem cum ſolis natis exadulterio, deinde cum natis ex inceſtu, poſſe vi harum duarum facultatum diſpenſare cum nato ex adulterio inceſtuoſo, idcirco quòd in favorabilibus appellatione ſimplicium veniant etiam mixta, ita tamen, ut tunc exigatur major cauſa diſpenſandi.

d Nota rurſum ex eodem Laymanno *Tom. 1. in jus Canonic. cap. 1. De offic. Vicarii n. 10. & 11* licèt Vicarius Generalis non poſſit *abſolutè loquendo* officium ſuum abſque expreſſa licentia Epiſcopi, comittere alteri, niſi à lege id conceſſum eſſet, attamen poſſe ex cauſa neceſſitatis propter abſentiam, vel infirmitatem ſibi ſubſtituere (ad breve tempus, ut limitat Pirhing *De Offic. Vicarii n.63.*) Vicarium, ſimili juriſdictione præditum, ſubſtitutio autem differt à delegatione, nam ſubſtitutus ad modicum tempus idem tribunal, & eandem juriſdictionem obtinet, inquit Laymannus *n. 14.* at delegatus habet juriſdictionem delegatam, & diſtinctam à juriſdictione delegantis, ut proinde, quando excommunicatur Vicarius Generalis, ſtatim exſpiret poteſtas ſubſtituti, ſicut & Vicarii, mortuo, vel excommunicato Epiſcopo, non autem ſubdelegati, inquit idem *cit. num. 14.*

e Etſi autem Barboſa *De Offic. & Poteſt. Epiſcopi allegat. 54. n. 53.* poſt alios, quos refert, expreſſè ſcribat, Vicarium, & Officialem eſſe in jure idem, differréque ſolis elementis Grammaticalibus, & illum ipſum, quem Curia Romana ſcribens ad loca transmontana vocat Officialem, ab eadem ſcribente ad loca ciſmontana, adeóque Italiæ &c. appellari Vicarium, attamen idem P. Laymann. *in cit. cap. 1. num. 4.* ſicut & P. Wangnereck (Patre Pirhing *loc. cit. num. 26.* ſequente Barboſam) *Commentar. in Decretales Lib. 1. tit. 28. De Offic. Vicar. cap. Licet in 6 not. 5.* ſtatuunt diſcrimen inter illa officia, ſicut & Ignatius Lopez ex inſtituto in Pract. Criminal. *cap. 3.* exprimens, ſpiritualia, & pœnas ſpectare ad ſolùm Vicarium. Certè in Germania fit non raró, ut idem Epiſcopus habeat ſimul & Vicarium, & Officialem, attamen nec Laymannus, nec Wangnereck adferunt reciprocam deſcriptionem horum duorum officiorũ, quæ quidem fuerunt in hoc ipſo Epiſcopatu diviſa in duo abhinc Annos 26. at poſtmodum conjuncta in eodem ſubjecto, partim ob aliam cauſam, partim, ut audio, propter controverſias inde ortas, quòd Vicarius nonnulla ſibi vendicabat, quæ Officialis eſſe ſui juris cenſebat, & vice verſâ. Poſt hæc tamen Anno 1673. fuit rurſum facta diviſio propter impoſſibilitatem *moralem* rectè explendi utrumque officium, & quantum poſſum ex ipſa praxi conjicere, Vicarii eſt, expedire omnia, & ferè ſola, quæ ex officio ſunt expedienda, ſed Officialis illa duntaxat, quæ ad inſtantiam partium, & ad diſpenſationes Papales matrimoniales (etenim quæ concernunt Ordines, expedit D. Vicarius) pertinent. Unde fit, ut Vicariatus multùm antecellat Officialatui, adeò, ut nequeat, teſte Wangnereckio *loc. cit.* Officialis eſſe delegatus Sedis Apoſtolicæ, niſi habeat aliam dignitatem, vel ſit Canonicus Eccleſiæ Cathedralis. Erit autem, meo judicio, ſufficienter talis, ſi gaudeat titulo ſimul & poſſeſſione ejuſmod. Ca-

nonica-

Digitized by Google

nonicatûs, eſto ex ſtatutis ſuæ Eccleſiæ fiat, ut primis tribus, aut etiam quinque (ut hîc Conſtantiæ) annis, nec percipiat ullos reditus, nec habeat locum, ſeu in choro, ſeu in Capitulo. Cùm enim talia ſtatuta repugnent juri communi, ut alibi oſtenſum, quæ autem à jure communi exorbitant, nequaquam ſint ad conſequentiam trahenda *Reg. 28. in 6.* fit, ut caſus in his omiſſus, habeatur pro omiſſo, *l. Commodiſſimè. ff. De Lib. & poſth.* nec in iiſdem valeat illatio unius ex alio. Peckius *in cit. Reg. 28.* latè declarans, eam ob rem habeo intactam hanc ab aliis doctrinam pro vera.

719 V. Religiones habentes communicationem cum Societate JESU poſſunt cum ſuis ſubditis Regularibus diſpenſare in omni irregularitate, præterquam eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, aut præſtatione favoris, vel auxilii hujuſmodi homicidii, aut ex bigamia, hoc quippe Privilegium conceſſit Societati Paulus III. Hanc ipſam gratiam fecerunt *directè* alii Pontifices variis Ordinibus, ut videre eſt apud Auguſtinum à Virg. MARIA *De priv. Relig. Verb. Diſpenſatio num. 7. & ſeq.*

Dixi: *Cum ſuis ſubditis Regularibus*, nec enim reperio in compendio Minorum, Rodriquezio, Miranda, Aſcanio Tamburino, Pellizario, Yſone Pfavv, Auguſtino à Virg. MARIA, qui omnium, quos habeo, & præſertim hi duo poſtremi, minutiſſimè proponunt Privilegia Regularibus conceſſa circa diſpenſationem irregularitatum, ullam ſeu Bullam, ſeu vivæ vocis Oraculum, cujus expreſſâ (de implicita vide dicta *n. 717.*) virtute valeant Religioſorum Prælati diſpenſare cum aliis, quàm cum Regularibus ſubditis. Unde factum, ut me utcunque fatigârit hic

Caſus multiplicis Reflexionis.

Titius illegitimus occultus, & externus, abſolutis ſtudiis ſuis, Regularem Prælatum adiit conſilii cauſâ, quòd, cùm ſtatum Sacerdotalem ambiret, ipſe pauperculus modum petendæ diſpenſationis ſuper irregularitate non haberet. Prælatus hominem bono animo eſſe juſſit, ac redire poſtridie. Cúmque unum, & alterum Theologum ſuper ea re conſuluiſſet, diſpenſavit cum Titio ſuper irregularitate, quam incurrerat ex defectu Natalium idque in foro conſcientiæ. Deinde chirographo ſuo teſtatus eſt Titium eſſe legitimum &c. 24. Annorum. Itaque apud Ordinarium impoſſibilitatem acquirendi literas natalitias cauſatus, exhibitâ Prælati illius atteſtatione, eſt ordinatus, & Beneficio Curato donatus. Nunc angitur ſcrupulis conſcientiæ, quærit, an tutus ſit coram Deo an adeundus Summus Pontifex. Quid, oro, judicat R. V. faciendum?

Feci multiplicem reflexionem, priuſquam reſponderem ad propoſitam jam pridem præſentem quæſtionem. Conſiſtebat, conſiſtitque etiamnum illa reflexio in his punctis 1. Quid ſi ille Prælatus fuit olim in ſæculo Comes, ut nuncupant, Palatinus, donatus extraordinariâ poteſtate legitimandi? Quid ſi Protonotarius Apoſtolicus *De numero Participantium*, ut vocant? hi enim poſſunt ſpurios legitimare ad quoſvis honores, publicáque officia. Joan. Baptiſta Sacchettus *De Protonotar. Privileg. §. Spurios*, & quidem quinquennio poſt quàm reſignârunt dignitatem, Idem *§. Si per decennium* addens *§. Vltra prædictos* cum Barboſa *in Repertorio*, Protonotarios extraordinarios gaudere iiſdem privilegiis, quibus ipſi participantes. Quæ additio etſi non habeat uſum in hac Diœceſi Conſtantienſi, habet fortè in loco, in quo Prælatus, qui diſpenſavit cum Titio, domicilium habebat. Quid ſi in eo diſtrictu, ſeu provincia, in qua facta diſpenſatio, omnes Prælati ejuſdem Ordinis gaudeant Apoſtolico privilegio efficiendi in foro conſcientiæ legitimos? Sicuti *in Alphab. Confeſſ. Caſ. III.* retuli, Reverendiſſimos Dominos Prælatos Benedictinos per Helvetiam, Reverendos PP. Capucinos itidem per Helvetiam, potiri, ex indulgentia recentiorum Pontificum admodùm ſpecialibus facultatibus in foro *interno*, & *externo*. Quid ſi non potiebatur ullâ quidem *habituali* juriſdictione, an non error, natus ex reſponſo duorum Theologotum, tribuit illam pro eo actu juriſdictionem? Quid ſi ille D. Prælatus obtineat juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, adeóque fori etiam *externi* in locum, in quo natus Titius? ſanè potuit, ut ſic, dare legitimè teſtimonium ætatis. Quid ſi Titius ipſe non *abſolutè* aſſeruit, ſe eſſe illegitimum, ſed ſolùm attulit rationes dubitandi, quas ille Prælatus cum ſuis Theologis judicavit, non eſſe ſufficientes gignendo rationabili dubio, aut non niſi propriè dubio? quo in caſu potuit dictus Prælatus reſpondere juxta ſententiam, quam retulimus ſuprà *num. 435.* & ad pacandum fortè nimis ſcrupuloſum Titium uſurpare verbum: *diſpenſo*, pro verbo: *declaro*. Quid ſi ſola mater dixit, eum eſſe illegitimum, an non potuit applicari ipſi doctrina, quam *num. 433.* retuli ex Alciato & Menochio? Quid ſi fuit ille Prælatus ſecutus in praxi opinionem Vrbani referendam *n. 731. in Append. 2. lit. c.* Quid ſi diſpenſatio fuit invalida? an debuit, aut debebit Titius, cognitâ invaliditate, reſignare mox Beneficium? an denique, quia eſt poſſeſſor bonæ fidei, & valde res gravis eſt, revocare in dubium factum Prælati, præſertim nixum reſponſo duorum Theologorum, poterit rem totam diſſimulare, præſumendo de ſcientia, & conſcientia horum trium? Hæ reflexiones, circa quas vide plura *in Append. poſt n. 721.* juſtificant quidem epitheton noſtri Caſûs, at non expediunt, ergo expediendus reſtat.

720 Dico I. Si Prælatus ille non fuit præditus aliâ poteſtate, quàm communi Ordinibus Mendicantibus, nequiit diſpenſare cum Titio. Ratio eſt, quia nullum Privilegium, etſi maximè favorabile, ſicut eſt poteſtas diſpenſandi in Caſibus Pontificiis, debet ultra omnem proprietatem, uſúmque verborum exporrigi ad perſonas verbis non expreſſas, Suarez *De legib. lib.8.cap.10.num.4.* nominatim, quando id Privilegium, & ſine illa extenſione habet inſignem effectum, ſicut revera habet, quando valet reſpectu ſubditorum Religioſorum, & perſonæ in eo nominatæ involvunt ex communi uſu excluſionem aliorum, ſicuti nomen *Subditi* excludit non ſubditum, & *Regularis* ſæcularem. Atqui perſonæ ſæculares, & non ſubditæ non exprimuntur in verbis præſentis Privilegii ſumptis ſecundùm proprietatem, uſum communem, diſpoſitionémve juris, quia omnes formulæ, quas legi, legi autem non paucas, loquuntur de ſubditis expreſſè, iiſque Religioſis, ſeu Regularibus.

Dico II. Etſi fortè illi duo Theologi reſponderint, poſſe in materia tam favorabili, atque in caſu tantæ paupertatis Privilegium illud extendi ad Titium, eíque ſimiles, non tamen idcirco valuit ea diſpenſatio. Tunc enim ſolùm opinio tribuit juriſdictionem *actualem*, deficiente *habituali*, quando eſt verè probabilis. DD. relati à nobis *in Alphab. Confeſſar. Caſ. III num.113.* atqui explicatio illorum duorum Theologorum non videtur probabilis, cùm & ſit deſtituta omni ſimilitudine veri, & certò repugnet judicio omnium Superiorum, inferiorúmque. Vide tamen id, quod in contrarium refero (his jam excuſis) infrà. *num.721. in Append. 2. lit. b. &c.* ex Bonagratia, non omnino improbabile.

Dico III. Ergo ut Titius ſit tutus in conſcientia, debet prudenter ipſe judicare, Prælatum vel *impropriè* diſpenſâſſe, vel *propriè* diſpenſâſſe, at inſtructum aliâ poteſtate, quàm profectâ ex Privilegio Mendicantium. Si candidè aperuit rationes, ob quas judicabat, aut dubitabat, ſe eſſe illegitimum, nec ullæ aliæ majoris momenti ſuccurrunt, prudenter ſtabit judicio Prælati, ſuffulti aſſenſu unius alteriúſve Theologi, quia, generatim loquendo, quiſque in rebus dubiis, ſaltem non ſummi momenti, meritò ſtat duorum, triúmve prudentium judicio. At verò ſi & ipſe Titius, & Prælatus non dubitavit de neceſſitate diſpenſationis, tunc cenſeo, Titium eſſe obligatum inveſtigare, qua poteſtate ſecum diſpenſârit Prælatus: cùm enim non poſſit credere, illum *validè* diſpenſâſſe, niſi præſumat, præditum fuiſſe alio jure, quàm communi omnibus Prælatis Mendicantibus, præſumptio autem cedat veritati *L. fin. ff. Quod met. cauſâ.* certè ſi poteſt comperire veritatem, tenetur inveſtigare. Interim tamen poterit & ſacris operari, & fructibus Beneficii frui, tum quia id juris ipſi facit bona fides, qua adiit poſſeſſionem Beneficii, tum quia probabiliſſimum eſt, poſſe uſque ad ſententiam judicis declaratoriam retineri, juxta dicta ſuprà *num.710.* Si denique nequeat certior fieri de poteſtate Prælati illius, tunc eſſet quidem conſultiſſimum, petere à Sacra Pœnitentiaria, aut Dataria diſpenſationem, ſicut ego ipſe certò peterem pro Titio, ſi ipſe me conſuleret: quia tamen videtur mihi eſſe tam incredibile, quòd ille Prælatus cum ſuis duobus Theologis diſpenſârit ſine titulo, aut certo, aut verè probabili, quàm eſt credibile, illum non fuiſſe inſtructum alio, quàm ſit Privilegium commune Mendicantibus, idcirco non negarem abſolutionem Titio, ſi mihi in ſacro tribunali aperiret totam ſeriem facti ſuprà deſcriptam, negarétque, ſe habere propoſitum petendi Româ diſpenſationem.

Dico IV. Teſtimonium ætatis quod attinet, ſi Prælatus dedit non aliunde informatus, quàm à Titio, peccavit graviter, utpote fallens in re magni momenti Examinatores, qui meritò repellunt omnes, qui ſunt in propria cauſa teſtes, expoſuítque ſe periculo teſtandi falſum. Sed abſit, ut hoc ſuſpicer de ullo Prælato, potiùs judico, fuiſſe aliunde ſufficienter informatum, etſi in ſuis literis non expreſſerit *unde*, & *quomodo*.

Porrò quia illi ſoli duo Caſus, quos expreſſi *initio præcedentis num.* (ſicuti & mutilatio apud eundem Auguſt. *cit. num.7. n.18. & 27.*) excipiuntur, hinc infert Pellizarius *in cit. Manuali Tract.8.cap.2.num 190.* poſſe diſpenſare in provenientibus ex defectu corporis, & aliis ſimilibus, atque adeò cum illo, qui laborat morbo caduco, amentiâ, aut inſeſſione dæmonis, idque tum ante, tum poſt jam ſuſceptos Ordines, ut apud eundem volunt Molina *Tr. 4. d. 70.* & Avila *Part. 7. Diſp. 3. dub. 4.* ſed neuter ipſi favet. Rectiùs præmiſerat eodem *num.190.* aſſentiente P. Tamburino *cap.8.§.3. n. 3.* quando dubium eſt, an vitium corporis pariat tantam deformitatem, aut indecentiam, ut dubium ſit, num revera adſit impedimentum irregularitatis, eſſe Prælati Religioſi ferre ſententiam, qua tamen non teneatur ſtare Epiſcopus, ut etiam obſervat Suarez *De Cenſur. Diſp.51.ſect.2.n.16.*

Impoſiturus colophonem huic pro altera editione diſſertationi, incido in literas à quodam novo Moralis Theologiæ Profeſſore ad me abhinc ſexennium datas, & ſciſcitantes quid cenſerem de quæſtione illi eidem ab alio privatim propoſita, atque ad me perſcripta 721

His verbis.

Leges poſitivæ, maximè humanæ, non obligant cum gravi incommodo, etiam temporali, nec enim teneris audire Sacrum, ſi per auditionem facias jacturam bis mille aureorum. Intulit ille; *Ergo nec is tenetur petere diſpen-* a

diſpenſationem ob defectum ætatis, qui facit jacturam bis mille aureorum, niſi ſtatim ordinetur in his Angariis; quia ubi ceſſat obligatio Legis, non opus eſt ulla diſpenſatione; atqui in hoc caſu ceſſat obligatio Legis, quia adeſt incommodum extrinſecum grave, ergo cùm lex illa Eccleſiaſtica non ſit irritans (uti eſt de impedimento dirimente Matrimonium) ſed ſimilis aliis legibus, aliquid ſpeciale prohibentibus, non obligabit, ideòque non erit opus diſpenſatione. Video equidem argumentum non convincere, quia eſt contra praxin ordinariam, nullam tamen ſolutionem invenio aliam, niſi quòd lex illa ſit taliter recepta juxta mentem legiſlatoris, ut etiam obliget cum tali incommodo. Non deſidero aliud, quàm ut R. V. dignetur paucis annotare Autores, apud quos ſolutionem reperire poſſim.

b Vides, mi Lector, inprimis dubium, quod hìc movetur de irregularitate ob defectum ætatis, moveri quoque poſſe de quacunque alia irregularitate, adeóque reſolvendum generatim, an irregularis tutâ conſcientiâ ſe ingerat in Ordinationem, quando ob dilationem Ordinationis adiret jacturam magni temporalis boni, nec adeſt, qui diſpenſet. Vides deinde non ſanè futilem rationem pro parte *affirmativa*, aliam valde urgentem pro *negativa*, pro qua equidem nullum reperio autorem *directè* facientem, quia non invenio, qui vel *expreſſè* proponat, vel *directè* reſolvat illud generale dubium, quod occaſione illius de ætate particularis movi, imò nec *implicitè*, aut per claram conſequentiam quiſquam expedit. Inter omnes enim, quos conſului, conſului autem plurimos, atque inter hos Silveſtrum, Navarrum, Toletum, Henriquez, Sayrum, Avilam, Bonacinam, Filliucium, Gibalinum, Palaum, atque Suarez, qui undecim DD. inter eos, quos habeo, omnium exactiſſimè ſunt executi rationem, atque accidentia irregularitatis, horum ipſorum tamen nullus propiùs tangit fundamentum reſolutionis, quàm P. Suarez *De Cenſuris Diſputat. 40. Sect. 2. num. 2.* ſic loquens: *Ex accidenti poteſt homo ab hac culpa* (mortali, quàm, *per ſe loquendo*, irregularis contrahit ex ejus, communique doctrina ſuſcipiens Ordinem quemcunque) *excuſari, circa quod videnda ſunt; quæ de Cenſuris in communi diximus, & ad irregularitatem applicanda, nam eâdem ratione, & proportione in ea locum habent.* Ita hic Doctor, *implicitè*, & conſequenter remittens me, & alios ad *ſextam* diſputationem ejuſdem Libri, in cujus *Sectione 3. num. 7.* tradit, ad vitandum grave damnum, quod *moraliter* timetur, per externam coactionem, ſeu comminationem, fieri poſſe ſine peccato id, quod per cenſuram prohibitum erat; & *num. 13.* extendit hanc doctrinam à fortiori, ut ait, quando *non ex metu extrinſecùs illato, ſed aliunde oritur ſimile detrimentum, aut infamia, & nota totius populi*; ut ibidem loquitur, *vel grande ſcandalum aliorum*, ut ſubdit *num. 14.* Qui tam multum in rem noſtram ſcribat, ac Suarez, quive eidem Suario aſſentiatur clariùs, quàm Sayrus *Lib. 6. Theſauri, cap. 2. num. 21.* & Gibalinus *De irregular. cap. 2. Conſect. 1. num. 12.* non vidi; quamquam hi neque apertè conſentiunt Suario, neque ejus mentionem faciunt.

c Et videt quidem meus Lector, manifeſtè deduci ex diſcurſu Patris Suarez, fore immunem à culpa irregularem illum, qui non petit diſpenſationem, caſu, quo ſi petat, ſeu quo non ſtatim ordinetur, faciet jacturam bis mille aureorum; etenim & hic Doctor loquitur non ſolùm de bonis animi, atque famæ, ſed etiam de fortunæ; atqui jactura bis mille aureorum, ſeu per aureos intelligas florenos monetæ Imperialis, ſeu ducatos, quorum unus æquivalet nunc tribus florenis, eſt ſine dubio damnum grave, etiam reſpectu prædivitis. At imprimis non video, quomodo facilè poſſit contingere Caſus, quo per dilationem Ordinationis adeatur propriè jactura, ſeu damnum *poſitivum* tanti boni temporalis; nec deinde ſcio, an Pater Suarez velit, ſuam doctrinam extendi ad eventum, in quo non agitur de damno *poſitivo*, ſed de lucro duntaxat, ut e. g. ſi occaſionem præſentem obtinendi mox pinguem Canonicatum cogatur negligere, niſi abſque diſpenſatione in irregularitate ſuſcipiat mox Primam Tonſuram, aut aliquem ex majoribus Ordinibus: Et verè extendendam eſſe, inde quis probabit, quòd damnum pati, & lucrum perdere paria ſint. Expreſſè Barboſa *Axiom. 63. n. 4.* citans Rolandum à Valle *Conſil. 21. num. 58. vol. 2.* ſed hæc ratio non ſubſiſtit, nec rectè citatur Rolandus, cùm totum contrarium exprimat, ſic enim *loc. cit.* ait: *Non ſunt paria lucrum perdere, & damnum pati, faciliúſque tollitur jus quærendum quàm quæſitum, & radicatum.* Ita Rolandus, ex communi ſenſu Jurecon- d ſultorum, apud quos ſemper favorabiliores partes damnum declinantis, quàm lucrum captantis; tametſi Gloſſa *in l. Non amplius §. Verbum. ff. De Legat. 1.* expreſſè ſcribat: *damnum patitur, qui perdit lucrum*, quæ locutio eſt impropria, ſi non intelligatur de perditione, & jactura lucri, quod quis jam re ipſâ fecit, ſeu percepit. Quo ſenſu fortè etiam locutus eſt Barboſa. Equidem non auſim ſine majore authoritate, firmioréve ratione patrocinari illi, qui irregularitatem in prædicto caſu diſſimulat, ne excidat Beneficio certò obventuro; patrocinor autem diſſimulanti, ſi diſſimulatio eſſet neceſſaria ad conſervationem jam adepti Beneficii, aut alterius magni boni temporalis, aut ſi Beneficium ſperatum foret neceſſarium ad ſuſtentationem ipſiuſmet irregularis, vel

N 4 filio-

filiorum, parentum, fratrúmve; quia neceſſaria ad ſuſtentationem ſuam ſuorúmve æquiparantur requiſitis ad vitam conſervandam.

e Video quidem, Doctores pleroſque ex iis, quos *in Tract. 5. ſeu Alphab. Sacri audiendi Caſ. XX. num. 492* retuli excuſantes eum, qui Sacrum negligit ob bonum temporale, exigere ad juſtificationem talis hominis ſpem majoris lucri, quàm ſit damnum propriè dictum, & *poſitivum*, ob cujus metum excuſant talem; verùm quia iidem ſunt denique contenti ſpe notabilis admodùm lucri, eſt autem pinguis præbenda lucrum admodùm notabile, ideo nequeo inficiari, hanc ſpem præbere juſtam cauſam diſſimulandi irregularitatem, niſi dicam, quod & dicendum cenſeo, legitimam, ſequendámque praxin obſtare, & ideo etiam obſtare, quòd irregularitas habeat tractum ſucceſſivum, permanet enim in tota continuatione poſſeſſionis Beneficii, & conſequenter efficit, ut continuò agatur contra præceptum Eccleſiæ, at impedimentum Sacri non ſolet eſſe ita continuum.

APPENDIX I.

f ITa reſolveram illud dubium ſine autoritate perſpicua, cùm reperio *in Reſponſ. Moral.* Cardinalis de Lugo *Lib. 2. dub. 10.* reſponſum ad hunc.

Caſum ſuſpenſi.

N. *Ante legitimam ætatem fraudulenter Preſbyteratum accepit, nec poteſt ab Epiſcopo petere diſpenſationem, celebrat tamen quotidie, ad ſe, & matrem egentem alendam. Quæſitum fuit an id ſine periculo irregularitatis incurrendæ facere poſſet? cùm ſit ſuſpenſus ipſo facto ob Ordinem malè ſuſceptum.*

g Reſpondit autem, titulum alendi ſe, & matrem egentem non ſufficere ad vitandam irregularitatem, ſi ſuſpenſus celebret: tum quòd ſi aperiatur porta tam lata, cenſuræ Eccleſiaſticæ, ſint ſuum rigorem maxima ex parte amiſſuræ: tum quòd, licèt metus damni imminentis perſæpe excuſet ab obſervatione legis, non tamen ita frequenter, & facilè ſpes lucri, quod pluribus declarat eo ſenſu, quo ego

APPENDIX. II.

h PRopoſui *num. 719.* varios modos, quibus videri potuerit Prælatus Religioſus valuiſſe diſpenſationem impertiri in irregularitate ſuper defectu Natalium occulto, in homine ſæculari. Occurrit mihi poſtmodum unus valde particularis, alter communis Ordinibus Mendicantibus. Particularis, ſpecialiſque eſt valde ſingulare privilegium, quo gaudent Reverendiſs. Domini Abbates antiquiſſimi, utpote ab ipſo S. Bernardo delecti, & poſitione primi lapidis honorati Monaſterii Lucellenſis, ſeu Luciscellenſis Ordinis Ciſtertienſis. Etenim pollent ii privilegio ab antiquiſſimis Comitibus Ferrettenſibus conceſſo, legitimandi omnes Ferretenſes ſubditos, ſicuti refert in ſua curioſa, rariſque privilegiis prægnante Epitome Faſtorum Lucellenſium Reverendiſs. Domin. Bernardinus loci Abbas. *Quid ſi igitur ille Titius noſter fuit unus è talibus ſubditis?*

Generalis modus potuit eſſe, quem P. Bonagratia Franciſcanus Capucinus *in ſua Summula Verb. Irregularitas, num. 269. edit. 2.* refert ex Chaſſain *De privileg. Tract. 5 cap. 4. prop. 1.* quòd ſcilicet Regulares in partibus infidelium, & hæreticorum (partibus hæreticorum accenſet idem Bonagratia alibi totam Helvetiam, & Sueviam, eò quòd hæ duæ Provinciæ conſtent longè plurimis oppidis, dominiiſque acatholicis) diſpenſent ſuper omni irregularitate ad formam facultatis Legati à latere. Item, quòd Minoritæ diſpenſent *abſolutè* cum Clericis in defectu Natalium non proveniente ex adulterio, inceſtu, copula cum Regulari. Item quòd Prædicatores diſpenſent in omni irregularitate, præterquam proveniente ex bigamia. Verùm magnopere ambigo, utrùm hodie ſit locus talibus privilegiis tam illimitatè ſumptis, præſertim reſpectu externorum, de quibus etiam loquitur Chaſſain. i

Potuit & alius generalis, iſque probabilior modus, ac titulus ſuffragari dicto Prælaro, quod ſcilicet Prælati Regulares diſpenſent etiam cum ſæcularibus ſuper omnibus irregularitatibus occultis, ſuper quibus Epiſcopus ex conceſſione Tridentini diſpenſat, ſicuti rationibus, & authoritatibus præter citatos à Baſſæo *Verb. irregularitas num. 10. & 11.* ex inſtituto latè confirmant Vrbanus ab Aſcenſione *Theol. moral Tr. 2. Par. 2. diſt. 2. cap. 4. Reg. 4.* & Chaſſain *loc. cit.* apud Bonagratiam *cit. num. 26.* Atqui poteſt Epiſcopus vigore Tridentini diſpenſare in irregularitate proveniente ex occulto defectu Natalium, etiam pro majoribus Ordinibus, & beneficiis curatis, ſicuti cenſent Doctores relati à me ſuprà *Caſ. XI. num. 429.* atque in his Barboſa *De iure Pontificio Lib. 1. c. 11. num. 156.* probans, ac defendens; quam doctrinam etſi nondum habeo pro *abſolutè* vera, attamen prudenter ei datur locus ſaltem poſt factum, & factum optimâ fide; quo quidem caſu poſſe diſpenſare Epiſcopum, dixi ſuprà *n. 442.* eámque doctrinam, atque priorem Barboſæ applico huic k

Caſui multiplicis Quæſtionis.

S. *Ejus belli natus, habitúſque publicè ſemper ut legitimus, tandem paulò antequam ſe accingeret ad Sacros Ordines, intelligit ex matre,* l

matre, ſe eſſe natum ex ſoluta & ſoluto. Quare petit diſpenſari à Nuncio Apoſtolico, ad omnes Ordines Sacros etiam preſbyteratûs, ac pro more Sacerdotum ruralium, *his quippe terminis fuit uſus, at non expreſſit habilitatem ad Beneficia curata, bonâ fide ratus, expreſſionem illam non eſſe neceſſariam; impetravit autem ſine mentione majorum Ordinum, aut Beneficii curati, cum hac tamen clauſula:* Ne finis tuæ bonæ voluntatis remaneat inanis. *Inſtructus hâc gratiâ, quam habuit pro ſufficientiſſima, præſentat ſe inſigniendum majoribus, inſtruendúmque beneficio, quo, & quibus potitus aliquando pòſt inaudiit, diſpenſationem fuiſſe ſubreptitiam, eò quòd in reſcripto non fieret expreſſa mentio Ordinum majorum, aut Beneficii. Quare quæſivit 1. An valuerit collatio tum Ordinum majorum: tum Beneficii? 2. An valuerint actus Ordinum, & curæ, quos exercuit bonâ fide? 3. An poſt cognitam illam ſubreptionem poſſit interim pergere in miniſterio Ordinum, beneficiique donec impetretur alia diſpenſatio? 4. An revera ſit opus ſupplicare Ordinario Seji, hunc enim poſſe in tali caſu diſpenſare, videtur deduci ex verbis R. V. in Alphab. Ord. Caſ. XI. n. 42.*

m Ita ad me quidam ſuperior Religioſus, perſpiciens utique, non fuiſſe dubitandum de valore tum ipſorum Ordinum, tum actuum poſtea independenter à juriſdictione exercitorum; at loquendo de collatione beneficii, indéque ſecuta abſolutione à peccatis, poteſt quidem, imò debet cenſeri, omnes abſolutiones, alióſque actus dependentes à juriſdictione fuiſſe validos, utpote exercitos ab habente titulum ſaltem coloratum, juxta dicta *Tr. prac. ſeu 7. Caſ. III. num. 106. & ſeqq.* at poteſt meritò (conſideratis præciſè verbis reſcripti, quæ ſuperiùs retuli) dubitari de valida collatione beneficii Parochialis, cùm ſtylus curiæ, & communis opinio DD. ferat, diſpenſationem ad beneficia curata non cenſeri extendi ad iſta, niſi exprimantur. Nihilominus tamen probabile eſt, fuiſſe reipſa diſpenſatum à Domino Nuntio etiam quoad iſta; tum quia reſcripta intelligenda ſunt juxta intentionem ab oratore expreſſam *c. Inter dilectos. §. Cæterùm. De fid. inſtrument.* & ibi Felinus, ſufficienter autem ſuam intentionem expreſſit Sejus, dum petiit diſpenſari *more Sacerdotum ruralium*, qui ſanè vel omnes, vel propè habent beneficia curata, tum quia Nuntius expreſſit hæc verba: *Te à tali vinculo irregularitatis abſolvimus, & liberum declaramus.* Unde hîc locum obtinet doctrina communis cum Diana *Part. 8. Tr. 3. Reſol. 38.* pronuntiante, quando cum illegitimo diſpenſatur *abſolutè*, diſpenſationem extendi etiam ad curata Beneficia. Denique ſi ſola mater dixit, ipſum eſſe natum ex fornicatione, non tenebatur ei fidem habere, juxta dicta ad Caſum Lucilii propoſitum ſuprà *num. 427.* Unde ſequitur, potuiſſe abſque ſcrupulo pergere in uſu Ordinum, beneficiique adminiſtratione, quoad diſpenſaret ad cautelam Reverendiſſ. D. Ordinarius. n

Et verò Reverendiſſ. D. Vicarius Generalis auditis iis, quæ tum hîc, tum paulò ante deſcriptionem hujus Caſûs produxi de poteſtate Epiſcopi, ſingulariter poſt promotionem inculpabiliter factam, non fuit alienus ab opinione Barboſæ, indicata etiam paulò ante relationem hujus Caſûs, & fuſè probato ab Avila *De Cenſur. Part. 7. Diſp. 3. dub. 7.* quòd videlicet Epiſcopus *validè* diſpenſet etiam quoad curata beneficia, quando illegitimitas eſt occulta, eſſe verò pro occulta habendam, quando non eſt publicè nota, dixi *cit. Caſ. XVIII. num. 716.* Supponunt autem omnes hæ reſponſiones, veram eſſe communem opinionem DD. adverſùs Alphonſum à Caſtro apud Dianam *Part. 10. Tract. 13. Reſol. 30.* quòd ſcilicet illegitimitas etiam occulta inducat irregularitatem. Quia tamen Gerunda apud eundem Dianam habet pro probabili doctrinam dicti Alphonſi, eam ob rem probabiliter eam applicâſſet idem Gerunda huic, aut præcedenti Caſui. o

APPENDIX III.

Sed quid agendum fuit Epiſcopo, vel ejus Vicario in hoc

Caſu & hodierno & ſingulariſſimo?

Hodie, quippe, id eſt die 8. *Decembris hujus Anni* 1674. *quæritur ex me, utrùm Sergius, munitus pro ſolo foro interno diſpenſatione Pontificiâ ſuper irregularitate, poſſet hîc admitti ad Sacros Ordines, quandoquidem Sergii Patronus in literis ad ipſummet Dominum Vicarium Generalem, aliiſque ad alium datis ſcribebat, ſuum quidem clientem laborare impedimento irregularitatis, eſſe tamen cum ipſo diſpenſatum à Summo Pontifice, proinde rogare ſe, ut daretur locus illi diſpenſationi.* p

Ego, qui ex legitima delegatione ſuſtuleram illud impedimentum pro foro *interno*, memor eorum, quæ *in Quinario Tract. 5. cap. 37. num 44. & 47.* ſcripſi poſt Sanchez, Guttierez, Bonacinam, alios illic relatos, cenſui, Dominum Vicarium non quidem teneri admittere ejuſmodi diſpenſatum, poſſe tamen optimâ conſcientiâ gratificari ipſi. Non tenebatur, q

quia

Digitized by Google

quia & ejuſmodi diſpenſationes non urgent in foro *externo*, ut patet ex litera, & ex iis, quæ deſcribo *Alleg. cap. 37. num. 44.* ac 264. & ſcientia, quam de impedimento nactus erat idem Dominus Vicarius, cùm ex illis ad ſe, aliiſque ad alium literis commendatitiis, tum ex ultronea (quantumvis incauta confeſſione ipſiuſmet Oratoris) ſuppeditabat ipſi ſufficientem cauſam negandi promotionem, quandoquidem acquiſierat jus inſtituendi inquiſitionem, curandíque examinare teſtes compertam habentes illam inhabilitatem.

Nihilominus tamen, quia ex una parte noverat D. Vicarius, ſublatam eſſe irregularitatem, adeóque abeſſe periculum, ne indigno, inhabilíque conferrentur Ordines: ex altera notitia, quam de prædicta inhabilitate acquiſierat ex literis, propriáque confeſſione, non adigebat ipſum ad repellendum ſupplicem, ſicuti debuiſſet utique repellere, ſi quis per modum denuntiationis vel accuſationis manifeſtâſſet ipſi eam inhabilitatem, ſiquidem forum contentioſum excludit vim illarum occultarum gratiarum, idcirco judicavi, potuiſſe abſque Juris Canonici tranſgreſſione admitti ad omnes Ordines. Confirmatur inde, quòd omnes ſcriptores, quos *cit. cap. 37. num. 43. & ſeqq.* produco loquentes de parocho & Epiſcopo, habentibus cognitum impedimentum matrimoniale, ejúſque diſpenſationem occultam, non cenſeant, hos obligari tunc uſu illius cognitionis, niſi caſu, quo quis denuntiet, ſeu accuſet Matrimonium, ut loquar cum Pontifice *c. 1. & ſeqq. extrà. Qui Matrim. accuſ. poſſ.* Atqui nullus in noſtro Caſu ſingulariſſimo apparebat vel denuntiator, vel accuſator. Sed hiſce non obſtantibus, fuit Sergius paſſus repulſam, nec immeritò ea de cauſa, quòd ſubeſſet (ignorabam id ego) verum periculum, ne unus alius quiſpiam, quem non latebat irregularitas Sergii, faceret oppoſitionem.

EXPLICANTVR LITERÆ DISPENSATIONIS SVPER ÆTATE.

CASUS XIX.

Intricatus, extricatus.

SUMMARIUM.

Caſus intricatus ratione diſpenſationis ſuper ætate. 722.

Recenſentur tituli, ob quos ſolet diſpenſari in ætate. 726.

Recenſentur clauſulæ ſolitæ inſeri tali diſpenſationi. 727.

Deſcribitur Reſcriptum Nuntii Apoſtolici, circa errorem commiſſum, in diſpenſatione ipſa non curandum. 728.

Fervens deſiderium Sacerdotis eſt ſufficiens cauſa diſpenſationis ſuper ætate. 731. 733. & 734.

Si ex duabus cauſis allegatis una ſit vera, ſubſiſtit diſpenſatio. 732.

Caſus, quo falsò inſerta fuit penuria Sacerdotum, & tamen valuit diſpenſatio. 734.

Datur generalis Regula, qua tutò proceditur ad executionem Bullarum, etſi continentium errorem ſubſtantialem. 734.

Modò adſit honeſtas morum, ſubſiſtit diſpenſatio in ætate. 735.

Modò in Oratore adſit cauſa diſpenſandi ſufficiens juxta ſtylum Curiæ, tutò utetur literis diſpenſationis laborantibus gravi ſubreptione. 737.

Caſus diſpenſati cum clauſula: Curſum Philoſophiæ abſolviſti, *cùm tamen deeſſent quinque menſes. 738.*

Caſus, quo vocabatur in literis Clericus is, qui erat adhuc laicus. 739.

Error in nomine non vitiat actum. Ibid.

Sicut probabiliter nec tunc, cùm erratur in nomine Diœceſis. 741.

Caſus, quo in literis diſpenſationis ſcribebatur: Ordinis fratrum Eremitarum S. Auguſtini Profeſſori: Auguſtanæ Diœceſis Clerico. *742. & 743.*

Voluntas in omnibus dominator. 744.

Caſus, quo Dominus petiit pro mancipio ignaro diſpenſationem cum clauſulis non ſubſiſtentibus. 745.

Clauſula: Si preces veritate nitantur, *ſemper ſubintelligitur in reſcriptis Gratiæ. 746. & 747.*

Impetratio Beneficii pro aliquo ſine ejus mandato valet. 748.

Ratihabitio quomodo retrotrahatur? 749.

Clauſula: Ut parentibus ſolatio eſſe poſſis, *quomodo intelligenda? Ibid.*

Ex communi doctrina, quòd cauſa diſpenſationis adeſſe debeat tunc, cùm Papa ipſe diſpenſat, excipe caſum, quo in reſcripto ponitur hæc clauſula: Quia petis. *750.*

Æquipollentium eſt eadem ratio. Ibid.

Reſcriptum, quo aſſeritur ſufficere, ut cauſa diſpenſationis tunc adſit, quando diſpenſatio eſt exequenda. 751.

An poſſit uti beneficio diſpenſationis ſciens, aut conjiciens, literas eſſe jam expeditas. Ibid.

Tobias petit per procuratorem à ſua Sanctitate diſpenſationem ſuper ætate, allegando hanc ſolam cauſam; quòd & ſit Philoſophiæ Magiſter, & jam quartum Annum impendat Theologiæ. At accipit reſcriptum hujus tenoris: Alexander PP. VII. Dilecte fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Vitæ ac morum honeſtas, aliáque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut te ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequamur. Cùm itaque, ſicut 722

Nobis

Nobis exponi feciſti, tu, qui, ut aſſeris, in Ordine Diaconatûs exiſtis, & fervore devotionis accenſus ad ſacrum Preſbyteratûs Ordinem quantocyus promoveri, & propterea tibi de infrà poſita diſpenſatione provideri ſummopere deſideras: Nos te præmiſſorum tuorum meritorum intuitu ſpiritualibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, à quibuſvis excommunic. &c. abſolventes &c. ſupplicationibus tuo nomine Nobis ſuper hoc porrectis inclinati, Tecum, ut ſi, & quando tredecim menſes tantùm tibi de ætate ad id à Sacro Concilio Tridentino requiſitâ defuerint; defectu hujuſmodi non obſtante, ſi nullum aliud tibi obſit impedimentum, & dummodò tu ad id idoneus reperiaris, ſervatis aliàs ſervandis, ad dictum Sacrum Preſbyteratûs Ordinem promoveri, & promotus in illo, etiam in altaris miniſterio miniſtrare liberè, & licitè poſſis, & valeas, Apoſtolicâ autoritate, tenore præſentium, diſpenſamus. Non obſtantibus Conſtitutionibus &c. Datum Romæ &c.

723 Hunc Caſum vocito *Intricatum*: tum quia ſpectatis principiis vulgò notis habet difficilem reſolutionem: tum quia facit junctis aliis ſimilibus multas tricas; appello autem *Extricatum*, quia damus plenam, certam expoſitionem. Scienda igitur, & ſupponenda ſunt ſequentia.

724 I. Tobiam, de quo præſens Caſus, ne quidem Minoribus Ordinibus fuiſſe initiatum, quando petebat diſpenſationem, & in ſuo ſupplici libello nullam feciſſe mentionem Ordinum; ergo cauſa, quæ in reſcripto exprimebatur de Diaconatu, non ſubſiſtebat; ergo nec diſpenſatio; quandoquidem quælibet expreſſio falſi moventis Principem ad gratiam, vitiat reſcriptum. Navarrus *in Man. cap. 22. num. 86.* „Et omnino certum eſſe debet, ſi in reſcripto „apponatur unica cauſa, illa finalis, & non mo„tiva cenſenda eſt, ac proinde ſi falſa ſit, vi„tiabit reſcriptum, quia ſemper cenſetur Prin„ceps Privilegium (Diſpenſationem) velle concedere, allegatâ cauſâ. Ita in terminis P. Caſtropalaus *Tract. 7. Diſp. 6. punct. 16. §. 3. numero 1.*

725 II. Complures ejuſmodi diſpenſationis formulas eſſe conceſſas iis, qui neque ſcripſerant, ſe eſſe Diaconos, neque verè erant; eáque de cauſa fuerunt hîc Conſtantiæ ſuperioribus Annis (jam viget alius ſtylus) repulſam paſſi, id eſt, non admiſſi ad Preſbyteratum, & quidem nominatim unus, qui nondum quidem erat in ordinem Levitarum promotus, quando Romæ ſignabatur diſpenſatio, erat tamen, antequam exhiberetur exequenda. Ratio adferebatur, quia *in cap. Si eo. De reſcr. in 6.* traditur, illum, qui ætatem legitimam pro Beneficio curato non habebat tunc, cùm Papa jubebat ipſi provideri de illo, non poſſe frui hac gratiâ Pontificiâ, etiam poſt ætatem idoneam.

726 III. Romani pontifices, qui omnino ſoli diſpenſant quoad ætatem pro Ordinibus. Suprà *n. 531.* ſolent hanc gratiam impertiri (communiter pro 13. extraordinariè pro 14. menſibus) propter unam ex ſequentibus cauſis; ſcilicet 1. ob penuriam Sacerdotum. 2. quia orator habet parentes pauperes. 3. quia arctatur Beneficio. 4. quia eſt Magiſter in artibus. 5. quia ſtudet Theologiæ. 6. pro ſolatio parentum ſenio confectorum, & ſimilia, quæ hîc admittuntur, & ſine quibus, vel eorum aliquo non eſt ſpes gratiæ; vel ſi eſt jam Subdiaconus, vel Diaconus, admittitur titulus devotionis. Ita ſcripſit Româ in Februar. A. 1661. nonnemo, qui plurimas in hoc, alióque genere diſpenſationes impetravit; quanquam ſumus viſuri in decurſu, non hæc omnia ita rigidè obſervari.

Quin imò Rebuffus in praxi beneficiorum in *Formula* (quam etiam deſcribit) diſpenſationis *ſuper ætate* tradit, exemplóque probat *num. 1.* tametſi Gloſſ. *in Extrav. Execrabilis* Joan. XXII. dicat, Nobilitatem generis comparari Nobilitati ſtercoris, attamen Nobilibus deferri, præſertim in diſpenſationibus, adeóque ſufficere veram allegationem Nobilitatis, etſi ſit ex parte tantùm. Cùm etiam tales appellentur Nobiles, L. *Patrum*, ubi Gloſſ. *Cod. De rei vendic.* An autem ſit in pœnis infligendis, & mitigandis, habenda ratio Nobilitatis? Vide Haunoldum noſtrum *Tom. 6. De juſtit. Tr. 3. n. 542. & ſeqq.*

727 IV. Clauſulæ illæ: *Vitæ, & morum*: *Fervore devotionis accenſus*: *Præmiſſorum tuorum meritorum intuitu*: *Si, & quando tredecim menſes* exprimuntur in omnibus ſæcularium, & Regularium diſpenſationibus, quas vidi, in pleriſque verò omnibus illa: *In Sacro Diaconatûs Ordine*, in quibuſdam illa: *In Minoribus Ordinibus conſtitutus*; in aliquibus: *Ut parentibus ſolatio eſſe poſſis*; & denique in una: *Cùm tibi de Beneficio jam ſit proviſum.*

728 V. Poſtquam adeò fuit frequenter Clauſula de Diaconatu, & etiam aliquando aliæ Clauſulæ reſcripto inſertæ contra mentem Oratoris, ſeu ſupplicis imò & præter ipſam veritatem, tandem fuit pro tribus particularibus Caſibus diverſo tempore recurſum ad Illuſtriſſimum D. Nuntium Apoſtolicum ad Helvetios, atque ab eo reſponſum hiſce formalibus: *Cùm Nobis conſtet ex parte D. N. iſtius Diœceſis Clerici porrectam Sanctiſſimo ſupplicationem pro obtinenda diſpenſatione ſuper ætatis defectu, minimè repræſentâſſe ipſum Diaconum, qui verè non erat, ſed errorem ex eo irrepſiſſe, quòd conſueta ſit illa formula Romana, cùm præſertim in*

Dia-

Digitized by Google

Diaconatûs Ordine conſtituti ſimiles diſpenſationes petere conſueverint, ideo D. V. indicandum cenſuimus, poſſe ipſam tutò eandem diſpenſationem à præfato Clerico porrigendam admittere, ea etiam de cauſa, cùm aliæ fuerint rationes, quæ Sanctiſſimum ad ejuſmodi gratiæ conceſſionem moverint. Deus omnipotens Dominationem Veſtram diu ſervet incolumem. Lucernæ 6. *Octobris. 1660.*

729 Prorſus ſimile reſponſum dedit idem Illuſtriſſimus & Sapientiſſimus D. Nuntius Federicus Borromæus Patriarcha Alexandr. poſtmodum purpurâ donatus, cuidam è Diœceſi Curienſi 13. Martii, cùm & hic pateretur difficultatem, ob inſertam qualitatem Diaconatûs, qua carebat, & quam non indicârat in ſua petitione. De tertio faciam mentionem *num. 734.*

730 VI. In Reſcripto pro illo D. N. non exprimebatur ulla cauſa diſpenſationis, niſi quòd Curſum Philoſophiæ abſolviſſet, Diaconus jam eſſet, magno deſiderio teneretur ſuſcipiendi quantocyus Preſbyteratum, & quamvis eſſet omnino laicus, inſcriptio tamen oſtendebat hunc titulum: *Clerico Conſtantienſi.*

731 VII. Licèt fervens deſiderium Preſbyteratûs poſſit videri non eſſe aut juſta, aut ſufficiens ratio diſpenſandi, quandoquidem ejuſmodi deſiderium facillimè oriri poteſt ex cauſis nullo modo ſpiritualibus, ſed prorſus humanis, & mundanis, attamen re ipſâ dicendum eſt contrarium, cùm hæc clauſula adjungatur omnibus, quas vidi, diſpenſationibus; imò illa ſola (ultra primam de morum honeſtate omnibus communem) fuerit exarata in literis pro uno Helveto Subſilvano.

732 VIII. Vera eſt doctrina Sanchezii *De Matrim. Lib. 8. d. 21. n. 32.* atque aliorum, quòd, quando in literis diſpenſationis exprimuntur duæ cauſæ, una vera, altera falſa, falſitas nihil obſit valori, dummodo vera cauſa ſit ejuſmodi, ut eâ ſolâ allegatâ ſoleat impertiri diſpenſatio; tunc enim locum obtinet nota Regula: *Utile per inutile non vitiatur.*

733 IX. Clauſulæ illæ: *Fervore devotionis*: & *Meritorum tuorum intuitu*, quæ exprimuntur in ferè omnibus, quas legi, legi autem valde multas, videntur omnino eſſe cauſæ finales diſpenſationis, id eſt tales, quæ ſi ſubſiſtant, eſto ſint vel *abſolutè* ſolæ, vel ſolæ veræ, attamen ſufficienter moveant Pontificem ad faciendam gratiam diſpenſationis in ætate, proinde tribuant literis verum robur. Scribo hoc ſolus, at nec ſine conſenſu duorum, è quinque Theologis infrà *num 747.* indicandis, nec ſine optimo magiſtro, videlicet experientia multiplici; *inprimis* noſtri Tobiæ, in cujus diſpenſatione exprimebantur tantùm tres cauſæ: *prima* Diaconatus, quæ erat falſa; *altera* Vitæ honeſtas, *tertia* Fervor devotionis: ergo niſi hæ ſint finales, non ſubſtitit illa diſpenſatio per certam doctrinam ſuprà *num. 724.* relatam ex Palao; atque valuiſſe, reſpondit legitimus reſcriptorum Pontificiorum interpres Illuſtriſſimus D. Nuntius. *Altera* experientia, & inſtantia erat D. N. Subſilvani Helvetii, in qua legebatur ſolus omnino titulus Fervoris, atque vitæ honeſtatis, & tamen fuit initiatus. *Tertia* D. N. è Silva Brigantina, in qua præter morum probitatem, & fervorem devotionis non adferebatur ulla alia cauſa, quàm quòd eſſet in Minoribus conſtitutus, eique proviſum de Beneficio; atqui neutra harum poſteriorum cauſarum erat vera, ideóque fuit ille D. N. juſſus accedere Illuſtriſſimum D. Nuntium, à quo rediit cum hiſce verbis ſubſcriptis diſpenſationi Romanæ: *Valeat ſemper diſpenſatio.*

Vnde die 15. Septembris Anno 1666. ini- 734
tiatus fuit Subdiaconatu Subſilvanus N. in cujus literis ſolùm exprimebatur penuria Sacerdotum, & fervor devotionis. Prima cauſa notoriè non ſubſiſtebat, attamen errore ſcribæ Pontificii poſita erat penuria *Sacerdotum* pro penuria *parentum*, quam allegaverat Orator, cognitum habens, allegationem penuriæ Sacerdotum fore apertè falſam; ergo fuit admiſſus ob alteram cauſam, ſcilicet fervorem devotionis. Conſimilem errorem obſervavi in diſpenſatoriis Joannis Bapt. N. qui in ſuo ſupplici libello expreſſerat duntaxat fervorem devotionis; at in reſcripto addita clauſula: *ob penuriam Sacerdotum, ut aſſeris*; quæ penuria quia non probabatur, fuit repulſus, at poſtea admiſſus ob rationes à me productas, quòd ſcilicet eſſet Philoſophiæ Magiſter, Baccalaureus Theologiæ, haberet pauperes, & ſenio confectos parentes; quæ tres cauſæ habentur ex ſtylo Curiæ Romanæ pro ſufficientiſſimis, ut liquet ex relatis ſuprà *n. 726.*

Quibus de cauſis modernus Reverendiſſimus D. Vicarius in ſpiritualibus Generalis Conſtantienſis D. Joſephus ab Ach Canonicus Cathedralis juris peritiſſimus mihi die 15. Sept. Anno 1666. in contingentia facti expreſſè dixit, ſufficere ſibi, modò in Brevi diſpenſationis pro ætate ſit expreſſa, ut ferè ſemper exprimitur, clauſula: *Fervore devotionis.*

Hinc generatim inferes, expediendas eſſe 735
à Commiſſario Pontificio omnes diſpenſationes exprimentes cauſam, aut conditionem non ſubſiſtentem, dummodo, qui formavit, miſitque libellum ſupplicem, ſit vir gravis, & uſu peritiſſimus, teſtetúrque conſtanter, ſe non hanc, ſed aliam, ſeu alias Romano ſtylo canonizatas cauſas inſeruiſſe petitioni. Quòd ſi ſolicitator Romanus etiam teſtetur, ſe illam ipſam ſcripturam quam ab Oratore acceperat, tradidiſſe Domino Datario, Secretario &c. tunc videtur non niſi à pertinaci poſſe remoram injici executioni reſcripti, quantumvis vitioſi; nimis enim fortes præſumptiones militant pro conceſſa à Pontifice reapſe gratia, errore autem commiſſo à ſolo ſcriba Pontificio,

ut

Digitized by Google

ut proinde tunc apprimè huc faciat Regula juris, quod nemo debeat alterius odio, ſeu vitio, & errore prægravari. Adde, quòd validitas actûs ſit defendenda omnibus honeſtis modis, ut *in Alphabeto Matr. Part. 1. Caſ. XXII. num. 614.* videbimus in ſimili, & : Interpretatio, quæ fit pro valore actûs, eſt regina aliarum interpretationum. Cephal. *Conſil. 51. n. 39.* Barboſa *Axiom 12. n. 19.*

APPENDICVLA CASVS RECENTISSIMI.

IAm excuſo *Tract. 3.* hujus Operis contigit hic Caſus probè notandus. *Tranquillinus impetrat Romà diſpenſationem ſuper ætatem cum hac duplici clauſula*: Cùm, ut aſſeris, jam ſis in Ordine Diaconatûs conſtitutus, & fervore devotionis &c. *Prima clauſula erat inſerta prorſus contra mentem Oratoris, contràque veritatem, utpote qui nec dum erat inſignitus illo Ordine, quando fuit expedita gratia, eſto fuerit, dum erat expedienda. Quare Dominus Vicarius Generalis tergiverſatus eſt admittere diſpenſationem, nolens eſſe contentus, ut aliàs fuerat, titulo fervoris, ea unica de cauſa, quòd haud ita pridem admotam à ſe quæſtionem, & interrogationem, reſcriptum fuiſſet ex Vrbe ab Agente Conſtantienſis Officialatûs, ſtylo Curiæ Romanæ, repelli preces nitentes eo ſolo titulo. Quare fuit recurſum ad Illuſtriſſimum Dominum Nuntium Lucernenſem, ſeu ad Helvetios, qui dignatus Legere ea, quæ ego his numeris 733. 734. 735. recenſui, ipſemet initiavit Preſbyteratu Tranquillinum, ea de cauſa, quòd ſi ſtylus Curiæ Romanæ eſſet jam is, de quo Agens ille, fuiſſet de eo certiorata Nuntiatura Helvetica; clauſulam verò de Diaconatu idcirco ultro appoſitam, quòd hic Ordo ſit neceſſariò præmittendus Sacerdotio, & ſufficiat, ſi cauſa diſpenſationis adſit tempore executionis, de quo infra* n. 751. *Addebat Tranquillinus, ſe ſuo ſolicitatori non ſuggeſſiſſe alium titulum, quàm ſolatium ſuæ matris, quod quidem ſuum factum, ſi potuiſſet Tranquillinus probare unico idoneo teſte, admiſiſſet illum ad inaugurationem D. Vicarius, & meritò, quia ex una parte Sanctiſſima Sedes Romana promptiſſimè diſpenſat, quando adeſt vel unicus legitimus titulus ex altera, non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri Leg. 74. ff. De Reg. juris*

736 X. Quin imò vera honeſtas morum ſi ſola adſit, vim habet diſpenſatio. Probo, quia Papa ſemper reſcribit: *Præmiſſorum tuorum meritorum intuitu diſpenſamus*, intelligit autem per illa merita nihil aliud, quàm laudabilia probitatis & virtutum merita; hæc enim ſola erant præmiſſa, ut patet ex deſcripto Brevi. Niſi ergo velimus dicere, Papam vel impropriè contra *L. Non aliter. ff. De Legat. 3.* vel obſcurè, & ambiguè contra *C. fin. De conſtit.* loqui, aſſerendum eſt, ſubſiſtente verâ morum honeſtate, ſubſiſtere diſpenſationem. Ita enim ſentit unus ex illis quinque Theologis, de quibus infrà, theoriâ, & ſimul praxi præſtans.

Ex his deduco 1. Licèt, antequam haberentur illæ Declarationes Illuſtriſſimi D. Nuntii Apoſtolici, non abſque rationabili cauſa fuerint repulſam paſſi, qui offerebant diſpenſationes cum ſola ſpeciali clauſula de Diaconatu jam ſuſcepto, qui tamen ſuſceptus non erat, attamen poſt hanc Declarationem non videri tales poſſe (ſtante moderno ſtylo) jure repelli, ſicut nec jam repelluntur. 737

Deduco 2. Dummodo Orator proceſſerit bona fide in petenda diſpenſatione, allegaveritque unam è cauſis ſuprà *num. 726.* indicatis poſſe bona conſcientiâ petere executionem reſcripti Pontificii, tametſi una, vel duæ conditiones appareant expreſſæ, quæ tamen à parte rei non ſubſint; & Dominos Ordinarios rectè, paternéque acturos, ſi abſque tergiverſatione admittant munitos ejuſmodi Brevibus mendoſis; quandoquidem tot exemplis docti ſunt, non eſſe curandum, etſi illapſum ſit ejuſmodi vitium. Et cùm fortè non poſſit ullus nominari, qui in petenda diſpenſatione ſuper ætate non fuerit facillimè, benigniſſimè exauditus, non eſt præſumendum, quòd quiſquam expoſuerit ſuæ Sanctitati cauſam falſam; ſicut enim ſuperfluum eſt, id precibus poſtulare, quod Lege permiſſum eſt, ita etiam quod ſine dolo conſequi poſſumus, ad id dolo non nitimur. DD. *Ex cap. Vbi periculum. De elect. in 6.* 738

Deduco 3. Fuiſſe meritò admiſſum Anno 1659. quendam N. in cujus literis legebatur hæc omnino ſola (præter morum honeſtatem) cauſa: *Qui, ut aſſeris, curſum Philoſophiæ abſolviſti, & fervore devotionis* &c. Etſi enim è triennali curſu Philoſophiæ deerant quinque menſes, quando petebatur gratia, & ſolùm tres, quando erat utendum illâ, fuit tamen, etſi non facillimè, inauguratus Sacerdotio, partim, & maximè, quia publica teſtimonia ſignificabant, eum jam tertium Annum vacare Philoſophiæ, cùm igitur plurimis locis abſolvatur curſus Philoſophicus biennio, & Pontifex non determinârit, quot Annis debuerit frequentâſſe Scholas Philoſophicas, & dénique tertius Annus addatur ob ſolidiorem profectum Auditorum, non debet autem quis diſpendium inde pati, unde præmium videtur meruiſſe, *Text cap. Pervenit. De fide juſſ.* meritò fuit ille decoratus Sacerdotali Coronâ. 739

Deduco 4. Quid reſpondendum ad dubium Ortum menſe Septembri.

Currentis Anni. M. DC. LXXVIII.

QVo acceptum fuit Reſcriptum Romanum, *exprimens diſpenſari ſuper ætate cum Valentino ob* fervorem devotionis, *&* ſolatium parentum, *cùm tamen parentes Valentini jam pridem eſſent elati, & proinde idem Valentinus nullam eorum mentionem feciſſet,* a

ciſſet, ſed ultra fervorem devotionis propoſuiſſet ſe eſſe, ut verè erat, Licentiatum Theologiæ. Potuitne Ordinarius loci nihilominus ad Ordines admittere Valentinum?

b Reſpondeo. Tametſi fuerint diverſa, etiam magnorum virorum ad hanc quæſtionem reſponſa, me tamen ſententiam rogatum judicâſſe, & nunc quoque judicare, illum errorem nihil obfuiſſe, valori diſpenſationis, ac proinde annuendum fuiſſe precibus Valentini. Rationem mei reſponſi propono, præter morem Syllogiſmo formali. Si Valentinus inſeruit ſuo libello cauſam ſtylo Curiæ approbatam, ſufficientémque, tum revera obtinuit diſpenſationem; atqui inſeruit talem, ergo. Inſeruiſſe clauſulam Licentiatus Theologiæ, quæ certò ſufficit ex ſtylo Curiæ Romanæ, nullus inficiabatur, cùm id teſtentur viri duo omni exceptione majores.

c *Major* propoſitio probatur inde, quòd ſit inauditum negatam eſſe gratiam Pontificiam allegantibus in hac materia cauſam, illo ſtylo probatam; cùm igitur argumentum à ſolitis fieri ſit valde potens, ut notant paſſim omnes, petitum autem ex *Semper* fieri ſolitis ſit in re morali, inque foro tam interno quàm externo potentiſſimum & irrefragabile, idcirco major
d mea propoſitio admittenda eſt ut certa. *Nec* obeſt, quòd in reſcripto Pontificio exprimatur alia cauſa, etenim ex tot particularibus caſibus, quos propoſui hoc capite ſeu Caſu Decimo nono, & alibi, conſtat, perfrequentes errores admitti à ſcribis Romanis. Ac proinde exiſtimo, eſſe ſupremi Paſtoris & Patris hanc generalem intentionem, ut quando Officialis certus eſt, in libello, qui ex Diœceſi miſſus eſt in Vrbem, expreſſam fuiſſe ſine ullo alio vitio ſubſtantiali cauſam de ſtylo Curiæ ſufficientiſſimam, & tamen ob errorem in Vrbe commiſſum rediit reſcriptum exhibens cauſam inſufficientem, eſſe in his circumſtantiis mentem cujuslibet Romani Pontificii, ut inſuper habito illo defectu, procedatur ad executionem; nam & ſemper curandum eſt, ut actus potiùs valeat, quòd ut non valeat, ut notant omnes: & clauſula; *Si preces veritate nitantur*, refertur potiùs ad preces, prout ab ipſo Oratore factæ ſunt, quàm prout ab alio contra ipſius voluntatem, cur enim hic alterius odio prægravetur contra Regulam 22. *in Sexto*? Hanc rationem velim, examinet Lector,
e & ſi probaverit, uſurpet ſæpe, ac ſimul probè notet, fuiſſe ex loco ordinariæ reſidentiæ Illuſtriſſimi Dom. Nuntii Apoſtolici huc à Commiſſario Epiſcopali reſcriptum, in primis Curiam ejuſdem Dom. Nuntii in hujus abſentia reſpondiſſe, ſtando ſtylo illius ejuſdem Curiæ, illam diſpenſationem eſſe pro legitima habendam, deinde autem ipſumet Illuſtriſſimum Dominum Nuntium poſt ſuum reditum authenticè declarâſſe, poſſe tutò procedi ad executionem diſpenſationis, quod etiam reſponderat ipſe Dominus Vicarius Generalis pauculis horis antequam acciperetur illud reſcriptum.

Deduces. 5. Non eſſe ſcrupulum habendum, 740
etſi inſcriptio literarum Papalium exhibeat voculam: *Clerico*, cùm tamen Orator non ſit Clericus; hic enim error non magis obeſt, quàm ſi pro voce *Clerico* fuiſſet ſcriptus titulus: *Decretalium Doctori*, ut reſpondi illi, qui ne quidem nôrat, quid ſint aut Decretales, aut Decretum. Error in nomine non vitiat actum, ſed error in conſenſu, inquit Prateus *De Reg. jur. Tit. 1 c. 1.* Diana *P. 8. Tr. 3. Reſ. 63.* cum aliis communiter.

At, *quid ſi erretur in nomine Diœceſis*? Cen- 741
ſent apud Dianam Moneta, Villalobos, Sanchez, Perez *De Matrim.* fusè *Dip. 46. Sect. 8.* eſſe defectum *ſubſtantialem*, & proinde in materia diſpenſationis Matrimonialis non poſſe ſine nova Bulla fieri executionem, aut ab Officiali Diœceſis, ad quam revera ſpectat Orator, utpote ad quem non ſint directæ literæ; aut ab Officiali Diœceſeos expreſſæ in titulo, cùm Papa noluerit ei communicare ſuam poteſtatem. Verùm licèt hæc doctrina ſit tunc probabiliſſima, quando Officialis debet cognoſcere cauſam, & nomine Pontificis diſpenſare, ut conſuevit fieri in Matrimonialibus diſpenſationibus, videbimúſque *in Alphab. Matr. Part. 1. Caſ. XXII. n. 38.* Attamen quando ipſe Officialis non diſpenſat nomine Pontificis, ſed tantùm (ut in præſenti materia) videre debet, utrùm ipſe Papa jam diſpenſârit, & cognito diſpenſâſſe reipſa, conferre diſpenſato Beneficium pendens à prævia valida diſpenſatione, prorſus nihil obeſt error in nomine Diœceſis, cùm hic error non reddat ullo modo dubiam voluntatem Pontificis, utpote cogitantis, decernentis abſolvere à Lege illum ipſum, pro quo eſt petita gratia; & qui dedit conſuetam taxam.

Quid ſi demum Ioanni Iacobo Corinthio, 742
Auguſtanæ Diœceſis, Clerico ſæculari mittatur Breve cum hac inſcriptione: *Ioanni Iacobo Corinthio Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini Profeſſori?* & in ipſiſmet literis exprimatur hæc clauſula *Tu, qui, ut aſſeris, ut penuria ſacerdotum in domo tua Regulari NN. ſubvenire valeas, & fervore devotionis accenſus* &c.?

Reſp. Rogatus, ut huic Ioanni Iacobo 743
Corinthio (nihil fingo niſi hoc cognomen) multùm periclitanti de repulſa patrocinarer, ſuſcepi cauſam, & obtinui, probato inprimis eſſe *moraliter* certum, quod in ſuo ſupplici libello non ſcripſerit, ſe eſſe Auguſtinianum, ſed Auguſtanæ, ut verè erat, Diœceſis. Deinde facilè potuiſſe fieri, ut ſcriptor Cancellariæ Apoſtolicæ vel inattentus, vel ſcripturam Legere non valens pro *Auguſtánus* legerit *Auguſtinianus*, & facilitatem errandi inde etiam auctam, quòd iiſdem literis, quibus procurator Corinthii petebat diſpenſationem pro eo, peteretur etiam pro duobus Canonicis Regularibus S. Auguſtini Denique hunc errorem 744
non videri magis *ſubſtantialem*, quàm ſi eidem Corin-

Corinthio datus fuiſſet titulus ſeu Doctoris, ſeu Canonici Cathedralis; certè hæc adjectio tam honorifici tituli non attigiſſet ſubſtantiam diſpenſationis. Quia igitur rem, quæ culpâ caret, non convenit vocari in damnum *cap. 2. De conſtit.* & præſertim tantum, quantum erat Corinthii, qui & ſex ducatos erogaverat pro taxa ordinaria, & trium dierum iter confecerat, & arctabatur Beneficio Curato; quia deinde, licèt una ex cauſis diſpenſationis eſſet falſa, altera tamen, ſcilicet *fervor devotionis* erat vera; ſufficit autem, ſi vel una cauſa ſubſiſtat. Suprà *n. 732.* quia denique voluntas in omnibus dominatur *L. In conventionibus, 219. ff. De Verb. ſignif.* voluntas autem ſuæ Sanctitatis ferebatur in illam individuam perſonam, pro qua ſupplicabatur pro gratia, ideo rectiſſimè fuit ille Corinthius imuguratus Sacerdotio.

745 At verò quid reſpondebitur ad ſequentem.

Caſum ſatis ancipitem.

T*Heodoſius vir Illuſtris petiit pro Terentio ſervo, ſeu mancipio ſuo prorſus ignaro diſpenſationem ſuper ætate, impetravitque cum communi clauſula*: Sicut Nobis exponi feciſti tu, qui, ut aſſeris, ut parentibus ſolatio eſſe poſſis, & fervore devotionis accenſus &c. *impetratam obtulit Terentio miranti, ſcribi, eſſe à ſe aſſertum id, de quo nunquam cogitârat, cùm neque fecerit exponi illa duo de ſolatio parentum, déque fervore ſuæ devotionis, neque etiam aut parentes petierint, ut tam feſtinè crearetur Sacerdos, neque ipſe habuerit unquam, habeátve nunc in animo ſuſcipere Sacerdotalem dignitatem, ſed ſit in pura deliberatione de eligendo ſtatu juxta Divinam inſpirationem, & cum bona venia ſui Illuſtris Domini. Ergo dubius conſilii excurrit ad me, ſciſcitatum, an, ſi fortè Divina Majeſtas ipſum intra aliquot menſes vocaret ad munus Sacerdotale, fas ſibi eſſet, uti illâ gratiâ Pontificiâ? Attuli quidem ipſi mox argumenta in utramque partem, quia tamen nulla tunc me determinabant ad partem alterutram, quia deinde nullum erat in mora periculum & poterat literis edoceri de meo ultimo judicio, dimiſi tam bene contentum, (erat quippe juvenis valde ingenuæ indolis, & ingenii) quàm ancipitem.*

746 Ita omnino eſt, mi Lector, ac paulò pòſt, quàm à me diſceſſit, hunc ipſum Caſum perſcripſi aliò, inſinuatis pro utraque parte nonnullis rationibus, expetiíque judicium aliquot Theologiæ Profeſſorum, obtinui à quinque, ſed diſcordans, tres quippe fortibus argumentis pugnabant contra Terentium, duo haud minùs validè pro eo. Punctum difficultatis conſiſtit in eo, quòd in omni reſcripto ſubintelligatur hæc conditionalis: *ſi ita eſt*, Barboſa *clauſulâ 154.* ſeu, *ſi preces veritate nitantur*, idem *clauſulâ 166.* referens plurimos, adeóque appoſita ſemper cenſetur, licèt ex conſuetudine ſit omiſſa, Idem *ibidem*: & nominatim in diſpenſatione requirit ea veritatem narratorum, Idem Barboſa *cit. clauſ. 154. num. 10.* atqui nihil ex ibi nominatis continet veritatem. 747 Accedit, quòd non videatur ullo modo eſſe mens Pontificis, facere gratiam in hac quotidiana materia minimè petenti, minimè cogitanti.

Ego ſalvo prudenti, & emuncto judicio contrarium ſentientium.

Reſpondeo jam Categoricè, & dico, Terentium poſſe, ſeu potuiſſe bonâ conſcientiâ uti; frui beneficio illius diſpenſationis, utpote validо. 748 Ad quod probandum præter principia ſuperiùs allata ſuppono, eſſe veram doctrinam, quam cauſis matrimonialibus applico *in Alph. Matr. Part. 1. num. 641.* & P. Emmanuel Sa *Verb. Gratia n. 23.* exprimit his verbis: *Impetratio beneficii pro aliquo ſine ejus mandato valida eſt.* Hanc eandem doctrinam, loquendo in ſpecie de diſpenſatione, latè defendit Salas *De Leg. Tr. 14. Diſp. 2. Sect. 4.* Sanchez referendus *Tr. ſeq. Caſ. XXII. n. 641.* atque Diana *Part. 8. Tr. 3. Reſ. 87.* addens Vaſquezium *in 1. 2. d. 156. n. 33.* ſed nihil ibidem reperio probans autem rectè *Ex L. Univerſi. Cod. De prec. Imper. offre. junct. Gl.* & *ex c. Si motu proprio. De præb. in 6.* tametſi expreſſè repugnet apud eundem P. Leo *in praxi Pœnitentiariæ.* concordans tamen, ubi abeſt mercimonium, aut ubi quis petit *pro perſona ſibi conjuncta.* Probo hoc ſuppoſitum in primis autoritate Henr. Zœſii *in 1. Decretal. lib. 3. num. 16.* ubi non ſolùm ſtatuit hanc concluſionem: Reſcriptum gratiæ pro alio rectè impetratur ſine mandato *cap. Si motu. De præb. in 6.* ſed etiam addit hanc doctrinam à Rebuffo, & Navarro trahi ad omnes gratias, etiam ad diſpenſationes. Quin *num. 15.* præmittit, etiam Reſcripta ad lites juxta Abbatem contra communiorem, non eſſe ipſo jure nulla, quando ſunt impetrata ſine mandato. Vide omnino, quæ ad objectum hujus difficultatis diſtinctè, breviter, & clarè, ut ſolet, conſcripſit noſter P. Ernricus Pirhing *in primo* ſuorum quinque Tomorum *in Jus Canon. Lib. 1. Tit. 3. numero. 14.*

Probatur deinde illud ſuppoſitum, præſertim cum reſtrictione ad perſonas junctas, ex 749 juribus citatis, in quibus videtur apertè tradi hæc doctrina. Deinde ex notiſſima *Regula in 6. Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari.* Unde ſi ponamus, Terentio nihil aliud obeſſe, ſeu obfuiſſe, quàm quòd, ipſo ignorante, fuerit petita hæc gratia, non eſt mihi dubium, quin poſſet, ſi vellet, jam perinde uti, ac ſi cum ſuo expreſſo conſenſu po-

Digitized by Google

ſtulata fuiſſet. Atqui revera nihil aliud obeſſe poteſt, vel potuit Terentio, cùm ſaltem duæ cauſæ finales diſpenſationis adfuerint tempore impetrationis, ſicuti etiam obſervârunt duo ex Theologis à me conſultis, ſcilicet inprimis vitæ, & morum honeſtas, ac virtutum merita non vulgaria, ut probant publica teſtimonia celebris Academiæ, conceſſa in forma optima. Ad hæc ſolatium parentum eſt etiam cauſa finalis. Suprà *n. 726.* Licèt autem non magnopere peterent ejus tam maturam promotionem, attamen omnes parentes Catholici, præſertim fortunæ haud lautæ, non levi ſolatio perfunduntur, quando vident, ſuos gnatos ita honeſtè vixiſſe, ut digni habiti ſint, quibus fieret gratia ſpecialis. Atqui Pontifex attendit ad ea, quæ communiter fieri ſolent. *Arg. L. Nam ad ea ff. De Leg.* Accedit, quòd pro valore actûs ſtare debeat præſumptio.

750 Occurrit mihi inſuper hæc ratio, quam propono examinandam à meo Lectore, quòd nimirum, licèt DD. ob auctoritatem *cap. Si eo tempore. De reſcript. in 6.* generatim doceant, cauſam finalem diſpenſationis debere eſſe verificatam tunc, cùm Papa reipſà diſpenſat (qua de re diſtinctè ago *in Alphab. Matrimon. Part. 1. Caſ. XXIII. n. 676. & ſeqq.*) attamen videtur excipienda clauſula: *Quia petis, quia vis, quia deſideras &c.* ita ut, quando mea petitio, meum deſiderium, & voluntas eſt adæquata (dummodo idoneus reperiar) cauſa diſpenſationis, non ſit neceſſe, ut illud deſiderium tunc adſit, quando Papa mecum diſpenſat, ſed ſufficiat, adeſſe tunc, cùm volo uti beneficio Pontificali, quod ſic declaro, & probo. Quando Papa mihi dicit: Si vis, ſeu deſideras promoveri ad Sacros Ordines, facio tibi jus ad illos, eſt penes me deliberare, utrùm velim acceptare hanc gratiam; nec eſt ullo modo opus, ut ſtatim, & immediatè poſt factam hanc obligationem gratiæ ſubdam: *Pater Sanctiſſime volo*; ergo videtur oblatio gratiæ Pontificiæ tamdiu durare, donec ego renuntiem, ſeu renuam, ipſéque acceptet renuntiationem. Atqui ex una parte clauſula: *Si vis*, eſt de ſe cauſa adæquata diſpenſationis dari ſolitæ omnibus petentibus diſpenſationem ſuper ætate, dummodo idonei reperiantur, ut patet ex Declaratione D. Nuntii Apoſtolici, ſuprà *n. 728.* quandoquidem crebrò ponitur illa ſola *cùm vita honeſtate*, quam Menoch. *De Clauſulis clauſ. 183.* negat, unquam eſſe finalem; ex altera autem parte clauſula: *accenſus es, ut aſſeris, deſiderio Preſbyteratûs &c.* æquivalet huic: *Si, ut aſſeris, accenſus es deſiderio &c.* quandoquidem in omnibus cauſis allegatis ſemper ſubintelligitur: *ſi ea veritate nitantur.* Suprà *n. 747.* Ergo ſicuti mihi datur ſpatium deliberandi, quando offertur gratia, cum expreſſa conditionali, *Si deſideras*; ita etiam, quando ea offertur cum clauſula *Quia deſideras*; hæc enim ex ſtylo Curiæ eſt implicitè conditionalis, æquipollens expreſſæ conditionali. Eſt autem æquipollentium eadem ratio. *L. fin. ff. Mandati.* Ergo à primo ad ultimum, ſi Terentius noſter hodie dicat: *Omnino deſidero quantocyus creari Sacerdos*, hoc ejus deſiderium erit tam efficax, quàm ſi eo arſiſſet, dum concedebatur diſpenſatio; atqui deſiderium iſtud fuiſſet tunc cauſa adæquata, ſaltem cum honeſtate morum, & parentum ſolatiolo, validiſſimæ diſpenſationis, ergo etiam nunc eſſe poteſt.

Accedit his omnibus reſcriptum datum 751

Ex Curia Nuntii Apoſtolici.

DAtum, inquam, Anno 1665. in favorem cujuſdam NN. qui cùm impetrâſſet diſpenſationem pro extra cum clauſula: *cùm tu, ut aſſeris. Beneficio arctatus exiſtas*, fuiſſétque rejectus ab actuali Ordinatione idcirco, quòd tempore datæ diſpenſationis nec fuerit Beneficio inſtructus, nec ejuſdem tunc capax, utpote ne quidem Primâ Tonſurâ ornatus, recurrit ad Illuſtriſſimum D. Nuntium Lucernenſem, à quo emanârat illa diſpenſatio, retulitque ſcripto hoc reſponſum, poſſe ad Ordines admitti, modò tunc adſint requiſitæ conditiones, quando re ipſâ conferetur Ordo. Ex qua eâdem Curia, ſeu Aula fuit in omnino ſimili cauſa immediatè ad me expeditum reſponſum his verbis. *Similes diſpenſationes, ut R. V. eſt bene informata, valent in ſuo loco, & tempore, id eſt, ſi orator non erat arctatus Beneficio quando ſupplicavit pro diſpenſatione, ſed tamen illius collationem brevi ſperabat, in tunc frui poterit facultatibus hujus Nuntiaturæ, quando realiter beneficiatus exiſtet. Hac enim conditione dicit Illuſtriſſimus meus, quòd conceſſerit, & concedet non ſolùm extra tempora, ſed etiam alias diſpenſationes, quæ non poſſunt ſortiri ſuum effectum, niſi conditione impletâ &c.* Lucernæ 15. Julii Anno 1665. Anton. Lepori. Secretar.

Quorum reſcriptorum vim applicavi poſtmodum alteri beneficiato. Vide ſuprà *n. 735.* & infrà *Tract. 9. Caſu XXIII. num. 676. & 677.* Equidem vidi autographum Patroni Eccleſiaſtici ſupplicantis Illuſtriſſimo Domino Nuntio Cibo pro gratia, de qua hoc loco, die 1. Maji Añō 1677. atque ita loquentis ad propoſitum: *Hunc N.N. præſentare ſtatui NB. ad vacantem Parochialem Eccleſiam.* B. Vidi & reſcriptum ejuſdem Illuſtriſſimi Dom. Nuntii Cibo de die vigeſimo ejuſdem menſis ita cum dicto N.N. loquentis: *Qui, ut aſſeris, de Eccleſia Parochiali N. competenter beneficiatus, & arctatus exiſtis &c. Et infrà*: *Dum-*

Dummodo verè beneficiatus exiſtas. Viſo utroque hoc autographo cenſuit quidem vir apprimè doctus, diſpenſationem eſſe ſubreptitiam, eò quòd in ea aſſeratur jam tunc, cùm expediebatur Breve, factam fuiſſe præſentationem; nihilominus tamen fuit ille N.N. abſque tergiverſatione admiſſus à Domino Vicario Generali, & meritò, quandoquidem, ut paulò antè dixi, ſufficit, conditionem eſſe impletam, antequã diſpenſatio conſequatur ſuum effectum. Vt proinde illa verba præſentis temporis ſuum perfectum ſenſum ſufficienter habeant quocunque tempore ante actualem admiſſionem exhibeatur authentica admiſſio.

Cæterùm quod nonnemo quæſiit ex me literis: An, qui ſcit, fuiſſe quidem à Papa diſpenſatum in ætate, at nondum habet literas diſpenſationis, poſſit nihilominus promoveri? deducetur ex iis, quæ de diſpenſationibus matrimonialibus adferam *Tr. 9. n. 669.* & *670.* verè potuiſſe promoveri, ſicut è diverſo itidem interrogatus reſcripſi, non potuiſſe promoveri *licitè* illum, qui eſſe expeditam diſpenſationem conjiciebat inde ſolùm, quòd jam effluxiſſet dimidius Annus à tempore miſſi libelli ſupplicis, & alii qui etiam, petierant ſub idem tempus, jam acceperant optatam gratiam. Equidem in tam ſeriis legibus, habentibus adjunctam pœnam reſpectu tam Ordinantis, quàm Ordinati, non eſt dandus locus conjecturis; ſicuti enim in claris non eſt opus conjecturis; Barboſa *Axiom. 50.* ita nec locus.

APPENDIX RARI STATVTI.

a Denique obſerva, diſpenſationem ſuper ætate nihil prodeſſe iis, quibus ſtatuta Diœceſana inhibent promotionem ante legitimam ætatem, niſi in literis diſpenſationis fiat expreſſa derogatio ſtatutorum contrariorum. Cùm enim præſumatur, Papam ignorare ſtatuta particularium locorum, ſicut & eorundem conſuetudines *c. 1. De conſtit. in 6.* ignorantis verò nulla ſit voluntas, & in omni reſcripto ſubaudiatur clauſula. *Salvo jure tertii*, fit, ut earum literarum favor non ſit extendendus ad caſum, quo e. g. Titius eſt membrum ſeminarii, cujus ſtatuta condita ab Epiſcopo vetant, ne quis promoveatur ad Subdiaconatum, niſi Annum integrum tranſegerit in ſeminario.

b Hanc ob cauſam juris peritiſſimus Alanus Epiſcopus Cadurcenſis, de quo nobis ſæpius ſermo, conſtanter (ſicut & modernus Archiepiſcopus Biſuntinus) rejecit tanquam ſubreptitias ejuſmodi literas, ut videre eſt in Idea *Boni Prælati*, ſeu ejus Vita *Lib. 2. c. 8.* ex cujus laudatiſſimi Epiſcopi facto, atque exemplo ibidem relato, deduces, poſſe occurere cauſas, ob quas Epiſcopus non conferat Ordines; niſi illis, qui promittunt, ſe quidpiam facturos, ad quod de jure communi non tenerentur, ut e. g. per totam vitam ſe eſſe, ſalvâ legitimâ excuſatione, quotidie impenſuros unam horam Orationi mentali, ut debuêre promittere, qui volebant inaugurari ab illo Præſule. Vide id, quod de S. Carolo retuli *Caſ. XIV. num. 583. in Appendice. lit. f.*

ORDINATI OBLIGATIONES.

CASUS XX.

SUMMARIUM.

Caſus diſpenſati cum clauſula. Diſpenſamus in animam tuam. 752.
Clericis imperata continentia. 753.
Mendacium Melanchtonis circa cœlibatum Clericorum. Ibid.
Continentia Clericorum utrùm immediatè ex præcepto Eccleſiæ, an ex voto proficiſcatur? 754. *& ſeqq.*
Quomodo ignorans, Ordini Subdiaconatûs eſſe annexum votum caſtitatis, ſe geret cognito voto? 758.
Fornicatio Clerici non differt ſpecie à laici voto ligati. 759.
Conſentiens in ſolum exteriorem actũ Ordinationis Clericalis, non tenetur ſervare caſtitatem. 760.
Ordinatus Subdiaconus in infantia non tenetur, ubi pervenerit ad uſum rationis, ſervare continentiam. 762.
Nec tenetur is, in cujus inauguratione intervenit defectus ſubſtantialis. 763.
Aut intervenit metus gravis, injuſtus. 764.
Caſus cum tribus clauſulis, quibus facta poteſtas Subdiacono contrahendi Matrimonium. 765.
An graviter delinquant Clerici; non geſtantes Coronam, nec Habitum Clericalem? 768 *& ſeqq.*
Tonſura Clericalis unde ſumpſerit originem? Ibid.
Obligatio dicendi preces præſcriptas ab Ordinatore. 771
Cujus diei Nocturnum præſcribet hic? 772.
Obligatio obediendi Ordinatori quæ? 773.
Singulariter reſpectu Regularium exemptorum. 774.

VRbanus Papa VIII. Vdalrico Subdiacono identidem per patronos ſupplicanti, 752
ut ſibi permitteretur Matrimonium inire, eò quòd ſuſcipiens Hypodiaconatum conſenſiſſet quidem in ipſam cæremoniam exteriorem, non tamen in ipſammet Ordinationem, denique impertivit reſcriptum inſignitum hac clauſula: Diſpenſamus tecum in animam tuam. *Quæritur, utrùm Vdalricus ille verè indiguerit diſpenſatione?*

Ita mihi narravit inſignis cujuſdam Eccleſiæ Collegiatæ digniſſimus D. Canonicus, teſtans, eſſe id ſibi à viris fide digniſſimis Romæ recenſitum Annis jam abhinc circiter triginta ſex.

Occaſione hujus Caſûs explicabo quatuor obligationes Clericorum. 1. eſt Continentiæ. 2. Tonſuræ, & Habitûs Clericalis. 3. Orationum & Miſſarum injunctarum ab Ordinatore. 4. Obedientiæ, quam ſolent promittere Ordinatori.

753 Quæres igitur I. *An: quibus: quo jure ſit continentia injuncta Clericis?*

Reſp I. Eſt omnibus, & ſolis Clericis conſtitutis in Majoribus præcepta continentia. Ita omnes; & patet ex infinitis Canonibus, ac nominatim ex Concil. Trident. *Seſſ. 23. c. 13. De Reform.* Licèt enim olim fuerit Græcis Sacerdotibus permiſſum, ut uxoribus, quas laici duxerant, uterentur etiam in ſtatu Clericali; licèt etiam aliquot ſæculis Ordo Subdiaconatûs non fuerit ubique annumeratus Sacris, & ideo Subdiaconis fuerint permiſſæ nuptiæ, attamen nunquam fuit ſeu in Romana, ſeu in Græca (ut contra Græcos Schiſmaticos demonſtrant Controverſiſtæ) permiſſum, ut Preſbyteri ducerent uxores. Vide P. Laymannum *Lib. 5. Tract. 9. cap. 11.* Imò de Subdiaconis quoque extat, referente P. Tannero, hoc Decretum Conciliorum Aquiſgranenſis, & Wormatienſis: *Placuit, ut Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, & Subdiaconi abſtineant ſe ab uxoribus.* Et quia hæc duo Concilia fuerunt in duabus civitatibus Imperialibus jam abhinc Annos pluſquam octingentos ſub Ludovico I. Caroli M. filio celebrata, hinc Bellarmin. *cap. 19. de Clericis*, Tannerus *Tom. 4. d. 7. q. 4. dub. 2. n 24.* & alii non immeritò arguunt Philippum Melanchtonem impudentis mendacii, cùm partim in Confeſſ. Auguſt. partim in Apologia ſcribit, cœlibatum Clericorum à nullo Concilio ſancitum eſſe, ſed primùm quadringentis; antequam hoc mendacio aërem inceſtaret, Annis eſſe in Germania cœlibatûs legem impoſitam Clericis, & quidem per tyrannidem Romanorum Pontificum, ut addit Kemnitius, tam ſtrenuus in mentiendo, quàm vel Melanchton, vel ipſe Lutherus.

754 II. Obligatio ſervandi caſtitatem incumbit Majoriſtis non ex jure ullo Divino, ut contra Majorem, Medinam, alios oſtendit P. Caſp. Hurtadus *in Tract. de Ord: diffic. 24. & 25.* poſt Bellarm. Vaſquez, Laymannum, quos citat; re enim verâ nullus textus è Divina Scriptura indicat hanc obligationem; ergo ex ſolo jure humano. *At an immediatè? An verò ſolùm mediante Voto?* Senſus eſt, utrùm Eccleſia *immediatè*, & *directè* præcipiat Clericis, ut ſervent caſtitatem, an potiùs ſolùm præcipiat, ut hi emittant votum caſtitatis? Pendent ex reſolutione hujus quæſtionis *ſpeculativa* nonnullæ *practicæ*. Nam ſi Eccleſia præcipit continentiam ſolùm mediante voto, ſequitur, illum, qui planè ignarus eſt hujus voti injuncti, non teneri ſervare caſtitatem, ſicut nec illum, qui ante Hypodiaconatum erat quidem conſcius voti præcepti, ſed initiandus dixit expreſsè: *nolo vovere.*

755 Tres ſententias circa hanc dubitationem refert idem Hurtadus *Diffic. 26. Primam* Scoti *in 4.* Paludani, ac Valentiæ, exiſtimantium, Clericos ad continentiam ſervandam obſtrictos eſſe ſolo præcepto *Eccleſiaſtico*, non autem *Voto*; eò quòd initiandi Subdiaconatu nec jubeantur emittere tale votum, nec etiam ſoleant emittere. *Alteram* Cajetani, Medinæ, Vaſquezii *Tom. 3. in 3. P. Diſp. 241.* contendentium, teneri quidem *immediatè* vi *voti*, non autem *immediatè* vi præcepti *Eccleſiaſtici*: Vi *voti* quidem, quia *in cap. Unico. De vot. & vot. redempt.* apertè ſupponitur, emitti votum continentiæ in ipſa ſuſceptione Ordinis Sacri; at non vi *Legis immediatè* obligantis, alioquin Majoriſta committens fornicationem etiam cum ſoluta, foret reus triplicis peccati mortalis, unius contra caſtitatem, alterius adverſùs fidelitatem, utpote non ſtans promiſſione factâ Deo, tertii contra Duliam Sacram, cujus intuitu eſt lata Lex de continentia. *Tertiam* ſententiam amplectitur ipſe Hurtadus, & fusè Martinus Perez *de Matr. Diſp. 27. Sect. 2.* poſt Coninck, & Rebellum, tradens, hanc obligationem oriri circa actus exteriores caſtitatis *immediatè* tam ab Eccleſiæ *præcepto*, quàm à *voto*. De *voto* jam eſt oſtenſum; de *præcepto* probatur ex Concilio Illiberitano, approbato poſtmodum à tota Eccleſia.

Ego, quia judico, non ſolùm entia, ſed etiam non entia (peccatum eſt juxta communiorem, fortè autem non veriorem ſententiam *formaliter* privatio, adeóque non ens) non eſſe multiplicanda ſine neceſſitate, non video autem neceſſitatem dicendi, quòd Eccleſia Clericos aliter adſtringat, quàm per votum, idcirco ſequor *ſecundam* ſententiam, cui etiam adhæret Sanchez *De Matr. Lib. 7. d. 27.* exactè, ut ſolet, pertractans totam hanc materiam, & pro illa ſecunda ſententia *num. 10.* referens cum S. Thoma quinquaginta Theologos, & Canoniſtas, quibus adde Dicaſtillum *Tract. 6 de Ordine Diſp. 1. dub. 26.* fusè tractantem hoc argumentum. Sanè ſufficit, quòd S. Gregorius relatus *cap. 1. diſt. 28.* ita ſanxerit; *Nullum facere Diaconum* (idem poſtea de Subdiaconis ſtatutum) *præſumat Epiſcopus, niſi qui ſe victurum castè promiſerit.* Et negat P. Dicaſtillo *loc. cit. n. 398.* à ſe viſum ullum textum, quo *immediatè* præcipiatur obſervantia caſtitatis. 756

Ad rationem *primam* pro ſententia P. Valentiæ reſpondetur, initiandos Sacris ſufficienter moneri de voto faciendo, dum iis dicitur: *Filii dilectiſſimi ad Sacrum Subdiaconatûs Ordinem promovendi iterum atque iterum conſiderare debetis, quòd, ſi hunc Ordinem ſuſceperitis, caſtitatem, Deo adjuvante, ſervare oportebit.* Omnes quippe nôrunt, ſaltem hoc ſæculo, quo neſcio, an quiſquam Theologus doceat ſententiam Scoti, eſſe vovendam continentiam; omnes, qui non ſervant, cenſent ſe reos fracti voti. 757

At ponamus, eſſe hominum, qui ignoret hanc 758

appen-

appendicem voti. Reſp. Etſi ignoret, hoc ipſo tamen, quòd prudens volens ſuſcipiat ſtatum, cui re ipſâ eſt annexa obligatio vovendi, cenſetur *virtualiter*, ſeu re ipſâ vovere. Dicaſtillo *loc. cit. 390.* certúmque eſt, ſi Matrimonium ineat, fore invalidum. Sed rurſum ponamus eſſe alium, qui ſciat, eſſe annexum votum, expreſſè tamen dicat: *Nolo, nolo vovere caſtitatem*, an nihilominus erit voto illigatus? Reſp. Non erit, quia votum eſt promiſſio, adeóque actus *eſſentialiter* dependens à voluntate. *Ergo ſi talis committat adulterium, non aget contra votum?* Reſp. Non aget. *Ergo ſaltem in hoc caſu aget immediatè contra præceptum Eccleſiæ?* Hoc concedit Sanchez, rectiùs negat Dicaſtillo, *n. 390.* *Ergo admittet ſolùm ſimplicem fornicationem?* Ita omnino, teſte hoc eodem Doctore *num. 400.* Debebit tamen in Confeſſione ſe accuſare non de ſola fornicatione, ſed de ſua mortali inobedientia, qua differt emiſſionem voti præcepti ab Eccleſia.

759 Ex his inferes 1. Peccatum turpitudinis, quod admittit Sacerdos Religioſus, non differre ſpecie ab illo, quod homo laicus vinculo voti caſtitatis ſpontaneo illigatus; ac proinde in rigore ſatiſfacere, ſi in Confeſſione dicat: *commiſi hanc turpitudinem e. g. fornicationem, cùm tamen habeam votum caſtitatis.*

760 Inferes 2. Reſolutionem Caſûs de illo Udalrico, de quo *num. 751.* cùm enim votum caſtitatis emittatur à Subdiaconis *dependenter* ab Ordine, ſi non fuit *validè* conſecratus Subdiaconus, nec fuit etiam obligatus voto caſtitatis, aut Breviarii, non fuit autem obligatus, ſi ſolùm conſenſit in exteriorem cæremoniam, ſicut nec *validè* baptizatus eſt, qui ſponte quidem admittit immerſionem, vel ablutionem, ſed animo proteſtatur, ſe nolle ipſum Baptiſmum, ut ex communi dixi *in Alphabet. Baptiz. Caſ. XIII.*

761 Unde infertur 3. Non fuiſſe illi Udalrico propriè dictâ diſpenſatione opus, quia tamen poterat Papa Urbanus illi non credere, etiam juranti, ſe non habuiſſe intentionem ſuſcipiendi ipſum revera Ordinem, ideo poterat omni jure ipſi prohibere Matrimonium. Certè præſumptio ſtabat pro valore actûs, & quia rebus æquè animum pandimus, ac verbis, nemo autem præſumitur dicere, quod mente non agitavit *L. Labeo. ff. De ſupell. leg.* idcirco in foro *externo* præſumebatur verè conſenſiſſe, eam ob rem fuit inſerta illa fulminatrix clauſula: *In animam tuam*, indicando ſcilicet, diſpenſationem ceſſuram ipſi in æternam perniciem, ſi preces veritate non niterentur.

762 Infertur 4. Illum, qui, ut retulimus *n. 194.* fuit in infantia ordinatus Subdiaconus, poſtquam pervenit ad Annos pubertatis, potuiſſe libere abſque ulla diſpenſatione ducere uxorem, modo non ratificaverit ſuam Ordinationem, vel poſt adeptum plenum uſum rationis, ut vult Eſcobar *in Theol. Moral. Lib. 23. c. 128. num. 486.* poſt Gloſſ. Sotum, Coninck, Bonacin. *De Matr. q. 3. p. 9.* vel poſt pubertatem, aut etiam decimum ſextum Annum ætatis, eò quòd ante illam ætatem non valeat votum ſolemne caſtitatis Religioſæ, cùm tamen Diana *Part. 8. Tract. 1. Reſol. 43.* pro probabili habeat opinionem Paludani, Hurtadi, aliorum, quos citat, exiſtimantium, Matrimonium initum poſt Ordinem ſacrum in infantia ſuſceptum non eſſe *validum*.

Sicut etiam, *generatim loquendo*, permittendus eſt ille tranſire ad nuptias, in cujus Ordinatione fuit commiſſus defectus *ſubſtantialis.* 763 Sanch. *cit. Diſp. 27. num. 13* Eſcobar *loc. cit. n. 478.* cum aliis contra aliquos Canoniſtas, nam corruente valore Ordinis corruit & obligatio fundata in illo, etenim non entis nulla ſunt accidentia.

Infertur 5. Nec teneri Lege continentiæ, qui 764 per metum injuſtè incuſſum, & cadentem in conſtantem virum ſuſcepit Subdiaconatum, eſto revera conſenſerit in Ordinationem, tanquam cæremoniam ſacram, & verum Sacramentum. Sanchez *De Matr. Lib. 2. d. 29.* cum Gl. Graſſiis, Azor, Sayro, Coninck, Bonac. & aliis, quos ipſe allegat cum Eſcobar *loc. citat.* profitente, ſe firmiter iis adhærere contra Rebellum, Comitolum, Pontium, Dianam *Part. 2. Tract. 4. Reſol. 193.* & meritò, cùm enim Eccleſia nolit, ſubſiſtere vel matrimonium, vel profeſſionem ex ejuſmodi metu profectam, cur cogitemus, eam velle tribuere robur voto ſolenni Subdiaconatûs? Vide Dicaſtillum *loc. cit. dub. 29. per totam.* Plura hanc in rem, & nominatim de metu reverentiali dicam *Tract. ſeq.* ſeu *in Alphab. Matrim. Part. 1. Caſ. XIII.* & videre licebit *in Alphab. Quadrupl. Part. 1. Caſ. V. num. 124. & ſeqq.* propoſitum, latéque diſcuſſum Caſum Canonici Subdiaconi, permiſſi tranſire ad nuptias, ob allegatum, probatúmque metum reverentialem, quo etiam loco explicantur nonnullæ clauſulæ Brevium Apoſtolicorum ſolitæ inferi ejuſmodi reſcriptis. Porrò ratione Corollarii hoc *num. 764.* illati propono hunc

Caſum non ſanè antiquum.

Valentino viro illuſtri, & Canonico Eccleſiæ N. alleganti coram Sede Apoſtolica, ſe ex gravi metu ſuſcepiſſe Subdiaconatum, ſeque juridicè hoc probaturum, ac proinde petere ab eadem Sede facultatem ſuſcipiendi Sacramenti matrimonialis, reſcribit Pontifex: Facultatem concedimus, ſi 1. legitimè probabis, te ex injuſto metu, cadente in virum conſtantem, ſuſcepiſſe Ordinem Subdiaconatûs, ſi 2. non miniſtrâſti in illo Ordine, ſi 3. non ratificâſti Ordinem. Probavit ille quidem metum, ſed miniſtravit in Ordi- 765

ne Subdiaconatûs tunc, cùm fuit eo Ordine inſignitus, non autem poſtea unquam, deinde tamen exercuit actus varios, non quidem Sacros, ſed tamen proprios ſolis Subdiaconis, quia ſolis Capitularibus Eccleſiæ N. conceſſos. An nihilominus fuerunt impleta conditiones, quas requiſiit Papa?

766 Reſp. Fuerunt. Sicuti enim Irregularitas, lata in miniſtrantes ſuſpenſos, non extenditur, ex probabiliore, ad illos, qui cum Epiſcopo Ordinatore celebrant, adeóque ii non comprehenduntur nomine *miniſtrantium* in cenſura, ita etiam nomine *miniſtrantium* non videntur venire, qui tunc miniſtrant, cùm inſerviunt Ordinatori ſuo. Sicuti quoque negat Navarrus *L. 5. conſ. 9. De cler. excomm.* Irregularitatem fuiſſe incurſam ab illo Religioſo, qui ordinatus ante legitimam ætatem exercuit actus præcedentiæ, ſuffragii, & alios proprios ſolis Sacerdotibus ſui Monaſterii, eò quòd tales actus non intelligantur nomine *miniſtrantis in Ordine*, ita etiam nomine *ratificantis Ordinationem ſuam* non comprehenditur is, qui obit actus electionis, & alios ejuſmodi non pendentes ullo modo ſuapte naturâ ab Ordinatione. Adde, quòd poteſtas diſpenſandi delegata à Principe ſit latè interpretanda. Sanch. *De Matr. L. 8. d. 1.* ex communi *per Regulam 15. in 6.* quandoquidem eſt favor Principis. Potuit ergo delegatus Papæ (nam Papa non ſolet immediatè diſpenſare, quando committit alicui examen cauſæ, ſed delegat unà cum cognitione poteſtatem relaxandi obligationem) latè interpretari poteſtatem diſpenſandi conceſſam ſibi, adeóque extendere ad utramque circumſtantiam, hic controverſam, ſicuti re ipſâ factum fuit.

767 Cæterùm quoad illam conditionem, quòd ſcilicet miniſtratio in actu Ordinationis non obfuerit valori diſpenſationis, deduces tum ex Arauxo *Caſ. XVIII. num. 713.* à nobis producto, & approbato, tum ex ſimili huic Caſu reſoluto *in Alphab. Quadrupl. n. 140. & ſeqq.* atque inſuper conſiderabis, rectène, an ſecùs fuerit à me reſponſum ad quatuor quæſtiones comprehenſas ſequente

Caſu novo, & noviſſimo.

Vitalis conſtitutus in gravi morbo vovet deliberatè, ſe, ſi convaleſcat, fore Sacerdotem. Convaleſcit, at diu differt executionem voti, quam denique præſtiturus pulſat fores decem quà Monaſteriorum, quà ſæcularium Dominorum, ut impetret titulum menſæ, at fruſtra. Quærit ergo 1. fueritne ſuum votum validum, cùm id conceperit impulſus ſolo metu vitæ amittendæ? 2. An, dum eſt obſtrictus voto Sacerdotii ſuſcipiendi, cenſendus ſit eſſe hoc ipſo obligatus voto caſtitatis? ut quidem nonnemo ipſi perſuadere voluit. 3. An etiamnum teneatur ſuo voto, cùm illud nequierit hactenus implere ob defectum patrimonii? 4. An ad votum Sacerdotii implendum, ſi aliâ ratione non poteſt, teneatur petere ſuſceptionem in Ordinem Religioſum? qua de re nec cogitavit quidem, dum edidit votum illud.

Hic Caſus eſt novus, quia ignoro, an à quoquam propoſitus, reſolutúſque ſit, ſaltem quoad *tertiam* quæſtionem. Eſt & noviſſimus, quia paucos ante menſes agitatus, meúmque de illo judicium poſtulatum.

Et verò ad *primam* quæſtionem reſpondi *affirmativè*, quia eſt apud omnes certiſſimum, quòd, quoties metus non eſt incuſſus gratiâ extorquendi voti, non irritet votum. Ita loquitur P. Thom. Sanchez *Lib. 4. Moral. cap. 3. num. 4.* Ad *ſecundam* reſpondi *negativè*, cùm votum aſſumendi Ordinis Sacri nequaquam ſit votum caſtitatis, Sanchez *loc. cit. cap. 40. n. 69.* ex communi, & certa. Ad *quartam* etiàm *negativè*, quia actus agentium non extenduntur ultra intentionem ipſorum.

Ad *tertiam*, quæ eſt difficilior, reſpondi *affirmativè*, & *negativè*. *Affirmativè*, ſi, dum eſt adhuc ſui juris, reperiat, qui præſtet titulum menſæ, aut ſi judicio duorum, vel trium circumſtantias huc facientes perſpectas habentium exiſtimetur eſſe reperturus, qui id beneficii exhibeat ipſi. *Negativè*, ſi duo, vel tres prudentes, & pii judicent, omnibus conſideratis, fruſtra ſperari talem patronum. Rationem *negativæ* reſponſionis, quæ difficilior videbatur deſumpſi ex vera doctrina, quam poſt alios plures tradit Sanchez *cit. lib. 4. cap. 16. num. 42.* atque Pellizarius *in Manuali Regular. Tract. 4. cap. 1. ſect. 2. num. 47.* quòd, qui vovit Religionem, ſeu in genere, ſeu in particulari, poſſit tunc inire Matrimonium, cùm tulit toties repulſam, ut non appareat probabilis ſpes admiſſionis, atqui illi non affulget probabilis ſpes admiſſionis ad Sacerdotium, cui ſapientes injiciunt deſperationem nanciſcendi exhibitionem patrimonii. Ex qua doctrina etiam deſumpſi à contrario ſenſu cum iiſdem Doctoribus rationem pro reſponſo affirmativo priùs indicato. Equidem qui multis Annis, ut ille Vitalis, abfuêre à ſtudiis literarum, non poſſunt prudenter poſt tam frequentem repulſam concipere ſpem melioris fortunæ, ſunt enim communiter ineptiores ad Beneficia Eccleſiaſtica, ſine quorum tamen ſpe nemo providet de patrimonio.

Quæres II. *An graviter delinquant Clerici, non geſtantes Coronam, & Habitum Clericalem?* 768

Suppono, geſtationem Coronæ Clericalis ſumpſiſſe originem à S. Petro, qui aut voluit ſe ita attonderi in memoriam Coronæ ſpineæ impo-

impoſitæ Salvatori, aut fuit ab impiis ita tonſus per ludibrium, quod tamen Eccleſia vertit in decus Ordinis Clericalis, ut inter cæteros notat Gaſpar Hurtadus *De Ord. diffic. 27.* quam totam, nullâ factâ ejus mentione, deſcribit Eſcobar *loc. cit. num. 488.* Vide doctum Laymannum, *De Ordine cap. 12.* proferentem ex SS. Iſidoro, & Beda tres rationes Tonſuræ. Voluit autem Eccleſia, ut omnes in Majoribus conſtituti, item omnes Beneficiati eam geſtarent, ut videre eſt *in cap. Si quis. De vit. & honeſt. cler. &c. Joannes de cler. conjug.* Ac an ſub mortali?

769 Reſp. Si propter neglectum geſtationis vilipendatur Ordo Clericalis, delinquitur mortaliter non geſtando, non item, ſi non ſit periculum cauſandi vilipendium, & contemptum. Ita reſolvunt cum Vaſquez duo illi Hiſpani DD. ita ut facilè credam, hanc doctrinam eſſe uſu receptam in Hiſpania. At noſtri Germani DD. diſſentiunt inter ſe, etenim Laymann. *loc. cit. num. 3.* tradit idem, quod hi tres Hiſpani DD. quem etiam citant duo poſteriores. Laymanno aſſentitur expreſſè Dicaſtillo *Tract. 4. De Ordin. Diſp. 1. dub. 30.* quem tractatum ſcripſit etiam in Germania. Verùm Tannerus *Tom. 4. in 3. Part. Diſp. 7. quæſt. 4. dub. 1. n. 10. abſolutè* ſic ſcribit: *Ex communi omnium ſententia graviter errant, qui in Sacris conſtituti, vel Beneficiati Habitum, ſimul & Tonſuram non geſtant.*

770 Ego adhæreo P. Laymanno, quia non ex vano arbitror, eſſe hunc communem ſenſum noſtratium Clericorum. Quamvis verò Laymann. *loc. cit.* dicat, eſſe eandem rationem Tonſuræ, & Habitûs Clericalis, certum tamen mihi eſt, longè faciliùs poſſe in noſtris partibus delinqui mortaliter, non geſtando Clericalem Habitum, quàm non geſtando Coronam. Nemo quippe facilè damnabit peccati mortalis Parochum, in cujus vertice nullum veſtigium Coronæ apparet per ſex, aut octo hebdomadas, tametſi Conſtitut. Synodales noſtræ *P. 2. tit 1. num. 3.* mandent, ut ſaltem ſingulis menſibus ea renovetur. At verò ſi inſtar aut lanionis, aut ſenatoris, id eſt, in habitu omnino profano incedat triduo, quatriduo publicè per plateas, & campos, non reperietur Germanus Catholicus, qui non graviter offendatur, & ſtomachetur. Vide P. Tambur. *De Ordin. cap. 2. §. 6. num. 16.* poſt hæc à me lectum. Conſtitutiones *loc. cit. num. 16.* ſic in particulari præſcribunt: *In oppidis, & locis celebrioribus veſte talari, in villis paulò breviori utantur.* Verùm uſu receptum eſt, ut plerique etiam in ipſis urbibus utantur veſte promiſſâ uſque ad genua incluſivè, vel aliquantulum infrà.

771 Quæres III. *An, & quanta ſit obligatio perſolvendi preces, aut ſacra, quæ Reverendiſs. D. Ordinator ſolet injungere recèns ordinatis?*

Reſp. Me ratione, & autoritate comprobâſſe *in Alphab. Sacrif. Caſ. XXI. num. 361. edit. 1.* & fuſiùs *n. 713.* hujus *Edit. ſextæ* demonſtrâſſe, illam obligationem eſſe potiùs decentiæ cujuſdam, quàm veri, & rigidi præcepti. Autoribus illic citatis adde Pellizarium *in Manuali Regul. Tract. 8. cap. 2. n. 195.* Adde quoque, etſi deſit hic rigor præcepti, eſſe tamen hominis minimè ingenui, non obſecundare tam honeſtæ petitioni, factæ nimirum ab eo, à quo tam recens, támque honorificum beneficium profectum eſt.

772 At *cujus diei Nocturnum præſcribet Ordinator?* Ratio dubitandi unica eſt, quòd in Pontificali Romano edito Pariſiis Anno 1615. *tit. De Ordinat. Preſbyt. fol. mihi 43. verſ. filii* exprimantur hæc verba: Singuli ad *Subdiaconatum, vel Diaconatum* promoti dicite Nocturnum *Talis diei.* Quæritur igitur, quiſnam dies intelligatur per clauſulam: *Talis diei?* An tunc currens? An alius pro arbitrio Ordinatoris? Hujus dubii reſolutionem dignatus eſt ſcripto petere à me quidam Reverendiſs. D. Proëpiſcopus, ſui muneris accuratiſſimus. Reſpondi ego, videri mihi (ſalvo cujuſvis, præſertim Reverendiſſim. Domin. Ordinariorum judicio) deſignari talem diem, qualem eſſet determinaturus, ſeu determinâſſet ipſemet Reverendiſſimus Dominus Ordinator. Movebar idcirco, quòd mihi videretur certum, eam Rubricam non mandare Ordinatori, ut alloquatur novos Diaconos hiſce formalibus verbis: *Dicite Nocturnum talis diei,* foret enim hæc allocutio, hæc juſſio, aut monitio ridicula, cùm vocula: *Talis* ſit relativa, non appareat autem, quò referri debeat, ac proinde nequeat intelligi, qualem diem deſignet, niſi Diaconi interrogando ſubdant: *Reverendiſſime Pater qualis?* Hæc autem interrogatio eſt inaudita, inconcinna. Cùm igitur certum ſit, illam voculam: *Talis,* non eſſe uſurpandam *formaliter,* ſequitur, eſſe utendum aliâ, adeóque illâ, quam Ordinator congruè ſubintelliget ſub ea generali, & confuſâ *Talis diei.* Intelliget autem congruè, vel diem tunc currentem, vel alium ſequentem. Confirmatur 1. Quia non debemus reſtringere ſine neceſſitate libertatem Ordinatoris, cùm talis reſtrictio ſit odioſa. 2. Quia eſt Subdiaconis novis, adeóque imperitis pergrave, præter ordinarium penſum recitare Nocturnum diei Sabbatini, utpote perquam prolixum, ergo Eccleſia non determinat illum præciſè. 3. Quia licèt in ea editione Pariſienſi, quam ſuprà nominavi, clauſula: *Talis diei,* ſit impreſſa eodem colore, quo antecedentia, & ſequentia, attamen in poſteriore itidem Pariſienſi de Anno 1637. cui titulus eſt: *Miſſæ Pontificales cum Officio ad ritus Sacrorum Ordinum fol. 43.* duo illa vocabula impreſſa ſunt rubro colore, ſcilicet ad indicandum, eſſe penes Ordinatorem nominare diem. Porrò in Dedicatoria Epiſtola illius poſtremæ editionis ad Epiſcopos Gallicanæ Ec-

Digitized by Google

Eccleſiæ aſſeritur, eos poſtremis ipſorum comitiis curam illius excuſionis commiſiſſe *delecto ex ipſorum Ordine Præſuli*, qui adhibito ad id munus *idoneo, & perito Sacrarum Ceremoniarum viro* abſolvendum curavit, ut proinde illa coloris mutatio non ſine conſilio prudenti facta ſit. Denique probatur, & confirmatur hæc reſolutio uſu variorum Epiſcoporum, quorum alii injungunt, ſeu nominant Nocturnum feriæ tertiæ, vel quartæ, alii unum aliquem Nocturnum ex Officio novem Lectionum, harum praxeon neutram judico adverſari verbis Pontificalis, etſi ea non clarè, planè, & expeditè quadrant poſteriori, ac priori. Unde infero, illâ clauſula: *Talis diei*, directè, etſi confuſè deſignari diem præſcriptum, ſeu præſcribendum ab Ordinatore, indirectè autem poteſtatem determinandi, ſpecificandi diem pro ſuo prudenti arbitrio, perinde ac ſi expreſſè poneretur in Pontificali hæc clauſula: *Talis, aut talis diei*: quo caſu nemo ſanè ambigeret de poteſtate ſpecificandi conceſſa Pontifici, quemadmodum identidem in Pontificali nominatur ipſe Ordinator.

773 Quæres IV. *Quantum, & quos obliget promiſſio, quam recens ordinatus Sacerdos (ut videre eſt in Pontificali tit. De Ordinat. Preſbyteri in fin.) facit, dum ſuo Reverendiſſ. D. Ordinatori quærenti*: Promittis mihi, & ſucceſſoribus meis reverentiam & obedientiam? reſpondet: *Promitto.*

Reſp. I. Hæc promiſſio obedientiæ, & reverentiæ non videtur intelligi, niſi de obedientia jam aliàs jure Naturali, Divino, & Canonico debita; nec enim, aut Illuſtriſſimi DD. Epiſcopi hactenus aliam prætenderunt, aut inaugurati ab iis putârunt, ſed ad aliam obligari. Unde conſequenter fit, ut obligatio illa promiſſoria ſit reſpectu aliquarum materiarum gravis, reſpectu aliarum levis.

II. Videtur tamen duplex peccatum, ſcilicet inobedientiæ, & infidelitatis admittere Preſbyter, qui poſt hanc promiſſionem detrectat legitimum imperium Epiſcopi, etenim agit contra duas virtutes, niſi velis dicere, quod non dico, ſcilicet illam promiſſionem eſſe duntaxat *verbum honoris*.

774 III. Eſt quidem in quibuſdam Diœceſibus uſu receptum, ut hæc ipſa formula proponatur Religioſis quoque exemptis, at ignoro, cur non potiùs illa, quæ mox ſubjicitur, præmiſſâ hac Rubricâ: *Si verò Pontifex* (ſeu Ordinator) *non eſt ſuus* (Neopreſbyteri) *Ordinarius, dicit ſingulis, cùm manus eorum inter ſuas tenet, ut præfertur*: Promittis Pontifici, vel Prælato Ordinario tuo pro tempore exiſtenti reverentiam, & obedientiam? *& ille reſpondet*: Promitto.

775 Quia tamen omnia verba intelligenda ſunt juxta ſubjectam materiam. DD. *ex cap. Intelligentia. De ſignific. verb.* & certum eſt, etiam exemptos ſubjici Epiſcopis in multis (Aſcanius Tamburinus *De jure Abbat. Tom. 3. Diſput. 5. quæſt. 11.* recenſet 55.) Caſibus, ut feſtorum, cenſurarum, litis de præcedentia, Beneficiorum Parochialium, quibus præſunt ipſi &c. ideo non poſſum damnare uſum illarum Diœceſeon, nec etiam poſſum exiſtimare, licèt Epiſcopus utatur illâ priore formulâ cum aliquo Religioſo Monaſterii, de quo litigatur, utrùm ſit exemptum, nécne, ullum prorſus jus præſcribi per verbum: *Promitto*, decies, vigeſies à diverſis repetitum, actus enim agentium non extenduntur ultra intentionem eorum *L. Non omnis, ff. De reb. Cred. Si cert. petet.* non eſt autem intentio Ordinatoris, vel ordinati, quærere tunc, vel agnoſcere aliquod jus, nec enim circumſtantia temporis, & loci id permittit.

776 Hanc quæſtionem ab aliis planè, quantum quidem ſcio, præteritam, & tamen diſcuſſione digniorem, quàm multæ aliæ ubique extantes cenſui, non eſſe à me omittendam, cùm præſertim fuerit ſemel, atque iterum hîc mota. Eſto cum hac ipſa quæſtione finis diſſertationis de Ordine, & progreſſus ad materiam de Extrema Unctione declarandam tribus poſtremis hujus Alphabeti literis, atque adeò tribus Cardinalibus, & multis aliis minùs principalibus Caſibus.

DE

DE EXTREMA UNCTIONE

Tres Caſus Cardinales.

EXTREMÆ UNCTIONIS MATERIA ET FORMA.

CASUS I. & XXI.

Conſtantienſis, Triplicatus.

SUMMARIUM.

Caſus triplicis formulæ in Extrema Unctione. 777.
Quid ſit Extrema Unctio? 780.
Quæ ejus materia remota? 783.
An licitè *adhibeatur Chriſma?* 785.
An oleum profanum mixtum conſecrato officiat valori Sacramenti? 786. & 787.
An Epiſcopi peccent graviter non conſecrando tantum, quantum ſufficit toti Diœceſi? 788.
Caſus Decani ruralis benedicentis oleum infirmorum. 790.
Quæ materia proxima *Unctionis?* 791.
Quæ partes ungendæ? 792. & *ſeqq.*
Et ſingulariter in urgente neceſſitate. 195.
Refutatur Chapeaville nimis rigidus. 797.
Quæ forma Extremæ Unctionis? 799.
An proferenda per modum precationis? 802.
Refertur antiqua formula Mediolanenſis. 803.
Quid cenſendum de formula Conſtantienſi? 804.
Propoſitio enuntiativa evadit per uſum precatoria. 806.
An, ſi quis Romæ uteretur formulâ Conſtantienſi, effecturus eſſet validum Sacramentum? 809.
Pulchra ſententia S. Gregorii de Conſuetudine. 810. (811.
An valeat hæc unctio: Quidquit dereliquiſti?
Non eſt in præcepto, ut Unctiones fiant cum efformatione Crucis. 812.

777 *XYnorides Conſtantienſis Diœceſeos plebanus ſolet extremè ungens infirmum uti hâc formulâ*: Ungo oculos tuos oleo Sacro in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Amen. Ut per iſtam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti per viſum. Amen. *Et ſic deinceps pergit ad alios ſenſus, mutatis mutandis. Xenophilus verò ſic*: Ungo oculos tuos oleo Sacro in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti, Amen. Per iſtam Sacram unctionem &c. *Ita, ut nihil differat à Xynoride, niſi quòd omittat cauſalem particulam* Ut. *Xyſtus denique nactus puerperam ſumit cum ſpatula Sacrum oleum, eáque inungit ſolum omninò pectus dicendo*: Ungo pectus tuum oleo Sacro in Nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti, Amen. Ut per iſtam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus noſter Jeſus Chriſtus, quidquid deliquiſti per illicitum ardorem pectoris tui, Amen. *Suſcitabitur fortè Parochus è vicina Diœceſi Auguſtana, utrùm hi tres myſtæ ritè adminiſtrent hoc Sacramentum?*

Ego, qui incolui duo diverſa loca hujuſce 778
latiſſimè patentis Epiſcopatûs, obſervavi duos priores modos, tertium vidêre multi, quandoquidem in Obſequiali, ſeu Paſtorali, aut Rituali Conſtantienſi *fol. 104.* legere eſt hanc Rubricam: *Tertiò, ſi infirmus fuerit leproſus, puerpera, vel patiens ſanguinis fluxum, vel nimis ſqualidus, cum ſpatula Sacrum ſumat oleum, & eo inungat pectus tantùm dicendo: Ungo pectus tuum &c.* ut paulò antè retuli, & exprimitur in eodem Obſequiali *fol. 113.*

Quo ſatiſfiat propoſitæ quæſtioni, propo- 779
nam eſſentialia hujus Sacramenti, adeóque definitionem, materiam, formam, deinde *Caſu XXII.* agam de neceſſitate, ſubjecto, miniſtro ejuſdem Sacramenti, denique de effectibus, & aliis accidentibus.

Quæritur igitur I. *Quid ſit extrema Unctio?* 780
Reſp. *Eſt Sacramentum confortativum ad ſpem vitæ æternæ.* Ita breviter, & ſufficienter deſcribit P. Caſpar Hurtado *Tract. De extr. unct. ſub init.* Sacramentum quidem, quia definitio Sacramenti convenit ipſi exactè: confortativum verò ad ſpem vitæ æternæ, quia hic eſt finis proprius, effectúſque ſingularis hujus Sacramenti, ut videbis *Caſu XXIII.* Utrùm fuerit ante, an poſt Reſurrectionem inſtitutum à Salvatore, non convenit inter Theologos, nec eſt mei inſtituti diſſerere de hac controverſia.

Meliùs fuero meritus de Reverendis DD. 781
Parochis, & Curatis, ſi ipſis perſuaſero, ut reflexè legant, quas ipſorum P. Laymannus *Lib. 5. Tract. 8. cap. 1.* deſcribit pulcherrimas SS. PP. ſententias, perquam opportunas concinnandæ inſigni concioni de hoc Sacramento. Sicut univerſim hortor, ut eodem modo legant prima capita tractatuum de ſingulis Sacramentis,

Digitized by Google

tis, & de Sacrificio. Scio, dicent, hoc meum conſilium eſſe perquam ſalubre, cùm revera expediat quandoque pro concione recitare duas, tréſve ex tam ſapientibus, tantáque authoritate fultis ſententiis.

782 Cæterùm hoc Sacramentum vocatur *Unctio*, quia conſiſtit in unctione, tanquam materia *proxima*, ut mox dicam, appellatur autem unctio *extrema*, quia ex quinque unctionibus Sacris eſt ultima, quarum 1. fit in vertice, cùm quis baptizatur. 2. In fronte, dum confirmatur. 3. In utraque manu, dum conſecratur in ſacerdotem. 4. In capite, & manibus, dum creatur Epiſcopus. 5. In quinque, ſex, aut ſeptem partibus corporis, dum paratur ad ſupremam luctam.

783 Quæres II. *Quæ ſit* remota *materia Unctionis Extremæ*?

Reſp. Eſt oleum, ut liquet ex ſententia S. Jacobi *cap 5.* ita loquentis: *Infirmatur quis in vobis, inducat*, (id eſt, vocet) *Preſbyteros* (Sacerdotes) *Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Quibus verbis & probatur, definitionem Sacramenti convenire huic Sacramento, & exprimitur materia *re-*

784 *mota*, & indicatur effectus. Nomine *olei* intelligitur oleum olivarum, quia illud principaliter nominatur oleum, cùm alii liquores ſolùm ex ſimilitudine ad ipſum, olei nomen accipiant, ut loquitur S. Thom. *in ſupplem. quæſt. 29. art. 4.* Debet autem ita neceſſariò eſſe benedictum ab Epiſcopo, ut hæc benedictio ſit juxta communem Theologorum poſt S. Thom. *art. 6.* de eſſentia, ſeu de neceſſitate Sacramenti, ut deſumitur ex Concil. Florent. *in literis Eugenii IV.* & ex Trident. *Seſſ. 14. cap. 1.* Nihilominus tamen clarè probat D. Reding *Theolog. Scholaſt. Tom. 5. quæſt. 11. art. 2.* poſſe ex commiſſione Pontificis, imò & Epiſcopi *validè* ad hunc

785 finem benedici à ſimplici ſacerdote. *At licebitne, deficiente hoc oleo infirmorum, accipere Chriſma?* Reſp. Licebit judice Suario *Tom. 4. in 3. Part. Diſp. 40. ſect. 1.* nam admixtio modica balſami, vel alterius liquoris non mutat ſubſtantiam, & proinde non erit repetenda unctio, ſi per errorem fuit adhibitum Chriſma. Laymannus *cap. 2. n. 3.* & D. Reding loquens de oleo infirmorum.

786 *Quid ſi verò ſucceſſivè infundat Parochus in oleum benedictum plus de non benedicto, quàm acceperit ab Epiſcopo, vel ſuo Spectabili D. Decano?*

Reſp. Cenſebitur nihilominus totum eſſe benedictum ab Epiſcopo. Ita docent communiter DD. cum Silv. *verb. Aqua benedicta 3.* & Azor. *Part. 2. Lib. 9. cap. 15. quæſt. 6.* Leſſius approbatus à Diana *Part. 11. Tract. 3. Reſol. 15.* Imò integræ Diœceſes, nominatim noſtra Conſtant. itémque Hiſpalenſis, & Granatenſis, fatente, & diſſentiente fortiter P. Quintanadvennâ *Singul. Tract. 5. Singul. 1.* ubi *n. 4.* pronuntiat, eſſe probabilius, verius, & tutius, quòd ad hoc, ut oleum maneat benedictum, requiratur, ut quantitas in principio benedicta ſit major, quàm tota non benedicta ſuperaddenda, & ſuperaddita, ſive ſimul ſucceſſive, ſive variis vicibus fiat totius additio. Et fateor 787
quidem, hanc ſententiam eſſe tutiorem, adeóque non eſſe abſque neceſſitate addendam, ſeu unâ, ſeu pluribus vicibus tantam quantitatem, ut denique dici poſſit: *Eſt in hac ampulla ſuperadditum plus olei, quàm fuerit immediatè benedictum ab Epiſcopo.* Fateor quoque, hanc doctrinam eſſe probabilem, utpote quam & fulcit non mala ratio, & etiam in terminis tradit Zanardus, teſte eodem Quintanadvennâ, totúſque inclinat in illam Marchantius mox citandus, atque P. Thom. Tambur. *De Sacramentis Lib. 6. cap. 1. §. 1. num. 2.* at nego eſſe veriorem, probabiliorémve, nec enim noſtram ſequerentur facto ipſo tot ſapientiſſimi Antiſtites, qui ſciunt, à ſe nequaquam conſecrari tantum oleorum, quantum neceſſarium ungendis catechumenis, & infirmis, quia ſcilicet ſtat pro iis partim receptum Axioma: *Dignius trahit ad ſe minus dignum. L. Quæ Religioſis. ff. De rei vindicat.* partim hæc ratio, quòd, cùm praxis communis Eccleſiarum, ut teſtatur idem Quintanadvenn. *in Appendice poſt Tract. IX. pag. 2. verb. Sententia quæ.* ferat, ut Parochi oleis datis ab Epiſcopo adjiciant hodie parum quid, poſt aliquod tempus rurſum parum quid, haud dubiè ſit mens Eccleſiæ, & Antiſtitum conſecrantium, ut, quod paulatim, & ſemper in minore quantitate adjicitur, præſertim ex rationabili cauſa, illud totum ſit ex ſua, id eſt, Eccleſiæ intentione ſacrum, quæ mens, & intentio eſt utique efficax, quandoquidem benedictio paſſiva nihil aliud eſt, quàm denominatio extrinſeca inſtituta ab Eccleſia volente hanc rem fieri hoc, & non alio modo benedictam, ut declaravi *in Quinarii Tract. 5.* ſeu *Theolog. Jurid. Moral. cap. 23. ſect. 5.* ubi tracto de vini benedictione. *At peccántne graviter Domini* 788
Ordinarii, ſi non benedicant ipſi, aut benedici mandent tantum olei pro infirmis, quantum putant ſuffecturum pro tota Diœceſi ſine ulla, aut parva admixtione? Ita putat Quintanadvennas, eò quòd ex ſenſu communi Theologorum miniſter Sacramenti teneatur in ejus adminiſtratione ſequi tutiorem ſententiam, & conſequenter Epiſcopus, qui eſt Parochus Parochorum, præbere ipſis materiam, quæ effectum reddat certiorem. Hæc ſanè ratio non eſt explodenda, ſaltem ex illa hoc ſequitur, quòd Parochi cavere debeant, ne oleo, præſertim infirmorum, affundant plus, quàm ſit neceſſe.

Quia verò Jacobus Marchantius Doctor ne- 789
que laxus, neque tamen nimiùm timidus, vel ſcrupuloſus teſtatur *in ſuis Reſolut. Paſtor. Tr. 6. De Sacrament. cap. 4 in fin.* hanc mixtionem ingeſſiſſe ſibi non parum anxietatis, idcirco con-

Digitized by Google

concludit ſuum diſcurſum de illa mixtione hiſce formalibus: *Obſecro Epiſcopos, Reverendiſſimos Dominos meos, & Patres cum omni humilitate, ut majori in quantitate oleum Sacrum diſtribuant, maximè infirmorum, ne incautâ mixtione materia reddi poſſit dubia.*

790 At dices: *Quid ſi ad tollendum hoc dubium imitetur quis exemplum illius, quem memorat hic*

Caſus cauti Decani?

Vidi ego antiquum quempiam ex Decanis, cùm miſceret olea Sacra, his verbis utentem: Hæc commixtio olei non conſecrati cum conſecrato pariter fiat in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *Quam formam ubi didicerit, neſcio.*

Ita Marchantius *loc. cit.* Cenſeo ego, fuiſſe illi cautæ mixtioni immixtum plus intentionis ſanctæ, quàm efficaciæ intentæ, nec enim aut Chriſtus, aut Chriſti ſponſa Eccleſia tribuit huic precationi fuſæ à ſimplici Sacerdote vim faciendi Sacrum è non Sacro. Vide omnino Dianam *Part. 10. Tract. 16. Reſol. 81.* diſcurrentem de objecto hujus Caſûs.

791 Quæritur III. *Quæ ſit materia* proxima *hujus Sacramenti?*

Reſp. Eſt unctio diverſarum corporis partium. Ita omnes, conſtátque ex Conciliis Florentino, ac Tridentino. Et quidem in eodem Concilio Florentino nominatur unctio ſeptem diverſarum partium, ſcilicet organorum quinque ſenſuum, itémque pedum, & renum. Et renum quidem unctio *omittitur ſemper in fœminis*, ut loquitur Rituale Romanum editum à Paulo V. ſicut & in viris, qui ob infirmitatem vix, aut ſine periculo moveri non poſſunt, ut ibidem additur, imò in viris Religioſis convenientiùs omittitur, teſte Laymanno *cit. cap. 2. num 5.* obſervátque noſtra Societas, ſaltem in
792 hac Provincia Superioris Germaniæ. At verò quod ad unctionem pedum, ſtamus Rituali Romano, & Eugenii Decreto, licèt Rituale ſeu Obſequiale Conſtantienſe nihil habeat de unctione pedum, ſed loco illorum præſcribatur unctio pectoris. Et verò convenit inter DD. neque renum, neque pedum unctionem eſſe de eſſentia hujus Sacramenti, ut teſtatur Hurtadus *loc. cit. difficult. 6.* adeóque ſervandam eſſe conſuetudinem cujuſque loci, ut ex Paludano, & Soto obſervat Laymannus *loc. cit.* ita tamen, ut liberum ſit Religioſis exemptis, uti ritu Romano, nec enim hac in re ſubſunt conſuetudini Diœceſanæ, niſi quando procurant aliquam Parochiam. Trident. Concil. *Seſſ. 25. cap. 11. De Regul.* Nec fuit mens Concil. Florent. definire, quæ partes neceſſariò eſſent ungendæ, ſed illas ſeptem expreſſit tanquam uſitatas illâ ætate, porrò uſurpandas, ſi quibus liberet, ut notant paſſim DD.

Eſt autem magna controverſia de unctione 793
quinque ſenſuum, arbitrantur enim plerique DD. eſſe de eſſentia Extremæ Unctionis, ut omnes quinque ſenſus inungantur. Authores referunt, & ſequuntur Bonacina *De Sacrament. d. 7. p. 5.* Tannerus *Tom. 4. Diſp. 7. quæſt. 1. dub. 1. num. 87.* Palaus *Tract. 36. p. 3. num. 6.* adeò, ut P. Leſſius *in 3. Part. cap. 4. De Extr. Unct. n. 23.* aſſerat, omnes in eo convenire, quòd quinque ſenſuum unctiones ſint de jure *Divino*, licèt ſint, qui dubitent, utrùm ſint omnes de ſubſtantia. Ratio potiſſima petitur ex uſu communi Eccleſiæ.

At verò conſiſtere eſſentiam Sacramenti, ſi 794
vel unus ſenſus ungatur, ſupponunt inprimis ii, qui condiderunt, & qui approbârunt verbo, & facto Paſtorale, ſeu Obſequiale Conſtantienſe editum Anno 1597. autoritate Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Principis, ac Domini Joannis Andreæ S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopi Conſtantienſis &c. quod, ut retuli ſuprà *n. 777.* docet, eſſe in morbis contagioſis, aut valde horridis unctionem abhibendam ſoli pectori. D. Joannes Hauchinus Archiepiſcopus Mechlinienſis in Belgio curavit die 23. Sept. 1588. typis mandari Paſtorale à Profeſſoribus facultatis Lovanienſis, *ex ſelectioribus aliarum Diœceſeon Manualibus collectum, ipſorúmque Profeſſorum, & aliorum præterea doctorum virorum judicio diligenter recognitum, atque approbatum*, ſicuti teſtatur & loquitur in Approbatione idem Archiepiſcopus. Porrò *in cap. 9. ejuſdem Paſtoralis* leguntur hæc verba: *In morbis contagioſis, & peſte graſſante, ut periculum vitetur, ſufficit inungi ſenſûs organum magis ad unctionem expoſitum, & detectum dicendo: Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti per viſum, auditum, adoratum, guſtum, tactum, & inceſſum.* Hoc ipſum totidem penè 795
verbis ſtatui in Paſtorali Ruremundenſi, teſtatur Chapeaville *De modo miniſtr. Sacram. temp. peſt. cap. 5. quæſt. 3.* id quoque de Paſſavienſi, & Gebennenſi teſtatur Amicus, & Marchantius apud Dianam *Part. 8. Tract. 1. Reſ. 21.* omnium latiſſimè diſſerentem de præſenti controverſia, quibus omnino junge recentiſſimum D. Auguſtinum Reding *loc. cit. Controverſ. 2. n. 10.* Ex verbis autem illius Archiepiſcopi deduco, etiam ante illum Annum 1588. fuiſſe hanc formulam uſurpatam in una, vel pluribus Diœceſibus. Et propterea ſubinfero, non poſſe rationabiliter negari, quin valde probabile ſit, de ſubſtantia hujus Sacramenti non eſſe unctionem plurium ſenſuum, ſed ſufficere unius, nec enim credibile eſt, per Annos 60. 70. fuiſſe in diverſis Diœceſibus, alentibus viros adeò eruditos ſimul & pios, obſervatum morem planè ſacrilegum, eſt autem indecora, ideóque ſacrilega tractatio hujus Sacramenti, ſi conferatur eo ritu, quo nequit conſequi ſuum effectum, ſeu quo non niſi mutilum, & hoc ipſo invalidè confertur.

697 Accedit, quòd verba S. Jacobi poſſint optimè intelligi de una unctione, & certum ſit, non poſſe ex verbis Concil. Florent. clarè probari neceſſitatem quinque unctionum, cùm de quinque ſenſibus non loquatur diſertiùs, quàm de renibus, & pedibus. Ac poſtremò docent omnes poſt S. Thom. *in ſuppl. quæſt. 32. num. 7.* quando alicui eſt truncatus naſus, aut manus, ſufficere, ſi ungatur proxima pars, ſicut etiam locus oculorum ungitur in carente oculis. Barboſa *De Paroch. cap. 22. n. 31.* Henriquez *Lib. 3. cap. 12. num. 1.* alii paſſim.

797 Unde refutatur idem Chapeaville *ibidem* profitens, ſe quidem propter tantas autoritates, & rationes hactenus putâſſe, ad vitandam contagionem poſſe eo modo miniſtrari iſtud Sacramentum, verùm re probiùs examinatâ videri non poſſe, eò quòd non liceat ob evitandum periculum mortis adminiſtrare dubium Sacramentum. Verùm hæc ratio non debuit virum ſanè non indoctum retrahere ab ea opinione, nec enim lex ulla vetat, quò minùs ego ad mortem declinandam conferam Sacramentum ſolùm probabiliter validum, nam neque reverentia Sacramento, neque charitas proximo, præſertim non conſtituto in extrema neceſſitate ſpirituali, debita hoc vetant. Equidem non eſt, puto, ulliùs talis infirmi intentio, obligare ſuum Parochum ad certiora cum ſuo tanto diſcrimine ſectanda.

798 Fateor tamen, eſſe reum gravis culpæ, qui abſque vero periculo ſpirituali, vel corporali ſuo, vel infirmi, ſequitur ſententiam Lovanienſem, propter generalem doctrinam de tutiore opinione in miniſtratione Sacramentorum ſequenda, traditam *Caſ. VI. num. 185.* & quia P. Leſſius, qui & ipſe Lovanii 15. Annos Theologiam docuit, *loc. cit.* pronuntiat, eſſe temerarium dicere, quòd poſſint illæ quinque unctiones unquam omitti, quando poſſunt adhiberi. Plura circa unctionem unius partis dicam *Caſu XXII. num. 878.* Priùs tamen exhibeo hunc

Caſum Doctoralem.

a QUem Doctor Medicinæ de Doctore Theologiæ, mihi narravit die nono Junii Anno 1674. expetens ſimul judicium meum, referénſque, *hunc Theologiæ tam practicæ, quàm ſpeculativæ laude inſignem virum, & parochum advocatum ad puerum ex variolis periculoſiſſimè laborantem, detuliſſe quidem una cum ſacra hoſtia oleum infirmorum, præbuiſſe infirmo Viaticum, at non Extremam Unctionem ea ſola de cauſa, quòd nulla penitus particula cutis appareret, & prorſus tota obſita eſſet puſtulis, ac proinde nullam corporis partem tangere poſſet oleum.*

Sed revera fuit ille bonus Vir (qui uno men- b
ſe pòſt migravit è vita) deceptus tam *ſpeculativè*, quàm *practicè*. Siquidem ipſemet abſque omni dubio rebaptizâſſet illum decennem puerum, ſi cognoviſſet, non fuiſſe priùs rite baptizatum, atqui aqua baptiſmalis æquè, atque Oleum Sacrum, debet applicari corpori, æquè quoque illud tangere, ſicut revera omnes, qui manus, aut pedes infirmi pueri tollebant, movebant, dicebantur propriiſſimè, quin & *immediatè* tangere infirmum, quando *immediatè* contingebant puſtulas, quemadmodum & diceretis tangere *immediatè* illum, quem omni planè ex parte tinctum aliquo colore rubro, flavo, nigro, nudum tamen tolleres in tuos humeros. Scabies & puſtulæ obſiti variolis, ſunt ejuſmodi excrementa corporis, ut quamdiu huic inhærent, tamdiu habeantur pro tali parte corporis, pro quali habentur ulcera, quibus tactis nemo negabit tactum eſſe corpus. Ergo in hoc eventu dormitavit bonus Homerus.

Quæritur IV. *Quæ ſit forma hujus Sacramenti?* 799

Reſp. Hæc: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per N. In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen.* Exprimendo ſcilicet nomen ipſius ſenſûs, ſeu organi, quod ungitur tunc, cùm hæc verba expreſſa in Concil. Florent. & repetenda ad ſingulos ſenſus, pronuntiantur: quæ quidem non ſunt omnia neceſſaria neceſſitate Sacramenti, ſed aliqua ſolius præcepti. Nam inprimis conve- 800
niunt, teſte Hurtado *diffic. 7.* DD. in eo, quòd invocatio SS. Trinitatis non ſit de neceſſitate Sacramenti, eſſe autem de neceſſitate præcepti, aſſerunt Angelus, & Paludanus negant Ledeſma, & Suarez *Diſp. 41. ſect. 3.* Servandam ſub præcepto cujuſq; Eccleſiæ conſuetudinem, rectè aſſerit idem Hurtadus cum Coninck *Diſp. 19. dub. 4.* Verba illa: *Sanctam, & piiſſimam ſuam miſericordiam* eſſe ſub mortali proferenda, ait idem Hurtadus cum Dicaſtillo *n. 68.* tum propter univerſalem conſuetudinem Eccleſiæ, tum quia nonnulli, teſte Palao *punct. 4. n. 4.* etſi contra communiorem citatorum, cenſent, eſſe de eſſentia, ſicuti omnes fatentur, hæc ſaltem verba: *Per hanc unctionem indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti.* At negant Coninck, Bonacina, Tannerus, Reginaldus *Lib. 28. cap. 9.* de particula ſignificante organum, quod ungitur, nempe *viſum, auditum &c.* quia per alia verba, & ipſammet unctionem factam in ea parte ſatis ſignificatur ſenſus, ut docet cum aliis Diana *Part. 3. Tr. 4. Reſ. 175. & 180.* contra Nugnum immeritò, more ſuo, mordentem Suarium. Sic loquitur Dicaſtillo *num. 68.* ſub- 801
dens ex communi, non eſſe de eſſentia, ut ſingulæ formæ pro ſingulis organis aſſignatæ proferantur integre, ſed ſufficere hanc generalem: *Per iſtas ſanctas unctiones, & ſuam piiſſimam*

mam

Digitized by Google

mam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per viſum, auditum, guſtum, odoratum, tactum, quod etiam tradit Hurtadus *loc. cit.* præmittens tamen graviter delinquere, qui id facit, infirmo non monito de periculo nullitatis. At Dicaſtillo dubitat de peccato, negans cum communi Suarii *Diſput. 41. ſect. 2.* Bonacinæ *cit. Diſp. 7. punct. 3.* Dianæ *loc. cit. Reſ. 168.* timendam ullam culpam, quando illa forma adhibetur, urgente neceſſitate, ſcilicet infirmi fortè non victuri, donec ſingulæ formæ pronuntientur, vel Miniſtri timentis contagionem.

802 *At debétne formula proferri per modum deprecationis ſeu orationis, & precis?* Eſt hæc præcipua difficultas in hac materia, quam difficultatem efficit ſola aliquarum Diœceſeon conſuetudo, ſi enim ea non eſſet, omnes fortè uno ore cum S. Thoma *in ſupplem. quæſt. 29. art. 8. in princ. & fin. Corporis* dicerent: *Forma hujus Sacramenti eſt oratio deprecativa, & ideo non poteſt eſſe forma indicativi modi, etenim eſſe debere deprecativam, patet per verba Iacobi, & uſum Eccleſiæ Romanæ*, inquit S. Thomas *loc. citat.* ideóque cenſet poſt Capreol. apud Victorellum in Emman. Sa *n. 7.* P. Georgius Rhodes *Diſput. Theologic. Tom. 3. De Extr. Unct. ſect. 3.* eſſe hoc habendum pro indubitato.

803 *At, quid dicemus de Eccleſia Mediolanenſi?* In qua olim, teſte S. Bonavent. *in 4. d. 23. p. 1. art. 1. quæſt. 4.* uſurpabatur hæc formula: *Ungo te oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, ut more militis uncti preparatus ad certamen aëreas ſuperare poſſis poteſtates.* Quid de Veneta perſimili Mediolanenſi? ut ex Palatio referunt Tanner *n. 82.* & Dicaſtillus *num. 60.* *Quid denique de noſtra Conſtantienſi?* quam deſcripſi ſuprà *num. 777.*

804 Reſp. I. Nemo jure negabit, formam Conſtantienſem eſſe probabiliſſimè validam. 1. Quia pro valida habent Albertus M. Richardus, Durandus, Paludan. apud Tannerum; & poſſe ita conferri, tradunt Sotus, Suarez, Tannerus, Dicaſtillo *num. 65.* contra Nugnum in citatum artic. S. Thomæ Bonacinam *loc. citat.*
805 Hurtadum *diffic. 7.* 2. Quia eſt in Eccleſia DEI receptus mos orandi Deum verbo indicativo, ut videre eſt nominatim in communi Secreta *Confeſſ. non Pontif.* quæ incipit: *Laudis hoſtias*, & ſingulariter cum particula *Ut*, quemadmodum leges nominatim in oratione Secreta
806 Dominicæ 23. poſt Pent. 3. Nemo inficiabitur, poſſe longo loquendi uſu effici, ut hæc verba: *Ungo te, ut Deus tibi ignoſcat peccata tua*, verè accipiantur deprecativè, adeóque ſignificent in aliqua certa provincia orationem, nam penes uſum eſt jus, & norma loquendi, ita verò ſe res habet in noſtra Diœceſi, æquante ſuâ latitudine, & longitudine magnos Ducatus, imò & Regna, etenim omnes Sacerdotes impertientes hac formulâ hoc Sacramentum putant, his verbis ſatis intelligi, ſeu deſignari illam precem mentalem, quam formant, dum ad ſupremam luctam ungunt, & perungunt militem Chriſti. Sum locutus hac de re cum non uno ex doctiſſimis, & mediocriter doctis, omnes dixerunt formulam, quam deſcripſi *num. 777.* haberi à ſe, atque aliis pro oratiuncula, & proferri à ſe ſemper per modum orationis, ſeu inſtar precationis, unde etiam Sanctgallenſes *in Curſu Theolog. Tom. 10. fol. 385.* illam expreſſè ponunt pro exemplo formæ deprecativæ, ſicuti & Illuſtriſſimus D. Reding. *Controv. 3. num. 11.* tum hanc, tum alias.

Ergo locum hîc habet commune dictum 807 apud Card. Tuſcum *lit. V. concl. 95. Verba intelligenda ſunt ſecundùm ſubjectam materiam*, atqui Conſtantienſes in hac ſpeciali materia Extremæ Unctionis (quidquid fiat in aliis materiis) particulam *Ut*, uſurpant tanquam ſignum interioris precationis. Et verò Leſſius *in 3. Part. De Extr. Unct. cap. 1. num. 14.* fatetur, prædictam formulam fuiſſe legitimam in iis locis, in quibus miniſtri eam *deprecatoriè* intellexerunt.

Ex quibus omnibus patet, quid reſpondendum ad factum Xynoridis, Xenophili, & Xiſti, de quibus ſuprà *n. 777.* Nam Xynorides 808 fuit integerrimè uſus formâ præſcripta in Conſtantienſi Obſequiali, ſeu Rituali, ergo imprimis reprehendi non poteſt *argum. cap. Quod quis mandato. De Reg. jur. in 6.* ergo deinde præſumendus eſt recitâſſe per modum precationis eandem formulam, ergo tertiò poſſunt omnes DD. Curiones Conſtantienſes, eorúmque Vicarii, ſeu Cooperatores ſine ullo ſcrupulo pergere, ſicut jam monui *in Alphab. Comm. n. 413* in uſu hujus formulæ, dummodo habeant intentionem *explicitam*, vel etiam *implicitam* orandi tunc, cùm promunt iſta verba. *At quid ſi Romæ quis uteretur hac formulâ?* Reſp. Pecca- 809 ret non leviter, formas enim Sacramentorum præſcriptas in certo loco non eſt fas, ſaltem adeò notabiliter, mutare ibidem aliis. Fortè etiam conferret irritum Sacramentum, quia formula Conſtantienſis non habet Romæ ſignificationem Orationis. Aqui in ſermone ſpectanda eſt conſuetudo loci DD. *in L. Semper, in ſtipulatien. ff. De Reg. jur.*

Xenophilus fecit quidem mutationem ali- 810 quam formulæ, ſed tam exiguam, & cum tanto acceſſu ad Romanam certiſſimò legitimam, ut videatur imitandus, utpote qui in re tanti momenti ſequatur tutiora *cap. Ad audientiam. De homic.*

Xyſtus excuſandus eſt, ſi fuit illo ritu uſus idcirco, quòd timeret, ne puerpera ageret animam, priuſquam abſolveret ille omnes partiales unctiones, ſi abfuit hoc periculum, damnabitur à pleriſque omnibus peccati lethalis ob neglectum duplicis doctrinæ communis, quòd ſcilicet unxerit duntaxat unum ſenſum, ſuprà *n. 793.* & quòd tantùm ſemel pronuntiârit formulam, ſuprà *num. 799.* Et quia non reperio

P 2 ullum

Digitized by Google

ullum omnino Doctorem, qui ſcribat, illum modum eſſe licitum extra neceſſitatem valde gravem, idcirco caveant DD. Curiones hujus Diœceſis, ne nimis laxè interpretentur verba deſcripta *cit. num. 777.* nec patiantur ſe moveri conſuetudine fortaſſis multorum, extra magnam neceſſitatem adhibentium illum modum: potiùs repetant ſæpe in hac, & aliis materiis id, quod ex S. Gregorio refert *Cap. Si conſuetudinem. diſt. 8.* Gratianus: *Si conſuetudinem fortaſſis opponas, advertendum eſt, quod Dominus dicit: Ego ſum veritas, & via: non dicit: Ego ſum conſuetudo, ſed veritas.*

Multò minùs eſt imitandus hic Preſbyter

Errans Grammaticaliter, & fortè Realiter.

811 QUi, *cùm mulierem extremè ungeret, dicebat ad ſingulorum unctionem ſenſuum: quidquid* dereliquiſti *per viſum, tactum &c quem errorem cùm advertiſſet vir militaris, officio ſignifer, juxta adgeniculans, dixit Confeſſario, etiam tunc præſenti, at errorem non notanti, ob mentem occupatam magis neceſſarius*: R. V. corrigat, amabo, gravem errorem, quem D. Parochus admittit in formula. *Quæſiit ille Confeſſarius ex me die 14. Octob. Anno 1664. an fuerit obligatus monere Parochum de errore, qui quidem non hic Conſtantiæ, ſed alibi contigerat?*

Agnoſcit, puto, quiſque, fuiſſe illum errorem inprimis ſub mortali emendandum a Parocho, cùm & ſit valde notabilis mutatio, ſeu variatio formæ, ſimúlque ſcandaloſa, & meritò dubitetur, an, ſicut illud verbum: *Dereliquiſti* Grammaticaliter ſumptum efficit ſenſum planè diverſum ab eo, quem verbum: *Deliquiſti*, ita etiam non efficiat *moraliter* ſumptum, ſeu conſideratum in circumſtantiis perſonæ loquentis, & Chriſtianorum, qui Latinæ linguæ periti poterant intereſſe tali actioni. Exemplum decantatiſſimum priſci Parochi Baptizantis in nomine *Patria, & Filia, &c.* quod nos ponderavimus *Tract. 2.* ſeu *in Alphabet. Baptizant. Caſ. II. num. 87.* patrocinatur quidem valori illius unctionis, non tamen tam potenter, quin fuerit, meo judicio, ſub mortali repetenda unctio in caſu, quo illa mulier non accepiſſet abſolutionem Sacramentalem, eam fortè ob cauſam, quòd fuiſſet ſubitò oppreſſa ſymptomate non relinquente tantum temporis, aut facultatis, quantum neceſſe erat ad aliquod pœnitentiæ ſignum edendum, etſi quippe ille Parochus imbutus opinione à nobis refutata *in Alphab. Confeſſar.* ſeu *Tract. 7. Caſ. XIX n. 602.* pronuntiâſſet verba abſolutionis, quia tamen probabiliſſimè protuliſſet *invalidè*, idcirco debuiſſet uti alio remedio, etſi non omnino certo, valdè tamen probabiliter profuturo, ſicuti multò probabiliſſimum eſt, quòd Extrema Unctio faciat ex attrito contritum. Infrà *num. 911.* Quin licèt eadem mulier fuiſſet rite, piéque munita duobus Sacramentis, quia tamen iſtud tertium eſt ſaluberrimum, fitque maximi à piis mentibus, idcirco fuiſſet etiam in hoc caſu obligatio mortalis repetendi etiam cum aliqua mortificatione vel nimis rudis, vel nimis inattenti Parochi. In quo tamen eventu non obligâſſem adſtantem Confeſſarium ad faciendam monitionem, obligâſſem tamen, poſito, quòd putaretur profutura monitio) in priore, quia quiſque tenetur ſub mortali ſuccurrere proximo, verſanti in probabili periculo æternæ damnationis, ſaltem ſi poſſit ſine ſuo gravi incommodo ſuccurrere.

His adde, non eſſe in præcepto, ut fiant 812
unctiones cum efformatione Crucis. Hurtadus *diff. 5.* poſt Coninck, & Reginaldum, nec opus eſſe, ut ungatur major pars, quàm neceſſe ſit ad id, ut poſſit dici eſſe facta unctio ſenſibilis. An verò per ſingulas unctiones conferatur aliqua gratia, dicemus *Caſu XXIII.* Cæterùm non graviter peccari, etſi non ſervetur in unctionibus ſingulorum ſenſuum ille ipſe ordo, qui ponitur in Rituali, indicat P. Hurtadus *diffic. 6.* dicens, non poſſe inverti abſque aliquali peccato. Nullum autem peccatum admittis, ſi carentis e. g. manu ungas extremum brachii, ut dictum ſuprà *num. 769.*

Adde quoque, ſubtiliter à D. Reding. *loc. cit. n. 10.* defendi, tametſi attentio ſit de eſſentia Orationis Vocalis, adeóque formulæ Extremæ Unctionis, attamen poſſe conſiſtere cum voluntariis diſtractionibus, qua de re nos ſuprà *Tract. 5. num. 825.*

UNCTIONIS EXTREMÆ NECESSITAS, SUBJECTUM, ET MINISTER.

CASUS XXII.

Ridiculus, & Luctuoſus.

SECTIO I.

De obligatione, & ſubjecto hujus Sacramenti.

SUMMARIUM.

Caſus differentium ex cauſa ridicula Extremam Unctionem. 813. & 815.

Nulla lex præcipit per ſe Extremam Unctionem. 816.

At

Digitized by Google

At per accidens præcipit quandoque. 818.
Quis capax hujus Sacramenti? 820.
An B. Virgo ſit uſa hoc Sacramento? 821.
Omnes etiam pueri capaces abſolutionis Sacramentalis, ſunt extremè ungendi. 822.
Quid ſi dubitetur de uſu rationis in puero? 824.
Quid de amentibus, & furioſis? 825.
Voluntas implicita quomodo huc ſufficiat? 827.
Caſus puellæ deliræ ab Anno ætatis decimo. 828.
Caſus ebrii, qui putabatur moriturus. 832.
Quænam infirmitas ſit neceſſaria, aut ſufficiat ad hoc Sacramentum? 833. & 834.
Quid propriè intelligatur hîc per infirmitatem? 835.
An morbus propriè dictus? 836.
An ſenectus? 838.
An, quando cui eſt reſecandus pes? 839.
Caſus puerperæ periclitantis ex puerperio. 842.
Caſus extremè uncti, priusquam ſuſpenderetur. 847.
An rotâ fracti ſint ungendi? 848.
Phthiſici quando ungendi? 852. (854.
Locus, aut ſitus corporis non eſt hîc præſcriptus.

813 A*Nonyma puella ruri nata, ſub ætatis Annum vigeſimum correpta gravi morbo accerſit Curionem, confitetur ei peccata, accipit ab eodem Sacrum Viaticum, at interrogata, an etiam velit extremè inungi, negat & seriò, & iteratò Perurgenti plebano, ut cauſam edicaret, denique tametſi ægre reſpondit:* Semper ego ex majoribus meis audivi, eſſe choreis ducendis interdictum iis, qui, aut quæ Unctionem acceperunt, imminent autem Antecineralia, quibus ſaltare de more cogito, ſi convaluero. Deinde iiſdem, ut ſæpe inaudii, vetitum eſt ſertum capite geſtare, aut nudis pedibus terram contingere. *Molitur Parochus ægræ eximere hæc deliramenta anicularum, ſed ſurdæ loquitur, quamquam nec planè ſurdæ, etenim poſtremò reſpondet:* Stat animo adhuc differre Vnctionem: Jch will den HErrn nicht verkürtzen. Monebo tempori. *Diſcedit ergo Paſtor. At vix ille lares domeſticos attigerat, cùm agit puella animam.*

814 In hunc ſenſum, etſi non his verbis, ſcripſit hunc Caſum ad me quidam meorum olim Auditorum, ſedulitatis, & profectûs laude inſignis parochus, teſtatus, accidiſſe panculis abhinc Annis, & addens etiam, virum quendam ſimiliter agreſtem, tametſi vitâ periclitantem, conſtanter dicam, an pervicaciter? recuſâſſe hoc poſtremum Sacramentum, allatâ hac unâ unicâ ratione: *Semper audivi, eſſe moriendum illi,* der ſich ſalben laſſet / *qui ſe ungi permittit,* quam etiam prætendit puella, de qua *in App. ad n. 920.* hujus ipſius Tractatûs.

Sed & è noſtris DD. Decanis unus vario uſu 815
peritus ita ad me: *Francones aliquot ſunt ejus opinionis, quòd extremè unctis nefas ſit ſaltare, Palatini, nefas induere calceos. Quid ſentiendum de id genus hominibus, atque aliis vel ex falſa perſuaſione, vel ex animi torpore, aliáve cauſa irrationabili reſpuentibus, aut negligentibus hoc Sacramentum: Quid de petentibus, & conferentibus, quando, & quibus non oporteret?* Adeóque ſunt hîc expediendæ 4. quæſtiones. *1. An, & quanta ſit obligatio ſuſcipiendi hoc Sacramentum? 2. A quo ſuſcipiendum? 3. A quo impertiendum? 4. Cum quanta obligatione impertiendum?* Duas priores quæſtiones reſolvam hac ſectione, poſteriores ſequente.

Quæres ergo I. *An extet aliqua lex poſitiva, præcipiens ſuſceptionem Extremæ Vnctionis?*

Reſp. I. *Conveniunt DD. excepto Petro Soto* 816
(& Joanne Wigers mox referendo) *nullum eſſe præceptum ſuſcipiendi Extremam Vnctionem, quamvis adſit opportunitas, aut commoditas illud ſuſcipiendi.* Ita expreſſè loquitur P. Hurtadus *Tract. De Extrema Vnct. Difficult. 11.* itémque P. Palaus *Tract. 26. p. 8.* nam revera nullum poteſt exhiberi. Hurtadus *ibid. Ergo, per ſe loquendo, ne venialiter quidem delinquet, qui volens prudens omittet?* Reſp. Non eſt mala conſequentia, ſpectatis legibus poſitivis ſolis. Nam verba S. Jacobi loquentis de hoc Sacramento poſſunt aptè intelligi de ſolo conſilio. P. Dicaſtillo *ibid. n. 169.* Unde diſſentimus à Joan- 817
ne Wigers *in 3. Part. quæſt. 32. num. 9.* tradente, ſicut graviſſimè peccat Parochus differens unctionem infirmi, donec hic careat ſenſibus, ut habet Catechiſmus, *ita & quidem multò magis illi, qui non recipiunt, quando poſſunt.*

II. Per *accidens* tamen poteſt delinqui tum 818
venialiter, tum etiam mortaliter, non recipiendo hoc Sacramentum: Venialiter quidem, quia aliquo modo contra rationem (propriæ, inquam, charitatis debitum) eſt, tam ſalutiferum animæ remedium in occaſione ita periculoſa negligere, abſque rationabili cauſa. P. Palaus *Tract. 26. p. 8. num. 2.* dicens, eſſe extra dubium. mortaliter verò *inprimis*, quando ex contemptu negligitur, ut omnes notant, obſervantes tamen, neglectum etiam deliberatum non eſſe ſufficiens ſignum contemptûs, multas enim res valde pias, & ſanctas negligimus deliberatè, ac ſine rationabili cauſa, quas tamen credimus magni faciendas. *Deinde* quando ex errore in fide provenit ille neglectus, ut quando omittitur idcirco, quòd putetur allaturum, ſeu acceleraturum mortem, ſicuti fortè putavit ille, de quo *n. 814. Tertiò*, quando cum ſcandalo omittitur, quale ſcandalum eſſe cenſet Palaus, & Dicaſtillo, ſi detur occaſio ſuſpicandi, infirmum laborare errore in fide, aut ſi alii inducantur ejus exemplo ad vilipenſionem hujus Sacramenti. Et verò *Tract. 1. ſect. 4. n. 146.* defendi contra irrationabilem impugnationem Didaci Nugni, Patrem Suare-

zium, quatenus hic ſcribit, vix poſſe eſſe in infirmo contemptum Extremæ Unctionis ſine errore, vel hæreſi circa hoc Sacramentum. Quare ſi Parochus animadverteret, hoc Sacramentum ab infirmo reſpui, ſeu negligi ex contemptu, vel vilipenſione ipſius, tenetur omni ratione eum adducere ad æſtimationem, & venerationem, negaréque ipſi tanquam meritò ſuſpecto de errore in fide Beneficium abſolu-
819 tionis, niſi mutaret pravum illum animum. Et generatim cenſeo, ſi probè perpendantur omnes circumſtantiæ, non reperiri quemquam, qui volens ex deliberata animi ſententia mori ſine hoc Sacramento, non peccet, ſaltem *per accidens*, aliquantulum graviter; talis enim aut conjicit ſuos domeſticos in magnas ſolicitudines, mœroréſve, aut dat occaſionem, ut homines pejùs de ipſo loquantur, quàm mereatur; habet ſanè illa deliberata omiſſio juxta communem aut apprehenſionem, aut judiciũ ſpeciem mali, ergo ſemper eſt mala malitiâ ſcandali. S. Thomas *2. 2. q. 43. art. 2. in Corp.* & vix à mortali excuſarem eum, qui videns, ſe graviter à dæmone tentari ad deſperationem, aut aliud ſcelus, nollet opponere hæc arma ſpiritualia, hoc Sacramentum confortativum ad ſpem vitæ æternæ. Suprà *num. 780.* idque à fortiori docet Ruardus Tapperus apud Wigers *loc. cit. num. 10. in fin.* non diſſentientem. Adde, quòd D. Reding *loc. cit. art. 4. Controverſ. 2. n. 10.* adhæreat Amico, & Palao ratis, eum, qui nequit aliud Sacramentum ſuſcipere, quia e. g. Sacerdos oblitus eſt formulæ abſolutionis (qui ſanè Caſus eſt propè metaphyſicus) teneri lege Charitatis, petere hoc Sacramentum, eſto non ſit ſibi conſcius ullius noxæ lethalis. Rationem lege apud ipſum.

820 Quæres II. *A quo ſuſcipiendum hoc Sacramentum?*

Reſp. I. A nemine, qui & non ſit baptizatus, cùm Baptiſmus ſit fundamentum omnium Sacramentorum. *cap. Veniens. De Preſb. Non Baptiz.* & non fuerit aliquando compos rationis, adeóque nulli puero nondum capaci rationis eſt impertiendum. S. Thom. *in ſupplem. quæſt. 32. art. 3. & 4.* cum communi, adferens hanc rationem, quòd non debeat ſuſcipi, niſi ab habente actualem devotionem. Quam rationem operoſè quidem explicat, ac defendit Nugnus *in cit. art. 3.* ſed non ad mentem Angelici Doctoris. Illa eſt facilior, quòd ſcilicet in formula hujus Sacramenti dicatur: *Quidquid deliquiſti.* Ergo non debet conferri illi, qui ob infirmitatem judicii nunquam potuit peccare.

821 Utrùm verò inungi poſſet, quem conſtaret, nunquam deliquiſſe, & utrùm B. Virgo uſa ſit hoc Sacramento, non eſt mei inſtituti diſſerere. Legi poſſunt ab harum rerum curioſo Suarez *Tom. 4. in 3. Part. Diſp. 42. ſect. 2.* Vaſq. *in 3. Part. Diſp. 219.* Nugnus *in cit. art. 4.* Dicaſtillo *loc. cit. dub. 10.* qui adferunt multos autores pro, & contra. Illud eſt noſtri fori, quòd, ſi quis adultus Judæus in morbo lethali baptizaretur, poſſet ſtatim pòſt extremè ungi, ut notant citati, quia peccatum veniale faciliimè, citiſſimè admittitur.

II. Pueris omnibus capacibus abſolutionis 822
eſt impertiendum hoc Sacramentum, quia capaci pœnitentiæ validè, & decenter confertur Unctio Extrema. Laymannus *cap. 4. num. 2.* fuſè, Joannes Sanch. *Diſp. 27.* poſt Navarrum *cap. 22. num. 13.* Suarez *Diſp. 70. ſect. 1.* aliosque plures, & quidem licèt non ſit ob defectum diſcretionis idoneus percipiendæ Euchariſtiæ. Idem Sanchez, & Laymann. *ibid.* cum P. Emmanuele. Sa, P. Georg. Rhodes *De Extr. Unct. ſect. 3 §. 4.* & aliis, quos refert, ſequitúrque P. Eſcobar *De Extrem. Unct. problem. 24.* contra Sotum *in 4. diſt. 23. quæſt. 1.* atque alios ratos, pueris non eſſe conferendum hoc Sacramentum ante pubertatem, etſi petant, quod quidem ſuſtineri poteſt in locis, in quibus invaluit hæc illaudata conſuetudo, attamen extra talia loca oportet ſtare noſtrâ reſponſione, quia nulla prorſus eſt connexio, aut ordo inter Euchariſtiam, & Unctionem, quoad licitam perceptionem, nec ad validam, decentémque perceptionem Unctionis requiritur ullo modo major, intelligentiórve diſpoſitio, quàm ad Confeſſionem, imò ſufficit minor. Igitur poteſt certò Extrema Unctio ſuas vires exerere in omnes capaces ſacræ Communionis, ſeu Viatici. Et 823
quia *in Alphab. Communic. Caſu VI.* latè diſſerens de Annis diſcretionis oſtendo, puellis Germanis eſſe communiter poſt, non autem ante octennium: pueris autem poſt, non ante novennium præbendam in agone Sacram Euchariſtiam petentibus, ideo aſſero idipſum de Sacramento Unctionis Extremæ, non damnans tamen praxin contrariam, licèt non ex vano ſuſpicer, dilationem perſæpe fieri potiùs ob cauſas merè politicas, & temporales, quàm ob veram reverentiam erga Sacramentum. Conſentit Barboſa *De Parocho cap. 22. num. 12.*

Quid ſi autem dubitetur, utrùm puer jam ſit 824
præditus uſu rationis? Reſpondet P. Eſcobar *loc. cit. probl. 23.* poſt Joannem Sanch. *cit. Diſp. 17. num. 17.* negotia, in quibus nihil amittendum timetur, ſed potiùs lucrum ſperatur, audacter tractanda eſſe.

III. Tametſi amentibus, & furioſis, qui 825
nunquam fuerunt uſi ratione, non oporteat præbere hoc Sacramentum. S. Thom. *cit. quæſt. 32. art. 3.* receptus cõmuniter contra Majorem (cui P. Eſcobar *loc. cit. problem. 29.* malè jungit Cardin. Bellarmin. *De Unct. cap. 9.*) eò quòd tales æquiparandi ſint infantibus, nondum perductis ad Annos diſcretionis, de quibus ſuprà, attamen ſi ii amentes fuerunt aliquamdiu uſi ratione, & judicio, eſt non modò licitum, eis adminiſtrare hoc Sacramentum, ſed etiam præceptum, ſi aliquando illud petierunt. Ita docent etiam Thomiſtæ communiter, teſte, & certum pronuntiante Nugno *in cit. a. 3. S. Thom.*

tametſi

Digitized by Google

tametſi S. Thomas videatur docere ibidem contrarium, dum expreſſè ait, non eſſe miniſtrandum, niſi iis, qui poſſunt *recognoſcere, & cum devotione ſuſcipere hoc Sacramentum*, & proinde non eſſe habentibus intervalla præbendum, niſi tunc, cùm habent illa lucida
826 intervalla. Sed probatur communis, (quam ſuo more diſtinctè, claréque probat etiam D. Reding *loc. cit. Art. 4. Contr. 1.*) opinio, quia perſona, quæ actualiter aut peccavit, aut meritò præſumitur peccaviſſe, eſt capax hujus Sacramenti; ergo, ſi aliquando habuit voluntatem expreſſam ſuſcipiendi, quam non revocaverit, debet ei conferri in articulo mortis, etſi tunc non cognoſcenti reverentiam Sacramenti; nec enim aut ex Scriptura Divina, aut ex traditione Eccleſiæ deducitur neceſſitas ejuſmodi co-
827 gnitionis. Imò omnes DD. quos in hoc toto Caſu ſeu capite citavi, ajunt, *licitè* dari iis, tametſi nunquam petierint *expreſſè*, modò aliquamdiu compotes judicii vixerint Chriſtianè Catholicè, nec ſciantur incidiſſe in amentiam, dum erant in ſtatu peccati mortalis. Ratio eſt, quia hoc ipſo, quòd quis vixerit Chriſtianè, & Catholicè, habuit *implicitam*, ſeu *interpretativam* voluntatem faciendi ea, quæ ſolent omnes Chriſtiani Catholici facere, conſtituti in ſupremo luctamine; ſiquidem ex centum millibus Catholicorum non erit vel unum reperire, qui hoc non profiteretur, ſi interrogaretur; atqui hæc voluntas *implicita* ſufficere dicenda eſt hoc ipſo, quòd non probetur, Chriſtum Dominum requiſiviſſe aliam, nam & aſſerenti incumbit probatio *L. Actor. 23. Cod. De prob.* Et quod nullâ lege ſtatutum eſt, id nos aſſerere non debemus. *c. Legatur. 24. q. 2.* Vnde ſequitur, non modò licere, ſed etiam oportere talibus miniſtrare hoc Sacramentum Laymannus *cit. c. 4. n. 3.* ex communi, ut teſtatur, atque adeò Paſtor tenetur hoc ex officio adminiſtrare, inquit Wigers *Q. 32. n. 5.* Ex quo inferes, quid agendum fuerit in hoc

Caſu recenti.

828 *Puella N. propè decennis effecta incidit in amentiam perpetuam, id eſt, uſque ad Annum ætatis decimum ſeptimum circiter, quo vitam cum morte commutavit; dum autem videretur deſperata ejus ſalus corporalis, dubitatum fuit, eſſétne extremè ungenda, necne? Denique concluſum eſt, non videri ungendam. An rectè?*

829 Reſp. Rectè ſecundùm unam ſententiam, non rectè ſecundùm alteram; *inprimis* enim Angelus, & Roſella apud Silveſtr. *v. Vnctio. q. 5.* negant, ejuſmodi homines eſſe ungendos, niſi petierint ante amentiam, favétque S. Thomas *loc. cit. Secundò* Sotus quoque ſuprà *num. 822.* atque alii nonnulli negant, ungendos, qui nondum pervenerunt ad Annos pubertatis. Quia autem illa puella ante pubertatem amiſit uſum rationis, dixiſſet Sotus, ſi fuiſſet interrogatus, Annos poſteriores, quibus vixit ſine ratione, eſſe non computandos.

Tertiò tamen juxta noſtram ſententiam non 830
optimè fecit ille D. Curatus, ut patet ex paulò antè dictis; ſed quia non juravit in noſtra verba, quia fortè etiam aliqui dixerunt, illam puellam fuiſſe revera ſemper valde ſimplicem, & fortè nunquam potuiſſe diſcernere inter bonum & malum, ideo non poſſum in concreto, & in actu ſecundo damnare illam verbalem, & realem reſolutionem; tametſi ego cum Ioan. Sanchez *cit. num. 17.* judico, in dubio, an quis poſt Baptiſmum fuerit adeptus aliquem uſum rationis; ſeu aliquam cognitionem rerum ſupernaturalium, poſſe & ad augmentum gratiæ, & ad præliandum prælia Domini muniri hiſce armis ſpiritualibus. Rationem ex eodem Ioanne Sanchez attuli ſuprà *num. 824.*

At quid reſpondendum ad hunc

Caſum ebrii, & ebrioſi?

Anonymus è taberna vinaria redux corripitur tantis viſcerum doloribus, ut videatur morbi vis exturbatura animam. Accerſitus Confeſſarius excipit Confeſſionem qualem qualem, impertitúrque abſolutionem, ratus Anonymum eſſe ejus capacem. Rogatus Parochi Vicarius, ut ſaltem extremè ungat, renuit conſtanter; aſſerens, hominis genium eſſe ſibi notum, nullum ſubeſſe mortis periculum; madere illum nimio potu, edormiturum brevi crapulam, & depulſum iri omne diſcrimen vitæ. An ſequendum exemplum hujus Vicarii? 831

Reſp. Sequendum in circumſtantiis expreſſis, ut probavit eventus; nam poſtridie valuit ille Anonymus jamdudum ſepultus. Ergo multùm juvat determinationem ultimi judicii, noſſe vitam, & indolem infirmi. Quomodo autem ſit generatim opus, ſe ſe gerere cum ebriis correptis morbo gravi, id eſt, an oporteat iis miniſtrare Sacramenta, & an, ſi extinguantur in ebrietate, oporteat eos ſepelire ſepulturâ aſini doceo partim *in Alphab. Communic. Caſ. XIII.* partim *in Theol. Iurid-Morali c. 50.* 832

IV. Non omnibus Chriſtianis uſu præditis miniſtrandum eſt hoc Sacramentum, ſed actu infirmis. Ita omnes, Nam & S. Iacobus loquitur de ſolis infirmis, ſeu *infirmatis*, & Concil. Flor. *in Lit. Eugen.* expreſſè ait: *Hoc Sacramentum non niſi infirmo, de cujus morte timetur dari debet.* Nec quælibet infirmitas tribuit jus 833 834

P 4 ad

Digitized by Google

ad hoc Sacramentum, ſed ſola periculoſa, ſeu quæ adfert aliquod probabile periculum mortis. Ita rurſum omnes ex citatis verbis Concil. Flor. & S. Thoma. *Quæſt. 32. Art. 2.* ſic reſolvente; *Illis tantùm infirmantibus debet exhiberi, qui ſunt in ſtatu exeuntium, propter hoc, quòd ægritudo nata eſt inducere mortem, & de periculo timetur.* Adeò, ut licèt neque ad *validam*, neque ad *licitam* miniſtrationem hujus Sacramenti requiratur certum, idque proximum periculum mortis, ſicuti notant paſſim hactenus citati DD. ſed *validè* adminiſtretur, quamprimùm prudenter judicatur eſſe periculum, ne hæc, aut illa ægritudo allatura ſit mortem, quamvis fortè non ſubſit à parte rei tale periculum. Hurtadus *difficult. 10.* dubitantibus de valore Sanctgallenſibus *Tom. 10. fol. 389.* attamen ſi tale periculum nec in re, nec in opinione prudente ſubeſt, tametſi quis ſit verè æger, non modò *illicitè*, ut omnes fatentur, ſed etiam *invalidè* impertitur juxta communiorem ſententiam Suarii *Tom 4. in 3. Part. Diſp. 42. Sect. 2.* contra Coninck *Tom. 2. in 3. Part. Diſp. 28. n. 25.*

835 Quæres autem non immeritò, quid hîc propriè intelligatur nomine *Infirmitatis*? An ſolus morbus, id eſt, affectus contra naturam primò vitians actionem ex primarum qualitatum intemperiè, ut morbum vulgariter ſumptum deſcribunt Medici poſt Galenum *Lib De different. morbor.* An omnis debilitas allatura probabiliter mortem, ut quæ e. g. provenit ex fame, metu, cruciatibus corporis, doloribus ſolis partûs. Eſt hæc ſanè quæſtio gravis, & practica, ex qua pendent plures reſolutiones quotidianæ, & tamen, quod mireris, nullus ex hactenus nominatis DD. eam expreſſè proponit, multò minùs reſolvit fundamentaliter, etſi aliqui ſuam mentem breviter, &

836 quaſi *indirectè* indicent. Requiri morbum propriè dictum, indicant verba S. Thomæ paulò ante relata; P. Nicolaus Serarius *in cit. cap. 5.* S. Iacobi aſſerit, nomine *infirmitatis* intelligi ibidem ægritudinem; P. Georg. Rhodes §. 4. intelligi *verum morbum*; P. Coninck *loc. cit. n. 24.* ſic loquitur: *Hoc Sacramentum non debet conferri, niſi ei, qui ita ægrotat, ut de vita periclitetur.* Et addit, hanc eſſe communem ſententiam, probans etiam inde, quòd accuſativus Græcus κάμνοντα *Infirmum*, quo utitur interpres S. Iacobi, ſignificet jam ferè deficientem *præ morbo*.

837 Confirmo hanc expoſitionem inde, quòd inprimis verbum κάμνω propriè ſignificet: *Ægroto.* Deinde in Epiſtola S. Iacobi pro: *Infirmatur*, eſt in Græco: ἀσθενεῖ, id eſt: *Ægrotat.* Nam Ioan. 11. ubi nos de Lazaro verè ægrotante legimus: *Quem amas infirmatur.* Eſt in Græco: ἀσθενεῖ. Et paulò pòſt pro: *Hæc infirmitas non eſt ad mortem*: ponitur ἀσθένεια, id eſt: *ægritudo.*

E diverſo Cardinalis Toletus *in Summa Lib. 7. cap. 3. num. 2.* ſic, cum P. Emman. Sa *n. 4.* concludit: *Ut paucis concludamus, dicimus, Extremam Unctionem dandam eſſe morti propinquis ex morbo, ex vulnere, vel partu, vel ſenectute* P. Tannerus *cit. Diſp. 7. quæſt. 1. dub. 3. n. 52.* ſic ſcribit: *Capaces hujus Sacramenti ſunt tantùm infirmi, atque de vita periclitantes ex morbo, vulnere, partu, ſenectute* P. Palaus verò *cit. Tra. 26. p. 6. num. 10.* ſic loquitur: *Quartò requiritur, quòd ſuſcipiens infirmus ſit, vel infirmitate proveniente ex humorum inordinatione, vel ex natura debilitate, ut in ſenibus, vel ex vulnere.* P. Thom. Tambur. *cap. 2. §. 4.* ſic: *Infirmi ſunt omnes ii, qui ex vulnere (quidquid aliqui dicant, ut præter vulnus morbus aliquis accedat) qui ex natura debilitate &c. in probabili vitæ periculo exiſtunt.* Ita ille. Denique, ut alia omittam, in Concilio 4. Mediol. *Part. 2. De Sacram. Extr. Unct.* expreſſè ſtatuitur, hoc Sacramentum eſſe dandum *ſenio confectis, etiamſi non ſint ægroti.* Ita etiam expreſſè Barb. *De Paroch. cap. 22. num. 18.* Unde P. Quin- 839 tannadv. *Singul Tra. 5. Singul. 7. num. 2.* ſic practicè, & in concreto diſſerit: *Licitè conferri poteſt Sacra Unctio ei, cui aliquod vehemens remedium applicandum eſt, in quo timetur poſſe deficere, v. g. ſi alicui reſecandus ſit pes, vel manus, aliáve corporis pars ob vulneris grangranam, vel venenum ſerpens, in cujus abſciſſione de vita periclitatur, vel ſi cui aperiendum eſt magnum ulcus, aut apoſtema, vel ſi mulieri unum ex uberibus abſcindendum ſit.* Ita ille appoſitiſſimè ad praxin.

Acquieſco proinde reſolutioni horum par- 840 ticularium Caſuum, & generatim dico, nomine *infirmitatis* non intelligi duntaxat morbum vulgariter dictum, ſeu præditum ſpeciali nomine morbi, ut e. g. febris, epilepſiæ, phtiſis, cholicæ &c. ſed requiri, & ſufficere quamlibet debilitatem corporalem periculoſam. *Primò* quia Concilia Florentinum, & maximè Tridentinum loquentia de iis, quibus eſt conferendum hoc Sacramentum, utuntur ſolùm generali vocabulo *Infirmi*, licèt Tridentinum loquatur etiam de morbo, & ægritudine, ſed non quando diſſerit de ſubjecto neceſſario. *Deinde* illa duo, vel tria verba Græca, quæ ſuprà retuli, poſſunt intelligi de quavis gravi infirmitate. *Tertiò* inſtitutio hujus Sacramenti eſt ſummus favor ſine ullo onere; ergo latè interpretanda. *Quartò* totus omnino finis, a- 841 deóque effectus hujus Sacramenti convenit omnibus ex quacunque corporali infirmitate periclitantibus, ut patebit ex dicendis *Caſ. XXIII.* & *ex cap. 2.* Tridentini Concilii. Atqui ubi eſt idem finis, ſeu eadem ratio, & cauſa finalis, eadem eſt legis diſpoſitio. *L. Illud. ff. Ad L. Aquil.* nam ratio legis eſt anima legis. DD. *ex Can. Conſuetudo. Diſt. 1.* Confirmo hanc doctrinam apertâ autoritate Toleti, Emman. Sa, Tanneri, Palai, Quintanadven. & maximè Concilii Mediol. ſuprà, item Armillæ, Vivaldi,

di, Reginâldi infrà referendorum, atque hac apertâ inſtantiâ, quòd utique ſit ille ungendus,
842 qui ob fluxum ſanguinis è naribus verſatur in diſcrimine mortis. Ex his patet reſolutio ad hunc

Caſum Noviſſimum.

PRidie, quàm nuper ego è pago meo egrederer, fui vocatus ad puerperam, jam triduo conflictantem cum parturitione. Advolo actutum, & ex obſtetricibus intelligo, verſari ob tantos, támque diuturnos dolores, & partûs difficultatem in extremo diſcrimine; quare impertitâ ipſi abſolutione, ungo illam extremè, licèt non animadverterem, aut intelligerem, eam laborare ullo morbo. Quæro, an rectè fecerim, necne?

843 Ipſo feſto S. Bartholomæi Apoſtoli *Anni 1663.* quo commentabar hanc ipſiſſimam materiam, me convenit notæ probitatis, ac ſedulitatis Sacerdos, Cooperator Parochi in pago celebri, atque ea, quæ hîc Legis, mi Lector, narravit de ſe ipſo; cui mox reſpondi, rectè feciſſe. 1. Propter generalem rationem hîc allatam, & probatam. 2. Ob ſpecialem autoritatem Vivaldi *in Candel. de Sacram. Unct. extr.* §. *De ſuſcipientib. num.* 3. ubi non modò teſtatur, ſe vidiſſe ita practicari, ſed etiam addit, ſe ipſummet id facturum, ſi offerretur occaſio.
844 Loquitur autem de puerpera, in qua non apparet alius morbus. Ita etiam ſentiunt clarè Filliuc *Tract. 3. num. 104.* Regin. *Lib. 38. num. 68.* Eſcobar *cit. Lib. 22. probl. 32.* addens his Lublinum, Candidum, Trullenck, & Dianam *Part. 10. Tract. 12. Reſol. 9.* & pro contraria ſententia Naldum, & Bonacinam, rectiùs adduxiſſet Dicaſtillum *num. 161.* nam Bonacina *cit. Diſp. 7. punct. 5. num. 6.* plus non dicit, quàm quòd partus præcisè non ſuffi-
845 ciat; quod & ego dico cum omnibus ſupra citatis, omnes enim obſervant, commune periculum ex partu vel primo, vel tertio, aut quarto non ſubminiſtrare ſufficientem cauſam Unctionis. Itaque rect Quintannadvennas *Singul. Tra. 5. Singul. 7.* ſic loquitur: *Ungenda eſt mulier, quando fœtus eſt extrahendus violenter, vel ſi proxima eſt partui, in quo ejus mors ob ſpecialem circumſtantiam timetur, vel ex diſpoſitione parientis, vel quia aliàs experta eſt tali tempore periclitari, vel quòd eo Anno omnes ferè in partu moriantur, quia tunc eſſe periculum, docent Silveſter, Navarrus, Alozer apud Zambranum.* Ita ille. Quòd ſi puerpera laboret fluxu ſanguinis, epilepſiâ, febri &c. periculoſis, tunc adeſt duplex, proindéque indubitata cauſa illam ungendi; vix autem poteſt contingere periculum ex doloribus ſine ægritudine nata ex torſione, & vexatione partium inferiorum, inquit P. Reginaldus *cit. num. 68.*

Quia verò incidit neceſſarius ſermo de par- 846
turientibus, quarum tam multæ vitam amittunt in parturitione, non poſſum non monere hîc miniſtrum Baptiſmi, ut legat, relegátque ea, quæ ex aliis retuli *Tract. 2. num. 57. 247. & 260.* atque *in Append. ad Caſum VIII* illius Tractatûs.

At ſciſcitaberis, quid cenſendum de hoc 857

Caſu Epiſcopi Hiſpani.

QUi Anno 1589. in Vigilia SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi duobus ſuſpendendis, Confeſſione & Euchariſtiâ munitis Extremam Unctionem miniſtravit.

Reſpondet P. Eſcobar *problem 30.* referens hoc factum, multis paradoxum, illum pium, & doctum Epiſcopum hoc ideo feciſſe, quòd illi duo afficerentur ægritudine perículoſâ planè, *quo caſu optimè geſſit juxta probabilem ſententiam.* Ita Eſcobar, & ego. At verò ſi non laboraſſent ullo morbo, non licuiſſet miniſtrare, ut notant omnes, ac docet praxis.

Porrò hic integer verus Caſus dat juſtam occaſionem proponendi hunc quà verum, quà fictum, ſed maximè poſſibilem, & ſimul

Curioſum Caſum Germanicum.

REceptum eſt legibus, & moribus Germa- 848
norum ut voluntarii homicidæ artus, adeóque brachia, femora, tibiæ frangantur rotâ armatâ ferro prominente. Vidi ipſe Annis abhinc ſexaginta quinque duci ad ejuſmodi crurifragium mulierem lacertoſam, quæ aliam in domo propria ex inſidiis trucidaverat, cremio in caput impacto; cui oblata quidem erat mutatio in mitius ſupplicium, ſed voluit in ſe agi Lege, ut expiaret facinus Porrò fit quandoque, ut primò omnium petatur validiſſimo ictu pectus, ſicut factum illi mulieri; quandoque verò: ubi videlicet homicidia ſæpius repetita fuêre, poſtremo loco feriatur pectus. Quin nonnunquam factum, ut, judice vetante, maneret pectus intactum, adeóque poſt omnem carnificinam vita remaneret integra, imponeretur miſerabilis reus, innecteretúrque ſuæ rotæ, quæ in loco publico ſtatutâ non ſolùm diu vixerit poſt illam horrificam confractionem, ſed etiam à ſpectantibus petierit hauſtum frigidæ. Quid ſi & Sacerdotem petiiſſet, à quo extremè ungeretur? An oportuiſſet? An licuiſſet obſecundare?

Et quid ſingulariter agendum fuit in hoc 849
Caſu

Caſu Pariſienſi?

QVando videlicet Annis abhinc admodum quindecim Lutetiæ Pariſiorum quidam publicus graſſator, & latro more Germanico rota fractus. vixit ad triduum implexus rota, accedentibus, eúmque ſolantibus quà ſæcularibus, quà Religioſis, ac nominatim è Societate noſtra, ut mihi recenſuit, qui id temporis vivebat Pariſiis juvenis integerrimus. Quid ſi & ille miſer flagitâſſet ſalutiferam Unctionem?

Reſp. I. Nemo dubitabit, quin teneatur quivis Sacerdos, deficientibus Ordinariis Curatoribus animarum, accurrere ad excipiendam exomologeſin ejuſmodi hominis; ut liquet ex communi Regula de Miniſtris Sacramentorum in extrema neceſſitate. *At quid de Extrema Unctione?*

850 Reſp. II. Talis eſt omnino capax Unctionis Extremæ; etenim PP. Palaus, & Tannerus ſuprà relati, itémque alii *abſolutè* tradunt, hujus Sacramenti capaces eſſe omnes, quibus mors imminet ex vulnere; imminet autem illis miſeris mors non ex uno, ſed ex pluribus vulneribus. Imò cenſeo, non poſſe ipſi negari hoc cœleſte antidotum. 1. Quia nulla lex poſitiva id vetat. 2. Quia nullo modo repugnat reverentiæ hujus Sacramenti, cùm nullus planè locus ſit determinatus pro illo. 3. Quia magiſtratus ſæcularis non habet jus prohibendi, cùm ſit actio merè ſpiritualis, nihil præjudicans rectæ politiæ. 4. Quia DD. loquentes de iis, quibus petentibus oportet ſubvenire his ſpiritualibus ſuppetiis, loquuntur generaliſſimè de omni infirmo, conſtituto in mortis periculo, excipientes ſolos excommunicatos &c.

851 Rurſum percontaberis, quid faciendum fuerit capulari ſeni? de quo hic

Caſus Bavaricus.

VIdi abhinc Annos 28. in VVeilhaim oppido quodam Bavariæ ſenecionem, cui credebatur affirmanti, ſe numerare ætatis Annos centum & octo; fuit aliquamdiu pòſt extinctus ſolo ſenio, ſine indicio ullius morbi. An potuit extremè ungi?

852 Reſp. Potuit, debuitque ille, quem, ut narro, vidi, & allocutus ſum ipſe. 1. Quia Concil. Mediolan. 4. ſuperiùs citatum expreſſè ſtatuit, ut ſenio confectis præbeatur hoc Sacramentum, *licèt non ſint ægroti*, & Armilla *verb. Unctio n. 6.* ſic loquitur: *His, qui præ ſenio deficiunt ſine actuali infirmitate, Unctio datur*; & ita loquitur Cardinalis Toletus *loc. cit. num. 12.* quia ſenectus ipſa eſt morbus, ut ad propoſitum loquuntur multi ex ſuperiùs citatis, nominatim Dicaſtillo *num. 162.* Quia verò phthiſici extinguuntur propè, ut ſenes, noto hîc ex P. Quintannadvenna *loc. cit. num. 1.* eſſe hoc Sacramentum conferendum in phthiſi confirmata cum probabili dubio, an hodie, aut cras, vel brevi accidat mors; & cùm difficilis eſt reſpiratio, & periculum ſuffocationis inſperatæ. Nec neganda unctio illi, qui eſt in periculo mortis præciſè ideo, quòd dubitetur, an poſſit ſiſti ſanguis, quo manat per nares. Hunc Caſum prætereunt cæteri, ego cenſui exprimendum, ideóque expreſſi ſuperiùs. Idem dic de illo, cui carnifex aperuit, juſſu Magiſtratûs, venam non claudendam niſi morte.

Porrò ſicut ſuprà dixi, omnes, qui vulne- 853
re lethali ſauciati ſunt, *licitè* muniri hoc Sacramento, ita & omnes, quos vipera momordit periculoſè, ut obſervant paſſim citati, addentes, jure negari Unctionem præliaturis in periculoſo certamine, vel inituris navigationem plenam diſcriminis; hi enim non ſunt infirmi.

V. Sicut nullus locus præſcriptus eſt pro 854
hoc Sacramento, ita nullus ſitus corporis, adeóque poteſt jacens, ſedens, ſtans recipere. Ioannes Wigers ex communi *in q. 32. S Tho. num. 3.* nominatim hydropicus, phthiſicus, peſte afflatus. Barboſa *De Paroch. cap. 22. num. 20.* *Ergo peſte afflato licebit accedere ædes Parochi, ac petere illic inungi?* Reſp. Licebit, *per ſe loquendo*, teſte eodem Wigers, ſi aliam occaſionem non habeat. P. Leſſius *cap. 4. num. 21.* Sicut & poſſet, deberétque in ipſo templo, ſi in eo quem invaderet infirmitas lethalis.

SECTIO II.

De Miniſtro Extremæ Unctionis.

Caſus mirandus, non imitandus.

SUMMARIUM.

Caſus Sanctæ Hedwigis, petentis Extremam Unctionem ante omnem morbum. 855.

Quis ſit Ordinarius Miniſter Extremæ Unctionis? 857.

An ſufficiat præſumpta licentia Parochi? 859.

Quid ſi hic nec velit adminiſtrare, nec dare licentiam? 860.

An in tali caſu etiam teneatur alienus conferre hoc Sacramentum? 861.

Quid peculiariter liceat, aut non liceat Regularibus circa adminiſtrationem hujus Sacramenti? 862.

Et ſingulariter circa eos, qui negotioli causâ ingreſſi Monaſterium corripiuntur morbo. 863. & 865.

Et

Et circa externos obeuntes Exercitia Spiritualia 864.

Et circa eoſdem externos neglectos à Parochis. 867.

Proponuntur tredecim Aphoriſmi pro Parochis in ordine ad Extremam Unctionem. 870. & ſeqq.

Oportet eſſe potiùs praproperum, quàm nimis tardum. 871.

Parochus non tenebatur acquieſcere petitioni S. Hedwigis ſuprà 855. relata 873.

Peccant mortaliter ungentes ad initium cujusque morbi. 874.

Delinquit & is, qui è contra differt uſque ad extremum articulum. 875.

Caſus petentis ob metum apoplexia ungi in morbo non lethali. Ibid.

Quid agendum dubitanti, an adhuc vivat infirmus? 876.

Et quando eſt periculum, ne ager extinguatur ante Unctionem omnium ſenſuum. 877.

An tunc duo Sacerdotes ſint adhibendi? Ibid.

Caſus Ruperti Imperatoris differentis ex falſa opinione Extremam Unctionem. 881.

Caſus alterius, itidem rati, perceptione hujus Sacramenti accelerari mortem. 883.

Parochus ne ſit nimiùm ſcrupuloſus in iteratione hujus Sacramenti 886.

Quomodo Authores loquantur de iteratione permiſſa, aut vetita 887. & ſeqq.

Caſus mulieris perſæpe in diverſis morbis uncta, & idcirco deniquè paſſe difficultatem. 891.

Caſus femina ebria, & uncta. 892.

Caſus uncti in deliquio extra omnem morbum, & dubitantis, an illa unctio valuerit, cùm non petierit. 894.

Caſus paradigmaticus mulieris. 896.

Deſcribitur perutilis doctrina ex manuali Paſtorum. 898.

Monitio peculiaris pro Parochis Diœceſis Conſtantienſis. 899

Parochus, per ſe loquendo, tenetur ſub mortali miniſtrare hoc Sacramentum petenti. 901.

Imò etiam quilibet alius Sacerdos. Ibid.

Singulariter tempore peſtis incumbit Parocho illa obligatio. 902.

Quæ cautela adhibenda Parocho, ne contrahat peſtem. Ibid.

Archidux Leopoldus Guilielmus piè amulatus Extremam Unctionem. 904.

855 *PRiuſquam S. Hedwigis Duciſſa Polonia ullo morbo tentaretur, cognito tamen divinitus, & morbum, & mortem imminere, petiit ungi extremè. Objicienti verò Adelheidi:* Domina, cur Extremam Unctionem petendo noſtros affligis animos, cùm ſis incolumis? Nec enim hoc Sacramentum miniſtrari ſolet, niſi ubi de ægroti periculo metus eſt. *Cui illa reſpondit:* Scio, ita eſſe, ut dicis, ſed eſt tamen, quod hic advertere te oporteat; cùm enim Extremæ Unctionis Sacramento homo moriturus tanquam armis ſpiritualibus contra ſpirituales nequitias muniatur, ejuſmodi præſidium cum ſumma devotione accipiendum eſt. Ego autem etſi incolumis adhuc ſum, tamen mox ſecùs habitura ſum; vereórque, ne increſcente morbi dolore auxilium nõ cum tanto poſſim devotionis fervore percipere, quanto par eſt animam ad Dominum properantem. *Ita ergo ſatiſfactum eſt ejus deſiderio, & oleo ſancto uncta eſt. Nec diu pòſt in morbum incidit, nec Sacramentum hoc denuo percipere voluit. Sed hoc tamen, quod hic diximus admirandum potiùs eſt, quàm imitandum; cui Spiritus Domini per revelationem tribuit efficaciam, & in quo, ut piè creditur, ſancta devotio diſpenſavit.*

Quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur, teſte Apoſtolo *1. Corinth. 4.* 856
Cùm ergo Curatores animarum ſint diſpenſatores myſteriorum Dei, oportet, eſſe fideles, atque adeò diſpicere, utrùm hic & tunc ſit ungendus is, qui per ſe, ſuóſve id petit; ac ſingulariter, utrùm adſit infirmitas, de qua ſuperiùs, item ſingulariſſimè, utrùm iterandum ſit hoc Sacramentum. Occaſionem diſſerendi de utroque ſubminiſtrat hic Caſus *mirandus potiùs, quàm imitandus*, ſicut expreſſiſſimè loquitur ſive Laurentius Surius *Tom. 5. ad 15. Octob. cap. 8.* vitæ illius ſanctiſſimæ Duciſſæ: ſive Engelbertus, Monachus Ciſtertienſis: ſive quis alius; deſcripſi ego immediatè ex ipſomet Surio.

Quæritur igitur I. *Quiſnam ſit ordinarius Miniſter Extrema Unctionis?* 857

Reſp. I. *Proprii hujus Sacramenti miniſtri ſunt Eccleſia Preſbyteri.* Ita loquitur Trident Concil, *Seſſ. 14. c. 3. De Extr. Unct.* Ut proinde non ſit ullo modo audiendus Thomas Waldenſis apud Leſſium *De Extr. Unct. c. 5. n. 8.* ratus, etiam laicum *licitè*, ac *validè* miniſtrare hoc Sacramentum, ſi abſit omnis Sacerdos. Rectiùs diceres cum D. Reding *loc. cit. a. 5. Controv. 1.* etiam à degradato Sacerdote *validè* adminiſtrari hoc Sacramentum.

II. Non tamen eſt cuivis Preſbytero fas, *per ſe loquendo*, id adminiſtrare, ſed ſolius eſt Parochi. Ita omnes; etenim adminiſtrare Sacramentum eſt primarius actus Paſtoris, qui ex officio paſcit oves ſibi commiſſas. Unde *Clem. de privil.* excommunicantur Religioſi id facientes ſine facultate Parochi, ut paulò pòſt videbimus; at non excommunicantur alii Sacerdotes ſe ingerentes præter jus, & fas. P. Leſſius *loc. cit. n. 19.* quia lex pœnalis non eſt à perſona ad perſonam extendenda, etſi diſſentit Cardin. Toletus *Lib. 7. c. 2. Extr. Unct.* 858

III. Peccant tamen mortaliter etiam ſæculares Sacerdotes ſe, invito proprio Parocho, intru- 859

intru-

intrudentes (ſæpius, non ſi ſemel, aut iterum, inquit P. Tambur. *c. 3.* §. 1.) in hoc officium; at verò non peccant, ſi miniſtrent ex rationabiliter præſumpta licentia Parochi. Barboſa *De Paroch. cap. 22. num. 2.* Palaus *Tract. 26. p. 7. num. 4.* adferens hanc generalem doctrinam quòd *actiones, quæ non ut validè, ſed ut licitè fiant, expoſtulant conſenſum, ſi hic & nunc probabiliter præſumatur, licitè fiunt jure ſic diſponente.*

860 *Sed Parochus nec vult adminiſtrare, nec permittere, ut alius adminiſtret.* Reſp. Si abſque juſta cauſa ita ſe gerat, inprimis cadet in illum (Sacerdotali ejus dignitate demptâ) vetus proverbium: *Canis in præſepio.* Deinde hoc in caſu poterit quilibet alius Sacerdos præſtare hoc officium charitatis Chriſtianæ. Hurtadus *diffic. 12.* cum communi contra Toletum *loc. cit.* & alios apud Quintannadvennam mox citandum; etenim eſt tam Pontificis Summi, quàm proprii Epiſcopi voluntas, ut hîc agatur contra irrationabilem voluntatem proprii Curati. Reding *loc. cit. n. 11.*

861 *At tenetúrne alienus in eo caſu id facere?* Reſpondet Quintannadvenn. *Singul. Tract. 5. Singul. 3.* & Palaus *loc. cit.* teneri, citátque Valentiam *Diſp. 8. in. 3. Part. quæſt. 2. p. 11.* Suarium *Diſp. 43. Sect. 2.* Coninck, Laymannum, Bonacinam. *Sed ille alienus onerabit ſe odio Parochi.* Ego *in Alphab. Commun. Caſ. XXI. num. 380.* ad prorſus ſimilem Caſum de Viatico, propoſitum mihi reſpondi, & probavi, hoc odium communiter non præbere ſufficientem excuſationem. Vide infrà *n. 901.*

862 Quæres II. *Quid peculiariter liceat, aut non liceat Religioſis in hoc miniſterio?*

Reſp. I. Nec peccant, nec excommunicationem, de qua paulò antè, incurrunt, quando ſæcularibus, qui eorum familiares ſunt, miniſtrant hoc Sacramentum; etenim varii Pontifices id ipſis permiſerunt. Vide P. Suarez *Tom. 4. De Relig. Tract. 10. Lib. 9. cap. 4. num. 10.* P. Pellizarium *in Manuali Regul. Tract. 8. cap. 3. Sect. 4.* & maximè Auguſtinum à Virgine Maria *De Privil. Religioſ. Verb. Familiares.* Nomine *Familiarium* verò intelliguntur hîc omnes, & ſoli, qui actu inſerviunt Religioſis, & intra eorum ſepta, domóſque habitant, ſub eorúmque obedientia vivunt.

863 Ita docent paſſim propter clara verba Concil. Trident. *Seſſ. 24. De Reform. cap. 11.* illi quos citavi *in Theolog. Iuridico-Moral. c. 42. n. 171.* ubi tamen addidi, ſi quis è familiaribus non habitantibus in aliquo Collegio, Monaſterio &c. corriperetur in ipſo Collegio lethali ægritudine, fore licitum, extremè illum ungere. Lege citatum Auguſtinum, experies verba Pontificum valde illimitatè loquentium pro Regularibus; ſicut & Aſcanius Tambur. *De jure Abbat. Tom. 2. Diſputat. 7. quæſ. 3.* probat, Religioſos poſſe, ſuis ſervitoribus, etſi habitantibus extra ſepta Monaſterii, miniſtrare ultima Sacramenta, poſſe inquam, in foro conſcientiæ, quamdiu non ſe opponunt DD. Parochi. Verùm noſtra Societas non utitur hoc Privilegio, quia cavet offendere eos, quibus ſervire ſtudet.

864 *II. Poſſunt noſtri iis, qui intra ſepta domorum, ſeu Collegiorum infirmati fuerint, Extremam Unctionem Apoſtolicâ autoritate libere, & licitè, Parochialis Preſbyteri, vel alterius cujuſcunque Epiſcopi, vel Superioris licentiâ, vel aſſenſu nullatenus requiſito, miniſtrare.* Ita loquitur Compendium noſtrorum Privil. *Verb. Extrem. Unct.* Atque adeò ſi quis in noſtris Collegiis vacans (ut faciunt ſat multi à Clero hujus urbis, ipſique etiam DD. Canonici Cathedrales) octiduanis Exercitiis Spiritualibus noſtri S. Fundatoris, tantopere commendatis à Sede Apoſtolica, & ab Alexand. VII. Anno 1657. locupletatis Indulgentiâ Plenariâ (quam lucrandi conditiones quinque explico *in Quinario Tract. 4. Part. 2. cap. 32. num. 605.* præmiſſo *num. 604.* Brevi Alexand. VII.) corriperetur morbo lethali, poſſet abſque omni dubitatione muniri à noſtris Sacro Viatico, ſacráque Unctione, & ſine ulteriore interrogatione tumulari in noſtra Eccleſia. Lege Tambur. 865 *loc. cit.* Pellizar. *loc. cit. num. 326.* atque Suarez *loc. cit. num. 16.* Notat tamen Pellizarius *loc. cit. num. 329.* ſi quis negotioli cauſâ veniens ad aliquod Monaſterium obrueretur morbo lethali, non fore (niſi eſſet periculum in mora) licitum Religioſis impertiri ipſi Unctionem, ſed vocandum fore Parochum, quia talis non poteſt ullo modo nominari domeſticus. Verum P. Quintannadvennas *loc. cit. Singul. 4. num. 5.* non admittit hanc reſtrictionem; ego nego conſequentiam.

866 III. Licèt Societas noſtra non ſoleat largiri extrema Sacramenta ſtudioſis habitantibus in Seminariis, Collegiis, Convictibus etiam contiguis Collegio, eſto, illi Convictores ſubſint noſtræ obedientiæ; qua de re ex inſtituto diſputat contra Quintannadvenn. Cardinalis de Lugo *in Reſponſ. Moralib. Lib. 4. dub. 33.* ſicut & de Viatico; poſſunt tamen alii Religioſi, quando tales habent alumnos, ſeu Convictores. Pellizar. *loc. cit. num. 328.* ob Privilegium Martini V. qui Pellizarius *num. 332.* deſcribit Privilegium conceſſum Theatinis, quo permittitur ipſis, ut hoc & Euchariſtiæ Sacramento liberrimè muniant mercenarios, & operarios ægrotantes in eorum domibus.

867 IV. In eodem Theatinorum Privilegio, conceſſo à B. Pio V. fit iiſdem Theatinis (& conſequenter participantibus in eorum Privilegiis) poteſtas, irrequiſito conſenſu cujuſcunque, eadem Sacramenta miniſtrandi cuicunque etiam extra monaſteria decumbenti periculoſè, ſi non adſit, qui fungatur illo miniſterio; quamvis Lezana apud eundem Pellizar. *n. 33.* referat ex Leone X. ſtrictiorem licentiam. Vide infrà *n. 901.*

V. Poſ-

Digitized by Google

868 V. Poſſunt Religioſi per Bullam Urbani III. oleum infirmorum accipere à quocunque Epiſcopo, ſicuti etiam ex jure communi poſſunt tunc, cùm Sedes vacat. Pellizar. *ibid. num.* 334.

869 Dices: *Tradidiſti in tuo Alphab. Communicantium complures Regulas, ſeu Aphoriſmos pro Parochis, miniſtraturis Divinum Viaticum, ſicuti in Alphab. Baptizantium pro iiſdem tincturis Baptiſmo morituri entem, collige etiam nonnullos in faſciculum pro adminiſtratione ſacræ Unctionis, ut eorum memores Curatores animarum, Chriſti pretioſo ſanguine redemptarum, ſeſe, ut decet, fideles diſpenſatores myſteriorum Divinorum gerant in articulo ſententiæ irrevocabilis, ne fortaſſe aliquando percellantur illo fulmineo tonitru:* Sanguinem autem ejus de manu tua requiram. *Ezech.* 33. *v.* 8.

Reſp. Parebo lubens volens huic honeſtiſſimæ petitioni. Sit ergo

870 Aphoriſmus I. Obſervanda eſt Regula ſexta, quam *in cit. Alphab. Communic. n.* 414. tradidi de acceleratione, imò feſtinatione, imò curſu etiam per publicam plateam, quando certum periculum eſt in mora.

871 Aphoriſmus II. *Quanquam nimia facilitas, & feſtinatio in hoc Sacramento conferendo non eſt probanda, multò tamen magis fugiendum eſt oppoſitum extremum, ut ſcilicet, cùm de periculo mortis timetur, non ſtatim detur hoc Sacramentum, aut diutius expectetur, nam in multis videmus (nec id rarò) propter dilationem vel non integrè potuiſſe conferri Sacramentum, vel alienatis omnino mente, & extra omnem ſenſum fuiſſe adminiſtratum. Ubi dubium non eſt, multum deperire infirmis.* Hæc omnia verba deſcripſi ex ſapientiſſimo Petro Soto *de Extr. Unct. lect.* 2.

872 Aphoriſmus III. Itaque non ſunt imitandi tres illi Sacerdotes, quorum unus unxit S. Hedvvigem nondum correptam ullo morbo, alter initio cuiuſque morbi infirmum ungebat, ut ſe ab hac cura expediret, ut refert Quintanadvenn. *Singul. tr.* 5. *Singul.* 7. tertius differebat, donec infirmus vel eſſet deſtitutus omnibus ſenſibus, vel certè eſſet ejus ſalus omnino deſperata.

873 Nam *primus* non tenebatur credere, illam, quamvis ſanctitate, & prodigijs illuſtriſſimam Duciſſam, à Spiritu ſancto inſtigari ad petendum quidquam repugnans Divinis literis, ſenſuíque totius Chriſtianitatis potuit tamen prudenter id ipſum credere, cùm præſertim nondum eſſet tam clarè, quàm poſtea à Concilio Florentino, definitum ab Eccleſia, hoc Sacramentum non eſſe conferendum, niſi actu infirmis. Vide, quod in calce totius huius Alphabeti dicam de S. Malachia, & mox de Petro Vellio.

874 *Alter* ſecundùm omnes deliquit mortaliter, quia egit contra expreſſam prohibitionem Concil. Florent. relatam ſuprà *num.* 834. & expoſuit Sacramentum periculo nullitatis, ſiquidem ex multorum ſententia *invalidè* confertur, ſi conferatur illi, qui nec putatur exiſtere in periculo mortis, nec re ipſâ exiſtit, eſto ſit infirmus; ſecùs, ſi probabiliter putaretur exiſtere, eſto falsò; aut ſi ungeretur in principio morbi ex ſe lethalis, ut fit cum infectis, & afflatis peſte. Imò Diana *Part.* 8. *Tr.* 6. *Reſ.* 45. meritò cum Nicolao Yſamberto contra Palaum *p.* 8. *n.* 15. tenet, quando medicus (idem dic in defectu medici de quovis prudente) propriè dubitat, utrùm morbus vel ſecundùm ſe, vel ſecundùm præſentes circumſtantias ſit periculoſus, necne, ungi poſſe *abſolutè*; hoc ipſo enim, quòd propriè de hoc puncto dubitetur, jam prudenter aliquantùm timetur de morte. Nota mi R. D. Curate hanc doctrinam, liberabit te aliquo ſcrupulo.

APPENDIX DIVINATORIA.

At quid pronuntiabimus de fideliſſimo, chariſſimo amico, & cliente S. Franciſci Xaverii, Petro, inquam, Vellio? Qui, ut vidimus *Tract.* 3. *Caſ. XVIII. num.* 633. *in App. lit. e* valens, nec ullo, ut apparebat, laborans morbo, ſciens autem imminere ſibi ſupremum diem, flagitavit ſe extremè ungi. An dicemus, tam illum, quàm ſacerdotem, qui id officii ipſi præſtitit, deliquiſſe mortaliter *per ſe loquendo*, at ob ignorantiam, bonámque fidem excuſari à peccato formali? Sed ignorantia illa non debet in ſacerdote præſumi, quia & labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam *Malach.* 2. & in tali imperitia culpæ annumeratur *L. Imperitia. ff. De Reg. jur. & ibi not.* & *in cit. Append. lit. g.* noluimus dare, eundem Vellium merè etiam materialem ſuperſtitionem admiſiſſe, dum curavit pro ſe adhuc vivo fieri ſacrum funebre. An abſolvemus omni culpâ? Cur ergo non etiam Sanctam Hedvvigem, de qua ſuperiùs *n.* 872. 2. An denique potiùs dicemus, fuiſſe illi tantæ amaritiei, quam perſenſit Vellius in vino perquam ſincero bibendo, junctam ſtomachi alterationem, quæ aliam, eámque fatalem cauſaverit, paulò pòſt quàm ſe ipſum collocavit in feretrum, proinde jam tunc, cùm extremè ungebatur, adfuiſſe morbidam qualitatem, mortis prodromam? Eſt ſanè hoc non improbabile, ideóque potiùs tenendum, quàm ut vel peccati damnemus parochum, támque pium parochianum, vel fingamus, Chriſtum diſpenſâſſe tunc in inſtitutione huius Sacramenti, quaſi voluerit cum ſingulariſſima gratia conferri nullo modo ægrotanti, ſeu infirmo, & quid ſi hoc ipſum divinemus de ſancta Hedvvige? a b

Quid rurſum de hoc

Belgico Heroe?

Maximiliano, inquam, Egmundio Buræ Comite, quem virum bello, pacéque clarum ex legatione contractâ ægritudine, poſtquam à Medico, Andrea Veſalio, horam mortis, c

ac pene momentum, quæ ejus erat peritia, intellexiſſet, nihil turbatum, inſigni convivium apparatu juſſiſſe inſtrui, omníque gazâ, ac ſupellectile argenteâ expoſitâ, amicos vocâſſe, una cum eis aſſediſſe menſæ, ac ſubinde liberalitate inter vivos rarâ, in præſentes partitum eſſe, nihilque commoto ad lethum inſtans animo, tanquam ad meliores divitias, amicóſque tranſituro dixiſſe vale, indéque in lecto, velut ad quietem compoſitum exſpectâſſe mortem. Quâ eodem, quod Veſalius ſignaverat, momento occubuit ſacris antè Chriſtiano more piè ad hunc agonem munitus.

d Hiſce verbis hanc ad lethum præparationem memoriæ prodidit P. Jacobus Maſenius *in Anima Hiſtoriæ lib. 7. num. 56.* ad Annum Chriſti 1548. Poteſt autem haud immeritò quæri, an & quando fuerit extremè ungendus iſte Heros, cùm ex hîc recenſitis veroſimillimum ſit, neminem præter Medicum, exiſtimâſſe adeſſe præſens mortis periculum?

e Reſpondeo in primis, ſi petiit, parochum fuiſſe obligatum adminiſtrare ipſi hoc Sacramentum, etenim judicium tam excellentis Medici, quàm fuit Veſalius, gignebat probabilem valde opinionem de morbi ſui qualitate mortiferâ. Probabilis autem opinio de ejuſmodi qualitate morbi jam præſentis, tribuit parochiano jus ad exigendum illud ſacrum Miniſterium. 2. Potuit differri uſque ad quinque, vel ſex horas proximè antecedentes articulum temporis deſignatum à Medico, niſi citiùs ſuperveniſſet ſymptoma jam jam erepturum ex omnium judicio vitam. Etenim extra hoc ſymptoma erat valde probabile, quòd non extingueretur octo, vel decem horis ante momentum prædictum à tali Medico. Si autem alius è vulgo Medicorum prompſiſſet ejuſmodi vaticinium, non facilè damnâſſem de mortali plebanum, qui repudiato hoc vaticinio diſtuliſſet Extremam Unctionem eò uſque, donec adeſſent certiora ſigna mortis, conſecutura illam infirmitatem

875 *Tertius* denique ex illis tribus, de quibus *num. 872.* damnatur apertè illâ decretoriâ ſententiâ Catechiſmi Romani *part. 2. de Unct. c. 6.* editi autoritate B. Pii V. *Graviſſimè peccant*, inquit Catechiſmus, *qui illud tempus ægroti ungendi obſervare ſolent, cùm jam omni ſalutis ſpe amiſſa, vitâ & ſenſibus carere incipiunt.*

At quid cenſendum de hoc ad me perſcripto

Facto viri Religioſi perquam docti?

QUi non multis abhinc Annis in infirmitate minimè ex ſe lethali conſtitutus, timens autem prudenter, ne apoplexia tactus vel privaretur beneficio Extremæ Unctionis, vel nequiret hanc, niſi jam captus mente, recipere petiit, atque impetravit à ſuo Superiore, viro prudentiâ claro. An *licitè*, & *validè* fuit collata?

Et novi celebrem libris ſcriptis Religioſum, quem duo Medici DD. monuerant, attenderet ſibi, eſſe enim verendum, ne ſubitò extingueretur, ſicut & re ipſâ illum inter cœnandum obruit apoplexia, atque poſt tempus non longum, ſufficiens tamen ad gratiam hujus Sacramenti potiendam, ipſa mors: *Anne huic licuiſſet petere, acciperéque id Divinum munus, priuſquam notaret periculum vicinæ apoplexiæ?*

Reſp. ad *primum*, non poſſe à me non probari, ſeu petitionem infirmi, ſeu conceſſionem Superioris, cùm ſit mihi utriuſque ſapientia perſpecta, faciátque hæc ratio, quòd haud dubiè fuerit jam in corpore illius infirmi diſpoſitio ad illud ſupremum malum, adeóque dici potuerit jam cœpiſſe. Quæ eadem cauſa militabat in eo, de quo ſum locutus *ſecundo* loco, erat enim admodum infirmus, ſæpe aut lecto affixus, aut baculo niti coactus. Si tamen nulla planè ægritudo appareret jam in eo, quem Medici ex ſola phyſiognomia judicarent obnoxium apoplexiæ, non auderem ipſi, tametſi poſtulanti, gratificari in impertiendo hoc infirmorum ſeu alexipharmaco, ſeu antidoto, propter rationem productam.

Aphoriſmus IV. Ergo Parochus memor pul- 876
cherrimæ rationis, quam pro ſuo facto (mirando, non imitando) attulit S. Hedvvigis, non ſolùm eam ipſam rationem recitet ægris, præſertim matronis, ſed etiam conetur ſuaviter, & potenter inducere, ut dum ſunt adhuc integris ſenſibus, arripiant hæc arma ſpiritualia. Valde mihi probatur praxis DD. Parochorum Conſtantienſium, ſolitorum (ſi fieri queat abſque moleſtia infirmi) ſtatim poſt præbitum Viaticum etiam miniſtrare hoc Sacramentum, ut ſcilicet æger, qui ſimul paſtus, & unctus eſt, reſiſtat tantò potentiùs illi, qui tunc vel maximè circuit, quærens, quem devoret. Verè omnes, qui hanc materiam tangunt, monent eſſe cavendū, ne expectetur, donec infirmus deficiat ſenſibus exterioribus & interioribus. Quamvis utique ſit ſatius, dare ſerò, quàm nunquam. *At quid ſi dubitem, utrùm adhuc vivat, an jam vixerit?* Reſp. Sequere exemplum illius Venerabilis Domini Doctoris, qui primùm hoc Anno juſſit talem inungi, ſed ſub conditione. *At cœptâ unctione clarè video, jam expiraſſe?* Ergo deſiſte. Bonac. *p. 5. n. 8.* & ſpera, prioris ſenſûs Unctionem profuiſſe ipſi ad vitam æternam, modò tunc fuerit adhuc in vivis.

Aphoriſmus V. Cùm vides agentem ani- 877
mam, unge ſubitò unum oculum, unam manum, nares, unam aurem, os, dicendo interea: *per has Unctiones indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti per viſum, auditum, guſtum, odoratum, & tactum.* Pono ſignanter verbum *deliquiſti* ante expreſſionem ſenſuum, quia ſi emigraret anima, priuſquam dixiſſes: *deliquiſti*, fruſtra eſſet tuus labor. Ut ergo nōn ſit inanis in Do-

Digitized by Google

Domino, præmitte: *Deliquiſti*, eſt enim probabiliſſimum, nominationem ſenſuum non eſſe de eſſentia. Suprà *num. 800.* Si formâ hoc modo abſolutâ vivit adhuc infirmus, repete totam ab initio, ut aptè ſuppleas omiſſa; ſed non opus eſt repetere Unctionem, cùm ſufficiat, ſi tota forma pronuntietur *immediatè* ante totam Unctionem. *Quid ſi in tanta neceſſitate unus Sacerdos ungat duo, vel tria organa, alter alia duo, vel tria?* Reſp. *Validè* quidem unget, ſicuti habet communis DD. relatorum ab Eſcobar *problem. 41.* imò & in hoc caſu *licitè* Suarez *Tom. 4. in 3. Part. d. 43. Sect. 2. num. 7.* ac Barboſa *De Parocho c. 22. num. 9.* ſed prior modus eſt expeditior.

878 At quid fuit agendum cum illo? de quo P. Thomas Tambur. *De Sacramentis in genere Tr. 1. c. 1. §. 1. n. 5.* refert hunc.

Caſum Rariſſimum?

Videlicet de infirmo, cui dum Parochus primam Unctionem adhibuiſſet, formáque partem illi unctioni reſpondentem, ut fit, ſed non totam protuliſſet, viſus eſt certò infirmus animam exhalâſſe. Unde omnino deſtitit ab incepto miniſterio Sacerdos, ut deſiſtere certè debuit: ſed quia poſt integram circiter horam infirmus oculos aperuit, vivuſque manifeſtè apparuit, idem Sacerdos formam iterum adhibuit, quam integram non protulerat, nō repetitâ tamen unctione. Quæſivit ergo ex me, an ritè ſe geſſerit?

Ita P. Tamburinus. Reſpondens, oportuiſſe repetere primam unctionem, eò quòd interceſſerit integræ horæ ſpatium inter materiam *proximam*, atque formam. Quæ reſolutio mihi probatur, ſicut vice verſâ fuiſſem improbaturus eundem Sacerdotem, ſi repetitâ primâ illâ unctione, non pronuntiâſſet rurſum omnia verba ei correſpondentia, ſed tantùm illa, quæ omiſerat ob ſupervenientem, ut rebatur, mortem infirmi, propter rationem allatam *Tract. 1. n. 37. & 41.* Subdit autem idem Doctor *n. 7.* ſi poſt duas Unctiones integras, additis integre formis, contingeret ejuſmodi paroxiſmus, taliſque reditus ad vitam apparenter extincti, neceſſariò eſſe repetendas duas illas unctiones, & formas, eò quòd hoc Sacramentum ex communiore ſententia perficiatur ſolùm in ultima unctione, ac proinde nimiùm diſtarent à ſe invicem partes ejuſdem Sacramenti. Probatur mihi & hæc ratio, & concluſio; atque huic Caſui rariſſimo ſubjicio ſolutionem.

Alterius ferè æquè rari.

879 *Non memini, me legiſſe* (ſcribit mihi è celeberrima Buxienſi Carthuſia Venerabilis quidam Stylites Myſticus, ſicùt hujus Sanctiſſimi Inſtituti ſectatores ingenioſè ſimul, & eruditè nuncupat P. Theophilus Raynaudus) *in R V. Tractatu de Extrema Unctione hunc Caſum. Cùm infirmus quiſpiam, in quo præter halitum nullum vitæ indicium ſentiebatur, cœpit inungi, dum autem inungitur totaliter reſtituitur, eò quòd ſolummodo deliquium ſit paſſus (vel paroxiſmum morbi caduci, cujus tamen effectûs nullum certum, ut aliàs, ſit viſum indicium, e. g. per ſpumam) pono autem, ut vidi olim factum, jam inceptas eſſe, non autem completas unctiones, dum æger reſtituitur. Num ceſſandum, & reſtantes unctiones omittendæ?*

Reſpondi, videri, fuiſſe ceſſandum, eò quòd defuerit in illo infirmo intentio ſuſcipiendi tunc Sacramenti; nec enim quiſquam laborantiû epilepſiâ vult aut poteſt *licitè* velle, ut, quoties labitur exanimis, impertiatur ſibi ipſi illud Sacramentum, cùm & non ſit in eodem morbo toties repetendum, & non ſemper adſit debita diſpoſitio. Si tamen reverà nunquam fuiſſet ad tantam debilitatem redactus, quanta exprimitur in ſpecie facti, tum licuiſſet, aut fortè etiam oportuiſſet pergere, videtur namque eſſe voluntas omnium horum miſerabilium hominum, ut extremè ungantur, ſi adducuntur ad aliquem tam extraordinariè gravem paroxiſmum, ut prudenter cenſeatur vitam ercpturus; poteſt autem utique prudenter id cenſeri etiam in ea infirmitate quam à parte rei non ſequetur mors; etenim prudens judicium non eſt metiendum ex eventu, ſed ex circumſtantiis incurrentibus in ſenſus, inque memoriam præteritorum.

--- Pereat ſucceſſibus opto,
Quiſquis ab eventu facta notanda putat.

Aphoriſmus VI. Quando Curatus advertit, aliquem periculoſè decumbentem tergiverſari circa receptionem Unctionis, dextre conetur expiſcari, an illa tergiverſatio non proveniat ex illis falſis imaginationibus, de quibus ſuprà *num. 813. & ſeqq.* memor ſequentis. 880

Caſûs Imperatorii.

Noſtro tempore Rex Romanorum Rupertus hauſerat diabolicum hunc inſtinctum, quo quidam ſuperſtitioſiſſimè credunt, ſe poſt ſanctæ Unctionis ſumptionem omnino migrare oportere. Diſtulit ergo dictus Princeps, in lethali infirmitate, recipere hoc Sacramentum, propter mortis periculum. Obtinuerunt tamen tandem doctores Divini, & humani juris, Divinâ arridente gratiâ, ne differret tam ſalubre animæ, & corporis antidotum. Cúmque præſentibus literatis Cleri- 881

cis, inungeretur Princeps, & orationes quæ de ſanitate ſonant utriuſque hominis, multiplicarentur, *ait ſatis alacriter*: Revera ſi hoc Sacramentum ſciviſſem, tantum pro utroque valuiſſe homine, quemadmodum jam audio, dudum ipſum devotiſſimè poſtulâſſem; *Fuit enim literatus ſatis, qui convaleſcens poſtmodum multis Annis Romanum gubernabat ſanctè Imperium.*

882 Contraxi, ſervatâ tamen integre phraſi autoris, quæ Joannes Nider celebris Sueviæ Doctor mandavit poſteritati in ſuo Formicario, ſeu pereruditio *Tractatu de Formicis l. 4. c. 11.* tantò dignior fide, quòd ſcripſerit de re, quæ contigit ejus ætate. Cùm ergo vel hinc conſtet, inſediſſe jam abhinc plus Annis ducentis, & ex dictis ſuprà pateat, nunc quoque inſidere hominibus hanc veſanam opinionem, quòd Extrema Unctio adferat extremum malum, ſcilicet mortem, meritò inter Aphoriſmos refero hunc caſum, confirmans illum alio

Caſu Concionatorio.

883 N*Icolaus de Niſa Ordinis Minorum* in Gemma Prædicantium *ſcribit, quendam magni cæteroqui meriti interrogatum, an vellet ungi? Renuiſſe.* Nolite, *inquiebat*, obſecro, quia omnes, qui unguntur, moriuntur: *atque in his verbis obiiſſe. Cùm verò linteaminibus involveretur, aperuiſſe oculos, & hæc dixiſſe*: quia extremæ Unctionis Sacramentum abhorrui, centum annis in purgatorio; juſto Dei judicio, torquebor; ſi unctus fuiſſem, de ægritudine convaluiſſem; ſacra enim Unctio non eſt acceleratio mortis, ſed dilatio, *atque his dictis iterum expirâſſe.*

884 Si legiſti, mi D. Curate, libellum, cui ſine nomine Autoris fuit in Monacenſi Editione titulus: *Manuale Parochorum*, utique advertiſti, auctorem illius fuiſſe virum gravem, acriſque judicii, alienum à fabulis, perquam ſtudioſum ſolidæ veritatis: ille tamen idem autor (P. Carolus Muſſart noſter, ut indicant poſtremæ editiones) verbis hic repræſentatis repræſentat ſuo Lectori, atque adeò omnibus planè Parochis hunc Caſum velut credibiliſſimum, & meritò à me dictum *Concionatorium*; erit enim vicem duarum, trium longarum de hoc argumento concionum ſi recenſeatur cum emphaſi, & addito exemplo Ruperti Imperatoris.

885 Confirmat verò hic Concionatorius Caſus tres doctrinas morales. *Primam* de ſtudio, quo Curatores animarum allaborare debent, ut cognoſcant, an is, qui identidem petit dilationem, & verè procraſtinationem Unctionis, non petat ex errore in fide, aut adverſùs rectam rationem. *Secundam* de peccato veniali, quod ſolet jungi negligentibus hoc Sacramentum. *Tertiam* de ſanitate corporis, quam perſæpe confert hæc Unctio.

Aphoriſmus VII. Ne ſit Curatus nimiùm ſcrupuloſus circa iterationem huius Sacramenti. Cùm enim certum ſit ex una parte, per illud non imprimi Characterem, ac proinde eſſe naturâ ſuâ iterabile; ex altera autem parte nulla lex ſcripta determinet, an, & quoties liceat, aut non liceat iterare hoc tam ſalutiferum myſterium, inclinet Curatus potiùs (præſertim quando videt, fore pergratum ægro) in iterationem, quàm omiſſionem iterationis, probè memor tum aureæ ſententiæ ex S. Leone *Cap. Si nulla. diſt. 4. De conſecrat. Non temeritas intervenit præſumptionis, ubi eſt diligentia pietatis.* 886

Tum generalis doctrinæ traditæ à Patre Gaſpare Hurtado, *Difficultate 10.* his verbis: *Etſi hoc Sacramentum nequit validè iterari, eodem periculo mortis perſeverante, tamen, quòties adeſt novum periculum, quamvis infirmitas non ceſſaverit totaliter, toties poteſt noviter conferri, quia Extrema Unctio inſtituta eſt pro infirmo periculoſè laborante, ac proinde, quoties novo laborat periculo, toties iterari poteſt. Ut verò novum adſit periculum, non requiritur majus temporis intervallum, quàm quod requiritur, ut infirmus dicatur prius evaſiſſe periculum, ſeu extra illud fuiſſe.* Ita ille, addente P. Dicaſtillo *dub. 10. num. 166.* duo documenta pro ſequenti Aphoriſmo. 887

Aphoriſmus VIII. Si ægritudo ſuperveniens judicio medicorum ſit aliquid naturâ ſuâ comitans, vel ordinariè conſequens, aut annexum priori ægritudini perſeveranti, licèt ſecundùm definitiones ægritudinum ſpecie diſtinguantur, debent reputari pro una & eâdem; ſi verò cauſa ſuperveniens ipſa per ſe, & independenter à præcedenti tam periculoſa ſit, ut novum cenſeatur periculum ſufficiens, ſe ſolâ ad conferendam Extremam Unctionem petenti, non improbabile mihi videtur, poſſe repeti Sacramentum. *Unde ſi contingat, ægrotum malignis febribus decumbentem periculoſe vulnerari lethaliter ab aliquo, etiamſi ratione prioris ægritudinis ſuſceperit Sacramentum, probabile omnino puto, poſſe iterum licite, validè recipere extremam Unctionem, quia ægritudo ſimpliciter nova conſtituit hominem in novo, & diſtincto agone, nova & diſtincta neceſſitate auxiliorum ſupernaturalium.* Ita ille; exprimente Barboſâ *De Paroch. c. 22. n. 38.* hebdomadarium intervallum ſufficere, ut rurſum quis ungatur, ſi videlicet judicio medici fuit poſt priorem unctionem conſtitutus extra probabile, ſeu propinquum mortis periculum. Sic ille. 888 889

Aphoriſmus IX. *Iis, quibus, cùm adhuc graviter non ægrotarent, adhibita eſt Sacra Unctio, danda eſt hæc iterum, etiamſi in eadem infirmitate perſeverent, cùm ad mortis periculum pervenerint; quia ſi ſtatus ejuſdem infirmitatis mutetur, etiamſi in eadem perſeveret infirmus, ungi iterum poteſt. Sic S. Thom, Silu, Tabiena, alii* 890

apud

apud Bonacinam Part. 9. num. 4. Hæc ſunt verba P. Quintannadv. *Singul. Tract. 5. Singul. 7. num. 6.* Ex quibus petes, reſolutionem duplicis Caſûs, ſcilicet mulieris multùm ſolicitæ, & Anûs ebriæ.

Caſus mulieris multùm ſolicitæ.

891 *MVlier quædam, quoties adverſâ valetudine correpta, toties petiit, & impetravit etiam Extremam Unctionem. Poſt toties repetitam relapſa in alium morbum voluit rurſum. Renuebat Curatus, utpote non advertens mortis diſcrimen; at muliere objiciente dolores, ceſſit ejus petitioni. An rectè?*

Qui ceſſit, & conceſſit, mihi hoc ſcripſit. Certum quidem eſt, miniſtrum Sacramenti debere eſſe judicem in dubio, an ſit miniſtrandum Sacramentum, quia debet reddere Deo rationem de adminiſtratione; poteſt tamen judicium ſuum ſæpe formare ex judicio ægri, præſertim petentis hoc remedium; ſunt enim longè pauciſſimi, qui petant, quando nullum eſt *morale* periculum. Cæterùm ſi, conſideratis omnibus circumſtantiis, principiis, intrinſecis atque extrinſecis judicet, nullum planè eſſe periculum, erit infidelis diſpenſator, ſi diſpenſet, ut patet ex dictis. Ex quibus etiam deducitur reſolutio.

Caſus Anûs ebriæ.

892 *XAntippe nonaginta Annos nata, vino adusto, ſeu ſublimato nimis largiter hauſto uſum linguæ amiſit, viſa ſibi proxima letho. Quare vir ſeniculus accurrit ad ædes Parochi, petit Extremam Unctionem. Accurrens Parochus reperit illam quaſi morti vicinam, & omni ſenſu deſtitutam; ungit tamen eam, quæ unâ, alteráve horâ poſt convaluit; at Parocho non erat nota cauſa infirmitatis. Quæritur jam, an illa vetula fuiſſet capax Extremæ Unctionis ſi poſt illum potum non reconvaluiſſet, & poſtea Parochus cognoviſſet, illum morbum proveniſſe ex crapula?*

893 Hunc Caſum cum hâc quæſtione miſit ad me noſtrorum Diœceſanorum Decanorum unus, magnæ ſuo merito æſtimationis. Ad quæſtionem reſpondeo: Si non reconvaluit, tum vel, poſtquam ad ſe rediit, non notabatur ullum periculum mortis, & tunc locum habet Aphóriſmus præſens; vel notabatur, & tunc præſumendum eſt jam adfuiſſe tunc, cùm ungebatur, adeóque non erat ampliùs ungenda juxta dicta *num. 874. At, erátne repetenda unius ex tribus, de quibus ad me quidam Parochus perſcripſit.*

Hunc Caſum indeciſum?

ANte aliquas hebdomadas me convenit vicinus Parochus, recenſuítque, ſe vocatum ad tres è ſuis parochianis jacentes in deliquio. Accurriſſe, & omnes in illo ipſo ſtatu inunxiſſe. Quibus ad ſe reverſis, negantibúſque, ſe quidquam ſcire de illo impertito ſibi Sacramento, dubitavit 1. Utrùm valuerint omnes Unctiones, cùm fortaſſe unus illorum ægre tulerit, ſe fuiſſe unctum? 2. An, ſi duràſſet ille morbus, debuiſſet iterum inungere? 894

Ad *ſecundam* quæſtionem patet reſponſio ex Aphoriſmo *ſeptimo*. Ad *primam* reſponſio eſt ſatis facilis, ſi revera dubitetur, an unus illorum ægre tulerit, tum quia poteſt tolli illud dubium interrogando ipſum, tum quia in dubio eſt præſumptio, quòd libenter habuerit; nam communiter Catholici habent hanc intentionem, quòd velint rata habere, quæ circa ſe in ejuſmodi articulo fiunt ex bona fide, & ex charitate. Ergo videtur ille Caſus jam ſatis deciſus, quoad hæc tria puncta, ſed quoad *quartum* non eſt tam expedita ſolutio, ſi videlicet, ſicut haud dubiè ſunt nonnulli, revera unus illorum ægre tulit, ſibi fuiſſe impenſum illud ingratum officium; hæc enim illubentia, & improbatio exhibiti officii videtur eſſe claro indicio, quòd priùs habuerit intentionem poſitivam non recipiendi tunc Sacramenti; qua intentione poſitâ ſanè non valuit collatio. Debuit ergo meo judicio neceſſariò interrogari de illa ſua intentione. Si autem, poſtquam domeſticis oſtendit ſe malè contentum, quòd fuerit ſibi miniſtratum Sacramentum, rurſum obmutuit, priuſquam à Parocho interrogaretur de ſenſu illorum verborum, non video, cur repetenda fuerit unctio. 895

Partem dictorum ad hunc Caſum confirmat prudens factum unius magno uſu periti Curionis, quod ego ad inſtructionem *practicam* Iuniorum repræſento verbis alterius Parochi, viri apprimè ſerii, ac ſeduli. Sic ergo ille perſcribit ad me iſtum

Caſum Paradigmaticum.

REtulit mihi quidam optimè notus, & piiſſimus Parochus, ſe non ita pridem vocatum ad Dorotheam magnis doloribus oppreſſam, eámque extremè inunxiſſe, eò quòd interrogata, num hoc Sacramentum deſideraret, & an omnia neceſſaria de hoc Sacramento crederet? annuere videbatur. Poſtero die cùm dolores paululum remitterent, compertum eſt ab amicis, quòd, dum inungebatur, compos rationis non fuerit; interrogata enim, num ſciret, ſe extremè inunctam? reſpondit 896

ſpondit ſe prorſus neſcire. Sub veſperum cùm morbus rurſum ingraveſceret, Parochus eam rurſum inviſurus advenit, & à domeſticis monitus, quòd heri ægrota compos mentis non fuerit, propterea Extremam Unctionem, cùm jam ratione polleat, repetendam eſſe. Sed D. Parocho ex ægrota ſciſcitanti, num, ſi heri mentis compos fuiſſet, Sacramentum hoc Extremæ Unctionis nihilominus poſtulatura fuiſſet, reſpondit, quòd ita, quòd credat omnia de hoc Sacramento neceſſaria, & D. Parochus dixit ſufficere, nec licere pro hac vice repetere hoc Sacramentum.

897 Hunc Caſum jure appello *Paradigmaticum*; poteſt enim nondum uſu peritis eſſe inſtar exemplaris, quod intueantur, & imitentur in ſimilibus eventis; ſingulariter autem imitentur ſedulitatem illius Parochi, viſitantis rurſum veſperi eam, quam manè inunxerat. Sunt enim, pro dolor! nimis multi, qui, ubi quacunque tandem ratione munierunt moribundos, ne ſemel quidem reviſunt, præſertim ſi horæ quadrante, aut dimidiâ horulâ diſtent; cùm tamen ſcriptum ſit: *ubi periculum majus intenditur, ibi procul dubio eſt pleniùs conſulendum cap. 3. De elect in 6.* tantò autem majus periculum intenditur, quantò vicinior eſt mors, quia tunc maximè ſerpens tartareus inſidiatur calcaneo moriturientis. *Geneſ. 3.* Sit igitur

898 Aphoriſmus X. *Eſt pernicioſus error illorum, qui ſe omnem erga infirmos paſtoralis officii partem expleviſſe exiſtimant, quia Sacramenta Pœnitentiæ, Viatici, Extremæ Unctionis adminiſtrârunt. Itaque nihil ultra monent: recepit, inquiunt, ſua Sacramenta, nihil mihi iſthic ſupereſt negotii, præſertim ſi me revocat nemo. Sed agedum, dic quæſo, quid iſti homini proderit accepiſſe gratiam, ſi eam ante mortem perdiderit? Quàm autem ſit hoc facile? Urgent enim tunc graviores aſſultus dæmonum, vis morbi fit acrior, animus fractior; heu! quàm ſæpe, & quàm fœda in ipſo portu naufragia à latentibus ſcopulis, anguſtis faucibus, irruentibus procellis? dum magiſter navis vel abeſt, vel dormit, quaſi jam de re ſua tota ſecurus. Adibis igitur, etiam non vocatus, præſertim ſi cognoveris, à morbo, aut à tentationibus infirmum in præſenti ſalutis diſcrimine verſari.* Hunc Aphoriſ. his verbis ſuggerit P. Carolus Muſlart *in Manuali Parochorum.*

899 Aphoris. XI. Curatus Diœceſeos Conſtantienſis caveat, ne malè intellectis ſuis Conſtitutionibus malè fungatur ſuo officio. Dum enim *Part. 1. Tit. 12. n. 4.* indicant, hoc Sacramentum non eſſe miniſtrandum iis, qui ex improviſa vi morbi ſenſibus carent, ſi *immediatè* præcedenti tempore Paſchali non communicaverunt: & *n. 5.* abſolutè negant, eſſe dandum furioſis; intelligendæ ſunt inprimis de illis ſenſu carentibus, qui ſciuntur tempore Paſchali non communicâſſe nec in propria, nec aliena Eccleſia; nec enim eſt in re tanti momenti procedendum ex ſolis ſuſpicionibus, aut præſumptionibus; nec ulla lex privat hoc Sacramento illos, qui obeunt, etiam abſque juſta cauſa, communionem in aliena Eccleſia; Licèt ergo tales, *per ſe loquendo*, delinquant mortaliter, ut ex communi doceo *in Alpha. Communic.* tamen quia multi revera ignorant, ſe graviter errare, ideo non ſunt privandi hac ſpirituali panopliâ. *Cavendum eſt, ne pœna major ſit, quàm culpa*, inquit Tullius *Lib. 1. De offic.* Deinde 900
furioſos quod attinet, Conſtitutio illa eſt intelligenda de illis ſolis, qui ab infantia fuère continuò furioſi, ſeu amentes, alioquin contradiceret communi ſenſui Doctorum. *Sed jactat perquàm indecorè pedes, manus, & caput?* Ergo vel ligetur. Barboſa *De Parocho c. 22 n. 13.* cum aliis, vel à robuſtis viris coërceatur, ut in ſimili, ſcilicet de Sacro Viatico, dixi *in Alph: Communic. Caſ VIII.* Illic dicta de phreneticis, & energumenis ſunt omnia huc applicanda.

Aphoriſmus XII. Meminerit Parochus, eſſe 901
concordem ſententiam Doctorum, quòd ipſe teneatur, *per ſe loquendo*, moribundum parochianum munire hoc Sacramento confortativo ad ſpem vitæ æternæ, idcirco quòd *tacitè*, atque adeò ex *tacito* pacto ſe ad hoc obligaverit, dum Parochiale munus ſuſcepit; proinde peccat mortaliter, ſi abſque juſta cauſa differat cum periculo probabili, ne infirmus decedat ſine illo. Barboſa *l. c. n. 10.* poſt alios. Imò ſi vel ipſe non poſſit, vel poſſit, at nolit, tenetur quiſque alius Sacerdos ſub mortali ſubire ejus vices, eo caſu, quo æger nullum aliud Sacramentum ſuſcepit, aut ſuſcipere poteſt, quia tunc præſumptio eſt, illum graviter indigere; ſecùs, ſi fuit confeſſus, aut Viatico refectus. Ità Palaus *Punct. 8. n. 6.* poſt Coninck *Diſp. 19. dub. 10.* Laymannum *c. 7. in fin.* Sed de Religioſis Sacerdotibus loquitur mitiùs Privilegium Theatinorum ſuprà *n. 876.* De Parocho addit inſuper D. Reding *a. 5. Controv. 2.* cum aliis, ſi Parochus ſit excommunicatus denuntiatus, vel notorius percuſſor Clerici, peccare miniſtrando hoc Sacramentum non indigenti, ſecùs ſi ſit aliquod dubium, an indigeat.

Aphoriſmus XIII. *Tempore peſtis obligatus eſt* 902
Parochus ſuis ſubditis miniſtrare hoc Sacramentum, ſi periculum vitare poſſit, obligando infirmum, ut in loco puro, & patenti collocetur, tum ſumendo antidota, & præſervativa, tum urgendo infirmum virgulâ aliquâ oblongâ, tum miniſtrando tantùm ea, quæ eſſentialia ſunt, quia, ſecluſo periculo contagionis, nulla adeſt cauſa, quæ ipſum Parochum excuſet. Verùm ſi, tentatis omnibus, periculum morale contagionis vitari non poſſit, quod difficile eſt, cenſeo probabilius cum Suarez De Unction. Diſp. 44. ſect. 3. n. 20. *obligatum Parochum non eſſe, quia eo Sacramento abſolutè infirmus non indiget, quod maximè procedit,*

cedit, ſi alii inde privarentur Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ adminiſtratione, quippe, deficiente Parocho, non facile invenietur, qui illius vices ſuppleat.

Hæc omnia verba deſcripſi ex P. Palao. *loc. cit. n.5.* éſtque totus diſcurſus conſentaneus iis, quæ *in Alphab. Communicantium Caſ. XXI.* tradidi. Nam *n.405.* & *n.406.* oſtendi, eſſe adhibendas cautelas neceſſarias ad vitandam contagionem, niſi fortè Spiritus Sanctus aliud ſuggerat, ſicut illic *n.403. 407. & ſeqq.* probavi illuſtri planè exemplo, & rationibus Theologicis. Deinde *n.412.* nominavi in ſpecie aliquas cautelas adhibendas ad vitandam contagionem, diſcuſſo priùs facto P. Albergotti eas aſpernati. Ibidem *n.433.* explicavi, an, & quatenus ſit fas, ad eandem contagionem vitandam uti virgâ utcunque longâ, eâque illitâ ſacro oleo ungere organa laborantis tetrâ peſti-
903 lentiâ. Sicut & *in Tract. 1. n. 117.* deſcripſi ex Chapeaville ſalubrem monitionem, & in eodem Tract. *n.134.* & *145.* diſſerui de obligatione tunc incumbente Parocho, ac *n.154.* purgo à turpiſſima impietatis nota, quam inurit Patri Suarezio, & conſequenter Illuſtriſſimo Principi Reding hîc *art. 5. Controv. 2.* ſubſcribenti Suarezio, Didacus Nugnus, ſcribenti, Parochum *abſolutè* non teneri tempore peſtis Sacramentum Extremæ Unctionis miniſtrare cum *morali* periculo vitæ, explico enim, quid ſapientiſſimus Suarez intelligat per voculam; *abſolutè.* Ad hæc in eodem Tract. *n.140.* diſſero: An Epiſcopus ipſe teneatur hoc Sacramentum miniſtrare, graſſante peſtilentiâ, atque *n. 149. & ſeqq.* rurſum defendo Patrem Suarez adverſùs ipſi valde infenſum Nugnum, quatenus ipſe P. Suarez ſcribit, Epiſcopum, *per ſe loquendo*, non delinquere, ſi à Diœceſi ſua, in qua peſtis latè ſerpit, diſcedat corporaliter, *dummodo debitam ſui gregis providentiam non derelinquat.* Denique in eodem Tract. *ſect.4. ſubſect.2.* exhibeo utile compendium eorum, quæ doctus Joannes Chapeaville in Tract. *De Sacramentis tempore peſtis adminiſtrandis* per plures quæſtiones diſſerit. His junge ex D. Reding, non eſſe miniſtrandum hoc Sacramentum, ſi Sacerdos nequeat habere ſuperpelliceum, & ſtolam. Non diſſentit tamen ab Amico excipiente hunc caſum, quo ſubeſt aliquod periculum damnationis, ſi infirmus decedat ſine hoc Sacramento, dum ſcilicet nullum aliud admittere poteſt, qui tamen Caſus, ut jam innui ſuperiùs, eſt ferè metaphyſicus.

904 Imponet huic vigeſimo ſecundo Caſui, ſeu Capiti, quo actum eſt de Extremæ Unctionis Miniſtro, ac ſubjecto

Factum Sereniſſimi Acolythi ſe ipſum Ungentis.

Somnus cùm quædam imago mortis ſit, quique concedit cubitum, etiam ipſe habeat imaginem morituri, quoties veſperi decumberet Sereniſſimus, & Reverendiſſimus Archidux Leopoldus Guilielmus, aſſimilatione quadam piiſſimâ adumbratam Extremam Unctionem adhibebat ſibi cum aqua benedicta, & dicebat: *Per iſtam ſanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat mihi Deus, quidquid in anima per cordis affectum, & potentias internas commiſi; & quidquid in corpore per ſenſus externos contra rationem, & virtutem deliqui.*

Sic teſtatur, ac ſcribit R. P. Nicolaus Avancinus Provinciæ Auſtriacæ hoc Anno 1677. Præpoſitus, *Part. 1. cap. 2.* libri variis linguis meritò donandi, cui titulus eſt: *Leopoldi Guilielmi Archiducis Auſtriæ Virtutes*, qui Archidux quatuor Minoribus initiatus, octo Epiſcopatuum Antiſtes, Belgii pro Rege Catholico Gubernator, belli Imperator, quotidie æmulabatur piiſſimè miniſtrum, rationémque hujus Sacramenti, forſan à quopiam Ariſtarcho carpendus, quòd partem formæ uſurpârit, & deſtitutus Charactere Sacerdotali, & in actione prorſus non Sacramentali. Verùm quæret nodum in ſcirpo, maculam in ſole, qui hîc peccatum. Inprimis enim omnes Chriſtiani utuntur millies parte formulæ Baptiſmalis, dum ſe cruce ſignant. Deinde *abſolvo te*, eſt propriè forma abſolutionis à peccatis, eâ tamen utitur Eccleſia pro abſolutione à cenſuris. Denique nulla lex vetat, ne verbis etiam ſacratiſſimis, inſtitutis ad unum certum finem, utamur cum omni reverentia ad alium finem pium. Et quis, niſi impius hæreticus, damnet S. Bonaventuram, dum pſalterium Davidicum applicavit Virgini Matri? Illa, inquam, ipſa, quæ de ejus filio, aut ſacroſancta Trinitate erant cogitata, ſcripta? Unde apparet, circumſtantiam meri Acolythatûs nihil obfuiſſe ſanctitati illius operis.

DE EFFECTIBUS ET ACCIDENTIBUS EXTREMÆ UNCTIONIS.

CASUS XXIII.

Prodigioſus.

SUMMARIUM.

Caſus deliri, ac deſperabundi, ſanati Extremâ Unctione. 905.
Qui ſint effectus hujus Sacramenti? 907.
Eorum quinque enumerantur. 909.
An Extrema Unctio faciat ex attrito contritum? 910. & 911.
An ergo poſſit adminiſtrari illi, qui paulò antè mortaliter deliquit, & mox adductus eſt in diſcrimen vitæ? 912. (914.
Quid ſint reliquiæ peccati, quas detergit Unctio?
Quæ gratia actualis tribuatur per hoc Sacramentum? 915.

Digitized by Google

Quomodo ſanitas corporalis proveniat ex hoc Sacramento? 916.

Eam ſæpe inde provenire, probatur exemplis. 918.

Probatur quoque triplici caſu, ſanitatem animi cauſari ab eodem. 919. & 920.

Quandonam ſuos effectus conferat Extrema Vnctio? 922.

Quænam conditiones, & circumſtantiæ attendendæ ſint ex parte conferentis, & recipientis hoc Sacramentum? 923.

An peccent mortaliter Miniſtri hujus Sacramenti, omittendo preces præſcriptas in Rituali ante & poſt hujus Sacramenti adminiſtrationem? 924. *(dos? 925.*

An neceſſariò ſervandus ordo inter ſenſus ungen-

Manus Sacerdotum quomodo ungendæ? Ibid.

An admittenda mulier, quæ reſpondeat? 926.

Quantum ſit peccatum, miniſtrare hoc Sacramentum ſine lumine, & ſuperpelliceo? 927.

Quid contra rigidiores liceat circa hæc in ſuprema neceſſitate? 928.

An excuſandus Parochus, aſſervans ideo domi oleum ſacrum, ut, ſi de nocte vocetur ad ægrum, habeat illud in promptu? 930.

An, peracto illo unctionis Officio, licitè referet Oleum in ſuas ædes? 932.

An gravis culpæ reus foret Parochus, qui oleum infirmorum concederet viro, vel fæminæ, uſuris illo ad ægros pro ſanitate recuperanda. 933.

Novus, & prodigioſus hac in re eventus. Ibid. in Append.

Deſcribitur mirum factum Sancti Malachiæ, ungentis extremè mulierem poſt depulſum mortis periculum. 934. *(936.*

Diſquiritur, an, & quo jure potuerit id præſtare?

Parochus ne ſtet judicio domeſticorum, volentium differre Vnctionem. 937.

905 *ZAchæus æger, magno febris æſtu conflictatus, inter confitendum, urgente morbo, de poteſtate mentis exierat, jam de ſua ſalute actum ſempiternis inferorum ſuppliciis addictum ſe eſſe clamabat, nullius orationem auribus admittebat. Sacerdos, qui ei aures dabat, ubi furorem ejus animo obſtrepere advertit, ad Divina præſidia, ubi deeſſent humana, ſe convertit. Itaque domeſticos monet, ut ſacrum oleum, quod æger, priuſquam inſaniret, poſtulaverat, celeriter afferendum curarent. Mira dictu, viſúque res! ſimul atque ſacro rite inunctus eſt oleo, mentis ſanitatem, paulò etiam pòſt corporis valetudinem recuperavit. Ita in Extremæ Unctionis Sacramento extremum ſalutis auxilium invenit.*

906 Diligentiſſimus P. Anton. Dauroultius deſcripſit ex Annal. Colleg. Lugdunen. Anno 1599. hunc effectum Extremæ Unctionis, ego ex illo, cujus occaſione proponam, & declarabo hîc effectus hujus Sacramenti, deinde circumſtantias, ſeu conditiones quaſdam obſervandas à recipiente, atque adminiſtrante.

Quæres igitur I. *Qui ſint effectus hujus Sa-* 907
cramenti?

Reſp. *Res, & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur*: Et oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. *Res etenim hæc gratia eſt Spiritûs ſancti, cujus Vnctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo Divinæ Miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda ac labores leviùs fert, & tentationibus dæmonis calcaneo inſidiantis faciliùs reſiſtit, & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.*

Eſt hæc prorſus authentica reſponſio ad pro- 908
poſitam quæſtionem, hæc enim omnia deſcripſi ex ipſo Concilio Tridentino *Seſſ. 14. cap. 2. De Extr. Vnct.* addente in *Can. 2.* hanc cenſuram, *Si quis dixerit, ſacram infirmorum Vnctionem non conferre gratiam, nec dimittere peccata, nec alleviare infirmos, anathema ſit* Circa quam reſponſionem, & reſponſionis explicationem noto ex S. Thom. aliiſque Doctoribus, & nominatim P. Dicaſtillo, qui omnes, quos habeo, ſuperat accuratâ, ac diſtinctâ tractatione hujus materiæ, breviter ſequentia.

I. Ex verbis ſacroſancti Concilii colligun- 909
tur quinque effectus hujus Sacramenti. *Primus*, conferre gratiam: *Secundus*, peccata, ſi quæ remanent, expiare. *Tertius*, peccatorum reliquias abſtergere. *Quartus*, ægroti animam alleviare excitando ſpem, & confortando adverſùs inſidias dæmonis. *Quintus*, ſanitatem corporis conferre, ſi expediat animæ.

II. Nomine *gratiæ* intelligitur habitualis, 910
ſeu ſanctificans, & quidem duplici modo. Inprimis quoad augmentum, ſi ſuſcipiens hoc Sacramentum ſit jam in ſtatu gratiæ, omnibus enim Sacramentis eſt hoc commune. Deinde etiam quoad ipſam *primam* gratiam, ita ut, ſi quis bonâ fide ratus, ſuam animam eſſe expertem omnis peccati mortalis, cùm tamen revera ſit adhuc turpiſſimè maculata uno, vel pluribus, extremè ungatur, elicitâ ſolâ attritione, vi hujus unctionis emundetur anima per infuſionem gratiæ ſanctificantis. Ita cum Dicaſtillo *De Extr. unct. dub. 6. n. 8.* S. Thom. *in ſuppl. quæſt. 30. a. 1.* S. Anton. Palud. Sotus, Bellarm. Suarez, alii plurimi apud alios contra Scotum, Bonav. Richard. Vaſq. *Tom. 4. in 3. Part. quæſt.*
87. art. 3. dub. 2. & 3. Probatur: tum quia S. Ja- 911
cobus, & Tridentinum generaliter dicunt, remitti peccata, *ſi quæ ſint*, appoſitione autem hujus conditionis ſignificatur, peccata, de quibus præcipuè ibi eſt ſermo, non inveniri communiter, inveniuntur autem communiter venialia, non autem communiter mortalia: tum quia illis verbis: *Quidquid deliquiſti per viſum*, ſignificatur diſtributivè quodcunque peccatum, quod ſaltem originativè poteſt per ſenſus committi, per ſenſus autem mortalia, & non raro committuntur. Ita P. Gaſpar Hurtad. *De Extr. Vnct. diffic. 8.* qui poterat in confirmationem

Digitized by Google

tionem hujus ſententiæ adducere Catechiſmum Romanum *De Sacr. Extr. Unct. n. 14.* bis clarè inſinuantem eandem ſententiam. Atque adeò hujus Sacramenti effectus eſt, ut faciat ex attrito contritum. Petrus Marchant. *in Tribun. Tom. 3. Tract. ult. fol. 354.* extendens ad ea etiam mortalia, quæ culpabiliter ignorantur.

912 Dices: *Ergo poterit aliquando Parochus ungere phreneticum, quem ſcit paulò ante phreneſin admiſiſſe crimen lethale, quod neque ſit confeſſus, neque dederit ſignum deſiderii confitendi?*

Reſp. Hanc conſequentiam admitti à P. Laymanno *Lib. 5. Tract. 8. cap. 5. art. 2.* ſi videlicet utcunque probabiliter præſumi queat, illum phreneticum elicuiſſe poſt peccatum aliquem actum attritionis, poteſt autem in dubio præſumi, quando poſt patratum ſcelus ſuperfuit tantum temporis, ut pœnitere potuerit. P. Tho. Tamb. *cap. 2. §. 4.* poſt P. Coninck *Diſp. 19. dub. 6.* declarans exemplo vulnerati lethaliter in duello illicito. Hoc nota pro praxi.

913 III. Venialium peccatorum remiſſio eſt quidem effectus hujus Sacramenti, (ſi enim mortalia poſſunt per illud deleri, multò magis venialia,) hæc tamen remiſſio non eſt *primarius* effectus. Dicaſtillo *num. 93.* quia nullum Sacramentum eſt per ſe primò, & principaliter inſtitutum ad hunc finem. S. Thom. *p. 3. q. 65. art. 1.* cùm ſuppetant tot media ea delendi extra Sacramenta.

914 IV. At verò abſtergere reliquias peccatorum eſt proprius, & per ſe effectus Unctionis. S. Thom. *in Suppl. quæſt. 30. art. 1.* Dicaſtillo *n. 99.* & alii communiter apud ipſum, teſtantem, hanc doctrinam eſſe extra controverſiam, ſi bene intelligatur, tametſi illa abſterſio non ſit *primarius*, & *principalis* effectus, ut ſubdit *n. 101.* ac poſtea probat. Porrò *per peccati reliquias* intelligitur quædam debilitas, & ineptitudo, quæ in nobis remanet ex peccato actuali, inquit S. D. per quam ſcilicet fit, ut homo non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ, gratiæ, vel gloriæ, ut loquitur *ibid.*

915 V. *Primarius* autem, & *principalis* effectus eſt, conferre gratiam tum habitualem, ſeu ſanctificantem, tum actualem auxiliorum in ordine ad juvandam, & roborandam mentem infirmi contra peccatorum reliquias, & varias difficultates, & contra inſidias dæmonis vehementiùs inſidiantis in articulo mortis, quamvis illa auxilia non ſint ſemper efficacia. Ita Dicaſtillo *num. 106. & ſeqq.* etenim illæ reliquiæ peccatorum, ſeu debilitas ad bonum opus, difficultáſque reſiſtendi tentationibus, maximè provenit ex defectu gratiæ ſanctificantis, atque actualis.

916 VI. Communis opinio fert, recuperationem ſanitatis corporalis, ſi ea expediat animæ ſaluti, eſſe infallibilem, certúmque effectum hujus Sacramenti. Pro hac ſententia refert Dicaſtillo S. Thom. Bonav. Paludan. Magiſtrū, Valentiam, Suarium *Diſp. 41. ſect. 3.* interim cenſens cum Soto, ſi abſtrahatur ab autoritate, eſſe probabilius, quòd non ſemper conferatur illa ſanitas, etiam quando eſſet infirmo expediens ad animæ ſalutem, ſed quòd aliqui poſt hoc Sacramentum moriantur malè, qui fuiſſent bene morituri, ſi Deus prorogâſſet iis vitam.

Sanè Concilium Tridentinum, uti vidimus ſuprà *num. 907.* dicit: *Sanitatem corporis*, interdum, *ubi animæ ſaluti expedierit, conſequitur*, ac ſi dicat: Fit *interdum*, ut, quando expedit ſaluti animæ, ſanitas conferatur per hoc Sacramentum. Ego quidem difficulter credo, ſanitatem corporis per Extremam Unctionem tribui illis omnibus, quibus eſt melius vivere diutius, quàm citò mori, ſicut etiam non exiſtimo, poſſe probari, quòd omnibus, quibus per Unctionem impertitur illa ſanitas, ſit melius, ſeu conducibilius in actu *ſecundo* ad vitam æternam, quàm ſi migrarent è vivis ſtatim ut ſunt extremè uncti, etenim non reperio rationem ſufficientem aſſerendi alterutrum horum, attamen minimè dubito, quin S. Thom. *in Supplem. quæſt. 30. art. 2.* rectiſſimè ſcripſerit: *Ex hoc Sacramento non ſemper ſequitur corporis ſanatio, ſed quando expedit ad ſpiritualem ſanationem, & tunc ſemper eam inducit, dummodo non ſit impedimentum ex parte recipientis.* Ergo poteſt etiam *in ſenſu compoſito* impedire infirmus, ne ſanatio corporalis, impertita per Extremam Unctionem, cedat *actualiter* in bonum animæ. Vide P. Tannerum *Diſp. 7. quæſt. 1. dub. 2. num. 45. & ſeqq.* 917

Porrò hic effectus corporalis ſanitatis confirmatur tum exemplo Ruperti Imperatoris, de quo ſuprà: tum longè plurimis aliis, quorum ſunt teſtes vivi medici, vivi Confeſſarii affirmantes, eſſe viſos à ſe permultos ægros planè depoſitos, qui tamen, poſtquam fuerunt extremè uncti, ita præter ſpem omnium convaluerunt, ut non dubitârint, quin ſanitas fuerit accepta referenda huic Sacramento. Vidi & ego ſingulariter unum è noſtro Collegio Monacenſi, cujus è dyſenteria deſperati vitam ſervatam adſcribebat uterque Collegii ordinarius Medicus perceptioni hujus alexipharmaci. 918

De ſpirituali ſanitate perſpicuum exemplum ſubminiſtrat noſter Caſus prodigioſus ſuprà *num. 905.* cui addo ſequentem 919

Caſum Serenati.

D*Ecumbebat ad mortem juvenis, qui amore unici filii mirè cruciabatur. Inunxi eum, & ſtatim interrogatus, an aliquâ moleſtiâ afficeretur? Reſpondit: Eſſe animo omnino ſereno. Et uſque ad mortem, quæ fuit poſt quartam partem horæ, ſalvis ſenſibus cum mira devotione, quietè perſeverans expiravit. Alia hujus generis multa vidi.*

Sunt hæc verba Joannis Baptiſtæ Poſſevini, quem ipſe Epiſcopus Mantuanus magnis laudibus pietatis, & experientiæ ornat in præfatione 920

tione tractatûs aurei ab eodem Poſſevino conſcripti hoc titulo: *De officio Curati ad Praxin.* Nota illud. *Multa alia hujus generis ego vidi.*

APPENDICULA.

ET ego propè vidi Anno 1669. quid ſimile, quia legi literas notiſſimi mihi Patris ex hac Provincia noſtra teſtantis

Hunc eventum.

CUm enim illo Anno 1669. inviſiſſet Bruntruti puellam jam ad agonem munitam Sacramentis pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, ideo autem nolentem etiam poſt aliorum hortationem extremè ungi, quòd arbitraretur, unctionem fore ſibi fatalem, liberavit Pater ille ipſam hâc ſtultâ opinione, quia perſuaſit, ut piè crederet, eam unctionem eſſe medicinam etiam corpori ſanando paratam, quare & permiſit ungi ſe, plena ſpe recuperandi ſanitatem, nec ſpes fefellit, nam & ab ea unctione leniùs reſpiravit, & poſterâ luce inviſenti ad ſe confeſſario vegeta, & incolumis ultro occurrit.

921 Quæres II. *Quandonam Extrema Unctio conferat ſuos effectus?*

Reſp. I. Gratiam *habitualem* confert, ſi non adſit obex, ſtatim, poſtquam Sacramentum eſt *eſſentialiter* perfectum. Ita omnes, eſt enim commune omnibus Sacramentis, quia agunt inſtar cauſarum neceſſariarum. Utrùm verò poſt ſingulorum ſenſuum Unctionem conferatur aliqua pars, ſeu gradus gratiæ, ut placet Soto, Paludano, aliis apud Dianam *Part. 3. Tract. 4. Reſol. 179.* & apud Dicaſtillo *loc. cit. dub. 7. num. 113.* an verò omnis collatio differatur, donec omnes ſenſus ſint peruncti, ſicuti cenſet Suarez *Diſp. 41. ſect. 2.* Tannerus *cit. quæſt. 1. dub. 2. num. 39.* Dicaſtillo *loc. cit.* non ſatis liquet. Ego quia ſuperiùs *num. 795.* dixi, eſſe probabile, quòd ad ſubſtantiam hujus Sacramenti ſufficiat Unctio unius ſenſûs, conſequenter dico, & quidem cum Suarez, probabilem eſſe opinionem Soti.

922 II. Si fortè infirmus ponat obicem gratiæ, ſatis probabile eſt, remoto illo obice, redituram, ſeu compenſatum iri illam gratiam. Tannerus *loc. cit. n. 42.* poſt S. Thom. Palud. Suarium, alios. Ratio eſt, quia ita fit in Baptiſmo, & Confirmatione.

III. Similiter aliqua pœna debita remiſſis peccatis dimittitur ſtatim poſt peractam *ſubſtantialiter* Unctionem, ſicuti & tunc acquiritur jus ad gratiæ actualis auxilia conferenda eo tempore, quo erant neceſſaria pro aliis effectibus ſuprà enumeratis. Vide Hurtadum *diffic. 9.*

923 Quæres III. *Quænam conditiones & circumſtantiæ ſint attendendæ ex parte recipientis, & conferentis hoc Sacramentum?*

Reſp. I. Ex parte recipientis requiritur, *per ſe loquendo*, tum immunitas à peccato mortali, atque excommunicatione, tum voluntas ſaltem *habitualis*, & *interpretativa*.

II. Ex parte conferentis requiritur 1. ſtatus gratiæ, ſicuti ad confectionem cæterorum Sacramentorum. 2. Immunitas à cenſura, quamvis, ſi non adſit alius, *licitè* adminiſtret etiam excomunicatus, quando nequit abſolutionem impetrare ante Unctionem. 3. Licèt omnino conſultum ſit, recitare pſalmos, & alias omnes preces, quæ pro tali articulo præſcribuntur in Rituali, ſeu Obſequiali, nec dubitem, quin Religioſi omnes, ſicut & noſtra Societas, diligenter id præſtent, non audeo tamen damnare gravis peccati Sacerdotes ſæculares, qui paſſim omittunt pſalmos Pœnitentiales &c. At qui omittunt *omnes* preces aut antecedentes, aut ſequentes Unctionem, damnat noxæ lethalis P. Thomas Tamburinus *cap. 5. §. 3.* addens, recitationem Litaniarum eſſe ſolùm ſub conſilio. 4. Decet quidem Unctionem conferre primùm poſt ſacrum Viaticum, ſicuti & ungere primo loco illos ſenſus, qui in Rituali exprimuntur primo loco, item illos ſecundo loco, qui ſecundo &c. tamen nullum *per ſe* peccatum eſt, non ſervare ordinem inter Viaticum, & Unctionem, at grave juxta P. Palaum *p. 3.* veniale juxta P. Thom. Tambur. *loc. cit.* ſi aures e. g. ungantur ante oculos. Me judice, malè ageret Parochus, qui, cùm per inadvertentiam, aut ex aliqua cauſa unxiſſet nares e. g. ante oculos, animadverſo errore iterum ungeret nares, ageret quippe contra doctrinam communem *Ex cap. 1. De Sacram. non iter.* 5. Manus ſacerdotum unguntur exteriùs, quia fuerunt in Ordinatione unctæ interiùs, ſeu in vola. 6. Deceret quidem habere Clericum miniſtrantem, ſed ſufficit ex conſuetudine receptâ æditus laicus; imò ſi non adſit, qui reſpondeat, reſpondebit ipſe miniſter Unctionis. 924 925

926 *Sed adgeniculatur aliqua Sanctimonialis, valde perita reſpondendi?*

Reſp. Nec hujus quidem operâ uti licet; nam generatim excluduntur ab hoc miniſterio mulieres. Quintannadvennas *Singul. Tr. 5. Sing. 7.* per totum, poſt Suarez, Laymannum, alios.

927 Quæres IV. *Quantum ſit peccatum, miniſtrare hoc Sacramentum ſine lumine, & ſuperpelliceo?*

Reſp. In primo caſu miniſter Eccleſiæ Conſtantienſis non peccabit, quia ejus Conſtitutiones *part. 1. tit. 12. n. 6.* dicunt: Vaſculum olei Extremæ Unctionis eſſe deferendum *ſine lumine* à miniſtro ſequente Sacerdotem, cùm tamen Obſequiale antiquius Conſtitutionibus dicat, æditum debere præire *cum lumine*, quod quidem obſervatur Conſtantiæ. In aliis Diœceſibus, ubi præſcribitur delatio luminis, peccatur *per ſe* ſolùm venialiter non deferendo. Quintanadv. *loc. cit. Sing. 5.* poſt Poſſevin. & Barb. *De Paroch. cap. 21. n. 44.* loquens etiam,

ſicuti

Digitized by Google

ſicuti & Thom. Tambur. *loc. cit.* de non adhibente lumen tempore ipſiuſmet adminiſtrationis. Si autem deferat, aut adminiſtret ſine ſuperpelliceo, peccabit mortaliter, judicibus Suario *Diſp.44. ſect.3.* & Bonac. *Diſp.8. p.1. n.6.* qui putant, eſſe potiùs permittendum, ut quis diem extremum obeat ſine hoc Sacramento, quàm ut ei miniſtretur ſine veſtibus præſcri-

928 ptis. Ego quidem non excuſarem à mortali, qui id faceret ſine neceſſitate, non tamen dubito, quin, ſi nequeant haberi veſtes, ſit ſatius ire miniſtratum, miniſtraréque ſine ſuperpelliceo, & ſtola, ſaltem in caſu, quo æger non ſuſcepiſſet aliquod Sacramentum, nec poſſet abſolvi Sacramentaliter, eò quòd non ſciatur dediſſe ſigna contritionis &c.

929 Ita Poſſevinus *loc. cit. cap.5. quæſt.35.* dicens, hoc eſſe clarum, & loquens *abſolute* ſine limitatione hîc appoſita, ſine quâ etiam loquitur, & conſentit P. Thomas Tamburin. *cap.1. §.4. num.1.* atque Quintanadvenn. *loc. cit. num.4.* probans inde, quòd illud oleum deferatur in Cœna Domini ſine lumine, & ſuperpelliceo per totas Diœceſes.

930 Quæres V. *Quid cenſendum de hoc*

Caſu non raro?

Zeno Parochus habitans procul ab Eccleſia Parochiali, probabiliter autem ratus ſe de nocte vocatum iri ad aliquem ungendum pro ſupremo certamine, defert ex Eccleſia, in ſuas ædes Parochiales pyxidem ſacri Olei, ut habeat in promptu, quando vocabitur. An excuſandus?

931 Reſp. Imò laudandus, ſi ideo detulit, quia timebat, ne alias nimis ſerò veniret. Quo caſu putarem, poſſe etiam Sacram Hoſtiam deferri in talem domum, eſt enim utique minus malum, aſſervare illam loco profano, Religioſe tamen, adeóque cum lumine, quàm permittere quempiam emori abſque hac pretioſa annona.

932 *At quid ſi peracto illo officio Parochiali referat domum, non autem rectà ad templum, vaſculum illud olei?*

Reſpondet, aſſentiente Dianâ *Part.8. Tract.6. Reſ.46.* rectè Quintanadvenn. *Sing.10.* non peccaturum graviter, etſi fortè eſſet vicinus Eccleſiæ, nec enim apparet gravis irreverentia. Secùs, inquit, ſi aſſiduè ſervaret domi. Idem dicerem de Sacra Euchariſtia, caſu, quo diſtaret dimidio quadrante horæ, præſertim hyeme rigidâ, aut pluviâ tempeſtate, nec enim videtur peccari graviter contra legem aut Divinam, aut Eccleſiaſticam.

Quæres poſtremò: *An gravis culpæ reus foret Parochus, qui oleum infirmorum concederet alicui, ſeu viro, ſeu mulieri, volenti adhibere ad ungendos ægros pro recuperanda ſanitate?*

Reſp. Quintanadvennas *loc. cit. Singul. 11.* 933
negat, ullum *per ſe* peccatum intervenire tunc, eò quòd conſtet ex multis hiſtoriis, fuiſſe tale oleum ſæpe, & utiliter adhibitum ad hunc præcisè finem. At non immeritò diſſentit ab hoc autore Diana *cit. Tract.6 Reſ.43.* poſt Bellarm. *De Extr. Unct. cap.9* Palaum *cit. Tr.26. p.2.* & Bauny, nam illud oleum revera non conſecratur in illum finem: nec conſtat, oleũ, quo fuerunt uſi illi antiqui, fuiſſe oleum infirmorum, potuit enim eſſe aliud benedictum à Sacerdote, aut privatim ab Epiſcopo. Equidem cenſeo, quemvis Antiſtitem perægre laturum, ſi intelligeret, aliquid ejuſmodi paſſim factitari ab aliquo ſuorum Diœceſanorum. Vide, quæ *in Alphab. Baptiz. Caſ.V. num. 190.* attuli, contra illos, qui quandoque præbent obſtetricibus Chriſma ad facilitandum partum.

Et adde, quandoquidem P. Eſcobar *Theol. Moral. problem. 60. lib.22* citat, ſequitúrque Vivaldum, ac Molfeſium permittentes ejuſmodi uſum olei infirmorum, & quidem non ſine probabili authoritate Innocentii I. ſcribentis: *Oleo ab Epiſcopo confecto non ſolùm Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſua, aut ſuorum neceſſitate*, ideo non *abſolutè* damno illam praxin, niſi repugnet *poſitivè* voluntati Ordinarii, & modò rarò, ac prudenter adhibeatur ad eum finem illud oleum.

APPENDIX.

Quapropter cenſui Anno 1670. eam doctrinam practicari potuiſſe in ſequenti circumſtantia prodigioſa, ratione cujus nonnemo Parochus dedit ad me a

Haſce literas.

Non una tantùm, ſed plures perſonæ laborârunt veneficiis, ſeſe manifeſtantibus in pluribus partibus corporis. Cùm autem illæ perſonæ viderentur eſſe in periculo mortis, & proinde ſacro oleo infirmorum inungerentur, mox maleficium in ea parte corporis (v.g. in naribus) ubi facta eſt inunctio fuit ſedatum, in alia autem parte corporis e g. in capite non tantùm non fuit ſedatum, ſed graviores cauſavit dolores.

Quæritur ergo, utrùm talis perſona non poſſit etiam in capite, in humeris, & brachiis, ſimilibúſque honeſtis partibus inungi ſacro Oleo, & quidem Sacramentaliter dicendo: Ungo te &c. quidquid deliquiſti per illicitum tactum (vel ſenſum) capitis, humeri, brachii, *per ſe enim patet, ſenſum tactûs eſſe diffuſum per totum corpus. Si non poteſt fieri Sacramentalis unctio, quæritur, utrùm ſaltem devotionalis unctio fieri poſſit in nomi-*

ne

ne SS. Trinitatis. Fuiſſet fortè dignus hic Caſus, qui inſereretur Tractatui de Sacram. Extremæ Unctionis, ſi ante Annum unum, vel alterum fuiſſet propoſitus. Reſolutionem &c.

b Ita ille D. Curio, qui utpote doctiſſimus, & libris etiam typo vulgatis celeber Theologus facilè vidit, non poſſe in hoc, aliôve ſimili eventu *Sacramentaliter* inungi illas partes, quandoquidem ſicuti nefas eſt, mutare materias, formâſque Sacramentorum, ita & mutare ſubjecta, niſi in caſibus permiſſis ab Eccleſia, interprete inſtitutionis factæ à Chriſto, ut eſt, quando inungendus caret vel manibus, vel oculis &c. Sanè debet ſingulariter in Sacramentalibus obſervari animo illa ſapiens monitio S. Stephani Papæ reſcribentis: *Nihil innovetur, niſi quod traditum eſt*, id eſt niſi id, quod traditio docet eſſe innovandum.

c At verò licèt unctio devotionalis, ut vocat idem R. D. Camerarius Capitularis, non ſit à Chriſto Domino generatim inſtituta ad pellenda maleficia infeſtantia unum, aut plura membra corporis, quia tamen ex una parte ſatis conſtat, hunc uſum non eſſe vel ab ipſo Chriſto, vel ab univerſali Eccleſia *poſitivè* inhibitum, & tamen illi felices, miríque eventus videntur probare, talem pietatem, in ejuſmodi circumſtantiis, placuiſſe Salvatori, ideo non auſim damnare talem uſum, præſertim cùm patrocinentur ei illa, quæ hoc ipſo *num. 933.* retuli ex P. Eſcobar, & ipſomet Innocentio I. idcirco reſpondi, reſpondeóque, poſſe abſque noxa pergi in ejuſmodi uſu.

934 Claudo materiam de Extrema Unctione, adeóque totum hoc Alphabetum

Caſu Sancti, an ſancto?

Habitabat vir Nobilis in vicinia Benchorenſis Monaſterii, cujus uxor cùm ægrotaret ad mortem, rogatus Malachias, ut deſcenderet, priuſquam moreretur. Infirmam uncturus Oleo, deſcendit, & intravit ad eam, quo viſo exultat illa ſpe animata ſalutis. Et cùm pararet ungere eam, viſum eſt omnibus, differendum uſque manè, erat enim veſpera. Acquievit Malachias, & datâ benedictione ſuper ægram exivit cum his, qui ſecum erant. At verò poſt modicum ſubitò clamor factus eſt, & ſtrepitus multus per totam domum, ſiquidem inſonuit, quòd mortua eſſet. Accurrit Malachias tumultu audito, & ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus, & accedit ad lectum, ut verò expiráſſe comperit, conſternatus eſt animo, ſibi imputans, quòd fraudata gratia Sacramenti obierit, & elevatis manibus: Obſecro Domine, *inquit*, inſipienter egi, ego, ego peccavi, non iſta, quæ voluit. *Hæc dicens conteſtatus eſt in audientia omnium,* 935 *nullam ſe recepturum conſolationem, nullam requiem daturum ſpiritui ſuo, niſi quam tulerat, liceret reſtituere gratiam. Et ſtans ſuper eam totâ nocte laborabat in gemitu ſuo, & pro ſacro Oleo largo lachrimarum imbre perfundens mortuam, vicem illi unctionis, quam poterat, exhibebat &c. Quid plura? Manè facto aperuit oculos, quæ fuerat mortua, & agnito Malachiâ inclinans devotè ſalutat eum, & verſo luctu in gaudium ſtupor apprehendit omnes, & unxit eam nihilominus, ſciens in hòc Sacramento remitti peccata, & quod oratio fidei ſalvet infirmum. Et poſt hæc abiit, & illa convaluit &c.*

Deſcripſi verba ipſiuſmet ſanctiſſimi, ſapien- 936 tiſſimi Abbatis Bernardi, quæ leges, ſi lubuerit in vita illius S. Epiſcopi in Hibernia, conſcripta (ut præ ſe fert titulus Opuſculi) ab eodem Mellifluo Doctore. In quo notabis breviter ſequentia. 1. Vel hinc patere, Curatum non debere flecti contradictione domeſticorum, ſed quando videt, infirmum paratum eſſe ſuſcipere hoc Sacramentum, debere illi ſtatim impertiri, modò morbus ſit periculoſus, quidquid domeſtici judicent, & dicant. 2. Peccari mortaliter ab eo, ſi per ejus negligentiam fiat, ut æger decedat ſine hoc Sacramento, ut vidimus ſuprà. In quàm vaſtum, 937 arbitraris, mare lachrimarum fuiſſent ſoluti oculi Malachiæ, ſi ipſe vacans ſiccandis calicibus neglexiſſet illud miniſterium? 3. Ipſummet S. Bernardum, ſeu vitæ illius Scriptorem, videri probare factum Sancti Epiſcopi, ungentis illam, quam videbat eſſe extra diſcrimen mortis conſtitutam, an quia ſuppoſuit ipſe, quòd vel S. Antiſtes probabiliter crediderit, eam mox iterum morituram, ut ſæpe contigit? vel Chriſtus Dominus tunc diſpenſârit in ſua Lege de hoc Sacramento, hâncque diſpenſationem manifeſtârit ipſi Malachiæ, ſicuti diximus in ſimili ſuprà *num. 873.* de S. Hedwige? Cujus in hoc Sacramentum pietate, ac precibus permotus Chriſtus JESUS impertiatur mihi, omnibúſque Venerandis Sacerdotibus hoc Alphabetum lecturis gratiam, ut hoc unguento pretioſo in extremo, & ad extremum agonem, agoniſque coronam immarceſſibilem efficaciter in actu ſecundo fecundiſſimo ungamur.

Amen.

TRA-

TRACTATUS NONUS,

SEU

ALPHABETI MATRIMONIALIS.

PARS PRIMA,

QUÆ

XXIII. Cardinalibus Caſibus, & plus LXXX. Aliis *FACTIS*, non *FICTIS*, Explicat univerſam Materiam Impedimentorum Matrimonialium.

SYSTEMA HUJUS ALPHABETI.

Caſu 1. Sum explicaturus dubia, quæ de Impedimentis Matrimonialibus in genere proponi ſolent. 2. Tria ex impedimentis impedientibus ſolùm. 3. Quartum impedimentum impediens, ſcilicet votum. 4. Dicturus, quomodo Error dirimat Matrimonium? 5. Quomodo Conditio? 6. Et Votum? 7. Et Cognatio naturalis? 8. Et ſpiritualis, ac Legalis? 9. Et Crimen homicidii? 10. Item Crimen adulterii? 11. Quomodo Diſparitas Religionis, ubi ſingulariter de Matrimoniis cum hæreticis? 12. Quomodo Vis, & metus? 13. Atque Ordo? 14. Nec non Ligamen? 15. Inſuper honeſtas publica? 16. Et fuſe, quomodo Affinitas? 17. Et copioſè, quomodo Impotentia. 18. Diſtinctè, quomodo Abſentia Parochi, teſtiúmque. 19. Breviter, qui Raptus? 20. Explico, quid agendum conjugibus, cognito impedimento? 21. Non perfunctoriè, quandonam diſpenſet Epiſcopus? 22. Et maximè Papa. 23. Reſolvo varias quæſtiones ſolitas moveri circa Brevia diſpenſationum.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII GENERATIM.

CASUS I.

Lutherano-Catholici.

SUMMARIUM.

Caſus Lutherani, volentis poſt converſionem ad fidem Catholicam ducere uxorem Catholicam, ſuperſtite priore, junctâ ſibi tertio gradu. n. 1.

Aron Luthericola natus, educatus in Pomerania Lutheri erroribus corrupta, duxit Saram uxorem tertio gradu cognationis ſibi junctam; at longâ conſuetudine provinciæ illius rata habente ejuſmodi conjugia. Poſtmodum neſcio qua occaſione delatus in terras Catholicas, inque ipſam Tirolin, adſpirante Divinâ gratiâ amplexus fuit Religionem Orthodoxam, nec ita multò pòſt cogitavit de ducenda coniuge etiam Catholica, ſed ſcrupulum injiciebat, quòd Sara ſua adhuc eſ-

ſet ſuperſtes, & contumax in Lutheraniſmo. Quæſitum igitur ex me fuit, quid judicarem faciendum?

2 Quæſitum, inquam, ex me fuit, cùm in Tiroli commoraret. Reſpondi quidem, ſed ægriuſculè, idcirco, quòd reſponſio penderet ex reſolutione hujus generalis quæſtionis: *Vtrùm impedimenta Matrimonii, jure Eccleſiaſtico inducta, æquè Acatholicorum Matrimonia afficiant, atque Catholicorum?* ſeu utrùm leges Eccleſiaſticæ de impedimentis Matrimonii æquè reipſa obligent, afficiántque hæreticas provincias, atque Orthodoxas, hanc verò quæſtionem ſummi momenti nemo unus (quod jure demireris) Theologorum, mihi lectorum, ad id temporis libro typis vulgato propoſuerat, diſcuſſerátve in propriis terminis, poſtea verò vix duo, tréſve id præſtitêre, quorum nomina edam *num. 27.*

3 Quid tamen ad illum ſpecialem Caſum Aaronis Pomerani, vel reſponderim, vel reſpondere potuerim, aperiam, ubi explicavero ſequentes tres quæſtiones de impedimentis Matrimonii in communi ſumptis. 1. *Quid ſit Impedimentum Matrimonii, & quotuplex? 2. Quis impedimenta ſtatuere, quis tollere queat? 3. An leges de impedimentis Matrimonii æquè ligent hæreticos atque Catholicos?*

4 Haſce ternas quæſtiones evolvam Sectione *primâ* hujus primi Caſûs. Sectione *alterâ* quæram. 1. *Quantum peccet, qui contrahit, aut contrahere tentat Matrimonium cum aliquo impedimento? 2. Quis judex in cauſis de impedimentis Matrimonii? 3. Quomodo probetur, hic, & nunc ſubeſſe impedimentum? 4. An Ignorantia impedimenti tollat vim hujus?*

5 Poſſet etiam hîc quæri, quis, & quomodo diſpenſet, verùm ſecutus exemplum aliorum differam ad finem hujus Tractatûs, ſicuti & *Caſ. XVIII.* aperiam, quid agendum, quando ſucceſſu temporis deprehenditur impedimentum dirimens, quod antè latebat.

SECTIO I.

Expediuntur tres priores quæſtiones.

SUMMARIUM.

Quotuplex impedimentum Matrimonii? 6.
Quæ impedientia? 7.
Brevis eorum explicatio. 8. & ſeqq.
Dirimentia quæ? 13.
Diverſimodè relata ab aliis? 14. & 15.
Quis impedimenta ſtatuere queat? 17.
Caſus Archiepiſcopi irritantis Matrimonia inita ſine ſua facultate, & denuntiationibus. 19.
Examinantur ſtatuta quædam Magiſtratûs ſæcularis. 20.
Et ſingulariter Mutinenſe, ac Lucernenſe. 21.
Solus Papa tollit directè *impedimenta. 22.*
An, & quomodo tollat conſuetudo? 23.
Et ſingulariter illa impedimenta quibus contrariam conſuetudinem damnant Canones? Ibid.
An etiam impedimentum novum ſtatuere poſſit conſuetudo? 25.
An leges Eccleſiaſticæ de impedimentis irritantibus ligent etiam hæreticos? 26.
Quinam ſcriptores tangant hanc materiam? 29.
Eos ligari æquè, atque Catholicos, probatur variis rationibus, Ibid. & ſeqq.
Proponuntur etiam argumenta in contrarium. 31. & ſeqq.
Præmittuntur nonnulla admiſſa ab utraque parte. 35. & ſeqq.
Concluditur 1. Hæreticos ligari impedimentis annexis Ordini Sacro, & Religioni. 41.
Reſpondetur ad argumentum præcipuum pro valore Matrimoniorum hæreticorum cum impedimento. 44 & 45.
Concluditur 2. Eoſdem ligari omnibus impedimentis dirimentibus. 49.
Reſpondetur ad objectionem, quòd leges non receptæ non obligent. 50.
Concluditur 3. Non eſſe planè improbabile, quòd ſubſiſtant talia conjugia. 52.
Refertur hanc in rem opinio Bonagratiæ. 53.
Et Caſus ingenii deſultorii 54.
Item Caſus Huſſiticus cum judicio P. Moreti. 56.
Rurſum alius caſus. 58.
Et longa diſſertatio Petri Marchantii. Ibid. in Append. 1.

6 Quæritur I. *Quid, & quotuplex ſit impedimentum Matrimonii?* Reſp. I. Impedimentum Matrimonii eſt conditio, ſeu circumſtantia, cum qua non licet inire Matrimonium. Quæ conditio quando eſt talis, ut ſolùm prohibeat, ne cum, aut in ea contrahatur Matrimonium, appellatur impedimentum *Impediens tantùm*, at verò quando præterea efficit, ut Matrimonium ſit nullum, ſeu invalidum, dicitur impedimentum *Dirimens*, ſeu diſſolvens Matrimonium, non quòd diſſolvat verum Matrimonium, ſed quòd diſſolvat vinculum, quo apparenter erant colligati duo putatitii conjuges.

7 Reſp. II. Licèt olim fuerint legibus, & uſu recepta 12. Impedimenta impedientia ſolùm, teſtatur tamen, atque probat P. Martin. Perez *De Matrimonio Diſp. 23. ſect.* 8. quatuor duntaxat ex illis 12. impedimentis nunc eſſe in uſu. Comprehenduntur autem prædicta 12. impedimenta his verſibus:

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechiſmus, ſponſalia, jungito votum.
Inceſtus, raptus ſponſatæ, mors mulieris,
Sùſceptus propriæ ſobolis, mors Preſbyteralis.
Vel ſi pœniteat ſolenniter, aut Monialem
Accipiat, prohibent hæc connubium ſociandum.

8 Illa verò, quæ ex his 12. adhuc locum obtinent, complexus eſt P. Tamburin. *De Sacrament. Lib. 8. cap. 16.* hoc hexametro:

Sacratum tempus: Vetitum: Sponſalia: Votum.

Addunt

9 Addunt Conſtitutiones Synodales Conſtantienſes *P. 1. Tit. 16. num. 41.* hæreſin ſponſæ, quamquam in locis mixtæ religionis non ſolet peti ulla diſpenſatio circa hoc impedimentum, nihilominus aperiam *Caſ. XI.* quid ſentiam de Matrimonio Catholici cum Acatholica, at verò quid de cæteris quatuor impedimentis impedientibus, dicam *Caſu II. & III.* Licèt verò cætera 8 ſint abolita contrariâ conſuetudine, dabo tamen breviſſimam explicationem eorum, ratus futuram gratam lectori.

10 *Primò*, nomine *Catechiſmi* intelligitur actio illa, qua quis pro baptizando, aut jam baptizato reſpondet baptizanti interroganti, an credat (interim non tenens illum de fonte) nam talis reſpondens olim *illicitè* inibat Matrimonium cum puella, pro qua reſpondebat, itémque cum illius conſanguineis. *cap. 2. De cognat. ſpirit. in 6.*

11 *Secundò* inceſtus, ſeu illicita copula, qua quis ſuam conſanguineam fœdaverat, efficiebat, ut tali inceſtuoſo non liceret unquam cum quaquam nuptias celebrare *cap. 1. 2. & 4. De eo, qui cognovit conſang.* ſicut & quando quis abduxerat ſponſam alienam, jubebatur æternùm carere omni Matrimonio *cap. 34. Statutum. 27. q. 2.* quemadmodum is, qui uxorem propriam necaverat. *cap. 5. Interfectores. 33. quæſt. 2.* & qui propriam ſobolem ſuſceperat ex Baptiſmo, aut Confirmatione, cum intentione negandi poſtea uxori debitum conjugale, obtentu compaternitatis ſpiritualis *cap. 5. De eo. 30. quæſt. 1.* & qui Sacerdotem aliquem iniquè interfecerat *cap. 2. De pœnit. & remiſſ.*

12 Illi quoque arcebantur toro conjugali, qui vel pœnitentiam ſolennem tunc agebant *cap. Antiqui 33. quæſt. 2.* vel Matrimonium de facto contraxerant cum aliqua Moniali, his enim nunquam concedebatur vinculo conjugali religari, ſed *in pœnitentia lamentis ſe vehementer, dum vivunt, afficiant*, inquit Concil. Tribur. apud Gratianum *cap. Hi ergo. 27. quæſt. 1.* Qui plura de his volet, legat Martinum Perez *De Matrim. Diſp. 23. totâ.*

13 Reſp. III. Impedimenta Matrimonii dirimentia ſunt 14. quæ P. Thomas Sanchez *De Matrim. Lib. 7. Diſp. 6.* multique alii poſt ipſum exhibent his verſibus:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen:
Cultûs diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas:
Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis,
Si Parochi, aut duplicis deſit præſentia teſtis:
Raptáve ſit mulier, nec parti reddita tutæ:
Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

14 Et teſtatur quidem idem Sanchez, tres priores verſus ab omnibus referri, ſicut expreſſè refert ipſemet S. Thom. *in 4. diſt. 34. q. 1. art. 1.* Silveſter V. *Matrimonium 6. quæſt. 2.* atque alii Summiſtæ cum Hurtado, Tannero, Perez, Jordano, Navarro, Tamburino, Sanctgallenſibus &c. Addit tamen, *quartum*, & *quintum* eſſe à ſe additum, ut exprimeret duo impedimenta recèns conſtituta à Concil. Tridentin. *Seſſ. 24. cap. 1. & 6. De Reform. Matrim.* Sed inprimis Laymannus *Lib. 5. Tract. 10. p. 4. cap. ult.* quem ferè ſequitur Buſenbaum, exhibet verſus ſequentes:

Error, religio, triplex cognatio, crimen,
Cultûs diſparitas &c.
Raptus, clandeſtina fides, expers coëundi,
Ætas, affinis, ſolvunt connubia cuncta.

Deinde noſtræ, id eſt Conſtantienſes Con- 15
ſtitut. Synod. editæ multis Annis poſt Tridentin. Synodum *cit. Part. 1. tit. 16. num. 23.* ſic ſtatuunt.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs diſparitas &c.
Diſſenſus, atque affinis, ſi fortè coire nequibis:
Hæc ſocianda vetant &c.

Ubi vides, omitti in verſibus Conſtantien- 16
ſibus, ut de Laymannianis nil dicam, impedimenta raptûs, & abſentiæ Parochi, teſtiúmque. An quia hæc carmina deſcripta ſunt ex antiquioribus Conſtitutionibus conditis ante comitia Patrum Tridentinorum? Si mihi fas eſſet in aliena Republica loqui, ſcriberem expedire, ut, ſi quando poſt aliquam Synodum recudentur illæ non minùs deſideratæ, quàm deſiderandæ Conſtitutiones, iis inſerantur verſus Sancheziani, utpote uſurpati à Theologis pleriſque omnibus, qui hoc ſæculo verbo, vel ſcripto, explanant quæſtiones de moribus. Vel majoris brevitatis ergò poſſet pro *quarto*, & *quinto* ſubſtitui unicus ex Anton. Cotonio *controverſiarum celebrium Tom. 1. Lib. 5. controv. 1. cap. 5. num. 290.*

Si ſponſam rapias, ſi clandeſtinus inibis.

Poſſet etiam in eadem correctiore impreſ- 17
ſione exprimi illa explicatio *ſecundi* impedimenti, ſcilicet Conditionis, quam proferam *Caſ. V. num. 130.* nam *quarto*, & ſeqq. Caſibus ediſſeram ordine illa 14. impedimenta.

Quæritur II. *Quis impedimenta ſtatuere, quis* 18
tollere queat?

Reſp. I. Quamvis, ſpectato jure Divino, ac naturali valeant etiam ſæculares Principes ſtatuere unum, aut plura impedimenta Matrimonii, etiam dirimentia, Sanchez *Lib. 7. Diſp. 3.* ex communi, eò quòd Matrimonium ſit contractus humanus, & politicus, ſeu civilis. *Lib. 1. ff. De ritu nupt.* elevatus à Chriſto Domino ad dignitatem Sacramenti. S. Thom. *in 4. diſt. 26. quæſt. 1.* adeò ut idem P. Sanchez *ibid. num. 7.* ſcribat, diſſentiente Tannero *Tom. 4. Diſp. 8. quæſt. 4. num. 20.* poſt S. Thom. Chriſtianos ſubditos principibus Ethnicis aſtringi æquè legibus eorum matrimonialibus, atque aliis civilibus, hanc tamen poteſtatem, atque jus reſervavit ſibi Summus Pontifex per Concil. Trident. *Seſſ. 24. can. 12. De Matrimonio* pronuntians: *Si quis dixerit, cauſas Matrimoniales non ſpectare ad judices Eccleſiaſticos, Anathema ſit.* Quæ doctrina eſt ita recepta, ut

Digitized by Google

Diana *Part.5. Tract.1. Reſol.16.* teſtetur, contrariam opinionem Petri Soti (qui quidem interfuit Concilio Tridentino, at diem extremum illic obiit, ut videre eſt apud Cardinal. Pallavic. *in Hiſtor. illius Concilii Part.2.*) haberi ab aliis falſam, & improbabilem, niſi fortè non eſſet recepta lex Concilii Tridentini, ut apud Dianam notat Cœleſtinus, etenim conſuetudine poſſe tolli, & induci impedimenta etiam dirimentia, oſtendam infrà, & tradit P. Leſſius *in Auctario caſuum verb. præſcriptio. Caſu 2.* notans, quando lex Principis ſæcularis ſtatuens, vel abrogans impedimentum fuit diu obſervata, habere illam vim, non quatenus eſt à Principe introducta, ſed quatenus tamdiu obſervata, cum tacito conſenſu Pontificis. Vide prædictum Dianam, neque ſubſcribe reſolutioni hujus.

Caſus Præſulis præfervidi.

19 *Archiepiſcopus quidam, cùm tentatis variis mediis, & impoſitis aliis pœnis non poſſet extirpare abuſum qui in ſua Diœceſi nimiùm irrepſerat, quo aliqui variis de cauſis occultè Matrimonium contrahere volentes ſub prætextu infirmitatis, vel alio ſimili, Parochum ad ſe vocabant, illóque præſente, & duobus teſtibus Matrimonia repente contrahebant, antequam Parochus effugere poſſet, ex quibus Matrimoniis multa ſcandala, & diſſenſiones oriebantur: idcirco lege, & edicto publico non ſolùm id prohibuit, ſed abſtulit facultatem Parochis, & aliis ſacerdotibus, de eorum licentia aſſiſtendi ejuſmodi Matrimoniis, non præmiſſis denuntiationibus, eóſque omnes quoad hunc actum aſſiſtendi ſuſpendit, ac declaravit, Matrimonia, ſi quæ deinceps hoc modo fierent, fore invalida ob defectum poteſtatis aſſiſtendi, ex parte Parochi, vel alius ſacerdotis, quæ jam hac lege ablata fuerat. Quæſitum fuit, an id Archiepiſcopus* validè *facere potuerit?*

Reſpondi, Archiepiſcopum potuiſſe ultra pœnas à jure ſtatutas alias pœnas addere, ad hujuſmodi abuſum impediendum, nihilominus cenſui, eum non potuiſſe Matrimonia ſic contracta irrita reddere. Ratio à priori, & fundamentalis eſt, quia, quidquid ſit de aliis materiis, in hac tamen materia non poteſt Epiſcopus lege ſua inducere impedimentum irritans Matrimonium, hoc enim, utpote graviſſimum negotium, ut ex quo graviſſima inconvenientia ſequuntur, meritò reſervavit ſibi uni Summus Pontifex, ut fatentur communiter Auctores.

Quæ hîc legis, Lector, ſunt omnia formalia verba Cardinalis de Lugo *Lib.1. conſil. ſeu reſponſ. Moral. dub.45. num.1.2.4.6.* quibus integre acquieſco, & quid ni tu quoque? Vide Sanchez *Lib.7. De Matrim. Diſp.1.* conſentientem cum aliis. 20

Nihilominus tamen rectè fatetur P. Tannerus *citatâ quæſtione 4. num.14.* etiamnum licitas eſſe leges Principum, & Urbium Catholicarum, quibus ſancitur, ut, ſi quis velit gaudere hoc, aut illo privilegio, aut munere, ſit cœlebs: non habeat uxorem alienigenam, aut mendicato viventem. Ratio eſt, quia hoc pacto non propriè uſurpatur aliqua propria juriſdictio, nec aliqua lex fertur ſub peccato, aut pœna propriè dicta, ac proinde nec propriè conſtituitur impedimentum Matrimonii, ſed honeſta ſolùm conditio requiritur ad certum miniſterium in tali familia, aliúdve Beneficium non debitum, quam ſervare qui non velit, libere abeat. Ita Tannerus.

Cujus veræ doctrinæ occaſione propono, reſolvóque quæſtionem à Theologis non ita ex profeſſo tractatam, at non prætereundam ob caſus plures fortè conſimiles 21

Huic Mutinenſi.

Mutinenſi ſtatuto cavetur, ut mulier, quæ ſe ipſam nupſit alicui forenſi, ſit incapax ex teſtamento, vel ab inteſtato, omnium bonorum cujuſcunque civis, vel diſtrictualis Mutinæ. Quæritur, an ſubſiſtat tale ſtatutum?

Carillus de Acuna *in Volumine proprio de Deciſionibus Rotæ deciſ.271.* refert hoc ſtatutum, intelligens per mulierem nubentem *ſe ipſam* illam, quæ ſe ipſam elocat, non autem elocatur ab alio, ut patre, patruo, &c. atque teſtans, à Carandino referri 22. Doctores, qui negent, id ſtatutum valere, eò quòd non ſolùm reſtringat libertatem nubendi, cùm tamen Matrimonia debeant eſſe libera *cap. Gemmæ. De ſponſal.* ſed etiam ſtatuta laicorum non modò non valeant circa acceſſoria, & ab eo dependentia, quia, cùm talis materia ſit ſpiritualis, pertinet ad juriſdictionem Eccleſiaſticam *cap. Tuam. De ord. cognit.* Sed ſi tale decretum eſt irritum ſingulariter in caſu, quo puella peccavit adverſùs obſervantiam debitam parentibus in tam gravi negotio, ſubibit à fortiore eandem Cenſuram ſtatutum Reipublicæ Lucernenſis apud Helvetios, utpote non permittentis, ex urbe ſua efferri dotem mulieris nubentis alienigenæ, ſed ſolùm dotis uſumfructum, ſeu cenſum annuum. Exiſtimo autem, neque Illuſtriſſimos Dominos Nuntios Apoſtolicos, qui ſolent ea in urbe habere ſuam reſidentiam ordinariam, neque Theologos, illic magno numero commorantes, habere eam legem pro irrita, ſeu libertatis matrimonialis indebitè imminutiva.

Dico

Digitized by Google

Dico ergo, illos ſtatutarios, ſeu legiſlatores non innodari excommunicatione decretâ à Concil. Trident. *Seſſ. 24. De Reform. Matrim. cap. 9.* loquitur enim expreſſè *De cogentibus directè, vel indirectè* ad Matrimonia, non verò de prohibentibus, ut rectè notat Barboſa *in cit. loc. Tridentini Concil. num. 9.* poſt Bonacinam *De Matrim. quæſt. 3. p. 8. num. 24.* expreſſè ita reſolventem cum pluribus contra alios, & meritò, quia leges pœnales, qualis eſt illa Tridentini, utpote ſtatuens excommunicationem ſeu ferendæ, ſeu, ut aliis placet, latæ ſententiæ, nequaquam ſunt extendendæ ultra proprietatem verborum; prohibitio autem non continetur ſub proprietate coactionis. Et nunquid illi, de quibus loquentem retulimus paulò antè Tannerum, à nemine, ut reor, improbatum, prohibent Matrimonia? Quis autem pronuntiet eſſe reos anathematis? Quis illos, qui vetant, ne Catholici miſceant cum hæreticis ſua connubia? Non excuſarem quidem ſeu Lucernenſes, aut Mutinenſes adæquatè, ſi hæ urbes conſtarent pauculis capitibus, atque adeò ſi nubiles puellæ anguſtiâ loci arctarentur, ut loquuntur Brevia expedita pro diſpenſationibus in gradibus prohibitis, quia revera foret iniqua lex ſtatuens indicatam privationem fortunarum, at quia in neutra urbe deſunt cuique ſuæ conditionis viri, aut fœminæ, eam ob rem exiſtimo, non eſſe ſtandum judicio illorum 22. Jureconſultorum, de quibus ſuprà, tum quia nullibi ſcriptum eſt, Matrimonia eſſe debere omni prorſus ex parte liberrima, ut patet tum ex allatis inſtantiis, tum quia alioquin peccâſſent Pontifices ſtatuentes tot impedimenta, quot enumeravimus ſuperiùs, tum quia, licèt Matrimonium ſit quid ſpirituale quoad ſubſtantiam, non tamen quoad omnia accidentia, & circumſtantias. Quidni ergo Magiſtratus ſæcularis valeat ex gravi cauſa aliquid ſtatuere circa harum nonnullas?

APPENDICULA.

a Erit tamen fortè nonnemo, qui ſentiat ſecùs de hoc

Caſu Helvetico,

Quo ſcilicet Andronicus acceptavit parochiam à Magiſtratu laicali, penes quem eſt de facto jus inſtituendi, oblatam eâ conditione, ut nullum è filiis, aut filiabus incolarum copularet matrimonialiter, niſi nupturiens penderet priùs eidem Magiſtratui taxam pecuniariam Lege ſtatutam.

b Quærebatur ex me die ſexto Maji Anno 1673. *Quid cenſerem de ſtatuta ejuſmodi annexione cum collatione Beneficii?* Illud autem Statutum non habet locum reſpectu civium, ſed ſolùm incolarum, aliunde eò commigrantium cum omnibus fortunis, at minimè fruentium ullâ parte Juriſdictionis, qua ampliſſima potiuntur cives loci. Et verò Doctores, quos ſuprà hoc *num. 21.* retuli ex Carillo, damnarent ejuſmodi ſanctionem, ut & ego judico, eſſe *per ſe loquendo* damnandam, utpote quæ dat occaſionem multis peccatis committi ſolitis ab iis, qui ardenter deſiderant matrimonialem copulationem, & tamen inhibentur fortè per unum, aut plures Annos, nihilominus tamen excuſari poteſt illud ipſum Statutum, ſi e. g. peregrino volenti figere illo loco domicilium, dicatur: *Permittetur quidem tibi, tuiſque liberis jam ſuſceptis, & ſuſcipiendis habitatio perpetua in oppido, ſeu pago noſtro, eâ tamen conditione, ut, ſi qui ex tuis liberis tranſire velint hic loci ad nuptias, priùs pendant Magiſtratui decem, viginti, triginta &c. aureos, niſi enim hoc quaſi fræno utamur, replebitur noſtrum oppidum nimis multis extraneis planè inopibus, faceſſituris magnas nobis moleſtias.* Foret quidem optandum, ut talia ſubjicerentur cenſuræ Epiſcopali, ſed libertas Helvetica non dat locum his votis.

Huic Caſui Helvetico jungo Auſtriacum.

c *Quo miles præſidiarius civitatis A. petivit à legitimo Parocho copulari matrimonialiter cum imprægnata ſua ſponſa. At hoc intellecto inhibuit Præfectus præſidii copulationem, obtendens, eam non poſſe fieri ſine ſuo conſenſu, quem tamen juſta de cauſa negaret. Non attenta tamen hac oppoſitione fuit cum præſcitu Magiſtratus Eccleſiaſtici aſſiſtum illi Matrimonio. An rectè?*

Reſpondi conſultus: rectiſſimè per ſe loquendo. Re enim vera libertas Matrimonii nimium conſtringeretur, ſi in tali eventu penderet à Magiſtratus ſæcularis conſenſu, vel conniventia, ſeu ſi iniri non poſſet contradicente illo Magiſtratu, qui ſine dubio peccâſſet peccato uſurpatæ juriſdictionis, ſi illi Parocho propriè vetuiſſet actualem copulationem, eſt enim ſolius Magiſtratus Eccleſiaſtici exercere ejuſmodi actum.

d Sed opponebatur, fuiſſe ab illo Præfecto generaliter vetitum, nequis, dum agit actu militem præſidiarium, nuptias celebret. Reſpondeo, poſſe quidem occurrere cauſas, ob quas ejuſmodi inhibitio juſtificari queat, haud tamen ita ut ſe extendat ad jus opponendi ſe & ſententiæ judicis Eccleſiaſtici, & juri naturali de ſervanda fide data, & ſingulariter de bono prolis promovendo potiùs quàm impediendo. Nolim tamen dicere incurri à talibus Magiſtratibus pœnas decretas in impedientes libertatem Matrimonii, cùm eæ ſint latæ non contra quoslibet quavis ratione impedientes, ſed impedientes per coactionem. Suprà, hoc eodem *num. 21.*

Digitized by Google

c Audio quidem, fuiſſe illum militem punitum graviter à tribuno, at nihilominus dico, non potuiſſe puniri directè ob initum re ipſa illud Matrimonium, ſed partim ob promiſſionem matrimonialem contra ejus edictum factam, partim ob fornicationem, quæ quidem eſt mixti fori. Quia verò his ſcriptis intelligo, illum militem fuiſſe ob contractum Matrimonium exauctoratum, gladiique geſtandi jure privatum, & cum publica infamia deductum extra Urbem, quæri poteſt, an ſi prævidiſſet ante Matrimonium de præſenti, fore, ut tanta pœna (cujus juſtitiam non examino) mulctaretur, potuiſſet inoffenſo numine reſilire à fide data.

Reſpondeo, ſi abſtrahamus à defloratione, potuiſſet certè, ſi ab imprægnatione includendo tamen deflorationem, potuiſſet probabiliter: ſi verò includamus imprægnationem non potuiſſet.

Prima pars probatur ex tam variis cauſis, quas ſufficere diſſolvendis ſponſalibus de futuro producam *Tract. ſeq. num. 24. & ſeqq.* quæ etiam conciliant probabilitatem alteri parti datæ reſolutionis. At verò bonum prolis tanti fit, & meritò à Theologis, ut propter illud debuiſſet pater etiam cum ſuo illo incommodo ſtare fide data.

22 Reſp. II. Ad quæſtionem propoſitam *n. 18.* Impedimentũ Matrimonii poteſt *directè* tollere ſolus Summus Pontifex, ſicuti ſolus poteſt ea ſtatuere, quæ ſunt ſolius juris *humani*. Doctores paſſim in hac materia. Attamen nemo negat, quin longæva conſuetudo valeat abrogare unum, aut plura ex iis, quæ induxit jus Pontificium, adeóque efficere, ut valeant Matrimonia in quarto gradu affinitatis, aut cognationis contracta.

23 Nemo, inquam, negat inprimis in caſu, quo mutantur (ut ſanè fieri poteſt) notabiliter circumſtantiæ, quæ tunc aderant, quando fuit lata lex ſeu *expreſſè*, ſeu *implicitè* improbans contrariam conſuetudinem, velut irrationabilem: nam, generatim loquendo, licèt aut unicè verum, aut certè probabiliſſimum ſit, non poſſe per conſuetudinem abrogari legem, quæ reprobat conſuetudinem contrariam, quamdiu eædem manent rerum circumſtantiæ; hoc enim ipſo, quòd lex reprobet conſuetudinem, declarat, illam eſſe irrationabilem, aut corruptelam, inquit Diana *Part. 6. Tract. 5. Reſol. 21* multis ipſi aſſentientibus, quia tamen non omnis conſuetudo, quæ reprobatur, ideo reprobatur, & damnatur, quòd adverſetur juri *Naturali*, aut *Divino poſitivo*, ut nôrunt, qui Canones reprobativos conſuetudinum ipſis repugnantium memoriâ tenent, ſed aliquando propter notabilem indecentiam, aut propter plura incommoda, vel graviora pericula, quæ cum tempore poſſunt mutari, ſuáque mutatione efficere, ut, quæ uno tempore eſſet irrationabilis, alio tempore ſit rationabilis, & ſic deſinat eſſe reprobata. Diana *loc. cit.* poſt Suarez, Pontium, alios, quos refert. Ideo verum eſt, quod dixi de caſu mutationis circumſtantiarum, quódque extendes ad caſum, quo ſuperveniunt aliæ circumſtantiæ, notabiliter difficiliorem reddentes legem conſtitutivam impedimenti. Nemo deinde illud noſtrum pronuntiatum negat rationabiliter, caſu, quo ea conſuetudo eſt perſonaliter nota legiſlatori, & ab eo *expreſſè*, vel *tacitè* approbatur. P. Laymannus *in Theol. Morali Lib. 1. Tract. 4. cap. 24. num. 8.* loquens generatim de conſuetudine reprobata. At verò magna lis eſt apud DD. utrùm conſuetudo, ſeu longa, ſeu etiam immemorialis introducta, ignorante Pontifice, poſſit (non mutatis circumſtantiis) verè abrogare aliquod impedimentum dirimens ſolo jure humano. Poſſe contendit P. Sanchez *De Matrim. Lib. 7. Diſp. 4* eum ſequuntur P. Coninck *Tom. 2. in 3. Part. Diſp. 30. num. 13. & ſeqq.* itémque Pater Martinus Perez *De Matrim. Diſp. 21. totâ ſect. 6.* hanc ipſam doctrinam tradidit P. Leſſius relatus ſuprà *num. 19.* qui omnes ſuam reſolutionem extendunt etiam ad vim inducendi nova impedimenta dirimentia. E diverſo utramque hanc conſuetudinis efficacitatem negant plerique, ut fatetur ipſe Sanchez, contra quem, ejúſque ſententiam inſurgunt, ſingulariter ipſius quaſi ex officio cenſor Baſilius Pontius *De Matrim. Lib. 6. cap. 8.* atque Proſper Fagnanus *in cap. Utrùm autem. De cognat. ſpir.* & *cap. Quod ſuper. De conſang. & affinit.* quo utroque loco exigit Fagnanus cum ſcientia non ſolùm conſenſum Pontificis permittentis, ſed etiam approbationem, cùm eadem poteſtas requiratur in Legis abrogatione, quæ in ejus editione, inquit *n. 18. citati capituli Utrùm.*

Ego quidem exiſtimo, eſſe veroſimilius, quòd nulla conſuetudo, niſi cognita Pontifici, 24
ſaltem permiſſivum conſenſum concedenti, poſſit abolere ullum ex iis impedimentis, quorum conſuetudinariam non-obſervantiam Canones vocant corruptelam, niſi mutentur circumſtantiæ, juxta doctrinam ſuprà traditam. etenim nulla conſuetudo quidquam operatur, niſi ſit legitimè præſcripta *cap. Si de conſuetudine. Extra. De conſuet.* & DD. *ibid.* nequit autem præſcribi, niſi cum conſenſu ſaltem permiſſivo Superioris, potentis inhibere, ſi velit. Gloſſ. *in cit. cap. Si de conſuetudine* & DD. *Ibid.* hic autem conſenſus non præſumitur, quando Superior, ſeu Papa habet illam conſuetudinem pro corruptela, ſeu irrationabili. Nihilominus tamen habeo opinionem Patris Sanchez, quatenus loquitur de vi abolendi impedimentum dirimens, pro verè probabili, d
tum quia ipſemet Fagnanus *cit. n. 12.* expreſsè fatetur, opinionem unius gravis Doctoris faventem Matrimonio adverſùs communem eſſe ſequendam, atqui Pater Sanchez eſt non

tantùm

Digitized by Google

tantùm gravis, ſed graviſſimus Doctor; nec inficiabitur Fagnanus, Leſſium, Coninck, & Perez eſſe graves, veréque Claſſicos autores, tum quia capitulum, quo maximè nititur Fagnanus, parùm omnino favet ejus ſententiæ; eſt quippe capitulũ: *Quod ſuper. De conſanguin. & affin.* in quo Pontifex Matrimonia intra gradus prohibitos inhibet cum clauſula: *Non obſtante conſuetudine, quæ dicenda eſt potiùs corruptela.* Quam clauſulam ita quidem intelligit Fagnanus, quaſi Innocentius III. conditor illius Decretalis, generatim nomine corruptelæ afficiat omnem conſuetudinem permittentem Matrimonia, intra gradus prohibitos; fallitur tamen in ſua interpretatione, quandoquidem prædicta clauſula deſignat illam ſolam conſuetudinem, quæ id temporis & erat duntaxat pauculorum, & inſuper incerta, ſicuti ſingulariter notat, atque ex Plantiniani editione Juris Canonici obſervat P. Coninck *loc. cit. n. 14.* Poſito verò, quòd dicta Decretalis non damnet conſuetudinem Provinciæ communem, ſed paucorum, agentium contra legem communi more, & uſu approbatam, arbitror, eandem Patris Sanchezii doctrinam eſſe non modò probabilem, quatenus intelligitur de impedimentis conſanguinitatis, & affinitatis, ſed etiam longè probabiliorem, tum reſpectu horum duorum impedimentorum, tum etiam reſpectu omnium aliorum ſolo jure *humano*, ſine clauſulâ reprobativa conſuetudinis contrariæ, inductorum.

25 Ratio eſt, quia in foro quoque Eccleſiaſtico etiam reſpectu ejuſmodi impedimentorum obtinet locum lex civilis: diuturna conſuetudo pro jure obſervari ſolet *Leg. Diuturna. ff. De Leg.* nam conſuetudo ſi ſit rationabilis, & legitimè præſcripta, juri poſitivo præjudicium generare poteſt, inquit Gregor. IX. *Cap. fin. De conſuetud.* Certum autem mihi eſt, non poſſe ullo firmo argumento probari, conſuetudinem oppoſitam Canonibus, impedimentum ſtatuentibus ſine prædicta clauſula reprobativa, eſſe irrationabilem, aut legitimè impræſcriptibilem, ut loquar cum Fagnano. Hæc verò noſtra doctrina nihil prorſus officit omnimodæ firmitati Canonum irritantium conjugia inita cum impedimento vel Voti Religioſi, vel Ordinis, tum quia extant variæ bullæ, omnibus diris devoventes conſtantiſſimè ejuſmodi non tam Matrimonia, quàm concubinatus, ſeu inceſtus; tum quia Præſides Eccleſiarum nuſpiam permittent invaleſcere, ſeu introduci conſuetudinem adverſantem illis ſacratiſſimis ſanctionibus; quæ quidem conſuetudo viget in terris hæreticorum, at reverâ impræſcriptibiliter, tum quia, ut dixi, jura Pontificia conſtanter accenſent deteſtabilibus corruptelis eum ſacrilegum morem, tum quia inferiùs oſtendam, conſuetudines locorum abrogativas impedimentorum eſſe caſſâ nuce infirmiores.

26 His adde tum eorundem quatuor Doctorum, quibus Petrum Sotum, Pickium, & alios jungunt ipſi Sanchez, & Coninck, opinionem de vi conſuetudinis, omnino ſufficiente ad conſtituendum novum impedimentum, eſſe probabilem, quidquid Fagnanus contra illam ſcribat locis citatis, tum id, quod notavi *Tract. 2. Caſ. XVII. n. 342.* tum illa impedimenta, quæ ſuſtulit Concilium Tridentinum, ceſſare etiam iis locis, quibus non eſt promulgatum Concilium. Zypeus fusè apud Dianam *p. 6. Tr. 8. reſ. 26.* & nominatim de Anglia reſolvit contra alios P. Leſſius *in Conſil. moral.* ſeu *Auctario ad Primam ſecundæ Verb. Matrimonium. Caſu 7.*

Dixi quidem præcedentibus paragraphis ſat multa de vi conſuetudinis, tum generatim, a
tum ſpeciatim in ordine ad inducendum, vel abrogandum Matrimonii impedimentum, ſeu impediens duntaxat, ut agnoſcunt omnes, ſeu etiam dirimens, ut ſcribunt ii, quos nominavi; ſæpe quoque in toto hoc opere uſus fui argumento petito ex ſola conſuetudine, nunquam tamen propoſui, aut declaravi doctrinam habentem uſum perfrequentem, ſcilicet eſſe generatim duplicem conſuetudinem, unam Juris, alteram facti, cujus tamen diviſionis nunc proponendæ ac decidendæ occaſionem dedit hic

Caſus Beneficialis.

ADolphus vir Nobilis, & laicus, eſt patronus b
Parochialis Eccleſiæ B. quâ vacante præſentat Alipium Collegiatæ Eccleſiæ D. habenti jus inſtituendi. At præſentatus non admittitur è Rectore dicti Collegii, ea ſola de cauſa, quòd hactenus fuerint inſtituti illi ſoli, qui erant alterius ſtatûs, *& conditionis (ut exprimunt literæ è longinquo ad me Conſilii cauſa datæ die 15. Junii hujus currentis Anni* 1677.) *quàm ſit Alipius ab Adolpho præſentatus, adeóque admiſſionem Alipii repugnaturam conſuetudini ſuæ Collegiatæ Eccleſiæ. Quæritur, utrùm hæc exceptio fundata in ſola* conſuetudine *ſubſiſtat de jure?*

Reſpondi, non poſſe à me dari abſolutam, c
ſed tantùm hypotheticam reſolutionem, eò quòd tametſi plurimum deferendum ſit legitimæ conſuetudini, juxta doctrinam cap. finalis *De conſuetudine*, eáque ſit tanquam mater honoranda, quemadmodum paulò antè retuli ex Baldo, & denique Collegium Clericorum poſſit inducere conſuetudinem. Infra *lit. f.* attamen literæ tacent, utrùm illa conſuetudo ſit *facti* ſolius, an etiam *juris*; item an approbatæ à Superiore Eccleſiaſtico, nec ne.

Sciendum eſt enim, & frequentiùs quàm for- d
taſſe fiat, obſervandum, perſæpe fallere hanc argumentationem: Hoc, aut iſtud eſt contra notoriam, antiquiſſimam, à viris optimis obſervatam conſuetudinem; ergo eſt illicitum, aut non ſubſiſtit. Cauſa verò, cur ſæpe fallat hæc ratiocinatio, eſt, quòd, qui ita loquuntur, non

Digitized by Google

non ſemper attendant ad diſtinctionem inter conſuetudinem *Juris*,& conſuetudinem *facti*, cùm tamen & toto cælo differant hæ duæ conſuetudines, & una illarum vigente, ſæpiſſime permittatur id,quod alterâ nequaquam.

e Igitur notandum eſt I. Conſuetudinem *Juris* eſſe jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur,cùm deficit lex,ut definitur *cap. 5. diſtinct. 1.* At conſuetudo *facti* eſt nihil aliud,quàm frequentia liberè operandi, ſeu aliquem actum exercendi, adeóque nihil aliud, quàm ſæpe repetita actio circa aliquod objectum; quæ proinde conſuetudo nullam ex ſe inducit obligationem, nullum alteri præjudicium adfert, ſicuti patet exemplo conſuetudinis,qua ſolemus meridie,& Veſperi, atque manè publicè ſalutare Deiparam. Nihilominus tamen conſuetudo *facti* præcedit conſuetudinem *juris*, quæ conſuetudo *juris* neceſſariò adfert obligationem, utpote quæ vim habet, energiámque Legis, de cujus ratione eſt, ut obligationem gignat; ut notant omnes Theologi in *Tract. de legibus.* At quo pacto gignet obligationem circa aliquod objectum, circa quod nulla extabat prius obligatio? certè per ſolam intentionem, ideóque ut conſuetudo juris producat aliquam obligationem, debent ii, qui illam conſuetudinem introduxerunt per conſuetudinem facti, vel certè continuârunt, cœpiſſe, vel continuâſſe ea intentione, ut ſibi aliquod jus, vel obligationem compararent. Gloſſ. *cap. final. De conſuet.* ubi enumerat ſeptem conditiones requiſitas ad conſuetudinem *juris*, viderique poſſunt inter Theologos P. Suarez *Lib. 7. De legib. cap. 14.* inter Jureconſultos P. Ernricus Pirhing *Tom. 1.* in Jus Canonicum univerſum *Tit. 4. n. 48.*

f Quia tamen communitas Clericorum, adeóque Eccleſia Collegiata poteſt quidem introducere conſuetudinem. *Abbas in Rubr. Tit. de Conſuet.* & Suarez *loc. cit. cap. 9.* at non niſi approbatam ſaltem tacitè ab Epiſcopo. Gloſſ. *in cap. ult. De Conſuet.* Suarez atque alii, videndum eſt, an approbatio data ſit vel ab Epiſcopo, ſi illa Collegialis Eccleſia non ſit exempta, vel à Papa, ſi exempta, Gloſſ. *in cap. ult. De Conſuet.* communi calculo recepta; & datam fuiſſe præſumitur, ſi ſit immemorialis, nec repugnet rectæ rationi. Ita omnes. Quò verò propiùs & directiùs ad propoſitum Caſum veniamus.

g Notandum eſt II. Sicut conſuetudo efficere poteſt ex eligibili ineligibilem, & vice verſa. *cap. Nos Conſuetudinem. diſt. 12.* & Gloſſ. in *Cap. Cùm olim. De Cler. Conjug.* ſic conſuetudo valet facere ex præſentabili impræſentabilem, etenim de ſimilibus ſimile judicium ferendum eſt. *L. Illud. ff. Ad L. Aquil.* His breviter notatis ad quæſtionem propoſitam.

Reſpondeo. Illa conſuetudo non inſtituendi homines talis ſtatûs, & conditionis introducta eſt vel animo poſitivè eos repellendi, vel ſine tali animo, quia e.g. fortè nunquam fuit cogitatum, nunquam talis fuit præſentatus? Si ſine tali animo, debet illa conſuetudo haberi pro conſuetudine meri *facti*, non autem *juris*; ſiquidem conſuetudo Juris introducenda, vel continuanda eſt animo comparandi ſibi jus ſuprà *lit. e.* conſequenter nequit illa conſuetudo facti allegari in præjudicium Patroni, qui, ut ſuprà dixi, ſatiſfacit officio ſuo, & obligationi, ſiſtendo præditum qualitatibus requiſitis vel à jure communi, vel à particulari Eccleſiæ Collegiatæ, quale hæc non exhibet, quando allegat conſuetudinem facti ſolius. Si verò ſciatur eſſe introducta animo poſitivè excludendi omnes illius ſtatûs, aut conditionis, debet hic animus probari, & quidem non uno, ſed pluribus actibus; nam conſuetudo *juris* eſſentialiter fundatur in conſuetudine *facti*, ſuprà *lit. e.* Quamquam utique ſufficeret unus actus, ſi juxta obſeruationem Gloſſ. *in cap. Cùm tanto.* ſeu fin. *De Conſuet. verb. Legitimè* fuit in contradictorio judicio obtentus ſeu approbatus.

His ipſis rationibus partim uti potui, par- h
tim fui uſus eodem menſe Junio in Caſu, quo fuerat à multo majore parte Capituli Ruralis in Decanum Capituli electus vir cætera peridoneus, & etiam Capitularis, indiſputabiliter fruens jure ſuffragij activi, at duntaxat Capellanus à nullo dependens Parocho, nec magis à Decano, quàm ullus Parochorum, fuit tamen graviter impugnata illa electio eâ ſolâ fundamentaliter de cauſa, quòd repugnet Diœceſanæ conſuetudini, quæ hactenus ſemper ad Decanatum Ruralem promovit unum è Parochis Capitularibus, nullum verò Capellanum.

Ego lite pendente ſententiam rogatus à i
duobus, uno Capitulari Sacerdote, altero laico primæ auctoritatis, partim aliquas ex productis rationibus adduxi, partim hanc, quòd illa conſuetudo repugnet juri communi *cap. Ne pro defectu. De elect.* Ubi dum generatim dicitur, eſſe eligendum unum, qui ſit *de Eccleſia*, ſeu de gremio, ſatis innuitur quemlibet de gremio poſſe (ſi idoneus ſit) eligi, hánceque interpretationem firmat generaliſſima conſuetudo tam laicorum, quàm Clericalium communitatum, & Eccleſiarum tam Cathedralium, quàm Collegiatarum; etenim omnia membra illarum Communitatum, quæ potiuntur jure ſuffragii in electione Regis, Ducis, Epiſcopi, Decani, Abbatis, hoc ipſo & eligi ipſa poſſunt, niſi vel particularia ſtatuta, vel defectus qualitatum de jure naturali requiſitarum, vel notoria, indubitatáque conſuetudo obſtet. Unde ipſe ego k
teſtari poſſum, cùm Anno hujus ſæculi 1626. nondum ſacerdos ſupremæ Grammaticæ præcepta traderem hic Conſtantiæ, fuiſſe crebrum ſermonem de fortaſſis eligendo in Epiſcopum S R.I. Principem, inſigni Doctore Juris, qui & Canonicus erat Cathedralis, tametſi tiara poſtmodum meritò obtigerit Viro tam genere, quàm ſapientiâ Nobili.

Ad-

Digitized by Google

Addideram in primis è diverſo, ſi illa Capellani promotio repugnabat conſuetudini, haud fuiſſe firmam, niſi & rata haberetur ab Illuſtriſſimo Ordinario, & in eam conſenſiſſent omnes, etenim per quaſcunque cauſas aliquid naſcitur, per eaſdem diſſolvitur *cap. 1. de Reg. jur. in 5.* Sicut ergo Epiſcopi conſenſus fuit per ſuperiùs dicta requiſitus ad conſtituendam illam conſuetudinem, ita eſt neceſſarius ad ſolennem actum ei contrarium exercendum.

Rurſum, quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari *Reg. 29. in 6.* & in re communi potior eſt conditio prohibentis, *cap. In re communi. 56. eod.* adeò, ut quando aliquod Statutum etiam à majore parte Collegii factum eſt in præjudicium unius è membris illius Eccleſiæ, pariat exceptionem doli. Petrus Peckius in cap. *Quod omnes. De Reg Iur. in 6.* ergo omnes & ſinguli Parochi, qui non ſunt ſuffragati illi Capellano, habent jus reclamandi, efficiendíque irritam electionem, idque cenſeo eſſe indubitatum conceſſâ, quam indicavi, hypotheſi.

Quia verò ille, qui me conſuluit, Laicus, valde ſeriò cogitabat de appellatione, & provocatione ad D. Nuntium Apoſtolicum interponenda, ſi, quod non inanis rumor ferebat, illam electionem declararet irritam Illuſtriſſimus Diœceſanus, penitus diſuaſi, partim, quia unde ortum eſt jus, inde & petenda interpretatio *L. Non ambigitur ff. De Leg.* illa autem conſuetudo ortum habet à conſenſu Epiſcopi. Suprà *lit. f.* partim, quia interpretatio ſtatuti ſpectat ad ſtatuentes Alexander. *Conſil. 216. n. 13 lib. 2.* Conſtitutiones autem Synodales ſunt ab Epiſcopo ſtatutæ, ergo & ab eo interpretandus ille §. tertius, qui in Conſtitutionibus hujus Diœceſis habetur *Part. 2. tit. 3.* his verbis: *Vacante aliquo Decanatu, talis NB. à confratribus eligatur, qui à nobis, aut Vicario noſtro propter vitæ, & eruditionis ſua merita, facta prius inquiſitione, ſi opus fuerit, confirmari poſſit.* Unde ſi formaliter atque expreſſè dicat Epiſcopus, eo loco dictione *Talis* deſignari ſolos Parochos, ſtandum eſt hac interpretatione, ſaltem ſi vel ante hunc caſum ſponte, vel pro hoc caſu expreſſè interrogatus reſponderet, eſſe omnino hunc ſuum, ſuorúmque anteceſſorum animi ſenſum.

Quòd ſi fortè conſuetudo vicinarum Diœceſeon excluderet à Decanatu omnes omnino Capellanos, tunc ſanè evaderet appellatio periculoſior, interpretatio quippe dubiæ conſuetudinis deſumitur à conſuetudine vicinarum Diœceſeon. Tuſchus *lit. C. Concl. 821. n. 1.* poſt Oldradum, & alios; Diœceſis autem Conſtantienſis contigua eſt (quis facilè credat? veriſſimum tamen eſt) Octo Diœceſibus, ſcilicet Baſileenſi, Argentoratenſi, Spirenſi, Auguſtanæ, Curienſi, Comenſi, Sedunenſi, Lauſannenſi, quid ſi major horum Epiſcopatuum pars (minoris ratio habenda non eſt) ſolita ſit pro irregularibus, ut ita loquar, ad officium (nec enim dignitatibus accenſetur) Decani Ruralis habere cunctos Capellanos? Hæ ſanè rationes meritò quemvis prudentem abſterrerent ab illo juris remedio, quod non modo Baldus in L. *Vnic. Cod. Si de moment. poſſeſſ.* ſcitè appellat *theriacam adverſus venenum judicum*, ſed etiam S. Bernard. ipſe *Lib. 3. de Conſiderat. ad Eugenium Papam* ſcribit, eſſe grande & generale mundi bonum, idque tam neceſſarium, quàm ſolem ipſum mortalibus, appellationem, inquam.

Denique quia facilè poteſt evenire alius, o
quoad ſubſtantialia, ſeu formalia perſimilis huic ſecundo Caſus, placet meum generale reſponſum declarare ſpecialibus hypotheſibus.

Aut enim habuerunt illi Capitulares, qui interfuerunt electioni Capellani, ſæpe aliquos Capellanos ſufficientibus vitæ & eruditionis meritis, ut mutuem verba Conſtitutionis Synodalis, præditos, & tamen nullus eſt unquam ex electoribus ſuffragatus, & tunc veroſimillimum eſt illam perpetuam præteritionem contigiſſe inde, quòd univerſi cenſerent haud convenire (omnibus conſideratis) ut Capellanus præferretur Parochis idoneis. Aut 2. aliquando eſt factum, ut tales Capellani tulerint unum, duo, & tria ſuffragia, ſed poſitivè contradictum ſit à majore parte; & tunc ſimiliter ſignum eſt, habitum fuiſſe à majore parte pro incapacibus ſuffragij paſſivi. Aut 3 vice verſa bis, térve contigit, ut quis è Capellanis fuerit honoratus uno, alteróve ſuffragio, necquiſquam palàm improbavit hanc nominationem; in tali caſu præſumendum eſt, majorem Capituli partem judicâſſe illos Capellanos eſſe non minùs (cæteris paribus) habiles ad paſſivam, quàm ad activam ſuffragationem. Ratio eſt, quia argumentatio à ſolitis fieri eſt magnarum virium, ut multoties dixi, & particularibus caſibus applicavi in hoc toto Opere, eſt autem frequentiſſimum, & planè ſolitum, ut in talibus eventis tacens habeatur pro conſentiente juxta Regulam *46. in 6.* Unde in ſpecie loquendo de promotione ad Beneficium Eccleſiaſticum, quando Patronus non ſe opponit inſtitutioni alicujus à ſe non præſentati, præſumitur illam habere ratam. Rota *Deciſion. 413. in novis*, ſicut & qui tacet in collatione Beneficii, cenſetur illud acceptare, Cardinal. *in Clement I. De Præbend.*

Aut denique vel nunquam, vel rariſſimè p
adfuit aliquis à Capellanis verè capitularibus, juréque ſuffragii activi præditis, qui ſingulos è Parochis æquaret iis qualitatibus, quæ maximè ſpectari ſolent in ejuſmodi electionibus; data hac hypotheſi, exiſtimo conſuetudinem perpetuam nominandi ſolos Parochos non obeſſe, quominus hodiéque valeat eligi Capellanus capitularis. Ratio eſt, quia talis conſuetudo videtur potiùs eſſe facti, quàm Juris; atqui conſuetudo facti nihil aufert. Suprà *lit. e.* Proba- q
tur

Digitized by Google

tur aſſumptum inde, quòd conſuetudo juris contraria juri communi minimè ſit præſumenda, ſed validè probanda &c. & facta probari debent non præſumi, & nemo præſumitur velle perdere ſuam libertatem, & denique nemo præſumitur velle introducere conſuetudinem juri communi, Diœceſanæque contrariam; jus verò commune, imò Diœceſanum impreſſum admittit ad tale officium omnes Capitulares ſuprà *lit.g.*

Et verò ſi longo uſu periti Præpoſiti, Decani, Parochi interrogati utrùm nôrint, multos è Capellanis Capitularibus, qui aut certò aut veroſimillimè electi in Decanos fuiſſent, ſi non obfuiſſet nomenclatura Capellani, fortè reſponderent, ſe aut planè nullum, aut vix unum, alterúmve nôſſe talem, tunc mihi, ſalvo ſaniore judicio, veroſimile eſſet, conſuetudinem non eligendi niſi Parochos, nihil offeciſſe valori electionis, de quo eſt præſens caſus. Denique tamen ſtandum eſt ſententiâ definitivâ Conditoris, Conſervatoriſque Conſtitutionum Synodalium, ut jam ſuprà monui.

r Sed en dubiorum de conſuetudine feracem Junium! Cùm enim hoc menſe deliberaretur alicubi à Canonicis Collegiatæ Eccleſiæ B. de ſufficiendo ſibi Præpoſito, omnium autem animi converſi eſſent in D. L. M. Epiſcopum Titularem omni honore ob excellentiam morum, ac prudentiæ digniſſimum, dubitatum fuit I. An, & eligi poſſet? & ſi adoptaretur ipſe, Præpoſitura poſt ejus (qui ut ſerus contingat, peroptant) obitum vacatura eſſet Sedi Apoſtolicæ? II. An dato, quòd illa devolutio ſecutura timeatur, poſſent inoffenſo Deo facere ejuſmodi electionem?

ſ Horum dubiorum nulla adferebatur ratio, exquirebatur tamen meum judicium, & veniebat in mentem adversùs objectum primi quæſiti hic Scrupulus, quòd in Extravagante: *Execrabilis De Præbendis & Dignitat.* §. *Qui verò*, & aliis juribus prohibeatur unio duarum Dignitatum, & ſtatuatur, ut ſiquis dignitati legitimè poſſeſſæ aliam Dignitatem abſque diſpenſatione Canonica adjungat, Dignitas ultimo loco acquiſita, quando vacabit, *Apoſtolicæ Sedi reſervata ſit.* Accedebat & hæc, quòd duo Beneficia Curata ſint incompatibilia. *cap. De multa. De præbend.* Epiſcopatus autem Suffraganei eſt utique Curatum: cùm tales Suffraganei ſint veriſſimè Epiſcopi, ideóque poſſent jure ordinario excipere Confeſſiones illorum, qui ex ipſorum Epiſcopatu ſito in Turcia, venirent ad ipſos, ut jam alibi notavi, Præpoſitura quoque, de qua hîc agitur, conſtituit verum Superiorem Capituli, adeóque tribuit juriſdictionem ſpiritualem, éſtque vera Dignitas, ergo eſt Beneficium Curatum.

t Secundum, aut tertium dubium creare poterat hæc ratio, quòd in Conſtitutionibus Synodalibus *Part.2. Tit.23.* Sanciatur: *Beneficiati ante inveſtituram jurent, ſe Eccleſiæ ſuæ, ſeu Beneficii jura conſervaturos, & defenſuros;* non autem conſervabitur indubitatum, perpetuúmque jus præpoſitum eligendi, quo jure legitimè gaudet illa Eccleſia Collegiata, ſi ſponte, atque abſque ulla neceſſitate conjiciatur in periculum, ne ſeu Sedes, ſeu Camera (hæc enim duo eſſe hoc loco Synonyma rectè probat P. Enricus Pirhing *Tom.3.* in Jus Canon. *Tit.5.*) manum mittat in electionem proximè futuram.

Cenſui nihilominus I. Tametſi illa Præpo- u ſitura, utpote prima illius Eccleſiæ dignitas, ſit verè, & canonicè loquendo dignitas, attamen poſſe abſque diſpenſatione conferri Epiſcopo Titulari. Primò, quia ſicuti conſuetudo obtinuit, ut, quando quis in Epiſcopum Titularem aſſumitur, non vacent Beneficia, quæ priùs habebat. Laymannus *Lib.4. Theol. Moral. Tr.2. cap.11. num.4.* poſt Azor, Navarr. & alios; & ut tali Epiſcopo aliud Beneficium aliàs compatibile conferri poſſit. Idem Laymann, ita etiam obtinuit, ut Præpoſitura naturâ ſuâ non incompatibilis eidem attribui poſſit. Præpoſitura verò, qua de loquimur, nullas prorſus functiones habet, quæ impediant functiones Epiſcopatûs cùm, pro! dolor, Tyrannus Turcicus teneat illum Epiſcopatum. Confirmatur inde, quòd illam ipſam Præpoſituram abſque ulla diſpenſatione obtinuerit Decanus Eccleſiæ Cathedralis, cùm tamen talis Decanatus ſit æque dignitas, atque eſt Epiſcopatus Titularis. Et verò conſuetudo in his partibus habet, ut Præpoſituræ Eccleſiarum Collegiatarum ferentes fructus perexiguos, ut eſt illa, de qua hic ſermo, cùm vix triginta ducatos annuos ſubminiſtret ſuo Rectori, liberrimè conferantur jam proviſis de una, alterâve præbenda.

Unde etiam fit, ut Archiepiſcopi Salisburgenſes Epiſcopatus quoſdam ex Apoſtolica conceſſione ſuæ collationi plenè ſubjectos interdum conferant Eccleſiæ Canonicis, aliiſque beneficiatis, non adimendo ipſis Beneficia ſua, ut teſtatur P. Layman. *loc. cit.* idque ob tenuitatem redituum, ergo & obtinere poteſt, (obtinuitque reipſa) conſuetudo horum locorum, ut Suffraganatui poſſit adjungi talis, qualem dixi, dignitas. Ad rationem de cura animarum reſpondeo in primis Epiſcopos Titulares habere quidem Beneficium Curatum, at Curatum duntaxat habitualiter, ſeu in actu primo, non autem actualiter, ſeu in actu ſecundo; ergo talis Epiſcopatus non eſt incompatibilis cum alio etiam actualiter curato Beneficio: Barboſa cum aliis *in Cap. De multa 28. De præbend.*

Ad hæc juriſdictio in ſolo foro externo x (qualis eſt Decani Cathedralis) non inducit incompatibilitatem cum alio quantumvis curato Barboſ. *loc. cit.* Ex quibus, & maximè ex conſuetudine horum locorum concludo, non ſubeſſe ullum periculum, ne Præpoſiti nominatio exceptura immediatè mortem Præpoſiti, devolvatur ad Curiam.

Cenſui II. Et cenſeo nunc quoque, juramen- y

Digitized by Google

mentum promiſſorium, aut capitulare non obſtare, quo minùs eligi valeat is, cui fortaſſis Sedes Apoſtolica ſubrogabit alterum. Primò, quia juramentum promiſſorium intelligendum eſt ſecundùm naturam, conditiones, & qualitates, actus, cui ſuperadditur ipſum juramentum, ut latè declaro, probóque *in Alphabet. Quadrupl. num. 504.* inter illas autem conditiones eſt vel maximè conſuetudo, ſiquidem omnis ſimplex promiſſio intelligitur ſecundum conſuetudinem, qua ſolet obſervari talis promiſſio; atqui ſi Domini Capitulares illius Eccleſiæ abſque juramento promiſiſſent in aditu ſuæ præbendæ, ſe conſervaturos, & defenſuros jura ſuæ Eccleſiæ, conſuetudo univerſalis, ut reor, interpretaretur, eam ſponſionem non impedire, quò minùs illum ipſum honorent electione capitis tam eminenter digni, atque eſt is, in quem omnes propendent, & quodammodo rapiuntur.

z Secundò; una ex conditionibus juramento adhærentibus eſt hæc: *Salvo jure Superioris*, ſicut enim non eſt voti tranſgreſſor dicendus, qui, quod vovit, auctoritate Sedis Apoſtolicæ, diſtulit adimplere Text. cap *Non eſt. De vot. & vot. redempt.* ita nec juramenti tranſgreſſor eſt habendus, qui Apoſtolica auctoritate promovet electionem cum incertiſſimo (nullum ſubeſſe dixi ſuperiùs) periculo, ne Sedes Apoſtolica poſtmodum provideat Eccleſiæ de ſubjecto minùs proficuo. Atqui dubitari non debet, quin Sedi Apoſtolicæ valde diſpliciturum eſſet, ſi conderetur Statutum capitulare, vetans ullum unquam eligi talem in Præpoſitum, cujus vacans per obitum præbenda eſſet pro uno actu futura juris Pontificii; eſt verò taciti, & expreſſi eadem ratio *L. Cùm quid. ff. Si certum petetur.* Igitur ambigendum non eſt, quin placiturum ſit Supremæ Sedi, ſi ex cauſa valde rationabili adeatur illud duplici ex capite incertiſſimum diſcrimen.

aa Et verò cùm ab initio omnium beneficiorum collatio in toto Orbe ad Romanum Pontificem ſpectaverit, P. Ernricus Pirhing *Tom. 3. in Ius Canon. Tit. 5. num. 14.* ex Pariſio, ſuam autem poteſtatem ſit gratioſè partitus in Prælatos inferiores, & Eccleſias, meritò perægre ferret, ſi nôſſet aliquam præbendam ea ſola de cauſa negatam digno non unius, ſed plurium fuiſſe, quòd formidaretur, ne ipſe Pontifex proxima vice obtruderet non commodum Eccleſiæ.

APPENDICIS APPENDICULA.

bb Cum jam pridem conſcripſiſſem hanc ſatis prolixam de conſuetudine Appendicem, proponitur mihi in cauſa inter magnos viros valde controverſa, an conſuetudo localis inſtituendi & inveſtiendi Parochos ſine prævia proclamatione derogare valeat Conſtitutioni Synodali præcipienti præmiſſionem illius proclamationis.

Reſpondi autem cum diſtinctione. Illa conſuetudo eſt vel tantùm unius particularis oppidi? vel magni alicujus diſtrictûs comprehendentis V G aliquot Decanatus Rurales? Si eſt hujus ſecundi generis, minimè dubitandum eſt, quin valeat præjudicium generare illi conſtitutioni Synodali, dummodo ſit rationabilis, & legitimè præſcripta, ut loquar cum Gregorio IX. *Cap. final. De conſuet.* Illa autem conſuetudo eſt rationabilis, quam non improbant jura ut loquitur Gloſſ. *ibid.* verb. *Rationabilis.* Si autem ſit tantùm unius oppiduli, tum non ſolùm non eſt extendenda ad alia loca, ſicuti neque prior, verùm etiam patietur magnas difficultates in foro externo, quas tamen ſuperabit, ſaltem ſi probari queat, eſſe valde longævam, multiſque publicis actibus, ſine ulla contradictione exercitam, continuatámque.

Quæritur III. *Utrùm leges Eccleſiaſticæ de* 27
impedimentis Matrimonii, præſertim dirimentibus, etiam obligent hæreticos, ac proinde ſuam integram vim in eos exerant æquè, atque in Catholicos?

Monui ſuperiùs, ne unicum quidem Scriptorem à me lectum eſſe, qui hanc quæſtionem in propriis terminis, vel proponat, vel reſolvat, multò minùs, qui diſcutiat. Legi autem ultra Hiſpanos, & Italos, à quibus meritò nihil in ſpecie expectabam, Germanos, P. Gregorium de Valentia, qui, etſi Hiſpanus, ſcripſit tamen in Germania poſt complures Annos in ea tranſactos; PP. Becanum, Tannerum, Laymannum, Dicaſtillum, qui, & ipſe, educatus in Iberia, ſuos de Sacramentis Tomos conſcripſit in ſuperiore Germania; P. Buſenbaum, Coninck, Wigers, Chapeaville, Jacobum Marchantium, Stephanum à S. Paulo, Sanctgallenſes, ſed nullus horum frangit, aut tangit, hanc nucem. Solus P. Leſſius *in Reſolutionibus Caſuum conſcientiæ*, ſeu *in Auctario ad Primam ſecundæ* nondum luce donato tunc, cùm ferenda mihi fuit ſententia de Matrimonio Aaronis producti in ſcenam hanc Theologicam ſuprà *num. 1.* reſolvit in ſpecie illam quæſtionem, quamquam ne ipſe quidem ita generatim eam proponit, ſed ſolùm ſub hoc ſpecialiore titulo: *An continua non obſervatio legum Eccleſiaſticarum non liberet hæreticos ab obſervatione legum Eccleſiaſticarum? & nominatim, quando ii conſtituunt majorem partem unius Parochiæ mixtæ ex Catholicis, atque heterodoxis, præſertim ſi illa non obſervatio duravit longiſſimo tempore, id eſt, 40. Annis?* Etenim hæ tres quæſtiones fuerunt propoſitæ illi univerſæ Belgicæ Doctori, ad quas reſpondit deſcendendo ad impedimenta Matrimonii, ut videre eſt *in Auctario Lib. 2. verb.*
Præſcriptio Caſ 1. At poſtquam primo prælo, 28
ſeu ſeorſim commiſi hunc ipſum tractatum, atque omnia ferè, quæ circa præſentem controverſiam proferentur in medium, primùm typo edita eſt *Summula ſelectarum quæſtionum*

Re-

Regularium à P. Bonagratia Habſenſi, Franciſcano Capucino Provinciæ Helveticæ olim Definitore, & per Helvetiam multis jam Annis Cuſtode, viro perquam ſtudioſo ſimul, & erudito, cui Summulæ attexuit *Diſceptationem*, ut appellat, *Matrimoniorum hæreticorum*, admodùm accuratè, ac proinde multò diffuſiùs, diſtinctiúſque pertractans hoc argumentum, quàm quiſquam ante ipſum, faciénſque haud ſemel mentionem hujuſce mei Tractatûs, ſeu Alphabeti. Alium, præter hunc me poſteriorem, videre non licuit; priorem quidem nactus ſum P. Henricum Mayer, poſtea Univerſitatis Dilinganæ Cancellarium, de quo inferiùs. At nec proponit, nec diſcutit illam noſtram generalem quæſtionem de impedimentis generatim relatis ad hæreticos, ſed ſolùm duas quæſtiones particulares reſolvit breviter, ſubdens tamen univerſaliorem doctrinam, ex qua ejus mens circa noſtrum generale dubium ſatis colligitur. Sum quoque poſt *tertiam* Editionem hujus Tractatûs adeptus Verricellum *De Apoſtol. Miſſion.* ubi *Titul. 3. quæſt. 79. num. 8.* clarè aperit ſuam mentem, indicandam *num. 48.*

29 Quia ergo primus, (ſcribebam in *prima* evulgatione hujus libri) deſcendo in hanc planè lubricam arenam, proponam inprimis rationes pro utraque parte. Deinde indicabo, utra pars mihi videatur probabilior.

Hæreticos æquè, atque Catholicos teneri re ipſâ legibus etiam Eccleſiaſticis, ſtatuentibus impedimenta etiam dirimentia, probatur 1. Auctoritate Doctorum, qui generatim ajunt, hæreticos teneri legibus Eccleſiaſticis. Hi inter alios ſunt PP. Suarez *De Leg. lib. 4. cap. 19. n. 2.* Leſſius *in conſ.* tum *loc. cit.* tum *verb. Hæretic. cum Catholicis converſatio*; Cornel. à Lapide *in 1. Cor. cap. 15. verſ. 12.* Tannerus *Tom. 3. diſp. 3. q. 3. num. 112.* Layman. *Lib. 1. Tract. 4. cap. 11. num. 8.* Rebellus apud ipſum, & Card. de Lugo *Tom. 3. in 3. p. Diſp. 15. Sect. 7. num. 147.* exprimens, fore *abſurdiſſimum*, ſi quis negaret, hæreticos, qui leges Eccleſiæ non receperunt, iis obligari: taceo alios. 2. Congregatio Cardinalium verbis, quæ referam *Caſ. XVIII. n. 464.* declaravit, irrita eſſe Matrimonia, quæ hæretici coram ſuo Prædicante celebrant in locis, ubi eſt publicatum Concilium Tridentinum. Eadem Matrimonia pro irritis habet P. Hermannus Buſenbaum *in Medull. Lib. 6. Tract. 6. cap. 3. dub. 2. in fin.* & P. Leſſ. *cit. Caſ. I. n. 1. & 2.* pronuntiat, eſſe certum, quòd ſint irrita. Ac proinde illos, qui ex hæreticorum caſtris ad Catholicorum tranſierunt, renovâſſe ſuum Matrimonium coram Parocho, & teſtibus. Atqui non apparet ratio, cur Pontifex non habeat pro irritis omnia Matrimonia hæreticorum contracta cum impedimento juxta leges Eccleſiæ dirimente, ſi pronuntiat ea nulla, quæ coram Prædicante in locis prædictis ce-
30 lebrata fuère. 3. Accedit ratiocinatio Leſſii, *cit. verb. Præſcriptio Caſ. I.* ſic argumentantis: Conſuetudo (qui titulus ſi non favet hæreticis, certè nullus alius patrocinatur) non poteſt tollere vim legis, niſi ex *tacito*, vel *expreſſo* conſenſu Principis; quod maximè locum habet in legibus Eccleſiæ. Atqui non præſumitur Eccleſia conſentire in illas conſuetudines, aut eximere illos à communi lege, cùm ſint rebelles Eccleſiæ, neque ullum hac in re favorem, aut benignitatem mereantur, alioqui magnum ex ſua contumacia commodum mererentur. Sanè mirum eſſet, hæreticos exemptos eſſe à jejuniis, feſtis, impedimentis Matrimonii, jure Eccleſiæ inductis, eo ipſo, quòd Eccleſiæ auctoritate contemptâ aliam conſuetudinem obſervârint. Idem confirmat uſus Eccleſiæ, nam ſimul atque ad fidem convertuntur, ſtatim Eccleſiæ conſuetudinibus aſtringuntur, & Matrimonia in gradibus prohibitis ab Eccleſia inita diſſolvuntur. Ita ad verbum P. Leſſius, & ſi ipſi credamus, ipſa praxis.

E diverſo eſt inprimis recepta doctrina 31
Theologorum, leges etiam Eccleſiaſticas pendere re ipſâ ab acceptatione populi. Nec puto, repertum iri Theologum, qui ab hac generali Regula excluſerit hactenus provinciam hæreticam, qui, inquam, excluſerit, dum tractabat ex inſtituto illam quæſtionem de acceptatione. Legi longè plurimos, at non memini, reperiſſe. 2. Orientur gravia incommoda, ſi 32
acatholici viderent, ſuos liberos natos ex talibus connubiis haberi à nobis pro illegitimis, & ideo non admitti ad dignitates Eccleſiaſticas, ſacróſque Ordines. Eſt hoc argumentum, quo P. Laymannus mox citandus, atque Pater Henricus Mayer *l. c. num. 70.* motus adhæſit opinioni jamjam indicandæ. Etenim 3. idem P. Laymannus *Lib. 5. Tract. 10. Part. 2. cap. 4. n. 7.* P. Dicaſtillo *De Matrim. Diſp. 3. dub. 10.* P. Serarius apud P. Joannem Moquetium *in Diſp. De Nupt. Clandeſt.* apertiſſimè, P. Tann. *Tom. 4. diſp. 8. quæſt. 3. num. 122.* clarè docent, ſubſiſtere conjugia illa hæreticorum, de quibus *num. 29.* in ſecundo argumento pro præcedente ſententia locutus ſum, quidni ergo ſubſiſtant, & alia? nam de ſimilibus ſimile eſt judicium habendum *Cap. 2. De Transf. Epiſc.*

4. Idem P. Moquetius, cujus meritum encomium legere poteris *in Alphabeto Sacrific. n. 375. & 379.* cùm præeſſet Oeniponti domeſticæ conferentiæ Caſuum, & propoſuiſſet hanc theſin: *An valeret Matrimonium, quod cum impedimento affinitatis in tertio gradu initur ab hæreticis, juxta conſuetudinem eorum tricennariam?* atque P. Andreas Brunnerus, orbi literario notus, rogatus de more noſtro ſententiam, affirmâſſet, hanc affirmationem habuit abſolutè, & unicè ratam idem Pater, ut mihi compertiſ- 33
ſimum eſt. 5. Neque noſtri Patres, neque alii, 34
aut Religioſi, aut Sacerdotes ſæculares, quantum quidem ſcio, qui laborârunt in reducen-

do

do ad ovile Chriſti Palatinatu, ſeu Bavarico, ſeu Neoburgico, curârunt renovari connubia, in quibus poſt contractam cognationem ſpiritualem vixerant permulti; quia ſcilicet ejuſmodi connubia fuerant pro legitimis vulgò habita tempore Calviniſmi, & Lutheraniſmi corrumpentis illas terras.

35 Hæ ſanè rationes reddunt perplexam quæſtionem ſuprà propoſitam, de qua tamen, quid ſentiam, aperiam diſtinctè, præmittendo ſuccinctè ſequentia.

I. Certum eſt, ſolam præciſè hæreſin non ſufficere ad eximendum quempiam obligatione talium impedimentorum. Ratio eſt, quia nulla lex Divina, vel humana, hæreticos, quà tales, liberat obligatione legum Eccleſiaſticarum, quam contraxerunt per Baptiſmum, niſi fortè hinc excipias Leges de Sacro audiendo, Communione Paſchali, &c. quæ actiones ſunt eis interdictæ ob adjunctam excommunicationem.

36 II. Certum eſt, legem Tridentini Concilii de præſentia Parochi, atque teſtium non afficere hæreticos incolas Parochiarum, in quibus non fuit promulgatum illud Concilium. Demonſtrabitur hæc doctrina infrà *Caſ. XVIII.* ſicuti etiam verius eſt, illos *per ſe loquendo*, eâ ligari, ſi fuit publicatum in Parochia illa, quam hæretici habent communem cum Catholicis, ut videbimus *cit. Caſu XVIII.*

37 III. Exploratum quoque eſt, multas eſſe provincias hæreticas, quarum maxima pars ignorant, & quidem proximè inculpabiliter pleraque impedimenta Matrimonii, partim quia nihil unquam de iis auditione perceperunt, partim quia aliquid quidem audiunt, aut legunt, ſed multi per fortè inculpabilem errorem judicant eſſe ridenda potiùs, quàm attendenda. Tale eſt impedimentum Voti, & affinitatis in quarto gradu. Et quis unquam è plebe Lutherana aliquid inaudiit de impedimento Cognationis Spiritualis? Criminis? Publicæ Honeſtatis? Ut proinde non ambigam, quin permultæ urbes, parochiæ, provinciæ celebrent nuptias cum uno quidem ex illis impedimentis, at cum nullo apud multos peccato ſufficiente ad materiam Confeſſionis, ut clarè me explicem; ſicuti etiam nos Germani perſpectum habemus, magnam partem Lutheranorum eſſe tantùm *materialiter* hæreticam, ſi habeatur, ut haberi debet, ratio pertinaciæ ad eſſentiam hæreſis *formalis*, requiſitæ, atque explicatæ tum ab aliis, tum à celeberrimo inter Germanos hæreſeon inſectatore P. Martino Becano in *2.2. Tr. 1.* ſeu *De fide diſp. 14. q. 2. n. 12. & 16.*

38 IV. Non ſuppetit quidem ratio dubitandi, quin Leges de impedimentis antiquitus ſtatutis, fuerint ſaltem uſu ipſo publicatæ in provinciis hæreticis, priuſquam hæ deficerent à vera Religione, at in pleriſque illarum nihil fuit unquam cognitum de impedimento Raptûs, ſtatuto à Synodo Tridentina.

V. Cùm omnes Doctores ſcribant, ſpatium 40. Annorum ſufficere ad præſcribendum con- 39
tra legem Eccleſiaſticam, & permulti id aſſerant de decennio, non pauci ſint contenti tribus, aut quatuor ſolennibus actibus, publicè intra unum, duóſve Annos exercitis, palàm eſt, hunc triplicem titulum præſcriptionis patrocinari planè omnibus, aut pleriſque terris hæreſi infectis, patrocinari, inquam, ſi præciſè attendantur verba, quibus Doctores proponunt hanc doctrinam, imò etiam fortaſſe, ſi probè ponderentur eorum rationes.

VI. Nonnulla impedimenta dirimentia ſunt 40
integre juris *Eccleſiaſtici*, alia uno reſpectu juris *Divini*, alio *humani*; ut impedimentum voti ſolennis, quod eſt *Eccleſiaſticum* quoad vim dirimendi, at *Divinum* quoad vim prohibendi, ſeu impediendi tantùm. His præmiſſis,

Dico I. Mihi certum videtur, omnia Matri- 41
monia, quæ hæretici celebrant cum impedimento juris *Divini* impediente tantùm, & ſimul cum impedimento juris *Eccleſiaſtici* dirimente, eſſe invalida coram Deo, & Eccleſia. Ratio eſt, quia hoc ipſo, quòd Deus *directè* vetet talia Matrimonia, præſumendum eſt, Pontificem nullo prorſus modo conſentire in illa, cùm ſit Romani Pontificis, omni ratione tueri jura Divina *cap. Eccleſia, 57. De elect.* ergo nulla conſuetudo efficiet, ut ſubſiſtant hæc conjugia per doctrinam allatam *nu. 30.* Hujus 42
generis eſt nominatim impedimentum voti ſolennis caſtitatis, & ſimplicis in Societate Jeſu; nec puto, vivere ullum ſincerè Catholicum, qui nuptias Monialis, aut Clerici in Majoribus conſtituti non habeat pro inceſtiſſimis. Ratio ſingularis, ob quam nulla conſuetudo poſſit robur adferre id genus infamibus laſciviis, eſt, tum quia conſuetudo, quæ Canonicis obviat inſtitutis, nullius debet eſſe momenti. *Text. cap. Ad noſtram. De conſuetud.* qui Canon ſi reſtringatur ad conſuetudinem irrationabilem, eſt apud Theologos, & Canoniſtas extra omne dubium. Tum quia conſuetudo, ex qua diſrumpitur nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, irritanda eſt. *Text. cap. Cùm inter. de conſuet.* quanta autem diſruptio ſequeretur, ſi Papa ſuo quaſi calculo comprobaret nuptias Monialis cum filio Prædicantis?

Dico II. Si illi viginti & tres Romani Ponti- 43
fices, qui à Leone X. uſque ad S. D. N. Innocent. XI. quem utinam Deus Annis Petri cumulet, ſederunt ſuper cathedram Petri, coràm adeſſent, atque interrogarentur, utrùm unquam *tacitè* approbârint conjugia ab hæreticis inita cum impedimento dirimente, ii mihi videntur reſponſuri, ſe nihil minus unquam cogitâſſe, etiam *implicitè*. Et ratio eſt, quia ſi fruſtra Legis auxilium invocat, qui committit in Legem. *Cap. Bona, 23. De elect.* Si quoque impugnans Teſtamentum, nullum ex hoc favorem conſequi debet. *Leg. Papinianus ff. De inoff. teſtam.* Longè potiori jure præcluditur ſpes

S omnis

Digitized by Google

omnis favoris, aut indulgentiæ Pontificiæ illis, qui omni ratione conantur Pontificem ſpoliare ſuâ poteſtate. Et ſingulariter hoc tempore excuſandi ſunt Pontifices Romani, ſi ſeſe, quoad poſſunt, opponant iis, quæ hæretici agunt contra ſacros Canones, quandoquidem in omnibus Conventibus, ac nominatim in Monaſterienſi voluerunt æternùm excludi omnem Pontificiam poteſtatem circa articulos conventos, etſi Eccleſiæ Orthodoxæ ſummè noxios. Huc faciunt ea, quæ à Peckio, & aliis notantur in illam Juris Regulam: *Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod niſus eſt impugnare.*

Nec multum valet ratio, qua utitur Lay-
44 mannus ſuprà *num. 32.* Etenim Lutherani & Calviniſtæ parùm curant, utrùm ſui liberi habeantur à Papa pro ſpuriis, an pro legitimis, ſicuti oſtendunt celebrando ſolenniſſimè tot Matrimonia cum impedimento Ligaminis, item cum impedimento Voti, atque Ordinis. Equidem eorum filii non poſtulant ſacros Ordines, quando ſunt alieni à noſtra Religione; ergo nihil tunc morantur Pontificis annutum; ſi autem poſtulent jam reducti ad ovile Chriſti, initiabit vel ipſe Pontifex; vel certè diſpenſabit facillimè quoad impedimentum illegitimitatis, imò, ſi ſit opus, legitimabit integre. Idem dic de Dignitatibus Eccleſiaſticis, ad quas
45 adſpirant tales Neophyti. Contendunt quidem acatholici etiam ad Abbatias, Canonicatus, Epiſcopatus, ſed non expetunt Papalem benedictionem; & prorſus mihi perſuadeo, Romanos Pontifices tam parùm etiam *tacitæ* auctoritatis tribuere illis Matrimoniis carnalibus, ac tribuunt ſpiritualibus (& utinam ſpiritualibus!) cum Epiſcopatibus, Canonicatibus, &c. quos Acatholici rapiunt ad ſe.

46 Confirmatur I. Quia ſi Matrimonii valor penderet à nutu Principis politici, hic certè nunquam probaret Matrimonia inita à rebellibus ſubditis, qui & jugum excuſſiſſent, & omni molimine conarentur ipſum evertere honoribus, ac vitâ. An non omnes Lutherani, Calviniani in ſua continua pervicacia habent Papam pro Antichriſto, extinguendo flammâ, & ferro? An non evidenter demonſtrat Georg. Scherer noſter *in Triumpho veritatis adverſus Oſiandrum*, omnes planè Papas, & Epiſcopos fuiſſe à Luthero diræ neci deſtinatos.

47 Confirmatur II. Quia ipſe Vrbanus VIII. damnavit Matrimonia contracta coram Prædicantibus, eo modo, quo videbimus *Caſ. XVIII. n. 481.* atqui nemo cenſetur *tacitè* probare, quod *expreſſè* improbat; quia nemo præſumitur aut ſibi contrarius. Panormit. *Conſ. 40.* aut ſententiam mutâſſe. *Roman. Conſil. 295. num. 8.*

48 Confirmatur III. Quia non oportet margaritas projicere ante porcos; hæretici autem indigniſſimè, atque ſacrilegè ſuſcipiunt Sacramentum Matrimonii, ſine ulla contritione, ſine vera fide de dignitate illius Sacramenti, & cum intentione repugnante ſubſtantiæ, id eſt, faciendi divortium in Caſibus Lege Divinâ inhibitis. Quis ergo credat, Regem ſacrorum velle gratia ſeu diſpenſationis, ſeu tacitæ approbationis, has ſacrilegas conjunctiones honorare?

Confirmatur IV. Quia Congregatio Cardinalium, referente Gallemart *in Trid. ſeſſ. 24. cap. 4.* (ut videre eſt in calce *verb. Prætermiſſæ Declarationes*) expreſſè declaravit, non eſſe diſpenſandum in Matrimonio contracto inter hæreticam, & Catholicum junctos aliquo cognationis, aut affinitatis gradu, vocátque hæc Matrimonia *Exitialia*, *Irrita*, *Nulla*. Adde id, quod infrà *Caſ. XXIII. n. 725.* notabo ex Bonagratia hanc in rem.

Dico igitur III. Omnibus conſideratis, videntur omnia Matrimonia acatholicorum 49
facta cum impedimento juris etiam *Eccleſiaſtici* (de *Divino* nemo negat, de abſentia Parochi, & raptu vide infrà *num. 58.*) eſſe irrita. Et hæc aperta ſententia ſapientiſſimi Patris Leſſii ſuprà relati, Verricelli *l. c.* (poſt P. Rebellum ſcribentis, id eſſe verum, licèt ii per mille Annos non obſervâſſent eas Leges,) atque facultatis Theologicæ Viennenſis in reſponſo, de quo infrà *Caſ. XVIII. num. 467.* quæ ſententia probatur efficaciter hoc argumento. Etenim illa connubia non valent, niſi accedat approbatio ſaltem tacita Summi Pontificis. P. Tannerus in terminis *cit. q. 3. num. 122.* ubi præter morem diſcurrit etiam argutè; & patet ex recepta doctrina generali, quòd conſuetudo nulla abroget Legem Canonicam, niſi accedat ſaltem *tacitus* conſenſus Pontificis, Leſſius ſuprà *num. 30.* & P. Suarez *de legibus lib. 7. cap. 13.* Ex communi, atqui jam primùm oſtenſum eſt, abeſſe ejuſmodi approbationem; unde hîc locum habet vulgatum Axioma: *Paria ſunt non fieri, & illegitime fieri.* Barboſa *Axiom. 174. num. 15.* Accedit praxis Belgii, de qua teſtatur Leſſius. Accedunt, & rationes productæ ſuprà. *num. 41. & ſeqq.*

Ad *primam* rationem in oppoſitum reſpon- 50
detur, tametſi DD. non excipiunt *expreſſè* ex illa communi doctrina hæreticas communitates, excipiunt tamen *implicitè* omnes contumaces, & rebelles: tum quia loquuntur ſolùm de illis, qui ſunt ſubditi non ſolùm jure, ſed etiam facto, rebelles autem, adeóque hæretici ſunt ſolùm jure ſubditi: tum quia, dum iidem DD. adferunt cauſam, cur, licèt Papa poſſit ex ſua abſoluta poteſtate ferre Leges independenter ab acceptatione ſubditorum, reipſa tamen non ferat, niſi cum dependentia ab acceptatione, exprimunt hanc, quia ſcilicet poteſt hæc, aut illa communitas habere cauſam rationabilem non acceptandi. Unde Suarez *l. 4. de Leg. cap. 16. n. 9.* exprimit, conſuetudinem, quæ excuſat non acceptantes, debere eſſe rationa-

Digitized by Google

tionabilem, ut evidenter etiam probant Canones relati ſuprà *n. 42.* Atqui hæreticæ provinciæ nullâ planè rationabili cauſâ reſpuunt leges Pontificias, & totius Eccleſiæ. Adde, » quòd idem Suarez rectè alibi ſic diſſerat: Ne» mo poteſt eximi ab obedientia propter inobe» dientiam, nec per ſuum abuſum poteſt quis » derogare poteſtatem Superioris, aut illam ali» quomodo minuere, quia hoc *intrinſecè* inclu» dit inobedientiam, nec præſumitur Superior » cum aliquo quaſi diſpenſare propter ejus abu» ſum, quia eſſet irrationabilis voluntas con» tra nervum diſciplinæ, imò contra vim, & efficaciam Legis. Et proinde dicendum eſt, valorem Legis pendere quidem ab acceptatione ſubditorum, aliàs morigerorum, non autem à rebellium, ut etiam indicavit P. Leſſius verbis deſcriptis *num. 50.*

51 Ad *Alteram* rationem, quæ eſt P. Laymanni, jam reſpondi *num. 44.* Res planè mirifica: Nullus mortalium deterior Antichriſto fingi poteſt, nullum crimen deteſtabilius idololatriâ, & tamen Lutherani, Calviniſtæ, Zwingliani præcones in concionibus, quas habent coram ſuis Principibus, in libris, aut libellis, quos iis dedicant, apertiſſimè ſimul, & impudentiſſimè vociferantur, ſcribúntque, Papam eſſe ipſummet Antichriſtum, Catholicos Imperatores, Reges, Cardinales eſſe tum Antichriſti adoratores, tum veros idololatras. Iidem liberrimè in ſuis Synodis definiunt, in libris ſcribunt, in ſuggeſtibus vociferantur, irrita eſſe Matrimonia, quæ Catholici Imperatores, Reges, Principes ineunt, ex diſenſatione Pontificia, cum junctis *ſecundo* gradu cognationis; & non niſi cum metu gravis mali habeat Pontifex Romanus, habeant Theologi, (viderint Conſiliarii Principum ſæcularium, quid ſecundùm rectam rationem ſuggerant ſuis Dominus) eorum filios, dum aſpirant ad participationem jurium ſubjectorum poteſtati Pontificiæ, ut ſunt Dignitates Eccleſiaſticæ, & Ordines ſacri, pro illegitimis, ſi quidem ſunt, ex conjugio lege *Divinâ*, aut *Eccleſiaſticâ* damnato. *Patere legem, quam ipſe tuliſti*, inquit Auguſtinus relatus *cap. Cùm omnes. De conſtit.* Vide plura hanc in rem infrà *Caſ. XVIII. n. 461.* & *462.* planè convincentia.

Tertia, quarta, & quinta rationes, atque autoritates efficiunt, ut ſtatuam ſequentem concluſionem.

52 Dico quippe IV. Videtur non penitus improbabile, quin conſuetudo, ſeu diuturnitas conſuetudinis, quæ in terris Catholicorum ſufficit ad abrogandas Leges Eccleſiaſticas de impedimentis Matrimonii dirimentibus, ſufficiat (abſtrahendo a contrariis Declarationibus, de quibus infrà *n. 57.*) etiam in terris hæreticorum. Cùm enim hæc controverſia non ſit hactenus à quoquam, niſi à P. Leſſio, & quidem ſolùm Annis abhinc 28. edito, itémque à Verricelli, & Bonagratia recentiſſimè ventilata ſcriptis, probabilitatem *practicam* gignere poteſt virorum piorum, doctorum, prudentum, ſuprà relatorum autoritas, ut patet ex iis, quæ ſingulariter tradidimus *in Clypeo Clem. Iudic. num 7. Edit. 2. & 3.* Adde, quòd ipſe P. Leſſius *cit. verb. Præſcriptio. Caſ. 1. n. 3.* ſuam ſententiam tantùm veriorem vocet, exprimens, contrarium poſſe *fortè* non improbabiliter dici. Adde quoque plurimorum ex hæreticis invincibilem ignorantiam, hæreſin, adeóque contumaciam ſolùm *Materialem*, non factam promulgationem, impedimenti raptûs; de quibus tribus punctis egi ſuperiùs.

Hanc *quartam*, & *tertiam* concluſionem applico Aaroni, de quo primus noſter Caſus, & dico, longè probabilius quidem eſſe, quod potuerit, ſalvâ conſcientiâ ducere aliam uxorem, ſuperſtite adhuc ſuâ Sarâ, ſi tamen hæc Sara ſecuta exemplum mariti feciſſet etiam glorioſum tranſfugium ad Religionem Orthodoxam, atque æquè dimiſiſſet torum ſui Aaronis, potuiſſet Ordinarius (nec enim ſim autor Parocho, ut, quando ejuſmodi impedimentum eſt notorium, diſſimulet) permittere ex gravi cauſa priſtinum commercium, egiſſet autem, quod providus pater, ſi petiiſſet diſpenſationem à Sede Apoſtolica. Quid verò fuerit actum, me latet, at me non fugit, quòd ſuaſerim, ut Aaron ille aſpirans ad ſecunda vota interrogaret os Domini; id eſt, Dominum Ordinarium.

Hactenus ita ſcripſeram, meúmque animi ſenſum de præſente controverſia aperueram *primo* prelo, cùm adeptus *primam* editionem *Summulæ* P. Bonagratiæ, de qua ſuprà *num 28.* deprehendi, inprimis ab ipſomet P. Bonagratia *in cit. Tractatulo* (qui deeſt *ſecunda*, & correctæ editioni) *de Matrim. hæreticor* §. *8. ad 1.* exprimi hanc concluſionem: *Quamquam acatholici per æquè, ac Catholici teneantur mandatis Eccleſiæ, cui per Baptiſmum incorporati ſunt, impedimenta tamen Canonica Matrimonium dirimentia, quorum obſervantia per diuturnam conſuetudinem contrariam apud illos deſiit, Matrimoniorum penes eoſdem cum tali impedimento valori non obeſſe, probabiliſſimum judico ex præſumpta potiſſimùm Juris Indulgentia, ob commune bonum, pacem publicam, & urgentiſſimam neceſſitatem.* Ita ipſe; referens ſe ad priores pagellas, in quibus produxerat rationes non multùm abſimiles iis, quas & ego produxi, ac diſſolvi. Subdit deinde *verſ. Verumtamen* hanc explicationem ſuæ ſententiæ: *Verumtamen quia Sacra Congregatio, de mente ſummi Pontificis, prædicta Matrimonia verbis expreſſis irritat, ac nulla, & irrita declarat, ideo reſpondeo, & dico 2. illa Matrimonia non ampliùs valere, quàm contractus merè civiles, qui per ſententiam judicis Eccleſiaſtici valeant reſcindi, ac diſſolvi, etiam quoad vinculum.* Ita ipſe ſubdens rationem ſuæ reſolutionis. 53

Digitized by Google

Deprehendi deinde ex eadem *Summula*, præſentem controverſiam tractatam fuiſſe Theſibus impreſſis à P. Simone Felice Soc. noſtræ Doctore valde eximio, itemque à P. Henrico Mayer in concinno opuſculo *De ſponſalibus, & Matrimonio*, in quo (ut poſtmodum ipſe nactus libellum vidi) *dicit num. 70. tria hæc facientia* Primum: *A vi Decreti Tridentini excipiendos eſſe hæreticos, qui ſecundùm patriæ ſuæ conſuetudinem in Parochiis, etiam in quibus Decretum Tridentinum fuit promulgatum, nec teſtes, nec Parochum adhibent. 2. Valere nuptias conjugum in hæreſi educatorum, qui poſt primas, ob defectum conſenſûs parentum, in ſuo Conſiſtorio reſciſſas tranſierunt ad ſecundas, & poſtea fide ſuâ ejuratâ fidem Orthodoxam ſunt complexi. 3. Canones, qui cauſas matrimoniales foro civili ſubtrahunt, non extendere ſe ad caſum cum tanta perturbatione reipublicæ conjunctum, ut adeò Magiſtratus in talibus retinuerit jus diſponendi de contractu matrimoniali, & impedimenta ponendi.* Ita ad verbum hic Doctor, referens pro *ſecundo* membro ſuum doctiſſimum (ut ſingulari jure vocat) Profeſſorem P. Simonem Felicem, qui in Theſibus Friburgi Briſgoiæ Ann. 1632. docuit primus id; pro quo citatur, ſicut & docuit, ſubſiſtere Matrimonia, de quibus P. Mayer loquitur in *primo* puncto; & pro quo varios Scriptores refert §. 3. P. Bonagratia, ſeu Habſenſis, nominatim præter hoſce duos Tannerum, Laymannum, Urbanum ab Aſcenſione, Vegam, & Veracrucium.

54 Deprehendi *tertio* pereruditam Epiſtolam cujuſdam Canonum Profeſſoris, quem P. Habſenſis §. 6. teſtatur eſſe magnæ authoritatis, & doctrinæ; in qua multis rationibus ante Annos permultos defendit ſententiam *affirmativam* de valore Matrimoniorum, contractorum ex longa conſuetudine ab hæreticis cum impedimento in *tertio*, vel *quarto* gradu cognationis, affinitatiſve. Etſi autem non loquatur expreſſè hic Canonum Profeſſor, quem novi, quique jam fato conceſſit, niſi de impedimento affinitatis, & cognationis, certum tamen eſt, ejus ferè omnia argumenta idem probare de cæteris impedimentis, ſolo jure Canonico inductis. Totam Epiſtolam, quæ prolixa eſt, ſuo Chirographo approbavit alius (mihi quoque notus) Canonum Profeſſor, ut refert idem P. Bonagratia in calce Epiſtolæ, in qua deciditur hic.

Caſus ingenii Deſultorii.

Anna hæretica cum Petro itidem hæretico contraxit in territorio Bernenſi Matrimonium. Deinde, cùm adulterium commiſiſſet, ab eodem Bernenſi Conſiſtorio ſeparata fuit quoad torum, & vinculum, Petrúſque aliam duxit. Et idem ſibi licere credens Anna, ad Catholicos tranſiit, ſeque Conrado ſpopondit, quo cum etiam, factis ternis denuntiationibus, & Parocho monito, ſaltem ante ultimam denuntiationem de ultimo Matrimonio, ſolennes nuptias contraxit. Cùm res hæc non omnibus probaretur, cenſerêntque, Matrimonium quoad vinculum ab hæretica, aut quacunque alia poteſtate diſſolvi non potuiſſe, poſt tres, quatuórve annos idem Parochus, qui Matrimonio aſſiterat inter Conradum, & Annam, illud nullum ſuâ authoritate declaravit, & Bertham Conrado permiſit. Huic itaque præmiſſis rurſum denuntiationibus, junctus cum eâdem plures Annos convixit. Tum verò reſciri cœptum, quòd inter Petrum, & Annam impedimentum tertii gradûs interceſſiſſet, & quia ob hanc cauſam inter illos Matrimonium fuiſſe nullum credebatur, ideóque valuiſſe Matrimonium Annæ cum Conrado, rurſus lis huic mota, juſſúſque ad primam redire eſt. ſed quia à poſteriore duos liberos habet, id noluit præſtare, priuſquam literas, quibus proles Legitima, & innoxii conjuges declararentur, Parochúſque reus in expenſas, & compenſationem damni condemnatus eſſet.

Hactenus deſcriptio Caſûs, reſolutio autem, quoad quæſtionem ab noſtrum propoſitum facientem, ſubditur poſt hanc narrationem iſta, quòd videlicet Matrimonium Annæ contractum cum Petro, adeóque cum primo viro fuerit *validum*, non obſtante tertio gradu. Potiſſima, & fundamentalis ratio hujus Reſponſi, qua maximè nituntur Patroni adverſantes ſententiæ à nobis defenſæ, ſunt ingentia mala, quæ Catholicis impenderent ab hæreticis, ſi horum filii nati ex ejuſmodi Matrimonio haberentur pro illegitimis, proinde Pontificem, cùm aliter non expediat, *tacitè* conſentire non approbando, ſed non irritando, qui conſenſus non irritativus ſit ſufficiens ad valorem. Addit *primo*, Catholicos Magiſtratus qui ſub ſe habent non rarò hæreticos, ut habet e. g. is, qui pro Duce Longuevilano gubernat Neoburgenſem Comitatum in confiniis Helvetiæ, dare impeditis facultatem contrahendi, nec fuiſſe motam difficultatem, quando totus Palatinatus ſuperior fuit ad fidem Orthodoxam converſus. Addit *inſuper*, ſicuti, & P. Felix, P. Habſenſis, & P. Mayer, fore multò difficiliorem converſionem heterodoxorum, ſi ſciant, eſſe ſibi deſerendas ſuas uxores, quas duxerunt legati impedimento. 55

Verùm contra præſumptionem hujus *taciti* conſenſûs faciunt cùm ea, quæ ſuperiùs de rebelli-

bellibus protuli in medium, tum Declarationes manifeſtè oſtendentes diſſenſum; tum illa, quam ipſa Synodus Trident. *Seſſ. 24. cap. 5. De Reform. Matrimon.* mutuatur ex antiquo Jure, & contrahenti etiam ignoranter cum impedimento applicata ſententia: *Non eſt dignus, qui Eccleſiæ benignitatem experiatur, cujus ſalubria præcepta temere contempſit.*

Produco contra eandem præſumptionem literas ab eruditiſſimo quoque P. Theodoro Moreto datas Uratiſlaviâ è Sileſia Anno 1667. qui à me rogatus, ut me, priuſquam hunc Tractatum alteri prelo committerem, edoceret de praxi circa hanc controverſiam obſervatâ in Boëmia, ac Sileſia, ubi plurimos Annos egit Theologum practicum ſimul & ſpeculativum, reſpondit: *Lutherani in Sileſia ſervant gradus affinitatis, & conſanguinitatis quatuor, de affinitate ex copula illicita, aut ex ſuſceptione Baptiſmali nihil obſervant, petunt ii ſæpe ab Epiſcopo noſtro diſpenſationem in tertio gradu, ſed nulli concedit, niſi uterque conjux fiat Catholicus. Alia praxis fuit inter Huſſitas in Boëmia ante ipſorum expulſionem.* Ita hic Pater, qui illam praxin explicat ſingulari

Caſu Huſſitico.

56 *Memini etiam* (pergit ipſe) *cùm Pragæ habitarem, acceſſiſſe me quendam ſenem, ante 25. facilè Annos cum ſua conſanguinea in ſecundo gradu, ut etiam ſæpe in Sileſia Lutherani, Matrimonio publicè conjunctum, diſpenſante Conſiſtorio Huſſitico, ut ipſe maritus eſt mihi faſſus. Hic cum conjuge, poſtquam ad Catholicam fidem acceſſerat, angi cœpit ſcrupulis conſcientiæ, & poſtquam varius rem propoſuiſſet, qui eum non extricârant, tandem ad me acceſſit, & ſub ſecreto petiit remedium, ut res bonâ fide facta confirmaretur ab Epiſcopo loci; hic negavit, eſſe ſibi poteſtatem diſpenſandi in ſecundo gradu. Acceſſi ergo ad Pœnitentiariam Romanam, cujus ſummus Pœnitentiarius tandem conceſſit, ut coram me denuo contraherent privatim.*

Hæc ille, omni exceptione major teſtis; ex cujus verbis eſt inprimis manifeſtum, quòd in Boëmia, & Sileſia non habeantur ab Epiſcopis pro legitimis ea Matrimonia, quæ in ſecundo gradu ſunt, ex quacunque conſuetudine, contracta, ſicut etiam non habet Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Abbas Sanct-Gallenſis ſuorum ſubditorum, ideóque ſolet eos, quando volunt contrahere in gradibus prohibitis, ad ſe citare, inhibere, ne contrahant, donec ipſis impetret à ſummo Pontifice diſpenſationem. Eſt deinde clarum, Pœnitentiariam Romanam planè adverſari ſententiæ, quam hactenus oppugnavimus. Unde concludit ille Pater hanc materiam his verbis: *Caterùm ſentio cum R. V. ſi quæ Matrimonia fuerunt inter hæreticos contracta cum impedimento dirimente, poſtquam fiunt Catholici, aut relinqui in bona fide, diſſimulante Eccleſiâ, aut occultè diſpenſari.* Ita P. Moretus, qui ſi legiſſet *ſummulam* P. Bonagratiæ, ſcripſiſſet fortè, ſe ex ea habere novum argumentum neceſſitatis recurrendi ad ſummum Pontificem in caſibus tertii, & quarti gradûs quoque. Etenim P. Bonagratia referendus *Caſ. XXI. n. 585.* deſcribens Privilegia conceſſa à Congregatione de propaganda fide miſſionariis ſui Ordinis per Helveticam Provinciam, loco *nono* exprimit Privilegium diſpenſandi in foro Conſcientiæ cum converſis ad fidem Catholicam in 3. & 4. gradu conſanguinitatis, & affinitatis, ſimplici, & mixto *quoad præterita Matrimonia*; quæ reſtrictio manifeſtè ſupponit veram neceſſitatem diſpenſationis, ergo & inhabilitatem *actualiter* contractam. Sicut autem præſumptioni de *tacita* approbatione Pontificis oppoſui teſtimonium Patris Moreti, ita etiam Profeſſori Canonum, cujus Epiſtolam deſcribit, ut ſuprà memini, P. Habſenſis, oppono fragmentum humaniſſimarum literarum Reverendiſſimi, & Perilluſtris Domini Waltheri Henrici à Streveſdorff, qui ex antiquiſſimo Ordine Eremitarum S. Auguſtini, poſt Theologiam octo Annos in Colonienſi Univerſitate, cum magna ingenii laude, explicatam, aſſumptus ad Epiſcopatum Aſcalonitanum, Suffraganeatúmque Moguntinenſem, atque Anno 1665. nactus hunc ipſum Tractatum, in quo augendo, exornando nunc laboro, die 24. ejuſdem Anni, ſacerdotii verò ſui quinquageſimo quarto, inter cætera ſic ad me ſcripſit manu propriâ: *Multùm me recreavit materia illa de hæreticis, an in illos cadat obligatio Canonum. Legi, quid ſcribat P. Laymannus de Matrimoniis hæreticorum; & legitimatione eorundem prolium in civitatibus Sacri Romani Imperii, ſed habui ſemper aliquem ſcrupulum. Legi inſuper Leſſium, cujus dictata omnia, impreſſáque penes me habeo; placuit mihi R. P. V. reſolutio quàm optimè in caſu dicto; nemo rem illam enucleatiùs expoſuit.* Equidem judicium Antiſtitis tanto rerum uſu, ſimúlque theoriâ periti conciliat maximam, etiam *practicam* probabilitatem ſententiæ, pro qua decerto. Mala, quæ Catholicis ab hæreticis imminere exiſtimat Pater Habſenſis cum aliis ſuprà relatis; jam oſtendi, non eſſe formidanda; eam ob rem metus illorum vix ullam (ob rationem adferendam *num. 462.*) apud me probabilitatem pro ea ſententia gignit, non valde magnam metus, ne converſio ad fidem evadat difficilior, quia certum eſt, Sedem Apoſtolicam facilè diſpenſaturam cum iis, qui reſipiſcere voluerint, ut jam monui ſuperiùs. Temperamentum, quod ob autoritatem irrefragabilem Declarationum Pontificiarum cogitur vel admittere P. Habſenſis, vel integre tranſire in meam ſententiam, patitur,

meo judicio, magnam difficultatem. Si enim Papa *tacitè* conſentit, ut ſubſiſtant illa connubia, tanquam contractus civiles, adeóque validos à parte rei habet, verè tamen ſolubiles, tunc neceſſariò debet vel ipſemet Pontifex, vel Jus aut ſupponere, quòd hæretici rationem Sacramenti ſoleant communiter ſeparare à ratione contractûs, aut certè conſentire, ut ſeparent. Conſentire nequit, quandoquidem graviſſimè delinquunt Chriſtiani rationem contractûs ſpoliantes ratione, circumſtantiâ, & ſummo ornamento Sacramenti, ſicuti ex communi Theologorum referam *Tract. ſeq. Caſ. XIX.* ſed nec Pontifex poteſt ſapienter ſupponere illum communem morem, quia in eodem *Caſu num. 707.* oſtendemus, non poſſe probari, quòd vigeat à toto genere ille mos inter Lutheranos, & alios heterodoxos, imò ex judicio Epiſcoporum, Parochorum, Confeſſariorum, qui regunt animas Catholicorum alterutrius ſexûs, junctorum Matrimonio cum alterius Religionis conſorte, manifeſtum videri, contrariam vigere conſuetudinem. Equidem noſtra Reverendiſſima Curia Conſtantienſis eam ſupponit, ut actu recentiſſimo firmabo *cit. Caſ. XIX.*

57 Nihilominus tamen judicium tam multorum, graviúmque DD. quibus video placere præſumptionem de Pontifice *tacitè* approbante dictam conſuetudinem contrahendi cum inhabilitatibus jure humano introductis, conſideratio etiam illa, quòd ii Theologi cum plurimis, ſi non pleriſque politicis cenſeant, minora mala proficiſci, poſitâ illâ approbatione, quàm negatâ; reflexio etiam illa, quòd propter bonum pacis & graviora damna, ſeu incommoda Eccleſia ſæpe tribuat valorem actibus manifeſtè illicitis, ut pluribus Juris textibus, & deciſionibus circa particulares materias eruditè probat P. Habſenſis *loc. cit. num. 7.* meritò obſervans, dici fieri pro urgente neceſſitate, quod fit gratiâ pacis *Cap. Ubi. De deſponſ. impuberum*, proindéque eſſe plerumque verum id, quod fertur hexametro apud Vivianum *in cit. Cap. Ubi.*

Pax ut ſervetur, Juris moderamen habetur, non modò permaneo conſtans in concluſione *quarta*, quam ſtatui ſuprà *num. 52* cum ejus appendicibus, ſed inſuper addo, eſſe verè *poſitivè* probabilem, probabilem inquam, abſtrahendo à Declarationibus Pontificiis in contrarium editis, atque oſtendentibus, planè deeſſe illum *tacitum* Pontificis conſenſum, in quo omnes illi DD. apertè, & equidem neceſſariò ſe fundant. At poſitis iiſdem Declarationibus, ut ſanè poni jubet veritas, conſentiente cum Tridentini Decretis Congregatione de propaganda fide, an dicemus cum P. Bonagratia Habſenſi, dictum conſenſum extendi ſolùm ad Matrimonii valorem in ratione contractus, non autem Sacramenti? An divinabimus, cùm ante illas Declarationes, & paulò pòſt illas defuerit omnino Pontificis conſenſus, jam tamen meritò præſumi adeſſe hiſce poſterioribus Annis, eò quòd nunc primùm potuerit innoteſcere Pontifici ſenſus tam multorum Doctorum, qui, etſi humillimè venerentur Majeſtatem Pontificiam, planè tamen exiſtiment, bonitatem hujus eſſe in rebelles quoque ita ſtrenuè æmulatricem Divinæ Clementiæ, facientis ſolem lucere ſuper malos æquè, ac bonos, ut approbet valorem eo modo, quo longè plurimis actibus ſevera illicitis tribuit Eccleſia robur firmitatis ob majus bonum procurandum, majus malum arcendum? An quia Tridentina Synodus loco, quem ſuprà *num. 55.* deſcripſi, non dicit *abſolutè*, contemptorem Eccleſiæ Decretorum eſſe indignum, qui hujus benignitatem experiatur, ſed addit non excluſivam omnis ſpei particulam *facilè*, indicare volens, etiam aliquando temerariis tranſgreſſoribus exhiberi gratiam? An, inquam, hoc ipſo poſſumus nunc ideo prudentiùs ſupponere conſenſum, quòd videatur in dies creſcere neceſſitas prædicti conſenſûs? An denique concludemus, ſufficere, ut, quoad quid certius comperiatur de mente poſteriorum Pontificum, res tota diſſimuletur, ubi ex manifeſtatione timeretur ſpeciale, gravéque incommodum? At ubi non timebitur, ſtandum eſſe ſententiâ rigidiore, ſeu ipſis Canonibus de hac materia *directò* diſponentibus? Quidquid de his ſit, *abſolutè* loquendo, perſiſtendum eſt in doctrina noſtræ Concluſionis *tertiæ* ſuprà *num. 49.* tum propter rationum momenta ei roborandæ in medium adducta, tum quia mihi ex Urbe recentiſſimè ſcribitur à Theologo graviſſimo, atque uſu peritiſſimo, eam doctrinam eſſe hodiéque *conformem ſtylo, & determinationi Curiæ Romanæ.* Ex quo evadit clarum, quid fuerit à me reſponſi dandum ad

Haſce literas Epiſcopalis Theologi.

Liceat mihi ad R. V recurrere. Miſit nuper ad me noſter Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus Bertham quandam, non pridem acatholicam, quæ relicto marito ſuo in tertio gradu conſanguineo, converſa eſt ad fidem Catholicam cum liberis, educatis ex eodem marito, nunc deſiderans nubere Catholico; quæritque abſolutè, non quid expediat, ſed an liceat, necne. Scio, quid R. V. in Part. 3. Alphab. Matrim. Caſ. I. *de impedimentis ſentiat in ordine ad hæreticos, & quid in ſecunda parte de indiſſolubilitate. Attamen ſuppoſito quòd etiam hæreticorum Matrimonia ſint indiſſolubilia, quæro in caſu præſenti, quid ratione impedimenti cognationis in tertio gradu reſpondendum ſit pro praxi, cui Reveren-* 58

tia

tia Veſtra laborat, atque adeò an Bertha hac poſſit licitè, & validè inire aliud Matrimonium, ſuperſtite adhuc priore conjuge, ſique ideo quòd prius fuerit contractum in tertio gradu &c.

Reſpondi autem, eſſe minimè dubitandum, quin, ſi Papa interrogaretur, eſſet dicturus, prius conjugium fuiſſe nullum, & proinde nihil officere tranſituræ ad alterum. Patet ex dictis in, & pro tota hac de impedimentis controverſia, ſingulariter ex iis, quæ *num. 42.* & *57.* aſſerui de ipſiſmet Pontificibus Romanis, ac Stylo Romano, & quæ habeo pro *moraliter* certis. Itaque niſi gravia quædam incommoda videantur ſecutura divortium, ſecundùmque conjugium, non apparere, cur, ſicut reverà validus eſt ille tranſitus ad ſecunda vota, ſic etiam ſit licitus. Addidi, eſſe hoc ipſum aſſerendum, ſi aliud impedimentum interceſſiſſet. Excepi inprimis *abſolutè* impedimentum ex abſentia Parochi, ſi quidem non fuit lex Tridentina promulgata in loco, in quo contraxit Bertha, juxta dicenda infrà *num. 458.* Excipio deinde probabiliter impedimentum raptûs, quod quia fuit inductum à Concilio Tridentino probabiliſſimum eſt, nunquam eſſe promulgatum in terris Lutheranorum, Calviniſtarum &c. conſequenter Theologi, qui ad valorem legis etiam irritantis exigunt promulgationem in ſingulis provinciis, dicent, illam Tridentinam ſanctionem carere ſuâ vi in pleriſque terris acatholicorum.

Porrò præſens Caſus præbet mihi jus retorſionis, dicit enim cum aliis ſuæ ſententiæ authoribus P. Bonagratia, opinionem de validitate impedimentorum in terris hæreticis efficere poſſe, ut hi ægrius revertantur ad fidem, ſi videlicet recedere cogantur a Matrimoniis initis cum impedimento. Ego quippe utendo jure retorſionis, quod mihi commodè ſubminiſtrat præſens Caſus, dico, è diverſo poſſe fieri, ut tantò faciliùs convertantur, aut converſi firmiùs ſtabiliantur in Orthodoxia, ſi ſciant, permiſſum iri ſibi, ut diſſolvant illicita per ſe, invalidáque connubia.

APPENDIX I.
Ad num. 27.

EXpreſſi *numero 27.* non fuiſſe à me viſum Scriptorem, qui, priuſquam facerem publici juris præſentem tractatum, ex inſtituto diſputaret de illa generali Quæſtione: *Virùm Matrimonia à Sectariis noſtra ætate inita, inter obnoxios alicui Impedimento juris Eccleſiaſtici dirimenti, ſubſiſtant?* At verò poſtmodum acquiſitus à me fuit Tomus tertius Tribunalis Sacramentorum, autore Petro Marchantio, in cujus Tomi *Tractatu primo Titulo ſexto* legere eſt non modò hanc *quartam* quæſtionem: *An Matrimonium Catholici cum hæretica ſit validum?* ſed etiam ejus reſolutionem accommodatam laborantibus aliquo Impedimento inducto legibus Eccleſiaſticis.

Quia verò Codex rarus eſt, ut frequenter phraſi Dianæ utar, & ipſe autor præſtat ingenio, doctrináque, dabo hîc compendium eorum, quæ ipſe ſcripſit de efficacia Impedimentorum Matrimonialium, in ordine ad modernos Sectarios, ſicut & *in Appendice ad Caſ. XI.* Synopſin eorum, quæ ipſe de diſſolubilitate talium Matrimoniorum: & denique *in Appendice ad Caſ. XVIII* proponam ea, quæ conſcripſit de Matrimoniis, quæ in locis infectis hæreſi contrahuntur ſine legitimo Parocho. Id autem faciam, non quòd approbem omnia, quæ ipſe, ſed ut Lector videat, quàm variè de objecto tam gravi ſimul, & frequenti ſentiant viri docti, ut in extrema ſaltem neceſſitate ſuppetat autoritas.

Igitur Petrus Marchantius Jacobi frater, a
præmiſſis nonnullis, quæ ſunt extra controverſiam, ſtatuit circa controverſa hanc *tertiam* concluſionem: Matrimonium Catholici » cum hæretica, ſi leges ab Eccleſia requiſitæ in » contractu obſervatæ non fuerint, eſt in foro » Eccleſiæ invalidum, & nullum, non ratione » Diſparitatis cultûs, ſed ob defectum alicujus » conditionis Lege Divinâ, vel Eccleſiaſticâ re- » quiſitæ, ſive Impedimenti dirimentis occur- » rentis. Porrò Impedimenta illa debent at- » tendi juxta ea, quæ ſolent tradi de Impedi- » mentis, poteſt enim fieri, quòd apud hæreti- » cos vel gradus omnes Cognationis non ob- » ſerventur, vel ratio Cognationis Spiritualis » non habeatur. Ordinariè autem deficit con- » ditio Parochi, etiam in locis, in quibus Con- » cilium Tridentinum promulgatum eſt. »

Ita Marchantius conformiter iis, quæ nos b
ipſi *num. 49.* concluſimus, at diffòrmiter iis, quæ expreſſimus *num. 50.* ponit hanc *quartam* concluſionem: Matrimonia hæreticorum, quæ » juxta Leges naturæ, ac Divinas poſitivas, ac » civiles (eſto contra Eccleſiaſticas) contra- » huntur, contractus naturales & civiles ſunt, » ac intra ſuam politiam legitima Matrimonia, » Sacramenta tamen non ſunt. Ratio eſt, quia » verè ſub legitimis legibus ſupponuntur con- » tracta, adeóque primævam Matrimonii natu- » ram ſequuntur, ut de Matrimoniis infidelium, » ſuperius diximus.

Ita idem Scriptor, inde refellendus, quòd c
& ipſemet paulò ſuperiùs diſertè, atque *abſolutè* ſcribat, talia conjugia eſſe in foro Eccleſiæ (de quo ſolo nos agimus) invalida, ac nulla, & *in cap. quarto De divort.* generatim definiatur, Matrimonium inter baptizatos eſſe *Sacramentum*, non eſt igitur contractus merè politicus, & denique ſcientia, ac patientia Superioris non confert *tacitè* poteſtatem, & diſpenſationem aliquam ſuis, præſertim contumacibus rebellibus, infeſtiſſimiſque ſubditis, quando utiliter contradicere non poteſt, certiſſimo contradicturus, ſi audiretur.

Sed nec probatur nobis id, quòd mox idem d
Marchantius ſubdit, videlicet ſectarios, etſi »

Digitized by Google

„ratione Baptiſmatis ſubjecti ſint Eccleſiæ, atque ab hac regi poſſint, attamen, quamdiu „non reguntur, ſed ſchiſmate, & infidelitate „ſeparati ſunt, cenſeri illo tempore actu ab Eccleſiæ legibus humanis, & poſitivis liberos, „ſive in ignorantiam invincibilem ſuæ obligationis, ſive in conſcientiæ erroneæ dictamen, „ſive in diſſimulationem Eccleſiæ illam libertatem quis referat, quo poſito ad jura naturæ, „ac poſitiva, Divina, ac politica revertantur „neceſſe eſt, ad tollendam univerſalem orbis „confuſionem. Unde & pia mater Eccleſia etſi illa, ut Sacramenta, non admittat, illa tamen non damnat, ſed & converſos ab hæreſi „in Matrimoniis ſuis relinquit, etſi ad Sacramenti rationem piis ſuaſionibus adducat.

Hæc, inquam, doctrina Marchantii de exemptione à legibus Eccleſiæ (ut nihil dicam de aliis ſuprà confutatis) minimè mihi probatur, etenim eos peccare mortaliter, (abſtrahendo ab ignorantia, aut impoſſibilitate) dum non obſervant jejunia, feſtáque univerſalia, non modò tradunt Doctores producti ſuprà *num. 29.* ſed inſuper addit Cardinalis de Lugo ibidem relatus, fore *abſurdiſſimum*, ſi quis negaret illam obligationem.

e Sicut autem non probo illam de exemptione doctrinam, ita vice verſâ ſubſcribo alteri, quam exprimit idem autor, ſcilicet illa Matrimonia hæretici cum hæretica non eſſe, ſi ſubſit Impedimentum juris etiam Eccleſiaſtici, Sacramenta, eò quòd contractus Matrimonii, ut Sacramentum eſſe poſſit, legibus Eccleſiaſticis firmari debeat, & ad Eccleſiam ſolùm pertineat, materiam, & formam Sacramenti declarare. Sed & rectè præmittit idem Doctor, Matrimonium inter Catholicum, & hæreticam eſſe nullum, ſi ſubſit Impedimentum qualecunque dirimens, quandoquidem indubitatum eſt, perſonam Catholicam *actu*, & *realiter* ſubeſſe legibus Eccleſiæ.

f Sicut nec ſubſiſtit, eodem Marchantio arbitro, etiam quoad rationem contractûs, illud, quod ſuſceptum eſt ab hæreticis contra leges politicas irritantes. Cui doctrinæ facilè adſtipulor, ſi tunc etiam concurrat Impedimentum Eccleſiaſticum, ſi autem nullum tale adſit, nulla ratio permittit, ut hæreticorum legibus, ſtatuentibus aliquod Impedimentum, tribuamus plus virium, quàm legibus Principum Catholicorum, ſimile quid ſancientibus. Sanè hæretici magnum commodum reportarent ex ſua malitia, ſi poſſent hac in re plus, quàm Catholici, & Orthodoxi. Adde, quòd ipſemet Marchantius *cit. quæſtione quartâ* expreſſè, ac generatim ſcribat, Matrimonia, quæ hæretici contrahunt, ſervatis Chriſti, & Eccleſiæ legibus, eſſe vera Matrimonia, vera Sacramenta, ergo & ſunt veri contractus, etſi adverſentur politicis legibus Magiſtratûs heterodoxi.

APPENDIX. II. ZWINGLIANA.

Colophonem tam longæ, & contentioſæ diſſertationi de Matrimoniis, cum impedimento initis ab heterodoxis imponet denique hic

Caſus Turgoicus.

Cum ſcilicet mulier Turgoja imbuta Zwinglianis erroribus, atque poſt multos Annos in Matrimonio tranſactos cum viro ejuſdem farinæ, ad fidem verò Orthodoxam ſeriò converſa petiit, atque à noſtra Curia impetravit facultatem nubendi alteri viro, non obſtante, quòd prior adhuc eſſet ſuperſtes, at junctus ipſi quarto gradu conſanguinitatis, quam parentelam tamen non ignorantes fuêre à Miniſtro hæretico etiam conſcio, ſed irriſore hujus impedimenti olim copulati. g

Et verò interrogatus ego, priuſquam ferretur ſententia, quid ſentirem, rotundè reſpondi, eſſe non modò illud Matrimonium, quod tunc offerebatur, permittendum illi mulieri, ſed etiam ſex alia, ſi ſupervixerit prioribus maritis, ut poſſit de ea æquè, atque de Sadducæa *Matthæi 22.* dici, habuiſſe ſeptem viros. Ducebar tum generali illâ doctrinâ, pro qua hactenus certavi, tum hac ſpeciali ratione, quòd illud prius Matrimonium fuerit celebratum in pago, inque Eccleſia Religionis mixtæ ex Catholicis ſtantibus jure Concilii Tridentini, & hæreticis, ut proinde loci incolæ acatholici accenſendi ſint in foro Dei & Eccleſiæ inexcuſabilibus, veréque pertinacibus, atque odio plus, quàm Vatiniano, Tartareóque proſequentibus Papam, ac ſine ulla jactura bonorum, famæ, aut fortunæ valentibus, ſi velint, tranſire ad ovile Petri. Quòd autem vel S. Petrus in Cœlo, vel ejus ſucceſſores, ſeu hæredes, ut ſe ipſum nominat S. Leo *in ſerm. 2. De ſua Aſſumpt.* ullum prorſus annutum præbeant ejuſmodi copulationibus, nemo mihi præter Papam ipſum perſuadebit, & etiam ſingulariter in hoc Caſu, quo conſtat, & primum Matrimonium fuiſſe, contemptâ autoritate Pontificis, initum, publicíque miniſtri præſentiâ approbatum, & nihilominus eâdem autoritate ſpretâ fuiſſe diſſolutum per Conſiſtorii acatholici ſententiam, poſtquam illa, (de qua noſter Caſus Turgoicus propoſitus mihi fuit 11. Martii Anno 1674.) profugit à putatitio marito, à quo peſſimè tractabatur.

(The margin letter h stands beside the first line of this paragraph, i beside the line "velint, tranſire ad ovile Petri. Quòd autem".)

SE-

SECTIO II.

Quale ſit peccatum, contrahere cum impedimento: Quis judex in lite de impedimento: Quomodo id probetur? An ignorantia obſit valori impedimenti?

SUMMARIUM.

Qui peccetur contrahendo cum impedimento? 59.
Non committit, per ſe loquendo, *ſacrilegium contrahens cum irritante.* 60.
Dubius de impedimento quid aget? 62.
Quis judex in lite de impedimento? 63.
Caſus Officialis ſecularis, immiſcentis ſe huic rei. 64.
Quomodo probetur ſubeſſe impedimentum? 66.
An ignorantia impedimenti tollat vim hujus? 67.
Refutatur cujuſdam reſolutio practica circa hanc rem. Ibid.

59 QUæritur I. *An, & quale ſit peccatum contrahere cum impedimento Matrimonii?*

Reſp. I. Eſt *per ſe* mortale, ſive de dirimente, ſive de ſolùm impediente loquamur. Ita omnes, teſte P. Martino Perez, *De Matrim. Diſp.* 22. *ſect.* 2 & 3. Nam ſi ſingula examinentur impedimenta, continent gravem materiam, gravémque inobedientiam fundant.

II. Matrimonium celebrans cum uno ex impedimentis impedientibus, committit inprimis ſacrilegium, utpote ſuſcipiens in peccato mortali Sacramentum, ſi eſt illigatus voto vel non contrahendi, vel intrandi Religionem, vel ſuſcipiendi Ordinem ſacrum. Coninck *Lib.* 5. *Controverſ.* 1, *num.* 288. poſt P. Dicaſtillum *Tract.* 10. *Diſp.* 9. *num.* 112. dicens, talem peccare tum in ipſo contractu, tum in uſu conjugii petendo, non autem reddendo, niſi in ſecundo caſu, in quo tamen, ſi ſemel conſummávit, poteſt, teſte eodem Doctore, etiam petere, ſaltem ſi non ſit ſpes filiorum, qui reddant difficiliorem conjugis licentiam ad ingreſſum. Idem, de quo ſuprà, peccat contra juſtitiam, ſi illigatus ſit alteri per legitima ſponſalia: contra Religionem, ſi tempore interdicto celebret. Denique ſi celebret contra expreſſam juſtámque prohibitionem Superioris Eccleſiaſtici, fortè delinquit contra illam virtutem, cujus intuitu eſt ipſi interdictum Matrimonium.

60 III. Qui verò contrahit cum impedimento dirimente, committit ſacrilegium juxta Coninck *Tom.* 2. *in* 3. *Part. Diſp.* 30. *dub.* 2. Laymannum *Lib.* 5. *Tract.* 10. *p.* 4. *cap.* 1, alios, eò quòd ſuſcipiat, quantum in ſe, ſacrilegè Sacramentum, ponens obicem gratiæ. At verò juxta Sanchez *Lib.* 7. *De Matr. Diſp.* 5. Hurtadum *De Matr. Diſp.* 2. *diffic.* 3. Perez *De Matr. Diſp.* 21. *ſect.* 2, Dicaſtillum *De Matr. Diſp.* 7. *dub.* 2. *per ſe loquendo*, non committit ſacrilegium, non enim tunc ſuſcipitur indignè ullum Sacramentum, nec enim ullum tunc conficitur, impeditur quidem, quò minùs efficiatur Sacramentum, quia tamen non efficitur id, cui ex inſtitutione Chriſti convenit ratio Sacramenti, videlicet verus conſenſus, nec enim ſponſi conſentiunt in rem, quam ſciunt eſſe impoſſibilem, ideò non reperitur hîc ulla indigna tractatio Sacramenti, adeóque nec ſacrilegium per ſe. Vide dicta *Tract.* 1. *num* 256. At verò *per accidens* intervenire poteſt indignitas, ut ſi voto ſolenni illigatus contrahat cum intentione conſummandi Matrimonii, ſicuti etiam contra juſtitiam delinquit, qui aut habens jam aliam legitimam uxorem copulatur alteri, cum intentione cohabitandi huic, aut conſcius impedimenti contrahit cum ignara illius. Denique taliter contrahens cum animo conſummandi peccat contra illam virtutem, cujus intuitu inductum eſt hoc, aut illud impedimentum. Vide Perez *cit. ſect.* 2 ſigillatim exprimentem malitias ſpeciales, quarum reus eſt, qui cum his, aut illis impedimentis ducit uxorem. An verò excuſet metus, dicam *Caſu XII.* 61

IV. Dubitans, an laboret aliquo impedimento, ſi poſt diligentem inquiſitionem veritatis nequeat hanc reperire, *licitè* junget ſibi uxorem. P. Thomas Sanchez *Lib.* 8. *Diſp.* 6. *n.* 16 Joan. Sanchez *in ſelect. Diſp.* 45. *num.* 44. & expreſſe Caramuel apud Dianam *Part.* 8. *Tr.* 3. *Reſol.* 95. ac P. Tamburinus *in Decal. Lib.* 1. *cap.* 3. §. 3. *Verb. Diſpenſatio. num.* 3. ipſi quippe favet Privilegium poſſeſſionis, niſi fortè contra illum militet aliqua præſumptio. Thomas Sanchez *loc. cit.* Et abſtrahendo ab hac ferè ſe habet, ſicut qui dubitat, ſitne natus legitimis natalibus, cui quidem patere viam ad ſacros Ordines, oſtendi *in Alphab. Ordin. & Extrem. Unct. Caſ. XI. num.* 435. Unde non aſſentimur P. Leſſio *in Auctario*, ſeu *conſil. Moral. Verb. Matrimonium. Caſ X.* docenti, debere *moraliter* conſtare, quòd non ſubſit impedimentum, ne alias Matrimonium exponatur periculo nullitatis. *Sed ſponſa hujus ſponſi decipitur graviter, nec enim ſe obligaret huic dubitanti, ſi noſſet, eum dubitare.* Reſp. Ergo tenetur ipſe eam certiorem reddere de ſuo dubio. Cæterùm pro explicatione hujus generalis de dubio impedimento doctrinæ vide Caſum Novum, quem reſolvo *Tract. ſeq. Caſ. XIII. in Append.* 3. 62

Quæritur II. *Quis ſit judex in lite, qua litigatur de impedimento?* 63

Reſp. I. Quando illa lis, aut cauſa concernit quæſtionem *juris*, ſpectat unicè ad tribunal Eccleſiaſticum, at verò ſi ſit quæſtio ſolius *facti*, probabile eſt, dari locum præventioni. Utramque reſponſionem, ejúſque fundamenta reperiet Lector in noſtra *Theolog. Iuridico-Moral*, ſeu *Tract.* 5. *Quinarii tum cap.* 3. *num.* 4. tum

tum cap. 36. & 37. num. 1. & ſeqq. & quidem *cit. cap. 36. num. 3.* reſolvo hunc propoſitum mihi à loci Ordinario

Caſum.

64 *Fabius judex ſæcularis intellexit, Cajum, ac Titiam iniiſſe abhinc aliquot jam Annis in facie Eccleſiæ Matrimonium cum impedimento cognationis dirimente. Eos ad ſe citat, juridicè examinat, & comperto, ſubeſſe revera impedimentum, informat de eo aliud ſuperius tribunal ſæculare, à quo etiam mandatum accipit, ut conjuges illos ſeparet toro, rogétque Parochum, velit hic petere à Sede Apoſtolica diſpenſationem. An non uterque Magiſtratus, ſuperior, inquam, & inferior miſit falcem in meſſem alienam? An non incurrit excommunicationem XVII. Bullæ Cœnæ Domini latam in uſurpatores juriſdictionis Eccleſiaſticæ?*

65 Solutionem pete ex eodem libro, & inde infero ſolutionem quoque hujus

Alterius Caſûs.

Nimirum ſolâ ignorantiâ juris *excuſari quendam ſæcularem judicem, qui ante viginti Annos, propriâ ſæculari autoritate, ſeparavit conjuges, laborantes impedimento, in quo diſpenſatum erat ob allegatam paupertatem, dum enim ille judex voluit haberi pro non paupere, & proinde pro fallaciter procedente illum, quem Magiſtratus acceptâ informatione de ejus fortunis judicavit habendum in hac cauſa pro paupere, voluit ſanè eſſe judex in quæſtione* Juris.

66 Quæritur III. *Quomodo probetur ſubeſſe aliquod impedimentum?*

Reſp. Tametſi *in Leg. Maritus ff. De quæſt.* abſolutè dicitur: *Unius teſtimonio non eſt credendum*, attamen ſi unus teſtis de viſu deponat, ſubeſſe hoc, aut illud impedimentum, ei plena fides habetur, quamdiu non probatur contrarium, plena, inquam, fides habetur, ſi agatur de Matrimonio ſolùm contrahendo, ut pluribus has, & alias probationes explicabo *Tr. ſeq. Caſ. XIII.* quo multa tradam circa denuntiationes, & *Caſ. XX. hujus Noni Tractatûs.*

Interim notent DD. Parochi Conſtantienſis Diœceſis, eſſe ſibi per ſuas Conſtitutiones *Part. 1. tit. 16. n. 45.* graviter interdictum, ne ſe ullo modo immiſceant cognoſcendis, dirimendis controverſiis de hoc, aut illo impedimento, ſed ſi quid fortè intelligant, ſtatim remittant ad Reverendiſſimum Ordinarium, qua de re plura *cit. Caſ. XIII.*

67 Quæritur II. *An ignorantia impedimenti efficiat, ut impedimentum non obſit valori Matrimonii?* Reſp. Minimè. Sanchez *Lib. 7. Diſp. 17. num. 9.* Hurtado *Diſp. 5. diffic. 3.* Perez *Diſp. 39. ſect. 5. num. 3.* Coninck *Diſp. 27. num. 13.* pronuntians, hanc doctrinam eſſe veriſſimam, & certam contra nonnullos innominatos, ſicut & P. Tannerus *Tom. 2. Diſp. 5. quæſt. 5. num. 113.* vocat certam, & communem. Ratio eſt, tum quia toto cœlo differunt *excuſari à culpa, & ex actu per ſe invalido facere validum*, unde tametſi ignorantia impediat reatum culpæ, non tamen impedit vim dirimendi, quam leges abſolutè, & non per modum pœnæ, irritantes inducunt, tum quia videmus quotidie diſpenſari cum iis, qui occulto laborantes impedimento e. g. affinitatis contraxerunt, & donec poſt notitiam impedimenti obtinuerint diſpenſationem, jubentur abſtinere copulâ maritali. Eſt autem nobis hic ſermo de illis ſolis impedimentis, quæ ſunt abſolutè irritativa, non de illis, quæ pœnam delicto oppoſitam habent: de quibus quid ſentiendum, aperiam *Caſ. X. num. 202.*

Interim ne dubites, quin lapſus ſit humano errore, ut & ego utinam tantùm ſemel!

Theologus ille,

Qui rogatus ſententiam de Caſu, quo Cajus duxit Cajam poſt fornicationem habitam cum ipſius cognata in ſecundo gradu, ignorans tamen oriri ex fornicaria copula impedimentum, reſpondit, ſubſiſtere illud Matrimonium, eò quòd, licèt nullus Doctor id apertè aſſerat, ſequatur tamen ex eorum principiis, cùm nec affinitas, nec conſanguinitas in ullo gradu (excepto primo) jure naturæ prohibeat Matrimonium, illúdque irritum reddat, ignorantia autem facti, juris pœnam excuſet, ſi non ſit affectata.

Ita ille Theologus, ut mihi ſcribit vir gravis, & doctus, quærens meum judicium idcirco, quòd in hoc ipſo Alphabeto *cit. num. 202.* non penitus improbem doctrinam Paludani, rati, impedimentum criminis non incurri ab ignorante. Sed revera hæc opinio Paludani, ſi tamen Paludani, de quo *in Appendice ad Caſum X.* nihil favet reſolutioni prædicti Theologi, quandoquidem Paludanus, ſeu potiùs eum referens Baucius, ut liquet ex verbis, quæ reperies apud Dianam citandum *ibidem*, nititur eo ſolo fundamento, quòd lex ſtatuens impedimentum criminis ſit merè pœnalis, hoc autem nequit dici de impedimento affinitatis contracto ex fornicatione in ſecundo gradu, ſiquidem notum eſt, hoc ipſum impedimentum exſurgere ex copula etiam licita. Unde Diana illo *num. 202.* referendus pro indubitato habet, fore irritum Matrimonium, quod Cajus cum Caja Matre Titiæ iniiſſet, poſt fornicatio-

nem

Digitized by Google

nem cum Titia, penitus ignorans, hanc eſſe Cajæ filiam. Matrimonium eſt verus contractus, Leges autem, quæ ſtatuunt aliquam ſolennitatem pro valore contractûs, ligant poſt ſufficientem promulgationem, etiam ignorantes.

68 Hinc etiam abhinc aliquot Annis conſultus à viro Clariſſimo, Parocho loci percelebris de

Hoc Caſu Honeſtatis publicæ.

An ſcilicet ſubſiſteret Matrimonium, quod quidam A. contraxerat cum B. poſt diſſoluta libero conſenſu ſponſalia cum D. ſorore B. ignarus intercedere impedimentum publicæ honeſtatis.

Reſpondi, ſuppoſitâ Declaratione, quam ex Fagnano deſcribo *Caſu XV. negativè*, cùm illa Declaratio clarè ſtet contra tale Matrimonium, & ſit minimè pœnalis. Conſentit noſtris reſponſis Jacobus Marchantius, quem retuli *in Alphab. Baptiz. Caſ. XVII. num. 579.* in ſpecie reſolventem, inhabilitatem ad Matrimonium emergere ex cognatione ſpirituali, eſto nulla fuerit habita cogitatio de periculo imminentis illius inhabilitatis.

Sum autem hactenus, ſicut & quatuor primi è citatis *num. 67.* Doctoribus, *directè* locutus ſolùm de ignorantia, qua laborant particulares perſonæ, addo autem, id ipſum eſſe, *per ſe loquendo*, verum etiam reſpectu totius Communitatis, & Provinciæ, eſt quippe recepta Theologiæ, & Juris peritorum perſuaſio, quòd Leges irritativæ contractuum habeant ſuam vim ſtatim, poſtquam ſunt ſufficienter promulgatæ. P. Vaſquez *1. 2. Diſp. 156. cap. 3. num. 17.* cenſens, etiam reſpectu harum ſufficere promulgationem factam in Curia Romana, niſi Papa *expreſſè* requirat aliam, dummodo, ut addit P. Palaus *Tom. 1. Tract. 3. Diſp. 1. punct. 12.* effluxerit à promulgatione facta Romæ tantùm temporis, ut potuerit notitia pervenire ad illam Provinciam, quam debet actu obligare. At verò Molina, Laymannus & alii, quos alibi refero, exigunt promulgationem in ſingulis Diœceſibus, addente Tannero *Tom. 2. Diſp. 5. quæſt. 5. num. 111.* adeſſe ſufficientem promulgationem, quando tales leges communiter practicantur à Doctoribus.

EXPLICANTUR TRIA PRIMA IMPEDIMENTA IMPEDIENTIA TANTUM.

CASUS II.

Factus, & Fictus.

SUMMARIUM.

Caſus adoleſcentis fictè promittentis nuptias variis. 69.

Quo tempore ſit vetitum celebrare nuptias? 70.

Quid nomine ſolennitatis intelligatur hic? Ibid.

An licitè celebrentur ſabbato ante primam Dominicam Adventûs? 74.

Qui peccetur celebrando Matrimonium contra inhibitionem Superioris? 76.

Quatenus ſponſalia inita validè cum una impediant aliud Matrimonium? 79.

Quamnam debuerit ducere ille juvenis, de quo num. 69. fuit ſermo? 80. Remiſſivè.

Barnabas juvenis Antuerpienſis multas virgines paris conditionis ſub ficta promiſſione conjugii corrupit in Anglia, & alibi. Poſtmodum ſecundam illarum duxit, vetante Epiſcopi Antuerpienſis Vicario, ſed hujus prohibitionis ignaro Parocho, qui conjunxit, & conjunxit ob varios prætextus Dominicâ primâ Adventus, noluit tamen benedicere, vetuítque, ne cum fidicinibus, aliáve pompâ ſolenni ſponſa deduceretur in ædes, ſobrio convivio paratas. Sed Barnabas inſuper habitâ hac prohibitione fidicinibus addidit tubicines, qui etiam, dum aſſidebatur ſolenniſſimo convivio nuptiali, armis ſuis animabant convivantes, & poſtmodum, ſublatis menſis, choreas ducentes. Quæritur, quot peccata admiſerit Barnabas? 69

P. Leonardus Leſſius *in ſuis conſil.* ſeu *Auctario verb. ſponſalia Caſu I.* conſultus fuit, utrùm Barnabas ille potuerit ſecundam, aut tertiam ex illis corruptis Virginibus ducere, primâ invitâ? Igitur *prima* pars hujus Caſûs eſt minimè ficta, ficta tamen *ſecunda* de inhibitione Vicarii, déque nuptiis cum ſecunda, eárúmque circumſtantiis, quæ tamen omnia præbent occaſionem declarandi *tria prima* impedimenta, indicata ſuperiùs hoc hemiſtichio: *Sacratum tempus: vetitum, ſponſalia*, de quibus proinde ſigillatim.

Dico I. Per *Sacratum tempus* intelligitur illud, quod ab Adventu uſque in diem Epiphaniæ: & à feria quarta Cinerum uſque ad octavam Paſchatis currit. Tridentinum Concil. *Seſſ. 24. cap. 10. De Reform. Matrim.* quo loco quia non prohibentur *abſolutè*, ſed *ſolennes nuptiæ*, per ſolennitatem verò deſignatur benedictio nuptialis, & ſolennis pompæ traductio, cum ſolenni convivio, aliiſque lætitiæ ſignis, ut loquitur laudatiſſimus Matrimonii explanator P. Thom. Sanch. *De Matrim. Lib. 7. Diſp. 7. num. 17.* cum PP. Hurtado, Perez, & Dicaſtillo, probans uſu recepto. Idcirco nullo communi jure interdicitur, ne quis Matrimonium ineat ſine benedictionibus, & ſolenni illa deductione ſponſæ, convivióque moderato, adeóque non aget Parochus quidquam adverſùs Synodum Tridentinam, ſi tempore Adventûs, aut Quadrageſimæ aſſiſtat Matrimonio ſeu viduorum, ſeu etiam virginum, quo benedictionibus 70

Digitized by Google

bus in aliud tempus dilatis, ſponſa deducetur
71 cum exigua pompa, moderato convivio, aliíſque modeſtis lætitiæ ſignis. Perez *De Matr. Diſp. 22. ſect. 2.* Hurtadus *Diſp. 25.* & Marchant. *in Reſol. Paſtor. Tract. 8. cap. 3. num. 3.* poſt Sanch. Certè Congregatio Concilii *abſolutè* declaravit, poſſe coram Parocho, & teſtibus contrahi illo tempore, ſine tamen ſolennitatibus. Declarationem deſcribit Gallemart *in Append. ad Trident. ſeſſ. 24. De Reformatione Matrim. cap. 10.* Concil. Trident. attamen uſu periti animarum Curatores à me interrogati ajunt, obſervari in hac quoque Conſtantienſi Diœceſi id, quod de Bavaria teſtatur P. Laymannus *Lib. 5. Tract. 10. Part. 4. cap. 15. tacitè* confirmante Tannero *Tom. 4. Diſp. 8. q. 4. dub. 2. num. 24.* & de Diœceſibus Leodienſi, ac Mechlinienſi Marchantius *loc. cit.* ſcilicet non permitti, ut omiſſis, vel in aliud tempus dilatis benedictionibus, ineatur Matrimonium, niſi neceſſitas urgeat, ut, ſi miles in periculo mortis conſtitutus, vel ſtatim diſceſſurus concubinam ducere velit.

72 Nec vult Tannerus *loc. cit.* ſicut nec Perez aſſentiri Sanchezio, ac Dianæ *Part. 3. Tract. 4. Reſol. 260.* exiſtimantibus, ſolas benedictiones nuptiarum eſſe hoc tempore prohibitas ſub mortali, cùm tamen idem Tanner. *ibid.* fateatur, probabile eſſe, ſecluſo ſcandalo, modeſtam traductionem ſponſæ unà cum decenti convivio vacare culpâ lethali, imò & veniali juxta Perez, atque Hurtadum, niſi conſuetudo repugnet, qua ſtandum eſt ſingulariter in actibus publicis.

73 Epiſcopum poſſe in Caſu raro diſpenſare etiam quoad ſolennitatem, docet apud Jac. de Graffiis *Lib. 2. c. 85. num. 29.* Dominicus Sotus *in 4. diſt. 32. quæſt. 1. art. 1.* ſed nihil apud Sotum reperio. Addit, Synodum Neapolitanam ſancire *cap. 40.* ut Ordinarius facilè det licentiam ſolennes nuptias celebrandi tempore interdicto, videlicet propter humana pericula, ſed hæc humana pericula videntur ignorari, vel non æſtimari in Allemannia, ſeu Germania.

74 At *ſúntne ſolennes nuptiæ licitæ toto die Sabbati, præcedentis primam Dominicam Adventûs?* Reſp. Noſtri Teutones liberrimè eas celebrant totâ feriâ tertiâ ante Cineres, quia nullum jus aut literis mandatum, aut moribus conditum interdicit ipſis, ſicuti & ſine ullo peccato (quidquid fingat hîc mortale Baſilius Pontius apud Dianam *cit. Tract. 4. Reſol. 202.*) poſſent facere Sabbato illo, at non faciunt, quia lætitiam turbaret carniprivium, atque recepta veneratio Sabbatini diei.

75 Ex his deduces, Barnabam Antuerpianum graviter deliquiſſe, ſi in loco, ubi nuptiale feſtum obivit, vigebat conſuetudo Leodienſis, & Mechlinienſis, de qua ſuprà, ſi non viguit, nec aliud ſcandalum inde enatum eſt, non auſim dicere, ſimplicem illam prohibitionem Parochi continuiſſe mortalem obligationem, non enim videtur Parochus voluiſſe, aut etiam potuiſſe ſub mortali prohibere actum non continentem ullam gravem deordinationem.

Dico II. Voculâ: *Vetitum* poſitâ in hemiſti- 76
chio, quod hîc explanamus, intelligitur generale, aut particulare interdictum Magiſtratûs Eccleſiaſtici. Nec enim dubium, quin valeant exoriri cauſæ, ob quas Epiſcopus, & ipſe etiam Parochus certis quibuſdam perſonis inhibeat, ne hic & nunc contrahant, e.g. donec
conſtet, nullum ſubeſſe impedimentum. P. 77
Tanner. *cit. quæſt. 4. num. 23.* obſervans, gravitatem peccati, quod incurritur agendo contra prohibitionem, eſſe deſumendam ex circumſtantiis, atque adeò cauſis inhibendi. Unde infero, ſi cauſa gravis inhibendi ſuppetat, adeſſe materiam ſufficientem ad mortale, hanc autem abeſſe, ſi materiæ, aut circumſtantiæ non ſint magnæ conſiderationis.

Ex quo ſubinferes, tum verum eſſe, quod 78
dixi in calce *præcedentis* concluſionis, tum Barnabam Antuerpianum gravis criminis reatum incurriſſe, dum fecit ſe copulari contra expreſſam prohibitionem Epiſcopi, habuit enim Antiſtes gravem cauſam interdicendi fraudulentâ laſciviâ Barnabæ.

Dico III. Nomine *Sponſalia* indicatur, il- 79
lum, qui cum aliqua celebravit valida ſponſalia, habere impedimentum, quò minùs poſtea celebret cum alia, niſi vel prior ſponſa id permittat, vel ſuperveniat, deprehendatúrve cauſa ſufficiens diſſolvendis primis ſponſalibus. Ita omnes DD. obſervantes, committi noxam lethalem adverſùs fidelitatem, ſi agatur contra hoc *tertium* impedimentum. Etenim, generatim loquendo, peccant mortaliter adverſùs fidelitatem, qui abſque cauſa legibus probata non ſtant promiſſione onerosâ in ma-
teria gravi, qualis utique eſt hæc. Studioſè 80
agendum eſt, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur *Text. In cap. Qualiter. De pact.* Porrò ob quas cauſas jura permittant ſolutionem ſponſalium, etiam legitimorum, ediſſeram ſigillatim. *Tract. ſeq. Caſ. VI. VII. & VIII.* nominatim *Caſ. V. num. 237. & ſeqq.* tradam compendium reſponſi, quod P. Leſſius relatus *n. 69.* dedit ad caſum Barnabæ, quatenus hic tenebatur ſtare promiſſione factâ.

DE VOTO, QUARTO IMPEDIMENTO IMPEDIENTE TANTUM.

CASUS III.

Malè reſolutus.

SUMMARIUM.

Caſus puellæ volentis poſt votum caſtitatis tranſire ad nuptias, ſed deinde allegantis infirmitatem corporis. 81.

Quate-

Digitized by Google

Quatenus votum caſtitatis impediat nubere? 83.
Quatenus votum ingrediendi Religionem? 88.
Quid ſi alterutrum ſit ex metu contractum? 89.
Quando cenſeatur error verſari circa ſubſtantiam voti? 92.
Ignorantia quatenus obſit valori voti? 94. & 95.
Caſus puellæ emittentis in periculo pudicitiæ votum Religionis. 98.
Quid ſi intravit unum Monaſterium, & inde remiſſa ad ſæculum? 101.

81 *Cordula, ardens deſiderio obtinendi à Numine per merita Virginis Matris certam quandam gratiam, vovet perpetuam virginitatem, ſi precibus Deiparæ fiat compos illius gratiæ, & verò fit paulò poſt, atque ſervat votum Annos aliquot, quibus elapſis ſollicitatur à quodam juvene ad Matrimonium, non planè aliena, ſi abſque offenſa Numinis fieri poſſet. Quare conſulit Confeſſarium, exponens eidem, ſe nullâ quidem invaletudine teneri, eſſe tamen habitu corporis minimè robuſto, ſed ſatis infirmo, poſſe fieri, ut poſt aliquot Annos nequeat amplius ancillari, ut tunc quidem ancillabatur, ſed fortè coactum iri redire ad lares paternos, futuram oneri parenti, difficulter ipſam nutrituro, ſe proinde quærere ex Confeſſario, an non ſit ſibi fas conſentire in Matrimonium, ad quod provocetur ab honeſto adoleſcente. Reſpondet Confeſſarius, eſſe utique fas. Quare fit ultro citroque promiſſio Matrimonii, fiunt quoque binæ proclamationes. At cùm immineret tertia, Confeſſarius doctus à nonnemine, quem ſuper reſponſo ſuo conſuluerat, fuiſſe erratum à ſe, accurrit ad Parochum, aperit, quod ex ipſamet Cordula intellexerat in arcana Confeſſione, rogat, ut tertiam proclamationem tantiſper differat, donec ſit obtenta diſpenſatio.*

82 Quæritur hîc duntaxat, an Votum illud Cordulæ impedierit Matrimonium. Dico, iſtud duntaxat hîc quæri, etenim *in Alphabeto Confeſſariorum Caſ. XXIII. num. 830.* quæſiimus expreſſè, an Confeſſarius non temeraverit ſigillum Sacramentale? Reſponſionem ad illam huc ſpectantem quæſtionem promam, ubi aperuero, an, & quale votum caſtitatis, & Religionis impediat Matrimonium.

Hunc ut Caſum integre expedirem, &, qua poſſem ratione, juvarem Cordulam ad me etiam directam, rogatus fui ſemel, atque iterum. Quid fecerim, liquebit ex dicendis.

83 Dico enim I. Votum ſimplex caſtitatis impedit Matrimonium, non tamen dirimit. Ita omnes. *Prima* pars eſt certa Divinâ fide, cum ſcriptum ſit: *Vovete & reddite. Altera* pars eſt itidem certa, *ex cap. Rurſus, Qui Cleric. vel vov.* &c. Ex quo lubet deſcribere Cœleſtini tertii reſcriptum ad ſequentem

Caſum impii juramenti.

Rurſus quidam votum caſtitatis emittens juravit, ſe quandam ducturum poſtea in uxorem. Unde à Fraternitate tua requiſiti arbitramur, quòd, cùm ſimplex votum apud Deum non minùs obliget, quàm ſolenne, pro eo quòd juravit temere, pœnitentiam agat, & votum, quod Deo fecit, ſtudeat obſervare. Quòd ſi, poſtquam præſtitit hujuſmodi juramentum, ad nuptias motu proprio convolâſſet, cùm votum ſimplex Matrimonium impediat contrahendum, non tamen dirimat jam contractum, nihil ambiguitatis quæſtio tua continere videtur. Ita Pontifex. 84

Sciſcitaberis *quid intelligatur per votum ſolenne caſtitatis?* Reſ. Illud omne, & ſolum, quod emittunt vel Clerici, dum ordinantur in Subdiaconos, ſecundùm ea, quæ tradidi *in Alph. Ordinis Caſ. XX, num. 755.* vel Novitii, aut Religioſi, dum edunt profeſſionem Religioſam. Cætera vota caſtitatis nuncupantur *ſimplicia*, ut proinde, ſtante jure antiquo, ſubſiſteret Matrimonium, ad quod convolaret is, qui in Societate JESU nondum in ſacris conſtitutus emiſiſſet conſueta Vota, niſi contrarium ſtatuiſſet expreſſè Sedes Pontificia, ut referunt paſſim noſtri Doctores. 85

Ac proinde impediunt, non dirimunt Matrimonium ſequentia Vota. 1. *Promitto DEO perpetuam caſtitatem.* 2. *Voveo, me nunquam ducturum uxorem.* 3. *Voveo, me cælibem manſurum, ſi hoc Anno me inebriavero, ſi arma Turcarum evaſero hoc Anno*, impediunt, inquam, hæc vota de ebrietate, & Turcis, poſtquam evenit conditio, ſub qua fuerunt emiſſa. 86

Quid ſi ergo uxorem ducam, priuſquam vino me oppleam, aut elabatur Annus? Reſp. In *primo* caſu non peccabis, at in *ſecundo*. Ratio eſt, quia, quando eſt votum ſeu pœnale, ſeu conditionale, non teneris exſpectare eventum, vel defectum conditionis pendentis à tua libertate, teneris autem non pendentis ab illa. P. Sanch. *Lib. 4. De voto cap. 22. num. 11.* atque P. Palaus *Part. 3. Tract. 15. Diſp. 1. De Voto. p. 16. num. 6.* pendet autem tui inebriatio à tuo arbitrio, non autem evaſio Turcici ferri. *At quid ſi, ductâ uxore, non effluat totus Annus abſque crapula?* Reſpondet Sanch. *num. 13.* te obligari ſervare in Matrimonio æquè caſtitatem, ac tenereris, ſi poſt emiſſum abſolutum votum caſtitatis duxiſſes uxorem. 87

Dico II. Nomine *voti impedientis* Matrimonium intelligitur etiam votum Religionis, id eſt, votum ingrediendi Religionem, certum quippe eſt, ſacrilegium admitti ab eo, *per ſe loquendo*, qui poſt tale votum ducit uxorem, 88

licèt ipſe tunc non ſit cogendus (ſaltem poſt conſummationem) ad Religionem tranſire, & matrimoniale vinculum reſcindere, ut loquiturPontifex *cap. Meminimus. Qui Cleric. vel vovent.*

89 Dico III. Ut votum ſeu caſtitatis, ſeu Religionis impediat Matrimonium, debet habere conditiones omnes neceſſarias ad voti *eſſentialem* perfectionem, obligationémque, nam ceſſante cauſâ ceſſat effectus.

Atque adeò votum illud debet I. fuiſſe emiſſum liberè, id eſt, inprimis ſine metu injuſte incuſſo in eum finem, ut exprimeretur votum, ſi quippe talis metus ſit gravis, ſeu de malo gravi, cum reſpectu ad perſonam metu adactam, ejuſmodi votum non obligat. DD. communiter ex *Cap. 1. De his, quæ vi*, quorum al:i ajunt, tale votum eſſe irritum jure naturæ, alii ſolo jure Eccleſiaſtico, nobis ſufficiat meminiſſe *Legis 116 ff. De Reg. juris*, ita ſapienter pronunciantis: *Nihil conſenſui tam contrarium eſt &c. quàm vis, & metus, quem comprobare contra*

90 *bonos mores eſt*. Quin *practicè* tuta eſt ſententia tenens, votum initum ex metu injuſto, quantumvis levi, eſſe invalidum, nam ita contra Sanchez *Lib. 4. De Voto. cap. 3.* atque alios pleroſque tenent permulti, teſtibus Sanchez *ibid.* atque Leſſio *Lib 2. De juſt. cap. 4.* atque inter hos piiſſimus Navarr. *in Man cap. 22. num. 51.* Vide, quæ de Voto, & plura de valore, imò invaliditate voti caſtitatis emiſſi ab homine lubrico, protuli in medium *in Alphab. Quadrupl. Part. 1. Caſ. VIII. num. 270. & ſeqq.* ubi nonnulla ſeu ſatis rara, ſeu aliquantum mira deprehendet meus Lector.

91 II. Ut deinde votum ſit validum, non debet proficiſci ex ignorantia *antecedente*, verſante circa ſubſtantiam rei votæ. Ita omnes, quia ignoti nulla cupido. Et quidem vera eſt hæc ſententia, licèt ignorantia ſit vincibilis. P. Suarez *Lib. 1. De voto cap. 12.* P. Filliucius *Tr. 26. num. 21.* atque alii plures contra P. Sanch. *loc. cit. cap. 2.* quia vincibilitas non tollit interceſſiſſe voluntarium. Dicitur autem tunc interceſſiſſe ignorantia *antecedens*, quando ea fuit cauſa voti, quia ſcilicet non voviſſes caſtitatem, Religionem &c. ſi non laboràſſes illâ ignorantiâ.

92 At, *quando cenſetur verſari circa ſubſtantiam Voti*? Reſp. Generatim in ſequentibus Caſibus, quos exprimo applicandos variis votis 1. Quando erratur circa notabilem partem rei voto promiſſæ, ut quando voviſti, te peregrinaturum ad Eremum B V. ratus diſtare tantùm bidui, cùm diſtet quatridui. 2. Quando erras circa materiam operis, ut ſi promiſiſti Deo, te ingreſſurum Monaſterium A. ratus incoli à PP. Benedictinis, cùm incolatur à PP. Auguſtinianis. 3. Quando erras circa perſonam, ſicuti *Caſ. IV.* explicabimus. 4. Quando circa cauſam finalem, ut: quando audiens, patrem, qui optimè valet, lethaliter decumbere, voviſti ingreſſum Religionis ad impetrandam ei ſanitatem. 5. Quando circa cauſam formalem, ut: quando voviſti daturum alicui Monaſterio mille aureos, ratus eſſe valde egenum, cùm ſit prædives. 6. Quando circa vim voti, ut: ſi exiſtimes obligare ſub veniali, cùm obliget ſub mortali.

Hæc exempla, ſeu doctrinas ſuppeditant P. Suarez *De voto cap. 11.* P. Leſſius *cit. cap. 40. num. 11.* & alii plures, quibus addit P. Sanch. *cit. Lib. 4. cap. 2. num. 11.* per ignorantiam invincibilem cujuſcunque cauſæ finalis, etiam minùs principalis, tolli obligationem voti, exprimens, ſe per cauſam finalem intelligere id, propter quod aſſequendum emiſiſti votum, & ſine quo non emiſiſſes, at interim negans de ignorantia cauſæ duntaxat impulſivæ. 93

III. Tametſi ignorantia circumſtantiarum ſæpiſſime nihil officiat valori voti, ſæpe tamen officit, ut fatentur omnes, quia illæ circumſtantiæ ſunt ſæpe tanti momenti, ut cognitæ retrahant omnes, aut propè omnes à vovendo. Unde poteſt pro praxi obſervari generalis doctrina, quam doctiſſimus P. Molina *Tract. 2. De juſtit. Diſp 272.* complexus eſt hoc diſcurſu: „Ea rerum mutatio (*ſeu etiam ignorantia*) deobligat promittentem ab adimpletione promiſſionis, quæ, ſi occurreret, quando promiſit, eam exciperet, aut de ea re interrogatus reſponderet, mentem ſuam non eſſe, in eo eventu ſe obligare. Ratio eſt, quia gratuita promiſſio (*qualis eſt votum*) non plus obligat quàm promittens intenderit ſe obligare, non intendit autem ſe obligare in eo eventu, ſicut enim in generali conceſſione non veniunt ea quæ quis veroſimiliter non eſſet in ſpecie conceſſurus, ut habetur in *Reg. 81. in 6.* ita in promiſſione non veniunt eventus, quos, ſi in ſpeciali in his, vel illis circumſtantiis fuiſſent propoſiti, excepiſſet promittens quando promiſit, nec alius poteſt eſſe melior interpres ſuæ propriæ promiſſionis, quàm is, qui promiſit, eſto *abſolutè* promiſerit, nec quidquam de eventibus inopinatis cogitârit, quando enim ſuperveniunt (*aut tempore promiſſionis jam aderant, ſed ignorabantur*) interrogandum eſt, an, ſi illi, dum promiſit, occurriſſent, aut propoſiti fuiſſent, diceret, mentem ſuam futuram fuiſſe, in illis ſe non obligare, cenſendi ſunt non fuiſſe comprehenſi. e. g ſi magnas eleemoſynas voviſti, & ad tantam inopiam es redactus, ut, ſi id prævidiſſes, eas promiſſurus non fuiſſes, non teneris voto: idem dicendum de aliis ſimilibus eventis, qui ponderandi & judicandi ſunt, ſpectatâ qualitate &c. mutationis (diverſitatéve) rerum, collatáque cum re promiſſa, atque conſideratis cæteris circumſtantiis." Ita Molina. 94

Itaque quando quis poſt factum votum dicit: Si ſciviſſem, hoc futurum, aut hoc adeſſe, non ſciviſſem hoc votum, inprimis videndum, utrùm mutatio ſit talis, ut, quando præ- 95

Digitized by Google

prævidetur futura, ſoleat à vovendo retrahere homines ejuſdem conditionis, cujus eſt ille, qui ait, ſe non prævidiſſe, aut neſciviſſe, & tunc cenſendus eſt non teneri voto, quia utique non voluit aliter ſe obligare, quàm alii ſuæ ætatis, ſexûs, conditionis &c. ſoleant, ſi verò non poſſit conſtare, quid ſoleant facere cæteri ejuſdem conditionis homines in tali caſu, tum quoties vovens poteſt ex aliquo actu ſuo, aut ex fine voti conjicere veroſimiliter, ſe, dum promiſit, ita conſtitutum fuiſſe, ut promiſſurus non fuerit, ſi eæ difficultates, aut circumſtantiæ obſervatæ fuiſſet animo, liberandus eſt obligatione obſervandi voti, modò interim non conſtet, ipſum abſolutè voluiſſe, ut ſua promiſſio, etiam non obſtante ignorantiâ, valeret. Vide Sanchez *cit. Lib. 4. cap. 2.* hæc confirmantem.

96 Hiſce obſervatis, & concluſis reſpondetur, bonum illum virum, qui Cordulæ noſtræ reſpondit, eam poſſe, non obſtante illo voto, nubere, lapſum fuiſſe errore humano, quo & ego fortè laberer in ſimili eventu, ſi minùs haberem uſûs, & ſtudii. Certè in hac ſpecie facti non apparet quidquam, ex quo credatur defuiſſe illi Cordulæ quidquam de libertate, aut ſcientia, ſeu cognitione neceſſaria. Quia tamen erat jam bina publicatio facta, & proinde ſine ulla ſua culpa (meritò enim credidit Confeſſario) fuit conjecta in id loci, ut nequiret ſine infamia, ac probro reſilire à nuptiis, quia deinde votum illud caſtitatis non erat *abſolutum*, ſed *conditionale*, in tali autem voto diſpenſat Epiſcopus, cùm non ſit reſervatum, etiam poſtquam evenit conditio, ſicuti probo *in Tract. De Quintuplici Jubilæo*, inque *Alphabeto Quadruplici*, idcirco cenſui, potuiſſe reipſa, quod & factum, diſpenſari cum illa ab Ordinario.

97 At quid agendum cum ea, de qua ſequens

Caſus quadriceps?

98 *CÆcilia virgo, cùm ipſam milites hoſtes quærerent, jámque conclavis januam, quo incluſa latebat, vi, & ſecuribus effringerent, adeóque nullum è manibus eorum evadendi medium eſſet, vovit, ſe caſtitatem perpetuam ſervaturam, & Religioſum Ordinem S. Franciſci ingreſſuram, ſi ſtuprum, & mortem evaderet, quod & contigit.*

Quæritur I. *An Cæcilia de cætero voti capax in tali periculo conſtituta, cenſeri poſſit liberè, volens, prudens voviſſe, adeóque voto obſtricta teneri? II. An, ſi votum ipſam obligat, non poſſit annumerari votis conditionatis, Summo Pontifici non reſervatis, adeóque commutabilibus in aliud a Religioſo Privilegiato, licèt conditio fuerit adimpleta? III. Poſito, quòd non poſſit commutari, an, poſtquam juſtas ob cauſas (non quidem ex parte Regulæ, aut Ordinis, ſed perſonarum Monaſterii, & aliarum circumſtantiarum) provenientes, è Novitiatu ejus Ordinis, quem voverat ingredi, exiit, & egreſſa ad alia duo ejuſdem Ordinis Monaſteria recipi petiit, nec potuit ob præſentium temporum difficultates, & annonæ caritatem, teneatur inquirere alia Monaſteria, & petere admitti, expectare meliora tempora, quamdiu &c? IV. An ſaltem teneatur ſervare caſtitatem in ſæculo?*

Multi fluxêre Anni, ex quo tempore fuit ad me perſcriptus his verbis iſte Caſus quadriceps, quia quadruplicis quæſtionis, quid tunc reſponderim, accipe compendio. I. Eſt, *per ſe loquendo*, præſumptio, Cæciliam habuiſſe ſufficientem libertatem ad vovendum, incurrendámque obligationem voti. Probatur ex communi DD. reſolventium, ſubſiſtere votum, quod ex juſto metu editum erat, imminente naufragio, ſicuti & illorum, qui tenent, valere ex ſe contractum ex metu injuſto per latronem incuſſo. Confirmatur *ex cap. Perlatum, de his, quæ vi.* & *cap. Veniens. 3. De ſponſal.* Si tamen Cæcilia aſſereret, ſe conſtitutam in eo articulo planè neſciviſſe, quid ageret, aut loqueretur cum Deo, ſtandùm foret ejus aſſertione, & proinde habendum eſſet votum pro irrito. 99

II. Poſito, valere illud votum, poteſt commutari à prædictis Confeſſariis. Ita doceo *in Tract. De Jubil. Quintupl. num. 317.* 100

III. Cæcilia integre ſatiſfecit ſuæ obligationi, intrando ſemel Novitiatum, eſto poſtmodum ob indicatas cauſas inde exierit. Nam P. Sanch. *Lib 4. Moral. cap. 16. num. 93.* rectè docet, obligationi de ingredienda Religione ſatiſfeciſſe illum, qui ingreſſus Novitiatum, eſt ex cauſa juſta quacunque egreſſus. Confirmatur tum ex iis, quæ ibidem tradit *num. 120* tum inde, quòd permulti graves DD. cenſeant, nihil obeſſe, licèt quis Novitiatum deſeruerit ex cauſa non juſta. Adde, quòd Cæcilia pulſârit fores duorum aliorum Monaſteriorum, nec fuerit admiſſa. Equidem ingrediendo reipſa unum, & inſuper petendo admitti in alia duo, cenſetur feciſſe id, ad quod ſeſe obligare intendebat, & proinde id, ad quod *moraliter* tenetur fœmina, præſertim levis moribus. Obligatio voti eſt benigniſſimè interpretanda, ut perſæpe, & nominatim *in Alphab. Quadrupl. num. 374.* docui, nixus optimis rationibus *intrinſecis*, & *extrinſecis*: Ergo nullus ſcrupulus eſt huic puellæ ulteriùs movendus. 101

IV. Si dubitat, utrùm caſtitatem voverit dependenter, an independenter à Religione, non tenetur eam ſervare in ſæculo. P. Laym. *Lib. 4. Tract. 1. cap. 6. num. 14.* Vide P. Sanch. *loc. cit. num. 113. & 123.* Poſito autem, quòd teneatur, ſicuti tenetur, ſi putat, ſe eam voviſſe independenter à Religione, commutabit Religioſus Privilegiatus, diſpenſabit Epiſcopus. Ita cenſui tunc, ita ſentio & nunc, & copioſius 102

Digitized by Google

ſiùs poſtmodum proprio loco, id eſt *in Alphab. Quadr. Part. 1.* quæ pars tota impenſa eſt, elucidandæ per plurimos Caſus naturæ, & accidentibus Voti.

ERROR QUOMODO DIRIMAT MATRIMONIUM?

CASUS IV.

Impoſturæ Muliebris.

SUMMARIUM.

Caſus meretriculæ, fingentis ſe Comitiſſam, hácque ratione impetrantis inſigne Matrimonium. 103.
Traduntur duæ Regulæ ad dignoſcendum errorem circa ſubſtantiam. 107. & 108.
Explicantur exemplo Iacobi Patriarchæ. 110.
Traduntur ſex Regulæ ad dignoſcendum, quatenus error in qualitate irritet, aut non irritet Matrimonium. 113. & ſeqq.
Caſus hanc in rem hominis plebeji, fingentis ſe ortum prænobili ſtirpe. 119.
Caſus quoque fingentis, ſe non eſſe natum è ſtirpe Iudaica. 121.
Item alius Caſus doli ingenioſi. 123.
Et alius amoris cæci. 125.
Et alius erroris flagitioſi. 126.
Quam graviter peccet inducens alterum in errorem circa Matrimonium. 127.
Proponitur Caſus pudiciſſimæ conjugis. 128.
Et denique Caſus rariſſimus. 129. in Append.

103 D*Alilam, fœminam alio nomine præditam reperit Romæ Sempronius homo Germanus, dives, ſed non nobilis. Dicebat Dalila, ſe filiam Comitis à Liebenſtein, fugiſſe parentum tyrannidem, velle nubere. Cognoſcebat Sempronius Comitem, ſciebat habere filiam, quæ rigorem, & domum pertæſa ad Monialium aſceterium confugerat. Credit, hanc eſſe, & illam in uxorem ducit. Revertitur in patriam opinione jam ſuâ Comes factus, at ibi reperit Comitis filiam adhuc hærere apud Moniales. & hanc eſſe meretriculam quandam, quæ caſtæ, & nobilis virginis nomen ſumpſerat. Quid faceret? Matrimonium eſſe nullum vociferatur. At Iuriſtæ dicunt, fuiſſe errorem in qualitate (hoc eſt, in divitiis, nobilitate, forma &c.) adeóque Matrimonium tenere. Me conſuluit, & ego ſic quæſtionem debere reſolvi judicavi &c.*

104 Judicavit, inquam, Joannes Caramuel prolixo, & fundamentali diſcurſu, quem expreſſit *in ſua Theol. Fundamentali Fundamento 71. n. 1340.* cùm deſcripſiſſet *n. 1339.* verbis huc fideliter tranſlatis illam *Impoſturam muliebrem*, quæ utrùm ſit major ſimplicitate illius Sempronii, diſquirendum non eſt hîc: ſed *an, & quis, ſeu qualis error dirimat, irritet Matrimonium?* His duabus quæſtionibus diſſolutis, pateſcet *num. 114.* reſponſio ad Caſum Caramuelis.

Dico igitur I. Certum eſt, Matrimonium dirimi errore aliquo, certum eſt, non omni, etſi gravi. Ita omnes, & utraque pars eluceſcet ex dicendis in decurſu, ratio autem fundamentalis eſt, *quia nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit*, inquit *IC. L. Nuptias 30. ff. De Reg. jur.* & *Matrimonium ſolo conſenſu contrahitur*, ait Alex. III. *c. Cùm locum. De ſponſal.* Ergo deficiente conſenſu deficit Matrimoniũ, ſtante conſenſu ſtat Matrimonium. Atqui fit non rarò, ut error tollat conſenſum, juxta illud pronuntiatum juris: *Errantis nullus eſt conſenſus. Leg. 9. Cod. De juris & fact.* fit quoque non rarò, ut non tollat, ergo certum eſt, Matrimonium dirimi errore aliquo, & æquè certum eſt, dirimi non omni, ſeu quovis. At *quis, ſeu qualis error tollit? Quis, aut qualis non tollit conſenſum?* Hoc opus, hic labor eſt. 105

Dico igitur II. Error *circa ſubſtantiam perſonæ* tollit ſemper conſenſum neceſſariam ad valorem Matrimonii, error non verſans *circa ſubſtantiam perſonæ*, ſed ſolùm circa hujus qualitates, communiter non tollit conſenſum, aliquando tamen tollit. Ita rurſum omnes DD. tametſi differentes in quibuſdam exemplis, quæ aliquibus videntur continere errorem circa ſubſtantiam, aliis non item. Pro hac lite dirimenda ſit. 106

Regula I. Tunc eſt error *circa ſubſtantiam perſonæ*, quando quis contrahit cum aliqua, putans eſſe hanc individuam numero, cùm tamen ſit alia individua numero. Ita omnes declarantes exemplo, quo contrahis cum Bertha putans eſſe Cajam. Et in tali caſu clariſſimè locum habet illa ſententia, quæ *cap. Vnic. 29. quæſt. 1.* habetur: *Error perſonæ conjugii conſenſum non admittit.* Exiſtimat verò Navarrus *in Man. cap. 22. num. 132.* tunc etiam propriè errari in perſona, quando credis de Cajo, quòd ſit filius talis (quem noviſti, Regis, Ducis &c.) & tamen non eſt, aut quando falſò creditur eſſe primogenitus, & ipſi tanquam tali, & ob prærogativas genituræ nubitur. 107

Regula II. Tunc quoque erratur *in ſubſtantia perſonæ*, quando erratur quidem expreſſè in qualitate, ſed tamen ita, ut error qualitatis refundatur, redundetque in ſubſtantiam, ſeu inducat errorem in ſubſtantia. P. Sanch. *Lib. 7. Diſp. 28.* conſentientibus cæteris, ut teſtatur P. Dicaſtillo *loc. cit. num. 59.* tunc autem refunditur, quando occaſione, ſeu conſideratione alicujus qualitatis formas conceptum alicujus perſonæ determinatæ, ſeu individuæ & ſingularis: ſi enim tunc abſit ea qualitas, cenſeris erràſſe in ſubſtantia. P. Thomas Tamb. *De* 108

De Matr. Lib. 1. cap. 2. §. 1. n. 20. declarans hoc „exemplo: Vides mulieres duas, alteram ſedentem, ſtantem alteram, ac dicis: *Volo contrahere cum hac Matrimonium, quæ ſedet*, vel vides „duas alias, & ex amico audis, hanc eſſe nobilem, illam ignobilem, hanc virginem, illam „viduam, dicíſque: *Volo contrahere cum illa nobili, & virgine ſimul*, ajo, hanc ſeſſionem, hanc „nobilitatem, & virginitatem eſſe quidem qualitates, ſed in præſenti eſſe ſigna ſubſtantiæ ejus, „cum qua intendis inire Matrimonium, adeóque important hæ qualitates determinationem, & individuationem perſonæ, cùm tota „tua intentio ſit ad illam individuam perſonam, quæ ſedet, quæ nobilis eſt, licèt utique „illam non eligas propter ſeſſionem, ſicuti fortè eligis propter nobilitatem. Unde P. Perez

109 *De Matr. Diſp. 24. ſect. 4. num. 5.* rectè ſic ſcribit: Solius illius qualitatis error involvit errorem perſonæ, quæ determinat intellectum contrahentis, ut certam, & determinatam omnino perſonam concipiat, cum qua intendit hîc & nunc contrahere, eámque diſtinctam ab ea, cum qua externum celebrat contractum. Ex *prima* Regula petes reſolutionem hujus

Caſûs Patriarchalis.

110 *Ervivit Jacob pro Rachel ſeptem Annis, dixítque ad Laban: Da mihi uxorem* (ſponſam in uxorem) *meam, quia jam tempus expletum eſt, ut ingrediar ad illam. Qui vocatis multis amicorum turbis ad convivium fecit nuptias* (Matrimonium ratum de præſenti) *& veſpere Liam filiam ſuam* (majorem) *introduxit* (velatâ facie, ut erat eo loci moris) *ad eum*, id eſt, in ejus non cognoſcentis cubiculum, & lectum. *Ad quam cùm ex more Jacob fuiſſet ingreſſus* (hoc eſt, per copulam maritali affectu peractam conſummâſſet verum, ſuâ opinione, Matrimonium) *facto manè vidit Liam* (quam caſtiſſimi, & pudentiſſimi animi vir, & nil aliud moliens, quàm neceſſaria ad prolis generationem, nullo verbo amatorio totâ nocte allocutus erat) *& dixit ad ſocerum ſuum: Quid eſt, quod facere voluiſti? Nonne pro Rachel ſervivi tibi? Quare impoſuiſti mihi?*

111 Luculentius, certiúſque exemplum Matrimonii ob errorem perſonæ irriti non reperies iſto, quod ſacer textus *Geneſ. 29.* refert verbis à me deſcriptis, &, quà ſunt obſcuriora, explicatis à P. Benedicto Perer. *in illud cap.* explanatione, quam reflexè appoſui. Etſi enim Lia æquè, ac Rachel fuiſſet uſque ad illum concubitum vera ſponſa Jacobi Patriarchæ, & voluiſſet per copulam, ſicuti ex antiquo Judæorum, Chriſtianorúmque more licebat, conficere, conſummaréque verum Matrimonium, attamen non confeciſſet, nec conſummâſſet reipſa cum Lia, quia ſcilicet intendebat conficere, & conſummare cum ſola Rachele.

Quæritur II. *An, & quando error in qualitate irritet Matrimonium?* 112

Reſp. Generatim certum eſſe, quòd communiter non irritet, nihilominus tamen ſæpe irritet. *At quando hoc, quando illud?* Reſp. Satis commodè intellectum iri ex ſequentibus Regulis, traditis à diverſis Scriptoribus: proponam *primò* illas, quæ oſtendunt, quando error in qualitate dirimat, *deinde* illas, ex quibus deducitur firmitas Matrimonii. Sit igitur.

Regula I. Error qualitatis, redundans *in ſubſtantiam perſonæ*, impedit valorem Matrimonii. Hanc Regulam probavi paulò antè. 113

Regula II. Quando qualitas eſt finis Matrimonii, ita ut Matrimonium ſit unicum medium ad finem illum aſſequendum, ſeu obtinendam illam qualitatem, tunc error qualitatis impedit valorem Matrimonii. Hanc Regulum colligo ex ſubtili Caramuele *in Theol. Fundamen. fundamento 70. §. 2.* & declaro cum illo. Quando nihil cogitans de Matrimonio ineundo vides puellam, quam audis eſſe prænobilem, paratam verò nubere etiam non nobili, modò hic ſit pecunioſus, tu ſi probè nummatus concipias tunc primùm animum ducendi uxorem, & hanc quidem, inductus unicè amore affinitatis cum illuſtri familia, accipiáſque eandem ab illuſtri ſtemmate ita laudatam, non valens aliam æquè nobilem nanciſci, & ne quidem cogitans de Matrimonio, niſi occaſione, atque ſtudio illius deprædicatæ nobilitatis, nemo negabit, quin finis tui Matrimonii ſit conjunctio, ſeu affinitas cum illuſtri proſapia, ergo Matrimonium ſe habet, ut medium, reſpectu prædictæ nobilitatis, affinitatíſque: & quidem unicum medium, quia aliâ ratione nequis conjungi cum illo prænobili ſanguine, ergo nihil eſt, quod in hac muliere ames, & eligas, niſi nobilitas, aut propter nobilitatem hujus appendices, ergo ſi non adſit nobilitas, nihil eſt, quod in ea ames, aut eligas, ergo quando erras in ipſamet ſubſtantia qualitatis, nullum eſt in ejuſmodi caſu Matrimonium, quia nullus eſt contractus, in cujus materia non ametur, aut eligatur quidpiam.

Ex hac Regula deduco cum Caramuele ſolutionem Caſûs deſcripti *n. 103.* & dico, Matrimonium illud non ſubſtitiſſe, faſſus enim fuit Sempronius, ſe Romæ non tantùm non habuiſſe ullum animum ducendi uxorem, priuſquam videret Dalilam, ſed etiam *poſitivè* cogitâſſe differre omne Matrimonium in reditum ad patrios lares, ubi autem intellexit, illam Dalilam eſſe de bene ſibi nota familia Comitum à Liebenſtein, quos etiam habere nubilem filiam antea cognoverat, tunc autem pri- 114

Caſum pudiciſſimæ Conjugis:

Conjugis, inquam, nobili genere orta, jam autem pridem cælo, ut confido, inſcripta, quæ ultro quidem elegit ſtatum conjugalem, ita tamen ignara rei ad prolis generationem neceſſariæ, ut planè crederet, liberos naſci ex ſolo præciſè maris, ac fœminæ concubitu in eodem lecto, ſine ulla ſexuum permixtione, utpote de qua nihil planè nôrat, ac proinde, quando maritus primâ vice debitum conjugale petiit ab ipſa, fuerit ſummopere mirata, peti à ſe rem adeò inverecundam, inexpectatam, & paruerit quidem ipſi ſecuta ejus fidem, vix tamen potuerit exſpectare tempus, quo conſcientiæ ſuæ arbitrum interrogaret, an illa commixtio & culpâ vacaret, & conjugum uni eſſet ad alterius inſtantiam præcepta? Quæri poteſt an ejuſmodi connubium revera ſubſtiterit, non obſtante ignorantiâ, imò errore poſitivo?

129 Quæ ſcripſi de B. Maria Magdalena de Pazzi, reperiet Lector in ejus vitæ *Lib. 1. Tr. 1. c. 9. & Tr. 2. cap. 7.* atque *Tr. 3. cap. 4.* at quæ narro de illa Matrona conjugata, habeo ex ore ipſiuſmet; non quidem conſilii, ſed alterius rei cauſâ æquâ, juſtâ; nec dubitandum, quin plures ſponſæ laborent eâ felici ignorantiâ, qua hæc Matrona. Et verò ad eam quod attinet, ejus Matrimonium fuiſſe nullum, probari videtur ex eo, quòd non tantùm, generatim loquendo, non videantur, qui errant, conſentire *L. Nihil 116. De Reg. Juris.* ſed etiam ſpeciatim paciſci non videatur, qui ignorat, vel errat. Barboſa *Axiom. 113.* ignorabat autem illa vidua, quid eſſet traditio corporis in uſum conjugalem, ut liquet ex ſpecie facti, proindéque cadebat in eam illud Maſcardi *De probat. Concl. 46. num. 69.* effatum: *Non dicitur factum ſcire, qui facti qualitates ignorat.* Confirmatur inde, quòd promiſſio matrimonialis æquiparetur, quoad deliberationem, promiſſioni votivæ, ſeu voto. Martinus Perez *De Matrim. diſp. 1. ſect. 3.* ex communi; atqui non ſubſiſtit votum, quando erratur circa materiam operis. Suarez *Tr. 2. De Relig. l. 1. de voto cap. 11. n. 3.* Hæ eædem rationes militant à fortiori pro tunc, cùm *alteram* editionem hujus Voluminis adornabam ſolùm Beata, nunc Sancta Maria Magdalena de Pazzi, & quidem ita validè pro hac (præſertim expenſis verbis, quibus illa ignorantia rerum Venerearum proponitur recentiſſimè in Breviario Romano *Lectione IX.*) ut omnino cenſeam, nullas vires habiturum fuiſſe conjugium, ſi acquievíſſet ſolicitationi parentum; ſiquidem prædictæ ignorantiæ juncta erat tanta averſatio commixtionis carnalis, ut videatur nunquam, etiam poſt publicum contractum matrimonialem, fuiſſe conſenſura in eam, ſed dictura, ſe priùs mortem, quàm complexus maritales electuram fuiſſe, & eſſe. At verò quia Matrona altera conſenſit in copulam, poſtquam edocta fuit, conſenſum in eam eſſe de ratione Matrimonii, & revera cupiebat fieri mater, idcirco eſt de illa pronuntiandum, quod de hæreticis, firmiter credentibus, Matrimonium inter baptizatos & eſſe ſolubile quoad vinculum quoque & carere ratione Sacramenti, trademus *Tract ſeq. Caſ. XIX.* Sicuti enim particularis ipſorum error circa haſce qualitates *ſubſtantiales* cedit intentioni generali, & ultimatæ de contrahendo vero Matrimonio, ita etiam deliberata voluntas faciendi, ſeu patiendi neceſſaria, ad propagationem ſpeciei, qua voluntate prædita erat illa vidua, vicit ſeu neſcientiam, ignorantiámve ipſius, ſeu etiam errorem poſitivum; ac proinde in ea locum habuit Alexandri apud Tuſchum *lit. C. Concluſ. 75. num. 65.* Regula; *Ad conſenſum ſufficit cogitatus in genere.* De qua Regula vide Gabrielium *Communium Concluſ. Lib. 6. Concluſ. 4.*

Adde, quòd, licèt ponamus contractum fuiſſe ab initio invalidum, robur tamen ſubſtantiale acquiſiverit per conſenſum, quem præſtitit faciendo poteſtatem liberam ſui corporis, poſt depulſam ſuam priorem ignorantiam, atque errorem, eſto tunc non adfuerit Parochus Infrà *Caſ. XVIII. num. 501.* & *Tract. ſeq. Caſ. XI. num. 415.*

APPENDIX.
Ad Num. 129.

Propoſui in hoc *Caſ. IV.* quoſdam ſatis raros Caſus Erroris comitantis contractum Matrimonialem, jungo iis hunc

Rariſſimum ex duplici, vel triplici capite.

Trutta ruſtica mulier, Nobilis Dominæ ſuæ filiolam nomine hic ficto Eugeniam; cum ſua, appellanda Eutropia, quam eâdem die pepererat, lactandam accepit. Contigit autem, ut è brachiis nutricis lapſa facie deformis redderetur. Quare indignationem Dominæ ſuæ timens Nutrix, filiolam ſuam ruſticellam ſubſtituit, ablactatámque Dominæ ſuæ tradidit, quæ nobiliter educata ut filia, pro tali bene dotata, ac viro nobili nupta eſt, cum quo & prole ſuſcepta etiamnum ſuperſtes, & nobiliter vivit. Altera verò nobilis filia, apud putatitiam Matrem, ruſticis laboribus, & vita innutrita, adhuc cum eadem eſt, & ſervire pergit (ſunt autem veri ejus Parentes, vivi adhuc & ſani.) Dicta Trutta, ſenex jam & ægra, aperit hæc, (nulli hactenus, quàm ipſi ſoli nota) ſuo Confeſſario, ac de ſua ſalute anxia,

Digitized by Google

anxia, quærit; ad quid in conſcientia obligetur, & facere debeat? Quid reſpondebit Confeſſarius?

b *Dum de reſponſo deliberatur; Truttæ Nutrici ægræ & jam ad extremum vitæ terminum inclinanti ſuaſum eſt, ut de ſubſtitutione filiæ ſuæ pro filia nobili &c. teſtaretur coram Parocho ſuo, & duobus aliis teſtibus, qui poſt mortem ipſius fraudem factam detegerent iis, quorum intereſt, & ſic ejus conſcientiæ, ac ſaluti quoad hoc conſuleretur. Admiſit illa conſilium, quieteque poſtea, ac piè in Domino obiit. Circa quod*

Quæritur 1. An Conſilium hoc neceſſarium fuerit ad conſulendum in iſtis circumſtantiis, conſcientiæ, ac ſaluti animæ moribundæ Truttæ quoad hoc? An verò aliud adhibendum fuerit; & quod illud?

Quæritur 2. An ſupradicti teſtes, obligentur in conſcientia, confeſſionem hanc, ſeu depoſitionem Truttæ aperire putatitiæ ruſticæ Virgini, ejus parentibus, putatitiæ Nobili nuptæ, & iſtius Conjugi? An tantùm aliquibus ex his, & quibus? An verò conſultius foret, apud Ordinarium ſolum loci id totum deponere?

Quæritur 3. An parentes putatitiæ Ruſticæ, putatitiæ Nobilis, & vir ejus, obligentur in Conſcientia, fidem adhibere Truttæ, in articulo mortis teſtanti, ac juratæ coram teſtibus fraudem factam? & An ad credendum cogi poſſint?

Quæritur 4. Si coacti, aut ſponte, illi fidem habeant; num ab Ordinario, Matrimonium initum, inter Virum nobilem & fœminam ruſticam, quæ credebatur filia Parentum Nobilium, nullum declarandum?

Quæritur 5. Si inter ſe denuo velint contrahere, an in facie Eccleſiæ id faciendum? An verò ſufficiat, privatim inter ſe denuo &c. ſi contrahant?

Quæritur 6. Si ille, aut illa cælebs deinceps permanere, aut cum alio, vel alia contrahere vellet; ad quem pertinebit prolem ſuſceptam alere?

Quæritur 7. An non conſultius, ac tutum in conſcientia foret, rem totam ſilentio involvere, Conjugeſque in pace, ac bona fide valoris Matrimonii relinquendo, eorum proli ſimul ac honori Nobilium familiarum conſulere, & multas tricas, quæ ex revelatione fraudis oriri poſſunt, præcavere? Ut tamen putatitiæ Ruſticæ Virgini, ex parte etiam conſulatur.

Quæritur 8. An tutum, & conſultum foret,
c *Parentes ejus ſolos, ſub obligatione ſecreti, de re tota informare, ac perſuadere, eam ad ſe ut recipiant, honorificè tractent, dotent, locent, abſque præjudicio tamen putatitiæ Nobilis nuptæ, quæ pro hærede legitima habenda erit. Dum ſuper his dubiis conſultatur, & deliberatur, D. Parochus, & reliqui duo teſtes, ſecuritati conſcientiæ ſuæ, & fidei, ac promiſſo Truttæ facto ſtare cupientes, Parentibus putatitiæ Ruſticæ, & viro putatitiæ Nobilis, facti totam ſpeciem aperiunt, & fidem indubitatam referunt; ita ut Parentes putatitiam Ruſticam, ut filiam ſuam ad ſe receperint, & Vir alter Nobilis, ſuam Ruſticam, utpote cum qua quietè, & commodè hactenus vixerit, & retinere decreverit ut ſuam. Nulla proinde difficultas remanet, niſi circa dotem putatitiæ Nobilis, ut filiæ datam, quam parentes illi Nobiles repetunt, eò quòd filiæ ſuæ dos ſit. Vir verò alter Nobilis recuſat reſtituere, ideò quòd dos detur propter onera Matrimonii ſubeunda, quæ ille ſubiit &c. Supereſt ergo hactenus indeciſa quæſtio: An jure illi dotem repetant, & iſte eam reſtituere teneatur? Et quæritur quid reſpondendum?*

Hiſce omnino verbis propoſitus eſt mihi à d
quodam Prælato Religioſo, multùm hinc diſſito hic caſus, avido cognoſcendi, quid ego ſentirem de judicio, quod de tot articulis dedit Theologus quidam pereruditus, ut liquet ex iis, quibus declarat, probátque ſuam de ſingulis mentem, faciens quandoque mei mentionem, ut proinde duplex titulus me invitet ad promendum hoc loco, quid ſentiam de his ipſis punctis. Quia tamen ſola *quarta* quæſtio ſpectat *directè* ad titulum hujus Caſûs *Quarti*, idcirco, illam expediam *primo* loco quærendo, *An poſito, quod maritus Eutropiæ revera jam credat, eſſe Eutropiam, cùm ſemper exiſtimârit, eſſe Eugeniam, habeat jus dimittendi eam, allegando impedimentum erroris, adeóque utrùm error ille in nobilitate, affinitate, opibus præſtiterit verum impedimentum erroris?*

Reſp. I. *Per ſe loquendo* non præſtitit, quia e
præciſè ut ſic indicatur error in qualitate, quem quidem per ſe non officere valori Matrimonii, dixi ſuprà in hoc *Caſu IV. præſentis Tractatûs num. 112.* declaravíque *num. 120.* Caſu plebeji fingentis ſe ortum illuſtriſſimâ ſtirpe.

Reſp. II. At *per accidens* potuit ille ipſe error vitiare contractum, ſi videlicet error qualitatis redundavit, juxta ſuperiùs dicta in errorem ſubſtantiæ: ut ſi cauſa finalis ducendi Eutropiam fuit, quòd ipſe ambiret veram affinitatem cum Parentibus Eugeniæ, ſicuti liquet ex judicio Navarri relato *num. 120.* notátque Theologus, de quo ſuprà.

Quia verò ſub finem hujus Rariſſimi Caſûs f
refertur, maritum illum, etiam poſtquam firmiter credidit, ſe fuiſſe deceptum, ſervâſſe illam Eutropiam, ſatis credibile eſt, errorem illum non redundâſſe in ſubſtantiam, ſed formam, indolémque Eutropiæ ita mirificè ipſi placuiſſe, ut licèt non fuiſſet eam ducturus cognito, eam formam, indolémque junctam eſſe fœminæ plebejæ, & pauperi, non Nobili, & opulentæ, attamen reipſa conſenſerit eo modo in eam, quo infiniti alii, qui toties dicunt, & ſincerè dicunt uxoribus: *Si ſciviſſem, te eſſe tam capitoſam: laborare hâc, aut illâ infirmitate: patrem tuum fuiſſe adulterum, matrem*

vene-

bus in aliud tempus dilatis, ſponſa deducetur
71 cum exigua pompa, moderato convivio, aliiſque modeſtis lætitiæ ſignis. Perez *De Matr. Diſp. 22. ſect. 2.* Hurtadus *Diſp. 25.* & Marchant. *in Reſol. Paſtor. Tract. 8. cap. 3. num. 3.* poſt Sanch. Certè Congregatio Concilii *abſolutè* declaravit, poſſe coram Parocho, & teſtibus contrahi illo tempore, ſine tamen ſolennitatibus. Declarationem deſcribit Gallemart *in Append. ad Trident. ſeſſ. 24. De Reformatione Matrim. cap. 10.* Concil. Trident. attamen uſu periti animarum Curatores à me interrogati ajunt, obſervari in hac quoque Conſtantienſi Diœceſi id, quod de Bavaria teſtatur P. Laymannus *Lib. 5. Tract. 10. Part. 4. cap. 15. tacitè* confirmante Tannero *Tom. 4. Diſp. 8. q. 4. dub. 2. num. 24.* & de Diœceſibus Leodienſi, ac Mechlinienſi Marchantius *loc. cit.* ſcilicet non permitti, ut omiſſis, vel in aliud tempus dilatis benedictionibus, ineatur Matrimonium, niſi neceſſitas urgeat, ut, ſi miles in periculo mortis conſtitutus, vel ſtatim diſceſſurus concubinam ducere velit.

72 Nec vult Tannerus *loc. cit.* ſicut nec Perez aſſentiri Sanchezio, ac Dianæ *Part. 3. Tract. 4. Reſol. 260.* exiſtimantibus, ſolas benedictiones nuptiarum eſſe hoc tempore prohibitas ſub mortali, cùm tamen idem Tanner. *ibid.* fateatur, probabile eſſe, ſecluſo ſcandalo, modeſtam traductionem ſponſæ unà cum decenti convivio vacare culpâ lethali, imò & veniali juxta Perez, atque Hurtadum, niſi conſuetudo repugnet, qua ſtandum eſt ſingulariter in actibus publicis.

73 Epiſcopum poſſe in Caſu raro diſpenſare etiam quoad ſolennitatem, docet apud Jac. de Graſſiis *Lib. 2. c. 85. num. 29.* Dominicus Sotus *in 4. diſt. 32. quæſt. 1. art. 1.* ſed nihil apud Sotum reperio. Addit, Synodum Neapolitanam ſancire *cap. 40.* ut Ordinarius facilè det licentiam ſolennes nuptias celebrandi tempore interdicto, videlicet propter humana pericula, ſed hæc humana pericula videntur ignorari, vel non æſtimari in Allemannia, ſeu Germania.

74 At *ſúntne ſolennes nuptiæ licitæ toto die Sabbati, præcedentis primam Dominicam Adventûs?* Reſp. Noſtri Teutones liberrimè eas celebrant totâ feriâ tertiâ ante Cineres, quia nullum jus aut literis mandatum, aut moribus conditum interdicit ipſis, ſicuti & ſine ullo peccato (quidquid fingat hîc mortale Baſilius Pontius apud Dianam *cit. Tract. 4. Reſol. 202.*) poſſent facere Sabbato illo, at non faciunt, quia lætitiam turbaret carniprivium, atque recepta veneratio Sabbatini diei.

75 Ex his deduces, Barnabam Antuerpianum graviter deliquiſſe, ſi in loco, ubi nuptiale feſtum obivit, vigebat conſuetudo Leodienſis, & Mechlinienſis, de qua ſuprà, ſi non viguit, nec aliud ſcandalum inde enatum eſt, non auſim dicere, ſimplicem illam prohibitionem Parochi continuiſſe mortalem obligationem, non enim videtur Parochus voluiſſe, aut etiam potuiſſe ſub mortali prohibere actum non continentem ullam gravem deordinationem.

Dico II. Voculâ: *Vetitum* poſitâ in hemiſti- 76
chio, quod hîc explanamus, intelligitur generale, aut particulare interdictum Magiſtratûs Eccleſiaſtici. Nec enim dubium, quin valeant exoriri cauſæ, ob quas Epiſcopus, & ipſe etiam Parochus certis quibuſdam perſonis inhibeat, ne hic & nunc contrahant, e.g. donec conſtet, nullum ſubeſſe impedimentum. P. 77
Tanner. *cit. quæſt. 4. num. 23.* obſervans, gravitatem peccati, quod incurritur agendo contra prohibitionem, eſſe deſumendam ex circumſtantiis, atque adeò cauſis inhibendi. Unde infero, ſi cauſa gravis inhibendi ſuppetat, adeſſe materiam ſufficientem ad mortale, hanc autem abeſſe, ſi materiæ, aut circumſtantiæ non ſint magnæ conſiderationis.

Ex quo ſubinferes, tum verum eſſe, quod 78
dixi in calce *præcedentis* concluſionis, tum Barnabam Antuerpianum gravis criminis reatum incurriſſe, dum fecit ſe copulari contra expreſſam prohibitionem Epiſcopi, habuit enim Antiſtes gravem cauſam interdicendi fraudulentâ laſciviâ Barnabæ.

Dico III. Nomine *Sponſalia* indicatur, il- 79
lum, qui cum aliqua celebravit valida ſponſalia, habere impedimentum, quò minùs poſtea celebret cum alia, niſi vel prior ſponſa id permittat, vel ſuperveniat, deprehendatúrve cauſa ſufficiens diſſolvendis primis ſponſalibus. Ita omnes DD. obſervantes, committi noxam lethalem adverſùs fidelitatem, ſi agatur contra hoc *tertium* impedimentum. Etenim, generatim loquendo, peccant mortaliter adverſùs fidelitatem, qui abſque cauſa legibus probata non ſtant promiſſione oneroſâ in materia gravi, qualis utique eſt hæc. Studioſè 80
agendum eſt, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur *Text. In cap. Qualiter. De pact.* Porrò ob quas cauſas jura permittant ſolutionem ſponſalium, etiam legitimorum, ediſſeram ſigillatim. *Tract. ſeq. Caſ. VI. VII. & VIII.* nominatim *Caſ. V. num. 237. & ſeqq.* tradam compendium reſponſi, quod P. Leſſius relatus *n. 69.* dedit ad caſum Barnabæ, quatenus hic tenebatur ſtare promiſſione factâ.

DE VOTO, QUARTO IMPEDIMENTO IMPEDIENTE TANTUM.

CASUS III.

Malè reſolutus.

SUMMARIUM.

Caſus puellæ volentis poſt votum caſtitatis tranſire ad nuptias, ſed deinde allegantis infirmitatem corporis. 81.

Quate-

Digitized by Google

Quatenus votum caſtitatis impediat nubere? 83.
Quatenus votum ingrediendi Religionem? 88.
Quid ſi alterutrum ſit ex metu contractum? 89.
Quando cenſeatur error verſari circa ſubſtantiam voti? 92.
Ignorantia quatenus obſit valori voti? 94. & 95.
Caſus puellæ emittentis in periculo pudicitiæ votum Religionis. 98.
Quid ſi intravit unum Monaſterium, & inde remiſſa ad ſæculum? 101.

81 *Cordula, ardens deſiderio obtinendi à Numine per merita Virginis Matris certam quandam gratiam, vovet perpetuam virginitatem, ſi precibus Deiparæ fiat compos illius gratiæ, & vero fit paulò pòſt, atque ſervat votum Annos aliquot, quibus elapſis ſollicitatur à quodam juvene ad Matrimonium, non planè aliena, ſi abſque offenſa Numinis fieri poſſet. Quare conſulit Confeſſarium, exponens eidem, ſe nullâ quidem invaletudine teneri, eſſe tamen habitu corporis minimè robuſto, ſed ſatis infirmo, poſſe fieri, ut poſt aliquot Annos nequeat ampliùs ancillari, ut tunc quidem ancillabatur, ſed fortè coactum iri redire ad lares paternos, futuram oneri parenti, difficulter ipſam nutrituro, ſe proinde quærere ex Confeſſario, an non ſit ſibi fas conſentire in Matrimonium, ad quod provocetur ab honeſto adoleſcente. Reſpondet Confeſſarius, eſſe utique fas. Quare fit ultro citròque promiſſio Matrimonii, fiunt quoque binæ proclamationes. At cùm immineret tertia, Confeſſarius doctus à nonnemine, quem ſuper reſponſo ſuo conſuluerat, fuiſſe erratum à ſe, accurrit ad Parochum, aperit, quod ex ipſamet Cordula intellexerat in arcana Confeſſione, rogat, ut tertiam proclamationem tantiſper differat, donec ſit obtenta diſpenſatio.*

82 Quæritur hîc duntaxat, an Votum illud Cordulæ impedierit Matrimonium. Dico, iſtud duntaxat hîc quæri, etenim *in Alphabeto Confeſſariorum Caſ. XXIII. num. 830.* quæſiimus expreſſè, an Confeſſarius non temeraverit ſigillum Sacramentale? Reſponſionem ad illam huc ſpectantem quæſtionem promam, ubi aperuero, an, & quale votum caſtitatis, & Religionis impediat Matrimonium.

Hunc ut Caſum integre expedirem, &, qua poſſem ratione, juvarem Cordulam ad me etiam directam, rogatus fui ſemel, atque iterum. Quid fecerim, liquebit ex dicendis.

83 Dico enim I. Votum ſimplex caſtitatis impedit Matrimonium, non tamen dirimit. Ita omnes. *Prima* pars eſt certa Divinâ fide, cum ſcriptum ſit: *Vovete & reddite. Altera* pars eſt itidem certa, *ex cap. Rurſus, Qui Cleric. vel vov.* &c Ex quo lubet deſcribere Cœleſtini tertii reſcriptum ad ſequentem

Caſum impii juramenti.

84 *Rurſus quidam votum caſtitatis emittens juravit, ſe quandam ducturum poſtea in uxorem. Unde à Fraternitate tua requiſiti arbitramur, quòd, cùm ſimplex votum apud Deum non minùs obliget, quàm ſolenne, pro eo quòd juravit temere, pœnitentiam agat, & votum, quod Deo fecit, ſtudeat obſervare. Quòd ſi, poſtquam præſtitit hujuſmodi juramentum, ad nuptias motu proprio convolâſſet, cùm votum ſimplex Matrimonium impediat contrahendum, non tamen dirimat jam contractum, nihil ambiguitatis quæſtio tua continere videtur.* Ita Pontifex.

85 Sciſcitaberis *quid intelligatur per votum ſolenne caſtitatis?* Reſ. Illud omne, & ſolum, quod emittunt vel Clerici, dum ordinantur in Subdiaconos, ſecundùm ea, quæ tradidi *in Alph. Ordinis Caſ. XX. num. 755.* vel Novitii, aut Religioſi, dum edunt profeſſionem Religioſam. Cætera vota caſtitatis nuncupantur *ſimplicia*, ut proinde, ſtante jure antiquo, ſubſiſteret Matrimonium, ad quod convolaret is, qui in Societate JESU nondum in ſacris conſtitutus emiſiſſet conſueta Vota, niſi contrarium ſtatuiſſet expreſſè Sedes Pontificia, ut referunt paſſim noſtri Doctores.

86 Ac proinde impediunt, non dirimunt Matrimonium ſequentia Vota. 1. *Promitto DEO perpetuam caſtitatem.* 2. *Voveo, me nunquam ducturum uxorem.* 3. *Voveo, me cœlibem manſurum, ſi hoc Anno me inebriavero, ſi arma Turcarum evaſero hoc Anno*, impediunt, inquam, hæc vota de ebrietate, & Turcis, poſtquam evenit conditio, ſub qua fuerunt emiſſa.

87 *Quid ſi ergo uxorem ducam, priuſquam vino me oppleam, aut elabatur Annus?* Reſp. In *primo* caſu non peccabis, at in *ſecundo*. Ratio eſt, quia, quando eſt votum ſeu pœnale, ſeu conditionale, non teneris exſpectare eventum, vel defectum conditionis pendentis à tua libertate, teneris autem non pendentis ab illa. P. Sanch. *Lib. 4. De voto cap. 22. num. 11.* atque P. Palaus *Part. 3. Tract. 15. Diſp. 1. De Voto. p. 16. num. 6.* pendet autem tui inebriatio à tuo arbitrio, non autem evaſio Turcici ferri. *At quid ſi, ductâ uxore, non effluat totus Annus abſque crapula?* Reſpondet Sanch. *num. 13.* te obligari ſervare in Matrimonio æquè caſtitatem, ac tenereris, ſi poſt emiſſum abſolutum votum caſtitatis duxiſſes uxorem.

88 Dico II. Nomine *voti impedientis* Matrimonium intelligitur etiam votum Religionis, id eſt, votum ingrediendi Religionem, certum quippe eſt, ſacrilegium admitti ab eo, *per ſe loquendo*, qui poſt tale votum ducit uxorem,

licèt ipſe tunc non ſit cogendus (ſaltem poſt conſummationem) ad Religionem tranſire, & matrimoniale vinculum reſcindere, ut loquitur Pontifex *cap. Meminimus. Qui Cleric. vel vovent.*

89 Dico III. Ut votum ſeu caſtitatis, ſeu Religionis impediat Matrimonium, debet habere conditiones omnes neceſſarias ad voti *eſſentialem* perfectionem, obligationémque, nam ceſſante cauſâ ceſſat effectus.

Atque adeò votum illud debet I. fuiſſe emiſſum liberè, id eſt, inprimis ſine metu injuſte incuſſo in eum finem, ut exprimeretur votum, ſi quippe talis metus ſit gravis, ſeu de malo gravi, cum reſpectu ad perſonam metu adactam, ejuſmodi votum non obligat. DD. communiter ex *Cap. 1. De his, quæ vi*, quorum alii ajunt, tale votum eſſe irritum jure naturæ, alii ſolo jure Eccleſiaſtico, nobis ſufficiat meminiſſe *Legis 116 ff. De Reg. juris*, ita ſapienter pronuntiantis: *Nihil conſenſui tam contrarium eſt &c. quàm vis, & metus, quem comprobare contra*
90 *bonos mores eſt.* Quin *practicè* tuta eſt ſententia tenens, votum initum ex metu injuſto, quantumvis levi, eſſe invalidum, nam ita contra Sanchez *Lib. 4. De Voto. cap. 3.* atque alios pleroſque tenent permulti, teſtibus Sanchez *ibid.* atque Leſſio *Lib. 2. De juſt. cap. 4.* atque inter hos piiſſimus Navarr. *in Man cap. 22. num. 51.* Vide, quæ de Voto, & plura de valore, imò invaliditate voti caſtitatis emiſſi ab homine lubrico, protuli in medium *in Alphab. Quadrupl. Part. 1. Caſ. VIII. num. 270. & ſeqq.* ubi nonnulla ſeu ſatis rara, ſeu aliquantum mira deprehendet meus Lector.

91 II. Ut deinde votum ſit validum, non debet proficiſci ex ignorantia *antecedente*, verſante circa ſubſtantiam rei votæ. Ita omnes, quia ignoti nulla cupido. Et quidem vera eſt hæc ſententia, licèt ignorantia ſit vincibilis. P. Suarez *Lib. 1. De voto cap. 12.* P. Filliucius *Tr. 26. num. 21.* atque alii plures contra P. Sanch. *loc. cit. cap. 2.* quia vincibilitas non tollit involuntarium. Dicitur autem tunc interceſſiſſe ignorantia *antecedens*, quando ea fuit cauſa voti, quia ſcilicet non voviſſes caſtitatem, Religionem &c. ſi non laboràſſes illâ ignorantiâ.

92 At, *quando cenſetur verſari circa ſubſtantiam Voti?* Reſp. Generatim in ſequentibus Caſibus, quos exprimo applicandos variis votis 1. Quando erratur circa notabilem partem rei voto promiſſæ, ut quando voviſti, te peregrinaturum ad Eremum B V. ratus diſtare tantùm bidui, cùm diſtet quatridui. 2. Quando erras circa materiam operis, ut ſi promiſiſti Deo, te ingreſſurum Monaſterium A. ratus incoli à PP. Benedictinis, cùm incolatur à PP. Auguſtinianis. 3. Quando erras circa perſonam, ſicuti *Caſ. IV.* explicabimus. 4. Quando circa cauſam finalem, ut; quando audiens, patrem, qui optimè valet, lethaliter decumbere, voviſti ingreſſum Religionis ad impetrandam ei ſanitatem. 5. Quando circa cauſam formalem, ut: quando voviſti daturum alicui Monaſterio mille aureos, ratus eſſe valde egenum, cùm ſit prædives. 6. Quando circa vim voti, ut: ſi exiſtimes obligare ſub veniali, cùm obliget ſub mortali.

Hæc exempla, ſeu doctrinas ſuppeditant P. Suarez *De voto cap. 11.* P. Leſſius *cit. cap. 40. num. 11.* & alii plures, quibus addit P. Sanch. *cit. Lib. 4. cap. 2. num. 11.* per ignorantiam invincibilem cujuſcunque cauſæ finalis, etiam minùs principalis, tolli obligationem voti, exprimens, ſe per cauſam finalem intelligere id, propter quod aſſequendum emiſiſti votum, & ſine quo non emiſiſſes, at interim negans de ignorantia cauſæ duntaxat impulſivæ. 93

III. Tametſi ignorantia circumſtantiarum ſæpiſſime nihil officiat valori voti, ſæpe tamen officit, ut fatentur omnes, quia illæ circumſtantiæ ſunt ſæpe tanti momenti, ut cognitæ retrahant omnes, aut propè omnes à vovendo. Unde poteſt pro praxi obſervari generalis doctrina, quam doctiſſimus P. Molina *Tract. 2. De juſtit. Diſp 272.* complexus eſt hoc diſcurſu: Ea rerum mutatio (*ſeu etiam ignorantia*) deobligat promittentem ab adimpletione promiſſionis, quæ, ſi occurreret, quando promiſit, eam exciperet, aut de ea re interrogatus reſponderet, mentem ſuam non eſſe, in eo eventu ſe obligare. Ratio eſt, quia gratuita promiſſio (*qualis eſt votum*) non plus obligat, quàm promittens intenderit ſe obligare, non intendit autem ſe obligare in eo eventu, ſicut enim in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis veroſimiliter non eſſet in ſpecie conceſſurus, ut habetur in *Reg. 81. in 6.* ita in promiſſione non veniunt eventus, quos, ſi in ſpeciali in his, vel illis circumſtantiis fuiſſent propoſiti, excepiſſet promittens quando promiſit, nec alius poteſt eſſe melior interpres ſuæ propriæ promiſſionis, quàm is, qui promiſit, eſto *abſolute* promiſerit, nec quidquam de eventibus inopinatis cogitàrit, quando enim ſuperveniunt (*aut tempore promiſſionis jam aderant, ſed ignorabantur*) interrogandum eſt, an, ſi illi, dum promiſit, occurriſſent, aut propoſiti fuiſſent, diceret, mentem ſuam futuram fuiſſe, in illis ſe non obligare, cenſendi ſunt non fuiſſe comprehenſi. e. g ſi magnas eleemoſynas voviſti, & ad tantam inopiam es redactus, ut, ſi id prævidiſſes, eas promiſſurus non fuiſſes, non teneris voto: idem dicendum de aliis ſimilibus eventis, qui ponderandi & judicandi ſunt, ſpectatâ qualitate &c. mutationis (diverſitatéve) rerum, collatáque cum re promiſſa, atque conſideratis cæteris circumſtantiis. Ita Molina. 94

Itaque quando quis poſt factum votum dicit: Si ſciviſſem, hoc futurum, aut hoc adeſſe, non ſciviſſem hoc votum, inprimis videndum, utrùm mutatio ſit talis, ut, quando 95

præ-

prævidetur futura, ſoleat à vovendo retrahere homines ejuſdem conditionis, cujus eſt ille, qui ait, ſe non prævidiſſe, aut neſciviſſe, & tunc cenſendus eſt non teneri voto, quia utique non voluit aliter ſe obligare, quàm alii ſuæ ætatis, ſexûs, conditionis &c. ſoleant, ſi verò non poſſit conſtare, quid ſoleant facere cæteri ejuſdem conditionis homines in tali caſu, tum quoties vovens poteſt ex aliquo actu ſuo, aut ex fine voti conjicere veroſimiliter, ſe, dum promiſit, ita conſtitutum fuiſſe, ut promiſſurus non fuerit, ſi eæ difficultates, aut circumſtantiæ obſervatæ fuiſſet animo, liberandus eſt obligatione obſervandi voti, modò interim non conſtet, ipſum abſolutè voluiſſe, ut ſua promiſſio, etiam non obſtante ignorantiâ, valeret. Vide Sanchez *cit. Lib. 4. cap. 2.* hæc confirmantem.

96 Hiſce obſervatis, & concluſis reſpondetur, bonum illum virum, qui Cordulæ noſtræ reſpondit, eam poſſe, non obſtante illo voto, nubere, lapſum fuiſſe errore humano, quo & ego fortè laberer in ſimili eventu, ſi minùs haberem uſûs, & ſtudii. Certè in hac ſpecie facti non apparet quidquam, ex quo credatur defuiſſe illi Cordulæ quidquam de libertate, aut ſcientia, ſeu cognitione neceſſaria. Quia tamen erat jam bina publicatio facta, & proinde ſine ulla ſua culpa (meritò enim credidit Confeſſario) fuit conjecta in id loci, ut nequiret ſine infamia, ac probro reſilire à nuptiis, quia deinde votum illud caſtitatis non erat *abſolutum*, ſed *conditionale*, in tali autem voto diſpenſat Epiſcopus, cùm non ſit reſervatum, etiam poſtquam evenit conditio, ſicuti probo *in Tract. De Quintuplici Jubilæo*, inque *Alphabeto Quadruplici*, idcirco cenſui, potuiſſe reipſa, quod & factum, diſpenſari cum illa ab Ordinario.

97 At quid agendum cum ea, de qua ſequens

Caſus quadriceps?

98 *Cæcilia virgo, cùm ipſam milites hoſtes quærerent, jámque conclavis januam, quo incluſa latebat, vi, & ſecuribus effringerent, adeóque nullum è manibus eorum evadendi medium eſſet, vovit, ſe caſtitatem perpetuam ſervaturam, & Religioſum Ordinem S. Franciſci ingreſſuram, ſi ſtuprum, & mortem evaderet, quod & contigit.*

Quæritur I. *An Cæcilia de cætero voti capax in tali periculo conſtituta, cenſeri poſſit liberè, volens, prudens voviſſe, adeóque voto obſtricta teneri? II. An, ſi votum ipſam obligat, non poſſit annumerari votis conditionatis, Summo Pontifici non reſervatis, adeóque commutabilibus in aliud à Religioſo Privilegiato, licèt conditio fuerit adimpleta? III. Poſito, quòd non poſſit commutari, an, poſtquam juſtas ob cauſas (non quidem ex parte Regulæ, aut Ordinis, ſed perſonarum Monaſterii, & aliarum circumſtantiarum) provenientes, è Novitiatu ejus Ordinis, quem voverat ingredi, exiit, & egreſſa ad alia duo ejuſdem Ordinis Monaſteria recipi petiit, nec potuit ob præſentium temporum difficultates, & annonæ caritatem, teneatur inquirere alia Monaſteria, & petere admitti, expectare meliora tempora, quamdiu &c? IV. An ſaltem teneatur ſervare caſtitatem in ſæculo?*

Multi fluxêre Anni, ex quo tempore fuit ad me perſcriptus his verbis iſte Caſus quadriceps, quia quadruplicis quæſtionis, quid tunc reſponderim, accipe compendio. I. Eſt, *per ſe loquendo*, præſumptio, Cæciliam habuiſſe ſufficientem libertatem ad vovendum, incurrendámque obligationem voti. Probatur ex communi DD. reſolventium, ſubſiſtere votum, quod ex juſto metu editum erat, imminente naufragio, ſicuti & illorum, qui tenent, valere ex ſe contractum ex metu injuſto per latronem incuſſo. Confirmatur *ex cap. Perlatum, de his, quæ vi.* & *cap. Veniens.* 3. *De ſponſal.* Si tamen Cæcilia aſſereret, ſe conſtitutam in eo articulo planè neſciviſſe, quid ageret, aut loqueretur cum Deo, ſtandùm foret ejus aſſertione, & proinde habendum eſſet votum pro irrito. 99

II. Poſito, valere illud votum, poteſt commutari à prædictis Confeſſariis. Ita doceo *in Tract. De Iubil. Quintupl. num. 317.* 100

III. Cæcilia integrè ſatiſfecit ſuæ obligationi, intrando ſemel Novitiatum, eſto poſtmodum ob indicatas cauſas inde exierit. Nam P. Sanch. *Lib 4. Moral. cap. 16. num. 93.* rectè docet, obligationi de ingredienda Religione ſatiſfeciſſe illum, qui ingreſſus Novitiatum, eſt ex cauſa juſta quacunque egreſſus. Confirmatur tum ex iis, quæ ibidem tradit *num. 120* tum inde, quòd permulti graves DD. cenſeant, nihil obeſſe, licèt quis Novitiatum deſeruerit ex cauſa non juſta. Adde, quòd Cæcilia pulſârit fores duorum aliorum Monaſteriorum, nec fuerit admiſſa. Equidem ingrediendo reipſa unum, & inſuper petendo admitti in alia duo, cenſetur feciſſe id, ad quod ſeſe obligare intendebat, & proinde id, ad quod *moraliter* tenetur fœmina, præſertim levis moribus. Obligatio voti eſt benigniſſimè interpretanda, ut perſæpe, & nominatim *in Alphab. Quadrupl. num. 374.* docui, nixus optimis rationibus *intrinſecis*, & *extrinſecis*: Ergo nullus ſcrupulus eſt huic puellæ ulteriùs movendus. 101

IV. Si dubitat, utrùm caſtitatem voverit dependenter, an independenter à Religione, non tenetur eam ſervare in ſæculo. P. Laym. *Lib. 4. Tract. 1. cap. 6. num. 14.* Vide P. Sanch. *loc. cit. num. 113. & 123.* Poſito autem, quòd teneatur, ſicuti tenetur, ſi putat, ſe eam voviſſe independenter à Religione, commutabit Religioſus Privilegiatus, diſpenſabit Epiſcopus. Ita cenſui tunc, ita ſentio & nunc, & copio- 102

ſiùs poſtmodum proprio loco, id eſt *in Alphab. Quadr. Part. 1.* quæ pars tota impenſa eſt, elucidandæ per plurimos Caſus naturæ, & accidentibus Voti.

ERROR QUOMODO DIRIMAT MATRIMONIUM?

CASUS IV. Impoſturæ Muliebris.

SUMMARIUM.

Caſus meretricula, fingentis ſe Comitiſſam, hácque ratione impetrantis inſigne Matrimonium. 103.
Traduntur duæ Regula ad dignoſcendum errorem circa ſubſtantiam. 107. & 108.
Explicantur exemplo Iacobi Patriarchæ. 110.
Traduntur ſex Regulæ ad dignoſcendum, quatenus error in qualitate irritet, aut non irritet Matrimonium. 113. & ſeqq.
Caſus hanc in rem hominis plebeji, fingentis ſe ortum prænobili ſtirpe. 119.
Caſus quoque fingentis, ſe non eſſe natum è ſtirpe Iudaica. 121.
Item alius Caſus doli ingenioſi. 123.
Et alius amoris cæci. 125.
Et alius erroris flagitioſi. 126.
Quàm graviter peccet inducens alterum in errorem circa Matrimonium. 127.
Proponitur Caſus pudiciſſimæ conjugis. 128.
Et denique Caſus rariſſimus. 129. in Append.

03 D*Alilam, fœminam alio nomine præditam reperit Romæ Sempronius homo Germanus, dives, ſed non nobilis. Dicebat Dalila, ſe filiam Comitis à Liebenſtein, fugiſſe parentum tyrannidem, velle nubere. Cognoſcebat Sempronius Comitem, ſciebat habere filiam, quæ rigorem, & domum pertæſa ad Monialium aſceterium confugerat. Credit, hanc eſſe, & illam in uxorem ducit. Revertitur in patriam opinione jam ſuâ Comes factus, at ibi reperit Comitis filiam adhuc hærere apud Moniales. & hanc eſſe meretriculam quandam, quæ caſtæ, & nobilis virginis nomen ſumpſerat. Quid faceret? Matrimonium eſſe nullum vociferatur. At Iuriſtæ dicunt, fuiſſe errorem in qualitate (hoc eſt, in divitiis, nobilitate, forma &c.) adeóque Matrimonium tenere. Me conſuluit, & ego ſic quæſtionem debere reſolvi judicavi &c.*

04 Judicavit, inquam, Joannes Caramuel prolixo, & fundamentali diſcurſu, quem expreſſit *in ſua Theol. Fundamentali Fundamento 70. n. 1340.* cùm deſcripſiſſet *n. 1339.* verbis hunc fideliter tranſlatis illam *Impoſturam muliebrem*, quæ utrùm ſit major ſimplicitate illius Sempronii, diſquirendum non eſt hîc: ſed *an, & quis, ſeu qualis error dirimat, irritet Matrimonium?* His duabus quæſtionibus diſſolutis, pateſcet *num. 114.* reſponſio ad Caſum Caramuelis.

Dico igitur I. Certum eſt, Matrimonium dirimi errore aliquo, certum eſt, non omni, etſi gravi. Ita omnes, & utraque pars eluceſcet ex dicendis in decurſu, ratio autem fundamentalis eſt, *quia nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit*, inquit *IC. L. Nuptias 30. ff. De Reg. jur.* & *Matrimonium ſolo conſenſu contrahitur*, ait Alex. III. *c. Cùm locum. De ſponſal.* Ergo deficiente conſenſu deficit Matrimoniū, ſtante conſenſu ſtat Matrimonium. Atqui fit non rarò, ut error tollat conſenſum, juxta illud pronuntiatum juris: *Errantis nullus eſt conſenſus. Leg. 9. Cod. De juris & fact.* fit quoque non rarò, ut non tollat, ergo certum eſt, Matrimonium dirimi errore aliquo, & æquè certum eſt, dirimi non omni, ſeu quovis. At *quis, ſeu qualis error tollit? Quis, aut qualis non tollit conſenſum?* Hoc opus, hic labor eſt. 105

Dico igitur II. Error *circa ſubſtantiam perſonæ* tollit ſemper conſenſum neceſſariam ad valorem Matrimonii, error non verſans *circa ſubſtantiam perſonæ*, ſed ſolùm circa hujus qualitates, communiter non tollit conſenſum, aliquando tamen tollit. Ita rurſum omnes DD. tametſi differentes in quibuſdam exemplis, quæ aliquibus videntur continere errorem circa ſubſtantiam, aliis non item. Pro hac lite dirimenda ſit. 106

Regula I. Tunc eſt error *circa ſubſtantiam perſonæ*, quando quis contrahit cum aliqua, putans eſſe hanc individuam numero, cùm tamen ſit alia individua numero. Ita omnes declarantes exemplo, quo contrahis cum Bertha putans eſſe Cajam. Et in tali caſu clariſſimè locum habet illa ſententia, quæ *cap. Unic. 29. quæſt. 1.* habetur: *Error perſonæ conjugii conſenſum non admittit.* Exiſtimat verò Navarrus *in Man. cap. 22. num. 132.* tunc etiam propriè errari in perſona, quando credis de Cajo, quòd ſit filius talis (quem noviſti, Regis, Ducis &c.) & tamen non eſt, aut quando falsò creditur eſſe primogenitus, & ipſi tanquam tali, & ob prærogativas genituræ nubitur. 107

Regula II. Tunc quoque erratur *in ſubſtantia perſonæ*, quando erratur quidem expreſſè in qualitate, ſed tamen ita, ut error qualitatis refundatur, redundétque in ſubſtantiam, ſeu inducat errorem in ſubſtantia. P. Sanch. *Lib. 7. Diſp. 28.* conſentientibus cæteris, ut teſtatur P. Dicaſtillo *loc. cit. num. 59.* tunc autem refunditur, quando occaſione, ſeu conſideratione alicujus qualitatis formas conceptum alicujus perſonæ determinatæ, ſeu individuæ & ſingularis: ſi enim tunc abſit ea qualitas, cenſeris erràſſe in ſubſtantia. P. Thomas Tamb. 108

De

De Matr. Lib. 1. cap. 2. §. 1. n. 20. declarans hoc „exemplo: Vides mulieres duas, alteram ſeden„tem, ſtantem alteram, ac dicis: *Volo contrahe„re cum hac Matrimonium, quæ ſedet*, vel vides „duas alias, & ex amico audis, hanc eſſe nobi„lem, illam ignobilem, hanc virginem, illam „viduam, dicisque: *Volo contrahere cum illa no„bili, & virgine ſimul*, ajo, hanc ſeſſionem, hanc „nobilitatem, & virginitatem eſſe quidem qua„litates, ſed in præſenti eſſe ſigna ſubſtantiæ ejus, „cum qua intendis inire Matrimonium, adeó„que important hæ qualitates determinatio„nem, & individuationem perſonæ, cùm tota „tua intentio ſit ad illam individuam perſo„nam, quæ ſedet, quæ nobilis eſt, licèt utique „illam non eligas propter ſeſſionem, ſicuti for-
109 tè eligis propter nobilitatem. Unde P. Perez *De Matr. Diſp. 24. ſect. 4. num. 5.* rectè ſic ſcribit: Solius illius qualitatis error involvit errorem perſonæ, quæ determinat intellectum contrahentis, ut certam, & determinatam omnino perſonam concipiat, cum qua intendit hîc & nunc contrahere, eámque diſtinctam ab ea, cum qua externum celebrat contractum. Ex *prima* Regula petes reſolutionem hujus

Caſûs Patriarchalis.

110 S*Ervivit Jacob pro Rachel ſeptem Annis, dixítque ad Laban: Da mihi uxorem* (ſponſam in uxorem) *meam, quia jam tempus expletum eſt, ut ingrediar ad illam. Qui vocatis multis amicorum turbis ad convivium fecit nuptias* (Matrimonium ratum de præſenti) *& veſpere Liam filiam ſuam* (majorem) *introduxit* (velatâ facie, ut erat eo loci moris) *ad eum*, id eſt, in ejus non cognoſcentis cubiculum, & lectum. *Ad quam cùm ex more Jacob fuiſſet ingreſſus* (hoc eſt, per copulam maritali affectu peractam conſummâſſet verum, ſuâ opinione, Matrimonium) *facto manè vidit Liam* (quam caſtiſſimi, & pudentiſſimi animi vir, & nil aliud moliens, quàm neceſſaria ad prolis generationem, nullo verbo amatorio totâ nocte allocutus erat) *& dixit ad ſocerum ſuum: Quid eſt, quod facere voluiſti? Nonne pro Rachel ſervivi tibi? Quare impoſuiſti mihi?*

111 Luculentius, certiúſque exemplum Matrimonii ob errorem perſonæ irriti non reperies iſto, quod ſacer textus *Geneſ. 29.* refert verbis à me deſcriptis, &, quà ſunt obſcuriora, explicatis à P. Benedicto Perer. *in illud cap.* explanatione, quam reflexè appoſui. Etſi enim Lia æquè, ac Rachel fuiſſet uſque ad illum concubitum vera ſponſa Jacobi Patriarchæ, & voluiſſet per copulam, ſicuti ex antiquo Judæorum, Chriſtianorúmque more licebat, conficere, conſummaréque verum Matrimonium, attamen non confeciſſet, nec conſummâſſet reipſa cum Lia, quia ſcilicet intendebat conficere, & conſummare cum ſola Rachele.

Quæritur II. *An, & quando error in quali-* 112
tate irritet Matrimonium?

Reſp. Generatim certum eſſe, quòd communiter non irritet, nihilominus tamen ſæpe irritet. *At quando hoc, quando illud?* Reſp. Satis commodè intellectum iri ex ſequentibus Regulis, traditis à diverſis Scriptoribus: proponam *primò* illas, quæ oſtendunt, quando error in qualitate dirimat, *deinde* illas, ex quibus deducitur firmitas Matrimonii. Sit igitur.

Regula I. Error qualitatis, redundans *in* 113
ſubſtantiam perſonæ, impedit valorem Matrimonii. Hanc Regulam probavi paulò antè.

Regula II. Quando qualitas eſt finis Matrimonii, ita ut Matrimonium ſit unicum medium ad finem illum aſſequendum, ſeu obtinendam illam qualitatem, tunc error qualitatis impedit valorem Matrimonii. Hanc Regulam colligo ex ſubtili Caramuele *in Theol. Fundamen. fundamento 70. §. 2.* & declaro cum illo. Quando nihil cogitans de Matrimonio ineundo vides puellam, quam audis eſſe prænobilem, paratam verò nubere etiam non nobili, modò hic ſit pecunioſus, tu ſi probè nummatus concipias tunc primùm animum ducendi uxorem, & hanc quidem, inductus unicè amore affinitatis cum illuſtri familia, accipiáſque eandem ab illuſtri ſtemmate ita laudatam, non valens aliam æquè nobilem nanciſci, & ne quidem cogitans de Matrimonio, niſi occaſione, atque ſtudio illius deprædicatæ nobilitatis, nemo negabit, quin finis tui Matrimonii ſit conjunctio, ſeu affinitas cum illuſtri proſapia, ergo Matrimonium ſe habet, ut medium, reſpectu prædictæ nobilitatis, affinitatíſque: & quidem unicum medium, quia aliâ ratione nequis conjungi cum illo prænobili ſanguine, ergo nihil eſt, quod in hac muliere ames, & eligas, niſi nobilitas, aut propter nobilitatem hujus appendices, ergo ſi non adſit nobilitas, nihil eſt, quod in ea ames, aut eligas, ergo quando erras in ipſamet ſubſtantia qualitatis, nullum eſt in ejuſmodi caſu Matrimonium, quia nullus eſt contractus, in cujus materia non ametur, aut eligatur quidpiam.

Ex hac Regula deduco cum Caramuele ſo- 114
lutionem Caſûs deſcripti *n. 103.* & dico, Matrimonium illud non ſubſtitiſſe, faſſus enim fuit Sempronius, ſe Romæ non tantùm non habuiſſe ullum animum ducendi uxorem, priuſquam videret Dalilam, ſed etiam *poſitivè* cogitâſſe differre omne Matrimonium in reditum ad patrios lares, ubi autem intellexit, illam Dalilam eſſe de bene ſibi nota familia Comitum à Liebenſtein, quos etiam habere nubilem filiam antea cognoverat, tunc autem primùm

Digitized by Google

mùm intelligebat, ab ea non quæri, niſi divitem maritum, dixiſſe apud ſe: Ergo habeo nunc occaſionem contrahendæ affinitatis cum tam illuſtri ſanguine, ergo, ut hanc contraham, accipiam iſtam Dalilam, tametſi non uno mihi comperto vitio laborantem, nequeo enim aliâ ratione fieri affinis illorum Comitum. Ex hac teſtificatione ſimul, & ratiocinatione Sempronii liquet, Matrimonium cum Dalila fuiſſe electum præcisè, ut medium, & quidem unicum perveniendi ad prædictam propinquitatem, ergo ſi fuit, (ſicut revera fuit) erratum in ſubſtantia conſanguinitatis, qua ſe intimè copulatam Liebenſteinianis mentiebatur Dalila, tum nihil fuit in Dalila, quod amaretur, aut eligeretur, ſed multùm quod reſpueretur, ergo contractus nullus.

115 Regula III. Quando dicis *formaliter expreſſâ* conditione: *Si hæc, aut illa* (honeſta) *qualitas adſit, contraho: ſi non adſit, non contraho*, tum ſanè deficiente, quæ putatur adeſſe, qualitate, deficit Matrimonium. Ita paſſim DD. cum P. Martino Perez *Diſp.24. ſect. 3. & 4.* Ratio, quia actus agentium non extenduntur ultra intentionem ipſorum. Declarabo caſu notabili *n. 140.* hanc Regulam, quam idem Perez *cit. ſect. 3. num. 4.* putat veram, etiamſi intentio apponendi talem conditionem ſit tantùm *virtualis*.

116 Regula IV. Quando quis contrahit cum aliqua, propter aliquam in ea qualitatem, ita apprehenſam, & æſtimatam, ut eâ inducatur ad contrahendum, & huic ita innitatur expreſſè, ut ſine ea non contraheret, non valet Matrimonium, ſi abſit ea qualitas. Ita idem *cit. ſect. 3. n. 7.* poſt Baſil. Pontium, & alios, declarans exemplo illius, qui ita errat in qualitate virginitatis, aut divitiarum. Ratio eſt, quia in tali caſu aſſenſus pendet ab illa qualitate, eámque habet pro conditione aſſenſûs.

117 Regula V. Sola *habitualis* intentio non contrahendi, niſi cum hac, aut illa qualitate, non ſufficit ad impediendum valorem Matrimonii, quandò illa qualitas abeſt. Perez *ibid. num. 4.* Ratio pro hac ſpeciali materia fundamentalis eſt, quia Matrimonium ſicut & profeſſio Religioſa continet electionem ſtatûs, eſt autem alienum à ratione, ut ejuſmodi electio pendeat ab intentione *habituali*, alioquin poſſent cum ingenti damno, & incommodo boni publici, privatique facillimè, leviſſimè reſcindi Matrimonia, profeſſióque Religioſa. Ne ergo hæc incommoda oriantur, debent homines habere hanc generalem intentionem, ut videlicet velint valere hos nexus, etſi interveniant errores circa qualitatem, repugnantes intentioni *habituali*. Vide Perez *cit. ſect. 3. n. 8.* Sit proinde.

118 Regula VI. Solus ille error circa qualitatem vitiat contractum matrimonialem, qui comprehenditur unâ ex primis quatuor Regulis, adeóque error, de quo Regula *quinta*, nil officit ſtabilitati, licèt ſit antecedens. Perez *loc. cit. num. 7.* Probatur ratione allatâ pro Regula *quinta*.

Ex his Regulis deduces reſponſum ad ſequentes Caſus 119

Caſus Navarreus.

Damaſus, homo plebejus toties, támque aſſeveranter confirmavit D. Dorotheo octogenario ſeni, ex illuſtriſſima familia, ſe eſſe nobilem, primogenitum, & divitem (cùm tamen nulla harum qualitatum in eo reperiretur) ut ei nuptui dederit ſuam neptem Catharinam, etiam penitiſſimè, & doloſiſſimè perſuaſam ipſum quoque eſſe alto ſanguine creatum. Celebrato Matrimonio rato, priuſquam conſummaretur, deprehenſa eſt fraus. Quare quæſitum fuit. 1. An Matrimonium illud fuerit validum? 2. An, ſi fuit validum; potuerit Pontificiâ authoritate, debueritque dirimi?

Utraque hæc quæſtio propoſita fuit Martino Navarro (hinc epitheton *Caſûs Navarrei*) ut teſtatur ipſe *De ſponſ. conſil. 3.* atque reſpondet inprimis rectè, valuiſſe Matrimonium, ſpectato ſolo errore circa nobilitatem generis, & opes, cùm fuerit error, ut ſic, in ſola qualitate at verò conſiderato errore circa primogenituram, cùm hic fuerit circa perſonam, ſeu in perſona, probabiliter non ſubſtitiſſe. Reſpondit deinde, eſto ſubſtiterit, potuiſſe tamen dirimi poteſtate Pontificiâ ob tantas fraudes, & imminentia grandia mala. An ſtandum hoc *ſecundo* reſponſo, videbimus *Part. 2.* hujus *Alphab. Caſ. XVIII. n. 692.* an acquieſcendum *primo*, videbimus paulò pòſt: priùs audiamus ſenſum ſapientum de hoc 120

Caſu Baſilii Pontii.

Dorothea ſæpeſæpius palàm profeſſa, ſe potiùs quidvis perpeſſuram, imò ſibi ipſi citiùs allaturam mortem, quàm ut nuberet certo viro, ſi Judæorum ſanguine infectus eſſet, nupſit tamen illi, mentito, ſe progenitum è ſtemmate nunquam tali maculâ fœdato; at poſtquam deprehendit Dorothea, eſſe ſibi impoſitum, eò rem deduxit, patrono Baſilio Pontio, ut Matrimonium fuerit à legitimo judice pronuntiatum nullum. An rectè? 121

Ita de ſe teſtatur ille Scriptor. *Lib. 4. De Matr. cap. 21. num. 23.* referente P. Martino Perez *Diſp. 24. ſect. 3. num. 7.* & Baſilii judicium approbantibus Theologiæ, Juriſque peritis Salmanticenſibus, Complutenſibus, & aliis.

Et ego cum Perez acquieſco huic judicio, quia tanta, totiéſque repetita proteſtatio ſatis 122

indi-

indicat, Dorotheam nupſiſſe cum hac *expreſſa* conditione: *Si non es è gente Hebraa creatus*; ergo hîc locum habet Regula allata *num. 115.* Et mihi perſuadeo, Catharinam, de qua Caſus Navarreus, ejúſque avum tanto uſu peritum, etiam appoſuiſſe illam conditionem: *Si es talis, qualem te dicis*; fuiſſent enim oppidò ſimplices, ne dicam, bardi, ſi non expreſſiſſent. Quamquam, ſi avus noverat illum virum illuſtrem, cujus primogenitum ſe fingebat Damaſus, fuit etiam error, ut ſic, in perſona, ut retuli ſuprà *num. 114.* ex Caramuele. At quid pronuntiandum de ſequente

Caſu ingenioſi doli?

123 *Didacus habens duas filias, juveni pulchritudine junioris capto eam ſibi in Matrimonium poſtulanti denegavit, offerens primogenitam. Juvenis petiit eam oſtendi cuidam amico, à quo de ejus pulchritudine certior fieri cupiebat; Pater doloſè filiam minorem oſtendit amico, quòd primogenita deformis eſſet. Juvenis ergo bene inſtructus de fœminæ pulchritudine, eóque errore ductus contraxit cum primogenita, exiſtimans eſſe eam, quæ amico oſtenſa fuerat. Dubitatum fuit, num ſolius qualitatis error eſſet, ac proinde valeret Matrimonium?*

124 Ita hunc Caſum ex Tabiena *verb. impediment. Matrim. 1. q. 4.* refert Sanchez *lib. 7. De Matr. diſp. 18. nn. 35.* atque approbat meritò, ſicut & Perez *ſect. 5.* judicium Tabienæ, qui conſultus reſpondit, valuiſſe Matrimonium, eò quòd fuerit error in ſola qualitate, quandoquidem non poterat contrahere cum ſecundogenita, utpote quam ſciebat, fuiſſe ſibi negatam à patre.

125 Quid verò inſuper tenendum de petitione multis ridicula, quam exhibet ſequens

Caſus amoris cæci?

Darius, & Daria inierunt Matrimonium per verba de præſenti, ſed præſentibus talibus circumſtantiis accidentalibus, quæ meritò debuiſſent eos retrahere à tali conſilio. Quare ipſorum propinqui petierunt in curia Calarina à D. Vicario ſeparationem Matrimonii, cauſantes, illud connubium fuiſſe contractum ab excæcatis amore, & proinde nullarum eſſe virium, ideóque conſuluerunt Aloyſium Riccium, ut hic allegaret ea, quæ eſſent de jure. Reſpondit ipſe, verius eſſe, quòd illud Matrimonium non poſſet ſeparari.

Sic teſtatur ipſe Riccius *in praxi Variar reſ. 135.* & meritò; nec enim credibile eſt, ita fuiſſe obcæcatos amore, ut non conſenſerint libere in mutuas perſonas.

Poſtremò eſt pro complemento doctrinæ ſolvendus nodus, quem exhibet ſequens 126

Caſus erroris flagitioſi.

Diogenes, falſò arbitratus, virum Druſillæ eſſe adhuc ſuperſtitem, qui tamen, utroque ignorante, jam fatis conceſſerat, init Matrimonium cum Druſilla, non ignorans, non poſſe, ut ſic, iniri. Cognito deinde, maritum Druſillæ jam fuiſſe elatum, priuſquam ea conſenſiſſet in nuptias cum Diogene, interrogatus fuit Diana, quid ſentiret de hoc conjugio?

Quid reſponderit, tacet. Refert tamen *Part. 3. Tr. 4. Reſol. 293.* tres ſententias; *unam* Coninck *abſolutè* inficiantis valuiſſe; *alteram* Sanchezii *lib. 2. diſp. 33. abſolutè* aſſerentis valuiſſe; *tertiam* Baſilii Pontii *De Matr. lib. 4. c. 25. n. 1.* rectè diſtinguentis; aut enim contraxerunt *abſolutè*, non expreſſâ, aut ſubintellectâ ullâ conditione, & tunc re ipſâ non contraxerunt, quia impoſſibilium nulla voluntas efficax, ſciebant autem, eſſe impoſſibile, ut valeret hic contractus, ſuperſtite adhuc viro Druſillæ; aut dixerunt: *Contrahimus, ſi quo tandem modo poſſumus*, & tunc vires ſuas habuit ille contractus. Huic diſtinctioni ſubſcribo.

Quæres III. *Quàm graviter peccet, qui alterum conjugum inducit in errorem?* 127

Reſp. Mortaliter, ſi circa rem notabilem, ut ſi fingat ſe nobilem, aut divitem, cùm non ſit; venialiter, ſi in re levi. Et cenſet Perez *diſp. 24. ſect. 5.* habendam rem levem, ſi ſponſa mentiatur ſe virginem, cùm ſit corrupta; dummodo non ſit ullum periculum, ne reſciat maritus, orirentur enim gravia, & continua diſſidia. Stabis, mi Lector, hoc reſponſo, quia illa fraus, *per ſe loquendo*, non eſt noxia.

Quæritur IV. *Quid reſpondendum ad illibatam hactenus quæſtionem, cujus occaſionem ſubminiſtrat.* 128

Caſus Angeli Incarnati?

Beata Maria Magdalena de Pazzi tam propè accedebat ad puritatem Angelicam, ut, quamvis prædita ingenio ſolertiſſimo, ne quidem ante piiſſimum obitum nôſſet, quo modo, quo opere lædi, aut violari poſſet virginitas; & tamen vix nubilem factam compellebant, & tantùm non cogebant (at irrito conatu) parentes inire Matrimonium. Quæritur, utrùm, ſi obſecuta fuiſſet Imperio illorum, valiturum fuiſſet id conjugium?

Ne verò hæc quæſtio cuipiam videatur otioſa, en

Digitized by Google

Caſum pudiciſſimæ Conjugis:

Conjugis, inquam, nobili genere orta, jam autem pridem cælo, ut confido, inſcripta, quæ ultro quidem elegit ſtatum conjugalem, ita tamen ignara rei ad prolis generationem neceſſariæ, ut planè crederet, liberos naſci ex ſolo præciſè maris, ac fœminæ concubitu in eodem lecto, ſine ulla ſexuum permixtione, utpote de qua nihil planè nôrat, ac proinde, quando maritus primâ vice debitum conjugale petiit ab ipſa, fuerit ſummopere mirata, peti à ſe rem adeò inverecundam, inexpectatam, & paruerit quidem ipſi ſecuta ejus fidem, vix tamen potuerit exſpectare tempus, quo conſcientiæ ſuæ arbitrum interrogaret, an illa commixtio & culpâ vacaret, & conjugum uni eſſet ad alterius inſtantiam præcepta? Quæri poteſt an ejuſmodi connubium revera ſubſtiterit, non obſtante ignorantiâ, imò errore poſitivo?

129 Quæ ſcripſi de B. Maria Magdalena de Pazzi, reperiet Lector in ejus vitæ *Lib. 1. Tr. 1. c. 9.* & *Tr. 2. cap. 7.* atque *Tr. 3. cap. 4.* at quæ narro de illa Matrona conjugata, habeo ex ore ipſiuſmet, non quidem conſilii, ſed alterius rei cauſâ æquâ, juſtâ; nec dubitandum, quin plures ſponſæ laborent eâ felici ignorantiâ, qua hæc Matrona. Et verò ad eam quod attinet, ejus Matrimonium fuiſſe nullum, probari videtur ex eo, quòd non tantùm, generatim loquendo, non videantur, qui errant, conſentire *L. Nihil 116. De Reg. Juris.* ſed etiam ſpeciatim paciſci non videatur, qui ignorat, vel errat. Barboſa *Axiom. 113.* ignorabat autem illa vidua, quid eſſet traditio corporis in uſum conjugalem, ut liquet ex ſpecie facti, proindéque cadebat in eam illud Maſcardi *De probat. Concl. 46. num. 69.* effatum: *Non dicitur factum ſcire, qui facti qualitates ignorat.* Confirmatur inde, quòd promiſſio matrimonialis æquiparetur, quoad deliberationem, promiſſioni votivæ, ſeu voto. Martinus Perez *De Matrim. diſp. 1. ſect. 3.* ex communi; atqui non ſubſiſtit votum, quando erratur circa materiam operis. Suarez *Tr. 2. De Relig. l. 1. de voto cap. 11. n. 3.* Hæ eædem rationes militant à fortiori pro tunc, cùm *alteram* editionem hujus Voluminis adornabam ſolùm Beata, nunc Sancta Maria Magdalena de Pazzi, & quidem ita validè pro hac (præſertim expenſis verbis, quibus illa ignorantia rerum Venerearum proponitur recentiſſimè in Breviario Romano *Lectione IX.*) ut omnino cenſeam, nullas vires habiturum fuiſſe conjugium, ſi acquieviſſet ſolicitationi parentum; ſiquidem prædictæ ignorantiæ juncta erat tanta averſatio commixtionis carnalis, ut videatur nunquam, etiam poſt publicum contractum matrimonialem, fuiſſe conſenſura in eam, ſed dictura, ſe priùs mortem, quàm complexus maritales electuram fuiſſe, & eſſe. At verò quia Matrona altera conſenſit in copulam, poſtquam edocta fuit, conſenſum in eam eſſe de ratione Matrimonii, & revera cupiebat fieri mater, idcirco eſt de illa pronuntiandum, quod de hæreticis, firmiter credentibus, Matrimonium inter baptizatos & eſſe ſolubile quoad vinculum quoque & carere ratione Sacramenti, trademus *Tract ſeq. Caſ. XIX.* Sicuti enim particularis ipſorum error circa haſce qualitates *ſubſtantiales* cedit intentioni generali, & ultimatæ de contrahendo vero Matrimonio, ita etiam deliberata voluntas faciendi, ſeu patiendi neceſſaria, ad propagationem ſpeciei, qua voluntate prædita erat illa vidua, vicit ſeu neſcientiam, ignorantiámve ipſius, ſeu etiam errorem poſitivum; ac proinde in ea locum habuit Alexandri apud Tuſchum *lit. C. Concluſ. 75. num. 65.* Regula; *Ad conſenſum ſufficit cogitatus in genere.* De qua Regula vide Gabrielium *Communium Concluſ. Lib. 6. Concluſ. 4.*

Adde, quòd, licèt ponamus contractum fuiſſe ab initio invalidum, robur tamen ſubſtantiale acquiſiverit per conſenſum, quem præſtitit faciendo poteſtatem liberam ſui corporis, poſt depulſam ſuam priorem ignorantiam, atque errorem, eſto tunc non adfuerit Parochus Infrà *Caſ. XVIII. num. 501.* & *Tract. ſeq. Caſ. XI. num. 415.*

APPENDIX.
Ad Num. 129.

Propoſui in hoc *Caſ. IV.* quoſdam ſatis raros Caſus Erroris comitantis contractum Matrimonialem, jungo iis hunc

Rariſſimum ex duplici, vel triplici capite.

Trutta ruſtica mulier, Nobilis Dominæ ſuæ filiolam nomine hic ficto Eugeniam; cum ſua, appellanda Eutropia, quam eâdem die pepererat, lactandam accepit. Contigit autem, ut è brachiis nutricis lapſa facie deformis redderetur. Quare indignationem Dominæ ſuæ timens Nutrix, filiolam ſuam ruſticellam ſubſtituit, ablactatámque Dominæ ſuæ tradidit, quæ nobiliter educata ut filia, pro tali bene dotata, ac viro nobili nupta eſt, cum quo & prole ſuſcepta etiamnum ſuperſtes, & nobiliter vivit. Altera verò nobilis filia, apud putatitiam Matrem, ruſticis laboribus, & vita innutrita, adhuc cum eadem eſt, & ſervire pergit (ſunt autem veri ejus Parentes, vivi adhuc & ſani.) Dicta Trutta, ſenex jam & ægra, aperit hæc, (nulli hactenus, quàm ipſi ſoli nota) ſuo Confeſſario, ac de ſua ſalute anxia,

anxia, quærit, ad quid in conſcientia obligetur, & facere debeat? Quid reſpondebit Confeſſarius?

b *Dum de reſponſo deliberatur; Trutta Nutrici ægra & jam ad extremum vitæ terminum inclinanti ſuaſum eſt, ut de ſubſtitutione filiæ ſuæ pro filia nobili &c. teſtaretur coram Parocho ſuo, & duobus aliis teſtibus, qui poſt mortem ipſius fraudem factam detegerent iis, quorum intereſt, & ſic ejus conſcientiæ, ac ſaluti quoad hoc conſuleretur. Admiſit illa conſilium, quieſcéque poſtea, ac piè in Domino obiit. Circa quod*

Quæritur 1. An Conſilium hoc neceſſarium fuerit ad conſulendum in iſtis circumſtantiis, conſcientiæ, ac ſaluti animæ moribundæ Truttæ quoad hoc? An verò aliud adhibendum fuerit; & quod illud?

Quæritur 2. An ſupradicti teſtes, obligentur in conſcientia, confeſſionem hanc, ſeu depoſitionem Truttæ aperire putatitiæ ruſticæ Virgini, ejus parentibus, putatitiæ Nobili nuptæ, & iſtius Conjugi? An tantùm aliquibus ex his, & quibus? An verò conſultius foret, apud Ordinarium ſolum loci id totum deponere?

Quæritur 3. An parentes putatitiæ Ruſticæ, putatitiæ Nobilis, & vir ejus, obligentur in Conſcientia, fidem adhibere Truttæ, in articulo mortis teſtanti, ac juratæ coram teſtibus fraudem factam? & An ad credendum cogi poſſint?

Quæritur 4. Si coacti, aut ſponte, illi fidem habeant; num ab Ordinario, Matrimonium initum, inter Virum nobilem & fœminam ruſticam, quæ credebatur filia Parentum Nobilium, nullum declarandum?

Quæritur 5. Si inter ſe denuo velint contrahere, an in facie Eccleſiæ id faciendum? An verò ſufficiat, privatim inter ſe denuo &c. ſi contrahant?

Quæritur 6. Si ille, aut illa cælebs deinceps permanere, aut cum alio, vel alia contrahere vellet; ad quem pertinebit prolem ſuſceptam alere?

Quæritur 7. An non conſultius, ac tutum in conſcientia foret, rem totam ſilentio involvere, Conjugéſque in pace, ac bona fide valoris Matrimonii relinquendo, eorum proli ſimul ac honori Nobilium familiarum conſulere, & multas tricas, quæ ex revelatione fraudis oriri poſſunt, præcavere? Ut tamen putatitiæ Ruſticæ Virgini, ex parte etiam conſulatur.

c *Quæritur 8. An tutum, & conſultum foret, Parentes ejus ſolos, ſub obligatione ſecreti, de re tota informare, ac perſuadere, eam ad ſe ut recipiant, honorificè tractent, dotent, locent, abſque præjudicio tamen putatitiæ Nobilis nuptæ, quæ pro hærede legitima habenda erit. Dum ſuper his dubiis conſultatur, & deliberatur, D. Parochus, & reliqui duo teſtes, ſecuritati conſcientiæ ſuæ, & fidei, ac promiſſo Truttæ facto ſtare cupientes, Parentibus putatitiæ Ruſticæ, & viro putatitiæ Nobilis, facti totam ſpeciem aperiunt, & fidem indubitatam referunt; ita ut Parentes putatitiam Ruſticam, ut filiam ſuam ad ſe receperint, & Vir alter Nobilis, ſuam Ruſticam, utpote cum qua quietè, & commodè hactenus vixerit, & retinere decreverit ut ſuam. Nulla proinde difficultas remanet, niſi circa dotem putatitiæ Nobilis, ut filiæ datam, quam parentes illi Nobiles repetunt, eò quòd filiæ ſuæ dos ſit. Vir verò alter Nobilis recuſat reſtituere, ideò quòd dos detur propter onera Matrimonii ſubeunda, quæ ille ſubiit &c. Supereſt ergo hactenus indeciſa quæſtio: An jure illi dotem repetant, & iſte eam reſtituere teneatur? Et quæritur quid reſpondendum?*

Hiſce omnino verbis propoſitus eſt mihi à quodam Prælato Religioſo, multùm hinc diſſito hic caſus, avido cognoſcendi, quid ego ſentirem de judicio, quod de tot articulis dedit Theologus quidam pereruditus, ut liquet ex iis, quibus declarat, probátque ſuam de ſingulis mentem, faciens quandoque mei mentionem, ut proinde duplex titulus me invitet ad promendum hoc loco, quid ſentiam de his ipſis punctis. Quia tamen ſola *quarta* quæſtio ſpectat *directè* ad titulum hujus Caſûs *Quarti*, idcirco, illam expediam *primo* loco quærendo, *An poſito, quod maritus Eutropiæ revera jam credat, eſſe Eutropiam, cùm ſemper exiſtimârit, eſſe Eugeniam, habeat jus dimittendi eam, allegando impedimentum erroris, adeóque utrùm error ille in nobilitate, affinitate, opibus præſtiterit verum impedimentum erroris?* d

Reſp. I. *Per ſe loquendo* non præſtitit, quia præcisè ut ſic indicatur error in qualitate, quem quidem per ſe non officere valori Matrimonii, dixi ſuprà in hoc *Caſu IV. præſentis Tractatûs num. 112.* declaravíque *num. 120.* Caſu plebeji fingentis ſe ortum illuſtriſſimâ ſtirpe. e

Reſp. II. At *per accidens* potuit ille ipſe error vitiare contractum, ſi videlicet error qualitatis redundavit, juxta ſuperiùs dicta in errorem ſubſtantiæ: ut ſi cauſa finalis ducendi Eutropiam fuit, quòd ipſe ambiret veram affinitatem cum Parentibus Eugeniæ, ſicuti liquet ex judicio Navarri relato *num. 120.* notátque Theologus, de quo ſuprà.

Quia verò ſub finem hujus Rariſſimi Caſûs refertur, maritum illum, etiam poſtquam firmiter credidit, ſe fuiſſe deceptum, ſervâſſe illam Eutropiam, ſatis credibile eſt, errorem illum non redundâſſe in ſubſtantiam, ſed formam, indolémque Eutropiæ ita mirificè ipſi placuiſſe, ut licèt non fuiſſet eam ducturus cognito, eam formam, indolémque junctam eſſe fœminæ plebejæ, & pauperi, non Nobili, & opulentæ, attamen reipſa conſenſerit eo modo in eam, quo infiniti alii, qui toties dicunt, & ſincerè dicunt uxoribus: *Si ſciviſſem, te eſſe tam capitoſam: laborare hâc, aut illâ infirmitate: patrem tuum fuiſſe adulterum, matrem* f

vene-

veneficam, nunquam tibi dediſſem fidem Matrimonii.

His circa hoc argumentum, quatenus pertinet ad erroris impedimentum, ſuccinctè dictis, ſuccinctiùs adhuc tranſeo ad reliqua dubia.

g Igitur ad *Primam* quæſtionem reſpondeo cum illo Theologo, de quo ſuprà, Truttam haud fuiſſe obligatam detegere in illo articulo ſuam fraudem, quia nulla lex obligat ad actus inutiles, præſertim quando præter defectum utilitatis, maximum periculum ſubeſt magnorum malorum, ſicuti hîc aderat periculum maximorum diſſidiorum inter duas illas filias, item inter has, & maritum Eutropiæ, atque Parentes Eugeniæ. Et id quidem periculum erat futurum abſque utilitate *per ſe loquendo*, re enim verâ illa depoſitio, etſi facta in extremo agone, non merebatur plenam fidem, ſiquidem unus teſtis nunquam facit plenam probationem in rebus magni momenti, præjudicantibúſque alteri, ut declaro *in Quinario, Tr. 5. cap. 42. ſect. 3.* diremptio autem Matrimonii bonâ fide initi exigit plenam probationem. Infrà *Tr. 10. n. 534.* Accedunt ea, quæ tum *in eodem Quinario cit. Tract. 5 cap. 28. num. 73.* tum in hoc ipſo Tomo *Tr. 8. num. 431.* refero de judicio, quod Jure Conſulti tulerunt de muliere Avenionenſi, quæ etiam in extremis conſtituta volebat manifeſtare illum, qui è tribus ſuis filiis natus erat ex adulterio omnibus incognito. Profectò ſi eſt præſumptio juris, quòd is, quem tractâſti ſemper ut filium, atque optimâ fide nominâſti ſemper filium, ſit revera gnatus tuus, quemadmodum ex communi conſenſu Jureconſultorum *in eodem Tract. 5. cap. 25. n. 71. & 80.* oſtendi, eſſe pro tali habendum, ita etiam eſt fortiſſima præſumptio quòd illa Eutropia fuerit & vera filia eorum Nobilium, qui elocaverunt eam in Matrimonium, & vera, indubitatáque uxor viri Nobilis

h Ex quibus deduces, peccâſſe & Truttam, dum edixit vocatis teſtibus ſuum ſenſum, & teſtes, dum vulgaverunt, utpote qui abſque ulla neceſſitate, atque utilitate per ſe dederunt magnam ſeu cauſam, ſeu occaſionem ingentium diſſidiorum, quin & Eugeniæ ſingulariter occaſionem devovendi Truttam omnibus diris, utpote à qua fuerit per ſummum flagitium dejecta in miſerabilem ſortem plebejam, in qua veſcatur ſiliquis porcorum, abundante panibus alienis Eutropiâ. *At quid ſi parens Eugeniæ certò fuiſſet occiſurus Truttam, ſi reſciviſſet, ſuam prolem fuiſſe tam fœdè uſtulatam? peccâſſétne mortaliter faciendo ſuprà recenſitam ſubſtitutionem?* Reſpondeo *affirmativè*, eò quòd illa ſubſtitutio fuerit facta rationabiliſſimè in vitâ *habitualiter* (*actualem* repugnantiam voluntatis nequit habere infans) Eugeniâ, hæc enim nullo modo tenebatur etiam *in actu primo* ſubire tam duram conditionem eo fine, ut Truttam eriperet diſcrimini mortis, eſto à parte rei injuſtæ, ut liquet ex iis, quæ ſcribunt Theologi *in 2. 2. S. Th. q. 26.* de obligatione ſuccurrendi proximo conſtituto in mortis periculo.

i Ad *Tertiam* quæſtionem Reſp. I. Nec Parentes Eugeniæ, nec Eutropiam fuiſſe obligatos fidem habere dictis Truttæ moriturientis. Liquet ex conſtanti opinione Doctorum, expendentium factum mulieris Avenionenſis, de quo ſuprà, item negantium, verba moriturientis ex vulneribus acceptis, nominantiſque interfectorem mereri fidem, qua de re nos *in Quinario Tr. 5. c. 42. n. 44* & *45.* At inquies: Nemo præſumitur eſſe malus *cap. Dudum. De præſumpt.* nec immemor ſuæ ſalutis æternæ DD. & Jura, quæ refero & explico in eodem *Tract 5. c. 50. num. 33. & 45.* fuiſſet autem illa Trutta & peſſima, & prodiga animæ ſuæ, ſi in eo articulo commiſiſſet mendacium tam pernitioſum.

k Reſp. II. Præſumptiones plures præferuntur paucioribus, & majores minoribus. Eſt autem major præſumptio, quòd & aliqua mulier mentiatur (ob conciliandam ſuæ filiæ Nobilem hæreditatem) etiam in tali articulo, quàm quòd plurimis Annis vixerit in continuo mendacio mortali, perceperítque Sacramenta ſacrilegè; & puella, tot Annos fruita poſſeſſione Nobilitatis, ſit verè Nobilis, quàm Ruſtica. Varium, & mutabile teſtimonium fœminæ ſemper producit, ait Canon. *cap. Forus. De verb. ſignific.* éſtque ingenium matrum, alios præter modum amare, alios præter modum odiſſe. Leſſius *De juſtit. & jur. lib. 2. cap. 10. num. 51.*

l Ad *Quartum*, An ſi maritus Eutropiæ credat, ſuam Eutropiam eſſe verè ſuppoſitam, Matrimonium ſit declarandum nullum, patet ex dictis ſuprà de errore. Si tamen ille error vitiavit contractum, & velint nihilominus uterque convivere, ut conjuges, poterunt eum revalidare ſine præſentia Parochi, & teſtium, ut tanquam veroſimilius teneo *in Quinario*, ſeu *altero Tomo meorum Tractatuum Tr. 5. cap. 37. numero 137.* & ſic eſt ſatiſfactum etiam *quinto* quæſito.

Ad *Sextum* de prole alenda, caſu, quo diſſolutum ſit Matrimonium, patet ex iis, quæ in dicto *Quinario Tr. 5.* ſeu *Theologia Jurid. Mor. c. 28. ſect. 2.* ex communi Doctorum, & authoritate Legum dixi, eſſe primo triennio alendam à matre: de cætero à patre: cùm eam eſſe Legitimam etſi ex *materiali* fornicatione natam, certum ſit ex *c. Referente. Qui filii ſint legit.* & ex iis, quæ dixi *præced. Tr. 8. Caſ. XI. num. 4. 37. & 43.*

m Ad *ſeptimum* Reſp. Spectando ea, quæ fieri conſueverunt in Caſibus aliquo modo ſimilibus præſenti (& verò uſitatorum, & communiter contingentium, magnam eſſe habendam in rebus dubiis rationem, notant paſſim Doctores, & in his ſingulariter Everhardus *loc. 104.*

ſeu

Digitized by Google

ſeu loco *ab uſitato*) non erat conſultum, quidquam de illa depoſitione Truttæ manifeſtare partibus, habentibus aliquod intereſſe in hac cauſa; etenim communiſſimè conſueverunt è ſimilibus manifeſtationibus otiri mala majora bonis. *Si* tamen Parens Eugeniæ eſt vir elatus prudentiâ, moderatione, conſcientiæ nitore, poterat ipſi res manifeſtari in ſummo ſilentio, quia ſaltem poterat ſperari, fore ut Eugeniam ſuſciperet honeſtè ſi non omnino nobiliter alendam, & ſic reſponſum eſt ad quæſitum *ſeptimum, octavúmque.*

n Quod in fine ſpeciei facti, narratur de dote repetenda, ſilentio præteritur ab illo, cujus veſtigia partim ſequor, partim jam pridem prævivi, P. Theologo. Nec ullum reſponſum ad eam difficultatem datur; ego autem breviſſimè reſpondeo, videri mihi, potuiſſe jure repeti, idque probo ex notabili textu *Leg. Cùm hic ſtatus. §. 27. verſic. Si quis Sponſam. ff. De donat. inter vir. & uxor.* ubi pronunciat Jureconſultus, donationem factam uxori putatitiæ non valere, ſed comperto errore, poſſe repeti à marito, redditúrque hujus reſtitutionis hæc ratio: *quia non quaſi ad extraneam, ſed quaſi ad uxorem fecit*; atqui Pater Eugeniæ conſtituit Eutropiæ dotem non quaſi extraneæ, ſed quaſi filiæ: ubi autem eſt eadem ratio, ibi etiam eſt eadem juris diſpoſitio *Leg. Illud. ff. Ad Leg. Aquil.* Confirmo autoritate Baldi, Felini, Hippol. & Alexand. quos citat non diſſentiens Covarruvias *in Epitome part. 2. cap. 7. §. 1. n. 10.* negantium, pactum de dote lucranda ſubſiſtere in Matrimonio putatitio, ſicuti & P. Sanchez *De Matrim. Lib. 6. Diſp 2. n. 9.* apertè negat, donationem inter virum, & mulierem quidquam valere, etiam quando bonâ utriuſque fide fuit *invalidè* contractum. Equidem
o non apparet, cur maritus Eudoxiæ non potuerit in caſu lucrandæ dotis adigere Eudoxiam, ad eam ſibi relinquendam, potuerit autem compellere Patrem Eugeniæ ad eandem non repetendam, cùm de ſimilibus idem ſit faciendum judicium *Cap. 2. De tranſ. Epiſc.* & correlativorum idem ſit jus *Leg. Curatorem. Cod. De inter. Matr.* cum notat. à. Gl. Cyno & aliis.

APPENDIX APPENDICIS.

p QUidam Parochiali poteſtate prædituS legit hoc menſe Novembri 1674. totam de Trutta Appendicem, atque propter rationem, ob quam *lit. g.* inficior, ipſam fuiſſe obligatam manifeſtare fraudem ſuppoſitionis à ſe factæ, quæſivit ex me, an igitur ipſe rectè egerit, dum multis abhinc Annis reſpondit ad hoc

Crudeliſſimum factum.

q QUo videlicet *Darius & Daria uterque Matrimonio juncti, patratóque adulterio cum promiſſione Matrimonii poſt fata mariti & uxoris, peremerunt Darius ſuam, Daria ſuum ex mutuo conſilio tori conſortem, atque celebrato nequiſſimè in facie Eccleſiæ Matrimonio, ſuſceperunt prolem, quæ ſi fuiſſet legitima, ſucceſſiſſet fratri, ſorori, aut avo alterutrius horum. Quæſivit igitur Darius, aut Daria conſtitutus in extremis, incumberétne ſibi obligatio pandendi illi, aut illis illegitimis prolibus ſuum ſcelus.*

r Reſpondit, inquam, hanc obligationem non adfuiſſe, nixus quidem hac ratione, quòd illa manifeſtatio eſſet parentem conjectura in periculum mortis, ſed revera poterat tueri ſe illo ipſo facto, quo munivimus Truttam, & quo Jureconſulti adulteram Avenionenſem; quamvis non diffitear, metum rationabilem, ne revelatio revelantem adducat in diſcrimen mortis, ſufficere ad tegendum conſtanter flagitium, etiamſi ageretur de ſucceſſione in Corona Regia, ut ſcribunt Nobiles Theologi alibi à me laudati.

QUO PACTO CONDITIO DIRIMAT MATRIMONIUM.

CASUS V.

Approbatæ ſententiæ.

SUMMARIUM.

Caſus Matrimonii irriti, ob ignorantiam Conditionis ſervilis. 130.
Quidnam hic intelligatur per conditionem ſervilem, ſeu per ſervum, & ancillam? 131.
Utrùm error in conditione ſervili irritet jure naturæ Matrimonium? 134.
Nomine conditionis quid hoc loco intelligant Conſtantienſes conſtitutiones Synodales? 135.
Adjectio conditionis non eſt facilè permittenda in contractu Matrimoniali. 138.
Probatur id caſu infelici. 140.
Declaratur alio caſu triſti. 144.

E *Preſbyter Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legatus R. militem à muliere quadam propter conditionis ſeparavit errorem. Ideóque mandamus, quatenus ſi conſtiterit, quòd miles ignoranter contraxit cum ancilla, ita quòd, poſtquam intellexit conditionem ipſius, nec verbo, nec facto conſenſerit in eandem, propter quod per Cardinalem eundem ab ejus fuerit conſortio ſeparatus, contrahendi cum alia liberam ipſi concedas autoritate Apoſtolicâ facultatem.* 130

Hoc reſcriptum Innoc. III. eſt *quartum*, & ultimum ſub titulo: *De conjugio ſervorum in Lib. 4. Decretal.* ubi reperiuntur duo adhuc alia Capitula, quibus certò conſtat, non ſubſiſtere

Digitized by Google

ſiſtere conjugium initum cum errore conditionis ſervilis; quando nimirum homo liber ducit ſervam, ratus eſſe liberam, aut libera nubit mancipio, arbitrata eſſe liberæ conditionis.

131 Notant verò DD. nomine *Servi*, & *Ancillæ* non intelligi illos, qui ſolent vocari ſervi *de gleba*, quorum videlicet bona immobilia ſpectant ad dominum, cui obligati ſunt ad quædam, non tamen perpetua ſervitia, quales ſervi ſunt in Suevia, Boëmiáque plurimi, vocaríque ſolent *Mancipia*, re enim verâ non ſunt propriè, ſeu Romano ſtylo *Mancipia*, quandoquidem & ipſorum corpora ſunt verè libera, cùm neque ſint addicti perpetuis obſequiis domini, & inſuper obtineant verum dominium omnium rerum, quas lucrantur ſuo labore, atque induſtriâ, ut proinde nullo modo in eos cadat illud, quod de ſervis, ſeu mancipiis propriè di-
132 ctis habetur *Leg. 32. ff. de Reg. jur.* Quod attinet ad jus civile, *ſervi pro nullis habentur.* Quapropter valet utique Matrimonium, quod à perſona liberrima initur cum tali mancipio Suevico, Boemico, Polonico &c. eſto intercedat verus error hujus mancipatûs. Si tamen ignorantia hujus qualitatis redundaret in ignorantiam perſonæ, aut quis iniiſſet Matrimoniũ cum *expreſſa* intentione non contrahendi, niſi cum omnino libera; tum ſanè in his & ſimilibus eventis locum haberent Regulæ traditæ ſuprà *num. 107. & num. 113.*

133 Porrò quod addit Pontifex in noſtro Caſu *Approbata* ab ipſo *ſententia*, quam tulerat Cardinalis Legatus: *Ita quòd, poſtquam intellexit conditionem ipſius, nec verbo, nec facto*, (id eſt, non ſubſecutâ copulâ conjugali) *conſenſit in eandem*, locum adhuc abſque omni dubio obtinet in locis, ubi valent clandeſtina conjugia; etenim ea convaleſcunt per copulam ſecutam poſt cognitum impedimentum dirimens, modò ſit in poteſtate cognoſcentis ratificare contractum, etenim in tali caſu præſumit Eccleſia in favorem Matrimonii, copulam illam non fornicario, ſed maritali affectu peractam eſſe. Proſper Fagnan. *in cit. cap. fin. De conjug. ſerv.* at verò, ubi non ſubſiſtunt clandeſtina connubia, locum non habet illa reſolutio Pontificis, eodem Fagnano judice.

134 Diſputant DD. utrùm error conditionis propriè ſervilis dirimat Matrimonium vi ſolius juris *Eccleſiaſtici*, ut placet pleriſque, An verò vi juris *naturalis*? Sed deciſio hujus litis nihil facit ad praxin apud Chriſtianos; etenim nullus Chriſtianus poteſt à Chriſtiano in ſervitutem redigi, ex generali conſuetudine inter Chriſtianos præſcripta, vímque Legis generalis habente. Sicuti ex Molina *De juſtitia Tom. 1. Diſp. 117.* Covarr. & aliis communiter reſpondi ad literas è Lithuania datas occaſione nonnullorum captivorum. At verò apud non baptizatos nil impediet, *per ſe loquendo*, talis error. Vide fuſè P. Perez *Diſp. 25. ſect. 2.* & pluribus *ſeqq.* tractantem hanc, & alias quæſtiones, quibus ſuperſedeo idcirco, quòd in noſtra Germania non reperiantur ulla propriè dicta mancipia.

Illud potiùs eſt hîc obſervandum, quòd li- 135
cèt in illo hexametro, quod exhibuimus *n. 13.* ſcilicet: *Error, conditio, votum, cognatio &c.* nomine *conditionis* plerique Theologi intelligant ſolum errorem in conditione ſervili, attamen P. Gregorius de Valent. *Tom. 4. Diſp. 10. q. 5. p. 3.* & quidam alii intelligunt illo vocabulo etiam Caſum, quo non adeſt conditio, ſub, & cum qua eſt contractum Matrimonium; quinimo noſtræ Conſtitutiones Synodales *Part. 1. Tit. 16 num. 25.* illud vocabulum *Conditio* explicant duntaxat hoc modo: *Secundò impedit, & diſſolvit Matrimonium conditio honeſta, & poſſibilis Matrimonio adjecta, nec adimpleta; turpes, & impoſſibiles conditiones in favorem Matrimonii pro non adjectis cenſentur.*

Quæritur igitur I. *Sitne fas, apponere con-* 136
ditionem Matrimonio, ſeu inire Matrimonium ſub conditione aliqua?

Reſp. I. à me non reperiri ullum textum juris, qui prohibeat Matrimonia conditionata, ſive conditio ſit de præterito, aut præſenti, ſive etiam de futuro, dummodo conditio, quæ adjicitur, non ſit turpis, impoſſibilis, aut repugnans ſubſtantiæ Matrimonii, juxta *cap. fin. De condit. appoſ.* Imò Urbanus III. *cap. Super eo. De condit. appoſ.* expreſſè dicit, Canonicis inſtitutis non improbari contractum, quo quidam in quandam mulierem conſenſit (id eſt, contraxit cum illa per verbum de præſenti, ut explicat Gl. & alii communiter cum Proſpero Fagnan. *in cit. cap. Super eo*) ſi pater ejus ſuum præſtaret aſſenſum.

Notat tamen probè Sanchez *De Matr. lib. 5.* 137
Diſp. 1. num. 5. cúmque ſecutus Barboſa *in cit. cap. Super eo*, & ante hos Sotus *in 4. diſt. 29. q. 2. a. 1.* conditionem de futuro non poſſe adjici ipſimet propriè Matrimonio; Matrimonium enim non recipit conditionem, ſicut nec alia Sacramenta; etenim quando dicis Berthæ; *Ego accipio te in meam uxorem, tradendo tibi jus in meum corpus, ſi pater tuus conſenſerit:* illo, inquam, tempore, quo hoc dicis, non ſuſcipis Sacramentum Matrimonii, etſi coram ipſo Papa, qui eſt Parochus Parochorum, & decem Cardinalibus ita loquaris, etenim potes, antequam pater conſenſum præſtet, inire validum Matrimonium cum alia, etſi fortè poſt illa tua verba cognoveris (ante conſenſum patris) carnaliter illam Bertham; ergo, *propriè loquendo*, conditio non adjicitur Matrimonio, ſed conſenſui in Matrimonium, qui conſenſus hoc ipſo, quòd ſit conditionatus, impedit, quò minùs ante conditionem impletam ſit Matrimonium. Nihilominus tamen Theologi non rarò dicunt: *Hoc, aut illud Matrimonium fuit conditionatum*, cùm potiùs, ſi propriè loqui vellent, dicere deberent: *Conſenſus in Matri-*

monium

Digitized by Google

monium fuit conditionatus, ſeu hypotheticus; loquemur tamen brevitatis cauſâ cum iis. Vide tamen, ſi placet, noviſſimum Canoniſtam P. Henr. Wangnereck noſtrum, *Commentario Exegetico in Decretales. Cap. Super eo. De condition. appoſ.* ſtantem pro contraria locutione.

138 Reſp. II. Navarrus *De condit. appoſ. Conſil. 1. n. 7.* ac Dicaſtillo *Diſp. 5. dub. 1. num. 2.* videntur potiùs approbare, quàm improbare Matrimonia, etiam coram Parocho, & teſtibus inita ſub conditione de futuro; puto tamen cum Tambur. *Tract. 4. De Matr. cap. 5. §. 10.* non eſſe admittendas à Parocho illas ſeu de præſenti, ſeu maximè de futuro conditionum adjectiones, niſi in caſu magnæ neceſſitatis. 1. Quia adjectio conditionum repugnat mori patrio; interrogavi plures DD. Parochos uſu peritiſſimos, negant ii ſe unquam aſtitiſſe ulli Matrimonio conditionato. 2. Quia facilè tales contrahentes ſibi perſuadebunt, valere Matrimonium ante eventum, vel cognitionem conditionis, præſertim quando de illo eventu non dubitant, & facient ante tempus, quæ
139 faciunt veri conjuges. 3. Quia Navarr. *cit. conſil. 1.* cum Canoniſtis communiter, contra communiorem, ut teſtatur, Theologorum, cenſet, illo ipſo momento, quo impletur conditio, ſub qua coram Parocho, & teſtibus fuit contractum, propriè fieri Matrimonium, etſi nullus tunc teſtis, aut Parochus adſit; quæ doctrina, cùm ſit utique probabiliſſima, ut oſtendit Navarr. & confirmabimus *part. 2.* ſeu *Tract. ſeqq. Caſ. XII.* fiet ſæpiſſime, ut Matrimonii Sacramentum conficiatur, dum uterque, vel alteruter conjugum eſt in ſtatu peccati mortalis, in ebrietate &c.

140 Quæritur II. *Quid cenſendum ſit de hoc*

Caſu Matrimonii Conditionalis?

Coſmus coram Parocho, & teſtibus contraxit Matrimonium cum Anna his verbis: Anna, ſi es legitima, accipio te in uxorem. *Deinde Matrimonium cum ea conſummavit, ac prolem inde ſuſcepit. Poſtea compertum eſt, Annam non eſſe legitimam, ſed naturalem ex concubina. Quæſitum eſt, an valeat tale Matrimonium?*

141 Ita ſcribit, & teſtatur Proſper Fagnanus *in cap. Si conditiones. De Condit. appoſ.* & bene obſervat, poſſe hîc duo quæri. 1. An illud Matrimonium fuerit ab initio nullum ob defectum conditionis? 2. An non fuerit validatum per copulam multipliciter poſtea ſubſecutam? Et reſpondet rectè ad *primam* quæſtionem *affirmative*, quandoquidem ex verbis Coſmi apparebat, ipſius conſenſum revera pendere à veritate adjectæ conditionis. Unde etiam noſtræ Conſtitutiones Synodales verbis ſuprà *nu. 135.* deſcriptis, rectè generatim negant valorem Matrimonii conditionati, ſi deſit conditio.

Ad *alteram* quæſtionem etiam rectè reſpon- 142
det *negativè*, eò quòd copulam exercuerit potiùs ex falſa opinione, quòd Anna eſſet legitima, quàm ex animo habendi illam pro uxore, etiam caſu, quo fortè non eſſet legitima. Aliud reſpondendum eſſet, ſi Coſmus fuiſſet commercio carnali uſus, poſt cognitum defectum natalium, tunc enim jura præſumerent, illius conſenſû omnino deſiiſſe pendere à legitimitate.

Adde hiſce, iſto ipſo exemplo, quod Fag- 143
nanus refert ut *Factum*, non ut *Fictum*, confirmari id, quod ſuprà dixi, ſcilicet Parochum non debere extra caſum magnæ neceſſitatis aſſiſtere Matrimoniis conditionatis. Quàm ingentia mala potuerunt oriri, poſtquam cognovit Coſmus, ſe turpiſſimè deceptum? Et quid ſi, ut jure potuerat, repudiâſſet illam tot mortalibus notam Notham? Et nónne mirandum, quòd Theologi non pertractent propoſitam *num. 136.* tantique momenti quæſtionem? Plura de Matrimonio conditionali tradentur *parte ſecundâ hujus Alphabeti Caſu XII.*

Sed quid dicendum de hoc Caſu triſti?

Elias miles Acatholicus ambit nuptias Eli- 144
ſabethæ Virginis egregiè Catholicæ, quæ tandem dicit Eliæ: Tibi nubam, ſi fias Catholicus. *Elias ejurat Lutheraniſmum, ducit Eliſabetham, ſuſcipit ex ea plures liberos, interim ſe gerens pro ſyncerè Catholico. At cùm non reperiret inter Catholicos, unde ſe, ſuóſque ſuſtentaret, redivit in patriam Lutheranam, revocatus à ſuis, defecitque ab Orthodoxa Religione. Quæritur, utrùm Eliſabetha, quæ videt, ſe verſari in magno periculo apoſtaſiæ, non poſſit deſerere Eliam, obtentu non purificatæ conditionis?*

Fui non ſemel in urbe, in qua nunc quoque 145
commoratur Elias; & reſpondeo ad quæſtionem. Si Elias fuit ſyncerè amplexus fidem Orthodoxam, non poſſe ſolvi Matrimonium ob reditum ad vomitum; non enim credibile eſt, Eliſabetham plus exegiſſe, quàm ut ſyncerè ejuraret hæreſin. At verò ſi tantùm *fictè* ejuravit, credibile eſt, non fuiſſe impletam conditionem adeóque Matrimonium nunquam valuiſſe; verba enim ſunt intelligenda in ſenſu & proprio, & intentioni loquentis accommodato. *Cap. Intelligentia. De verb. ſignif.* fuit autem intentio ſtipulantis Eliſabethæ habere maritum propriè Catholicum, quandoquidem erat ipſa fervens in vera Religione. Quia tamen ſynceritas, & fictio fugiunt noſtram notitiam, non ſolemus autem paciſci de rebus occultis, ideo erit, qui pronuntiabit, fictionem Eliæ non obfuiſſe valori: & arbitror, fuiſſe reipſa ita ſentiendum. Hoc eſt mihi certum, quòd Eliſabetha nequeat ex ſola apoſtaſia Eliæ in-

Digitized by Google

ferre fictionem, quandoquidem ipſe tot Annis edidit plurima ſigna ſyncerè Orthodoxi, & rediit ad ſuos ſolùm idcirco, quòd deeſſet ipſi apud Catholicos ratio alendi familiam decenter, juxta ſuum non ſanè infimum ſtatum, & conditionem. Quòd ſi extra judicialiter diceret, ſe tantùm *fictè* ſuſcepiſſe ſacra Catholica, tunc probabiliter haberet in eo locum illud pronuntiatum IC. *Allegans ſuam turpitudinem audiendus non eſt. Leg. Tranſactione. C. De tranſactionibus.* Junge, ſi placet, hiſce conſimilem Caſum, proponendum & reſolvendum *Tract. ſeq. Caſ. XIX. in App. ad num. 713. lit. b.*

VOTUM QUANDO DIRIMAT MATRIMONIUM?

CASUS VI.

Monialis non Monialis.

SUMMARIUM.

Caſus Monialis non Monialis. 146.
Ejus reſolutio 147.
Quale Votum dirimat Matrimonium? 149.
An ullus Religioſus Ordo, præter Societatem Ieſu, habeat veros Religioſos ligatos ſolo ſimplici voto? 150.
Profeſſionis Religioſæ nomen quomodo ſumatur in jure? ibid.
Refutatur recens Thomiſta differens de Votis Societatis IEſu. ibid.

146 F*Rancisca quædam ab Anno ætatis decimo quarto, uſque ad quadrageſimum habitu Religioſo vixit in Monaſterio tanquam libera, & non profeſſa. Religioſæ nolunt illam eligere in procuratricem, niſi velit ſe votis Religionis aſtringere. Quare Pater Monaſterii, explicatis votis Religionis, eam interrogat, an eſſet parata amore Dei, S. Auguſtini, & Sororum domûs ad ipſis ſerviendum conſentire in dicta tria vota, eaque præſtare prout aliæ Religioſæ domûs fecerunt. Et illa reſpondit, quod ſic, cum adjutorio Dei, intendens hoc facere ſuo tempore, non illo actu. Poſt hæc, ſecuta eſt benedictio Patris, oſculum Sororum, Obedientiæ promiſſio facta Priorißæ, convivium ſolitum dari à profeſſis, communis opinio Sororum, putantium, illam profeſſam. Denique dixit, ſe non pœnitere factæ promiſſionis. Hæc Franciſca jam procuratrix, è Monaſterio profuga, Matrimonium init cum milite. Quæritur, an Franciſca contraxerit illâ actione impedimentum dirimens Matrimonii?*

Eſt hic *ſextus* Cardinalis Caſus præſentis 147
Alphabeti, ut liquet ex titulo, ac proinde ordine Alphabetico ſervato inchoandus à litera F. Hanc ipſam literam cum toto nomine, atque omnibus apicibus hîc deſcriptis reperiet diligens Lector *in Auctario*, ſeu *Conſil. Moral.* Patris Leſſij *verb. Matrimonium Caſ. V.* ita reſpondentis. 1. *Si vera ſunt, quæ in facti ſpecie proponuntur, certum videtur, Franciſcam non contraxiſſe illâ actione impedimentum dirimens Matrimonii coram Deo; quia revera profeſſionem non fecit, ſed ſimulavit. 2. In foro tamen externo, non parva difficultas ob hac moveri poſſet, quia actus iſti exerciti videntur ſufficere ad tacitam profeſſionem, ſed in foro interno locum non habet præſumptio, ſed nuda veritatis confeſſio. Ex quo concludo, Matrimonium illius poſtea contractum, coram Deo validum eſſe; & ſi eſt conſummatum, non ſolùm ipſam non teneri, ſed nec poſſe ad Monaſterium, invito marito, redire.*

Hactenus duplex reſponſio ejuſdem Doctoris, exornata pluribus, quæ omitto brevitatis causâ; quia hæc ſufficiunt ad deciſionem propoſitæ quæſtionis.

Quæritur autem ulteriùs generatim *Quale* 148
Votum intelligatur, quando impedimentis dirimentibus accenſetur abſolutè Votum? Sicut in Hexametro: *Error, Conditio, Votum.*

Reſp. I. Intelligitur Votum ſolenne caſtitatis Religioſæ, ſeu illud, quod edunt in fine ſui Novitiatûs Religioſi, & evadunt veri Religioſi profeſſi, ſicut & illud, quod editur in ſuſceptione Subdiaconatûs. Reſp. II. Etiam non ſolenne, ſed ſimplex caſtitatis votum, quod Religioſi Societatis Jeſu emittunt in fine biennalis tyrocinii, & quo itidem efficiuntur veri Religioſi non profeſſi; licèt enim tale etiam Votum non dirimat ſuapte natura Matrimonium. P. Suarez *Tom. 4. De Relig. Tract. 10. Lib. 4 c. 1.* oſtendens hoc eſſe certum, attamen per Conſtitutionem Greg XIII. incipientem *Aſcendente* cœpit illud Votum eſſe impedimentum dirimens.

Utrùm verò extet in mundo aliquis Ordo Religioſus, præter noſtram Societatem, qui habeat veros Religioſos, non ſolenniter profeſſos, ſeu qui obtineat jus incorporandi ſibi aliquos per vota ſimplicia, efficiendique veros Religioſos, me latet. Non extitiſſe tales proximis ſæculis, teſtatur Suarez *cit. Tr. 10. Lib. 5. cap. 4. num. 12. & cap. 5. num. 1.* inſuper obſervans *cit. cap. 5. n. 1. & 2.* nomen *Profeſſionis Religioſæ* ſumi à Doctoribus antiquis, & Juribus pro traditione ſui ipſius omnino abſoluta, & votis ſolennibus firmata, indiſſolubilique per poteſtatem intrinſecam ipſi Ordini Religioſo, licèt poſſit generaliùs ſumi pro quacunque firma, & ſtabili unione cum Religione approbata per traditionem, & vota ſubſtantialia Religionis per legitimam poteſtatem Eccleſiaſticam abſolutè admiſſa. Ita P. Suarez, addente, & exprimente P. Palao *Part. 3. Tr. 16. Diſp. 1. p. 1. n. 6.* Vota ſolennia à ſimplicibus differre in hoc, quòd

quòd ſolennia nequeant libere relaxari ex parte etiam acceptantis, ſed Pontifex reſervârit ſibi illud jus. Unde ſubinferes, veram eſſe communem, & ab ipſomet Gregorio XIII. *loc. cit.* approbatam doctrinam, quòd vota ſimplicia non differant ex natura rei à ſolennibus, ſed quòd ſolennitas ſit inducta à ſola Eccleſia.

149 Hinc refellendus eſt recentiſſimus Thomiſta, dum in *part. 3 ſuæ Theologiæ Sacramentalis, Dyſcolia 16.* ſcribit, votum ſolenne, emiſſum *abſolutè* in Religione approbata, ſpectare ad jus naturale, & Divinum, ideóque non eſſe diſpenſabile autoritate Pontificis: Ut enim prætercam, nullum votum ſolenne emitti *conditionatè*, & proinde non apparere, cur exprimatur clauſula: *Abſolutè*, ratiocinatio illa confutatur hoc argumento: Illud quippe jus Divinum ac naturale afficit vel ipſam *immediatè* ſolennitatem, vel naturam voti veſtiti eâ ſolennitate? Non *primum*; alioquin Bonifacius VIII. *cap. un. De Voto, in 6.* & Gregor. XIII. in Bulla: *Aſcendente* erráſſent, pronuntiando, *ſolennitatem voti Eccleſiæ inſtitutione introductam eſſe.* *Secundum* eſt quidem veriſſimum, at huc impertinens; ſiquidem votum etiam veſtitum ſolennitate, ſi conſideretur ſecundùm ſuam naturam, abſtrahendo ab accidentaria, extrinſeca ſolennitate, eſt, ut ſic, votum ſimplex, ſortiens, ut ſic, omnes conditiones voti Simplicis; in Simplici autem voto diſpenſare, conſiſtit in Eccleſiæ poteſtate, inquit S. Thomas *2. 2. q. 88. art. 10. in corp.* & ita quidem, ut, qui voto Simplici caſtitatis obſtrictus certiſſimò peccaret (*per ſe loquendo*) contra jus Divinum, ac naturale celebrando, abſque diſpenſatione, Matrimonium, etiam validum, non obſtante hoc jure naturali, poſſit, interveniente authoritate Eccleſiæ, non ſolùm *licitè*, ſed etiam *ſanctè* ſolvi vinculo illo, convolaréque ad nuptias; ergo ratio juris Divini, & naturalis non infert neceſſariò indiſpenſabilitatem, poſitâ enim cauſâ ponitur effectus ex ea neceſſariò ſequens. Tiraquellus *Tract. ceſſante cauſa num. 17.*

150 Conſequenter minimè gentium probandum eſt id, quod idem Neotericus *l. c.* tradit, dum *ſtatum Religioſum Scholarium poſt biennium probationis, & Coadjutorum tum Spiritualium, tum Temporalium in familia S. Ignatii* (ſic enim appellat Societatem Ieſu) eſſe *ſtatum conditionatum*, non verò *abſolutum*, ideò (ſine authoritate, ſine probatione ulla, ac perinde, quaſi indubitatum foret) ſcribit, ut adferat rationem, cur tali ſtatui non conjungatur *eſſentialiter* votum ſolenne, & proinde illi deſit quidpiam ſpectans ad jus Divinum. Inprimis enim jam probatum eſt, ſolennitatem voto annexam non pertinere ad jus Divinum. Deinde nego ſanè, & conſtanter quidem, illum ſtatum noſtrorum Scholarium, & Coadjutorum Formatorum eſſe ſtatum duntaxat *conditionatum*, non verò *abſolutum*. Si enim eſſet dicendus duntaxat, ſeu *abſolutè conditionatus*, tum ideò ita nuncuparetur, quòd noſter S. Fundator *in part. 5. Conſtitutionum cap. 4. lit. D.* exprimat, votis, quæ edunt illi Scholares, ineſſe *tacitè* hanc reſpectu promiſſæ perpetuitatis conditionem: *Si Societas eos tenere velit*; atqui hæc ratio minimè eſt ſufficiens ad dedecorandum tam abjecto epitheto ſtatum prædictorum Religioſorum.

1. Quia conditio *tacitè* ſubintellecta non reddit actum *conditionatum Text. expr. in l. Conditiones extrinſecùs. ff. De Condit. & Demonſtrat* Oldradus in contingentia facti *Conſil. 223. verſ. 2.* Sanchez *De Matr. Lib. 1. Diſp. 67. nu. 3.* ſicut nec conditionalem efficit conditio, quæ de jure in eſt: *Cap. fin. De præſumpt.* infrà *Tr. 10. num. 383.* Cardinal. Tuſchus *Lit. C. Concl. 593. n. 54.* poſt Federicum de Senis, atque alios; atqui de jure communi Societatis approbato, confirmato, à pluribus ſupremis Legiſlatoribus, ineſt votis non profeſſorum tacitè illa conditio. a

2. Quia ſtatus emergens è votis, veram perpetuitatem habentibus ex parte voventis, non debet appellari idcirco duntaxat, ſeu *abſolutè conditionatus*, quòd Ordo poſſit ex *juſtiſſimis cauſis* relaxare ea vota; alioquin ſequeretur, omnia planè vota Simplicia eſſe *abſolutè conditionata*, cùm Papa poſſit omnia relaxare *juſtiſſimis ex cauſis*, hoc autem dici non poſſe, liquet, vel ex votis reſervatis caſtitatis, & Religionis. Sequeretur quoque, ipſum ſolenne votum Obedientiæ eſſe conditionatum, ſicuti & votum ſtabilitatis emitti ſolitum à variis vitæ Monaſticæ cultoribus; ſiquidem & in hoc *ſecundo* ſæpiſſime diſpenſatur, & illud *primum* relaxare poteſt Pontifex, ut tradunt plerique Theologi, & relaxaret Prælatus, ſi ex juſtiſſima cauſa ſaltem cum Pontificis aſſenſu cederet omni jure, quod ipſe, ejúſque Conventus obtinet in ſuum Profeſſum, ſicut & reipſa cedit, quandò ejus Profeſſus tranſit legitimè ad alium Ordinem, atqui Societas nequit ſolvere votis Scholares, niſi ex cauſa *juſta. Conſtitut. part. 5. loc. cit.* Coadjutores autem formatos, non niſi ex *juſtiſſima.* Examinis *cap. 6.* ergo ille Neotericus exceſſit, ſingulariter, dum etiam Coadjutorum Formatorum ſtatum negavit, eſſe *abſolutum.* b

3. Qui vel belli, vel nativitatis jure, aut titulo voluntariæ donationis effectus eſt ſervus perpetuus Trebonii, ſortitur ſtatum non *Conditionatum*, ſed *Abſolutum* ſervitutis, eſto Trebonius habeat, reſervétque ſibi jus manu mittendi pro libitu; quantò magis ſortiretur, ſi nequiret, niſi ex *juſtiſſimis cauſis*? Atqui Religioſus ſtatus eſt ſimilis ſervituti. Doctores apud Suarez *Tom. 3. De Relig. Lib. 6. cap. 2.* de ſimilibus autem ſimile judicium ferendum eſt. *Cap. 2. De Tranſ. Epiſc.* Et univerſim loquendo, obligationes ortæ ex cenſibus anni-

V 2 verſariis,

Digitized by Google

verſariis, ſervitutibus ruſticanis, atque urbanis, affirmativis & negativis, Beneficiis Eccleſiaſticis, officiis publicis &c. ſunt, vocantúrque ab omnibus non *conditionatè*, ſed *abſolutè* perpetuæ, etſi remitti valeant à perſonis, in quas tendunt, modò perſonæ obligationi ſubjectæ nequeant ſeſe hâc eximere, niſi dependenter à voluntate aliena, ſingulariter, quando hæc aliena voluntas non poteſt pro libitu, ſed ſolùm ex juſta, aut etiam *juſtiſſima* cauſa proficiſci, ſimiliter ſtatus Epiſcopalis eſt ſtatus *abſolutus*, eſto poſſit Eccleſia aliquem dejicere de hoc ſtatu. Ergo contra omnes aut ſentit, aut ſaltem loquitur, qui ſtatum prædictorum Religioſorum negat eſſe *abſolutum*, ſed ſcribit eſſe *conditionatum*. Confirmatur hic diſcurſus aptiſſimâ doctrinâ, quam *Tract. ſeq. Caſ. IX. n. 383.* referam ex Dicaſtillo.

4. Cùm Gregorius XIII. *cit. Bullâ* definiat, illos Scholares, & Coadjutores eſſe *verè, & propriè Religioſos, non ſecùs, atque quorumvis aliorum Ordinum Profeſſos*, quomodo defendetur hæc definitio Pontificia adverſùs eum, qui fortè è verbis illius, quem neceſſitate compulſus refello, inferret, eos non eſſe *Abſolutè*, ſed ſolùm *Conditionatè* Religioſos? Adhæc, ut argumento palpabili confutem ſeu falſitatem, ſeu, ut mitiùs loquar, incongruitatem prædictæ locutionis, ſi Papa feriret anathemate, vel contra donaret indulgentiâ plenariâ omnes Sæculares, & Regulares, qui hoc Anno emitterent aliquod *abſolutum* votum perpetuum, an non quivis Theologus eſſet pronuntiaturus reum pœnæ, compotem gratiæ illum, qui ederet vota noſtrorum Coadjutorum Formatorum, iiſve omnino ſimilia?

d Denique ſic argumentor: Si ille noſtrorum Coadjutorum Formatorum ſtatus eſt *conditionatus*, prout hic ab illo Neoterico expreſſè opponitur *abſoluto*, tunc eſt conditionatus propter conditionem de præſenti, præterito, aut futuro, non de præſenti, aut præterito, cùm nec umbra ejuſmodi conditionis appareat, non de futuro, nam propriè, & verè dicta conditio de futuro (tollens denominationem *abſoluti*) eſt adjectio quædam, quæ diſpoſitionem ſuſpendit. Acacius de Ripoll. IC. fuſè *Tract. De condit. & demonſtrat. cap. 1. num. 6. 7. 8.* probans ex legibus, & earum interpretibus, Lud. Molina Theologus accuratè *Tract. 2. De juſtit. Diſp. 206.* itémque Rebellus, atque alii Theologi referendi *Tract. ſeq. num. 545.* poſt Silveſt. *verb. Conditio. num. 1.* & Dominic. Sotum *in 4. diſt. 29. quaeſt. 2. art. 1.* & quæ proinde diſpoſitionem efficit *conditionatam*. Ripoll. *ibid. num. 43.* addens rectè, & ex ſenſu communi, diſpoſitionem *conditionatam* vocari illam, *cujus effectus differtur in futurum*. Atqui effectus votorum emiſſorum à talibus Religioſis eſt vera obligatio, hanc quippe gignit promiſſio. S. Thom. *2. 2. quaeſt. 88. art. 3.* obligatio autem, quam contrahunt prædicti Religioſi, emergit, confirmatúrve, aut renovatur illo ipſo temporis articulo, quo ſua vota publicè edunt; igitur non differtur in futurum, conſequenter nec eſt conditionalis. Et verò ſi differretur in futurum, non forent ii æquè verè, & propriè Religioſi, atque eſt ille ipſe, qui eorum ſtatum diſertè negat eſſe *abſolutum*, aſſerens è diverſo expreſſè eſſe *conditionatum*. Atqui propter Bullam Gregorii paulò antè allegatam, & ab ipſomet hoc Neoterico citatam *Dyſcoliâ nonâ*, nequit abſque temeritate negari, illos eſſe æquè verè, ac propriè Religioſos, atque eſt quilibet Profeſſus cujuſcunque Ordinis Religioſi.

Confirmo ultimum hoc argumentum eâ ratione, quòd conſenſus *conditionatus* poſitâ conditione tranſeat in abſolutum, *Text. in Leg. Hac venditio. ff. De contrah. empt.* atqui nequit nominari ulla conditio, quâ poſitâ conſenſus illorum Coadjutorum tranſeat in abſolutum; igitur non eſt ab initio *conditionatus*, ſed *abſolutus*. Nec obſtat, quod S. P. N. verbis ſuprà deſcriptis exprimat, ineſſe *tacitè* iis votis, adeóque conſenſui conditionem; etenim ultra ea, quæ hactenus attuli, *in Tract. ſeq. Caſ. IV. num. 145.* probabo, voculam *conditio* perſæpe accipi pro modo, ac proinde pro limitatione minimè ſuſpendente conditionem; & *ibid Caſ. IX. num. 383.* idem vocabulum crebrò ſumi pro conventione inter partes *tacitè* paciſcentes, ut ſi hoc, aut illud ſuperveniat, licitum ſit recedere à diſpoſitione.

Plura contra hanc novam doctrinam adducit P. Chriſtophorus Haunoldus noſter *Tom. 1. De juſtitia Tr. 4. cap. 1. num. 9. & ſeqq.* edito poſt hæc jam mandata primo prelo. Videri quoque poteſt. P. Ernricus Pirhing. *Tom. 3. in Ius Canonic. Tit. De Regular. ſect. 1. num. 17.* editus hoc Anno 1676.

Sicut & ejuſdem Patris Haunoldi Vindex adverſus cavillationes Gregor. à S. Laurentio P. Jacobus Illſung. *Controverſ. 94.* more ſuo ſolidè oſtendit, Pontifices ſuprà relatos, dum ſcribunt, ſolennitatem votorum eſſe inventam ſola conſtitutione Eccleſiæ, loqui de ſolennitate eſſentiali, ſeu ſubſtantiali, non autem de ſola accidentali, ut vult prædictus Gregorius cum aliis quibuſdam Thomiſtis.

COGNATIO NATURALIS QUANDO DIRIMAT MATRIMONIUM?

CASUS VII. Conſcientioſi.

SUMMARIUM.

Caſus conſcientioſi in Materia conſanguinitatis. 151.

Quid ſit cognatio naturalis? 152.

Cogna-

Cognati ab Agnatis differunt apud Iure-Conſultos. ibid.
Linea quid? 154.
Explicantur varia vocabula indicantia gradum conſanguinitatis? 155.
Gradus quid? 157.
Traditur Regula pro diſtantia collocatorum in linea recta. 158.
Alia pro diſtantia collocatorum in tranſverſa æquali. 159.
Et tertia pro tranſverſa inæquali. 161.
In petenda diſpenſatione non eſt opus facere mentionem propinquioris gradûs inter inæquales. ibid.
Quomodo jus Civile numeret diſtantiam graduum? 162.
In quo gradu valeat, & non valeat Matrimonium? 163.
Caſus rarus depoſcentis in uxorem ſororem ſui Abavi. 164.
Quid aget Parochus, intelligens, intercedere cognationem inter ſponſas? 165.
Poteſt non ut judex, ſed ut Conſultor examinare, an verè ſint cognati. 165.
Praxis deveniendi in veram notitiam. 166.
Quid fuerit agendum illi? de quo fuit num. *151. ſermo? 167.*
Qui gradus videantur jure naturæ dirimere Matrimonium? 168.

151 GRegoras vir patritius ſcribit Joanni Jacobo viro Clariſſimo in hac verba: *Reperi non ita pridem in meo ſcrinio literas, à ſocru mea piæ memoriæ exaratas, in quibus Aviam meæ Nurûs diſertè vocat:* mein Fraw Baaß / *id eſt, ſuam dominam cognatam. Quæ quidem compellatio movet mihi dubium, vel ſuſpicionem, de aliqua conſanguinitate inter meum filium, ejúſque conjugem. Rogo veſtram Clariſſimam Dominationem, velit ſciſcitari ex N. N. quid judicet hac in re agendum, poſſimne ſalvâ conſcientiâ totam diſſimulare?*

Haſce literas recitavit mihi, ut rogatus erat, vir ille clariſſimus gradu, dignitate prudentiâ, juſtitiæ tenacitate, die 10. Novembr. Anno 1661. ad quas quid reſponderim, aperiam inferiùs *num. 167.* interim obſervando, eſſe triplicem cognationem, quæ dirimat Matrimonium, ſcilicet *Naturalem*, *Spiritualem*, *Legalem*. De *Spirituali* ac *Legali* diſſeram *Caſu VIII.* De *Naturali*

152 Quæritur I. *Quid ſit Cognatio Naturalis, quid Gradus, quid Linea?*

Reſp. I. Cognatio naturalis, ſeu conſanguinitas, eſt vinculum plurium perſonarum, inter ſe ſanguine communicantium, Tannerus *Tom. 4. Diſp. 8. q. 4. num. 41.* ſeu eſt vinculum plurium perſonarum, quæ ab eodem, eóque propinquo ſtipite per carnalem generationem deſcendunt. Laymann. *Lib. 5. Tract. 10. part. 4. cap. 4.* meritò exprimens illam conditionem: *Eóque propinquo*; nec enim aut Latinè, aut Germanicè Gallicéve appellantur à non Principibus cognati illi, qui diſtant inter ſe 10. aut 12. Gradibus, eſto proficiſcantur ex eodem ſtipite. Quamvis autem Juriſconſulti faciant diſcrimen inter cognatos, & agnatos, ita ut cognati ſint illi ſoli, qui per virilis ſexûs conjunctionem uniti ſunt, agnati verò, qui ſive per virilem, ſive per fœmineum copulantur: nos tamen, ſicuti & Theologi paſſim, nomine cognatorum deſignabimus etiam hîc agnatos.

Reſp. II. Quia Matrimonium non eſt interdictum inter omnes cognatos, ſed tantùm inter diſtantes à ſe invicem certo gradu. Ut hæc diſtantia dignoſci queat, efformârunt Canoniſtæ aliquam figuram, quam nuncupant *Arborem Conſanguinitatis*, in qua tota conſanguinitas diſtribuitur in varias diſtantias, ut ex eis facilè cognoſci valeat, quibuſnam cognatis vetitum ſit conjugium inter ſe. Exhibeó hîc illam, quæ in ipſo Corpore Juris Canonici efficta proponitur in Decreto Gratiani *35. q. 5.* & in Decretalibus *ad cap. fin. De conſanguin. & affin.* 153

In hac figura cernis, Lector, Lineas, & Gradus. Linea eſt ſeries quædam certa perſonarum inter ſe cognatarum per gradus varios diſtincta; quæ quidem duplex eſt, una vocatur Linea *recta*, altera *obliqua*, ſeu *lateralis*. Linea *recta* eſt ea, in qua collocantur ſoli illi, quorum poſterior, ſeu inferior deſcendit à priore, ſeu ſuperiore; ſicut Linea *obliqua* cognominatur ea, in qua ponuntur, & deſcribuntur ſolùm illi, qui non à ſe invicem, ſed omnes ab uno principio, capite, aut ſtipite proveniunt per generationem naturalem, ut ſunt duo fratres, duæ ſorores, ſoror, & frater; filii duorum fratrum &c. Hæc Linea eſt quandoque æqualis uni alteri, quia ſcilicet illi duo, aut tres, de quibus in hac, & illa collocatis inſtituitur aliqualis, aut quæſtio, diſtant æqualiter ab invicem, id eſt, à communi ſtipite; quandoque verò eſt inæqualis, quia nimirum diſtant illi duo, aut tres inæqualiter à communi principio, ſeu ſtipite, unus, inquam, magis, alter minùs, ſicut frater tui genitoris diſtat utique minùs à ſtipite communi tibi, & ipſi, quàm tu; ſtipes enim communis tibi, & illi eſt avus tuus, à quo diſtas duobus gradibus, ut mox patebit, uno autem duntaxat frater patris tui, id eſt, patruus tuus. 154

Dico: *Patruus tuus*; non autem: *Avunculus tuus*, ut perſæpe cum nauſea audivi loquentes tum ſtudioſos Theologiæ Moralis, tum etiam ipſos Sacerdotes; ut proinde, in gratiam minùs peritorum linguæ Latinæ, velim hîc (quidni enim omnibus omnia fiam, ſi poſſim?) agere profeſſorem Grammaticæ, atque adferre propriam ſignificationem nonnullorum vocabulorum huc facientium. 155



Itaque *Patruus* tuus, eſt frater patris tui; *Avunculus* verò eſt frater matris tuæ: filius tui patrui dicitur *Patruelis* tuus; filia itidem patrui tui nuncupatur tua *Patruelis*; ſoror patris tui dicitur *Amita* tua; ſoror matris tuæ, *Matertera* tua, quaſi altera tua mater. Filius materteræ tuæ appellatur tuus *Conſobrinus*, quaſi conſororius; ſicuti *conſobrina* tua eſt filia tuæ materteræ. At verò te conſalutabo meum *Amitinum*, ſi mater tua fuit, vel eſt ſoror patris mei. Veneraberis autem Cajum tanquam *Proavum*, ſi extitit pater tui avi paterni, maternive. Tanquam *Abavum*, ſi genuit tuum proavum, vel proaviam. *Atavum* dices, ſi fuit abavi, vel abaviæ parens, ſicuti *Tritavum*, ſi atavo vitam dedit, *Atavunculum*, ſi extitit frater ataviæ tuæ.

256 Vice verſâ *Nepos* tuus nuncupatur, qui ex tuo filio, filiáve natus eſt. *Pronepos*, qui ex tuo nepote, *Proneptis*, quæ ex te proavo, *Abnepos*, qui ex te abavo, ſeu tuo, qui es proavus, patre: *Atnepos*, qui ex atavo, *Trinepos*, qui ex tritavo duxit ortum. Quamquam etiam *nepotis* nomenclatura ſæpiſſime extenditur ad filios fratris, vel ſororis; unde vulgò dicimus: *Eſt meus Nepos ex ſorore*: traditque Calepinus in voce *Nepos* pro: *Nepos ex ſorore* dici etiam Latinè: *Nepos ſororis*.

III. His notatis obſerva, collocari in Linea recta, de qua ſuprà, tam *deſcendentes*, quàm *aſcendentes*; adeóque Linea *aſcendentium* eſt, quando conſiderantur perſonæ cum reſpectu principii, à quo derivantur, ſicut Linea *deſcendentium* eſt illa, qua conſideratur principium cum reſpectu ad perſonas provenientes ab illo.

IV. Gradus, quorum tam frequens mentio in hac materia, eſt certa diſtantia cognatio- 257
nis unius ab altero, ſicuti gradus ſcalæ eſt certa quædam diſtantia altitudinis. Ut verò diſtan-

Digitized by Google

ſtantia unius perſonæ ab altera poſſit facilè, certòque deprehendi, atque adeò dignoſci, quot gradibus una ab altera diſtet, traduntur partim *in cap. fin. De conſang. & affin.* partim à Gloſſis in illud capitulum, tres expeditæ Regulæ: *una* pro collocatis in Linea recta; *altera* pro collocatis in obliqua æquali; *tertia* pro conſtitutis in obliqua inæquali.

158 V. Pro collocatis in Linea recta eſt hæc: *Poſiti in Linea recta, tot gradibus diſtant ab invicem, quot ſunt perſonæ unâ demptâ*, quot, inquam, perſonæ ſunt neceſſariò, & *formaliter* concipiendæ ad denominandam illam, de cujus diſtantia quæritur. Quare pronepos diſtat à proavo tribus gradibus; nullus enim poteſt *formaliter* concipi pronepos alicujus, niſi concipiantur 4. perſonæ ſcilicet ipſe pronepos, pronepotis pater, pronepotis avus, & ejuſdem pronepotis proavus. Ex his 4. ſi dempſeris unam perſonam, remanebunt tres; ergo pronepos diſtat tribus ſolùm gradibus à proavo.

159 VI. Pro collocatis in Linea obliqua, ſeu transverſa æquali, ſtatuitur hæc Regula: *In Linea transverſa æquali tot gradibus diſtant perſonæ à ſe invicem, quot gradibus diſtant ſingula à principio, ſeu ſtipite.* Quare cùm filii duorum fratrum, id eſt, duo patrueles ſint in Linea transverſa æquali, & ita, ut ſinguli diſtent duobus gradibus à communi ſtipite, id eſt, avo ſuo, fit, ut etiam à ſe invicem diſtent duobus gradibus ab avo. Liquet ex priore Regula; ut enim concipiantur *formaliter*, ſeu nepos, ſeu avus, neceſſe eſt omnino concipi tres perſonas, & non plures, ſcilicet illam, quæ dicitur nepos, deinde patrem hujus nepotis, & tertiò patrem hujus patris.

160 Dices: *Ubi emanent Mater, & Avia? An poteſt quiſpiam eſſe nepos ſine Matre, & Avia? Ergo ut concipiatur nepos, concipi debent non ſolùm tres, ſed quinque perſonæ; ergo claudicat Regula etiam pro Linea recta.* Reſp. Ut exiſtat nepos, requiritur quidem *naturaliter*, ſeu *phyſicè* mater, & avia, non tamen requiritur *formaliter*, ſeu ad conſtitutionem Relativi *Nepos*.

161 VII. Duabus illis regulis additur *tertia* pro conſtitutis in Linea transverſa, ſeu laterali inæquali; nimirum: *In Linea transverſa inæquali, tot gradibus diſtant à ſe invicem duo homines, quot gradibus à communi ſtipite diſtat illa perſona, quæ eſt remotior.* e, g. Tu, & tuus patruus diſtatis duobus gradibus; nam inprimis eſtis in Linea transverſa, quandoquidem neque te tuus patruus, neque tu patruum tuum procreâſti. Deinde eſtis in Linea inæquali; ſiquidem tuus patruus diſtat à ſtipite tibi, & ſibi communi, id eſt, ab avo tuo tantùm uno gradu, cùm ſit filius tui avi; at verò tu diſtas ab eodem avo tuo duobus gradibus, ut in priori Regula demonſtratum eſt; ergo tu, patruúſque tuus diſtatis ab invicem duobus gradibus. Quamquam ſecundùm phraſin, ſeu ſtylum Curiæ Romanæ diceris eſſe cum tuo patruo in primo gradu, cum ſecundo, vel eſſe ipſi conjunctus in primo, & ſecundo gradu, nam Romana Curia computat peculiariter gradus utriuſque lateris. P. Sanchez *Lib. 8. Diſp. 24. num. 26.* obſervans tamen, non eſſe opus, ut in petenda diſpenſatione fiat mentio propinquioris (modò is non ſit primus) gradûs, ita quippe declarâſſe Clementem VIII. Ergo neceſſe non eſt, ut ſcribas: *Hac Bertha, cùm qua cupio inire Matrimonium, eſt mihi juncta in tertio gradu cum quarto.* Sufficit, ſi ſcribas: *Eſt mihi juncta, ſeu ſumus juncti in quarto gradu conſanguinitatis.* Sed vide omnino, quæ in hanc rem dicam infrà *num. 620. & 622.* de primo gradu.

VIII. Cæterùm illa diſtantia, & numerus graduum, quem hactenus aſſignavimus, atque adeò Regulæ tres à nobis traditæ locum habent in ſolo foro Eccleſiaſtico, nam Jus Civile aliter computat gradus, quia ſcilicet computat illos in ordine ad hæreditatem ab inteſtato capiendam, qua in re præfertur is, qui eſt in viciniore gradu, præfertur autem pater in adeunda unius ſuorum filiorum demortui hæreditate alteri ſuo filio, ergo diſtat ab illo ſuo filio tantùm uno gradu, ergo alter filius non diſtat, ſpectato jure civili, tantùm uno, ſed duobus gradibus à ſuo fratre defuncto: At quia jus Canonicum maximè conſiderat cauſam Matrimonii contrahendi per naturam, qualis fuit inter liberos Adami, & Evæ, nam frater duxit propriam ſororem, ideo meritò fratrem, & ſororem ſtatuit in primo gradu. Vide Henricum Caniſium *De different. utriuſque Juris differ. 43.* 162

Quæritur II. *In quo gradu non valeat Matrimonium?* Reſp. Non valet in viciniore, quàm ſit quintus, valet in omni remotiore, quàm ſit quartus. *cap. Non debet. De conſang.* cùm olim non valuerit intra ſeptimum *cap. Nulli, 35. q. 3.* 163

Unde petes ſolutionem hujus

Caſûs Rariſſimi.

G*Abriel homo Hiſpanus, filium Gomeſium, & filiam Gertrudem genuit, qui filius propagavit genus uſque ad quintam generationem, ita, ut vivente adhuc ejus ſorore Gertrude, non ſolùm natus fuerit Gorgonius abnepos Gomeſii, ſed ita adoleverit, ut pubes factus poſtulaverit in uxorem ipſam Gertrudem ſororem ſui abavi Gomeſii, filiam ſui atavi Gabrielis, potuítne citra diſpenſationem concedi ipſi?* 164

Reſp. Fuiſſe re ipſâ conceſſam, teſtis eſt Michaël Ferro Manrique, *quæſtion. Vicarial. p. 2. quæſt. 39.* ut reperio in meis antiquis adverſariis, carens nunc illo Scriptore. Et verò potuiſſe de jure communi, patet ex reſponſo allato *num. 163. præced.* ſimul & Regula *tertia* ſuprà *num. 161.* etenim ſubſiſtit Matrimonium inter

intra quintum gradum cognationis. Suprà *num. 163.* Gorgonium verò, & Gertrudem diſtitiſſe quinque gradibus, liquet inde, quòd Gorgonius fuerit à ſtipite communi ſibi & Gertrudi, ſcilicet atavo ſuo, Gabriele verò patre Gertrudis remotus quinque gradibus, ſi vera eſt noſtra *prima* Regula, & Grammatica explicatio vocabuli: *Atavus*, atqui duo conſanguinei, poſiti in linea laterali inæquali, diſtant ab invicem tot gradibus, quot remotior eorum diſtat à communi ſtipite.

165 Quæritur III. *Quid agendum Parocho, quando intelligit, intercedere cognationem inter ſponſos?* Reſp. Licèt Conſtitutiones Synodales *p. 1. tit. 16. num. 41.* anathemate feriant Decanos, & Parochos, qui aliquid *definierint, vel declaraverint in cauſis matrimonialibus controverſis*, non tamen arbitror, contracturum ullam culpam, vel pœnæ reatum, qui, quando audit, ſponſos eſſe ſanguine junctos, quærit, non ut Judex, ſed ut amicus, & conſultor, cur dicatur intercedere conſanguinitas, & evidenter cognito, nullum intercedere impedimentum, jubet eſſe ſine ſcrupulo, at verò, ſi facto examine hæreat dubius, ſeu non evidenter certus, remittat definitionem ad Reverendiſſimum Dominum Ordinarium. Ratio eſt, quia experientia docet, plebem ruſticam eſſe ita ſimplicem, ut perſæpe vel judicet, vel ſaltem ſuſpicetur, ſubeſſe impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis. Præſentem reſponſionem volo extenſam eſſe ad dubium de affinitate) ubi certiſſimum eſt, turpiter falli. Quis, amabo, ita deſperatè ſentiat de benignitate Reverendiſſimorum Dominorum Ordinariorum, ut cenſeantur hi velle ad ſe, ſuóſve forenſes Commiſſarios deferri non ſine ſumptibus, & mora temporis, hæc dubia, deſtituta omni prorſus fundamento? *Diſcretio noſcitur omnium virtutum eſſe mater*, inquit Canon. *1. De Offic. cuſtod.* Vide plura hanc in rem *Tract. ſeq. Caſ. X. num. 363.*

166 Ergo quærat Parochus, ex iis, qui ajunt intercedere cognationem, cur hoc putent, aut dubitent? Iis auditis, deſcribat in chartæ parte inferiore nomen ſponſi ad latus ſiniſtrum, ad latus autem dextrum nomen ſponſæ, ſupra ſponſum deſcribat ordine ſemper aſcendendo à proximioribus nomina illorum ſponſi cognatorum, qui dicuntur dediſſe cauſam cognationi ex hujus parte, ſimiliter ſcribat in altero latere nomina eorum, qui ex parte ſponſæ dicuntur dediſſe ejuſmodi cauſam, nec ceſſet à ſcriptione donec deveniat ad communem ſtipitem, è quo ſponſus, & ſponſa mediatè ſint generati. Si non reperiatur talis ſtipes, tum certum eſt, nullam adeſſe cognationem, ergo erit fortaſſe affinitas. Si verò reperiat communem ſtipitem, conſideret, utrùm ſponſi ſint in linea æquali, an inæquali, & tunc applicet Regulam *ſecundam*, ſi ſint in æquali, *tertiam*, ſi in inæquali.

Quæritur IV. *Quid fuerit agendum illi viro Patritio, de quo noſter Caſus Conſcientioſi?* 167

Reſpondi ego tunc, eſſe diſſimulanter, & occultè quærendum ex iis, qui aliquam notitiam habere poſſunt de familia, ſeu tota cognatione ſoceri, & nurûs. Si nihil comperiri poſſit, quod impedimentum cauſare queat, non eſſe curandas illas literas, cùm potuerit fieri, ut illa matrona altera vocârit cognatam, ob conjunctionem in quinto gradu, vel, ut ſæpe fit, ob affinitatem *indirectam*, & uni teſti de auditu non creditur in cauſa Matrimonii, bonâ fide contracti. Abbas *in cap. Præterea. De ſponſat.* ſicut nec habita fuit menſe Martio Anno 1674. in Curia noſtra ratio teſtis

Pueri ſimul & ſenis.

Pueri, inquam, ſimul & ſenis, quia jam a *ſexagenarius teſtebatur, ſe adhuc decennem intellexiſſe ex ſuomet patre, proavos duorum ſponſorum de futuro, fuiſſe fratres germanos, tribus aut quatuor adhuc deponentibus ſenioribus, illos duos proavos fuiſſe ſibi familiariter notos, at nihil unquam quidquam de ulla cognatione inter eos intercedente inaudiſſe.*

Cenſui ego, tametſi fuiſſet ille puer ſenex b pro omnino inhabili teſte habendus, ſi illud ipſum teſtimonium edidiſſet in illa puſilla ætate, aut generatim ante pubertatem. DD. *in L. 3. §. Lege Iulia. ff. De teſtib.* licèt quoque non ſit repellendus is, qui jam pubes deponit de iis, quæ impubes vidit, vel audivit. Speculator *De teſtib. §. 1. verſ. Sed nunquid factus pubes*, aliique paſſim, attamen quia & quinquaginta Anni fluxerant poſt illud, ut aſſeritur, dictum paternum, adeóque potuit facilè intercedere lapſus, fallaciáque memoriæ, & tres alii, qui utique fuiſſent conſcii illius tam arctæ neceſſitudinis, ſiqua interceſſiſſet, pernegabant, eſſe quidquam ſibi de ulla conſanguinitate cognitum, eam ob rem exiſtimavi, hunc Caſum eſſe annumerandum iis, quibus habetur, conformiter doctrinæ traditæ *in Quinario Tract. 5. cap. 42. num. 100.* tribus negantibus plus fidei, quàm uni affirmanti.

At quomodo fuit decidendus hic

Caſus forenſis etiam?

Gondiſalvo volenti contrahere cum Ger- c *trude dicit frater ſuus, ſubeſſe impedimentum conſanguinitatis, in tertio aut quarto gradu, interrogati ſeniores negant conſanguinitatem, atteſtantes de affinitate indirecta, ratione unius novercæ. Quare jungit parochus illos Matrimonio, expreſſè adjiciente Gondiſalvo, ſe, ſi ſubſit impedimentum, nolle Matrimonium haberi pro rato. Viginti Annis*

poſt

Digitized by Google

poſt exoritur controverſia de valore dicti Matrimonii: rurſum examinatur frater mariti, repetit ille id quod priùs, efformátque claram conſanguinitatis arborem. Alia conſanguinea Catharina interrogata deponit, ſe à patre audiviſſe, intercedere conſanguinitatem, at ignorare in quoto gradu, alii etiam viri boni, ac rerum periti examinati, negant, ſe quidquam in alterutram partem habere compertum. An diſſolvendum Matrimonium jam ſusceptis aliquot liberis? An petenda diſpenſatio, cùm ii conjuges nequeant ullos planè ſumptus facere ob paupertatem?

d Reſpondi 1. Petendam eſſe, ſi quoquo modo poſſit, pro majore ſecuritate diſpenſationem. 2. Si nequeat peti ſaltem à Nuntio Apoſtolico, tum eſſe diſpenſandum ab Epiſcopo ipſo, juxta mentem Theologi Panormitani referendam infrà *n. 591.* cùm ſingulariter poſſit cognatio, ſiqua ſubeſt, dici occulta, hoc ipſo quòd non ſit notoria, in jure enim idem eſt occultum, quod non notorium. Suprà *Tract. 7. num. 398.* notorium autem id ſolùm, quod nullâ tergiverſatione celari poteſt. Barboſa *in Repertorio verb. Notorium* ex communi, poteſt autem dicta cognatio celari aliqua tergiverſatione, eáque probabili, ut mox dicam. 3. Enim, quandoquidem jam à viginti Annis prudenter creditum fuit, non fuiſſe habendam rationem teſtimonii perhibiti à fratre, ſanè fuit tunc cognatio, ſi quæ interceſſit, prudenti tergiverſatione celata, nec evaneſcit iſta celatio propter repetitum teſtimonium fratris, cur enim fiat jam (repugnante *cap. Quòd ſemel placuit, diſplicere non poteſt Reg. 21. in 6.*) pluris, quàm abhinc viginti Annos? cur ei plena fides habeatur aſſerenti ad eam arborem, quam ſtruxit, revera ſpectare Stichum, non verò Febronium?

e Sed neque Catharina conſanguinea etiam juncta fratri efficit plenam, qualis requiritur ab omnibus, pro diſſolvendo Matrimonio, bonâ fide inito ſolenniter, probationem, quia eſt ſolùm de auditu, & unica, & audivit tantùm ex uno, ergo non planè probat per ea, quæ adferam ex Navarro *Tract. ſeq. Caſ. XIII. ſect. 3. num. 542.* Cùm igitur non ſit contra ſolennem actum bonâ fide celebratum admittenda ulla probatio, niſi plena & undique legitima, Leſſius referendus infrà *num. 430.* non eſt, cur hic admittatur recèns producta, cùm etiam ſit præſumptio juris, quòd Parochus, qui ante tot Annos copulavit eoſdem, fecerit omnia facienda. Menochius *De præſumpt. Lib. 6. præſumpt. 10.* conſequenter quòd idem Parochus detulerit illud dubium ad D. Ordinarium, alioqui peccâſſet graviter, per ea, quæ paulò antè ſeu *num. 165.* produxi ex Conſtitut. Synodal. ergo non eſt cogitandum de ullo divortio. Accedebat quòd & dicta Catharina nullum certum gradum nominaret, & rudes facilè *indirectam* affinitatem, præſertim ortam ex noverca, confundant cum cognatione, & denique Matrimonio bonâ fide contracto, cumulatóque non unâ prole, faveant omnia jura, præſertim ſacra. Infrà *num. 306.* Ut proinde cenſuerim, nullum planè ſcrupulum eſſe movendum iſtis hominibus.

At quid reſpondendum fuit ad ſequens

Quæſitum Novum?

f Cum *nimirum Anno* 1674. *ſcripto proponeretur hæc quæſtio*: Utrùm, quando agitur de Matrimonio contrahendo, unicus teſtis de auditu ſufficienter probet impedimentum conſanguinitatis in quarto gradu, qui tamen id non à pluribus ſuis majoribus, ſed ab uno ſolo jam pridem defuncto audiit, quantumvis clarâ computatione diſtinguat gradus ab utroque latere. *Ubi notandum, præter depoſitionem teſtis nullam penitus famam, vel rumorem adſtruere aſſertum impedimentum, ſed imò unam aliam teſtem teſtari, ſe à matre ſuâ contrarium audiviſſe, nimirum non ipſarum partium contrahere volentium, ſed earundem parentum proavos fuiſſe fratres germanos, adeóque partes eſſe conſanguineas in ſolo quinto gradu. Exſpecto reſponſum unius lineolæ.*

g Reſpondi, non quidem planè probari teſtimonio primi teſtis conſanguinitatem in quarto gradu, cùm ſit tantùm & unus, & ex auditu ſolo unius, proindéque inſufficiens. Infrà *num. 341.* ex Navarro, atque ejus depoſitio infirmetur depoſitione ſecundæ teſtis; quia tamen uterque deponit de conſanguinitate, adeóque adſunt duo teſtes ex auditu non unius ejuſdem, ſed duorum, videri ſemiplenè, adeóque ſufficienter (ad peccatum impediendum. Suprà *num. 543.*) probari, aliquam inter ſponſos conſanguinitatem intercedere. Si intercedit, tunc incumbit partibus probare, eſſe ſupra quartum gradum, quia & affirmanti incumbit probatio, & in dubio de remotiori, aut propinquiori gradu præſumitur pro propinquiori, ut alibi oſtendi, ſiquidem generatim *præſumitur unitas, quando non probatur pluralitas.* Barboſa *in Repertorio verb. Unitas.*

Quæritur V. *Quo jure ſit inductum impedimentum Cognationis?* 162

Reſp. Secundùm Theologos jure *naturali* irritum eſt Matrimonium in omnibus gradibus lineæ rectæ, & aliquibus lineæ tranſverſæ; ſecundùm alios, in ſolis primis gradibus lineæ tam rectæ, quàm tranſverſæ, juxta alios in ſolo primo gradu lineæ tranſverſæ, & primo, ſecundóque lineæ rectæ, ut proinde ſolo jure

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiaſtico ſit irritum in aliis gradibus. Hæc *tertia* ſententia probatur inde, quòd reverentia ſimul, & verecundia naturalis videatur in illis omnibus, & ſolis prohibere commercium carnale. Unde judicamus, non poſſe quidem Pontificiâ auctoritate, ac diſpenſatione fieri, ut valeat Matrimonium patris cum filia, avi cum nepte, fratris cum ſorore, & conſequenter ſeparandos, qui in gentilitate conſtituti iniiſſent tale connubium, vellentque fieri Chriſtiani, at verò jure *naturali* ſubſiſtere Matrimonium proneptis cum proavo, patrui cum nepte ex fratre, patruelis cum patruele. Vide obvium quemque Theologum differentem de impedimento Cognationis, reperies patronos multos pro ſingulis harum trium ſententiarum.

COGNATIO SPIRITUALIS, ET LEGALIS QUANDO DIRIMAT MATRIMONIUM?

CASUS VIII.

Puerilis.

SUMMARIUM.

Caſus petentis in uxorem ſuam filiaſtram, quam ipſe puer levârat è Sacro fonte. 169.

Cum quibus contrahatur cognatio ſpiritualis? 170. *remiſſivè.*

An conſuetudo poſſit inducere cognationem ſpiritualem? 171.

Quæ ignorantia impediat cognationem ſpiritualem? 172. *& ſeqq.*

Quid ſit cognatio Legalis? 176.

Inter quos dirimat conjugium? 177.

Noviſſimus Caſus de cognatione ſpirituali. *Ibid. in Append.*

169 **H***ilarinus puer decennis, inductus auctoritate parentum, tenuit in Sacramento Confirmationis Hugolinam puellam ſexennem, adeòque puer infantem, qui provectus ad ætatem virilem adjecit animum ad ſuam filiaſtram Hugolinam, cupiens habere in uxorem, cùm autem objiceretur ipſi impedimentum Cognationis* ſpiritualis, *reſpondit, ſe, cùm teneret Hugolinam, omnino ignoràſſe quid ageret. Conſultus Juris conſultiſſimus Navarrus reſpondit in hunc modum. Non eſt neceſſaria diſpenſatio in ſpecie propoſita ad hoc, ut oratores contrahant, ſi verba illa in ſupplicatione porrigenda poſita*: Quòd omnino ignorabat, quid ageret, *intelligantur de ignorantia, quæ cauſaretur ex defectu judicii, & uſûs rationis ſufficientis ad peccatum, & obligandum ſe voto, quia non fuiſſet doli capax. Eſſet verò neceſſaria diſpenſatio, ſi verba illa prædicta ſignificarent ignorantiam, quam habet impubes doli capax ante ſecundum ſeptennium, illa enim invenitur etiam in eo, qui eſt major ſeptennio, & jam habet uſum rationis, & poteſt peccare.* Ita Navarrus *de Cognat. ſpirit. Conſil. 1.* referens *conſil. 2.* alium Caſum de puero duodecenni, tenente in Confirmatione aliam ſexennem puellam.

Quæritur ergo I. *An reſponſum Navarri ſit abſolutè verum, atque adeò an, & quæ ignorantia impediat Cognationem ſpiritualem?* 170

Supponitur autem ex toto *Tit. De cognat. Spirit. & ex cap. Si quis filiaſtrum. 30. quæſt. 1.* eum, qui quempiam tenet in Baptiſmo, vel Confirmatione, contrahere cognationem aliquam ſpiritualem, atque adeò impedimentum. Cùm quibus verò perſonis, & cum qualibus circumſtantiis contrahatur hæc cognatio, explicavi diſtinctè *in Alphab. Baptizant. & Confirm. Caſ. XVII. & XXII.*

Quibus adde, negari à Fagnano *in cap. Utrùm. De cognat. Spirit. n. 2.* hanc cognationem contrahi à muliere, quæ ex antiqua conſuetudine loci defert è domo puerperæ infantulum uſque ad templum, traditque ad fores templi deſignato patrino, nec poſtea exercet ipſa ullum ampliùs miniſterium circa infantem, & tamen ex vi ejuſdem conſuetudinis refertur tanquam vera matrina in librum Baptizatorum, utpote, quæ puerum è domo extulit cum intentione, ut evaderet matrina. Ideo autem negat Fagnanus, hanc conſuetudinem ſufficere ad gignendam cognationem ſpiritualem, quòd nulla conſuetudo valeat inducere impedimentum, niſi ſpecialiter approbata à Pontifice. Verùm quia *Caſ. I. num. 25.* retuli magnos Doctores, tribuentes conſuetudini longævæ efficaciam inducendi novum impedimentum, idcirco ſatis probabile eſt, contrahi re ipsâ cognationem ſpiritualem in Caſu Fagnani. Qui tamen *in cap. Veniens. De Cognat. Spirit. num. 11.* ſcribit, eſſe veriorem, & tutiorem opinionem, quòd ad cognationem ſpiritualem ſufficiat vel præſentare Sacerdoti baptizandum, vel ſuſcipere immediatè de manu baptizantis, etſi *primam* partem hujus doctrinæ doceat ſolus Martinus Ledeſma contra Sotum, eò quòd Canones plus non exigant, quàm tactum, additque *num. 22.* ſi conſuetudo loci habeat tales pro veris patrinis, debere pro talibus idcirco haberi, quòd, licèt conſuetudo nequeat inducere impedimentum dirimens, poſſit tamen interpretari dubios textus Juris. Ita ille, cui facilè adſtipulor quoad hanc interpretandi vim. Porrò *in citato Alphabeto Baptiz. num. 537.* obſervavi quidpiam ad rationem impedimenti, quo de nunc tractamus ex inſtituto, apprimè faciens, quòd ſcilicet nemo fiat patrinus, & conſequenter nemo con-

Digitized by Google

contrahat cognationem ſpiritualem ſine intentione aliquem tenendi inſtar patrini, id eſt, exercendi illam cæremoniam ſacram, veluti præſcriptam ab Eccleſia. Unde, ſi Hilarinus puer ita ignorabat, quid ageret, ut revera neſcierit, illam tentionem eſſe cæremoniam aliquo modo ſacram, ſeu piam, tum ſanè non evaſit patrinus, evaſit autem, ſi doctus fuit, eſſe cæremoniam, eſto nihil ſciverit de ſecutura compaternitate, ſicuti *cit. num. 537.* notavi ex communi. Unde

172 Reſp. I. Ignorantia *facti*, qua ſcilicet quis tenet filium Caji, putans, & intendens tenere filium Titii, impedit cognationem ſpiritualem, ut probavi *in cit. Alphabeto num. 537.* At verò ignorantia *juris*, ſeu quòd per talem, vel talem actum contrahatur aut compaternitas, aut impedimentum Matrimonii, nihil officit valori compaternitatis. Ratio eſt, quia Eccleſia annexuit hanc compaternitatem, & conſequenter impedimentum actui, quo quis libere exercet actum patrini, ſicuti annexuit affinitati, Ordini ſacro &c.

173 Reſp. II. Ignorantia tollens libertatem *moralem* impedit cognationem ſpiritualem, & conſequenter nec impedit, nec irritat Matrimonium. Hanc reſponſionem intendit Navarrus verbis ſuprà relatis, quia per libertatem *moralem* intelligo illam, qua quis præditus eſt tali judicio, ut poſſit peccare mortaliter, aut emittere votum validum. Ratio reſponſionis eſt, quia verus patrinus ſuſcipit in ſe gravem obligationem inſtruendi in fide ſuũ filiaſtrum, ut declaravi *in cit. Alphab. n. 573.* hanc autem obligationem, & conſequenter munus patrini ſuſcipere non poteſt, qui præ infirmitate judicii nequit peccare mortaliter. Quia verò *in Alphabeto Communic. Caſu VI.* oſtendi, fallere ſaltem in Germania illam Regulam Juriſtarum & multorum Theologorum, quòd ſcilicet in dubio præſumatur quis ſtatim poſt expletum primum ſeptennium jam eſſe doli capax, poſſéque peccare mortaliter, concedendo tamen hanc doli capacitatem cadere communiter in puellas octennes, & pueros novennes, non autem citiùs communiter, idcirco ſi quis Germanus puer, vel puella, adhiberetur ante hanc ætatem in patrinum, vel matrinam, cenſerem ego, in dubio de ſufficiente uſu rationis, non fuiſſe contractam cognationem ſpiritualem, & conſequenter nec impedimentum Matrimonii.

174 Reſp. III. Ignorantia illa, qua communiter laborant pueri, & puellæ primis Annis, quibus incipiunt fieri doli capaces, non impedit communem cognationem ſpiritualem, & conſequenter non obeſt, quò minùs oriatur impedimentum. Hoc reſponſum videtur intendiſſe Navarrus, verbis ſanè obſcurioribus, quàm debeant formari reſolutiones Caſuum propoſitorum conſilii cauſâ. Ratio eſt, quia licèt pueri novennes, decennes ſoleant ſatis imperfectè intelligere, quæ intelligunt, hæcque intellectio, ſeu intelligentia hoc ipſo, quòd ſit ſatis obſcura, & imperfecta, involvat ignorantiam, quia tamen hæc ignorantia, & imperfectio non tollit libertatem *moralem*, atque adeò potentiam peccandi mortaliter, ideo communiter non tollit impedimentum Matrimonii. Unde, ſi Hilarinus noſter, propriè loquendo, omnino ignorabat, quid ageret, debuit fuiſſe valde hebetis ingenii, aut non fuiſſe ullo modo edoctus, quid ſit ſuſcipere aliquem è fonte Baptiſmali, aut eſſe patrinum.

Quare, ſi quis, præſertim Italus (huic enim genti citiùs oritur almus Phœbus) mihi de ſe decenni proponeret hunc Caſum, quærerem confeſtim ex illo, an priùs, quàm exerceret illum actum, non fuerit edoctus, qualis ſit? Si negaret, tacitè dicerem: *Probabiliter fallis, aut falleris*, quia plerumque ſolent pueri talia edoceri, antequam adhibeantur ad iſtud officium. Si diceret, ſe neſcire, ſubderem: *Ergo es nimis obliviosus*, præſumerémque, eſſe explicatum. Si fateretur, eſſe ſibi quidem explicatam illam cæremoniam, ſed nihil prorſus intellexiſſe, cogitarem: *Ergo es ſubſtupidus*, atque adeò, niſi cognoſcerem eſſe ſubſtupidum, dicerem, contraxiſſe veram compaternitatem, & ideo non debere ſine diſpenſatione adſpirare ad nuptias cum Hugolina. Cognito autem eſſe ſubſtupidum, præſumerem, non intellexiſſe ſufficienter. 175

Quæritur II. *Quid ſit Cognatio Legalis, & quomodo dirimat Matrimonium?* 176

Reſp. I. Cognatio *Legalis* eſt propinquitas, orta ex adoptione alicujus. Adoptio verò, ex qua oritur hæc cognatio, eſt extraneæ perſonæ in filium, filiam, neptem, vel deinceps legitima aſſumptio. P. Caſp. Hurtadus *De Matrimonio Diſp. 19. diffic. 1.* Nomine extraneæ perſonæ intelligendo illam, quæ non originatur naturaliter ab adoptante. Hæc adoptio eſt vel *perfecta*, vel *imperfecta*. *Perfecta*, quando quis tranſit in poteſtatem adoptantis, ſitque ejus hæres neceſſarius, etiam ex teſtamento. *Imperfecta*, quando adoptatus manet ſub poteſtate alterius e. g. veri, naturalis patris, & eſt hæres neceſſarius ſolùm ab inteſtato. Formula adoptandi erat iſta: *Hunc hominem filium meum eſſe ajo, iſque mihi emptus eſt hoc ære.* Alfordus noſter *in Annal. Britann. Ad Ann. Chriſti 275. num. 28.*

Reſp. II. Cognatio *Legalis* gignit impedimentum Matrimonii, *cap. Unic. De cognat. Leg.* & quidem ſecundùm alios contra alios etiam *imperfecta*, adeóque ſecundùm omnes dirimit Matrimonium inter uxorem adoptantis, & adoptatum, intérque uxorem adoptati, & adoptantem, itémque inter adoptatum, & liberos legitimos adoptantis. At verò non dirimit inter filios adoptivos, & filias adoptivas, ut conſultus reſpondit Diana *Part. 4. Tract. 4. Reſol. 121.* contra alios, addens etiam contra 177

alios,

Digitized by Google

alios, non dirimere inter filium adoptatum, & ſpuriam adoptantis, ſicut & Hurtadus *loc. cit. diffic.* 3. cum Sanch. contra Navarr. Henriq. & alios aſſerit, impedimentum iſtud extendi ad illos ſolos deſcendentes adoptati, qui ſub poteſtate adoptati exiſtebant tempore adoptionis. His controverſiis componendis, aut dijudicandis non immoror, cùm adoptio ſit hiſce temporibus admodum rara, & in Caſu contingente poſſint dubia reſolvi lectione cujuſque Doctoris tractantis de impedimentis.

Multi quidem conſueverunt materiæ de cognatione immediatè ſubjungere tractationem de affinitate, ego tamen conſtitui cum P. Tannero, & aliis quibuſdam ſervare integrè ordinem, quem indicant verſus Hexametri deſcripti *num.* 13.

Ergo de affinitate agam *Caſ. XVI.* nunc autem placet, quæ dixi de cognatione *ſpirituali*, & *legali*, aliquantum illuſtrare relatione, explicationeque hujus

Caſûs, & reſponſi.

Eva peccavit cum ſuo compatre, qui ſuſceperat ejus filiam è Baptiſmo. Confeſſa inceſtum ſpiritualem, intelligit ex confeſſario, eſſe ſibi inpoſterum interdictam copulam conjugalem, niſi impetretur diſpenſatio, idcirco videlicet, quòd ille compater Evæ ſit etiam compater Mariti Evæ, & proinde ipſa per adulterinam, & inceſtuoſam copulam, cum ſuo compatre, contraxerit affinitatem cum proprio marito. Ego vero conſultus reſpondi, erraſſe confeſſarium, ſiquidem legi in Alphabetis R. V. quòd poſſit in Matrimonium habere puellam ille vir, cujus uxor defuncta puellam è ſacro fonte levavit. Quæro ex R. V. &c.

Ita ad me nonnemo. Cui reſpondi, utique fuiſſe lapſum errore humano (nec mirando in tam raro caſu) Confeſſarium, ſiquidem cognatio ſpiritualis, &, ſi ita loqui fas eſt, ſpiritualis affinitas non involvit niſi illos ex una parte, vel qui levaverunt, baptizaveruntve aliquem infantem, vel quorum ex altera parte infans eſt levatus, baptizatuſve, atqui adultera nec levavit, baptizavitve prolem ſui mariti, vel hic uxoris. Patent hæc ex dictis in hoc *Caſ. VIII.*

Unde etiam ſolvitur generalis quæſtio, quam idem D. Conſulens expreſſit his verbis: *An ſicenti per copulam carnalem contrahitur affinitas cum conſanguineis ipſius complicis, ita etiam per eandem copulam perfectam fiat affinis ſe commiſcens iis, qui complici non ſanguine, ſed ſpirituali, vel legali cognatione ſunt conjuncti?* Reſpondetur enim ad utrumque *negativè*, cùm erubeſcendum ſit loqui hîc ſine jure, jura autem nihil hîc ſtatuant novi. Videri poteſt inter cæteros P. Dicaſtillo *De Matrim. Diſput.* 7. *dub.* 24. & 83.

CRIMEN UXORICIDII QUANDO DIRIMAT MATRIMONIUM?

CASUS IX.

Sceleratus.

SUMMARIUM.

Caſus mariticidii ex animo vindictæ. 178.
Conditiones uxoricidii dirimentis Matrimonium. 180. *& ſeqq.*
Alius caſus mariticidii facti ad præveniendum periculum. 182.
Quid reſpondendum ad Caſum num. 178. *productum?* 183. *& ſeqq.*
Proponuntur ſummariè conditiones neceſſariæ ad inducendum impedimentum uxoricidii. 187.

Hortenſia juncta Matrimonio cum Petro, perpetravit adulterium cum Achille, 178 *qui gerebat inimicitias cum Petro, & Hortenſia quoque Petrum oderat, quod ab illo duriter haberetur. Ineunt conſilium, ut eum interficiant, quod & factum eſt, primariâ quidem intentione ulciſcendi, quia oderant, ſecundariâ contrahendi ſimul, ſaltem dubitant. Quæritur, an ortum ſit impedimentum dirimens, & quid faciendum, ſi contraxerunt?*

Hic ſceleratus, aut ſceleratorum Caſus pro- 179 poſitus fuit hiſce verbis P. Leonardo Leſſio, ut videre eſt *in Auctario ad* 1. 2. *verb. Matrimonium. Caſ.* 10. Quid reſponderit ad illum, & quid reſpondendum fuiſſe judicem, aperiam *num.* 183. ubi notavero, eſſe tria crimina, ob quæ Leges Canonicæ ſtatuerunt impedimentum dirimens, ſcilicet Uxoricidium, *cap. Super hoc. De eo, qui duxit*; Adulterium, de quo *Caſu X.* & Raptum, de quo *Caſ. XIX.*

Porrò ut uxoricidium inducat illud impe- 180 dimentum, debet inprimis eſſe vera occiſio uxoris propriæ, & non tantùm gravis mutilatio, etenim verba legum, præſertim pœnaliū, debent intelligi cum effectu. *cap. Relatum. De Cler. non reſidente.* Deinde debet intervenire alterutra harum circumſtantiarum, *Prima*, ut illi duo, quorum Matrimonium debet cum irritatione impedire ea interfectio, occidant uxorem (aut maritum, ut paulò pôſt dicam) ex communi conſilio, eâque intentione (ſignis externis manifeſtatâ. P. Perez *Diſp.* 33. *ſect.* 1. ex communi) ut illo, vel illâ peremptis contrahant inter ſe Matrimonium. Cenſentur autem necare communi conſilio, etiam quando vitam eripiunt auxilio ſicarii, ab iis conſtituti.

Altera circumſtantia eſt, ut, ſi unus inferat 181 necem ſine conſilio alterius, præcedat hanc interfectionem adulterium, niſi enim in tali

caſu

Digitized by Google

caſu præcedat adulterium, non orietur impedimentum, ut cum plurimis tenet Sanchez *De Matrim. Lib. 7. Diſp. 78. n. 9.* contra plurimos, quos ſequitur Perez *Diſp. 33. ſect. 1.* ſat bene probans ſuam ſententiam, & non eſſe opus, ut in tali caſu occiſionis ſit data fides de ducenda altera, aut nubendo alteri, deciditur expreſsè *in cap. Super hoc. De eo, qui duxit in Matrim.* Ex his petes reſolutionem inprimis ad hunc

Caſum Mariticidii.

182 *Jovius uxorem ſuam adulteram, & adulterum oderat, & per inſidias occidere parabat. Adulter, & adultera id ſcientes, abſque intentione contrahendi Matrimonium, illius mortem machinati ſunt, & ſecretò occiderunt. Poſtea Matrimonium contraxerunt in facie Eccleſiæ. Quæritur, an teneat?*

Ad hunc Caſum ſibi propoſitum reſpondit rectè Navarr. *Conſil. 1. De eo, qui duxit in Matrimonium.* Illud tenuiſſe, idcirco, quòd ex narratione facti clarum ſit, interfectionem illam nequaquam proveniſſe ex intentione contrahendi inter ſe poſt mortem occiſi. Supponit autem Navarrus, juráque ſtatuunt, impedimentum reſpectu mariti, occidentis cum illa intentione uxorem propriam, extendi debere ad uxorem, eâ intentione adferentem ſuo marito necem, ita enim traditur *cap. 1. De converſ. infid.* & quidem *directè* in *primo* caſu illius capituli, *indirectè* verò in *altero* caſu ejuſdem capit. Eam ipſam doctrinam ſupponit Leſſius ſuprà *num. 179.* atque cum Sanchez, multíſque aliis contra Ledeſmam, & alios defendit Dicaſtillo *De Matrim. Diſp. 7. dubit. 36. n. 604.* Omnes autem in hoc conveniunt, quòd prædictum crimen uxoricidii, aut mariticidii dirimat Matrimonium duntaxat inter illas duas perſonas, quæ machinatæ ſunt mortem, aut adulterium commiſerunt, licèt conſtet, uxoricidium etiam ſine intentione, aut pacto contrahendi cum alia, fuiſſe olim impedimentum impediens Matrimonium cum quacunque.

183 His præmiſſis, videndum eſt, quid Leſſius reſponderit ad illum Caſum *ſceleratum*, quidque nobis videatur reſpondendum. Et quidem reſpondit P. Leſſius, fuiſſe ortum impedimentum, *ſi ſaltem ſecundaria intentio* fuit contrahere, eò quòd jura non exprimant, intentionem contrahendi debere eſſe primariam. 2. Si dubitent, an habuerint illam intentionem *ſecundariam*, debere abſtinere Matrimonio, eò quòd contracturo debeat *moraliter* conſtare, non ſubeſſe impedimentum, alioquin exponeret ſe in periculum fornicationis. 3. Si contraxerunt dubitantes, an ſubeſſet impedimentum, debere abſtinere uſu conjugali tam reddendo, quàm petendo, niſi diſpenſetur cum iis. 4. Si verò contraxerunt nihil ſuſpicantes de impedimento, & poſtea dubitatio ſupervenerit, adhibitâ diligentiâ, ſi nihil poſſint *moralis* certitudinis aſſequi, probabiliter non indigere diſpenſatione.

Prima reſponſio mihi placet, tum ideo, quòd multi apud Sanchez *loc. cit. num. 13. abſolutè* negent, requiri ad hoc impedimentum inducendum intentionem contrahendi cum adultero, tum quia DD. quos ibidem plenâ manu refert Sanchez requirentes hanc intentionem, nunquam dicunt, debere eſſe primariam. 184

Secunda reſponſio etiam mihi probatur, non tam ob rationem Leſſii, (etenim in dubio eſt melior conditio poſſidentis libertatem, habentíſque pro ſe jus naturale) quàm ideo, quòd in dubio præſumat forum externum, eam adfuiſſe. Sanchez *loc. cit. n. 19.* atqui in foro interno ſtatur præſumptione externi, quando non conſtat de oppoſita veritate. 185

Tertia quoque & *quarta* reſponſio mihi probatur, addendo ad *quartam* cum ipſomet Leſſio, difficilè creditu eſſe, non habuiſſe eos intentionem contrahendi; ſi enim hanc non habuiſſent, ſumpſiſſent ultionem mitiore modo. 186

Claudo hanc materiam verbis, quibus P. Sanch. diſputationem illam ſeptuageſimam octavam: Tandem ut ſummatim complectamur conditiones, quas ad hoc impedimentum dirimens deſiderari diximus, ſunt eæ quinque. *Prima*, ut ſit machinatio mortis alterius conjugis ſive ab alterutro conjuge, ſive ab adultero facta, effectu mortis ſubſecuto, ſufficit tamen mandatum, vel conſilium, non autem machinatio ejus interfectionis. *Secunda*, ut machinatio veſtiatur fine ineundi Matrimonii inter ſuperſtitem adulterum conjugem, & adulteram, vel ſimul mortis machinatorem. *Tertia*, ut adſit adulterium, quando ſolus alter ex adulteris mortem machinatus eſt, vel ſi adulterium deſit, uterque illius machinationis reus ſit. *Quarta*, ut adulterium ſit utrique notum. *Quinta*, ut prius Matrimonium fuerit verum, etſi non conſummatum, divortiúmve celebratum ſit. Ita P. Sanchez. 187

CRIMEN ADULTERII QUANDO DIRIMAT MATRIMONIUM?

CASUS X.

Bene ſpecificatus.

SUMMARIUM.

Caſus adulterii dirimentis Matrimonium bene ſpecificatus. 188.
Quid ad illum Caſum reſponderit priùs Autor? 190.
Quid nunc reſpondeat? n, 203.

Conditiones neceſſariæ, ut adulterium dirimat connubium. 192. & ſeqq.

Caſus adulterii non bene reſolutus in aliqua Curia. 194.

Nihil intereſt, ſive ante, ſive poſt fidem datam patretur adulterium. 199.

Qui authores proponant hanc quæſtionem Utrùm ad incurrendum impedimentum ratione adulterii requiratur notitia hujus impedimenti? 201. & 202.

Aliqui eorum malè citati. Ibid. in Append.

Adulterium debet eſſe completum per immiſſionem ſeminis. 203.

Quì juvandus is, de quo eſt n. 188. actum? 204.

Caſus mulieris æquivocè reſpondentis adultero. 205.

Et adulteri etiam æquivocè reſpondentis adulteræ. 207.

Et alterius adulteræ priùs nuptæ bonâ fide, deinde malâ fide permanentis in putatitio Matrimonio. 209.

Diſſuadendum conjugibus, ne cuiquam promittant Matrimonium poſt mortem conjugis. 211.

188 *Kilianus, adhuc ſatis juvenis, deſpondetur invitus Luciæ jam vetulæ, tædio victus, desertâ Luciâ, bellum ſequitur, ubi captus amore Barbaræ virginis id agit, ut hanc ſequacem habeat, ac proinde utitur illâ integro Anno tanquam concubinâ, ignorante tamen, Kilianum eſſe alteri copulatum. Ubi verò caſu intellexit, eſſe illigatum alteri, perrexit nihilominus ei convivere, ut antea, ita tamen, ut Kilianus tunc promiſerit ipſi Matrimonium, poſt mortem ſuæ vetulæ, ſuſcepítque ex Barbara ſeptem liberos etiam num ſuperſtites. Pace Imperio redditâ Kilianus patriam unà cum Barbara, communibúſque liberis repetit, ibíque ſedem figit inter hæreticos. Verùm ſtimulis conſcientiæ non infrequenter agitatus, ante unum, atque alterum Annum adit Religioſum quendam, aperitque ipſi totum animæ ſtatum, at hic jubet illum abire à Barbara, redíréque ad Luciam, quod cùm difficile admodum ob ſuſceptos maximè liberos ex Barbara ipſi caderet, in antiquo hactenus remanſit ſtatu,*

189 *Nunc verò authenticum acquiſiit teſtimonium ſcriptum, & ſignatum ab Archigrammateo loci, in quo Lucia conſederat. Luciam ex vita exceſſiſſe. Quare lætus Kilianus Parochum, & Decanum cujuſdam urbis Conſtantienſis Diœceſis adiit, rogans, ut cum Barbara legitimè contrahere permittatur, ob ſeptenæ præſertim prolis bonum. Accedit, quòd Barbara diſpoſita jam ſit ad deſerendam hæreſin, ac patriam, & ſequendum Kilianum cum liberis in quemcunque locum Catholicum, ut hi liberi ſanctiùs educentur.*

D. Decanus reſpondit, ſe ſine conſenſu à D. Ordinario facere non poſſe, illo verò impetrato haud fore difficilem. At quæritur, an ſit neceſſarius conſenſus alicujus Superioris Eccleſiaſtici? Cenſeo enim ego ex Ra. Va. ſcriptis, impedimentum dirimens non eſſe. Accedit, quòd neuter illorum impedimenti illius ullam habuerint notitiam, qui ſibi planè perſuaſerant, poſt Luciæ obitum juſtiſſimum inter ſe dari poſſe Matrimonium. Atqui juxta ſcripta mea Caſiſtica dictata à N. N. Diſp. 2. De Leg. ſect. 1. §. *Annullatio, ſeu inhabilitas, quæ ex adulterio, cum promiſſione Matrimonii poſt uxoris obitum oritur, præcipitur non ut forma, ſed ut pœna, ſeu in pœnam delicti, quæ non niſi à ſciente illam incurritur ex Palao &c.*

Habeo adhuc penes me Chirographum viri 190
Religioſi, qui ſuo, ſuíque Superioris nomine requiſivit Anno N. meum, & quidem binis literis (nam in primis non expreſſerat unam, alterámve conditionem multùm facientem ad rem) judicium de hoc Caſu propoſito verbis huc tranſlatis. Reſpondi autem inprimis, ignorari à me locum, aut occaſionem, qua *directè*, vel *indirectè* docuerim, non oriri impedimentum in Caſu huic ſimili: nec enim huc applicari poteſt mea, & aliorum ſententia, de cenſuris ſolitis non incurri ab ignorantibus illas, etenim contumacia, quam requirunt cenſuræ, non reperitur in ignorante. Addidi eſſe à me lectos plurimos, explicantes hoc impedimentum, at non meminiſſe ullius, qui in ejus explicatione ad incurſionem illius requirat ſcientiam impedimenti, & verò id ſtatui non *præciſè*, aut *primariò* ut pœnam (etſi videtur diſſentire Dicaſtillo *De Matrim. Diſp. 7. dub. 57. n. 633.*) ſed ne detur occaſio captandi necem ſuperſtitis conjugis, aut conjugum, nec reperiri à me quidquam pro illa opinione in Caſtro Palao, igitur eſſe Kilianum, & Barbaram impeditos, ſi ipſis nihil aliud, quàm ignorantia impedimenti patrocinetur, ſicuti ſecundùm aliquos patrocinatur defectus mutuæ repromiſſionis, atque juramenti, quorum tamen opinionem vix ſecuturus videatur Judex Eccleſiaſticus. Hæc & alia tunc breviter reſcripſi ad illum particularem Caſum, reſcripti veritas magis firmabitur enucleatâ, ſimul ac brevi relatione eorum, quæ Jura, & DD. tradunt ad titulum præſentis Caſûs, quomodo ſcilicet adulterium, quatenus ſeparatum ab uxoricidio, dirimat Matrimonium. Præcipuas ex adferendis doctrinas confirmat irrefragabilis reſolutio hujus

Caſûs

Digitized by Google

Caſûs Antiqui.

191 *PRopoſitum eſt nobis, quòd vir quidam uxorem habens, ſibi aliam, hujuſmodi rei inſciam, copulaverit: ſed primâ mortuâ diſcedere nititur à ſecunda. Sed licèt in Canonibus habeatur, ut nullus copulet Matrimonio, quam priùs polluerat adulterio, & illam maximè, cui fidem dederat, uxore ſuâ vivente, vel quæ machinata ſit in mortem uxoris, quia tamen præfata mulier erat inſcia, quòd ille aliam haberet uxorem viventem, nec dignum eſt, ut prædictus vir, qui ſcienter contra Canones venerat, lucrum de ſuo dolo reportet, conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quòd, niſi mulier divortium petat, ad petitionem viri non ſunt aliquatenus ſeparandi.*

Hactenus authenticum reſcriptum Alexandri III. *Cap. 1. De eo, qui duxit*, qui Pontifex præfuit Eccleſiæ Anno 1160. adeóque Caſum præſentem nuncupamus meritò *Antiquum*, elucidantes illum, atque alios huc ſpectantes ſequentibus §. §.

192 I. Adulterium ut ſine uxoricidio dirimat Matrimonium, debet ei addi contractus de præſenti (invalidus utique) cum adultera, vel promiſſio in futurum poſt mortem propriæ uxoris, ſi adulter ſit conjugio illigatus, vel proprii mariti, ſi adultera ſit juncta Matrimonio. Conſtat ex toto *tit. De eo, qui duxit*, omnibúſque DD.

193 II. Debet quoque eſſe *formale* adulterium, id eſt, utraque pars (ſaltem ſi tantùm adultera ſit juncta Matrimonio) ſcire, committi à ſe adulterium, adeóque alterutram eſſe junctam vero Matrimonio. Patet apertè ex reſolutione Pontificia Caſûs præſentis, ex qua etiam ſit manifeſtum, adulterum, qui fingens ſe cœlibem corrupit aliquam virginem, cum promiſſione Matrimonii, teneri hanc volentem ducere poſt mortem ſuæ uxoris. Si verò utraque pars ſit copulata conjugio, negat apertè Hurtadus *Diſp. 23. diff. 2.* neceſſe eſſe, ut pars una ſciat, alteram eſſe etiam conjugatam, eò quòd nihilominus patret verum, & *formale* adulterium. Sed oppoſita ſententia Sanch. *Lib. 7. Diſp. 29.* atque aliorum apud ipſum eſt communior.

194 Illud autem eſt difficilius, quid ſit reſpondendum ad ſequentem Caſum

Appendicis difficilis.

CAjus duxit Annam, neſcio quibus argumentis probantem, bonâque fide credentem, maritum è vivis eſſe ſublatum, qui tamen paulò poſt haſce ſecundas ſimul, & infauſtas nuptias Annæ vivus comparuit, at uxoriæ credulitatis, novique conjugis indignatione permotus petiit bellum adverſùs Turcam Anno 1664. *Pannoniam vaſtantem, ínque eo occubuit, mortem ejus teſtantibus quinque oculatis teſtibus. Quare Cajus adjecit rurſum animum ad Annam, à qua fecerat, ut par erat, divortium poſt reditum Titii. Et verò loci Ordinarius non modò interdixit ipſi hoc Matrimonio, ſed omni planè alio, eandémque tulit ſententiam in Annam. Cùm ergo alteruter horum verſetur in magno incontinentiæ periculo, quæritur, an teneatur ſtare ſententiâ Ordinarii?*

Reſpondi literis interrogatus, inprimis certò valiturum Matrimonium, ſeu cum hiſce duobus inter ſe, ſeu cum alio tertio initum, ſi nihil aliud obſit, quàm ſententia Ordinarii data ex conſideratione eorum duntaxat, quæ in hac ſpecie proponuntur, & quorum unum propriè ſpectat ad hunc locum. Licèt quippe Cajus, & Anna inter ſe contraxerint per verba de præſenti, vivente adhuc legitimo Annæ marito, atque inſuper commiſerint adulterium, convivendò inſtar conjugum, quia tamen in narratione ſupponitur id factum bonâ fide, ideo adulterium non fuit *formale*, ſed tantùm *materiale*, ergo non fuit incurſum impedimentum, de quo nunc tractamus, ut liquet ex paulò antè dictis, atque ex toto *tit. De eo, qui duxit.* Deinde etiam explorati juris eſt; non fuiſſe ex eo Matrimonio, uſúve conjugali exortum impedimentum reſpectu tertiæ perſonæ, quandoquidem iſte caſus nec *directè*, nec *indirectè* pertinet ad ullum è quatuordecim dirimentibus recenſitis *Caſ. 1. num. 13.* imò nec ad ullum è duodecim impedientibus expreſſis *num. 7.* adeóque nec ad octavum, qui eſt raptus ſponſatæ, hic enim non interceſſit ullus raptus. Ad hæc etiam in confeſſo eſt, judicem non potuiſſe ſuâ ſententiâ inducere impedimentum dirimens, ſed nec videtur fingi poſſe cauſa, ob quam interdixerit utrique omni Matrimonio, quamvis potuerit adeſſe juſta ratio, ob quam ſeriò vetuerit, ne inter ſe copularentur, fortè enim habuit juſtas cauſas credendi, prius illud Matrimonium fuiſſe cum nimia imprudentia, adeóque malâ fide initum: nihilominus tamen potuerunt Cajus, & Anna provocare ad Metropolitanum: vel ad Nuntium Apoſtolicum; hi enim duo concurrunt in Appellationibus *cap. 1. De off. Legat.* P.P. Laymann. & Streinius *in hoc capit.* poſt Abbatem, aut, ſi nequeunt, poterunt quidem *validè* contrahere inter ſe, ſi erant revera innocentes; & multò magis cum alio tertio, an autem *licitè*, dijudicandum erat, collatis inter ſe incommodis, quæ abſtinentiam à Matrimonio, ſcandalis, quæ ipſum Matrimonium erant comitatura.

III. Si fides Matrimonii data fuit ſub priore 195
conjugio, at verò adulterium commiſſum ſub poſteriore, aut ſi adulterium commiſſum eſt

ſub priore conjugio, promiſſio autem ſub poſteriore, non adeſt impedimentum dirimens. P. Sanchez *loc. cit.* ex communi, ſicut nec eſt dirimens, ſi promiſſio Matrimonii fuit revocata ante adulterium, eſt autem dirimens, ſi fuit revocata ante mortem mariti, at non ante adulterium. Sanch. *Ibid. num. 7.* Bonac. *De Matrim. quæſt. 3. punct. 6.* alii paſſim.

196 IV. Illa promiſſio debet eſſe facta animo ſerio, juxta Henriq. Bonac. Dianam, Laymannum, alios apud Eſcobar *in Theolog. Moral. Lib. 27. ſect. 2. dub 49.* at ſufficit juxta Sanch. *n 10.* Perez, Dicaſtillo, Gutierez, alios, quos refert, ſequitúrque idem Eſcobar, ſi fiat ficto, modò altera pars non animadvertat fictionem, etenim poteſt ex fictione æquè timeri vitæ innocentis conjugis, quàm ex ſeria promiſſione.

197 V. Secundùm Sanch. *cit. Diſp. 79.* & alios communius contra Henriq. Bellarm. alios apud Eſcobar *loc. cit.* ſi una pars adulterantium acceptet promiſſionem factam ab altera, eſto non repromittat viciſſim, exurgit nihilominus inhabilitas, ita quippe videtur clarè tradi in noſtro Caſu Antiquo, ſicuti etiam ſecundùm pleroſque contra Tabienam, Veracrucium apud Sanchez, & Eſcobar *dub. 5.* alios, ſufficit promiſſio ſimplex, eſto non firmetur juramento. Certè Alex. III. ut vidimus ſuprà, non exigit niſi *fidem datam*, debere autem eſſe expreſſè acceptatam ab altera parte, ſcribit Wangnereck *in cit. cap. fin. De eo, qui dux.* & Barboſa *ibid.*

198 VI Debet ea promiſſio eſſe *abſoluta*, vel, ſi eſt *hypothetica*, debet conditio purificari ante mortem conjugis. Coninck, Laymannus, Perez, *Diſp. 33. ſect. 4.* alii contra Sanchez, & alios, utique non intelligendi de promiſſione facta ſub conditione: *Si adulteri ſint ſuperſtites ſuis conſortibus tori*, hujus enim conditionis appoſitio vel maxime invalidat Matrimonium.

199 VII. Naſcitur hoc impedimentum, ſive adulterium ſit commiſſum ante fidem datam, ſive poſt Sanch. *loc. cit* ex communi. Unde deduces, oriri hoc impedimentum, licèt adulter non dicat adulteræ: *Promitto, me ducturum te poſt obitum meæ uxoris, ſi mihi feceris poteſtatem tui corporis*, nec enim aut Canones deſcripti ſub titulo *De eo, qui duxit*, nec DD. à me lecti indicant exigentiam ejuſmodi expreſſionis, ſed ſupponunt, exiſtere impedimentum, modò patretur adulterium, ac fiat poſt, vel ante illud promiſſio Matrimonii, ſicut è diverſo emanebit impedimentum, ſi ante, vel poſt adulterium dicat adulter: *Spondeo me ubi fuero liber à me Canidia, vel Xantippe, nullam ducturum, niſi te.*

200 VIII. Si unus adulterorum etiam per craſſam negligentiam ignoret, adhuc vivere conjugem alterius, non incurret impedimentum. Sanch. Perez, Laymann. Coninck, alii, etenim Canones exigunt ſcientiam.

IX. Nullus planè ex Scriptoribus, quos 201
habebam tunc, cùm reſolvendus mihi fuit Caſus *num. 188.* deſcriptus, aut quærit in ſpecie, utrùm ad incurrendum impedimentum, ratione adulterii, exigatur ſcientia hujus impedimenti, aut aſſerit requiri, quamvis non poſtulari hanc cognitionem, certò teneant illi, quos *Caſ. 1. num. 67.* retuli inficiantes, ad ullius impedimenti reatum contrahendum neceſſariam eſſe notitiam inhabilitatis ſtatutæ. At verò poſt primam evulgationem hujus Alphabeti nactus ſum etiam tres poſteriores partes, cùm non deeſſent priores, Antonini Dianæ, qui *in Decimâ Tractatu 13. Reſ. 51.* unus è meis unicus proponit hanc quæſtionem: *An ſi quis adulteravit cum conjugata, cum promiſſione ſumendi illam in uxorem, marito mortuo, poſſit abſque diſpenſatione Pontificis Matrimonium illud inire, ſi, dum commiſit adulterium, neſciebat, impedimentum dirimens ex illo provenire?* Huic quæſtioni ſubdit Diana hanc reſolutionem: *Affirmativam ſententiam docet Baucius in miſcellan. Caſuum conſcientiæ Tom. 2. opuſc. 1. quæſt. 176. ubi ſic ait* &c. At miror, cur Diana tam intrepidè affirmet, ſententiam *affirmativam* doceri à Baucio, cùm Baucius nihil prorſus aliud agat, quàm quòd & proponat illud dubium, quod Diana, & neget reperiri à ſe reſolutionem vel in Sanchez, vel in Dianâ, ac proinde addat, exiſtimare ſe, fore *operæ pretium typis mandare doctrinam Paludani à mentibus fidelium abolitam*, quam ubi retulit dicens, exigi ab ipſo, ut pars utraque nôrit impedimentum, atque adjiciens, à Fernandez ultra Paludanum citari pro neceſſitate ejuſdem notitiæ Majorem, & ab eodem aſſeri, Majoris opinionem eſſe communiorem, plus pro ſententia hac non adjicit, niſi hoc: *Ratio poteſt eſſe, quia hujuſmodi impedimentum eſt impoſitum in pœnam delicti, ſed pœnas ait* Sanchez *in Summa* Lib. 4. cap. 22. num. 18. *non incurri ab ignorante illas invincibiliter, & dicit, hanc eſſe probabiliorem opinionem.* Ergo. Poſt hoc *Ergo* ſubdit Diana. Hucuſque Baucius.

Sed ſi ita ſcribere, ut ſcripſit Baucius, eſt 202
affirmativam ſententiam docere, tum Diana ſexcentas ſententias docuit, ſexcentas negavit, quas tamen à ſe doctas, negatas inficiaretur, ſi viveret. Credo ergo Baucio affirmanti, Paludanum fuiſſe illius opinionis, pro qua allegatur, ſicuti, & Majorem, at nego, aut Baucium id docuiſſe, aut Paludani ſententiam eſſe communiorem. Quomodo enim poſſit eſſe communior? cùm & nullus, præter hîc nominatos, tangat in ſpecie quæſtionem hanc: *Utrùm impedimenta Matrimonii pœnam adjunctam habentia contrahantur ab ignaris impedimenti?* & P. Martinus Perez, ac Tannerus relati *Caſu 1. num. 67.* pronuntient, eſſe commùnem, & certam doctrinam, quòd ad impedimenta non requiratur ſcientia, nec excuſet ignorantia *Juris*, aut *Facti*. Autoritas Patris Sanchezii, indi-

Digitized by Google

indicata à Baucio, nihil facit ad rem, quandoquidem loco allegato non agit de pœna ſuperaddita actui invaliditatem cauſanti. Unde ipſemet Sanchez *Lib. 9. De Matrim. Diſp. 32.* ad quem locum ſe refert ipſe *cit. cap. 22.* Libri quarti Summæ, ſolùm agit de privatione debiti conjugalis ob inceſtum commiſſum cum conſanguinea uxoris, at *Lib. 3. De Matr. Diſp. 17. n. 10.* agens de clandeſtino Matrimonio, & non negans, inhabilitatem ei annexam eſſe pœnam, addit tamen, eſſe pœnam ſolùm extrinſecam, non autem intrinſecam, & proinde nihil officere vi dirimendi Matrimonii, nec ullo modo dubito, quin ita habeat praxis omnium tribunalium, præſertim Romani. Quia tamen neque Diana, neque Baucius ullâ prorſus notâ afficiunt ſententiam Paludani, etſi requirentis ſcientiam utriuſque adulteri, & inſuper Doctores, quos nominavi *Caſ. 1. n. 67.* indefinitè ajunt, aliquos negare incurſum inhabilitatis reſpectu ignorantium, & tamen ne quidem improbabilitatis cenſurâ afficiunt hanc negationem, idcirco non vererer quandoque illos, qui bonâ fide contraxerunt conſtricti impedimento criminis, relinquere in bona fide.

APPENDIX. I. NECESSARIA.

a ITa eſt: veritus non fuiſſem agere id, quod *primâ* editione hujus Voluminis, ſeu *alterâ* præſentis Alphabeti ſcripſi in fine hujus *num. 202.* At nunc vereor, eò quòd poſtmodum, quando videlicet moliebar tertiam, ſeu Venetam excuſionem, compererim, neque Paludanum, neque Majorem, Doctores maximos, tradidiſſe eam doctrinam, pro qua rectè allegari à Baucio credidi deſtitutus libris utriuſque hujus Auctoris, ſiquidem, ut vir graviſſimus P. Franciſcus Le Roy, teſtatur literis ad me Româ datis 28. Febr. Anno 1671. Paludanus *in 4. d. 34. quæſt. 1. art. 3. concluſ. 2.* cùm in principio dixiſſet: *Tria ſunt* (crimina) *quæ dirimunt Matrimonium poſt contractum. Primus caſus eſt, cùm uxor machinatur in mortem viri, ut poſtea contrahat cum adultero, vel è converſo. Ad quod tria requiruntur &c. Secundus caſus eſt, ſi præſtet fidem adultera de contrahendo cum ea, vel è converſo. Tertius, quando cum adultera contrahit de facto.*

His, inquam, præmiſſis ſubdit: *Item requiritur, in his duobus caſibus, quòd uterque ſciret impedimentum.* De conceſſ. præb. cap. 1. *nam altero ignorante non dirimit*, ut extra c. 1. Propoſitum, & cap. Veniens. ſuppl. De eo, qui duxit &c. ut *in textu ſuprà, extra, De ſponſalibus. Cùm in Apoſtolica.* Hæc Paludanus atteſtante illo, de quo paulò ante, P. Theologo, jam celebrato editione *Tom. 1. Exercitationum Theologicarum adverſus hæreſes ævi præſentis.*

b Circa cujus mentem exiſtimo, quemadmodum, & ille libris pereruditis, pérque piis celebratus Doctor, verba illa: *Quòd uterque* ſciret (ſeu ſciat) *impedimentum*, non facere illum ſenſum, quem proponit Baucius, quaſi ea loquantur de ſcientia quadam reflexa, qua uterque *formaliter* cognoſcat crimen, quod committunt, eſſe impedimentum dirimens, ſive, ut loquitur Baucius, ex hoc crimine non poſſe ſequi Matrimonium abſque diſpenſatione Pontificis: ſed intelligenda de directa ſolùm cognitione ipſius criminis, cui reipſa annexa eſt dicta ad contrahendum inhabilitas, ſive ut ſciant, à ſe patrari *formaliter* adulterium, quod crimen additâ promiſſione Matrimonii eſt reipſa impedimentum dirimens, eſto ignoretur ſecuturum.

Ad quem ſenſum ex ſe ſatis obvium ratione ſubjectæ materiæ lectori attento efficaciùs perſuadendum iſta inſuper adduci poſſunt. c

Primum, quòd Canones, quos pro ſe allegat doctiſſimus Paludanus, probent id ſolum, quod dixi de neceſſaria notitia *formalis* adulterii, non autem impedimenti ſupponentis adulterium. Atqui allegans legem intelligi debet ſecundùm legem, quam allegat. Coccinus relatus ſuprà *Tract. 8. num. 111.* poſt Bart.

Secundum, quòd idem *§. 2. dubium* ſcribat, mulierem, quæ inſcia cum viro conjugato contraxit, ſi, poſtquam ſcivit, illum aliam uxorem habere, eidem ſcienter cohabitaverit, non poſſit poſtea priore uxore mortuâ illum maritum habere ubi nec verbulo requirit hic autor ſcientiam *formalis* impedimenti, ſicut nec requirunt Sotus *in 4. diſt. 27. n. 4. §. Tertium verò.* Silveſt. *verb. Matrimonium quæſt. 9. §. Quartum*, Tabiena *eodem verb. 7. §. 2. & 3.* manifeſtè uſurpans ſcientiam impedimenti pro ſcientia adulterii.

Ex quibus apparet, Baucium reſpexiſſe ad pauca, dum verba illa Paludani intellexit de ſcientia, qua utraque pars adulterans novit, ex adulterio naſci impedimentum dirimens.

Addit ille Doctor, de quo initio hujus Appendicis, eſſe mirum, quòd Major referatur pro ſententia falſò attributa Paludano, cùm, ubi citatur, ne quidem uſurpet vocem impedimenti, (in qua voce poteſt latere æquivocatio, ſed præciſè dicat (pro quo ſolùm citatur à Sanch.) *Si aliquis contrahat cum aliqua, vivente propriâ uxore, ſi hoc ipſâ ſciente, vel ei reddat debitum, conſentiendo, cùm vir ſciverit, mortuâ propriâ uxore non poteſt illam habere uxorem*, ubi apparet, à Majore nihil planè dici de ſcientia impedimenti *formalis*. d

Ad Fernandez quod attinet, ejus unius autoritas non eſt ſufficiens gignendæ probabilitati ſententiæ in re tanti momenti, adverſantique receptiſſimæ perſuaſioni, à qua tamen communi perſuaſione fortè non diſſenſit reipſa, ſed dum ſcripſit, *requiri formale adulterium, & ſcientiam talis impedimenti ad Matrimonium*, accepit copulativam particulam: *Et exegeticè*, & declarativè, pro particula *ſeu*, ſicuti non- e

nunquam accipi, notat cæteros inter Barboſa *Dict. 110. n. 26.* Sanè ſi Fernandez fuit eâ dictione uſus in ſenſu vulgari, malè allegavit pro ſe non modò Paludanum, ſed & Majorem, ut vidimus ſuprà, ſed vel maximè communem ſententiam, cùm ſit certum, ſententiam contrariam illi, pro qua Diana attulit Baucium, eſſe communiſſimam, nec reperiatur autor, qui eam clarè neget.

Hiſce addo, fuiſſe me, multum jam promotâ *tertiâ* impreſſione, literis conſultum an impedimentum criminis incurrerit Cajus hæreticus, qui ob adulterium diſſoluto (ut ſolent heterodoxi) ſolenniter Matrimonio, fornicatus erat (adjunctâ promiſſione tum conjugii, tum deſerendæ ſectæ Lutheranæ) cum Bertha Catholica, gnara dictæ diſſolutionis, & idcirco ratâ, ſuum peccatum carere adulterii labe, cùm tamen DD. indicati ſuprà *num. 193.* exigant adulterium *formale*, adeóque, ſcientiam injuſtitiæ. Quid fuerit à me reſpondendum, conſiderato etiam bono duplicis prolis jam ſuſceptæ ex ea fornicatione, judicabit prudens Lector.

203 X. Adulterium debet eſſe completum per immiſſionem ſeminis in vas muliebre, adeóque nec tactus, quantumvis turpiſſimi, ſufficiunt ad inducendam hanc inhabilitatem, ſicut nec copula imperfecta, ut notant cum Sanchez plerique alii; adeò ut etiam probabile ſit, ad gignendum hoc impedimentum exigi ſeminationem ipſiuſmet fœminæ, cùm illa ſecundùm permultos requiratur ad affinitatis impedimentum contrahendum.

204 Ex his deduces, futurum fuiſſe, ut Kilianus noſter extinctâ ſuâ uxore Luciâ, *licitè* duxiſſet Barbaram concubinam, ſi hæc toto concubinatûs tempore perſtitiſſet ignara, Kilianum eſſe Matrimonii nexu illigatum, ſicuti arbitrabatur primo Anno. At verò quia altero Anno cognovit ſe deceptam, & tamen perrexit in illo ſtatu peccaminoſo, firmato promiſſione Matrimonii poſt exequias uxoris, non potuit ullâ probabili ratione defendi, eſſe ipſi fas, inire Matrimonium cum Kiliano, niſi ſequi voluiſſet alterutram ex duabus ſententiis ſuprà relatis, *primam* de neceſſitate repromiſſionis mutuæ, ſi fortè ſolùm acceptârat Barbara promiſſionem factam à Kiliano, & non viciſſim repromiſerat, *alteram* de neceſſitate juramenti confirmatorii promiſſionis, quarum alterutrius doctrinæ ſi memor Confeſſarius dixiſſet, poſſe ſine ſcrupulo manere in illo Matrimonio, tanquam legitimo, rectè feciſſet, ſi enim unquam licet ſequi ſententiam probabilem, licet in circumſtantiis, quas exprimunt literæ deſcriptæ ſuprà *cit. num. 188.* At quia res jam deducta erat ad forum *externum*, oportebat exſpectare ſententiam judicis, quæ exſpectatio non impediebat, quò minùs *licitè* (ex ſuppoſitione vera alterutrius duarum indicatarum doctrinarum) peterent, redderéntque debitum, interim caventes ratione cohabitationis ſcandalum.

Ex his quoque petes reſolutionem ad tres ſequentes Caſus. 205

I. Grimaldus, patrans adulterium cum Ottilia conjugata, promittit ei Matrimonium poſt mortem mariti, ſi ea velit acceptare promiſſionem. Reſpondet ea: Faciam tunc, quod Deo placuerit. An, mortuo marito, nubet licitè Grimaldo?

Reſpondi olim, & nunc quoque reſpondeo, *licitè*, & *validè*, non tantùm quia abfuit repromiſſio, ſed quia etiam acceptatio defuiſſe videtur.

II. Quidam, qui rem habuit cum conjugata, cùm illa peteret, ut ipſam vellet ducere dicens, poſſe fieri, quia vir abſens fuiſſet per ſeptem Annos, reſpondit, ſe id facturum, ſi illa probaret, poſſe fieri, ut dicebat. Poſtea viro mortuo duxit illam, dubitatur, an ſit Matrimonium validum, quia non promiſit formaliter, ſicut Doctores requirunt, quòd ducere illam poſt mortem viri, ſed quòd duceret, ſi oſtenderetur, quòd poſſet, eo vivente. Quòd autem ſit invalidum, videtur, quia eſt promiſſio adulteri de ducenda adultera. 206

Sic proponit Caſum hunc Navarr. *Conſil. 2. De eo, qui duxit*, atque conſultus reſpondet, vero propius videri, ortum fuiſſe hoc caſu impedimentum impediens, & dirimens, tum quia intervenit promiſſio conditionalis, quæ licèt non habeat effectum obligandi ante conditionem impletam, habet tamen effectum ad hoc, ut verè poſſit dici, eſſe datam fidem, quæ data fides cum adulterio ſufficit, tum quia non requiritur valor promiſſionis ad hoc, ut ex illa, & ex adulterio oriatur impedimentum, tum quia in matrimonialibus, conditio impoſſibilis adjecta, habetur pro non adjecta, niſi repugnet ſubſtantiæ Matrimonii. Hæc & plura Navarrus, cui non aſſentior, generatim dicenti, ſufficere conditionis adjectionem, eſto ea non impleatur, modò ſuperveniat adulterium, etenim promiſſio conditionalis nequit ante impletam conditionem abſolutè vocari promiſſio, nec dat occaſionem machinandi mortem, ut rectè ponderat Perez *Diſp. 33. ſect. 4.* poſt Coninck *Diſp. 31. num. 9.* & Hurtadum *Diſp. 23. diffic. 2.* 207 208

III. Antonius, vivente priore uxore, motus rumore mortis ejus, qua degebat longè diſtans ab eo, contraxit cum Bertha, ignorante Antonium habuiſſe uxorem, de cujus morte nil certi conſtaret, quæ tamen Bertha, etiam poſtquam deinde cognovit vivere uxorem Antonii, perrexit facere Antonio poteſtatem ſui corporis. Nunc verò, ſepultâ illâ priore ſuâ uxore, & ſuperſtite ſecundâ, quærit Antonius, quid ſibi faciendum ſit? 209

Quæſivit, inquam, ex Navarro ſic teſtante *loc. cit. Conſil. 3.* atque ſapienter reſpondente 1. Non poſſe illos convivere, niſi eliciant novum conſenſum, quandoquidem Matrimonium non valuit, vivente primâ uxore. 2. Licèt novum conſenſum eliciant, attamen fore irri- 210

tum,

tum, niſi accedat diſpenſatio Pontificia, quandoquidem Bertha perrexit adhærere carnaliter Antonio, etiam poſtquam cognovit, hunc habere uxorem viventem. 3. Antonium teneri ducere Bertham volentem, eò quòd ab initio illam decepit, utique non contracturam, ſi cognoviſſet, eſſe incertum, an viveret prior uxor. 4. Illam renovationem conſenſûs debere fieri coram Parocho, & teſtibus, eſto jam præceſſerit in facie Eccleſiæ Matrimonium invalidum. *Tria prima* reſponſa probantur mihi, *per ſe loquendo*. De *quarto* videbimus *part. 2. hujus Alphab. Caſ. XI.*

211 His omnibus ſubdo, licèt, ſpectato jure naturæ, non peccent, qui promittunt virginibus, aut alienis conjugibus, ſe eas ducturos poſt obitum ſuarummet uxorum, attamen eos graviter delinquere, dicitur expreſſè *in cap. fin. De eo, qui duxit.* Ubi etiam præcipitur, injungi ipſis pœnitentiam. Certè tales promiſſiones ſolent eſſe incitamenta multorum malorum.

A P P E N D I X. II.

a OB quem textum, rationémque annexam, dedi 24 Junii Anno 1674. ad hujus farinæ Caſum hanc fortè

Inexſpectatam Reſolutionem.

b Videlicet minimè decere, ut Judex Eccleſiaſticus permitteret copulari viduum cum innupta, cui dederat, vivente uxore, fidem Matrimonii, ſi uterque ſuperſtes eſſet conjugi jam vetulæ. Ita verò reſolvi propter tres cauſas. 1. Quòd ex actu legibus damnato (ſicut in allegato *cap.* damnantur talia ſponſalia) nulla exurgat obligatio *L. Cùm lex. ff. De fidejuſſ.* ſi nulla, ergo judex neutri parti facit injuriam negando aſſiſtentiam, ſiquidem negandi juſtam habet cauſam, ut videlicet hâc ratione absterreantur tam cœlibes, quàm conjugati à tam ſuſpectis, periculoſis pollicitationibus.
c Equidem Barboſa *in cit. cap. fin.* talem promiſſionem appellat *impedimentum* Matrimonii, ſi eſt impedimentum, cur diſpenſetur cum periculo boni publici? 2. Quòd judicio multorum eſſet naſciturum magnum ſcandalum, ſi copularentur, ideo autem oriturum, quòd ſit vehemens ſuſpicio patrati, conſtante Matrimonio, adulterii ab his ſponſis, adeóque contracti impedimenti dirimentis. Sicut ergo judex Eccleſiaſticus tenetur obviare injuriis *cap. Nonnulli. 28. De Reſcr.*). & ſcandalis. *Matth. 26. verſ. 33.* quemadmodum enim SS. Canones non tantùm ad forum *externum*, ſed *principaliter* ad *internum* diriguntur *cap. Novit ille. De judic.* ita & judex Eccleſiaſticus quoad fieri valet, debet habere rationem fori *interni*, & con-
d ſcientiæ. 3. Quòd quædam alia etiam ſoluta, ſed jam imprægnata depoſceret, illum viduum in maritum, allegans & eum eſſe patrem prolis utero clauſæ, & dediſſe ſibi fidem Matrimonii, ſátque bonis rationibus probans utrumque contra negantem etiam utrumque; videbatur ergo propter bonum prolis, & rationes productas ab impraegnata adigendus ad ducendam ſecundam.

Nec eum juvabat, quòd tam ipſe, quàm prior ſponſa aſſeverent, promiſſionem mutuam factam illicitè ante fata uxoris, fuiſſe confirmatam quindecim diebus pòſt; cùm enim id aſſeverent ſine teſte, & in præjudicium impræġnatæ, atque ſint apud multos tam denigrati in ſuo bono nomine, valdéque affectent conjugium, meritò fuit negata (non obſtante eo, quòd tradam *Tr. ſeq. n. 90. §. 2.*) ipſis plena fides, ortáque vehemens de colluſione ſuſpicio *cap. Super eo. De eo, qui cognov* Adde, quòd hæc poſterior promiſſio non potuerit tollere jam incurſum priùs impedimentum; quia & factum contra jus, pro non facto habetur *Reg. 64. in 6.* & factum infectum fieri nequit. *L. Verum. 31.* & ibi *Dec. num. 1. ff. eod.* e

CULTUS DISPARITAS QUANDO DIRIMAT MATRIMONIUM.

C A S U S XI.

Planè Novus.

S U M M A R I U M.

Caſus Catholicæ mulieris nuptæ hæretico, à quo deinde repudiata ob adulterium voluit alteri nubere. 212.

Ludoviſia, virgo Catholica, nupſit Iſaaco juveni infecto hæreſi Calvinianâ, è quo poſtquam evaſit mater, lapſa fuit in adulterium, ac proinde conſentaneè inſtitutis Calviniſtarum ita integre repudiata ab Iſaaco, ut ipſe mox alteram viventi Ludoviſiæ ſuperinduxerit. Quæ Ludoviſia cùm reperiſſet Catholicum, qui ipſam ſibi vellet copulare Matrimonio, ſi fieri poſſet cum bono Deo, orta fuit quæſtio, an Leges Chriſti, & Eccleſia permittant in ejuſmodi Caſu tranſitum ad ſecunda Vota? Ratio dubitandi erat duplex. Prima, *quòd prius Matrimonium fuerit omnino invalidum, eò quod Ludoviſia habuerit intentionem nubendi more Catholico, Iſaacus verò contrahendi more Calviniano qui duo mores, ſeu conſuetudines toto cælo differunt; nam Catholici conſentiunt in Matrimonium, tanquam in Sacramentum, & ſic promerentur cælum; Calviniſtæ tanquam in contractum merè civilem, & ſic faciunt ſe reos gehennæ, ergo propriè toto cælo differunt illæ conſuetudines.*

dines. Altera *ratio petebatur ex præcedente*, *quòd ſcilicet Matrimonia Calviniſtarum ſint diſſolubilia, etiam quoad vinculum, quandoquidem ſunt contractus merè civiles, valeátque hæc ratio, etiam quando altera contrahentium pars eſt Catholica; ſiquidem Matrimonii contractus æquè parum, atque alii, claudicare poteſt.*

213 Quæſitum fuit ex me Annis ante *Primam* impreſſionem hujus libelli, quatuor, quinque, & ſeptem, ac nominatim 14. Septembr. Ann. 1659. à viro primæ authoritatis coram, atque à duobus Theologiæ Profeſſoribus binis literis, item hoc ipſo Anno 1669. ab uno alio, quid ſentirem de hoc, & ſimilibus Caſibus, eorúmque rationibus. Quid verò ſeu tunc reſponderim, ſeu nunc reſpondendum cenſeam, cognoſcet *num 241.* Lector, non utique miraturus, quòd hunc Caſum appellem *Planè Novum*, nec enim reperio quenquam, (excipe P. Bonagratiam, de quo *Tract. ſeq. Caſ. XIX.*) qui typis vel ſimilem proponat, vel examinet, aut ſaltem moveat hanc generalem quæſtionem: *An Matrimonium Catholici cum modernis hæreticis diſſolubiliter contrahentibus ſubſiſtat?* Cujus quidem quæſtionis accuratam (quoad fert meum inſtitutum) tractationem mihi reſervatam à Scriptoribus daturus, dividam hunc Caſum, ſeu Caput, in duas Sectiones. *Primâ* proponam breviter communes doctrinas, tum de invaliditate Matrimonii inter baptizatum, & non baptizatam, tum de licitis, & illicitis Matrimoniis Catholicorum cum hæreticis, & Sectione *ſecundâ* prolixiùs diſſeram de valore ejuſmodi Matrimonii. Sit igitur.

SECTIO I.

An valeat Matrimonium baptizati cum non baptizata, & an liceat Catholici cum Hæretica?

SUMMARIUM.

Quid intelligatur per diſparitatem Cultûs? 214.
An, quando duorum infidelium nuptorum alteruter baptizatur, diſſolvatur Matrimonium? 215.
An Catholici peccent mortaliter, contrahentes cum hæreticis? 216.
Quid ſi vivant in Urbibus mixtæ Religionis? 218.
Communiter majora mala, quàm bona ſequuntur illa connubia. 220.
Impium eſt pactum de alterutrius ſexûs prole educanda hæreticè. 221.
Salubris cautio ex P. Tannero. 222.
In Germania ſoli Principes petunt à Pontifice facultatem ducendi hæreticos. 225.

214 Dico I. Per diſparitatem *Cultûs*, cujus mentio fit in altero ex carminibus deſcriptis ſuprà *num. 13.* intelligunt Jura & Theologi diverſitatem Religionis, ſed illius ſolius, quæ eſt inter baptizatum, & baptizatam; ita ut Matrimonium, quod baptizatus init cum non baptizata, ſit non modò illicitum, ut patet *ex 2. Corinth cap. 6. ibi. Nolite ducere jugum cum infidelibus*, idque certiſſimum eſt apud omnes Doctores, teſte P. Perez *De Matrim. Diſp. 36. ſect. 1.* ſed etiam invalidum, ut etiam fatentur omnes omnino; non quidem jure *naturali* aut *Divino poſitivo*, quidquid nonnulli contra communem apud P. Sanchez *Lib. 7. Diſp. 71.* ſine ſolida ratione dicant, ſed ſolùm *Eccleſiaſtico*, eóque non ſcripto, nec enim ullus Canon adfertur, qui clarè indicet hanc nullitatem, ſed tantùm Conſuetudinario, ſicuti ex communi docet Perez *loc. cit. num 4.* addens, provenire ex traditione Apoſtolica, addente & P. Tannero *Tom. 4. Diſp. 8. q. 4. n. 81.* eandem eſſe rationem, quando alter conjugum putat falſò, ſe eſſe baptizatum.

Dico II. Quando duorum infidelium non 215
baptizatorum alteruter ſuſcepit Baptiſmum, non dirimitur hoc ipſo Matrimonium prius validum, nam per Sacramentum Baptiſmi non *ſolvuntur conjugia, ſed crimina dimittuntur*, inquit Innocent. III. *cap. Gaudemus. De divort.* attamen poteſt baptizatus dirimere, atque ducere aliam uxorem Chriſtianam, ſaltem ſi prima non conſentiat cohabitare cum illo *1. Cor. cap. 7. verſ. 12.*

Dico III. Peccant *per ſe loquendo*, mortali- 216
ter Catholici, ineuntes Matrimonia cum hæreticis, & longè clariùs Catholicæ nubentes hæreticis. Ita omnes D.D. Orthodoxi, & nominatim, quos nominabo *num. 218. & 221.* Ratio eſt, tum quia agunt contra *cap. Cave 28. q. 1.* tum quia communicant cum hæreticis in rebus ſacris, tum quia miniſtrant Sacramentum indigno, nam conjuges ſunt hîc miniſtri Sacramenti; tum quia exponunt ſe, præſertim mulieres, periculo apoſtaſiæ, tum quia *tacitè*, vel *expreſſè* ſolent promittere, ſe *poſitivè* permiſſuros, ut dimidia pars liberorum educetur in Religione Acatholica; tum quia valde eſt credibile, multa ex iis Matrimoniis eſſe jure *Divino* irrita, ſicut oſtendam *num. 237.* tum denique quia Concilium Generale Chalcedonenſe *Can. 13.* & Agathenſe *Can. 67.* ut videre eſt apud Gratianum *cap. Non oportet 28. q. 1.* interdicit talia conjugia. Unde certum eſt, jure 217
Naturali, *Divino*, *& Eccleſiaſtico* eſſe irrita (*per ſe loquendo*) ſponſalia Catholicæ cum hæretico. Perez *Diſp. 36. ſect. 2. num. 1.* quia promiſſio de re turpi non poteſt non eſſe turpis. Hinc Conſtitution. Synodales Conſtantienſes *part. 1. tit. 16.* meritò vehementer obteſtantur Diœceſanos, ne commodum temporale ſaluti animarum præferentes cum hæreticis Matrimonia ineant, & ne parentes ſuos liberos dent hæreticis conjugibus.

Dico IV. Illi etiam Catholici, *per ſe loquen-* 218
do,

Digitized by Google

de, peccant mortaliter, qui in urbibus, aut pagis mixtæ Religionis, contrahunt cum hæreticis. Tannerus *loc. cit. num. 89.* P. Valentia, Cardinalis Bellarmin. & ex inſtituto P. Serarius apud eundem Tannerum. Item P. Leſſius *in Auctario*, ſeu *Conſil. Moral. verb. Hæreticorum cum Catholicis converſatio, Caſu XXIII.* P. Coninck *in 3. part. Diſp. 31. dub. 3.* P. Buſenbaum *Lib. 2. Tr. 1. cap. 4.* P. Perez *Diſp. 36. ſect. 2. num. 1.* Marchantius *in Candel. Tr. 8. lect. 15.* contra P. Azor. *part. 1. lib. 8. cap. 11.* & P. Sanchez *Lib. 7. Diſp. 72.* Ratio eſt, quia illa commixtio per ſe non evertit rationes allatas pro *præcedenti* concluſione. Cenſet tamen Perez, eſſe in omnibus illis, & ſolis (ſine extenſione ex urbe in urbem) civitatibus licitum, in quibus viget conſuetudo, approbata à Pontifice modò abſit periculum lapſûs in hæreſim, & malæ educationis liberorum. Cui quidem doctrinæ & ego ſubſcribo, ſed nego, ſciri à me ullam urbem, in qua Pontifex ullus *expreſſè* vel *implicitè* approbârit talia conjugia: à ſe

219 quoque ignorari, ſatis indicat *num. 89.* Scio quidem, diſſimulari ab Illuſtriſſimis Ordinariis Conſtantienſibus, ſed hæc diſſimulatio non reddit tutos in conſcientia Catholicos, ſequentes doctrinam Sanchezii, & Azorii, quibus non fuerunt perſpecti mores Germanorum; tum quia Conſtitutiones Synodales manent nihilominus in ſuo vigore; tum quia nec ego, nec alii, quos interrogavi, ſciunt nominare ullum locum noſtræ Diœceſis, in quo hæretici copulantes ſibi Catholicas mulieres non addant vel *explicitè* (quod ferè fit ſemper) vel *implicitè* hanc conditionem, ut ſcilicet mater ſe non immiſceat filiorum educationi in rebus Religionem concernentibus; dicere autem, quòd noſtri Illuſtriſſimi Domini Ordinarii approbent etiam *tacitè* hanc conditionem, eſt eos damnare apertæ impietatis, ut patebit ex dicendis *num. 221.* ergo non ſunt licita talia conjugia; niſi ſepoſitis omnibus *extrinſecis* malis adſit inſuper gravis cauſa, videlicet ſpes ſopiendi graves diſcordias, convertendi conjugem ad fidem, &, ut addit Leſſius *loc. cit.* ſi puella nequeat inter Catholicos reperire conjugem pa-

220 ris conditionis. Porrò quia Germani DD. PP. Tannerus, ac Laymannus, itémque Jacobus Marchantius Belga rectiſſimè teſtantur, oriri communiter ex his conjugiis majora mala, quàm bona, idcirco reor, eſſe rarum caſum, quo ſint à parte rei, & in individuo licita hæc connubia. Unde moneo ex doctrina ejuſdem Tanneri *num. 93.* DD. Parochos, ut quoad poſſunt, ſeſe opponant talibus conjugiis, nec aſſiſtant, niſi ſuſceptis ex juſta cauſa, & ſine *morali* periculo perverſionis; nunquam autem, planè nunquam illis, quibus ſponſi paciſcuntur de parte liberorum educanda Calviniſticè, Lutheranè &c. propter rationem jamjam adferendam; nec etiam impertiant hæreticis benedictionem: *ibid.* Tannerus.

Dico V. Prorſus impia, & nullo caſu licita 221 ſunt Matrimonia, quibus conjux Catholicus promittit apertè, vel occultè, ſe relicturum partem liberorum ſine cultura veræ Religionis. Ita ſentiunt Navarrus *Conſil. l. 1. conſ. 1. q. 25. num. 63.* Coninck *cit. d. 31. dub. 4.* Leſſius *cit. Caſ. XXIII.* Tannerus *loc. cit.* Dicaſtillo *Diſp. 7. num. 705.* Marchantius *cit. Lect. 15.* P. Muſſart *in Manuali Parochorum part. 2. c. 7. n. 5.* Stephan. à San. Paulo *Tr. 5. Diſp. 8. num. 76.* P. Perez *De Matrim. cit. Diſp. 36. ſect. 2. num. 6.* ita loquens: De pactis verò, quæ in iſtis conjugiis quandoque ineuntur, ut quidam ex filiis naſcituris fidei Catholicæ, alij hæreſi adhæreant, certum eſt eſſe prorſus impia, & irrita, tum contra jus Eccleſiaſticum *cap. Ex literis. De* „ *converſ. infid.* & *cap. Judæi, 22, q. 1.* tum contra „ jus Divinum, quoniam parvulis uſu rationis „ carentibus cura parentum miniſtrare, & præ- „ bere debet remedia ad ſalutem neceſſaria; a- „ deóque filij parvuli inſtruendi ſunt in fide, & „ Religione Catholica. Ita Perez, nullo prorſus, quem legerim, diſſentiente.

Obſervat tamen ſapienter, & ſingulariter 222 P. Tannerus *num. 91.* non repugnante, ut reor, P. Leſſio, in caſu, quo Matrimonium Catholicæ cum hæretico licitum eſt, multúmque momenti habiturum eſt ad publicum bonum promovendum, nec tamen via, aut ratio ſuppetit, qua à marito impetret liberam facultatem, univerſam prolem ad Catholicæ Religionis cultum educandi, non videri illicitum adjicere cautionem, aut exceptionem, ut ſaltem aliqua pars filiorum, nihil impediente marito, ad Catholicam Religionem informetur, nil interim quoad cæteros liberos præjudicando juri Catholicæ matris, quæ tenetur pro viribus filias omnes in eadem Religione inſtituere. Ita Tannerus; ita ego; & quidni tu quoque? Undè perſpicies veram reſolutionem hujus

Caſûs Turgoici.

Theophilus Zeloſus Parochus quærit in confeſſione ex muliere, quam ignorat nuptam eſſe viro Zwingliano, utrùm educet ſuos liberos piè, & Chriſtianè? Reſpondet illa: Filias quidem ita educo, ſed filios marito relinquo (quia viget hic mos in Turgoia. *Quæritur, an Parochus* licitè *abſolvat talem mulierem?* 223

Reſp. *Licitè*, & *illicitè*. *Licitè*, ſi mulier dicatam aritum ita advigilare perverſioni liberorum, & hos ita pervicaciter adhærere inſtitutioni paternæ, ut ſuâ operâ nihil aliud effectura ſit, quàm graves diſſenſiones, evaſuras in verbera. *Illicitè*, ſi probabilis ſpes appareat alicujus frugis. Peccat quidem illa mulier ex erronea conſcientia, ſi ideò abſtineat ab educatione Catholica, quòd in contractu Matrimoniali reſponderit, ſe abſtenturam; nam *generaliter* 224

Iter novimus, turpes ſtipulationes nullius eſſe momenti, inquit Ulpianus *Lib. Generaliter. ff. De verb. oblig.* ceſſabit tamen peccatum, ſi ob cauſam paulò antè indicatam abſtineat.

225 His adde, licèt in Germania non ſoleant vulgares homines petere à Pontifice diſpenſationem ad contrahendum cum hæreticis, ſed contrahant vel cum nulla, vel cum ſola Epiſcopali diſpenſatione, aut facultate, attamen rectè obſervari à Diana *Part. 8. Tr. 1. Reſol. 74.* non ideo fas eſſe Principibus, inire tale connubium abſque Pontificis diſpenſatione, eò quòd poſſent ex eorum conjugiis oriri majora incommoda, quàm ex plebejorum.

SECTIO II.

An, & quatenus Hæreſis dirimat Matrimonium?

SUMMARIUM.

Hæreſis per ſe non dirimit Matrimonium. 226.
Poſſunt, & non poſſunt baptizati ſeparare rationem Sacramenti à ratione contractûs matrimonialis. 228. & ſeqq.
An reipſa ſeparent Catholici? 232.
An Acatholici? 233. & 234.
Matrimonium Catholici cum Acatholicâ an ſit communiter nullum ex defectu intentionis? 235.
Singulare argumentum contra opinantes, quòd hæretici celebrent contractum duntaxat civilem, dum ducunt uxores. 238.
Valeátne Matrimonium, quando Hæretici cum Catholicis contrahunt ſub conditione diſſolubilitatis? 239.
Reſolutio caſûs n. 212. propoſiti. 240.
Iudicium Petri Marchantii de diſſolubilitate talium Matrimoniorum. 242 in App. lit. a. & b.
Refutatur ex parte ejus judicium. ibid. lit. c. & d.

226 Suppoſito, non eſſe hîc quæſtionem de impedimentis uſu non receptis ab hæreticis, de quibus tractavimus *Caſ. I. n. 26. & ſeqq.*

Dico I. Hæreſis non eſt, *per ſe loquendo*, nec adducit impedimentum dirimens. Ita omnes recentiores Theologi adverſùs nonnullos Canoniſtas, ita procul aberrantes à vero in hac re, ut Bellarmin. *Lib. 2. De Concil. cap. 4.* expreſſè aſſerat, eſſe errorem in fide, ſi quis aſſerat, Matrimonium Catholici cum hæretica eſſe nullum. Ratio eſt, quia nec *Divina*, nec *Naturalis*, nec *Eccleſiaſtica* lex irritat ejuſmodi conjugia.

227 Unde legendus eſt cautè P. Leſſius, dum *in Auctario verb. Hæreticorum cum Catholicis converſatio Caſ. 26.* proponens hanc quæſtionem practicam: *An liceat Catholico convivium nuptiale hæreticorum honeſtare præſentiâ ſuâ, vel munere?* Reſpondet: *Ordinariè non licere, quia Matrimonium eſt nullum; undè conjunctio illa eſt fornicaria; convivium autem celebratur, & munera dantur ad gaudendum, & gratulandum de conjunctione; nullo autem modo licet gaudere, & congratulari de tali conjunctione.* Ita in terminis Leſſius, qui vel loquitur de illis ſolis Matrimoniis, quibus aſſiſtit Prædicans, etenim de his propoſuerat immediatè antè duos Caſus; vel certè eſt in ſententia illa, quam indicabo *num. 235.*

228 Dico II. Probabile quidem eſt, ſeu Hæreticos, ſeu Catholicos non poſſe ſuâ voluntate, atque intentione ſeparare in Matrimonio rationem Sacramenti à ratione contractûs, ita, videlicet, ut verè & propriè celebrent contractum matrimonialem, civiliter validum, eo modo, quo olim Abraham cum Sara, Cicero cum Terentia, Socrates cum Xantippe, & proinde non accipiant verum Sacramentum, quando ineunt nuptias, attamen contraria opinio eſt probabilior, certúmque eſt, ab iis tunc mortaliter delinqui. *Prima* pars inde probatur, quòd eam apertè doceant Tannerus *Tom. 4. Diſp. 8. q. 4. dub. 5.* Lugo *De pœnit. Diſp. 14. num. 42.* Sanchez *Lib. 2. Diſp. 10.* Coninck *Diſp. 24. dub. 2.* fusè Bonacina *q. 2. De Matrim p. 5.* P. Eſparza *Lib. 10. q. 114.* fusè atque alii apud hos, & Dianam *Part. 3. Tr. 4. Reſol. 255.*

229 *Alteram* partem tenent Vaſquez *Tom. 2. in 3. p. Diſp. 138. cap. 5. num. 63.* Ferdinandus Rebellus *De oblig. juſtit. lib. 2. quæſt. 5.* Hurtadus *De Matrimon. Diſp. 3. diff. 19.* Perez fusè *Diſp 19. ſect. 10.* Durandus, Victoria, Canus, Cajetan. Baſil. Pontius, alii, quos citant, ſequuntúrque Diana *loc. cit.* & Dicaſtillo *De Matrim. Diſp. 2. dub. 19.* Ratio eſt, quia nullâ ſolidâ ratione probari poteſt hæc inſeparabilitas; ergo aſſerenda non eſt; mutatio enim non eſt præſumenda, ſed probanda; eſſet autem à Chriſto Domino valde mutatus contractus matrimonialis, ſi, cùm potuerit in antiqua lege validiſſimè exerceri ſine Sacramenti qualitate, nequeat in nova.

230 *Tertia* pars, quòd nihilominus mortaliter peccent Chriſtiani, ſeu baptizati, ſi velint rationem Sacramenti ſeparare à ratione contractûs matrimonialis, non ſolùm traditur expreſſè ab Hurtado *loc. cit.* Dicaſtillo *loc. cit. n 161.* Perez, ſed etiam teſtatur idem Perez, Doctores conſultos id affirmare; tum quia eſt hic communis ſenſus, & conſuetudo fidelium; tum quia eſt ſacrilegium contra reverentiam Sacramento debitam, contractum celebrare ſine ratione Sacramenti, quia tunc irritatur ſacrilegè, ſicut irritatur, quando quis ſine intentione Baptiſmi profert ſeriò, *ſignificativè* formulam affundendo aquam, ut, teſte Perez, eſt certum apud D.D. quia ſcilicet tunc irritatur actio Sacramentalis, ex voluntate Chriſti ordinata ad Sacramentum, quandoquidem Chriſtus eam elevavit ad rationem, & dignitatem Sacramenti; ut definit Concil. Trident. *ſeſſ. 24. Can. 1.*

231 Dico III. Certum eſt, Catholicos conſue-
viſſe

Digitized by Google

viſſe nunquam ſeparare rationem Sacramenti à ratione contractûs matrimonialis; probabiliſſimum eſt, multos hæreticos eam ſeparare, ſi ſeparari poteſt; probabiliſſimum quoque, à multis etiam acatholicis præſentium temporum non ſeparari, etſi poſſit.

232 Concluſio hæc conſtat tribus partibus, quas ordine probo. Et quidem *prima* inde liquet, quòd Catholici credant, Matrimonium eſſe Sacramentum, & moneantur à ſuis Parochis, ut ſe præparent Confeſſione ad nuptias, tanquam ad Sacramentum. *Altera* perſuadetur inde, tum quòd P. Rebellus *loc. cit.* teſtetur, conſtare ex actis Inquiſitorum, multos ex iis Luſitanis Chriſtianis, qui ad Judæos deficere cogitabant, priùs ita contraxiſſe Matrimonium coram Parocho, ne ſepararent rationem Sacramenti ab illo ſuo Matrimonio; tum quia Dicaſtillo *loc. cit. num. 228.* exprimit, tunc præſumi hæreticos facere illam ſeparationem, quando cogitant non facere id, quod facit Eccleſia Romana; quod pronuntiatum tametſi puto non eſſe ita univerſaliter verum, propter cauſam adferendam *n. 234.* valde tamen probabile eſt, eſſe verum de multis ita cogitantibus, & loquentibus, quia ſcilicet multi acatholici ſunt ita profani, rerúmque Divinarum contemptores, & planè impii, ut, licèt ſcirent, Chriſtum Dominum præcepiſſe, ut Matrimonium non ineatur, niſi cum intentione Sacramentali, hoc tamen præceptum eſſent liberrimè tranſgreſſuri, ſicut alia pleraque, præſertim ſi ſibi perſuaderent, rationem Sacramenti eſſe radicem indiſſolubilitatis, multi quippe eorum mallent permutare Catholicam Religionem Judaicâ ſuperſtitione, vel Turcicâ impietate, quàm contrahere indiſſolubiliter. Unde meritò fuit in vicina Turgoja haud ita pridem centum Imperialibus à zeloſo quodam Præfecto Catholico mulctatus Calviniſta, qui palàm dixerat, ſe potiùs amplexurum Turcicam Religionem, quàm Catholicam.

233 *Tertia* denique pars inde mihi perſuadetur, quòd ſciam, multos è Calvinianis, Lutheranis, &c. eſſe duntaxat *materialiter* hæreticos, & *politicè* integros. Itaque

234 Dico IV. Plurimi illorum etiam acatholicorum, qui non credunt, Matrimonium eſſe Sacramentum, & proinde dicunt, ſe nihil velle habere negotii cum Papiſtico Sacramento in ſuo meditato Matrimonio, multi, inquam, illorum, imò plurimi recipiunt reipſa Sacramentum, ſi nullum aliud impedimentum interveniat. Probo hoc ex generali doctrina de Sacramentis, quam indicavi *in Alphab. Baptiz. num. 205.* & Perez *loc. cit. num. 3.* ſingulariter applicat huic individuæ materiæ; quòd ſcilicet error privatus, quo quis exiſtimat, Matrimonium non eſſe Sacramentum, & ideo intendit non facere Sacramentum, nihil planè obſit, dummodo habeat generalem intentionem faciendi eo modo, quo Chriſtus inſtituit, vel fieri voluit. Atqui certum eſt, & plurimos Lutheranos, Calviniſtas, Zwinglianos habere illam intentionem, ſicuti mihi atteſtabuntur, qui multos eorum traduxerunt ad fidem Orthodoxam, & repererunt, fuiſſe ſolùm *materialiter* hæreticos, & planè habuiſſe generalem intentionem contrahendi eo modo, quo Chriſtus inſtituit. Imò certum videtur, inter Germanos acatholicos reperiri longè plures, habentes illam generalem intentionem, quàm non habentes; quia ſi interrogarentur, ſyncerè dicerent, ſe ideo ſolùm negare, Matrimonium eſſe Sacramentum, quòd ita ſint docti à ſuis magiſtris, qui ſi fortè errent, ſe ſanè credere, & velle, quod Chriſtus juſſit credi, & fieri; nec dubitat Suarez *Tom. 3. in 3. p. Diſp. 13. ſect. 2.* quin ita ſit ſentiendum de pleriſque etiam Calviniſtis. Conſentit Pater-Mart. de Eſparza in Curſu Theolog. *Tom. 2. quæſt. 14.* quia videlicet ſunt magis propenſi in ſtatum Matrimonialem, quàm averſi à Sacramento.

Hinc Infero, Matrimonium Catholicæ cum acatholico non poſſe communiter, & ſine ſpeciali ratione dici ideo nullum, quòd ex parte acatholici defuerit intentio Sacramenti. Ita ſentire videtur Cardin. de Lugo *Tom. 1. De Sacramentis Diſp. 8. n. 136.* repugnante Dicaſtillo *De Matrim. Diſp. 2. dub. 4. num. 20.* Ratio hujus illationis eſt, quia, ut dixi, maxima pars habet ſufficientem intentionem Sacramentalem; conſequenter etiam ſubinfero, connubia, quæ inter ſeſe ineunt acatholici, communiter eſſe valida, ſi nihil aliud deſit, quàm intentio Sacramentalis. 235

Eſt utraque hæc illatio adverſùs quendam Theologiæ, Juriſque prudentiæ laude celebrem virum, qui conſultus in contingentia facti referendi à nobis *Tr. ſeq. num. 704.* dedit pro particulari Caſu reſolutionem, nitentem contrario prorſus fundamento, volens enim probare, Matrimonia hæreticorum noſtri temporis eſſe abſolutè habenda pro diſſolubilibus, adeóque pro contractibus merè civilibus, utitur hoc principio, quòd ſcilicet talia conjugia careant *radice indiſſolubilitatis*, idque inde probari *clariſſimè*, *quòd radix indiſſolubilitatis ſit ratio Sacramenti, rationem autem Sacramenti deficere in Matrimonio hæreticorum, vel cum hæreticis, eò quòd rationem Sacramenti nec credant, nec intendant, Tridentinum autem Concilium requirat ad valorem Sacramenti intentionem miniſtri conficiendi illud, ſequitur ergo irrefragabiliter* (inquit ille Doctor in Epiſtola multorum manibus tritâ, quam nactus fui, poſtquam jam conſcripſeram quatuor, vel quinque priores Caſus hujus Alphabeti) *Matrimonium illorum neque Sacramentum eſſe, neque magis indiſſolubile, quàm Matrimonium infidelium.* 236

Verùm nego irrefragabilitatem hujus conſequentiæ, I. quia probabiliſſimum eſt, hæreticos non poſſe, etſi velint, ſeparare rationem Sacramenti à contractu Matrimoniali. Sanè 237

tam

tam multi graves D D. qui ante, & poſt Sanchez negaverunt poſſibilitatem talis ſeparationis, & rationes, quas adferunt, tollunt illam irrefragabilitatem. Deinde multi magni DD. petunt radicem indiſſolubilitatis aliunde, quàm ex ratione Sacramenti, ſicuti referam in *altera parte hujus Alphabeti*, ſeu *Tract. ſeq. Caſ. XVIII.* & videri poteſt inter alios Sanchez *Lib. 2. Diſp. 13.* Adhæc, eſto Sacramentum ſit unica radix, attamen oſtenſum eſt, non deficere Sacramenti rationem in omnibus, aut pleriſque Matrimoniis heterodoxorum, etſi de eo non cogitantium, & fortè etiam repudiantium. Argumentum verò petitum ex authoritate Tridentini, ſi hîc valet generatim, aut ut plurimùm, certè etiam valet plerumque, caſu, quo Turca, vel hæreticus non credens, Baptiſmum eſſe Sacramentum, abluit in extrema neceſſitate infantem ritu Catholico.

238 Denique ſi hæretici celebrant ob rationem allatam contractum duntaxat civilem, ſequitur, quòd ducentes uxorem Catholicam, non celebrent ullum validum contractum, ſed eorum conjugia non ſint, niſi concubinatus? quod ſic probo. Si enim hæreticus nolens recipere Sacramentum efficit hoc ipſo, ut ex ſua parte Matrimonium ſit diſſolubile, tum vice verſâ mulier Catholica intendens ſuſcipere Sacramentum efficiet, quantum eſt ex ſua parte & intentione, ut Matrimonium ſit indiſſolubile, etenim cauſarum contrariarum contrarii ſunt effectus, *L. Qui accuſare. ff. De accuſ.* Bald. *in L. Cùm mulier. Columm. 31. ff. Sol. Matr.* nam quod operatur propoſitum in propoſito, id operatur oppoſitum in oppoſito. D. D. *in L. fin. §. fin. ff. De leg. 3.* & quia intentio Catholicæ perſonæ eſt juri conformis, alterius difformis, ſi alterutra valere debet, valebit Catholicæ, omnia quippe jura favent potiùs æquitati, quàm iniquitati, & valori contractûs, quàm nullitati. Quia autem impoſſibile eſt, ut unus, idémque contractus ſit ſolubilis, & inſolubilis, ſequitur evidenter, illa Matrimonia vel eſſe indiſſolubilia, vel planè nulla. Hinc.

239 Dico V. Si hæretici cum Catholicis contrahant ſub, vel cum conditione diſſolubilitatis, fortè Matrimonium eſt nullum, fortè eſt nihilominus validum. Poteſt enim fieri, ut *abſolutè* velint valorem pendere ab exiſtentia illus conditionis, poteſt fieri, ut non *abſolutè*, ſed ſolùm *ex hypotheſi*, quòd valeat, aut licita ſit, contrahant ſub, aut cum ea conditione. Vtrùm verò omnes, aut plerique hæretici, habentes Matrimonium pro diſſolubili, cenſendi ſint contrahere ſub ea conditione, dicam in *ſecunda parte hujus Alphab.* ſeu. *Tract. ſeq. Caſ. XIX.* quid ſentiam, illic enim *formaliter*, & ex inſtituto explicabo, an hæreticorum hujus temporis Matrimonia ſint diſſolubilia. Interim

240 Ex dictis in hac *ſecunda* Sectione infertur in primis, quid reſpondendum ſit ad generalem quæſtionem præfixam *num. 212.* noſtro Caſui *Planè novo*; nam theſin, ſeu generalem quæſtionem quod attinet, ultra ſuperiùs dicta reſpondeo, Matrimonia etiam hujus ætatis heterodoxorum eſſe à toto genere habenda pro veris, adeóq; quòd hæreſes, quibus ii laborant, non dirimant communiter eorum Matrimonium, eſto fortè dirimant illorum, qui ita execrantur rationem Sacramenti in Matrimonio, ut eſſent illam ab hac ſeparaturi, licèt ſcirent, vetitum eſſe à Chriſto.

Alteram verò partem, ſeu hypotheſin, & 241
Caſum noſtrum particularem quod attinet, quia in obſcuris inſpici ſolet, quod plerumque fieri ſolet, ſicut nos docet utrumque Jus, nunc primùm autem diximus, hæreſin Lutheranam, aut Calvinianam communiter, nec *directè*, nec *indirectè* officere valori Matrimonii, idcirco Ludoviſiam illam, *per ſe loquendo*, non potuiſſe noſtrâ opinione tranſire ad ſecunda vota, vivente ſuo Calviniano Iſaaco. Si tamen reipſâ 242
tranſiit, non eſſe prorſus neceſſariò ipſi movendum ſcrupulum, quia noſtram theſin nec facimus omnino generalem, nec ſtatuimus tanquam certam, ſed ſolùm ut longè probabiliorem; & quia non dubitamus, quin aliquot viri docti, ac ſapientes approbent ſuo calculo reſponſum illius Doctoris, de quo ſuprâ, ut videbimus *Tract. ſeq. Caſ. XIX.*

APPENDIX.

DIctis in hac Sectione jungo ea, quæ de diſſo- a
lubilitate Matrimoniorum inter hæreticos initorum ſcripſit Petrus Marchantius *in Tribun. Sacro Tom. 4. Tract. 1. tit. 6.* de qua quidem diſſolubilitate loquitur diverſimode; ex eo enim, quòd ſcripſit, Matrimonia inter hæreticos inita, ſervatis legibus Chriſti, & Eccleſiæ Catholicæ, eſſe non tantùm vera Matrimonia, ſed etiam Sacramenta, eò quòd conſtent omnibus ad Sacramenti rationem, ut ſupponitur, requiſitis, infert rectiſſimè, eſſe indiſſolubilia; at verò ex eo, quòd, ut vidimus *in Appendice ad num. 29.* habeat pro *civiliter* legitimis contractibus connubia, quæ inter ſe contrahunt Acatholici illigati impedimentis juris duntaxat *Eccleſiaſtici*, infert, utroque hæretico, viro, & fœminâ, ſic contrahentibus, ſi alteruter ad veram fidem convertatur, ſicut libere poteſt in conjugio remanere, omni periculo ſubverſionis, & contumeliæ Dei ſublato, ſi infidelis conſentiat habitare cum illo, ita, periculo aliquo ſubverſionis permanente, poſſe Catholicum relinquere conjugem hæreticam, & ad alias nuptias, quantum eſt ex Lege Evangelica Apoſtolica, tranſire. Ratio eſt, quia (ut dixi) Matrimonium illud non fuit Sacramentum, ſed contractus merè naturalis & civilis, adeóque, nec per omnia indiſſolubilis, ſicut nec infidelium Matrimonia. Unde ſicut infidelis (ut ait Apoſtolus, *1. Corinth. 7. v. 15.*) ſi diſcedit, diſcedat, non

Digitized by Google

»non enim ſervituti ſubjectus eſt frater, ita ſi
»hæreticus diſcedit, diſcedat; cùm enim vincu-
»lo Sacramenti non ſint colligati, ob pericu-
»lum ſubverſionis contractus naturalis, & civi-
»lis, Chriſto per Apoſtolum ita declarante, diſ-
»ſolvi etiam quoad vinculum poteſt. Dixi,
»(quantum eſt ex Lege Evangelica, & Apoſto-
»lica) ſine dubio enim in foro *externo* civiles Le-
»ges, ob reipublicæ bonum, hæreditates, ſucceſ-
»ſiones prolium &c. contradicerent ſuprà di-
»ctis illis; loquor autem ego in foro conſci-
»entiæ.

b Hactenus Marchantius; cui quidem omninò adſtipulor, quatenus aſſerit, ejuſmodi conjugia poſſe diſſolvi ob periculum animæ, cùm enim habeam illa pro invalidis, ob rationes ſuperiùs productas, conſequenter affirmo, non ſolùm cum Marchantio poſſe, ſed contra eundem debere diſſolvi, niſi ſuperveniat diſpenſatio Pontificia; ſicuti etiam contra eundem arbitror, poſito, quòd ea Matrimonia ſint veri contractus, eſſe poſt conſummationem indiſſolubilia, ſiquidem & ita habet conſtanter ſtylus Conſtantienſis, ut referam *Tract. ſeq. num. 710.* & perplacet mihi diſcurſus, quem eruditiſſimus quidam Theologus Romanus intellecto, me moliri præſentem Appendicem, ſubmiſit mihi amantiſſimè, conſcriptum his omnino verbis ſuum animi ſenſum.

c » Quod Petrus Marchantius ſpeciatim do-
»cet, talium hæreticorum Matrimonia, quæ
»juxta Leges naturæ, & Divinas poſitivas con-
»trahuntur, eſſe legitima (adeóque vera) Ma-
»trimonia, non tamen eſſe Sacramenta, proin-
»déque (ut poſtea infert, ſi alter ad veram fi-
»dem revertatur, exiſtente aliquo periculo per-
»verſionis, poſſe Catholicum relinquere conju-
»gem hæreticam; hoc, inquam, complexum re-
»pugnare videtur non tantùm communi ſenſui
»Doctorum, ſed etiam legitimo, quantum ap-
»paret, intellectui. *Capit. Quanto. De divort.* ubi
»dicitur: *Et ſi Matrimonium verum inter infideles*
»*exiſtat, non tamen eſt, ratum*, ſive ita firmum, *ut*
»*etiam, poſtquam conſummatum eſt, nullo caſu diſ-*
»*ſolvi poſſit. Inter fideles autem verum, & ratũ exi-*
»*ſtit: quia Sacramentum fidei* (id eſt Baptiſmus)
»*quod ſemel eſt admiſſum, efficit conjugii Sacramen-*
»*tum, ut ipſum in conjugibus, illo durante, perduret.*
»Supponitur enim, ut obſervat Gloſſa, in textu
»agi de eo fidelium Matrimonio, quod ita ve-
»rum, & ratum eſt, ut ſit etiam carnali copulâ
»conſummatum. Quod Capitulum ita commu-
»niter accipiunt, quaſi ibi ſimpliciter definia-
»tur, Matrimonium Baptizatorum conſumma-
»tum nullo Caſu diſſolvi poſſe, ſive ſcilicet ii
»Catholici, ſive Hæretici fuerint; nam quamvis
»ita loquatur Pontifex: *Inter fideles autem &c.*
»Quia nempe caſus de fidelibus propoſitus fue-
»rat, non tamen fundat ſe in eo, quòd fideles
»eſſent, id eſt, verâ fide præditi, ſed quòd in-
»ſigniti *Sacramento fidei*, id eſt, Baptiſmo, ut
»patet ex ratione, quam ſubjicit.

Quòd præclarè obſervat doctiſſimus Baſi- » d
lius Pontius *Lib. 1. De Matrim. cap. 15.* his ver- »
bis: *Dicitur autem Ratum non ratione fidei, alias* »
Matrimonium Catechumeni eſſet ratum, & an- »
te Baptiſmum, ſi reſiliret à fide, altero converſo, »
& baptizato, nolletque cohabitare ſine contume- »
lia Creatoris, non poſſet baptizatus ducere aliam; »
quod abſurdum eſt. Non ergo dicitur eſſe Ratum »
ex fide ſuſcepta, aliàs etiam, amiſſâ fide, deſine- »
ret ratum in hæreticis, cujus oppoſitum definitur »
ab Innoc. III. in C. Quanto, De divort. & Trid. »
Seſſ. 24. Can. 5. *dicitur ergo ratum reali ſuſce-* »
ptione Baptiſmi, tanquam cauſa, & ex ſignifica- »
tione conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, tanquam »
ſigno, vel effectu. Ita Pontius. »

Neque vim facit Pontifex illis ſcilicet ver- » e
bis: *Ratum efficit conjugii Sacramentum*, in eo, »
quòd in tali caſu fidelium Matrimonium ſit »
Sacramentum in propriè acceptâ ſignificatio- »
ne; quia, ut inſinuat idem autor *cap. 14. num.* »
2. cùm etiam inter verè fideles ex variorum »
Doctorum ſententia poſſit quibuſdam caſibus »
Sacramenti ratio à vero Matrimonio ſeparari, »
conſequenter dicendum eſſet, iiſdem caſibus »
eorum Matrimonium non eſſe Ratum (etiam »
Conſummatum) ſeu omnino indiſſolubile, »
quod nullo modo concedendum. Quò ſpectant »
illa ejuſdem Baſilii *in fin. cap. 15. Quare, quòd* »
nonnulli Doctores aſſerunt, Matrimonium effici »
Ratum, quia Sacramentum eſt, ſi velint, idem »
Matrimonium eſſe Ratum, ſumptâ propriè ratio- »
ne Sacramenti, valde falſum eſt; at ſi nomine Sa- »
cramenti intelligant vinculum Matrimonii, quòd »
ratione hujus arcanæ ſignificationis dici debeat »
Sacramentum, ut dictum eſt (ſect. 3. cap. 14.) »
rectè interpretari poſſunt &c. »

Hactenus admenſus ſum verba, propoſui mentem emeriti illius Patris Theologi, Patris inquam Franciſci le Roy, quibus quid addam non habeo, niſi quòd apprimè probem.

VIS, ET METUS QUANDO DIRIMAT MATRIMONIUM?

CASUS XII.

Matrimonii dirempti.

SUMMARIUM.

Caſus puellæ nuptæ, & deinde allegantis cum arctitudine metum. 243.
Metus an; & quatenus obſit valori Matrimonii? 244. & *ſeqq.*
Quid intelligatur per metum gravem? 246.
Quid per cadentem in virum Conſtantem? 248.
Quid per reverentialem? 249.
Quid de metu reſpectivè gravi? 250.
Quis ſit metus injuſtus? 251.
Quis injectus ad extorquendum conſenſum? 252.

Reſolutio Caſûs n. 243. propoſiti. 254.

An, & quomodo peccet contrahens ex metu injuſto? 256. & ſeqq.

Differentia inter contrahentem ex metu injuſto, & miniſtrantem Sacramentum etiam ex metu injuſto. 257.

An, & quomodo contrahens ex metu injuſto det alteri poteſtatem ſui corporis? 259.

An, ſi copula ſequatur Matrimonium contractum ex metu, præſumatur fuiſſe ratificatum? 261.

Quid aget puella compulſa à parentibus, vel Magiſtratu inire Matrimonium? 263.

Caſus puellæ manifeſtantis paulò ante copulationem Confeſſario impedimentum occultum, & ſummè periculoſum. 264.

Quæſtio ſingularis, quam proponet Confeſſarius. 265.

Referuntur reſponſa Auguſtini Barboſæ ad quinq; Caſus Matrimonii ex injuſto metu initi. 266.

243 M*Onica, virgo plebeja, contraxit in facie Eccleſiæ cum Mauro juvene plebejo, eique cohabitavit per Annum, ſed ab eo deinde aufugit, cauſata duplex impedimentum; primum, metum injuſtum; alterum, arctitudinem, de qua Caſ. XVII. Metum injuſtum aſſerebat, probabátque inde, quòd, cùm ſummopere abhorreret à mauro, mater, quæ, ſuperſtite etiam tunc patre, domum regebat, non ſemel dixerit Monicæ, & jurejurando affirmârit, quòd agnoſcere eam pro filia nunquam vellet; imò nec quidquam officii materni præſtare, niſi nuberet Mauro. Addidit mater hiſce minis non ſemel verbera, inſuper alias minas, ſcilicet curandi illam compingi* in die Geigen / *ſeu ergaſtulum publicum, expoſitam omnium ſubſannationibus, & ludibrio. Metum probabat inde ulteriùs Monica, quod mater acceperit arrhas à Mauro, quas tamen ipſa Monica nunquam voluerit tangere, ſicuti nec admittere voluit mundum muliebrem, quem mater offerebat pro nuptiis. Denique illo die, & tempore, quo ducebatur ad templum, contractura cum Mauro, ſeriò cogitabat publicè reclamare, ſed cùm ventum fuit ad ipſum articulum, ex perturbatione animi, & metu matris, atque Magiſtratûs conſenſit in Maurum, in cujus thalamum concedere nunquam voluit, niſi compulſa adhortationibus aliorum; copulam admiſit nunquam, niſi adacta. His auditis, & per teſtes probatis, me inſuper conſulto, mandavit Reverendiſſimus D. Ordinarius loci. (Ratiſbonæ) in quo tunc verſabar, connubium illud diſſolvi, factâ poteſtate Mauro quærendi accipiendi aliam tori conſortem.*

Quibus rationibus ſuaſerim hanc diſſolutionem, referam, ubi præmiſero communes doctrinas de metu invalidante Matrimonium.

Dico itaque I. Conſenſus in Matrimonium debet eſſe liber à metu, id eſt, ut Matrimonium valeat, opus eſt, ut uterque conjugum in illud conſentiat liberè, & non ex metu gravi, injuſto, & in hunc finem incuſſo. Ita docent omnes, quorum alii dicunt, Matrimonium ex prædicto metu initum jure naturæ eſſe nullum; alii, eſſe quidem nullum, ſed ſolùm ob diſpoſitionem juris Canonici expreſſi *in cap. Cùm locum, & cap. Veniens 2. De ſponſal.* Ex primo illo Canone notanda hîc eſt pars reſcripti, quod Alexander III. dedit ad Epiſcopum Papienſem: *Cùm locum*, inquit Pontifex, *non habeat conſenſus, ubi metus, vel coactio intercedit, neceſſe eſt, ut, ubi aſſenſus cujuſquam requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem ſolo conſenſu contrahitur.* Ita Pontifex ipſe. 244

Quibus verbis videtur ſatis inſinuare, vim & metum non ſolùm jure *poſitivo*, ſed *naturali* quoque irritare contractum matrimonialem. Ut autem metus ſeu *naturali*, ſeu *poſitivo* jure dirimat ex omnium opinione Matrimonium, debet habere tres conditiones. 245

I. Debet eſſe metus gravis, nam levem ſufficere, negant communiùs autores contra Navarr. & alios apud Sanchez *Lib. 4. De Matrim. Diſp. 4.* & Tannerum *Diſp. 8. q. 3. dub. 1.* Certè in foro *externo* non admittitur allegatio metûs levis, præſumitur enim talis metus non abſtuliſſe veram libertatem. Porrò metus gravis eſt, quo times, tibi, tuíſve probabiliter eventurum aliquod malum grave; levis autem, quo duntaxat leve. Dico inprimis: *Tibi, tuíſve*, id eſt, conjunctis tibi in primo gradu, vel etiam in quarto, & quidem etiam ſolius affinitatis, ut docent complures apud citatos, & citandos, extendentes ad quemvis arctiſſimâ neceſſitudine, ſeu amicitiâ conjunctum. 246

Dico deinde: *Malum grave*, grave, inquam, vel *abſolutè*, vel *reſpectivè*. Malum grave *abſolutè* eſt, id, quod plerique omnes homines habent pro gravi, ſeu valde moleſto, ſicut ſunt mors, mutilatio, incarceratio diuturna, verberatio gravis, ſtuprum, infamia, amiſſio Nobilitatis, vel majoris partis bonorum, Sanchez *Lib. cit. Diſp. 5.* Leſſius probans ſingula ex Jure *De Juſtit. Lib. 2. cap. 16. dub. 6. n. 35.* Palaus. *Tr. 29. Diſp. 1. punct. 7.* Malum grave *reſpectivè* eſt, quod eſt grave ſolùm reſpectu apprehenſionis, aut conditionis perſonæ; nam pueris, & mulieribus, itémque viris meticuloſis valde, vel laborantibus exoticâ imaginatione, vel jam aliunde afflictis, admodùm gravia accidunt permulta, quæ vix curant homines cordati. Unde metus conceptus ex his malis dicitur metus cadens in virum non conſtantem. At metus cadens in virum conſtantem eſt, teſte Leſſio, ille ſolus, quo pruden- 247

ter

Digitized by Google

ter timentur mala abſolutè gravia, nam, hæc ſola conſueverunt ita concutere animos virorum, cæteroquin conſtantium, & cordatorum, ut propter illorum probabile periculum faciant aliqua, à quibus multùm abhorrent.

248 Et hæc eſt explicatio illius propè æquè obſcuræ (multis) atque celebris phraſis juridicæ: *Metus cadens in virum conſtantem*, qui, ut dixi, efficit, ut Matrimonium ex illo initum non habeat quidquam valoris, modò non temere, ſed prudenter concipiatur, quia videlicet is, qui minatur, ſolet exequi minas, nec iis facilè reſiſti poteſt, ut inter cæteros latè explicat Dicaſtillo *De Matrim. Diſp. 4. dub. 3. & 4.* Modò inſuper illum metum comitentur duæ conditiones, explicandæ paulò pòſt. Nec dubium eſt mihi, quin ex ſententia dicentium, hunc metum dirimere jure naturali Matrimonium, ſequatur, dirimi quoque per metum gravem *reſpectivè*, ſicuti obſervat Leſſius *Lib. 2. De juſtit. cap. 40. dub. 3.* re enim verâ hic metus æquè conſenſum liberum tollit apud eos, quos percellit, ac metus abſolutè gravis.

249 Quin Navarrus, Rodriq. alii apud P. Leſſium *cit. d. 6.* & P. Laymannum *L. 5. Tr. 10. Part. 4. cap. 5. num. 3.* pronuntiant idipſum de metu reverentiali, quando ſcilicet puella tantùm ideo conſentit in Matrimonium propoſitum ſibi à patre, quia timet, ne contradicendo agat contra reverentiam debitam parentibus. Quæ ſententia licèt meritò vocetur probabilis à Tannero *num. 31.* Leſſio *cap. 40. dub. 3.* & Barboſa *Deciſionum Lib. 1. voto 1. num. 136.* ſcribat, judicem poſſe eam ſequi, eò quòd votum ex tali metu editum videatur infirmari à Concil. Trident. *Seſſ. 25. De Regul. cap. 19.* & adhuc ſit probabilior, imò abſolutè vera, quando cum imperio patris, ſeu Superioris junguntur vel verbera, vel alia mala tractatio, aſperitas vultûs, aut minæ, quas putatur executurus, aut quando timetur duratura indignatio patris, vel alterius perſonæ, à qua plurimùm dependet fortuna filiæ, ut etiam concedit Leſſius, Laymannus, alii, tunc enim metus reverentialis æquivalet gravi, ut tradit expreſſè Leſſius *cit. cap. 17. n. 35.* conſentiente Suario mox citando, attamen ſecutus ſententiam ejuſdem P. Suarii *Tom. 3. De Relig. Lib. 6. cap. 4.* in praxi non ſuaderem, dirimi Matrimonium ob allegationem, & probationem metûs levis, aut reverentialis, nudè, ſeu in primâ deſcriptione ſumpti, niſi meritò aut timerem infelicem exitum talis Matrimonii, aut prudenter crederem, eo diſſoluto partem utramque manſuram cœlibem; eò quòd Theologi & Jureconſulti, quos refero *in Clypeo Clement. judic. Part 1. n. 195. edition. 2.* velint, opiniones facientes pro valore Matrimonii præferri negantibus valorem.

250 Et verò mihi vix dubium eſt, quin, quando probatur interceſſiſſe metus gravis *reſpectivè*, ſit perinde diſſolvendum Matrimonium, ac ſi demonſtraretur de metu *abſolutè* gravi, eò quòd Matrimonium metu celebratum non ſit favore dignum, Barboſa *loc. cit. num. 137.* Ratio eſt, quia in talem metum cadit propriiſſimè ſententia relata ſuprà *ex cap. Cùm locum.* Cadit quoque illa Regula *in ff. Nihil conſenſui tam contrium, eſt, quam vis, & metus.* Quandoquidem illud involuntarium, ob quod metus invalidat Matrimonium, cauſatur *immediate*, ac *præcipuè* à vehementia metûs, & apprehenſione mali impendentis, *remotè* autem, & *minùs principaliter* ab ipſo malo formidato foris exiſtente, ut per ſe notum eſt. Quia igitur, ubi eſt eadem ratio, ibi quoque eſt eadem juris diſpoſitio. *L. Illa. ff. Ad Leg. Aquil.* Ratio autem, ob quam jura irritant Matrimonia, inita ex metu abſolutè gravi, eſt, quia talis metus minuit libertatem conſenſûs, hanc autem æquè minuit metus gravis *reſpectivè*, palàm eſt, deciſionem, & reſcriptum Alexandri III. de quo ſuprà *num. 244.* æque in hoc, atque in illo habere locum.

Altera conditio, quam metus habere debet ad id, ut dirimat conjugium, eſt, ut ſit injuſtus, id eſt, incuſſus à tali homine, qui non habuit jus incutiendi. Sanch. *Lib. 4. d. 13.* Henriq. Coninck, Laymann, alii cum Dicaſtillo *cit. dub. 4. num. 72.* contra Sotum, Covarr. & alios. Ratio eſt, quia nulla lex irritat Matrimonium contractum ex metu juſto. Quare ſi pater filiæ corruptæ per vim à laſcivo juvene dicat corruptori: *Duc meam filiam, aut agam te reum capitis coram legitimo tribunali.* Conjugium inde ſecutum non carebit valore, ſiquidem metus, quem parient hæ minæ in animo ſtupratoris, dicetur juſtus, non injuſtus, habet quippe pater jus accuſandi capitis tam nefariam libidinem; foret autem injuſtus, & conſequenter noxius valori Matrimonii juxta noſtram contra Sotum ſententiam, ſi pater diceret: *Hoc ferrum confeſtim mergam in tua ilia, niſi duxeris meam filiam.* Vide Dicaſtillum *loc. cit. dub. 7. & 9.* bene explicantem hunc metum juſtum, & rectè inferentem, valere Matrimonium. 1. Quando tibi juſtè damnato capitis dicitur: *Aut contrahe cum filia carnificis, aut morere* 2. Quando medicus tibi deſperato dicit: *Aut duc meam filiam, aut non medebor tibi.* 3. Quando tibi carcere in cauſa ſanguinis detento dicit cuſtos carceris: *Te dimittam, ſi duxeris meam neptem.* 251

Tertia conditio, ſeu qualitas metûs invalidantis Matrimonium eſt, ex omnium ſententia, teſte Sanchez *Lib. 4. Diſp. 12.* ut injiciatur in ordine ad extorquendum conſenſum matrimonialem; ſi enim injiciatur alio fine, nihil impediet; ut ſi Cajo volenti te mactare in vindictam injuriæ illatæ ipſi à te, nihil cogitanti de Matrimonio dicas: *Ducam tuam filiam, & ipſemet dotabo, ſi dones mihi vitam.* Porrò nihil intereſt, à quo injiciatur metus, dummodo ſit præditus tribus indicatis conditionibus. 252

Quid ſi *autem pater dicat filia: Te exhæredabo,* 253

bo, niſi nupſeris? Reſp. Non ſubſiſtent nuptiæ, ſi verè timeatur; ne illæ minæ ſortiantur effectum; etenim ille etiam metus officit valori Matrimonii, quo quis cogitur iniquè ad Matrimonium generatim, ſeu non determinando ullam perſonam in particulari. Diana *Part. 4. Tr. 4. reſ. 33.* poſt Sanchez contra Abbat. Felinum, Azor. Nec obeſt, quòd alicubi lege ſtatuatur, ut, quæ nubere vult, nubat alicui ex hac certa familia, ſicut olim apud Judæos oportebat accipere uxores ex propria tribu, etenim Teſtamentum, aut Lex non mandat abſolutè nubere.

254 Ex his infertur, jure feciſſe Reverendiſſimum Dominum Sebaſt. Denichium Suffraganeum, & Vicarium Generalem, Ordinarium Monicæ, de qua hic Caſus XII. quòd eam liberaverit jugo prioris Matrimonii, dederítque putatitiò marito facultatem tranſeundi ad ſecunda vota; re etenim verâ ſatis, ſupérque probavit, ſe fuiſſe metu injuſto, & reverentiali, æquivalente gravi, adactam à matre ad illud conjugium. Perpendantur circumſtantiæ quas expreſſi, & probabitur illa ſententia, cùm præſertim Sacra Congregatio apud Lugonem *in Reſp. Moral. Lib. 3. dub. 16. num. 44.* disertè declarârit Matrimonium contractum per metum à matre incuſſum eſſe invalidum; & Barboſa *loc. cit.* idem ſcripſerit de quodam Matrimonio inito ex metu incuſſo à ſolo pædagogo. Non fuit quidem Monicæ factum jus nubendi mox alteri, quia dubitabatur, utrùm eſſet ob arctitudinem apta conjugio, attamen fuiſſet eodem jure gaviſa, ſi non obſtitiſſet arctitudo.

255 Porrò ſupponitur in tota hac materia de metu, præberi verum, & propriè dictum conſenſum in Matrimonium; ſi enim Monica ſolùm finxiſſet ſe conſentire, cùm tamen in animo perpetuò diceret: *Nolo hunc habere maritum: nolo me obligare ad dandam ei poteſtatem mei corporis, eſto verbis offeram ei poteſtatem mei corporis, eſto verbis oſtendam me dare*, tunc Matrimonium eſſet quidem etiam irritum, at non propriè ratione metûs, ſed ratione fictionis, ſeu omnimodi defectûs conſenſûs; ut declarabo *Tract. ſeq. Caſ. XI.* ille autem omnimodus defectus conſenſûs non reperitur in Matrimonio ex metu, verè enim adeſt tunc conſenſus, veráque voluntas accipiendi alterum in maritum; dicitur tamen deeſſe idcirco, quòd adſit tantùm imperfectè, ſcilicet cum admixtione diſſenſûs, continet quippe voluntarium *mixtum*, ſeu involuntarium *ſecundùm quid*. S. Tho. *1. 2. q. 77. a. 6.* Plura in elucidationem eorum, quæ protuli de metu, reperies *in noſtro Alphab. Quadrupl. Caſ. 5.* ubi latè diſſero de vi Voti editi ex metu, & quidem etiam ſolùm Virtualium minarum.

256 Dico II. Qui ex metu gravi init Matrimonium, ſciens, tale Matrimonium eſſe nullum, & init cum intentione exercendi actus permiſſos veris conjugibus, peccat moraliter. *Cap. Inquiſitioni. De ſentent. excomm.* quia ſcilicet habet animum exercendi actus fornicarios, nec enim poteſt, durante illo metu, exiſtere verum Matrimonium. Si autem non habeat animum exercendi illos, fingat autem ſe contrahere, ſeu conſentire in Matrimonium, cùm non habeat animum, peccat peccato mendacii; ſi verò non fingat, ſe conſentire, ſed verè conſentiat, attamen ex gravi metu, probabile eſt, ne venialiter quidem delinquere. Sanch. *Lib. De Matrim. Diſp. 16* Ludov. Engel *in Man. Paroch. Part. 4. cap. 3.* ſi quidem contrahat irretitus impedimento ſolius juris *Eccleſiaſtici.* Perez *De Matr. Diſp. 22. ſect. 5.* Ratio eſt, tum quia præcepta Eccleſiæ ordinariè non obligant cum periculo mortis. Perez *loc. cit* tum quia ita contrahens non irritat Sacramentum, applicando formam materiæ incapaci valoris; non enim facit id, cui ex Chriſti inſtitutione convenit ratio Sacramenti, hæc quippe ratio Sacramenti convenit ſoli contractui valido, ut rectè Perez *Diſp. 17. ſect. 12. num. 12.* Dicaſtillo, & alii.

Nec eſt hîc paritas cum Sacerdote peccante mortaliter, ſi ob metum mortis impertiat abſolutionem homini, quem novit eſſe indiſpoſitum; etenim talis verè profert verba propria formæ Sacramentalis ſuper indebitam materiam; at contrahens ex metu, non profert verba, & ſigna, quæ ſint verba, & ſigna conſenſûs, & ita non committit ſacrilegium, quia non quicunque conſenſus, ſed ſolùm legitimus eſt forma, & materia Sacramenti Matrimonii; atqui legitimitas ablata eſt per Eccleſiam à conſenſu extorto gravi metu. Ita Perez, qui præterea *cit. Diſp. 22. ſect. 5.* rectè monet, non ſequi ex hac ſententia, fas eſſe, conſummare tale Matrimonium; leges quippe Eccleſiaſticæ obligant etiam in periculo mortis, quando orirentur ex earum neglectu gravia incommoda; etſi autem non oriatur communiter grave incommodum, ſi ex metu contrahant cum impedimento juris *Eccleſiaſtici invalidè*, oriretur tamen, ſi *validè*, ut obſervat ibidem Perez, exprimens *num. 3.* neminem auſurum dicere, fore validum Matrimonium, quod intentato mortis metu iniretur abſque Parocho, conſummaretúrque. 257

Sicut aſſentitur idem P. Perez *loc. cit. num. 5.* Patri Gaſpari Hurtado *Diſp. 12. diffic. 4.* neganti, ullo in caſu licere contrahere cum Impedimento juris naturis, e. g. cum impotentia; cùm enim jus naturale ſit immutabile, aget talis contra jus naturale permanens, ergo hoc ipſo peccabit. 258

Sed contra ſuperiùs dicta objicies duo: 259 *Primum*, quòd, quæ ſeriò contrahit cum aliquo matrimonialiter, det ipſi propriè poteſtatem ſui corporis; atqui per Matrimonium invalidum non poteſt quis, aut quæ, tradere alteri

teri

Digitized by Google

ſeri poteſtatem ſui corporis, eſſet enim hoc conſentire in copulam fornicariam. *Alterum*, quòd mulier ita contrahens exponat ſe evidenti periculo perpetiendi à putatitio marito fœdiſſimos tactus, &c. & quidem libenter admittendi: ergo non licet ob ullum metum ſeriò contrahere cum impedimento dirimente.

260 Ad has duas objectiones ab aliis præteritas reſpondeo 1. Dat *licitè* illam poteſtatem, ſicut viator *licitè* latroni mortem minanti ſuam crumenam, non tamen dat *validè*, quia maritus nequit ob nullitatem contractûs uti illâ poteſtate. 2. Poteſt ſæpe, & tenetur talis vitare proximum periculum illarum turpitudinum; ſi nequeat vitare, immineat autem ipſi graviſſimum malum, niſi cohabitet marito, poterit cohabitare, præſertim ſi ſit duntaxat periculum patiendi illas ſpurcitias, non autem approbandi *poſitivè*, quandoquidem DD. à nobis alibi relati tradunt, fas eſſe, ad evitandam mortem, & alia ejuſmodi mala, exponere ſe proximo periculo admittendi poſitivè, & conſentiendi in hæc, & alia peccata.

261 Dico III. Licet conjux, quæ metu injuſto adacta iniit Matrimonium, habeat commercium carnale cum putatitio marito, non tamen hinc mox ſequitur, Matrimonium validari per tale commercium. Ita omnes. Ratio eſt, quia inprimis fieri poteſt, ut etiam ex ſolo metu pateat petenti tale debitum, aut pareat ex errore quòd putet valere Matrimonium, aut denique etiam, ut ex mera libidine conſentiat in copulam, cogitans expreſſè non manere in tali conjugio. His ſanè caſibus copula non efficit Matrimonium ex irrito ratum; nec enim poteſt ex irrito ratum fieri, niſi per conſenſum liberum. Quòd ſi verò copula habeatur ex ſincero affectu conjugali, tunc hoc ipſo conſentitur, vel conſenſum fuit liberè in id conjugium, nec enim poteſt adeſſe affectus verè conjugalis ſine tali conſenſu, qui ſcilicet vel tunc primùm eliciatur, vel elicitus ſit, aut aliquamdiu antè, aut in ipſamet proxima præparatione ad copulam carnalem, ut explicat Dicaſtillo *Diſputatione 2. dubio 14.* interim rectè oſtendens, ipſam copulam non eſſe aut ipſummet conſenſum, aut certum ſignum præſentis, vel præteriti conſenſûs.

262 Et verò quando aliqua puella Annum unum cum dimidio vixit in tali coacto conjugio, cohabitans quietè (cùm potuerit aufugere) marito, eſt tam firma præſumptio *juris, & de jure*, quòd affectu maritali cohabitârit, ut etiamſi poſſit clarè probare, ſe ex metu injuſto contraxiſſe; non tamen admittantur ejus probationes. Habetur expreſſa deciſio *in cap. Ad id, quod. 21. De ſponſal. & Matrim.* quod quidem capitulum loquitur de ſola diuturna, id eſt, Anni unius cum dimidio cohabitatione, etiam abſtrahendo à copula conjugali, ut obſervat expreſſè Perez *ibidem Diſp. 17. ſect. 13.* ſatiſque innuit Gloſſa *ibid.* & Barboſa; quia ſcilicet, ſi non placuiſſet illud Matrimonium, aufugiſſet intra tantum temporis puella illa nondum trecennis, de quo tractatur *in cit. capit. Ad id.* Vide tamen Wangnereck *in Commentar. in hoc Capitulum.*

Dubitabis, quid agendum ſit puellæ, quæ vel à parentibus injuſtè compellitur ad ineundum certum quoddam Matrimonium, vel compellitur à Magiſtratu Eccleſiaſtico, ob falſam teſtium depoſitionem, præſumptionéſque reipſa falſas judicante, eſſe ab ea factam promiſſionem matrimonialem; Vel illa puella ſcit, intercedere occultum, ſibique probroſum impedimentum? 263

Reſp. Debet 1. & 2. caſu vel ſponte conſentire in Matrimonium, & copulam, ita ut metus non ſit proxima cauſa, ſed tantùm occaſio conſenſûs, vel conſentire in Matrimonium, non verò in copulam, vel ſe habere eo modo, quem indicavi *num. 260.* vel denique potiùs ſubire mortem, quàm præſtare talem conſenſum. Vide Sanchez *Lib. 2. Diſp. 39. num. 13.* Quid autem agendum in *tertio* caſu, aperiam infrà.

Denique ex dictis toto hoc Caſu deduces, quid faciendum fuerit in alio Caſu mihi propoſito a quodam Viro Magnifico Anno 1639.

Caſus non recentiſſimus.

Magdalena celebravit cum Morando ſponſalia; ſunt facta denuntiationes, atque intra biduum tradenda ſolenniter, & in facie Eccleſiæ Magdalena Morando, interea aperuit in tribunali confeſſionis, ſe biennio antè carnaliter peccâſſe cum Morandi conſanguineo in ſecundo gradu. Addit, ſe non poſſe reſilire à nuptiis tum propter ingentem infamiam, tum propter iram parentis, ita ægre laturi hoc familiæ ſuæ probrum, ut certò ſit ipſam gladio confoſſurus, ſi reſciverit cauſam dilatarum nuptiarum. Quid tunc licet Magdalenæ; quid conſilii capiendum Confeſſario? 264

Reſp. I. Licet Magdalenæ contrahere ſine intentione copulæ conjugalis, & actuum venereorum, at non licet cum ejuſmodi intentione. *Prima* pars conſtat ex dictis *n. 256. altera* ex dictis *num. 256.* ubi oſtendimus, ne mortis quidem metum efficere, ut *validè* contrahatur Matrimonium cum impedimento dirimente. Vide Sanch. *Lib. 7. Diſp. 5.*

II. Fortè evadet infamiam ſimul, & mortem, ſi emittat votum caſtitatis ad unum, duóſve menſes, iſt eſt, ad tantum tempus, quantum neceſſe eſt ad petendam ſimul & impetrandam diſpenſationem vel à Papa, vel ab Epiſcopo juxta dicenda *Caſu XXI. n. 582.* etenim

Digitized by Google

nim manifeſtando, ſe habere tale votum, aut differentur nuptiæ, aut non poterit cogi ad reddendum debitum conjugale. Quin poterit dicere, ſe velle poſt ipſas immediatè nuptias uti privilegio bimeſtris deliberationis de ſtatu mutando, juxta doctrinam adferendam *Part. 2. hujus Alphabeti*, ſeu *Tract. ſeq. Caſ. XIX.*

265 III. Confeſſarius quæret, quanta poterit cum honeſtate ex Magdalena, an ipſa quoque ſemen emiſerit, quandoquidem ad contrahendam affinitatem requiri etiam fœminæ ſeminationem, tradunt multi referendi *Caſ. XVI.* Sanè præſtat, ſequi in praxi hanc doctrinam, quàm permittere, ut ineat Matrimonium invalidum ſine animo conſummandi, hic enim animus nimis facilè mutatur. Quòd ſi intercesserit perfecta copula, nec videatur poſſe aliter occurri graviſſimis malis, ſeu peccatis, quàm ineundo Matrimonium cum intentione conſummandi, debebit Confeſſarius cum facultate pœnitentis petere diſpenſationem ab Epiſcopo; poſſe enim ab eo diſpenſari in tali caſu, dicam infrà *Caſ. XXI. n. 576.* & *583.* Vide *cit. Caſ XXI. n. 592.* plura huc facientia, ſicut & *Tract. ſeq. num. 637.* atque *in Quinario Tract. 5. cap. 37. n. 111. & ſeq.*

266 His omnibus addo, me ſuadere, ut quando vel judex Eccleſiaſticus, vel Theologus ab eo conſultus habebit Caſum perplexum ob allegationem metûs Matrimonium comitati, conſulat diligenter Deciſiones Auguſtini Barboſæ, nam reperiet *in libro primo* doctiſſimè ſimul, & enucleatiſſimè diſcuſſos hoſce Caſus. I. Adoleſcentis 15. annorum, qui Matrimonium contraxerat inductus ſolius ſui pedagogi importunis precibus, metu reverentiali, & probabili ſuſpicione mortis (etſi hujus comminatio aperta non præceſſerit) inferendæ ſibi, ni pareret. II. Alterius juvenis, qui etiam contraxerat, ſed metu incuſſo à patre, qui & adhibuerat perſuaſiones, precéſque importunas, & minatus erat, ſe non agniturum illum pro filio, niſi acciperet uxorem deſignatam à ſe, ſed privaturum bonis, & relicturum obnoxium ſuæ maledictioni. III. Puellæ, quæ ab infantia orba parentibus, educatáque à matertera nupſit quidem juveni, ſed inducta materteræ verberibus, minis, nimiis perſuaſionibus, & importunis precibus *cum terribilitate.* IV. Filii, qui contraxerat per verba de præſenti, gravi metu inductus à parente, quòd ſcilicet eum, niſi illico contraheret, bonis omnibus, & legitimâ, aliquo prætextu, privaret, & quòd officium à Rege ſibi donatum cum facultate reſignandi,

267 nullatenus illi, ſed alteri renunciaret. V. Nobilis adoleſcentis, qui etiam accepit uxorem ſolicitatus, & perſuaſus à matre, ſub cujus poteſtate erat, accedentibus pluribus importunationibus, & moleſtis perſuaſionibus quorundam conſanguineorum. Primum caſum exhibet Barboſa. *Lib. 1. vot. 1.* Secundum *Lib. 1. vot. 1.* Tertium *ibid. vot. 2.* Quartum *eod. Lib. vot. ultim.* Quintum *Lib 3. vot. 127.* Quatuor priora Conjugia pronuntiantur invalida; at quintum validum, & quidem primum ſtatuitur eſſe invalidum, etiamſi ille adoleſcens immediatè, antequam contraheret, dixerit, ſe ſponte contrahere: addito, illo *Caſu 2. & 3.* metum ſufficienter probari per unum teſtem de viſu, aut ſi fama accedat, per unum de auditu; & teſtimonium unius, aut duorum de viſu eſſe in materia coactionis pluris faciendum, quàm mille aliorum negatium interceſſiſſe metum.

ORDO QUALIS DIRIMAT MATRIMONIUM?

CASUS XIII.

Centomanenſis.

SUMMARIUM.

Caſus juſſi dimittere mulierem, quam duxerat conſtitutus in Ordine Subdiaconatûs. 268.

Indicantur remiſſivè complura de caſtitate ſervanda, & non ſervanda à promotis ad ſacros Ordines. 269.

Vis impediendi Clericorum Matrimonium unde proveniat immediatè? 270.

Utrùm conſtitutus in Majoribus committat certò crimen ſacrilegii, oblectans ſe ſe rebus turpibus? 272.

An admittat ſpecie diſtinctum peccatum compater, qui turpiter concupiſcit commatrem? 273.

Caſus rati, votum continentiæ eſſe annexum Minoribus Ordinibus, quos ſuſceperat. 274.

NIcolaus lator præſentium, ſicut ex literarum tuarum tenore accepimus, in Subdiaconatûs officio conſtitutus, quandam ſibi in conjugem copulavit, quam eandem abjurare feciſti; ſuper quo prudentiam tuam in Domino commendamus, mandantes, quatenus, ſi ad Monaſticum Ordinem tranſire voluerit, & tibi poſt laudabilem converſationem ipſius viſum fuerit, eum ad Majores Ordines promoveri concedas; quòd ſi ad Religionem ſe transferre noluerit, eum neque in Subdiaconatu miniſtrare, neque ad altiores permittas Ordines promoveri, in Minoribus tamen Ordinibus miniſtrare poterit. 268

Sic omnino reſpondit, ſanxítque Alexan- 269
der III. ut videre eſt *cap. 2. Qui clerici. vel Monachi Matr. contrab. poſſ.* Ex qua deciſione palàm eſt, initiatum Ordine Subdiaconatûs eſſe inhabilem ad nuptias, ut jam indicavi *in Alph. Ordin. Caſ. XX.* ubi etiam oſtendi ſequentia 1. Omnes Subdiaconos ad continentiam obligari ratione voti, ex ordinatione Eccleſiæ adjecti ſuſceptioni Hypodiaconatûs, ut habet com-

communior, non tamen omnino certa opinio adverſùs Scotum, Paludanum, Valentiam. 2. Etiam illum, qui ignorat, hoc votum eſſe annexum Ordini ſacro, fieri reum illius, ſi libere ſuſcipiat Ordinem. *num.757.* ſecùs, ſi id non ignorans expreſſè dixerat, ſe nolle promittere caſtitatem. *ibidem.* 3. Peccatum turpitudinis, admiſſum à Subdiacono, aut Preſbytero, eſſe probabiliter ejuſdem ſpeciei, cujus admiſſum à Laico habente votum ſimplex caſtitatis. *num.759.* 4. Votum illud non obligare eum, qui tantùm fictè ſuſcepit Ordinem. *num. 760.* ſicut nec illum, qui recepit in infantia, at non ratificavit, adepta jam pubertate. *num. 762.* & nec illum, in cujus Ordinatione admiſſus fuit error ſubſtantialis. *num. 762.* & nec illum, qui ex metu cadente in conſtantem virum permiſit ſe ordinari. *num.764.* addente expreſſè P. Leſſio *De juſtit. Lib.2. cap.40. dub.3. num.17.* eſſe ſatis probabiliter idipſum dicendum de ordinato ex metu duntaxat reverentiali, quo ſcilicet quis præciſè per pudorem, & reverentiam non audet contradicere parenti. Sed hanc in hoc ſenſu extenſionem fortiter negat P. Suarez *Tom. 3. De Relig. Lib. 6. cap. 4.* licèt ſit vera, quando tali reverentiali metui junguntur aliqua ex iis malis, ob quorum formidinem illum æquivalere metui gravi dixi ſuprà *Caſ.XII. num.249.* ex Leſſio. Vide plura de hoc metu Reverentiali *in Alphab. Quadruplici Caſ.V.* ubi excutio recentiſſimum Caſum Canonici Subdiaconi, permiſſi tranſire ad nuptias.

270 Quæres, *utrùm vis impediendi Matrimonii proveniat immediatè ex Voto annexo Ordini ſacro, an verò immediatè ex ordinatione Eccleſiæ?*

Reſp. Semper ex ordinatione Eccleſiæ, ferè ſemper ex voto. *Primum* inde patet, quia ſicut quiſpiam ob affinitatem, e. g. contractam cum aliquo fit *immediatè* ex inſtitutione Eccleſiæ inhabilis ad nuptias propter affinitatem prohibitas, ita etiam reddit Eccleſia aliquem inhabilem ad Matrimonium immediatè, ſeu hoc ipſo, quòd liberè, & ſeriò ſuſceperit Hypodiaconatum.

271 *Alterum* inde liquet, quòd omnes communiter emittant, certè omnes omnino emittere deberent, ut oſtendi *in cit. Caſu XX. Alphab. Ordin.* votum ſolenne caſtitatis, quod quidem ex inſtitutione Eccleſiæ habet vim dirimendi Matrimonii, ſicut habet e. g. compaternitas. Quòd ſi tamen Subdiaconandus expreſſè diceret, ſe nolle facere id votum, eſſet quidem liber voto, non tamen obligatione vovendi continentiam, & ſi tranſiret ad nuptias, forent hæ ſacrilegæ, & nullæ, non quidem ratione voti, utpote quod ſupponitur fuiſſe nequiter omiſſum, ſed ratione ipſius præciſè Ordinationis ſacræ libere ſuſceptæ.

272 Quæres rurſum, *ſitne omnino certum, Subdiaconum, qui moroſè, mortaliterque delectatur rebus turpibus ſine ullo deſiderio ulteriore, peccare peccato ſacrilegii, neceſſariò explicando in Confeſſione?*

Hanc quæſtionem novam propoſuit mihi novus Diaconus quatriduo priùs, quàm illam referrem in *primam* editionem, adeóque die 2. Januarii Anno 1664. cui reſpondi, & reſpondeo, eſſe quidem probabiliſſimum, non tamen certum, probabiliſſimum quidem, quia eſt longè receptior ſententia Cajetani contra Scotum, & alios, quòd omnes Subdiaconi ſint ex mandato Eccleſiæ obſtricti voto perfectæ caſtitatis, quo proinde complectantur fugam etiam moroſarum delectationum, addo tamen, id non eſſe certum, quandoquidem multi cum Scoto inficiantur, emitti à Subdiaconis votum continentiæ, aſſerentes obligationem obſervandæ hujus proficiſci unicè ex mandato Eccleſiæ, quæ quia probabiliſſimè nequit *directè* imperare, aut vetare actus purè internos, qualis eſt delectatio moroſa venerea, ideo jure nego, illam reſolutionem eſſe certam.

Sicut autem *in Alphab. Baptiz. Caſ. XVII. num. 596.* reſolvi, prava deſideria, quibus compater concupiſcit ſuam commatrem, eſſe ſpecificanda in exhomologeſi, ita & illa, quibus uritur animus jam exiſtentis in Majoribus. 273 *Ergo ſacerdos collutulans ſuam animam illis prioribus ſpurcitiis ſufficienter confitebitur dicens: Toties, aut toties habui delectationes moroſas venereas, eſto non explicet, ſe eſſe in Sacris?*

Reſp. Sufficienter, ſi ſciat, ſe non edidiſſe votum continentiæ.

Quæres denique, *quid reſpondendum ad hunc*

Caſum ſat curioſum?

Nicomedes aſpiravit ad Clericatum ita imperitus juris Eccleſiaſtici, ut exiſtimârit, votum caſtitatis eſſe annexum ipſis quoque Minoribus Ordinibus, cúmque hac falſâ perſuaſione ſuſcepit illos, priuſquam tamen crearetur Subdiaconus, duxit uxorem, conſcientiâ multùm obmurmurante, poſtea dubitavit, an ſubſiſteret hoc connubium. An meritò? 274

Reſp. Immeritò, non tamen penitùs imprudenter, ſiquidem magni Canoniſtæ, Joannes Andreas, Butrius, Ancharanus, Imola cenſuerunt, tale Matrimonium non ſubſiſtere, ſed refutantur inde, quòd nemo valeat emittere votum, quod privatâ autoritate, vel errore poſſit dirimere Matrimonium, peccavit ergo mortaliter Nicomedes, celebrans nuptias contra erroneam conſcientiam, attamen factum tenuit, ut rectè P. Eſcobar *in Theolog. Moral. Lib. 27. cap. 28. dub. 70.* poſt Sanchez *Lib. 7. De Matrim. Diſp. 31. num. 5.* Bonac. Leandrum, alióſque communiter. 275

LIGAMEN QUOMODO DIRIMAT MATRIMONIUM?

CASUS XIV.

Militaris.

SUMMARIUM.

Caſus mulieris fruſtra allegantis mortem mariti, & volentis tranſire ad aliud conjugium. 276.
Quando adeſt urgens cauſa, oportet, etiam in materia de tranſitu ad aliud conjugium ſequi opinionem mitiorem. 277.
Opinio Lutheri de Polygamia. 279.
Regina Cingæ habuit 40. maritos vivos. Ibid.

276 *OLaus homo ruſticanus, exercénſque agriculturam, poſtquam ſuâ cum uxore vixit in Matrimonio ſexennium pacificè, juſſu Magiſtratûs arma ſumpſit, cúmque vicinis ruſticis conceſſit in locum, à ſuo pago non niſi ſeſqui horâ diſtantem, ut illic adverſus Suecos tueretur præſidium militare, at interceptus ipſe cum ſuis, debuit pugnare citiùs, quàm ſperabat, ita autem infeliciter cecidit prælium, ut magna pars commilitonum fuerit obtruncata, ipſe verò Olaus domum non redierit, nonnullis dicentibus, eum fuiſſe ab ipſis viſum paulo poſt certamen, nemine autem etiam commilitonum è prælio ſuperſtitum aſſerente, fuiſſe aut læſum, aut occiſum. Ubi octennio integro obfuit, nec quidquam prorſus de ejus vita, aut morte potuit ulteriùs reſciri, uxor ejus adjecit animum ad Matrimonium. Parochus remiſit ad D. Ordinarium, priùs tamen ad me. Quæritur 1. Quid Parocho faciendum fuerit? 2. Quid à me reſpondendum? 3. Quid à Reverendiſſimo Domino Ordinario?*

277 Appello hunc Caſum *Militarem*, quia & ruſticus ille evaſit in militem, & maximè ratione militiæ oriuntur dubia de morte alterutrius conjugum, ut docet experientia etiam mea, utpote qui hîc locorum facilè triginta ejuſmodi verbo, & ſcripto reſolverim. Dubia autem illa ſunt ſæpe ita perplexa, vix ut viri etiam pereruditi, uſúque longo docti evolvere queant, nedum ii, qui omnino novi ſedent ad clavum navis Eccleſiaſticæ, vel Parochi, aut Confeſſarii vulgares, qui tamen deberent poſſe ſubminiſtrare prudens conſilium iis, à quibus conſuluntur in hac materia. Quò igitur facem iis aliquam non planè obſcuram præferam, exhibebo hîc utiliſſima, & maximè practica ex iis, quæ partim ipſe in diverſis Epiſcopatibus uſu didici, partim in probatiſſimis Scriptoribus legi hanc in rem, indicaturus, quinam à me, meiſque Doctoribus in hac, aut illa opinatione diſſentiant probabiliter, ut horum ſententia tuto, præferatur meæ ſaltem tunc, quando videbitur exigere aliqua urgens cauſa, tunc enim vel maximè oportet ſequi benigniora propter tot rationes, quas *in Clypeo Clementium Judicum*, qui primum locum tenet *in Quinario*, profero, partim in defenſionem, partim etiam in commendationem judicum fori *interni*, *externique*, ſequentium opiniones mitiores, certò probabiles practicè.

Ratio autem, cur hoc loco pertractem hoc 278
argumentum, eſt, tum quia alii plures me prævenerunt exemplo, tum quia per vocabulum *Ligamen* expreſſum in altero ex carminibus vulgaribus *num.* 13. deſcriptis deſignatur vinculum Matrimoniale, quo ſcilicet quis eſt legitimè copulatus alteri, hæc enim legitima copulatio facit, ut nequeat *validè* iniri Matrimonium cum aliâ, quamdiu durat vinculum. *Matth.* 19. & in Trident. Concil. *Seſſ.* 24. *initio de Sacram. Matrim.*

Quare non niſi ex beſtiali laſcivia ſcripſit 279
non ſemel Lutherus, ne quidem Chriſtianis vetitam eſſe Polygamiam, ſeu plurium ſimul uxorum connubium, ſicut demonſtrant tum Scholaſtici Theologi, explanantes impedimentum Ligaminis: tum vel maximè Controverſiſtæ, diſſerentes de impedimentis Matrimonii, cujus proinde ulteriorem probationem omittam, ſicuti & definitionem illius controverſiæ, utrùm ſcilicet Polygamia ſit vetita ſolo jure *Divino*, an verò etiam *naturali*? Nihilominus tamen obſervans, perquam ſapienter à S. Auguſtino *Lib.* 3. *De Doctrina Chriſtiana cap.* 12. & *Lib. De bono conjugii, ſeu conjugali cap.* 17. demonſtrari, connubium unius mulieris cum pluribus viris omnino repugnare rationi, ut proinde certum ſit, tranſgreſſam eſſe omnes naturæ, & pudicitiæ metas illam Reginam Cingæ (eſt Regnum Cingæ non procul diſſitum à Regno Congo) quæ priuſquam à Patribus Capucinis reduceretur ad fidem Orthodoxam, à qua deſciverat ad Atheiſmum, habebat copulatos ſibi conjugio quadraginta viros ſuperſtites, ſicuti & reliquæ per Cingam mulieres tot ſibi ſociabant, quot ipſis collubitum erat, quemadmodum videre eſt *in Itinerario Ieroſolymitano P. Ignatii Rheinfeldenſis ſub finem.* Alia non planè aliena ab hoc argumento involvo ſilentio, ut tantò accuratiùs, diſtinctiùs, atque ad uſum accommodatiùs pertractem hoc argumentum, proferendo in medium partim varias doctrinas practicas, huc maximè facientes, partim varios ſpeciales Caſús, propoſitos mihi, aliiſque, atque reſolutos.

Igitur ediſſeram 1. *Quid facto opus, aut licitum ſit conjugi, habenti vel dubium, vel indicium de morte ſui comparis?* 2. *Quid Parocho intelligenti ſimile quid?* 3. *Quid Confeſſario?* 4. *Quid Magiſtratui Eccleſiaſtico, cognoſcenti eſſe* 280

ita

ita contractum Matrimonium, vel rogato, ut permittat tranſitum ad ſecundas nuptias? 5. *Quid agendum conjugibus ipſis, quando, ſecundis nuptiis bonâ fide contractis, exoritur vel dubium, vel certitudo de vita prioris conjugis?* Haſce quæſtiones diſſolvam Sectione *primâ* hujus Caſûs, ſeu Capitis, allaturus in *ſecundâ* varios Caſus *Factos*, non *Fictos*, proprios hujus loci.

SECTIO I.

Proponuntur & ſolvuntur præcipuæ quæſtiones de præſenti materia.

SUMMARIUM.

Quid licitum, vel illicitum ſit uni conjugum, aſpiranti ad ſecunda vota ob opinionem de morte compartis? 281.
Caſus è Jure Canonico de conjugibus, ob bellicam captivitatem conſortium volentibus contrahere cum aliis. 282.
Quid in reſolutione illius Caſûs ſignificet verbum: Conſtare? 284.
An valeat Matrimonium initum cum dubio de morte conjugis? 286.
An abſentia ſeptennalis prabeat ſufficientem cauſam transferendi ſe ad aliud Matrimonium? 288.
Ex doctrinâ, quòd jus præſumat, vitam hominis extendi ad Annum centeſimum, reſolvitur caſus curioſus. 289. *&* 290.
An, ut licitè *tranſeatur ad aliud Matrimonium, exigatur certitudo* moralis? 292.
Quid ſit certitudo moralis? 293.
Referuntur hanc in rem tres caſus. 295. *& ſeqq.*
Quid agendum Parocho, quando non ſuppetunt indubitata mortis teſtimonia? 301. *& ſeqq.*
Quid Confeſſario? 304.
Quid ipſimet Ordinario poſt Matrimonium jam contractum? 305.
Quid ante contractum? 308.
Quid in Iure intelligatur per certum nuntium. Ibid.
Duo teſtes de morte gignunt certitudinem moralem. 310.
Quid ſi inter hos ſit ipſamet Vxor? Ibid.
Declaratur caſu novo. 311.
Quid intelligatur per teſtem de viſu? 312.
Quid ſi adſit ſolùm unus teſtis? 315.
Permittitur judici decernere, adſitne ſufficiens probatio mortis, necne. 316.
An, & quando fama ſufficienter probet mortem alicujus? 317. *& ſeqq.*
Proponitur pro Superioribus reſolutio caſûs bene ſpecificati. 323.
Quid agendum, quando ſecundis nuptiis bonâ fide contractis ſupervenit maritus habitus pro mortuo? 324.
Quid ſi fuit mortuus primùm poſt nuptias celebratas? 325.

QUæres I. *Quid licitum, illicitúmve ſit uni conjugum, aſpiranti ad ſecunda vota propter dubium, vel opinionem de obitu conſortis?* 281

Reſp. I. Quamdiu propriè dubitat, utrùm ſuus, aut ſua conjux vivat adhuc, an jam vixerit, id eſt, ingreſſus ſit viam univerſæ carnis, nefas eſt ipſi inire aliud Matrimonium. Ita omnes, quia ſcilicet in dubio non præſumitur mutatio, & in dubio ſervanda eſt fides data alteri.

Confirmo hanc certam reſponſionem Reſcripto, quod Lucius III. dedit, refertúrque in *cap. Dominus* ſeu 2. *De ſecund. nupt.* & eſt 282

Caſus de Univerſis Chriſtianis in captivitate Saracenorum poſitis.

S*Anè ſuper Matrimoniis, quæ quidam ex vobis, nondum habitâ obeuntis conjugis certitudine, contraxerunt id vobis reſpondemus, ut nullus amodo ad ſecundas nuptias migrare præſumat, donec conſtet, quòd ab hac vita migraverit uxor ejus. Si verò aliquis, aut aliqua id hactenus non obſervavit, & de morte prioris conjugis adhuc ſibi exiſtimat dubitandum, ei, quæ ipſi nupſit, debitum non deneget poſtulanti quod à ſe tamen noverit nullatenus exigendum, quòd ſi poſt hac de prioris conjugis vita conſtiterit, relictis adulterinis complexibus, ad priorem conjugem revertatur.*

HactenusReſcriptumPontificium huc tranſlatum. 1. Quia apprimè ſerviet deffiendis paulò pòſt nonnullis dubiis. 2. Quia formidandum, ne miſeranda, crudeliſſimáque captivitas, atque interfectio tot millium Chriſtianorum, peracta jam, imminénſque à cruento Chriſtianitatis hoſte Turca (ſic ſcribebam Anno 1665. quo hoc Alphabetum fuit primâ luce donatum) cogat ſæpius reſpondere ad caſus planè ſimiles præſenti, ut liquet ex ipſo titulo, quo inſignitur illud capitulum *ſecundum*, quémque cenſui, hanc ipſam ob cauſam, huc tranſferendum, & exprimendum, non eſſe fas, ulli ejuſmodi captivo tranſire ad ſecundas nuptias, donec conſtet ipſi, quòd ab hac vita migraverit uxor ejus. 283

Interrogabis 1. *Quid hic ſignificet verbum* Conſtare? 284

Reſp. Iſtud verbum habet hanc vim, ut conſtet per inſtrumenta, vel per teſtes, ſive etiam per ſententiam, aliámve claram probationem. Expreſſè Maſcardus *De probat. concluſ. 75. num. 21.* præter alios apud Barboſam *in Tract. De Dictionibus, in dict. Conſtat,* dicentes, illud conſtare, quod caret omni dubitatione.

Interrogabis 2. *Vtrùm reſolutio, quam Pontifex* 285

tifex dedit de illis captivis, extendenda ſit ad omnes, non modo ſimiles captivos, ſed etiam non captivos?

Reſp. Licèt DD. non faciant diſcrimen inter taliter captivos, & non captivos, cenſeo tamen, ſalvo meliori judicio, fieri poſſe rationabiliter. Ratio eſt, quia tales captivi longè rariſſimè poſſunt quid certi comperire, ergò id, quod communiter cognoſcunt, eſt incertiſſimum, ergo non licet iis ſuâ communi, ordinariâque notitiâ ſtare, ergo conſequenter eſt eis nefàs, ſine certitudine aſpirare ad alium torum, at quia alii Chriſtiani viventes liberè inter Chriſtianos poſſunt communiſſimè habere relationes minùs obnoxias erroribus, ideò non eſt paritas inter hos, atque illos. Ergo lex naturalis videtur exigere ab ejuſmodi captivis certitudinem objectivam (in formali eſt paritas) majorem, ſeu exactiorem, & quaſi ſcrupuloſiorem, de obitu conjugis, quàm ab aliis communiter.

286 Interrogabis 3. *An valeret Matrimonium quod quis iniret proprie dubius de morte conjugis?* Reſp. Negat quidem àpud Barboſam *in cit. cap. 2. De ſec. nupt.* Baſilius Pontius *De impediment Matrim. cap 13. §. 5.* Sed meritò refutatur ab eodem Barboſa, nam nullum planè jus decernit irritationem, caſu, quo reverà deſierat jam tunc vivere conjux, quando de ejus vitâ dubitabatur.

Jam verò ut redeamus ad *principalem* quæſtionem propoſitam. *num. 281.*

287 Reſp. II. Quando conjugi non ſuppetit ullum argumentum credendi, maritum eſſe mortuum, niſi hoc, quòd ſcilicet jam ſeptennio abfuerit, & poſt diligentem inveſtigationem reſciri nequit, utrùm ſit mortuus, necne. certum eſt, peccaturam, ſi nubat alteri. Audi quid Clemens III. *in cap. In præſentia. De ſponſal.* reſponderit ad hanc quæſtionem, &

Caſum Communem.

288 *IN præſentia noſtra quæſiviſti, quid agendum ſit de mulieribus, quæ viros ſuos cauſâ captivitatis, vel peregrinationis abſentes, ultra ſeptennium præſtolatæ fuerint nec certificari poſſunt de vita, vel de morte ipſorum, licèt ſuper hoc ſolicitudinem adhibuerint diligentem, & pro juvenili ætate, ſeu fragilitate carnis, nequeunt continere, petentes aliis Matrimonio copulari. Conſultationi ergo tuæ taliter reſpondemus, quòd quantocunque Annorum numero ita remaneant, viventibus viris ſuis, non poſſunt ad aliorum conſortium Canonicè convolare &c. donec certum nuntium recipiant de morte virorum.* Ita Pontifex.

289 Unde omnes tractantes hoc argumentum inferunt, quantocunque tempore abfuerit maritus, vel uxor, niſi hæc tanta abſentia fulciatur alio argumento, non haberi ſufficiens fundamentum mortis, & conſequenter neque jus transeùndi ad ſecundas nuptias, quidquid in contrarium ſtatuerit olim jus Civile *Leg. Vxores. ff. De divort.* cùm præſertim jura præſumant, ætatem hominis extendi ad Annum centeſimum, ſi credimus Jaſoni, Navarro, & aliis apud Sanchez *Lib. 2. Diſp. 46. n. 1.* Quos meritò refutat P. Henric. Wangnereck *commentar. in cit. cap. In præſentia.*

Quid ſi ergo juvencula nupſit ſexagenario? & poſtquam illi convixit Annos decem, fuerunt ob Tartarorum, Moſcovitarum, Turcarum &c. barbaras excurſiones invicèm ſeparati, effluxitque ſpatium quindecim Annorum, ex quo nequit uxor quidquam intelligere de marito. An licitè *nubet alteri? Etenim præſumptio de longitudine vitæ extenditur ad centum Annos, qui nondum effluxerunt ab Anno nativitatis.* 290

Novi ego, nôrunt plures, ejuſmodi vetulos, 291 qui imitati Regem Davidem copulavêre ſibi conjugio aliquam Abiſag, id eſt, juvenculam, ac proinde poteſt utique contingere Caſus omnino ſimillimus huic, indeciſo tamen à DD. Diceret Navarrus conſequenter, *illicitè* nupturam alteri, quia ageret contra præſumptionem illam Juris. Sed rectiſſimè negat Menochius *præſumpt. 89. n. 1.* Sanchez *cit. num. 1.* Wangnereck *loc. cit.* & alii hanc præſumptionem, quia Jura non præſumunt Caſus rariſſimos *cap. Inſpicimus. De Reg. Jur. in 6.* eſt autem vir centenarius rariſſima avis in terris. Ego itaque cenſerem, niſi *poſitivè* conſtaret, talem ſenecionem eſſe, ſeu fuiſſe complexionis prævalidæ, fas fore ipſi Abiſag tranſire in circumſtantiis hîc expreſſis ad alium torum, quia ceſſaret omnis de ejus vita præſumptio, ac loco hujus adeſſet præſumptio de morte. Wangnereck *loc. cit.* & inſuper circumſtantia captivitatis gigneret de morte certitudinem huc ſufficientem.

Reſp. Quippe III. Ut mulier *licitè* tranſeat ad ſecunda vota, non eſt neceſſaria certitudo *moralis*, ſed ſufficit veroſimilis præſumptio. Ita poſt S. Antoninum, Silveſtrum, Navarrum, alios permultos apud P. Sanchez *Lib. 5. d. 46. n. 3.* tenet ipſe Sanchez *ibid. n. 2.* quidquid dicat *num. 6.* Tenet quoque Laymannus *Lib. 5. Tract. 10. Part. 3. cap. 3. num. 1.* Wangnereck *loc. cit.* atque alii plures contra Sotum, Anglem, alios apud Sanchez *cit. n. 6.* cum Tannero *Diſp. 8. quæſt. 4. dub. 6. num. 106.* Palao *De ſponſal. Diſp. 4. p. 3. §. 1.* & liquet *ex cit. cap. In præſentia.* 292

At *quid intelligis per certitudinem Moralem?* 293 Reſp. Illam, qua vir prudens, attentis circumſtantiis, redditur certus. Sanchez *loc. cit. Diſp. 45. n. 4.* poſt Silveſtrum, & alios, ſeu quando prudenter ita creditur, ut contrarium videatur nullo modo probabile. P. Leſſius *Lib. 2. De juſt. cap. 10. num. 39.* ſeu illam certitudinem, quæ prudentis arbitrio ſufficit ad credendum,

Digitized by Google

dendum, priorem conjugem certò mortuum eſſe. Bonacina *De Matrim. quæſt. 3. p. 10. n. 12.* Probatur jam reſponſio, tum quia in *moralibus*, in quibus plerumque nequit haberi omnimoda certitudo, ſufficit homini ad inſtituendas prudenter ſuas actiones probabiliſſima, licèt non omnino certa opinio, & præſumptio, ut rectè argumentatur Laymannus *loc. cit. num. 2.* ſaltem, quando nullus alius eſt in poſſeſſione, tum quia reſolutio *cap. Dominus* nihil officit huic doctrinæ, ut oſtendi *num. 285.* multò minùs capitulum *In præſentia*, quod Sanchez *n. 6.* pro ſe adducit, illa enim clauſula: *Certum nuntium recipiant*, non refertur ad privatas perſonas, ſed ad ſolum judicem, ut patet ex litera deſcripta ſuprà *num. 288.* quidquid velit Sanchez, judex enim non debet in re tanti momenti exponere ſuam ſententiam periculo morali nullitatis, aut reſciſſionis, tum quia *cap. Cùm per bellicam. 34. quæſt. 1.* ait Leo Pontifex: *Nec tamen culpabilis judicetur, & tanquam alieni juris pervaſor, qui perſonam ejus mariti, qui jam non eſſe exiſtimabatur, aſſumpſit.*

294 Dices: *Hæc ſunt nimis obſcura, & generalia, fac ergo declares exemplo palpabili, & practico.* Pareo tuæ voluntati, & declaro hoc triplici aut quintuplici Caſu ſeu verô, ſeu fictô.

Caſus I. Triplicatus.

295 *Cajus in longinquum locum profectus, Stichus prælium ingreſſus, Titius jam ſenex non ampliùs comparent, & fama eſt obiiſſe: habetur ſufficiens notitia de morte ſingulorum,*

Ita teſtatur ex Navarro, Silveſtro, ac Valentiâ Tannerus *cit. num. 108.* non diſſentiens.

Caſus II.

296 *Olympiodorus maritus in locum valde remotum abivit, unus unicus teſtatur, eſſe illic mortuum, adfertque ſui dicti argumenta veriſimilia, nec facilè poſſunt aliæ probationes mortis haberi: in hoc caſu poteſt uxor alteri nubere.*

Ita reflexè Sanchez *loc. cit. num. 12.*

Caſus III.

297 *Oſwaldus in amentiam, ac furorem actus, aliquoties ſibi necem inferre tentavit, poſtea vinculis conſtrictus fuit, ex quibus denique erupit, quò autem devenerit, licèt diligenter quæſitus, nullâ ratione ſciri poteſt, atque ab eo tempore octo, vel decem Anni interceſſerunt. Valde probabilis eſt ſententia Roſellæ, & S. Antonini, Silveſtri, Philiarchi, quòd mulier in tali caſu nil peccaret, ſi, nemine ſe opponente, ad ſecundas nuptias tranſiret. Quam ob rem Confeſſarius in conſcientiæ foro id ipſi permittere: judex in foro externo, ſi poſt celebratas nuptias cauſam intelligeret, neque mulierem punire, neque à ſecundo viro ſeparare deberet, donec cognitum eſſet, primum maritum adhuc vivere, idque apertè ſumitur ex cap. Cùm per bellicam. 34. quæſt. 1.*

Deſcripſi hactenus verba Laymanni *cit. n. 2.* 298

In his tribus, aut, ſi mavis, quinque Caſibus abeſt quidem, ut ego reor (etſi adeſſe in ſuis velint Sanchez, & citati à Tannero) *moralis* certitudo, quia rationes, quibus hîc probatur mors illorum quinque conjugum, non reddunt certum judicem, aut alium virum prudentem, cùm, ut de ſolo ultimo, ſeu furioſo loquamur, potuerit fieri, ut devenerit ad locum remotum, in eóque ediderit talia ſigna furoris, ut fuerit rurſum innexus catenis.

Adeſt tamen in omnibus cauſa ſufficiens, 299
vel ad probabiliſſimè credendum, vel ad veroſimiliter, ut de ſuo caſu loquitur P. Laymannus, opinandum, maritum conceſſiſſe ad plures. Licèt autem hoc exemplum Laymanni patiatur majorem difficultatem, quàm duo priora, nam conſtans fama de morte, juncta diuturnæ abſentiæ, itémque teſtimonium teſtis oculati, qui ſit omni exceptione major, reddátque probabiles rationes ſui teſtimonii, gignunt firmiorem, prudentiorémque opinionem, quàm diuturna emanſio illius furioſi, ut liquebit ex dicendis infrà *num. 315. & 318.* attamen, quia P. Laymanni judicium in rebus præſertim *Moralibus* video magni fieri à DD. etiam Hiſpanis, & Italis, idcirco poſſet aliquis, vel aliqua ſequi illud in praxi. *In qua praxi?* Inquies: *Quid ſi enim nolit aut Confeſſarius, aut Parochus, aut Vicarius Generalis admittere?*

Reſp. In locis, in quibus adhuc ſubſiſtunt 300
clandeſtina Matrimonia, Parochus nil poterit impedire. At ubi coram Parocho eſt contrahendum, ſi hic nihil interroget de priore Matrimonio, aut morte mariti, non erit opus ei quidquam aperire, at ſi interroget, aperienda erit veritas, & cauſa, cur credatur, maritum diem obiiſſe extremum.

Quæres igitur II. *Quid Parocho? quid Con-* 301
feſſario tunc agendum?

Reſp. Si Parochus ſubſit Conſtitutionibus Synodalibus Conſtantienſibus, obſequetur religioſè iis, ita in *Part. 1. tit. 16. num. 20.* decernentibus: *Volumus, & Curatis omnibus ſeriò injungimus, ne deinceps hujuſmodi perſonas* (quæ intra ſeptennium de morte vel vita prioris conjugis nihil audiverint) *ad alias nuptias ſic tranſeuntes matrimonialiter conjungant, niſi priùs cauſa coram Officiali noſtro cognita, & licentia contrahendi in ſcriptis impetrata fuerit.*

Licèt autem Conſtitutio loquatur expreſſè 302
de illo ſolo caſu, quem expreſſi in Parentheſi, multi-

Digitized by Google

multiplici tamen experientia didici, eſſe uſu receptam in omni caſu, quo non conſtat, conjugem è vita exceſſiſſe. Et ſine omni dubio puniretur à Reverendiſs. Dom. Ordinario Parochus, poſt inſtructionem S. D. N. Clem. X. referendam in fine hujus Voluminis, qui copularet unam aliquam ex iis, quas exempli gratiâ propoſuimus in tribus ſuperioribus caſibus. Idipſum cenſeo faciendum Parochis cæterarum Diœceſeon, debent enim ſequi exemplum ſuorum Superiorum. *Argum. cap. Ex literis. De conſtit.* Superiores autem faciunt id, quod dicemus *num. 308.*

Quare jam non poſſunt accommodare ſe doctrinæ, quam P. Laymannus *loc. cit.* refert ex Rodriquez & Gutierez his verbis: *Si conjux de morte conjugis, judicio viri prudentis, cenſeatur habere moralem certitudinem, ſeu valde probabilem præſumptionem, qualem jura requirunt, opus non eſt, ut ab Ordinario licentia petatur contrahendi alias nuptias. ideòque Parochus abſque tali licentia aſſiſtere poteſt, quamvis, longè tutius ſit, rem ad Ordinarium referre.* Imò (inquit ipſemet Laymannus rectiſſimè) id neceſſarium eſſe arbitror, quoties rationabiliter dubitatur, an certitudo, vel præſumptio de obitu conjugis ſufficiens ſit, necne.

303 Conſentit quoad poſteriorem ipſiuſmet Laymanni ſententiam apertè Bonacina *De Matrim. quæſt. 3. p. 10. num. 16.* ſcribens: *Cavere debent Parochi, ne aliquos conjungant, non obtentâ facultate ab Ordinario, apud quem fieri ſolent probationes de morte conjugis.* Prævivit Abbas Panormit *in cap. In præſentia. De ſponſal. n. 6.*
304 ſic concludens: *In ſumma, hanc materiam relinquerem arbitrio judicantis.* Judicantis, inquit Abbas, non Parochi. Hoſce trium-viros pro ſcuto opponent Domini Parochi viris in ſuo oppido primariis, importunè urgentibus conjunctionem in ſimilibus eventibus. Opponent etiam tot caſus, quibus falsò fuit creditum, occubuiſſe maritos, horum aliquos referam infrà *num. 356. & 357.* quibus jungetur ille *Appendicis difficilis*, quem deſcripſi ſuprà *num. 194.*

Opponent denique indicatam Inſtructionem S. D. N. in terminis mandantem, ut in examinibus de morte mariti interſit *vel Vicarius Epiſcopi, vel aliqua alia* perſona inſignis, *& idonea, ab Epiſcopo ſpecialiter deputanda.*

305 Quæres III. *Quid agendum Ordinario, intelligenti Matrimonium eſſe contractum ſine certitudine morali de obitu alterius conjugis?*

Reſp. I. Si fuit contractum bonâ fide, atque adeò ob conjecturas, indicia, teſtimonia valde probabilia, & quæ à probatis Theologis, Canoniſtis, aut aliis viris prudentibus habeantur, vel habita ſint pro ſufficientibus, ad gignendam opinionem de morte, & ad contrahendas ſecundas nuptias, nequit judex Eccleſiaſticus ſeparare tales ſponſos, ſeu conjuges. Ita Laymannus ſuprà *num. 297.* rectè id probans *ex cit. cap. Cùm per bellicam. 34. quæſtione 1.*

Addo hanc rationem, quia valori Matrimonii bonâ fide initi adeò favent Iura Canonica, & DD. ut unius Doctoris opinio, aſſerentis valorem, præferenda ſit opinioni decem aliorum negantium valorem. Doctores nomino *in Clypeo Clement. Judic. num. 195. edit. 2. & 3.* 306

II. Sin deprehendat, interceſſiſſe malam fidem, atque adeò non niſi ridiculas, ſeu leviſſimas conjecturas de fato mariti adfuiſſe, adeſſeque, tum ſanè videntur ſeparandi, nam & nemo ex ſuo delicto commodum referre debet, & *tantò ſunt graviora delicta, quantò diutiùs animam detinent alligatam. c. fin. De conſuet.* & denique Ordinariorum eſt, jura tueri. *cap. Eccleſia. 56. De elect.* jura autem Canonica damnant non ſolùm malam fidem, ſed etiam levem crudelitatem de morte prioris conjugis, ut deducitur ex Canonibus hactenus citatis, communique opinione interpretum. 307

Quæres IV. *Quid eidem Ordinario liceat, ante initum Matrimonium?* 308

Reſp. Judex Eccleſiaſticus nequit licentiam, & poteſtatem tranſeundi ad ſecundas nuptias dare, in caſu indiciorum & probabilis præſumptionis, ſed tantùm in caſu indubitatæ certitudinis de morte conjugis. Ita loquitur, ac ſentit P. Laymannus *loc. cit. num. 2.* aſſerens, eſſe hanc communiſſimam, & penè omnium DD. ſententiam, quorum catalogum ſubminiſtrat P. Sanchez *Lib. 2. diſp. 46. quæſt. 1.* & probatur apertè *ex cap. In præſentia* deſcripto ſuprà *num. 288.* ubi Pontifex vetat, autoritate Eccleſiæ permitti contractum Matrimonialem, donec *certum Nuntium* recipiant de morte virorum. Ubi nominè *Nuntii* non intelligitur tabellarius, ſed generatim *Relatio*, Gallicè *Avis*, Italicè *Aviſo*, Germanicè Bericht/ ut inter Theologos notavit ex parte P. Thom. Tambur. *De Matrim. Tract. 1. cap. 10.*

Quod quidem memoro, ne quis Parochus putet, fruſtra à ſe remiſſum iri ad D. Ordinarium illam mulierem, quæ caret teſte verbali. Licèt autem DD. ſatis conveniant in allata concluſione, quam apertè firmat Inſtructio antè citata, differunt multùm in eo tamen, quòd aliqui contendant, certitudinem *moralem* haberi re ipſâ in aliquibus caſibus, in quibus alii negant, ut patebit paulò pòſt.

Dices: *Solent Domini Ordinarii, præſertim Conſtantienſes demandare ſuis Decanis Ruralibus, aliiſque Parochis lectioribus, commiſſionem examinandi teſtes de morte in hac contentioſa materia, at multi illorum carent libris neceſſariis, alii nullam dum praxin, ſeu uſum nacti ſunt. Bene mereveris de ſat multis illorum, ſi huc conferres ea particularia, quæ de probationibus huc facientibus legiſti apud Claſſicos Scriptores.* 309

Reſp. Ergo legant ii Venerabiles Domini, ſi viſum fuerit, ſequentia. 310

I. Quando adſunt duo teſtes de viſu, adeſt certi-

certitudo *moralis*. Ita omnes, *nam in ore duorum teſtium ſtabit omne verbum. 2. Corinth. 13.* Nec obeſt, etſi teſtes ſint conſanguinei. Menochius infrà citandus. Imò præferendos eſſe aliis, tradit Inſtructio citata, haud tamen, ut reor, admiſſura uxorem illius, de cujus morte controvertitur, nemo enim in propria cauſa eſt idoneus teſtis *L. Nullus. ff. De teſt.* palàm autem eſt, eam eſſe propriam cauſam, cujus emolumentum, vel damnum ad aliquem ſuo nomine pertinet. Text. *in L. 1. §. In propria cauſa. ff. Quando appellandum ſit.* Communiſſimè autem (ſicut uſu didici) uxores, quæ coram judice deponunt, maritum eſſe vitâ privatum, id deponunt idcirco, ut fiat ipſis poteſtas quærendi, vel admittendi alium torum, ergo quærunt ſuum emolumentum. Unde liquet à fortiori, quid oportuerit à me reſcribi ad literas 311
pro

Hoc Caſu Hungarico.

OTilia coram Officiali deponit, conjugem ſuum eſſe, ſe præſente, vidente mortuũ, & ſepultum in Hungaria *Anno 1664.* dum ſtipendia faceret contra Turcam, id temporis infeſtantem armis ſuperiorem Pannoniam, nec contenta hoc affirmare, offert ſe ad juramentum, idque idcirco, ut poſſit impunè nubere alicui vago.*

Fui literis die 21. Junii Anno 1666. interrogatus, quid arbitrarer faciendum fuiſſe, ac reſpondi, nequaquam fuiſſe extra alia adminicula, ſeu indicia admittendam ad juramentum, eò quòd lex Divina vetet, nomen Domini in vanum aſſumi, & Jura non admittant actum fruſtraneum, aſſumpſiſſet autem Otilia nomen Dei in vanum, cùm fruſtra ſit actus, cujus nullus eſt eventus, ſeu effectus *Leg. 2. Cod. Si propter.* ſicut nullus fuiſſet effectus hujus juramenti, eſt quippe liquidiſſimi juris, non fuiſſe in talibus circumſtantiis habendam ullam rationem juriſjurandi præſtiti ab ipſa, tum quia ſola, tum quia in cauſa ſingulariter propria, cùm proritet animus ad ſecunda vota, tum quia in præjudicium tertij, quod ſingulariter cavetur *cap. Cùm contingat. De jurejur.* tum denique, quia juramentum ſuppletorium probationis nec deferendum, nec admittendum eſt abſque ſemiplena probatione, ut probabimus, & declarabimus *in Tract. ſeq. Caſ. V.* At ſi fuiſſet ea mulier inſtructa aliquâ ſemiplenâ probatione, tunc fortè habuiſſet locum ejus juramentum.

312 At *quid per teſtem* de viſu *intelligunt hic Doctores? Illúmne ſolum, qui interfuit ipſi morti?* Reſp. Mihi videri, illum quoque rectè dici teſtem de viſu, qui vel interfuit exequiis, ſeptimo, trigeſimo, aut anniverſario alicujus, ut, puto, facillimè concedet quiſque, vel vidit ipſemet ſepulchrum demortui, audivitque aſſeverantes, ſe vidiſſe talem, & talem illic ſepeliri. Ratio eſt, quia ſat commodè in talibus circumſtantiis accipitur continens pro contento. Certè Maſcardus *De probat. concluſ. 175.* ſic abſolutè ſcribit: *Etiamſi teſtes deponerent, ſe interfuiſſe ſepulturæ, non tamen vidiſſe cadaver, probaretur plenè ejus mors.*

II. Teſtimonium Parochi teſtantis, Cajum eſſe à ſe ſepultum, gignit etiam moralem certitudinem. Tambur. *cit. cap. 10.* Ratio eſt, quia Parochus eſt quaſi Notarius publicus in ejuſmodi negotiis, ſicuti & Baptiſmo, quemadmodum probavi *in Alphab. Baptiz. num. 590.* 313

III. Si cum fama, ſeu teſtibus de auditu, jungantur aliæ conjecturæ non levis momenti, efficiunt mortem *moraliter*, & *humano* modo certam. Idem P. Tambur. *ibid. num. 10.* citans Bonacinam, & Averſam. Sed me latet, cur Bonacinam. 314

IV. Similiter ſi cum uno teſte de viſu aliæ conjecturæ, ſeu adminicula conjungantur, poterit Ordinarius tutò permittere Matrimoniũ, ſaltem ſi propter diſtantiam nequeat haberi major certitudo. Palaus *De ſponſal. Diſp. 4. p. 13. §. 1. num. 7.* Sanchez verbis relatis ſuprà *num. 296.* & expreſſè permittit Inſtructio Clementina *art. 12.* referenda in calce *Tract. ſeq.* Imò quia ſummi Canoniſtæ Hoſtien. & Abb. Panorm. apud Sanchez *loc. cit. num. 10.* conſentiente Maſcar. *De probation. concluſ. 1075.* contendunt, *abſolutè* ſufficere unum teſtem, attendendo ejus perſonam, & qualitatem, & an per verba veroſimilia deponat, atque hac in re verſari arbitrium judicis, ideo non dubito, quin, accedente verâ allegatione vel incontinentiæ, vel paupertatis, & ſimul diuturnæ abſentiæ, aut alterius rationabilis cauſæ credendi, poſſit juxta hos DD. judex permittere ejuſmodi Matrimonium, etiamſi teſtis non deponat, eſſe à ſe viſum mortuum, modò deponat, quòd viderit mori. Maſcard. *ibidem.* Sed dubito, utrùm hæc doctrina non pugnet cum *cit.* Inſtructione *abſolutè* exigente, quando haberi poteſt, teſtimonium è loco, ubi quis à teſte aſſeritur migrâſſe è vita. Hoc certum eſt, à pleriſque explanantibus hanc materiam obſervari, totam rem denique permitti judicio judicis, qui ſolus, omnibus conſideratis, exiſtimare poteſt, utrùm adſint, necne indicia, aut teſtimonia de obitu talia, quæ gignant certitudinem ſufficientem vel ex omnium, vel ſaltem ex aliquorum Claſſicorum Autorum ſententia. 315 316

V. Licèt Abbas, Gutierez, & Rodriquez apud Sanch. *cit. Diſp. 46. num. 13. abſolutè* negent, è diverſo verò Ancharan, Jul. Clarus, Gomez, & Perez Jureconſultus apud eundem P. Sanchez *num. 14. abſolutè* affirment, famam de morte alicujus gignere certitudinem ſufficientem ad id, ut Ordinarius permittat novum Matrimonium, rectiùs tamen exiſtimat idem Sanchez *n. 15.* utramque ſententiam eſſe *abſolutè* 317

 falſam,

Digitized by Google

falſam: veram autem *primam* caſu, quo fama deſtituitur omnibus aliis adminiculis, & conjecturis: at veram *ſecundam* caſu, quo fulcitur aliis quibuſdam probationibus, ſeu indiciis, conjecturis &c.

318 Ratio, cur hanc tertiam ſententiam, ſeu moderationem præferendam judicem, eſt, quòd pro ea ſtent apud Sanchez *loc. cit.* quindecim Theologi, & Canoniſtæ, quos inter eſt Gloſſ. Navarr. Menochius, Maſcard. S. Antoninus, Dominicus Sotus &c. quibus addi poſſunt P. Henriquez *Lib. 12. cap. 6. num. 3.* Bonacina *De Matrim. quæſt. 3. p. 10. num. 14.* Laym. *loc. cit. num. 1.* Tannerus, Tamburinus & alii plures, ut proinde nemini debeat eſſe dubium, quin hæc ſententia longè ſuperet utramque ex oppoſitis, multitudine, & gravitate Doctorum, qui quia judicant, famam adminiculis fultam ſufficere ad creandam moralem certitudinem, ideo videtur omnino eſſe ſequenda in praxi, ſi nequeat haberi alia probatio.

319 Quia verò vix ulla probatio mortis frequentiùs adfertur, quàm petita ex famâ, dabo hîc compendiolum eorum, quæ diligentiſſimus P. Sanchez *loc. cit. n. 16.* congeſſit, autoritatéque præſertim Menochii *De adipiſcend. poſſeſſ. Remed. 3. num. 665. & ſeqq.* itémque Maſcardi *De probation. concluſ. 1074.* à me diligenter lectorum probavit, hanc in rem.

320 Ut fama, inquit ille, probet exiguntur aliquæ conditiones. 1. Ut probetur per duos teſtes omni fide majores, deponentéſque, ſe audiſſe à fide dignis. 2. Ut concurrat cauſa rationabilis, ex qua fama orta eſt, ut: ſi is, de cujus morte agitur, mare navigaverit, ſubortáque tempeſtate, exſpectatúſque tempore congruo, & per loca veroſimilia quæſitus non comparuerit nec ipſe, nec navis, qua vehebatur, vel ſi prælium ingreſſus eſt, nec poſtea diligenter quæſitus inventus eſt. 3. Ut teſtes deponant, ſe audiviſſe publicè, atque à majore, ſeu digniore parte populi illius loci, in quo mortuus eſſe perhibetur, nominando illos, à quibus audierunt, & à quibus fama ortum habuerit. Si tamen fama confirmetur probabilibus conjecturis, aut de fama teſtentur ſeptem, vel octo teſtes, opus non eſt dicere, unde fama ortum habuerit, aut à quibus audierint. 4. Ut teſtes de fama aſſerant, ſe credere eſſe veram. Hæc pluribus Sanchez addens, teſtes deponentes de fama, non eſſe compellendos jurare. Item eos poſſe examinari, parte non citata.

321 Addo ego, exemplum, quod Sanchez adfert de ingreſſo prælium, & non ampliùs comparente, juxta tamen famam communem mortuo, ita communiter admitti à DD. ut Bonacina *loc. cit. núm. 14.* ſic rotundè ſcribat: *Uxor poteſt cum alio marito contrahere, quando ipſius vir ingreſſus prælium, non ampliùs comparuit, & fama eſt, ipſum periiſſe, aut quando per literas eorum, qui prælio interfuerant, acceptum eſt, ipſum interiiſſe.* Sed nolim ego ita *abſolutè* ſcribere poſt Inſtructionem, de qua ſuprà. Probat autem Sanchez *ibid. num. 2.* eſſe jure Canonico mitigatam illam tantam diligentiam, quantam circa mortem militum exigit jus civile.

Addo quoque, P. Palaum *cit. Diſput. 4. De* 322 *ſponſal. p. 13. §. 1. num. 8.* ſic ſcribere: *Si fama aliis adminiculis adjuvetur, quæ prudentis arbitrio certitudinem efficiant moralem, vel vir ſit ſenex, vel æger, vel non rediit, cùm redire promiſit, ſufficiens videtur, ut poſſit conjux ad alias nuptias tranſire, quia fama iis circumſtantiis veſtita certitudinem moralem præſtat juxta Gloſſ. Abbat. Navarr. Maſcardum, Gutierez, & alios apud ipſos.* Ita Palaus. Confirmantur iſta duobus prioribus illorum trium Caſuum, quos breviter exhibui ſuprà *num. 295. & 296.* nam iis contineri certitudinem moralem cenſent DD. illic relati, quamvis, ut dixi *num. 298.* non agnoſcam, ſequendo meam privatam opinionem, niſi veroſimilem præſumptionem.

Poſtremò doctrinæ hactenus traditæ robo- 323 rantur reſolutione Caſuum non excogitatorum, quos proferam in medium Sectione *ſequenti*, priùs tamen referam, quid reſponderim ad ſequentem

Caſum perbene ſpecificatum.

Opimius 1. juſſu Magiſtratûs legitimi ſumpſit arma. 2. Paulò pòſt iniit prælium, in quo plerique omnes commilitiones perempti. 3. Priuſquam arma ſumeret, dedit uxori ad quinquaginta florenos, ſeu viginti octo ſcuta Romana aſſervanda cum mandato, ut uxor totam ſupellectilem convaſaret, ſe etiam, ut primùm è ſtatione rediiſſet, commigraturum ad loca tutiora. 4. Quod quidem mandatum argumento eſt, ipſum cum uxore vixiſſe ſexennio (tot enim Annos egerant in Matrimonio) concorditer. 5. Illud autem prælium, in quo facta tanta cædes, commiſſum fuit non in loco remoto, ſed in ipſamet Opimii patria. 6. Jam fluxêre novendecim Anni, ex quo tempore pugnata fuit illa pugna, nec interea quidquam de illo reſcitum, niſi quod certò fuerit in cohorte, quam hoſtis invaſit, ac penè totam delevit, paucis videlicet fugâ elapſis. 7. Dubitari non debet, quin multæ aliæ uxores maritorum, qui cum Opimio ducti ſunt in hoſtem, nupſerint jam aliis, non habitâ certitudine de morte conjugum, quàm quòd plerique fuerint trucidati. 8. Uxor Opimii petiit quidem facultatem tranſeundi poſt hunc decimum nonum Annum ad ſecundas nuptias, at præciſa eſt

ipſi

Digitized by Google

ipſi ſpes à nonnemine, exigente majorem certitudinem de obitu Opimii : fateor autem, non fuiſſe illi expoſitas omnes haſce circumſtantias, alioquin feciſſet ſpem benignioris ſententiæ.

In hunc ſenſum contraxit quidam perdoctus Religioſus ex Ordine S. Benedicti Parochus loci, in quo morabatur uxor Opimii, prolixas literas, quas ad me de hoc argumento dedit, impulſus iis, quæ ante hanc impreſſionem legerat in toto hoc Caſu, ſeu capite *De Ligamine*, expetens meum de hoc eventu judicium. Malui autem mittere ipſi reſponſum *reale*, quàm *verbale*, ſiquidem mox recitavi ipſas literas Reverendiſſimo Domino Vicario in ſpiritualibus Generali, & Officiali ſimul, iſque mox fecit illi mulieri poteſtatem libere nubendi, cui vellet, ídque fecit tantò faciliùs, quòd jam antè didiciſſet, quanta ſtrages fuerit edita in loco, in quo Opimium fuiſſe cum aliis, erat prorſus indubitatum. Et verò ſi expendantur ſingulæ, & omnes hæ circumſtantiæ, ſumptæ copulatim, efficient *moralem* certitudinem, quam ex omnium ſententia ſufficere, dixi ſuperiùs, ac proinde uxor Opimii, eligendo alium conjugalem thalamum, non aget adverſùs monitum Papiniani deſcriptum *in L. In totum. ff. De Reg. jur. In totum* (id eſt, omnino, ut explicat Gl.) *omnia, quæ animi deſtinatione agenda ſunt, non niſi vera, & certa ſcientia perfici poſſunt.*

324 Quæres V. *Quid agendum novis conjugibus, quando ſecundis nuptiis bona fide contractis oritur vel certitudo, vel dubium de vita conjugis, qui prudentiſſimè credebatur exceſſiſſe rebus humanis?*

Reſp. I. Ut primùm certò conſtat, illum adhuc vivere, abſtinendum eſt toro conjugali. Patet ex poſtremis verbis *cap. Dominus.* deſcripti ſuprà *num. 282.* & inde, quòd certiſſimum ſit, ſecundum Matrimonium fuiſſe nullum, ſiquidem polygamia proſcripta eſt à Salvatore ſuprà *num. 279.*

325 Dices : *Quid ſi erat quidem prior maritus in vivis tunc, quando fuêre ſecundæ nuptiæ celebratæ bonâ fide, at poſtea fuit verè extinctus?* Reſp. Erit nihilominus deſerendus torus, quia Matrimonium non ſubſtitit ab initio, nec poterit compelli hæc, aut illa pars, ut det conſenſum in novum Matrimonium, nullo quippe jure obligatur. Si tamen ſuſcepta eſt una, aut plures proles, convenit, ut confirmetur prius conjugium, facit enim ad meliorem educationem prolis, vitandáſque multas tricas.

326 *Cur non dicis : ad legitimandam prolem?* Reſp. Quia ſum memor illius, quod *in Theologia Iuridico-Morali cap. 17. num. 347.* tradidi, ſcilicet prolem illam eſſe legitimam in utroque foro, quæ nata eſt ex alterutro parentum, putante Matrimonium eſſe legitimum.

327. II. Si poſt ſecundas illas nuptias exoriatur verum dubium de vita prioris mariti, pronuntiat Pontifex relatus ſuprà *num. 282.* illum, qui dubitat, teneri reddere debitum alteri parti (non dubitanti) quando hæc petit, at vero ei nefas eſſe, exigere.

Quæ tota reſponſio declarabitur, confirmabiturque *Tract. ſequente Caſ. XVI.* ubi generatim differemus, an, & quatenus liceat reddere, aut etiam exigere debitum conjugale, quando emergit dubium de valore Matrimonii.

SECTIO II.

Viginti Caſibus minimè Fictis

declaratur, an, & quatenus ſit fas tranſire ad ſecundas nuptias, quando non eſt certiſſimum, obiiſſe conjugem.

SUMMARIUM.

Ponitur reſolutio Caſus n. 276. propoſiti. 328.
Caſus volentis nubere poſt mariti abſentiam per 24. Annos. 329.
Alterius teſtantis, maritum fuiſſe viſum ab alio proximum morti. 330.
Viri probantis, uxorem jam abeſſe 13. Annos. 332.
Sponſi inducentis falſum teſtem de morte ſponſæ. 333.
Alterius, qui confinxit falſas literas. 335.
Capitanei non habiti pro ſufficiente teſte. 337.
Non eſt teſtimonio teſtis, niſi jurati, ſtandum. 338.
Caſus jurantis, ſuum primum Matrimonium fuiſſe invalidum, & ideo aſpirantis ad ſecundum. 344.
Contra ſolemnem actum nulla valent præſumptiones. 345.
Caſus volentis idcirco inire aliud conjugium, quòd uxor abeſſet 18. Annis, & ſuppeterent aliæ mortis conjecturæ. 349.
Alius rurſum de uxore diu deſiderata. 352.
Creditur mortuus, qui diligenter quæſitus non paret poſt quinquennium. Ibid.
Caſus mortis probatæ per duos teſtes non de viſu. 353.
Alterius probatæ per duos teſtes de auditu. 355.
Alterius probatæ per unicum, & quidem de auditu. Ibid.
Mariti comparentis octennio poſt uxoris novas nuptias. 356.
Alterius comparentis ipſo die nuptiarum ſecundarum. 357.
Alterius itidem ſimili die ſe ſiſtentis. Ibid.
Et denique unius tunc reverſi, cum celebrarentur pro ipſo juſta funebria. Ibid.
Ubi majus imminet malum, ibi majore opus eſt cautela. Ibid.

I. CAſus eſt noſtri Olai, de quo ſuprà *n. 276.* cujus conjugi reſpondi, fruſtra petituram 328

facultatem nubendi alteri, niſi produçat alia argumenta de morte ſui Olai, nam circumſtantiæ, quas expreſſi, non gignebant ullam certitudinem moralem, imò officiebat illa, quòd, fatente ipſâmet, nonnulli dicerent, eùm fuiſſe viſum poſt prælium. Quòd ſi probare potuiſſet legitimè, eſſe in illa vicinia famam, Olaum aut interfectum in prælio, aut aliàs extinctum, ſi deinde nemo dixiſſet, illum fuiſſe viſum à ſe poſt prælium, habuiſſet patronos Doctores, quos nominavi *num. 314. & 317.* potuiſſet quidem ſalva conſcientia nubere alteri, ſi Parochus voluiſſet conjungere, at noluit hic, memor Synodalis Conſtitutionis, de qua ſuprà *num. 301.* ſed ad me remiſit, ego cum exigua, aut nulla ſpe ad Reverendiſſimum Dominum Ordinarium, à quo nihil impetravit.

329 II. Caſus eſt alterius mulieris, *cujus maritus cùm fuiſſet ad bellum profectus, abfuiſſétque ipſos 20. Annos & adeſſet idoneus teſtis, qui juratus aſſereret, fuiſſe à ſe viſum maximè infirmum, & morti vicinum, ſolicitavit illa pro facultate nubendi alteri, non ſolùm immediatè Dominum Ordinarium, ſed ipſummet Illuſtriſſimum Dominum Nuntium Apoſtolicum, at nihil impetravit.* Ita mihi quatriduo antè, quàm hæc conſcriberem, recenſuit ſciſcitanti Admodum R. P. Prior celeberrimi Monaſterii Petruſiani qui non ſemel fuit in illa cauſa interpellatus. Ratio repulſæ adferebatur, quòd deeſſet certum nuntium, ſeu certus nuntius de morte. Confirmari utcunque poterat autoritate ſapientiſſimi Navarri, à quo *in Lib. 4. Conſil. De ſecundis nuptiis conſ. 3.* refertur, reſolvitúrque hic

330 III. Caſus. N. *Nupſit in India* (an India?) *& marito ſe abſentante venit ad Vrbem, & nil certi ſcivit de morte ipſius, niſi quòd ante ſeptem, aut octo Annos dixit ei quidam, quòd ægrotabat ad mortem, & jacebat paralyticus, non potens ambulare, nec edere ſine ope, alienâve manu, & nunc cupit nubere. Quæritur an poſſit? Pro deſiderio hujus conſulentis facit lapſus quindecim Annorum, atteſtatio unius, quòd ante octo Annos vidit eum ægrotum, & paralyticum, & quòd ſuo judicio non poterat diu vivere &c. Contra tamen facit, quòd jure Pontificio non poteſt mulier nubere, antequam habeat certum nuntium de morte mariti &c. Quibus pro & contra perpenſis, auderem dicere, quòd non teneretur illa ſeparare ſe à marito, ſi jam contraxiſſet, donec ſciret, maritum vivere. Si tamen eſſem judex, non auderem dare illi licentiam contrahendi, argum. cap. fin. De ſecund. nupt & cap. Inquiſitionis. De ſentent. excommunic.*

331 His verbis proponit hunc Caſum *tertium* Navarrus, his ipſis reſolvit illum, fortè id ipſū dicturus de noſtro *ſecundo*, quamvis hic à *ſecundo* differat in numero Annorum, & in eo, quòd in Caſu Navarri non adfuerit ullus teſtis, ne quidem morbi lethalis. Si ignorarem, judicium tantorum virorum præferendum eſſe meo, nec emanâſſet Inſtructio Clem. X. deſcripta in calce Tractatûs iſtius, ſcriberem, potuiſſe in hiſce tribus Caſibus permitti (caſu quo nullus teſtis pro, aut contra judicium de morte talium potuiſſet haberi) ſecundas nuptias, ſi fortè probatum fuit, uxores illas vixiſſe cum maritis pacificè, & hos ſemper ſanctè coluiſſe fidem conjugalem, etenim hæc circumſtantia addita prioribus videtur auferre omnem cauſam prudenter dubitandi de morte talium maritorum, ſaltem ſi loquamur de primo, & ſecundo. Ego ſanè uxorem Olai interrogavi de hac ipſa circumſtantia, ſed quia reperi eam variantem in dictis, nec habebat, unde probaret illam concordiam, non potui facere ipſi ſpem. Quòd ſi fama legitimè probata acceſſiſſet illis circumſtantiis, feciſſent utique jus novarum nuptiarum ſaltem in defectu omnis alterius teſtis. DD. relati *numero 314.*

IV. Caſus. *Lampridius miles petiit abhinc triennium facultatem ducendi aliam uxorem, eò quòd prior uxor tredecim Annis antè ob miſerias bellicas diſceſſiſſet è patria verſùs Italiam, & interea non ſolùm nihil prorſus intelligeretur de ejus vita, ſed inſuper eſſet rumor, vitâ ceſſiſſe in Helvetia, per quam tendebat in Italiam. Negata fuit Lampridio petita facultas. Me convenit malè contentus, quid conſilii dandum?* 332

Reſpondi, quandoquidem nullis idoneis teſtibus poterat probari illa fama, habendam neceſſariò patientiam, acquieſcendúmque ſententiæ Superioris, utpote nixæ ſtylo ordinario hujus Curiæ, ſapientúmque reſponſis, & firmatæ autoritate Inſtructionis Clementinæ, de qua *num. præced.*

V. Caſus. *Ego ex commiſſione Epiſcopali examinavi teſtem ex N. qui depoſuit ſub juramento formali, fœminam conjugem Titii eſſe mortuam, & ſepultam coram ſuis oculis. Cùm deſuper diſpenſatio, ſeu facultas data fuiſſet, & nupturo inſinuata, lamentatus eſt ille ſponſus, quòd teſtem inſtigaverit ad hoc affirmandum in ſpecie, cùm tamen ſolummodò audierit ab aliis, illam mortuam. Tales autem circumſtantias mortis viduus retulit, ut, ſi bene memini, prior Caſuum Profeſſor judicârit, eum ad alias nuptias poſſe tranſire. Quod Conſilium Theologicum ego ſecutus ſum, vel ideo, quòd partes habuerant copulam carnalem, & quia priùs talem Caſum Conſtantiam tranſcripſi, & talem reſponſionem recepi cum ſubſcriptione D. Vicarii Generalis his verbis*: Poteſt Dominus Parochus hoc conſilium Theologicum ſequi. 333

His ipſis verbis hunc Caſum ad me perſcripſit ille tunc ſimplex Parochus, nunc meritò ſuò Spectabilis Decanus Capituli Ruralis. Ex quo apparet *primò*, non quidem ſtandum eſſe teſtimonio nudo unius etiam oculati teſtis, attamen ſtari poſſe, ſi adjungantur alia adminicula juxta doctrinam traditam ſuprà *num. 315.* 334

num. 315. *Secundò*, non nimis facilè credendum teſtibus in hac materia, nam improba, cæcáque Venus gignit multas fallacias, quam in rem notetur hic

335 VI. Caſus. *Sempronius me tunc Parochum importunè urſit, ut permitterem ſibi tranſitum ad ſecundas nuptias. At quia de morte conjugis non niſi infirma argumenta proferebat, renui conjungere. Me autem ad tempus abſente, confinxit literas, quaſi ſcriptas à Parocho N. teſtante, illam mulierem eſſe à ſe in ſua ſepultam Parochia. Haſce literas exhibuit meo Vicario, quibus inſpectis fecit tres denuntiationes, & quia nemo quidquam denuntiabat, erat intra unam horam Sempronium copulaturus cum Bertha. Cùm autem ego commodiſſimè rediiſſem illâ ipſâ horâ, atque intellexiſſem, quid geſtum, examinavi accuratiùs illas literas, atque deprehendi eſſe confictas, ut deinde agnovit Sempronius. Quare nequaquam permiſi ejuſmodi copulationem.*

336 Ita mihi de ſe ipſo narravit ille idem Adm. R. P. Prior, de quo ſuprà, quod ſanè factum, junctum pluribus aliis laborantibus multiplici dolo, multùm patrocinatur rigori quorundam tribunalium, & Inſtructionis Clementinæ, circa permiſſionem ſecundarum nuptiarum. Quam etiam ob cauſam cenſeo defendi poſſe judicium, quo finitus fuit ſequens

337 VII. Caſus. *Magna difficultas eſt circa teſtes aſſerentes, alterutrum conjugum eſſe mortuum, ut relictus iterum contrahere poſſit. Capitaneus aliquis affirmans, militem ſuæ Compagniæ mortuum, quia non vidit eum efferri, & ſepeliri, etſi ſub ſigillo ſuo in ſcriptis affirmârit, non tamen examinatus ſub formali juramento, non fuit habitus ſufficiens teſtis.*

338 Ita ad me ille ipſe Decanus, de quo in Caſu *quinto*. Et verò conſtat ex *L. Juriſjurandi. C. De teſtib. & cap. Nuper, 51. eod. per ſe loquendo* nullius teſtis niſi jurati teſtimonio eſſe ſtandum, obſervátque inter reliquos Maſcard. *De probat. concluſ.* 1361. Quia tamen Andreas Gaill, quem refero, & ſequor *in Theolog. Iuridico-Moral. cap. 42. num.* 103. teſtatur, Illuſtres perſonas in Germania non ſolere jurare in dicendo teſtimonio, ſi ille Capitaneus fuit Nobili genere natus, potuit, puto, admitti injuratus, cùm præſertim ejus teſtimonium fuerit probabiliter nulli nociturum, & Joachimus Burger *in Obſervationibus Cent. 3. Obſer. 42.* teneat (favente ipſi Inſtructione Clementina) ſtandum teſtimonio Capitanei etiam injurati, ſi teſtetur, ut judex. Si tamen præciſè fuit teſtatus ſuo chirographo, ſe habere pro certo, quòd ille miles ſuus migrâſſet è ſtatione vitæ, aut famam ita ferre in ſua cohorte, aut ſe audiviſſe à non juratis, tum ſanè meritò rejectum fuit illud teſtimonium, ſecùs, ſi idoneè teſtatus fuiſſet, eum poſt prælium, cui interfuerit, non fuiſſe ampliùs viſum. Suprà *numero* 295. Mors probatur, cùm teſtes aſſeverant, ſe vidiſſe illum ingredi prælium, & inde ampliùs viſum non fuiſſe, inquit ſapiens Menochius.

VIII. Caſus. *Septimius maritus Octaviæ non* 339
tantùm non eſt viſus à. 24. Annis, ſed etiam duo teſtes jurant, quòd abhinc totidem Annos viderint in certo loco cadaver hominis mortui, quod tamen non acceſſerint ob metum contagionis peſtiferæ, & inſuper gener, & filius Tiburtii jurant, ſe ex ore ipſiuſmet Tiburtii ſæpe audiviſſe, quod ipſe eodem in loco ſub idem tempus viderit, manibúſque tractârit cadaver ejuſdem Septimii. Quæritur, an Octavia fuerit à D. Ordinario permittenda tranſire ad alias nuptias?

Reſpondeo id ipſum, quod reſpondi 14. 340
Octob. Anno 1661. poſſe permitti illum tranſitum. Movebar, & etiamnum moveor ideo, quòd cenſeam, adeſſe tantam certitudinem de morte Septimii, quantam ſufficere exprimunt P. Tambur. relatus *num.* 314. & Juriſperiti nominati *num.* 315. Et indicat Inſtructio Clementina *num.* 12. Etenim tanta diuturnitas abſentiæ, juncta teſtimonio tum de peſte regnante in loco, ubi fuerat Septimius, tum de viſo cadavere à duobus juratis teſtibus, tum à non jurato quidem, ſed ſæpius confirmante ſuam ocularem atteſtationem, videntur efficere, ut non potuerit dubitari prudenter de obitu. Accedit, quòd, cùm tres, aut quatuor teſtes concordarent, dubitari non poterat à D. Judice, quin fama firmaret eorum depoſitionem. Hoc reſponſum ſecutus Reverendiſſimus D. Ordinarius permiſit ſecunda vota, cùm deſperaretur de habenda meliore in alterutram partem informatione.

IX. Caſus. *Hippolytus, vivente uxore Aga-* 341
thoclea, contraxit cum Euphroſina, jurans, ſe nulli eſſe vinculo matrimoniali conjugatum, nuptiiſque celebratis cohabitavit Euphroſinæ aliquot Annis. Tandem advenit Agathoclea, repetit virum, ſed quia ipſamet patraverat multa adulteria, propter quæ deſeruerat eam maritus, quia etiam meritò timebat, ne maritus à ſe proditus afficeretur extremo ſupplicio, abſtinet lite, adjiciens duplicem conditionem, primam, ut ſibi à marito pendatur certa ſumma pecuniaria, alteram, ut Hippolytus dicat, Agathocleam eſſe ſuam conſanguineam. Conſcia utriuſque conditionis Euphroſina, pergit convivere Hippolyto, qui cùm deinque evaſiſſet impotens ad actum conjugalem, Euphroſina cœpit uni, aut pluribus facere poteſtatem ſui corporis, donec tandem gravi pœnitudine ducta conſuluit duos conſcientiæ arbitros; qui omnibus conſideratis ſuaſerunt, ut remaneret in ſuo putatitio Matrimonio, at abſtineret omni laſciviâ, convivens Hippolyto, tanquam fratri. Quid judicandum de hoc toto Hippolyti Caſu, quem de ipſo mihi tradidit Sacerdos quidam integerrimæ fidei?

Reſp. I. Certum eſt, Matrimonium cum 342
Euphroſina fuiſſe nullum propter cauſam allatam *num.* 278. II. Certum quoque, omnes tres peccâſſe mortaliter, *per ſe loquendo*, Aga-

thocleam quidem, dum promovit, Hippolytũ verò, & Euphroſinam, dum adjecit animum ad cohabitandum, ſive interim intenderint uti conjugio, ut eſt per ſe evidens, cùm non fuerit verum conjugium, ſive non intenderint, exponebant ſe enim evidenti periculo quotidianorum adulteriorum. Si tamen Hippolytus promiſit Euphroſinæ, ſe cum ipſa habiturum communem ſolam menſam, & tectum, non verò lectum, habuitque ipſa firmum animum non parendi Hippolyto, probabiliſſimè ſolicitaturo ad inconceſſos actus, potuit continuare cohabitationem, quandoquidem ſeparatio omnimoda fieri non poterat abſque grandi alterius, vel utriuſque incom-
343 modo. III. Potiori jure toleranda erat illa eadem cohabitatio poſt impotentiam Hippolyti, quia & aberat magis periculum actuum illicitorum, & reddebatur difficilior ſeparatio. Lectum communem non permiſiſſem, niſi dixiſſet Euphroſina, ſe nec paſſam fuiſſe, nec exercuiſſe turpes tactus poſt integrè cognitam impotentiam Hippolyti, vel interceſſiſſe quidem aliquos, ſed valde raros, quibus tamen poſſit facilè, velitque abſtinere. Imò, poſitis etiam hiſce circumſtantiis, ſuaſiſſem omni modo ſeparationem perpetuam tori, propter honeſtatem, & cuſtodiam caſtitatis. Supponit autem hæc reſponſio, poſſe certis de cauſis permitti, ut duo putatitii conjuges, quando alter eſt impotens, cohabitent unà, ſicut frater, & ſoror, qua de re *Caſ. XVII.*

344 X. Caſus. *Titius Nobilis pluribus Annis vixit cum Martha, eàdem utens ut uxore, quam & uxorem ſuam eſſe, ſæpius coram Notario & teſtibus juravit, ſed nullius præſentis teſtimonio probare potuit, ſe cum ea Matrimonium contraxiſſe. Procreatis verò ex ea prolibus, ipſâ adhuc vivente, ſolenniter, & in facie Eccleſiæ ducit Cajam Nobilem, juramento utens addito tam ſuo, quàm Marthæ, ſe cum Martha nunquam legitimè contraxiſſe.* Quæritur, utrius filii habendi ſint legitimi? Marthæ, an Cajæ?

345 Hi ſunt termini *formales*, quibus hic Caſus perſcriptus fuit conſilii causâ ad P. Leſſium, poſtquam lis jam fuerat diu agitata in foro *externo*, ut videre eſt *in Auctario ad 1. 2.* ſeu *Conſiliis verb. Præſcriptio Caſ. 7.* Qui quidem Caſus ita propoſitus ſpectat ſolùm *indirectè* ad præſentem materiam, *directè* autem, ſi quæratur, utrum horum duorum Matrimoniorum fuerit pro legitimo habendum? Et dico ego cum eodem Doctore, poſterius fuiſſe habendum pro legitimo, ſicuti etiam habuit judex Atrebatenſis. Ratio eſt, quia contra ſolennem contractum ſecundùm formam juris initum nullæ valent præſumptiones, quantumvis ſint multæ, & magnæ, atqui contra ſecundum Matrimonium ſolenniter initum non militant, niſi præſumptiones, quòd videlicet nemo præſumatur eſſe perjurus, præſertim coram Notario, & manere tot annis in concubinatu.

Imò quia præſumptio, quòd quis celebrans 346
actum ſolennem, præſertim tanti momenti, quanti eſt Matrimonium, celebret ſyncerè, & legitimè, potentior eſt, quàm præſumptio, quòd quis coram Notario non pejeret, minor autem præſumptio cedit majori. Omnes DD. *ex L. Divus ff. De in integrum reſtitutione.* Idcirco etiam hac ratione debuit poſterius Matrimonium præferri priori.

At quæres I. *Potuitne ille Titius puniri, quòd,* 347
vivente Martha, duxerit Cajam? Reſp. Non potuit, niſi propter perjurium, & concubinatum, nam ſufficienter probavit, primum Matrimonium fuiſſe nullum.

Quæres II. *An proles natæ priore Matrimo-* 348
nio potuerint partiri hæreditatem æqualiter cum natis ex ſecundo?

Reſpondet Leſſius, tam eſſe manifeſtum, quòd prius Matrimonium fuerit nullum, ut ne quidem ſit probabile, fuiſſe verum Matrimonium, ergo fuerunt illæ priores proles à judice habendæ pro omninò, & apertè illegitimis.

XI. Caſus. *Catharina major quadragenariâ* 349
vixit cum ſuo marito, in conjugali concordia, & amore triennium. Ingruente fame ob hoſtilem direptionem diſceſſit invita cum duabus ex priore marito filiabus, aliiſque civibus ab invito marito in exilium, ſcilicet è Bavaria prope Ingolſtadium in Auſtriam Anno 1634. Ex eo tempore uſque ad Annum Chriſti 1652. non tantùm nihil de illius vita poteſt intelligi, licèt ipſe maritus deſcenderit in Bavariam inferiorem, & Auſtriam, indagaturus, & etiam tabellarios in eas partes expediverit, ſed etiam teſtimonio unius probatur, eam fuiſſe Paſſavii receptam in hoſpitale, quod poſtmodum peſtis fecit vacuum omnibus inquilinis. Accedit, quòd Catharina habuerit in oppido, prope Ingolſtadium, ſat amplam hæreditatem. Item quòd neutra filiarum compareat à tanto tempore, & quidem poſt pacem jam triennalem redditam patriæ. Vellet autem maritus aliam ducere uxorem, tum quia jam ſenex indiget ſociâ, tum quia eſt in gravi periculo incontinentiæ, jam enim impragnavit duas. Quæritur, an Reverendiſſimus Dominus Vicarius Generalis in Pontificalibus ſimul, & Spiritualibus valeat id permittere.

Hoc ſenſu, etſi non his verbis, fuit expoſi- 350
tus mihi Caſus, petitúmque meum judicium, quo audito permiſſum fuit, quod petebatur. Ratio meæ reſolutionis aperta eſt ex allatis *præcedente* Sectione, quandoquidem & omnes hæ circumſtantiæ ſimul ſumptæ pariunt *moralem* certitudinem, & DD. relati *num. 315. & 322.* quaſi in terminis reſolverunt hunc Caſum, priuſquam contingeret. Nunc tamen propter autoritatem Inſtructionis Clementinæ §. *12.* juberem procurari teſtimonium Præfecti illius hoſpitalis.

Cujus ita ſpecificati occaſione moneo Ad- 351
modum Reverendos Dominos Commiſſarios

Epi-

Epiſcopales, ut ſint valde curioſi, ac ſolertes in indagandis variis circumſtantiis, ac præſertim in iis, quæ innuuntur, aut exprimuntur, partim in Caſibus hac Sectione propoſitis, partim à DD. relatis *præcedente* Sectione. Profectò ſi uxor Olai, dè quo noſter principalis Caſus, hodie me rurſum conſuleret, probarétque, ſe cum Olao vixiſſe pacificè, ac probaret eſſe conſtantem opinionem hominum ſui pagi, quòd Olaus ſit evocatus in alterum mundum, agerem ejus partes apud Dominum Officialem, minimè dubius, me poſt tanti temporis lapſum obtenturum, quod tunc negatum fuit ob defectum allegationum, & probationum huc facientium.

352 XII. Caſus eſt difficilior priore, etſi aliquantum ſimilis: *Etenim uxor Titii Annorum circiter 38. minimè robuſta, patiénſque nonnulla intervalla alicujus parvæ maniæ, diſceſſit ob incurſum hoſtilem à marito, cum quo ſemper vixerat in optima pace. Quia verò poſt viginti Annos nihil prorſus de eâ perquiſitâ reſciri potuit, rogavit maritus, fieri ſibi facultatem ineundi alterius Matrimonii, quam idem, qui priùs Reverendiſſ. Dominus Vicarius Generalis Ratiſponenſis, Præſul ſapientiſſimus, audito meo judicio impertivit.* Cauſam judicandi in partem benigniorem hanc habui, quòd & Menochius de adipiſcenda poſſeſſione *Remedio 4. numer. 665.* cum Bartholo tradat, illum credi mortuum, qui diligenter quæſitus non comparet poſt quinquennium, idque admittit Maſcard. *De prob. Concluſ. 1075.* caſu, quo ille fuit furioſus; & tam diuturna pax in Matrimonio juncta abſentiæ Annorum viginti, quorum pars ad tempus pacis jam redditæ ſpectabat, efficit, ut prudenter dubitari nequiverit, quin, ſi uxor illa Titii fuiſſet adhuc in vivis, aut rediiſſet ad maritum, aut feciſſet illum de ſuo ſtatu certiorem. Ita tunc quidem reſolvi, nunc autem fortè aliter, propter toties memoratam Inſtructionem.

353 XIII. Caſus. *Fabio profecto ad bellum, & non ampliùs comparente, teſtatur unus quiſpiam, ipſum fuiſſe in urbe, in qua plurimi milites extinguebantur dyſenteriâ, ſe autem ignorare, an Fabius eſſet extinctus. Alter verò deponit, ſe abhinc duodecim Annos vidiſſe eum periculoſiſſimè laborantem ex dyſenteria, durantéque hoc morbo bibentem copioſè aquam inſalubrem, ut proinde minimè dubitet, quin vitam commutârit cum morte, ſicuti & plurimi ex ejus commilitonibus ibidem. Tertius teſtis aſſerit, ſe audiviſſe ex ore militis reducis eodem ex loco, illum vitâ ceſſiſſe. Quibus teſtibus auditis Parochus quidam authoritate propriâ copulat uxorem Fabii matrimonialiter cum altero. Delatâ re ad Dominum Ordinarium, improbat factum, non tamen reſcindit;* quid ſentiendum?

354 Reſpondi, videri mihi duo ſatis certa. *Primum*, debuiſſe rem priùs deferri ad Dominum Ordinarium. Suprà *num. 301. Alterum*, non fuiſſe ſeparandos, ob rationem allatam *num.* *297.* At de *tertio* non ſine cauſa dubitavi, utrùm, ſi, ut debebat, res adhuc integra delata fuiſſet ad Prælatum Eccleſiaſticum, potuiſſet hic facere poteſtatem petitæ copulationis. Fortè enim negâſſent ii, qui negaverunt mulieri, de qua *num. 329.* Annuiſſet D. Officialis, ſicuti annuit uxori Septimii, de quo ſuprà *n. 339.* & ego probâſſem propter rationes illic productas, priùs tamen mandaſſem peti teſtimonium ex illo hoſpitali, ita ſtatuente Inſtructione Clementis.

XIV. Caſus. *Oreſtes miles tranſiens per pa-* 355
gum N. *dixit aſſidentibus in publico hoſpitio inter reliqua: Amiſi optimum commilitonem Pyladem, cui ego morienti aſtiti, atque funus comitatus fui, ſi fortè quis veſtrum incidat in ejus uxorem, aut conſanguineos, poterit iis aſſeverare, hoc eſſe certum; ac proinde pios ipſius Manes commendent Deo. Uxor facta certior de hac narratione, petiit, atque impetravit à Reverendiſſimo Domino Vicario Generali facultatem tranſeundi ad ſecunda vota, poſtquam legitimè probavit, maritum à multis Annis profectum fuiſſe in militiam, ac ſtitit duos teſtes, jurantes, ſe ex ore ipſius Oreſtis audiſſe, quæ hic retuli, nec dubitare ſe, quin is veritatem ſit locutus.*

Scio, conceſſam fuiſſe illam facultatem, ob ſolas rationes hîc expreſſas, & reor ego, conceſſuros fuiſſe permultos è Doctoribus, & Ordinariis in decurſu ſeu nominatis, ſeu obſcurè indicatis. Verùm Inſtructio Clementina *num. 12.* non probat hanc facilitatem. Quare nec eam nunc probarem in circumſtantiis, quas exhibet ſequens.

XV. Caſus. *Eugenia producit Paulum, teſtem omni exceptione majorem, paratum jurare, audiviſſe ſe ex tribus, aut quatuor militibus, quos inter erant duo Officiales, Tiburtium animam exhalâſſe, ac tumulatum fuiſſe abhinc ſeptennium in oculis horum quatuor militum, eámque ob rem petit ipſa fieri ſibi poteſtatem nubendi alteri; An danda?*

Reſpondi ego, lite pendente, mihi videri non eſſe dandam. *Primò*, quia vivebat adhuc unus, altérve ex officialibus, qui nominabantur teſtes de viſu; ergo ii, vel is erat interrogandus, Inſtructione Clementinâ id exigente, & meritò; *omnis enim cautela eſt in talibus adhibenda propter periculum animæ*, ait Gloſſ. *in Cap. Literæ. De frig. & malef.* Deinde cùm quæſiſſem, utrùm Eugenia convixiſſet marito pacificè, reſponſum accepi, extitiſſe inter eos exiguam pacem, adeóque crebras diſcordias. Adhæc tempus ſeptennii non eſt tam longum, quin potuerit ſatis facilè ignorari, vivere maritum. Denique nihil dicebatur de famâ mortis, quæ tamen fama quantum proſit, aperui ſuperiùs; nihil de ea quæſitum. Quòd ſi unus ex nominatis teſtibus de viſu fuiſſet poſtmodum ſuo Chirographo, juréque jurando teſtatus, ſe omnino adfuiſſe animam agenti, & exſpiranti, nec probabilis ratio occurriſſet, ob

quam

Digitized by Google

quam dubitaretur de fide Pauli, dixiſſem, ante editam Inſtructionem S. D. N. poſſe Tiburtii æquè, ac Pyladis uxori permitti denuntiationes, harúmque finem copulationem novam.

356 Claudo hanc Sectionem, & prolixam diſſertationem de Ligamine, tum obſervando, *in allegat. Inſtruct.* §. 18. expreſſè tradi, pro teſtibus in hac materia Ligaminis eſſe conſanguineos audiendos præ extraneis; tum *Decimo ſexto.*

Caſu raro, & notabili.

Antuerpiæ maritus è bello redux, cùm uxorem ſuam quæreret, fortè in NN. virum Religioſum incidit, eíque vitæ ſuæ rationes exponit. Jam uxor ante octo, & ampliùs Annos alii nupſerat bonâ fide, ratâ famam de mariti morte vera dixiſſe. Res erat ardua, & cùm alter etiam miles eſſet, facilè in cædes eruptura. NN. tamen utrinque rem cum bono Deo ita dextrè peregit, ut venienti marito legitimo alter cederet, multâ non paris duntaxat, ſed amicitiæ quoque ſignificatione.

Sic refert P. Joannes Nadaſi in Annuis literis Provinciæ Flandro-Belgicæ Anni 1651. confirmans hoc exemplo doctrinam de Parochis ſuprà *num. 301. & ſeq.* traditam. Probabiliter non eveniſſet hic periculoſus eventus, ſi Parochus, qui conjunxit, feciſſet certiorem ſuum Illuſtriſſimum Dominum Ordinarium, qui fortè id temporis erat doctiſſimus Joannes Malderus Epiſcopus Antuerpianus.

Et niſi paulò antè ſcripſiſſem, me clauſurum hanc materiam hoc Caſu *Raro*, & *Notabili*, memorarem pro *Decimo ſeptimo* Caſu accidiſſe.

Hoc ſæculo:

357 *Ut quidam illuſtris vir etiam redierit domum, illo ipſo die, quo ejus vera conjunx hilaris celebrabat cum novo marito convivium nuptiale in arce, quam nondum ingreſſus vir ille illuſtris, ubi intellexit tripudii cauſam, juſſo ſuo tubicine precari inflatâ tubâ id, quod volvebat animo, rediit, unde venerat proximè, coquens conſilia, quæ pronum eſt divinatione aſſequi.*

Ergo detur, amabo, locus & Inſtructioni Clementinæ, & antiquiori interdicto Pontificio: *Ne permittas authoritate Eccleſiæ contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum. cap. In præſentia* deſcripto ſuprà *num. 288.* Ne, inquam, permittas, alioquin verendum, ne repetatur exemplum.

Tum illius,

Qui abhinc viginti ſex Annos hic Conſtantiæ comparuit, uxore jam alteri junctâ bonâ fide, & publicâ autoritate;

Tum alterius,

Qui in hac ipſa Diœceſi etiam domum è bello rediit eodem die, quo uxor, poſt ſufficientem, ut putabatur, certitudinem de morte ipſius, facultatémque Ordinarii, alterum celebrabat Matrimonium.

Sed & in hac ipſa Diœceſi verè contigit

Hic inopinus Caſus.

Ut cùm Nobilis matrona ob famam de morte mariti, qui decennio abſens, ferebatur peſte extinctus in Italia, juſta funebria impetrâſſet à Parocho, celebraretque in Eccleſia, intervenerit ille ipſe maritus, eóque petente fuerit perfectum in eo pietatis officio, ſed mutatâ intentione, adeóque facta applicatione pro omnibus ex utraque familia defunctis.

Quod fœminæ Nobilis factum, cum mihi perſcripſiſſet Nobilis Parochus, quæſiit ex me: *Utrùm ad prudenter indicendas, perficiendáſque haſce exequias oportuerit habere tantam certitudinem de obitu mariti, quanta fuiſſet neceſſaria pro tranſitu ad ſecunda vota?* Reſpondi, haud quaquam fuiſſe tantam neceſſariam. 1. Quia jura non exigunt. 2. Quia nec prudens ratio poſtulat, & ideo non poſtulat, quòd, ubi majus imminet malum, ibi majore opus eſt cautelâ, *cap. Quieſcamus. diſt. 42. cap. Ubi. De Elect. in 6.* multò autem majus malum imminet, quando initur Matrimonium ex falſa, quamtumvis prudente, opinione de morte alterutrius conjugum, quàm ſi ex ſimili opinione lugubre ſacrum, atque alia funebria peragantur.

APPENDIX CRETENSIS.

Tam multis Caſibus, quos de tranſitu ad ſecunda vota, ob bene aut malè probatam mortem alterius è conjugibus, cenſui accenſendum recentiſſimum, qui utcunque fatigavit noſtram Curiam. a

Cum enim Titius miles Regno Candiæ ſeu Cretenſi jam dedito Turcis, rediviſſet in Helvetiam, atque non ſemel coram pluribus edixiſſet, ſuum chariſſimum commilitonem Cajum fuiſſe, ſe vidente, ingreſſum navem, quæ erat pars claſſis Venetæ, repetituræ Venetias, eámque ſolviſſe dimidiâ die poſtquam ipſe Titius inde vela feciſſet in claſſe Pontificia, ſolviſſe autem tam inauſpicatò, ut tota illa claſſis, nemine ſuperſtite ſubmerſa fuerit, ſicuti retulerant, qui è Pontificia claſſe miſſi erant ad explorandam veritatem tan- b

tæ cla-

Digitized by Google

ta cladis, hæcque delata fuiſſent ad aures Cajæ, legitimæ uxoris Caji, ipſa meminè dubitans de veritate narratorum, promiſit Sempronio, etiam rato fidem eſſe habendam indubitatam Titio, publicè Matrimonium de futuro, qui poſtmodum tentatione victus cognovit eam carnaliter, impragnavítque. At cùm vellent Matrimonium celebrare de præſenti, Parochus noluit eos conjungere, ſed remiſit ad D. Officialem, qui omnibus iſtis operosè examinatis, & juramento Titii firmatis, facit poteſtatem contrahendi in facie Eccleſiæ. An ſalvâ Inſtructione Clementinâ, de qua toties in hoc Caſu XIV?

Poſtquam diu hæſi anceps, denique, reſpondi poſſe, potuiſſéque permitti ejuſmodi Matrimonium. Fateor quidem, hoc reſponſum repugnare cortici verborum, quibus contexta eſt Clementina Inſtructio, idcirco aſſuta calci totius hujus operis, ſeu Tractatûs *decimi*, quòd copiam illius adeptus ſim ſeriùs, atque conveniebat meo inſtituto; at nego, adverſari piè, prudentérque præſumptæ intentioni, quam præſumptionem gignebant in me. 1. Bona fides, cum qua erant inita ſponſalia, imò jam factæ binæ denuntiationes. 2. Proles jam ſuſcepta, graviſque uterus, & conſequenter educatio ſobolis, cujus rationem maximam meritò habent Canones, & Doctores. 3. Non inane periculum, ne ſi diutius differrentur nuptiæ, partim ſponſus penitus deſereret ſponſam, partim ſponſa relaberetur in hæreſin, è qua emerſerat ante aliquot Annos; adeóque huc vel maximè faciebat id, quod Hoſtiens. *In Summa De frigid. & maleſ. n. 14.* etiam in cauſa matrimoniali ſcitè ſcribit: *Agitur non de lana, ſed de anima.* 4. Fama vulgata de morte Caji. 5. Incredibilitas, quòd Cajus remanſerit in Creta, ſummè Catholicus inter Turcas; exigua, vel nulla probabilitas, quòd ſi appuliſſet in Italiam, diſtulerit tam diu reditum in patriam lacte manantem; & in qua potuiſſet miranda de ſua expeditione narrare, non ſine ſuo ſolatio, & populari æſtimatione. Denique *moralis* impoſſibilitas ulteriùs inquirendi, cùm non ſit in his partibus, qui poſſit, aut velit ſcribere Venetias, & inquirere, utrùm revera ſubmerſa fuerit illa tota claſſis, & ſi non tota, utrùm ille Cajus è tam paucis evaſerit, nec ne. Henricus Wangnereck *in cap. In præſentia* multùm tribuit veroſimili ſubmerſioni navis.

His omnibus unà conſideratis cenſui, etſi ſingula non proſint, omnia tamen collecta ſufficere ad hoc ultimum, & practicum judicium ferendum, juxta vulgatum Axioma, quod tametſi Alexander *Conſil. 21.* incipit: *Repetitio. Lib: 4.* nolit habere locum in criminalibus, cauſæ autem matrimoniales æquiparantur criminalibus, reſpondetur tamen ex mente Doctorum, hoc toto Caſu XIV. relatorum, non utique exigi tam firmam probationem de morte unius è conjugibus ad permittendum alteri tranſitum ad ſecundas nuptias, quanta exigitur ad vitam alteri, ob allegatum crimen, eripiendam, ſemel enim erepta, nequit reſtitui.

Imò ſicuti ſeveritas ſententiæ in criminalibus ſæpe mitigatur variis de cauſis, ita etiam poteſt à Magiſtratu Eccleſiaſtico ob varias cauſas tranſitus ad ſecunda vota permitti Cajo, ſtante peculiari aliquâ probatione mortis, qui tamen rectè negaretur Titio, ſtante quidem eâdem probatione, at deficientibus cauſis *intrinſecis*, quandoquidem una, eadémque res communiter quidem non debet diverſo jure cenſeri. *cap. Cognovimus. 12. q. 2.* attamen poteſt diverſo jure cenſeri ex accidente contingente, aut præſumpta mente Legis. Barboſa *Axiom. 135. num. 7.* & latè Tiraquellus *De nobilitat. cap. 28.* & rurſum *De Retract. §. 1.* Gloſſ. *18. num. 23.* Ex quibus exiſtimavi, D. Officialem non repugnaturum intentioni Clementinæ Inſtructionis, ſi permitteret aut fieri tertiam denuntiationem, aut etiam omitti, ob periculum aliquod in mora; cujus quidem Clementinæ debitâ reverentiâ ductus, emendavi nonnulla in hac impreſſione, quæ ſcripſeram in prioribus, & ſi quid contrarium eidem Inſtructioni fugiſſet meam advertentiam, animadverſionémve, ac ſpongiam, volo eſſe correctum, emendatúmque. f g

Illud, puto, probabitur omnibus, quod 2. Septemb. Ann. 1672. reſolvi, nimirum fore nihil alienum ab eadem Inſtructione, ſi plena fides haberetur Olympiæ, mulieri bonæ famæ, ſolenni jurejurando teſtanti, Odonem ſe præſente mortuum eſſe ex dyſſenteria, adferebat enim eas morbi, mortiſque circumſtantias, ut gigneret maximam veriſimilitudinem; nec poterat aliunde haberi major certitudo, urgebátque vidua, ut ſibi fas eſſet convolare ad alias nuptias, pluréſque Anni tranſierant, ex quo nihil auditum fuerat de Odone, qui cæteroqui concorditer vixerat cum Olympia. h

Adhuc minùs dubitandum fuit de fide habenda Sempronio, etiam jurejurando firmanti, ſe præſente, vidente Stichum efflâſſe animam, proferentique veroſimilia mortis indicia; atq; inſuper aderat alius teſtis de auditu; & ſic obſervata fuit ſufficienter Inſtructio Clementina. At habuiſſétne ea locum in hoc i

Caſu Anni M. DC. LXXV?

Quo prodiit authenticum teſtimonium viri Nobilis, deponentis, ſe Anno, priore, ſeu 1674. vidiſſe in Ungaria ſuis oculis notiſſimum ſibi Titium natione Suevum, ac militem jacentem extra caſtra Cæſarea, itáque graviter decumbentem ex dyſſenteria, ſimúlque febri

Digitized by Google

febri Ungaricâ, ut credere non poſſit, eum non ſuccubuiſſe illi infirmitati, quam & ſi ſuperâſſet, nihilominus fuiſſet certò mactandus à rebellibus ruſticis. Quæſitum igitur fuit, an uxori Titii aſpiranti, ob hanc ſolam atteſtationem, ad ſecunda vota eſſet annuendum?

k Reſp. Non fuiſſe annuendum, nam & Inſtructio Clement. exigit teſtimonium de *morte* NB. non de morbo ex ſe lethali, & Doctores relati ſuprà *num. 312. & ſeqq.* itidem loquuntur de morte, uno illorum ſolo exprimente ſufficere, ſi teſtis deponat, non vidiſſe quidem mortuum, ſed ſolùm morientem. Sicut & Nuntius Apoſtolicus, de quo *numero 329.* ac Navarrus *num. 330.* relati, rejecerunt teſtimonium de ſola infirmitate vicini morti, & ægrotantis ad mortem.

l Accedit, quòd ſi Titius accingens ſe ad bellum, teſtamento legâſſet patrueli ſuo dimidiam partem bonorum, vindicandam poſt ſua fata, relictâ autem ſolâ dimidiâ parte duabus, quas uxori juvenculæ reliquerat, prolibus, nullus, ut reor, judex eſſet, rebus ita ſtantibus, addicturus patrueli dominium, aut etiam poſſeſſionem illius dimidiæ partis; quantò minùs jus ſacrum & profanum in uxorem? Hanc rationem examinet Lector, &, ſi videbitur efficax, applicet quibuſdam è ſuperioribus reſolutionibus, hincque petat reſponſum ad quæſtionem, à nemine, quod ſciam, expreſſè & in terminis propoſitam: *An judex Eccleſiaſticus valeat mulieri ad ſecundas nuptias anhelanti permittere tranſitum ad has, ſi obitum mariti nequeat aliâ ratione adminiculante probare, quàm ſi duo (unicus certò non ſufficit) vel tres omni exceptione majores, legitimo modo deponunt, illum maritum eſſe à ſe viſum laborantem morbo periculoſiſſimo, ſeu ex ſe lethali?* Item, an ſi jurent, eſſe ita ſibi perſpectam indolem, affectúmque mariti jam per ſedecim Annos abſentis ab uxore, & liberis, ut certò fuerit intra tot Annos non ſemel, ſed ſæpius ſcripturus vel uxori, vel amicorum alicui, ſi adhuc viveret. Qui Caſus contigit, & ad me delatus fuit in Novembri, Ann. 1676. At nolui patrocinari mulieri anhelanti ex hoc ſolo motivo ad alteras nuptias.

m Quo etiam menſe honeſtus civis hujus urbis Conſtantienſis mihi recenſuit de ſe ipſo hoc factum. *Sub Annum hujus ſæculi ſexageſimum quartum, hinc peregrè fui profectus mei opificii exercendi causâ, ac poſtmodum nomen dedi militiæ adverſus Turcam exercitu vaſtantem Ungariam, Paceque initâ redii in Bavariam, in qua dum verſor, venit Conſtantiam Sempronius, vigiliarum in quadam cohorte, atque etiam in Ungaria Præfectus, qui tam ſeriò & conſtanter aſſeveravit meis parentibus, non modò me vixiſſe, ſed etiam ſe interfuiſſe meæ ſepulturæ, ut ii, habitâ ejus verbis fide, ſolennibus exequiis mihi parentaverint. At duobus menſibus pòſt ſiti me ipſis ſuperſtitem, ut novit tota urbs Conſtantia, à qua abfueram ſexennium.* Ita ille; pro cujus exequiis decernendis ſufficiebat quidem autóritas talis teſtis; at an pro permittendo uxori, ſi quam habuiſſet, tranſitu ad ſecunda vota, judicet meus Lector ex hactenus reſolutis.

Hæc omnia vix prodierant ex prelo Einſidlenſi, cum expetitur meum judicium de hoc

Duplici Caſu.

I. *Cajus abhinc Annos quadraginta ſex duxit Cajam, quæ viginti Annis pòſt clàm* n *profugit ab ipſo. At cùm expectata multis Annis non rediret, adjecit ipſe animum ad aliam uxorem, monito tamen Parocho de tam diuturna emanſione, ac proinde de veroſimili judicio, quòd ea jam iviſſet ad plures. Copulatus itaque cum alia ſuſcepit ex ea complures liberos ſpatio viginti & unius Annorum, quibus jam, cum illa convivit. Nunc autem ſtimulis conſcientiæ agitatus aperit rem totam Confeſſario, petit remedium, addens, ſi prior uxor ſit adhuc ſuperſtes, eſſe certò natam octoginta quatuor Annos, ac proinde probabiliſſimè jam defunctam. An non igitur hoc Matrimonium ſecundum, quod à principio fuit probabiliter nullum, poſſit revalidari per conſenſum novum ſecundæ uxoris hactenus ignaræ ſubſtantialis defectûs?*

II. Caſus. *Vice verſa Titius ſolutus Matrimonio jungit ſibi Læliam ignarus hanc fuiſſe* o *tunc copulatam alteri viro. At nunc poſt plures Annos in hoc putatitio Matrimonio tranſactos deprehendit fraudem. Quid ei ſeu ſuadendum, ſeu imperandum?*

Reſpondeo ad primum Caſum, quandoquidem altera poſſidet, vel quaſi (ob bonam fidem) jus petendi debiti conjugalis, adeóque communis lecti & tecti, non poſſe, ſtante illo dubio de vita prioris conjugis privari uſu illius juris, ac proinde conſultius videri, ut ei non detegatur illud dubium de vita, aut morte Cajæ; quapropter nequit Cajus ſalva conſcientia clàm aut palàm deſerere alteram. Et quia in ſpecie facti narratur, Parochum, à quo ſunt copulati, judicâſſe, poſſe omnibus conſideratis tranſiri ad aliud Matrimonium, prudenter autem oviculæ ſequuntur vocem ſui paſtoris, atteſtante Salvatore; *Qui vos audit, me audit*, videtur ipſi etiam favere privilegium in dubio poſſidentis bona fide, cùm præſertim rariſſimè fiat, ut mulieres præſertim in alieno ſolo, pertingant ad Annum ætatis octogeſimum quartum. Sufficiet igitur, ſi hypotheticè renovet apud ſe conſenſum.

Ad alterum Caſum. Reſp. In primis Titium, p
tam turpiter circumventum à Lælia, poſſe in rigore juris ab ea diſcedere; ita tamen, ut,

quoad

Digitized by Google

quoad fieri poteſt, vitetur periculum, ne Magiſtratui innoteſcat ſcelus Læliæ periclitaturæ capite. Deinde tamen non videri utendum hoc jure, ſi poſſit cum Lælia vivere ut frater & ſoror, præſertim, ſi ex illo illegitimo connubio ſupereſt adhuc una, aut plures proles.

q III. Si tamen nequeat talem ducere vitam, ſubtrahet ſe ab illa adultera clàm, aut ſi nequeat clàm, monebit Læliam, ut ipſa ſibi conſulat. Quòd ſi tamen dubium eſſet rationabile, an maritus Læliæ ſit adhuc ſuperſtes nec ne, æquè favebit ipſi bonæ fidei poſſeſſio, quam ad primum Caſum, dixi favere Cajæ. Non reddet tamen Læliæ debitum illud exigenti, cooperaretur enim ejus adulterinæ intentioni, cui tamē non cenſebitur *moraliter* cooperari, ſi ei commiſceatur non ob ejus preces, ſed ob ſuam propriam voluptatem, aut bonum conjugii. Vide quæ infrà *Tr. 10. n. 134.* dicam de redditione debiti reſpectu petentis illicitè, nec dedignare inſolitam, ut fateor ipſe, reſolutionem, quam menſe Novembri Anno 1678. dedi ad hunc

Etiam inſolitum Caſum.

Siquidem Sophronius mihi coràm recenſuit, uxorem, cum qua ultra biennium, per quam pacificè vixerat, incidiſſe in talem amentiam, & maniam, ut vinculis ligari debuerit; quibus tamen exſoluta poſt notabilem, non tamen integram mitigationem, quodam die accepta cum ſtupa, colo & fuſo, tectáque ſola veſte quotidiana exiit domo verſus ſylvam hora una diſtantem; depoſuit, ut octiduo pòſt compertum, ad arborem colum, & fuſum. At non viſa per octennium, tametſi diligentiſſimè quæſita ab ipſomet Sophronio, addente ſe, cùm cognoviſſet in Eremo Beatæ Virginis, ſeu ut vocant, Einſidlen patrari omnis generis miracula, voviſſe illuc peregrinationem, ſi Auguſtiſſima cælorum Regina efficeret, ut ſibi & Sponſæ de futuro impregnatæ conſpicua fieret uxor ea ſpecie, ex qua cognoſceret, eſſe in bono ſtatu mortuam. Nocte autem conſecuta hanc voti nuncupationem apparuiſſe ſibi & ſponſæ decumbenti in in alio conclavi, in veſtitu candido, hilaríque vultu, ac proinde credere ſe omnino, eſſe defunctam.

r Ego hiſce auditis reſpondi, poſſe ipſi permitti tranſitum ad alias nuptias, à publico Magiſtratu ſui oppidi; impetraret literas, quibus ille Magiſtratus teſtaretur, ſe & totam communitatem nullo modo dubitare, aut prudenter dubitari poſſe cenſere, quin & illa mulier è vita migraverit, & viduus ac ſponſa ſint tam perſpecti candoris, ut nemo illorum, qui ipſos nôrunt, ſuſpicetur mentiri in negotio tanti ponderis.

Ducebar hoc, in rebus moralibus, receptiſſimo principio, eámque ob rem jam ſæpe à me uſurpato, quòd integrum ſit judicium, quod plurimorum ſententia comprobatur, & proinde, quod omnium, omnes circumſtantias alicujus certi facti perſpectas habentium; ſic enim ſatisfieri Inſtructioni Clementinæ, utpote quæ *num. 12.* exprimat, ſi nequeant obtineri teſtimonia de morte alterutrius conjugis, talia, qualia præſcribit ipſa Inſtructio, non excludi alias probationes, quæ de jure communi poſſunt admitti, dummodo ſint legitimæ, & ſufficientes. Ejuſmodi autem communis & indubitata perſuaſio eſt utique legitima & ſufficiens; quam etiam Reverendiſſimus D. Officialis tanti fecit, ut ſteterit teſtimonio Magiſtratus, tametſi prætereuntis omnem mentionem de apparitione facta. Et obſervandum, quòd cum iſta publica perſuaſione cōmunitatis concurrat fama conſtantiſſima; cui, quantum deferant viri etiam ſapientiſſimi, retuli ſuprà *n. 317.*

Hæc cum legiſſent, ac ſuo calculo à me de- s
ciſa probâſſent ii, quibus eſt reviſio librorum edendorum commiſſa, reſcripſerunt mihi ex urbe decimo Decembris eiuſdem Anni 1678. in hæc verba: *Monemus tamen extare Decretum ſacræ inquiſitionis Romanæ, quod credo in Germania ignotum eſſe, cùm ejuſmodi caſus incidunt, in quibus de morte conjugis, non habetur omnimoda certitudo, non det Ordinarius licentiam transeundi ad ſecundas nuptias, niſi prius monita ſacra Congregatione, & expectato illius judicio.*

Ita illi, rectè conjicientes illud Decretum t
ignorari in Germania; certè de hoc nihil ſcitur in Reverendiſſima Curia Conſtantienſi, & quamvis cognitum eſſet, ejus tamen obſervantia pateretur maximas difficultates propter, & loci diſtantiam, & talium viduorum, in hac longè ampliſſima Diœceſi, multitudinem, pauperiémque.

HONESTAS PUBLICA QUOMODO DIRIMAT MATRIMONIUM?

CASUS XV.

Correctorius, & Dogmaticus.

SUMMARIUM.

Caſus Matrimonii initi cum ſorore ſponſæ poſt ſponſalia mutuo conſenſu diſſoluta, & reprobati à Papa. 358.

Ob hunc caſum mutat Author opinionem, qua priùs erat imbutus. 362.

Et proinde nunc eſt negandum, impedimentum Publicæ Honeſtatis tolli, diſſolutis mutuo conſenſu ſponſalibus. ibid.

Cur hoc impedimentum dicatur eſſe Publicæ Honeſtatis? 363.

Inter

Inter quos oriatur nunc hoc impedimentum? 365.
Olim inter quos? 366. & 367.
Quid ſi priora ſponſalia fuerunt ſolùm fictè inita? 368.
Caſus Publicæ Honeſtatis reſolutus, ſed aliter, ac debebat. 371.
Rationes illius reſolutionis. 372. & ſeqq.
An movendus ſcrupulus iis, qui contraxerunt ante declarationem Congregationis irritantis talia conjugia? 377.
Singularis Caſus de impedimento Honeſtatis. 381.
Epitome totius doctrinæ de hoc impedimento, quatenus provenit è ſponſalibus. 378.
Quinque Caſibus declaratur. 378. & ſeqq.
Qualiter idem impedimentum oriatur ex Matrimonio rato, & non conſummato. 384.

358 *Petronilla Ruiza, & Alphonſus Rodriquez Pacenſ. Diœceſis ſponſalia per verba de futuro inter ſe contraxerunt, ſed cùm, antequam ſe vidiſſent, aut ſimul colloquerentur, Petronilla gravi morbo correpta fuiſſet, ſe invicem à promiſſione, & juramento abſolverunt, nunc autem Alphonſus volens Matrimonium contrahere cum Maria ſorore germana dictæ Petronillæ, dubitat, an ex ſponſalibus cum Petronilla contractis, & mutuo conſenſu diſſolutis ortum ſit Publicæ Honeſtatis impedimentum, licèt mutuo conſenſu diſſoluta; quia Concilium ſolùm conſiderat, quòd à principio valida ſint, & quia à principio valida, & deinde dirempta per mortem, id impedimentum induxerunt, ita & diſſoluta conſenſu, & noviſſimè jubente S. D. N. propoſitum fuit in ſacra Congregatione Concilii; An ſponſalibus ab initio validè contractis, deinde mutuo conſenſu diſſolutis, ſit ſublatum impedimentum juſtitiæ Publicæ Honeſtatis. Et pluries propoſito dubio, ac maturè examinato; tandem ſub die ſexto Julii 1658. Eminentiſſimi Patres, in antiqua ejuſdem Concilii ſententia conſiſtentes, cenſuerunt, non eſſe ſublatum. Cujus ſententiæ unà cum rationibus hinc inde deductis, & recentioribus ejuſdem Congregationis, in hac materia reſponſis, factâ relatione ad Sanctiſſimum, Sanctitas ſua die 10. ejuſdem menſis prædictam Congregationis reſolutionem probavit, eandémque juſſit in dubium deinceps non revocari.*

359 Audiſti, Lector, loquentem, certè legiſti ſcribentem Proſperum Fagnanum IC. Romanum, cujus Commentaria in Decretales edita ſunt Romæ Anno 1661. nominatim in Quartum Decretalium, ubi *Commentar. in cap. Ad audientiam. De ſponſal & Matrim. num. 29.* eloquitur omnia verba hîc repreſentata, omnia, inquam, niſi quòd memor, hunc Tractatum vocari à me Alphabetum, ob cauſam expreſſam *im Præf.* præfixa huic toti renovato Operi, nomen Iſabellæ, quo utitur, mutaverim in Petronillæ, cum ſicût litera ordine *decima quinta* in Alphabeto, quod pueri didicimus, eſt P. ita, & litera *decima quinta* meorum Alphabetorum, quæ etiam Viri legere dignantur, ſit P.

Si cauſam quæras, cur hunc Caſum vocem *Correctorium*, promo illam, quia videlicet & multos viros doctiſſimos, & me omnium poſtremum corrigit, ut paulò pôſt declarabo. 360

Appello eundem Caſum *Dogmaticum* ideo quòd contineat doctrinam ſequendam inpoſterum abſque omni tergiverſatione, etenim non ſolus Proſper Fagnanus eſt teſtis, & quidem Romæ, hujus Declarationis Authenticæ, ſed etiam ſub idem tempus R. P. Thom. Tamburinus Rector Collegii Panormitani, utpote qui non modò deſcribit illam Declarationem factam 6. Julii, in ultimo folio ſuorum defecatiſſimorum (quidquid Sinichiſtæ oblatrent) octo Librorum de Sacramentis, editionis poſterioris Venetæ, Anno 1661. differens (fortè errore Typographi) in eo, quòd pro 10. Julii ponat 20. ſed etiam corrigit ea, quæ in favorem ſententiæ è me (eccur enim erubeſcam fateri, me erráſſe cum aliis magnis viris) ſæpius traditæ, ſcripſerat ipſe in eodem Opere ejuſdem prorſus editionis *Lib. 8. cap. 8. §. 3. n. 7.* 361

Ut proinde cenſeam, me fore pertinacem, ſi dubitarem, utrúmne verè ſit ejuſmodi Declaratio edita à Sacra Congregat. approbatáque à ſua Sanctitate, & proinde munita conditionibus requiſitis ad valorem, atque explicatis ſuprà *Tract. 3. n. 604.* quibus adde, placere mihi id, quod Paſqualigus *Commentario in Laurent. De Franchis num. 1462.* bene probat, illas ſcilicet declarationes obligare, quocunque modo veniant ad notitiam (ſubaudi: *certam, & publicam in tuo loco*) nec eſſe aliâ opus probatione. Poſito autem, quòd illa, de qua hîc ſermo, ſit verè authentica, nemo ſanus dubitabit, quin ſit eâ ſtandum, *per ſe loquendo*; ac proinde ſublata jam eſt ea inter ſummos DD. lis, utrùm, ſponſalibus de futuro ſublatis mutuo conſenſu, ſublatum quoque ſit impedimentum Publicæ Honeſtatis; ſeu ſublata juſtitia Publicæ Honeſtatis, ut loquitur Trident. Concil. *Seſſ. 24. cap. 3. De Reform. Matr.* quam locutionem, & difficultates, ſub ea latentes ut facilius intelligas. 362

Nota, per Juſtitiam *Publicæ Honeſtatis*, ſeu per impedimentum *Publicæ Honeſtatis* nihil aliud hoc loco intelligi, quàm propinquitatem aliquam, quæ jure Eccleſiaſtico introducta oritur ex ſponſalibus inter ſponſum ex una parte, & conſanguineos Sponſæ ex altera parte, vel è contra. Item, quæ eodem jure oritur ex Matrimonio rato, non conſummato, inter conſanguineas uxoris ex una parte, & inter conſan- 363

ſanguineos mariti ex altera. Appellatur autem *Juſtitia Publicæ Honeſtatis*, eò quòd videatur juſtum, & æquum, & decentiæ, Honeſtatique Publicæ congruum, ut inter ſe non copulentur Matrimonio illi, quos impedimentum Publicæ Honeſtatis arcet à mutuo Matrimonio.

364 Dices: *Ergo impedimentum cognationis naturalis, & ſpiritualis, itémque affinitatis, rectè vocabitur impedimentum Publicæ Honeſtatis?*

Reſp. Hanc objectionem faciebant mei in ſcholis diſcipuli; non ſatis gnari, ſenſum vocabulorum deſumendum eſſe ex uſu communi, non ex ſignificatione Grammaticali, vel Etymologica; itémque nomen generale ſæpe applicari uni ſoli ſpeciei.

365 Itaque impedimentum, de quo hîc diſſerimus, emergit inprimis ex ſponſalibus, deinde ex Matrimonio rato.

De ſponſalibus Trident. Concilium *cit. cap. 3.* ſic ſtatuit: *Juſtitiæ Publicæ Honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quacunque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorſus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant, quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt ejuſmodi prohibitio abſque diſpendio obſervari.* Circa quam Conſtitutionem nota breviter ſequentia.

366 I. In *cap. Sponſam. De ſponſal. & Matrim.* expreſſè dicitur: *Sponſam alterius nullus conſanguineorum aliquo modo poteſt ſibi Matrimonio copulare*; adeóque ſpectato jure antiquo impedimentum *Publicæ Honeſtatis* extendebatur, juxta communem interpretationem, uſque ad quartum gradum, eo modo, quo nunc extenditur cognatio carnalis. At verò Concilium Tridentinum, verbis hîc deſcriptis, reſtringit ad primum, ut proinde ſi iniiſti (etiam ſine ulla copula carnali) ſponſalia cum Truſilla, *invalidè* contracturus ſis Matrimonium cum ejus matre, ſorore, aut filia, & viciſſim Truſilla *invalidè* nuptura ſit tuo patri, filio, aut fratri, *validè* autem tuo patruo, avo, nepoti, pronepoti.

367 II. Prædictum impedimentum naſcebatur olim ex ſponſalibus etiam invalidis, modò illa invaliditas non fundaretur in defectu conſenſûs, ut notant omnes ſcribentes de hac materia: at verò Tridentina Synodus non permittit emergere ex ſponſalibus *quacunque Ratione* invalidis, ut ſonat textus deſcriptus.

368 Quia verò illi, qui tantùm *fictè* contrahit, deeſt revera conſenſus, propriè loquendo, & proinde ejus promiſſio eſt *aliquâ ratione* invalida, idcirco ſubſcribo ſententiæ P. Ferdinandi Rebelli *De obligat. juſtit. Lib. 3. q. 14.* & aliorum contra P. Sanchez *cit. Diſp. 68.* pronuntiantis; ex fictis ſponſalibus non oriri præſens impedimentum. Tenetur quidem talis ſimulator ducere illam, cui non advertenti fictionem dedit fidem Matrimonii, ad id tamen non obligatur titulo juſtitiæ, ſed ſolius fidelitatis. Vide P. Dicaſtillo *De Matrim. Tract. 10. Diſp. 7. dub. 29.* habentem pro probabiliſſima utramque ſententiam.

III. Illa ſponſalia debent eſſe vel *abſoluta*, 369
vel ſi *conditionata*, tum debet conditio eſſe impleta, priuſquam ineatur Matrimonium cum ſorore, matre &c. prioris ſponſæ, quia, non impletâ conditione, nequeunt abſolutè vocari ſponſalia. Ita paſſim DD.

IV. Durat porrò hoc impedimentum etiam 370
poſt mortem ſponſæ ex una parte, aut ſponſi ex altera, ut notant omnes, & exprimit Deciſio ſuprà deſcripta *numero 358.* At verò magna eſt, vel fuit controverſia inter DD. ignaros Declarationis prædictæ, utrùm illud impedimentum duret etiam, poſtquam ſponſalia fuerunt *liberè*, *licitè*, & *validè* diſſoluta mutuo conſenſu, ſive poſt hanc diſſolutionem ſit adhuc ſuperſtes ſponſa, ſive jam ad plures evocata.

Audi verò, mi Lector, quid ipſe ego reſpon- 371
derim Anno 1659. ad ſequentem

Caſum Peregrinum.

Potamiena, contractis legitimè ſponſalibus cum Patroclo, non modo iniit alia cum Proculo, qui etiam priùs ſpoponderat Matrimonium ſorori Potamienæ, at mutuo conſenſu erat legitimè diſſolutum, ſed etiam Matrimonium celebravit cum eo, conſummavitq. Hoc intellecto, repetit Patroclus à Proculo ſuam ſponſam; neganti indicit litem, objiciens, Matrimonium ejus eſſe nullum, ob impedimentum Publicæ Honeſtatis. Diſceptatur hæc cauſa coram tribunali Eccleſiaſtico. Unus eorum Theologorum, quos Joannes Caramuel in ſua Theologia Fundament. meritò accenſet magnis ingeniis, dignatus fuit è Metropoli cujuſdam Epiſcopatûs Polonici (ideo meritò appello hunc Caſum Peregrinum*) ex me quærere (nam & ipſe conſultus erat) quid cenſerem de valore hujus Matrimonii. Non expreſſit tunc quidem, ſed primùm, poſtquam meum reſponſum accepit, fuiſſe jam tunc celebratum illud Matrimonium, expreſſit tamen impedimentum Publicæ Honeſtatis, ſed tacitis quoque ſponſalibus, quæ fuerant inita cum Patroclo.*

Reſpondi ego breviter, videri mihi ceſ- 372
ſaſſe impedimentum *Publicæ Honeſtatis*, ac proinde non obeſſe poſſe valori Matrimonii, ea potiſſimùm de cauſa, quòd graviſſimi Authores teſtentur, eſſe à Congregatione Cardinalium ita deciſum. Hi ſunt Joannes Gallemart *in cit. cap. 3.* Concil. Trident. Gutierez, Baſilius Pontius, Rebellus apud Dianam *P. 3. Tr. 4. Reſol. 222.* Armandus apud Barboſam *De offic. & poteſt. Epiſc. Part. 3. alleg. 51. n. 188. & in cit. cap. Tridentin.* Item Farinacius I.C. Ro-

manus apud P. Palaum *Diſp. 4. De ſponſal p. 10.* Certè tot teſtes, (ajebam ego) factæ illius Declarationis reddent in foro tam *interno*, quàm *externo*, tutiſſimum illum, qui in propoſito Caſu, aut duxerit ſororem ſuæ ſponſæ, aut conjunxerit. Accedit autoritas horum novem DD. quos hîc nominavi; itémque P. Hurtadi *De Matrim. Diſp. 21. diffic. ult.* P. Tanneri *Tom. 4. Diſp. 8. quæſt. 4. num. 109.* & plurium aliorum.

373 Nec valet, inquiebam, hæc argumentatio: *Impedimentum iſtud non tollitur morte, ergo nec diſſolutione per mutuum conſenſum.* Ideo enim non tollitur morte, quia is, qui antè mortem non revocavit conſenſum, cenſetur perſeveràſſe jugiter in animo ſtandi promiſſis; at conſtat de contrario, quando mutuo conſenſu fit diſſolutio.

Firmâſſem multùm illam reſolutionem, ſi jam tunc habuiſſem ad manum Elucubrationes ſapientiſſimi Epiſcopi Traguriensis Pacis Jordani, & ſuprà indicatum librum P. Thomæ Tamburini, etenim Pax Jordanus *Tit. 7. Tom. 1. elucubr. L. 3. n. 307.* teſtatur, ſe in contingentia facti conſultum reſpondiſſe, ut ego reſpondi. Tamburinus quoque *De Matrim. Lib. 8. Tr. 1. cap. 11. n. 7.* refert, Epiſcopum Argentinum, atque Archipreſbyterum Sambacenſem permiſiſſe praxin hujus.

Caſûs Siculi.

374 V*T Joſeph Torres ſine diſpenſatione duceret in uxorem N. Buſcemi ſororem minorem, qui Torres eodem Anno 1634 inierat ſponſalia cum ſorore majore ejuſdem Buſcemi, poſtmodum diſſoluta mutuo conſenſu ſponſi, ſponſæque.*

Hujus promiſſionis factæ teſtem laudat P. Tamburinus. P. Petrum Muſticam, doctiſſimum, ut ait, noſtræ ætatis Theologum; qui & ipſe conſultus reſponderit, ita faciendum.

375 Tametſi verò tunc nondum produxeram hos omnes præſtantes viros, reſcripſit tamen mihi idem P. Theologus 28. Junij 1660. in hæc verba: *Profuit judicibus legiſſe ſcriptum R. V. & autores citatos: Matrimonium illud approbatum eſt; nec viſum eſt intercedere amplius impedimentum Publicæ Honeſtatis; Itaque ſponſus, qui priùs habebat promiſſionem publicè celebratam, quique jam omnia expediebat ad nuptias, declaratus eſt liber vinculo ſponſionis, & de facto aliam duxit, ſed ſponſa condemnata ad reſtitutionem ſumptuum in ſponſalia &c.*

376 Quamquam autem ſic reſpondi tunc, jam tamen nequaquam ita reſponderem, utpote jam certus, illam Declarationem, cujus tot teſtes omni exceptione majores laudavi, non fuiſſe munitam omnibus conditionibus requiſitis, ad id, ut obtineret vim Legis declaratoriæ. Fuiſſe ſolùm confictam ab uno aliquo, qui alios induxerit in errorem, non credo, ſicut nec facilè mihi perſuadebis, extitiſſe planè authenticam, at à S. D. N. Alexandro VII. revocatam, ſeu antiquatam; nec enim exiſtimo, ſuppetere exemplum, quo probetur, Legem merè declaratoriam unius Pontificis fuiſſe à poſteriore Pontifice correctam, perinde ac ſi malè interpretatus fuiſſet jus antiquum, Oecumenici Concilii.

At inquies: *Nonne jam moveri poteſt prudens ſcrupulus de valore ſui Matrimonii illis, qui ſecuti judicium tantorum virorum, aliorúmque celebrârunt nuptiarum ſolennia cum ſorore prioris ſponſa?* 377

Reſp. Minimè gentium. Nec enim arbitror, fuiſſe unquam uſitatum, ut vel dirimerentur, vel infirmari mandarentur ea connubia, quæ fuerant ſancita ex ſenſu tot, támque gravium DD. prudenter nitentium autoritate ipſiuſmet S. Congregationis. Si quippe in ulla materia vim obtinet celebratiſſima Lex *Barbarius, ff. De offic. Prætor.* obtinet equidem in contractibus, & ſingulariſſimè in matrimoniali, initis ex allegata, prudentérque credita allegatione Legis, clariſſimè loquentis; ingentia quippe damna devolverentur in capita innocentiſſima, lites atque inimicitiæ immortales ſuſcitarentur, ſi pronuntiaretur, aut crederetur, irritas fuiſſe tales nuptias; ut nihil dicam de eo, quòd & leges, & DD. toti ſint in tuendo valore Matrimonii bonâ fide contracti; atqui illi, qui ex reſolutione Epiſcoporum Traguriens. & Argentini, ac P. Muſticæ, aliorúmque plurimorum, contraxerunt, id fecerunt ex allegata, & perquam prudenter credita authoritate Legis, ſeu Declarationis, habentis authoritatem Legis clariſſimè loquentis. Vide plura in hanc rem *Tract. ſequente. Caſu XXII. num. 747.*

Hæc de impedimento *Publicæ Honeſtatis*, orto ex ſponſalibus, fuſiùs diſſerta comprehendo his pauculis verbis: Impedimentum *Publicæ Honeſtatis* ex ſponſalibus emergens continetur intra primum gradum conſanguinitatis, oritúrque ſolùm ex ſponſalibus abſolutis, ſive in principio, ſive impletâ conditione; & tantùm validis, & non ex nullis, ſeu ob defectum veri conſenſûs, ſeu ob aliud impedimentum occultum, publicúmve; non cenſentur autem nunc illa eſſe nulla, ſeu invalida, quæ diſſoluta ſunt communi conſenſu, aut alterius voluntate.

Eaſdem doctrinas declaro ſequentibus Caſibus breviſſimè indicatis.

Primus eſt juvenis, *qui puellam nondum ſeptennem ſibi deſponſaverat, ac poſtmodum ejus conſobrinam duxerat uxorem, idéoque Eugenius Papa mandaverat dirimi hoc conjugium, ut videre eſt cap. Juvenis. De ſponſ.* Etenim hoc 378
mandatum jam non obligat propter doctrinam allatam *n. 366.*

Secun-

Digitized by Google

Secundus eſt illius, *cujus frater è ſolo patre deſponſaverat ſibi filiam civis cujuſdam Papienſis; at quia non duxerat, eò quòd poſt ſponſalia intellexiſſet, eam eſſe ſibi ſanguine junctam, volebat alter frater, natus ex alia matre, intellecto hoc impedimento, ducere eandem, ſed vetuit Pontifex Alex. III. in cap. Ad audientiam, uſus hac ratione*: Quoniam ſcriptum eſt: Sponſam fratris frater habere non poteſt. Hoc reſcriptum hodie non ſubſiſtit, quia ſponſalia invalida non gignunt impedimentum præſens. Suprà *num.* 355.

379 *Tertius* Caſus eſt Herfordenſis Diœceſani, *qui puellam quandam in cunabulis adhuc exiſtentem deſponſaverat, poſtea verò matrem hujus puellæ cognoverat carnaliter, duxerátq; uxorem.*

Reſpondit Alex. III. divortium eſſe promulgandum, ſi illa puella jam exceſſerat Annum ſeptimum, quando fuit deſponſata; ſecùs, ſi nondum compleverat, eò quòd deſponſationes hujuſmodi, quæ in cunabulis fiunt, nullæ ſint. Reſolutio hujus Caſûs habet etiam hodie locum, poſito, quòd poſt ſeptennium adfuerit plenus uſus rationis; ſicut & habet in eo ſimili Caſu cujuſdam Eboracenſis, qui refertur *Cap Acceſſit. De deſponſ. impub.*

380 *Quartus* eſt illius, *qui voto perpetuæ caſtitatis obſtrictus contraxit ſponſalia cum Plautilla, quibus contractis impetravit ſolutionem ſui voti; hac obtentâ voluit accipere Sibyllam ſororem Plautillæ.* Reſpondi ego, potuiſſe, ſi abſolutè contraxerat ſponſalia cum Plautilla, erant enim ea invalida, utpote illicita; ſi verò ſpoponderat Matrimonium ſolùm ex hypotheſi: *Si impetravero diſpenſationem voti*, obtentâ hac, ortum fuit probabiliter impedimentum. Dico: *Probabiliter*, non autem: *Certò*, propter DD. contrarios indicandos *Tract. ſeq. Caſ. IV. num.* 162.

Quintus eſt Pomponii, *qui, ubi legitimè ſibi deſponſavit Pulcheriam per verba de futuro, defloravit Praxedem ejus ſororem, cum promiſſione jurata Matrimonii*: quid hîc agendum? Reſpondi Annis jam abhinc viginti octo, eſſe nihil agendum, ſed omittendum utrumque Matrimonium; cum Pulcheria quidem, quia Pomponius contraxit per copulam cum ſorore Praxede affinitatem in primo gradu: cum Praxede verò, quia inhibet clarè impedimentum *Honeſtatis Publicæ.*

APPENDIX MULTUM RARI CASUS.

381 P*Alladius deſponſat Perſeum filium ſuum novennem, & conſentientem Penelope jam nubili, at exprimenti, ſe reſervare ſibi jus reſiliendi, ſi quando pœniteret. Non multò poſt moritur uxor Palladii, qui & Anno uno poſt filii deſponſationem affectat nuptias Penelopes, eáq; conſentiente petit à Sede Apoſtolica diſpenſationem, expreſſâ clauſulâ quòd Perſeus eſſet ſuperſtes, ceſſeritque libere ſuo jure. Et verò impetrat Breve, in quo fit delegato Pontificio poteſtas diſpenſandi cum Palladio, & Penelope ſuper impedimento juſtitiæ Publicæ Honeſtatis primi gradûs, at nulla mentio renuntiationis facta à Perſeo. Quare mox ortum dubium, an poſſet Judex delegatus procedere ad actualem diſpenſationem? Placuit partibus conſulere varios, & denique me quoque.*

Tametſi autem priores reſponderint, delegatum Pontificium poſſe exequi mandatum Apoſtolicum, viſum mihi tamen fuit, exiguam eſſe ſpem impetrandæ executionis, fortè autem poſſe abſque ulla diſpenſatione Palladium, atque Penelopen, etiam contradicente forſan Perſeo, contrahere. Ad cujus utriuſque reſponſi declarationem, & robur reſolvendæ ſunt breviter hæ octo quæſtiones. 1. *An, ut validè, aut ſaltem licitè contraherent Palladius, & Penelope, fuerit Pontificis gratia neceſſaria ad nihil aliud, quam ad ipſum preciſe impedimentum Publicæ Honeſtatis.* 2. *An ſuffecerit, quòd in ſupplici libello fuerit expreſſus primus gradus, an verò fuerit neceſſe exprimere illum primum gradum, cum addito Lineæ rectæ?* 3. *An neceſſariò fuerit exprimendum, Perſeum adhuc eſſe ſuperſtitem, ac ceſſiſſe libere ſuo jure?* 4. *An potuerit cedere jure ſuo?* 5. *An cedere ſine authoritate tutoris?* 6. *An, quia Pontifex diſpenſavit, ſeu dedit commiſſionem diſpenſandi in ipſo impedimento, cenſendus ſit hoc ipſo approbâſſe renuntiationem factam à Perſeo?* 7. *An judex delegatus poſſit, aut teneatur fidem habere ſcribæ, qui formavit ſupplicem libellum, aſſeritque, ſe disertè feciſſe mentionem Perſei adhuc impuberis, adhuc viventis, & renuntiantis libere?* 8. *deniq;, An illa ſponſalia Perſei cum Penelope fuerint valida, adeóq; verè ortum impedimentum Publicæ Honeſtatis?*

Ad *primam* quæſtionem reſpondeo, fuiſſe ad *licitè* contrahendum neceſſariam Pontificis diſpenſationem, etiam idcirco, quòd Perſeus nequiverit ſine hac juri ſuo renuntiare. Etenim *cap. De illis. De deſponſat. impub.* ita ſancit Pontifex: *De illis, qui infrà Annos aptos Matrimonio, ſponſalia contrahunt, ſive uterque, ſive alter reclamet, antequam ad Annos Matrimonio aptos pervenerint, & poſtulent ſeparari, non ſunt ullatenus audiendi.* Sed contra hanc tam perſpicuam deciſionem objiciebat patronus Palladii, vir morum integritate, ac ſingulari eruditione clarus, hunc Canonem ceſſare in præſenti Caſu, ſic enim argumentabatur: Ceſſante ratione Legis ceſſat & hujus obligatio. Suarez *De legibus Lib. 6. cap. 9.* atque alii communiter; atqui ceſſat in propoſito ratio hujus Canonis, quæ eſt, ne impubes reclamans reclamet cum ſuo fortè magno incommodo, & damno, Perſeum autem non aditurum ullum incommodum reſiliendo, quandoquidem ſit certum, quòd Penelope nunquam ſit eum admiſſura ad torum conjugalem.

Erat hæc fundamentalis ratio illius viri Clariſſimi, probata, ut aſſerebat, aliis diverſorum Ordinum Religioſis à ſe conſultis. At pace ita ſentientium judicavi, ea ratione nihil effectum

iri coram tribunali judicis delegati. 1. Quia in foro *externo* non ſolet admitti illa quorundam, etſi probabilis, ſententia, quæ tenet, ſicut ex indubitata P. Suarezii ſuprà relati doctrina, ceſſat tunc obligatio Legis univerſim, quando univerſim, ſeu reſpectu totius communitatis ceſſat ratio Legis, ita etiam ceſſare reſpectu particularis hominis obligationem, quando ceſſet reſpectu ejuſdem ſolius ratio. 2. Quia cauſa fundamentalis, & per ſe, ob quam citatus Canon non permittat impuberi reclamationem, eſt mentis infirmitas. Gloſſ. *ibid.* ſeu quia impubes ob fragilem ætatem conſenſu ſufficienti ad ſponſalium diſſolutionem caret. Barboſa *in cit. cap. De illis, numer. 4.* cum aliis communiter, adeóque periculum, ne impuberes per imprudentiam noceant ſibi, aliiſque, & impleant tribunalia litibus, ex eorum inconſtantia ortis. Atqui quando lex humana inhibitiva fundatur in periculo, obligat etiam illum, in quo deſinit eſſe periculum. P. Perez *De Matr. Diſp. 20. ſect. 2. & Diſp. 36. ſect. 2.* cum communi contra Dianam *Part. 5. Tr. 14. Reſ. 96.* patétq; ex legibus vetantibus lectionem librorum hæreticorum, & clandeſtina Matrimonia.

b Denique quia, cùm impuberes laborent æquè inconſtantiâ animi atque infirmitate judicii, perſuaſi à ſe ipſis, vel ab aliis nimis frequenter, atque ex leviſſimis cauſis reſilirent, ſi id ipſis permitteretur; conſequenter nemo cum illis contraheret. Sed eſto, periculum proprii damni ſit cauſa illius Legis, verè non ceſſavit reſpectu noſtri Perſei; cùm enim puellæ ſint ingenii multùm variabilis *cap. Forus. §. fin. De verb. ſign.* potuit non imprudenter timeri, ſeu potiùs ſperari, Penelopen, etſi hodie alienam, poſt triennium tamen futuram concordem cum Perſeo.

c Sed vir quidam doctus pro Palladio judicabat, Epiſcopùm poſſe diſpenſare in allegato Canone, adeóque admittere Perſei ceſſionem. At replicavi, Epiſcopo non eſſe fas diſpenſare in legibus ſui Superioris, niſi in quibus permittunt Doctores pertractantes hanc materiam cum P. Suarez *Lib. 7. De Legibus cap. 13.* éſtque apertus textus in Clementina, *Ne Romani. De elect.* Vide omnino Dianam *Part. 8. Tract. 3. Reſol. 11.*

d Ad *alteram* quæſtionem, an ſcilicet ſuffecerit inſerere precibus indiſcriminatim gradum primum, reſpondeo, ſuffeciſſe de facto, nam Papa diſpenſavit reipſa, an verò de communi ſtylo Curiæ, ignoro; eámque ob rem ſi aut fuiſſet in mora periculum, aut parcendum ſumptibus, ſuaſiſſem, ut in petitione exprimeretur, illud individuum impedimentum ortum eſſe ex ſponſalibus proprii filii adhuc ſuperſtitis. Et cùm ex Concilio ipſo Tridentino conſtet impedimentum *Publicæ Honeſtatis* exſurgere è ſolo primo gradu inter ſponſos de futuro, ſubit mirari, cur tam in petitione, quàm in reſcripto fuerit expreſſus primus gradus.

Ad *tertiam* quæſtionem reſpondeo, fuiſſe omnino neceſſarium exprimere, Perſeum eſſe e
adhuc in vivis. 1. Quia ut paulò antè dixi, indigebat ipſe diſpenſatione ad renuntiandum. 2. Quia Papa in diſpenſando non ſolet derogare juri tertii; etenim in omni reſcripto Principis ſubintelligitur clauſula: *Sine præjudicio alterius. cap. Super eo 15. De offic. jud. deleg.* juxta Gloſſam *in verb. Intentionis*, Gaill. *Lib. 2. obſervat. 58. num. 4.* Marta *De clauſulis p. 1. clauſ. 158. n. 7.* 3. Quia debuit conſtare Pontifici, An Perſeus renuntiâſſet cum autoritate legitimi tutoris; ſi enim pupillus nequit alienare quidpiam ſine authoritate tutoris, *Leg. 7. 11. 15. C. De prædiis minor.* quantò minùs privare ſe tanto jure, quantum præbent ſponſalia, præſertim cum locuplete? Certè ne quidem cum authoritate tutoris poteſt quidquam donare. Felinus *conſil. 16. num. 14.* poſt Baldum. Porrò quia Palladius extitit procus deſponſatæ à Perſeo, videtur non potuiſſe fungi officio tutoris, ſed alius debuiſſe nominari. Cùm enim contractus tutoris cum cliente ſint jure irriti. DD. ex *Leg. 1. ff. De novat.* & *Leg. Si in empt. ff. De contrah. empt. §. fin.* Bald. *conſil. 200. Lib. 3.* etiam irrita eſt renuntiatio in favorem tutoris facta ſine alio tutore, ſeu curatore. Debuit igitur Pontifici innotuiſſe, eam ceſſionem factam eſſe conformiter legibus.

Ad *quartam*, & *quintam* quæſtionem reſpondeo, Perſeum, nec *abſolutè* potuiſſe re- f
nuntiare legitimis ſponſalibus, ut ex *cap. De illis* demonſtratum eſt ſuperiùs, nec potuiſſe ſine authoritate tutoris, ut paulò antè oſtenſum fuit.

Ad *ſextam*, quia & verba intelliguntur cum effectu *cap. Relatum. De Cler. non reſidente*, & g
cui datur juriſdictio, conceduntur omnia ad illam expediendam neceſſaria, *Text. in Leg. 2. ff. De juriſd.* non potuit autem judex delegatus expedire diſpenſationem, niſi Perſeus prius legitimè cederet ſuo jure, ideo dicendum eſt, Pontificem, cui ſupponitur fuiſſe nota conditio Perſei, vel *immediatè* diſpenſâſſe in Canone: *De illis*, vel *tacitè*, ſeu *indirectè* feciſſe ſuo delegato poteſtatem diſpenſandi.

Ad *ſeptimam*. Licèt ego *in Theologia Juridico-Morali*, ſeu *Tract. 5. Quinarii cap. 42. ſect. 3.* h
num. 93. retulerim Menochium *abſolutè* ſcribentem, credi illi, qui officio aliquo fugens teſtatur de re aliqua à ſe geſta, id tamen non ſentio eſſe verum; niſi ex authoritate publica fungatur tali officio. Fuſè Alexander *Conſil. 92. n. 13. Lib. 6.* ex communi contra Salycetum. Niſi ergo, qui ſcripſit ſupplicem libellum, ſit Protonotarius Apoſtolicus, Notarius Cæſareus &c. aut publicus tabellio, non habebit ei fidem delegatus Pontificius; habebit autem, ſi producat conteſtem. Alexander *loc. cit.* Et verò compertum habeo, alicubi factum, ut quidam ejuſmodi delegatus penitus repudiaverit, & quidem cum partium magno damno, diſpen-

Digitized by Google

diſpenſationem errore vitiatam, tametſi, qui eam rogatus petierat, fuerit tantâ doctrinâ, uſu, dignitate (utpote Epiſcopali) excellens, ut eſſet habendus teſtis omni prorſus exceptione major.

383 Ad *octavam*, eámque præcipuam quæſtionem, quam ego, partibus de ea nihil cogitantibus, movi, reſpondeo, videri mihi, ut privato, non ut judici, ea ſponſalia fuiſſe nulla, & conſequenter ex iis nullum eſſe ortum impedimentum, juxta novam ſanctionem Tridentini Concilii relatam ſuprà *num. 367*.

a Fuiſſe nulla, inde credo, quia non ſolùm certum eſt, quòd veri contractus, communiter loquendo, nequeunt claudicare *Lib. 13. §. Si quis à pupillo, ff. De action. empt.* ibique DD. ſed etiam, in ſpecie loquendo de ſponſalibus impuberum, ea non claudicant. Gl. *in cit. cap. De illis. De deſponſat. impub. verbo Semel*, cùm ſint futurarum nuptiarum repromiſſio, *Lib. 1. ff. De ſponſal.* claudicarent autem ſponſalia Perſei cum Penelope, ſi ſubſiſterent; etenim obligarent Perſeum ad expectandos Annos ſuæ pubertatis juxta deciſionem *cit. cap. De illis*, atque intentionem Perſei, cùm tamen Penelope revera non fuerit obligata expectare tam diu; ſiquidem actus agentium non extenduntur ultra intentionem eorum, ut ſæpe nobis repetendum eſt in materia matrimoniali, habeo autem fidem Penelopæ, quæ mihi ipſi, eam planè nihil ejuſmodì exſpectantem interroganti, non ſolùm rotundè aſſeruit, ſe, quando dixit, ſe reſervare ſibi jus reſiliendi, ſi quando pœniteret, omnino intellexiſſe de jure recedendi duobus, quatuor, ſex menſibus, &c. poſt illam promiſſionem, ſi tunc fortè ſibi id luberet, verùm à me ulteriùs interrogata, quid factura fuiſſet, ſi parens Perſei dixiſſet: *Non dabo tibi meum filium, niſi te obliges ad expectandos Annos ejus pubertatis*, ipſa animoſè, & quaſi adhuc indignabunda ſubdidit, ſe reſponſuram fuiſſe: *Ergo illum nolo.* Quibus verbis ſtantibus, liquet, eam non fuiſſe obligatam præſtolari, donec Perſeus eſſet pubertatem aſſecutus, cùm obligatio talis pendeat neceſſariò à voluntate.

b Unde fit ulteriùs, ut revera nullus propriè dictus contractus inter ipſum, & Penelopen interceſſerit; ſiquidem non ſolùm contractus eſt ultro, citróq; obligatio *Leg. Labeo, ff. De verb. ſignif.* obligatio autem nequit ultro citróque emergere, quando intentio verſatur circa contradictoria; ſed inſuper ad rationem contractûs exigitur, ut ſit duorum, vel plurium in idem conſenſus, *Lib. 1. ff. De Pact.* ſi nullus interceſſit contractus, ergo nec ſponſalitius, ergo ſponſalia fuerunt verè nulla; ergo ſtando jure Tridentino non potuerunt fundare impedimentum in foro interno; imò nec in externo, ſi Penelope queat probare, ſuam intentionem fuiſſe omnino talem, qualem mihi ipſa declaravit, Et verò ſufficienter probabit juramento, ſi adſint eæ conditiones, quas *ſeq. Tractatu Caſ. 11. num. 93.* probabo, eſſe ſufficientes ad deferendum reo juramentum ſuppletorium probationum.

Profectò ſi vel ipſamet ante matrimonialem Tractatum cum Palladio, & præſertim ſi ante promiſſionem actu factam Perſeo, dixit bis, térve aliquibus, ſe non habere, habuiſſéve unquam aliam intentionem quàm ut ſibi eſſet fas, diſſolvere promiſſionem, quando luberet; aut ſi eſt communis opinio inter ejus agnatos, quòd ipſa promiſerit cum hac, & non cum alia intentione, non video, cur judex non poſſit, ſpectato ſtylo hujus Curiæ Conſtantienſis, deferre juramentum Penelope, eóque ſtare, cùm præſertim habeat Penelope Regulam pro ſe, eam videlicet, quòd nulla clauſula ſit fruſtra, ſed debeat aliquid operari. Tuſchus *Lit. V. Concluſ. 85. num. 36.* nihil autem operaretur illa Penelopes clauſula reſervativa, ſeu exceptiva, ſi ipſi nihil tribueret ultra id, quod jus commune. c

Nec obſtat, quòd illa verba; *Reſervo mihi jus reſiliendi, ſi quando me facti pœnitnerit*, videantur eſſe intelligenda ſecundùm Leges, cùm quiſque præſumatur loqui conſentaneè legibus. Nam eſto hæc doctrina locum habeat reſpectu habentium ſcientiam Legis, non tamen habet reſpectu ignorantium, quique ignorare præſumuntur, ſiquidem voluntas non fertur in incognita. S. Thomas *1. 2. q. 6. a. 8. in corp.* Atqui mulieres, ac præſertim juvenculæ, qualis erat tunc, éſtque etiam nunc Penelope, præſumuntur ignorare Leges, & Canones. Peckius *in cap. Ignorantia. De Reg. jur. in 6.* & ibi not. per DD. Accedit, quòd, cùm Perſeus & ſit ruri natus, & fidem matrimonialem dederit adhuc novennis, fortè ſagax judex deprehendere poſſit, eum vel metu reverentiali adactum, vel non ſatis intelligentem, quid promitteret, feciſſe illam pollicitationem; alteruter horum defectuum impedit impedimentum Honeſtatis, Rebellus, Gutierez, alii cum, & apud Barb. *in cit. c. 3. De reform. Matrim.* d

Haſce ob cauſas ſuaſi Palladio, ut potiùs peteret declarationem nullitatis prædictorum ſponſalium, tanquam ab initio planè irritorum, quàm executionem diſpenſationis; tum quia ex declaratione nullum erat timendum (ſi Penelope ſufficienter probavit ſuam exceptionem) ſcandalum; at verò apud multos malè ſonat, ſi pater deſponſet ſibi ſui filii adhuc viventis veram ante ſponſam; cauſam hujus ſiniſtrioris interpretationis non attinet exprimere; tum quia faciliùs credere poterat judex, Penelopen vera profari, quàm capere, qui factum, ut fuerit Pontifex informatus de Perſeo adhuc ſuperſtite, & nullam tamen prorſus mentionem fecerit de diſpenſatione ipſi neceſſaria. An dicemus, fuiſſe quidem libello ſupplici fideliter inſertam mentionem Perſei, at à Referente Pontificio omiſſam per oblivionem? e

Digitized by Google

Si hoc, tum certè diſpenſatio in impedimento eſt ſubreptitia.

f An cogitabimus, fuiſſe quidem ſuam Sanctitatem integre informatam, atque ab eadem expreſſè diſpenſatum in duplici Lege, ſeu Canone, ſed per oſcitantiam ſcribæ Pontificii omiſſam in reſcripto alteram partem gratiæ Papalis? At ſi hoc dicerem in Curia Romana, referrem fortè gratiam mihi non collubitam. Igitur his omnibus expenſis cenſui, & hodiéque cenſeo, fuiſſe aut declarandam nullitatem priorum ſponſalium, & conſequenter impedimenti, aut recurrendum in Urbem pro integra, non autem mutila diſpenſatione.

384 Sat longam diſſertationem de ſponſalibus, quatenus concernunt præſens inſtitutum, claudo breviculâ (evenit enim rariſſimè hic Caſus) complexione eorum, quæ ſpectant ad impedimentum *Publicæ Honeſtatis*, quatenus promanat ex Matrimonio rato; noto itaque de illo ſeqq.

I. Matrimonium ratum, ſeu non conſummatum copulâ carnali integre, & perfectè habitâ, dirimit Matrimonium cum omnibus conſanguineis uxoris, uſque ad quartum gradum; etenim B. Pius V. in Bulla *Ad Romanum*, quam deſcribit Barboſa in Trid. Concil. *Seſſ. 24. cap. 3. De Reform. Matrimonii* exprimit, impedimentum ex Matrimonio rato durare etiam poſt Tridentinum in omnibus illis Caſibus, & Gradibus (infra quintum) *quibus de jure veteri introductum erat*. Atqui de jure veteri, quod habetur *in cap. Sponſam, de ſponſal. & Matrim.* certáque interpretatione, ſeu extenſione DD. introductum erat, ut *nullus conſanguineorum* ſponſam alterius poſſet ſibi copulare, ut vidimus ſuprà *num 366*.

385 II. Ob verba ejuſdem Bullæ B. Pii V. nequit jam ſuſtineri doctrina illorum, qui olim cenſebant, ſicut ſponſalia, quacunque ex cauſa nulla, nequeunt inducere impedimentum Honeſtatis, ut vidimus ſuprà *n. 365.* ita etiam nequire id fieri à Matrimonio rato quidem ſed invalido; etenim B. Pius V. relinquit vim hujus Matrimonii in terminis juris antiqui; quod ex omnium conſenſu induxerat impedimentum ex Matrimonio rato, tametſi aliunde, quàm ex defectu conſenſûs, invalido.

386 Ergo inquies, *ſi Pantratius iniret Conſtantiæ Matrimonium cum Lucia, ſed abſque præſentia Parochi, nequiret fieri maritus Agnetis junctæ Luciæ in quarto gradu conſanguinitatis, eſto non intercesſerit copula inter Luciam, & Pancratium*.

Reſp. Admitti à me cum P. Perez *De Matr. Diſp. 22. ſect. 3.* Proſpero Fagnano *in cap. Ad audientiam, De ſponſal. n. 2 0. & ſeqq* & aliis hoc conſequens contra PP Sanch. Coninck, & alios, quia Conſtantiæ non ſubſiſtunt connubia clandeſtina, ſeu ſine præſentia Parochi. Adde his, ſi Matrimonium fuit nullum ob impedimentum *Publicæ Honeſtatis*, quia ſcilicet ſponſus Tulliæ duxit matrem hujus, non obſtare, quò minùs nihilominus ducat Tulliam, poſito quòd matrem non cognoverit, etenim hæc duo impedimenta non habent vim reciproçam dirimendi. P. Laymannus *Lib. 5. Tr. 10. Part. 4. cap. 9. num. 5.*

QUOMODO AFFINITAS REDDAT IRRITUM MATRIMONIUM?

CASUS XVI.

Philargyri.

SUMMARIUM.

Caſus Patris, & duorum filiorum ducentium matrem, & duas hujus filias. 387.
Quid ſit affinitas? 389.
Unde debeat promanare? 390.
An ex copula perfecta? ibid.
Quomodo Confeſſarius interrogabit fœminam, an ipſa ſeminârit? 391.
In quibus Caſibus non oriatur affinitas? 392. *& ſeqq.*
Affinitas eſt duplex. 396.
Affinitas indirecta nihil huc facit. 397.
Directa in quoto gradu dirimat? 399.
Unde dignoſcendum, in quoto gradu affinitatis cum alio exiſtat quis? 400. *& ſeqq.*
Rudis Parochus docetur praxin cognoſcendi diſtantiam graduum. 404.
An; & quæ affinitas jure naturali dirimat Matrimonium? 408.

Quinctio perhoneſta inter ſuos familia, facultatúmque extinguitur uxor; ſecundùm hujus exequias adiecit animum ad honeſtam viduam, matrem duarum filiarum jam nubilium, parens ipſe etiam duorum filiorum vix dum pubertatem egreſſorum. Ut verò omnes facultates illius viduæ non habentis filios transferret domum ſuam, ita gnaviter egit rem, ut conciliaverit Matrimonium inter ſuos filios, filiáſque illius viduæ, quam & ſibi deſponſavit; adeóque uno eodémque die duxit ipſe matrem, uterque filius ejus ſuaſu, utramque filiam. An non obſtabat impedimentum affinitatus? 387

Novi ego quàm optimè duos illos fratres; 388 ſcio quoque fuiſſe, qui exiſtimarent, non poſſe hæc tria connubia ſimul conſiſtere, ſed hoſce fuiſſe deceptos; patebit ex vera explicatione Affinitatis, quatenus ea dirimat Matrimonium, De qua proinde.

Dico I. Affinitas eſt propinquitas perſonarum proveniens ex copula carnali, ſive illa co- 389 pula habeatur in vero Matrimonio, ſive extra Matrimonium; ſive exerceatur cum volente, ſive cum invita, ſive dormiente, aut ebria, ſive cum ſciente, & advertente; ſive illa copula

copula ſit occulta, ſive publica. Sic ſentiunt DD. referendi in decurſu, atque inter hos diligentiſſimus P. Sanchez *Lib. 7. Diſp. 46.* atque P. Laymannus *Lib. 5. Tract. 10. cap. 5. num. 1.* deſumitúrque ex variis capitulis *ſub titulo de conſang. & affinit. in 4. Decretal.*

390 Dico II. Ut contrahatur affinitas propriè dicta, & requiſita ad dirimendum Matrimonium, debet ea provenire ex carnali copula perfecta, ſeu matrimoniali ſeu fornicaria, ex qua nimirum poſſit, *per ſe loquendo*, ſequi generatio prolis. P. Tannerus *Tom. 4. Diſp. 9. q. 4. num. 115.* cum communi cæterorum, ac S. Thomæ *in 4. diſt. 4. quæſt. 1. art. 1.* Ut autem proles naſci queat ex copula carnali, debet inprimis ſemen virile fuiſſe receptum intra vas naturale mulieris, ut ex communi obſervat Tannerus *loc. cit.* Deinde, ut copula ſit perfecta, & proinde poſſit ex ea progigni proles, requiritur ex opinione Hippocratis, & aliorum multorum apud Sanchez *Lib. 2. Diſp. 21. n. 11.* cum P. Hurtado *De Matrim. Diſp. 20. diffic. 1.* & P. Mart. Perez *Diſp. 31. ſect. 1. num. 5.* ut ipſa etiam mulier ſeminet, ſeu fiat ſeminum permixtio. Quæ ſententia licèt fortè non ſit tam probabilis, quàm oppoſita Ariſtotelis, Avicennæ, S. Thom. *3. p. quæſt. 31. art. 5.* ad 3. & plerorúmque Theologorum, apud Sanchez *loc. cit. num. 10.* quia tamen Sanch. meritò appellat illam probabilem, ſicut & Diana *Part. 4. Tract. 2. Reſ. 43.* cum PP. Turriano, ac Præpoſito, quos refert, jungens *Part. 5. Tract. 13. Reſ. 54.* decem alios Recentiores, præſertim Medicos, & eadem tollere poteſt multos ſcrupulos tum in hac ipſa materia de affinitate, tum in explicando impedimento ***Publicæ Honeſtatis***, proveniente ex Matrimonio rato, tum in divortio Matrimonii rati faciendo ob ingreſſum Religionis, aut per poteſtatem Pontificiam, ut explicabimus *in Alphabeto, ſeu Tract. ſeq. Caſu XVIII.* tum in materia de petitione debiti conjugalis vetita marito, qui cognovit conſanguineam uxoris, tum in materia Irregularitatis, ubi tractatur de bigamia, quia, inquam, notitia, & uſus illius ſententiæ poteſt eſſe ſummè utilis in quibuſdam caſibus, occurrentibus circa indicatas materias, idcirco exiſtimo, eſſe cognoſcendam Confeſſariis, & pro re nata deducendam in praxin, ſicuti deducenda fuit in Caſu ***Non Antiquiſſimo***, quem retuli ſuprà *Caſ. XII.*

391 *num. 264.* licèt opinio contraria ſit vera, ſi verum eſt, quod ex ore unius Medici refert P. Dicaſtillo *Diſp. 7. De Matrim. dub. 34. num. 357.* ex cujus diſcurſu *cit. num. 357. & 358.* diſces, quando Confeſſarius cogitur, ad conſulendum ſuæ filiæ Confeſſionis, ex ea (cum omni modeſtia) quærere, an & ipſa ſeminaverit, videri ſufficere, ſi quærat, utrùm tempore coitûs, vel conceptûs, vel propè, paulò antè, vel pòſt, ſenſerit magnam voluptatem, ſi nùllam, aut exiguam, ſignum eſt, non defluxiſſe ex ea ſemen. Defluit autem illud ſemen plerumque in ſolam matricem, raró extra corpus, ut teſtantur Medici interrogati à me pro aliorum quoque inſtructione, dum legunt Theologos, loquentes de ſemine *emiſſo* ab ipſa quoque muliere, qua de re rurſum infrà *num. 399.*

Ex deſcriptione affinitatis allata ſequitur 392
I. Non contrahi affinitatem ex ſola penetratione vaſis fœminei, non emiſſo intrà virili ſemine, ut contra nonnullos cum innumeris tradit Sanchez *loc. cit. num. 8.* obſervans *num. 9.* hanc doctrinam eſſe veram in ſolo foro interno, nam in externo præſumeretur non tantùm fuiſſe penetratum vas fœmineum, ſed etiam fuiſſe immiſſum ſemen.

II. Non contrahi affinitatem, quando ſola fœmina ſeminat, aut quando ſpadones, ſeu eunuchi carentes utroque teſticulo congrediuntur cum mulieribus, nam non emittunt verum, ſed tantùm aliquid ſimile ſemini. Sanch. *num. 11.* Sicut nec affinitas contrahitur ex ulla pollutione facta extra vas fœmineum, & ex nullis etiam fœdiſſimis tactibus, adeóque nec ex copula Sodomitica.

III. Quia *Tract. ſeq. Caſ. XVIII.* dicemus, 393
poſſe conjugem, etiam invito marito fieri Religioſam, & è contra, ſi contraxit quidem Matrimonium cum illo per verba de præſenti, at non conſummavit per copulam à nobis deſcriptam, ideo licèt habuiſſet ſæpius cum marito commercium carnale, poſſet tamen, etiam eo repugnante, profiteri in Ordine Religioſo, ſi nimirum illud commercium non fuiſſet tale, quale deſcripſimus. Nec ei ullo modo obeſſet, (loquor de ſola permiſſione, non de jure petendi velum Virginitatis) quòd fortè paulò, aut diu ante nuptias perfectam copulam habuiſſet cum eodem ſuo marito, ſiquidem *in cit. Caſ. XVIII.* oſtendemus, carere vero fundamento, quod nonnemo conſultus reſolvit, ſcilicet in tali caſu copulam, quæ præceſſit Matrimonium, æquivalere ei, quæ ſecuta eſt.

IV. Ille non eſt bigamus, adeóque promo- 394
veri poteſt ad ſacros Ordines, ſi nil aliud obſtet, qui ſuſcepit quidem prolem ex una duarum uxorum, alteram tamen non cognovit carnaliter perfectè, Diana *Part. 3. Tract. 5. Reſol. 19.* cum aliis contra alios, hæc enim Irregularitas oritur ex ſola copula perfecta.

V. Tametſi puer 12 aut 13. Annorum pec- 395
cet carnaliter cum aliqua puella majoris, vel æqualis ætatis, haud tamen communiter cenſendum eſt, emerſiſſe ullam affinitatem inter ipſum, & conſanguineos puellæ, cum qua ſpurciſſimè peccavit, etenim non ſolent pueri in tali ætate emittere ſemen.

Dico III. Affinitas eſt duplex, *Directa*, & 396
propriè dicta, item *Indirecta*, & impropriè dicta, quam Laymannus *Lib. 5. Tract. 10. Part. 4. c. 5. n. 4.* appellat affinitatem *per accidens. Directa* eſt ſolùm inter marem, & cognatos, cognatáſq; mulieris, cum qua ipſe veram, perfectámque habuit copulam, itémque inter cognatos,

cognatáſque maſculi, cum quo ipſa ſimiliter habuit copulam, à nobis deſcriptam. Et univerſim dici poteſt, illam ſolam affinitatem eſſe *propriè*, *juridicè*, *&* *Theologicè* dictam reſpectu Caji, ad quam ipſuſmet dedit cauſam per copulam carnalem.

397 Dico IV. Affinitas *indirecta* nihil omnino eſt curanda in ulla materia, nec ejus, vel in Confeſſione, vel in foro interno, externóque habenda eſt ulla ratio, reſpectu ullius materiæ. Quam in rem placet huc transferre totum, quatenus huc facit, Reſcriptum Innocent. III. quod refertur *cap. Quod ſuper his. De conſang. & affin.* Sic ergo reſpondet Pontifex, *ſuper eo, quòd pater, & filius, cum matre, & filia, cognati cum duabus cognatis, avunculus, & nepos cum duabus ſororibus contrahunt Matrimonia, taliter tibi ducimus reſpondendum, quòd, licèt omnes conſanguinei viri ſint affines uxoris, & omnes conſanguinei uxoris ſint viri affines, inter conſanguineos tamen uxoris, & viri, ex eorundem ſcilicet viri, & uxoris conjugio nulla prorſus affinitas eſt contracta, propter quam inter eos Matrimonium debeat impediri.*

398 Hactenus Pontifex, ex cujus perſpicua Declaratione liquet reſponſio ad Caſum noſtri Philargyri, re enim vera nulla *propriè* dicta affinitas, & conſequenter nullum impedimentum derivatum fuit ex parentis Matrimonio cum matre ſponſarum, quas ducere cogitabant, & reipſa duxerunt illi fratres duo.

399 Itáque affinitas, de qua diſputant Theologi, & Canoniſtæ, eſt ſola *directa* quæ proinde ſola impedit, ſola dirimit Matrimonium, ſed diverſimodè. Si enim contracta ſit per copulam verè matrimonialem, dirimit uſque ad quartum gradum incluſivè, at ex copula fornicaria, dirimit ſolùm uſque ad ſecundum incluſivè, ſic enim benignè ſtatuit, mitigando jus antiquum, Synodus Tridentina *Seſſ. 24. De Reform. Matrim.* atque B. Pius V. apud Tannerum *num. 119.*

Porrò Virginius Alviſet in *Murenulis Vermiculatis* ſeu *De privil. Regul. ſect. 3. cap. 16.* poſt Lopez, Caſpar. Hurtadum, Mart. Perez, alios, quos refert, expreſſè ſcribit, ad affinitatem contrahendam exigi etiam fœmineum ſemen, quæ quidem ſeminatio præſumatur in foro externo interveniſſe tunc, cùm vir ſeminavit, quam doctrinam hoc ipſo Anno 1675. applicâſſem in foro interno cuidam Sempronio viduo, ſi non impediviſſet alia circumſtantia.

400 Dico V. Ad cognoſcendum, an, & in quoto gradu, Cajus ſit affinis alicui perſonæ, quam ſibi Matrimonio copulare cogitat, e. g. Berthæ, obſervanda ſunt ſeqq.

1. Sciri debet, utrùm ipſe habuerit, perfectam carnalem copulam cum una ex conſanguineis illius Berthæ, aùt, utrùm illa Bertha fuerit copulâ carnali commixta cum aliquo ex conſanguineis Caji? Si neutrum horum accidit, certum eſt, abeſſe obſtaculum affinitatis, eſto proximi cognati Berthæ ſuſceperint è proximis conſanguineis Caji tot proles, quot unicus Rex Artaxerxes Mnemon, ſcilicet centum, & quindecim, abeſt quippe affinitas directa, quam ſolam attendendam eſſe, monui. 2. Si alterutrum eorum accidit, mox conſiderandum, utrùm ex legitima, aut illegitima copula? Quia in primo caſu erit Matrimonium vetitum uſque ad quartum gradum, in ſecundo uſque ad ſecundum incluſivè. 3. In quo gradu conſanguinitatis illa perſona, cum qua Cajus habuit copulam, eſt juncta Berthæ, in eodem planè gradu evaſit affinis Berthæ, adeóque in tertio, ſi mulier, quam cognovit Cajus, attingit tertio gradu conſanguinitatis Bertham.

Etenim Canoniſtæ, & Theologi tradunt 401
hanc *magiſtralem*, ut vocat Gloſſa, Regulam: *In quo gradu eſt quis conſanguineus mariti, aut ſponſi, in eodem eſt affinis ſponſæ, vel uxoris*, & ſimiliter: *In quo gradu eſt aliquis conſanguineus uxoris, vel ſponſæ, in eo eſt affinis mariti, vel ſponſi*: Itaque ſi Cajus cognovit carnaliter Cajam materteram Berthæ, id eſt, ſororem matris Berthæ, eſt effectus affinis Berthæ in ſecundo gradu, Caja enim, quam cognovit, eſt ſecundo gradu cognationis juncta Berthæ, ſicuti evidens eſt ex arbore Conſanguinitatis deſcripta in *Caſu VII.* quæ proinde arbor Conſanguinitatis eſt ſtatim inſpicienda, quando dubitatur de diſtantia, ſicut etiam pro praxi obſervat
Laymannus *cit. cap. 5. num. 4.* 402

Hinc ſequitur, fieri poſſe, ut Petrus quem ſuſcepiſti ex prima uxore tua, ducat licitè filiam tuæ ſecundæ uxoris, quam hæc ſecunda uxor ſuſcepit ex alio viro, & proinde ſit eadem noverca, & nurus. Sicuti poteſt è duabus viduis una nubere filio alterius viduæ ex priore marito, quo facto ſi una filium pariat, poterit altera de ejuſmodi filio dicere: *Hic eſt filius filii mei, & ſimul frater mariti mei*, ut obſervat etiam P. Tannerus *n. 118.* & P. Laymannus *num. 4. & 5.* ubi proponit aliqua alia exempla.

Dices: Aliqui viri etiam docti hærent quan- 403
doque, ut teſtatur ipſe etiam Laymann. *num. 5.* in cognoſcendis impedimentis conſanguinitatis, & affinitatis, *quanto magis ego, & mei ſimiles, qui ſicut canis è Nilo aquam, ita è Theologiæ Moralis* vaſto Oceano *non niſi pauxillum hauſimus*? Cùm ergo tua omnia Alphabeta dirigas ad uſum, ſuggere adhuc aliquod documentum magis familiare, magis palpabile, quàm ſint præcedentia.

Reſp. Suggeram ſequens, at neſcio, an ſit 404
magis perſpicuum, quàm præcedentia, eſt autem iſtud: Si Cajus, & Caja velint inter ſe contrahere, dubitent autem, utrùm obſit impedimentum cognationis, vel affinitatis der Blut-Freundſchafft / oder Schwagerſchafft, téque idcirco conſulant ut Doctorem in hac ſcientia peritum, expedi priùs dubium de co-

gnatione

Digitized by Google

gnatione oder Blut-Freundtſchafft hoc modo: ſciſcitare, utrùm tam Cajus, quàm Caja proficiſcantur ex aliquo communi ſtipite, necne, utrùm videlicet ex una eadem avia, proavia, &c. ſi aſſerant, ſume in manus arborem Conſanguinitatis excuſam ſuperiùs, ſcribe nomina deſcendentium ex uno ſtipite, ſicuti monui *cit. Caſ. VII.* & poſt hæc impreſſa vidi factitari à Parochis ſcribentibus in hac materia ad Dom. Officialem Conſtantienſem. Si nequeas reperire ſtipitem communem, tunc erit alterutrum verum, quòd ſcilicet ſis nimis rudis, vel adſit potiùs affinitas, quàm conſanguinitas.

405 Ut verò cognoſcas, an ſint affines, interroga, utrùm uterque fuerit ſemper expers copulæ carnalis: ſi ſemper, ergo nullum periculum affinitatis, ſi non ſemper, ergo aliquod periculum, quod utrùm ſit vanum, an prudens, deprehendes ſciſcitando, in quoto gradu conſanguinitatis ſint junctæ illa, cum qua fuit habita copula, & illa, quam vult ducere is, qui habuit aliquando copulam, in illo quippe gradu ſunt hic & iſta affines, in quo iſta & illa conſanguineæ.

406 Si moreris Conſtantiæ, cave, ne fallaris idiotiſmo, quo Conſtantienſes per voculam Vetter intelligunt affinem, contra uſum aliorum Germanorum. Claudo ſuperiores doctrinas hoc

Caſu Caputaquenſi.

407 *Joannes Antonius Caputaquenſis, mortuâ primâ uxore, accipit in uxorem Joannam viduam Angeli, qui tertio conſanguinitatis gradu conjunctus erat cum Diamante, primâ uxore ejuſdem Joannis Antonii. An validè?*

Reſp. *Validè*, quia impedimentum hujuſmodi hodie non obſtat. Ita reſolvit ipſa Congregatio Cardinalium 16. Decembris, Anno 1596. apud Gallemart *in Prætermiſſis Declarationibus Tridentini fol. mihi 715.* Sicut & Navarr. *De conſang. & affin. conſ. 3.* reſolvit, quòd Saturnus potuerit ducere Pantam, viduam Julii, qui priùs duxerat Artemiſiam ſororem Saturni.

408 Dico ultimò. Graduum affinitatis aliqui dirimunt Matrimonium jure *naturæ*, alii ſolo jure *humano*. Declaratur, nam ratio naturalis videtur omnino prohibere, ne quis ineat Matrimonium cum ſua noverca, vel privigna, ſeu filia uxoris ſuæ ex alio marito, item nec cum ſua nuru, ſeu uxore ſui filii mortui, videntur ergo talia connubia eſſe irrita jure *naturæ*. Certè Apoſtolus Paulus *1. Corinth. 5.* ſic ſcribit: *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat.*

409 Ad reliquos affines quod attinet, nec lex *Divina* novi Teſtamenti, nec *naturalis* inhibent connubia in aliis gradibus. Unde videmus, ſæpe diſpenſatione factum, ut frater duxerit uxorem ſui fratris defuncti. Vide obvios Theologos, *ſpeculativos*, & *morales* ſcribentes de affinitate.

QUO PACTO IMPOTENTIA PROVENIENS TUM ALIUNDE, TUM EX ÆTATE DIRIMAT MATRIMONIUM?

CASUS XVII.

De rariſſimè contingentibus.

SUMMARIUM.

Caſus impotentis multùm diſceptatus. 410.
Quid, & quotuplex ſit Impotentia? 413.
Qualis dirimat Matrimonium? 415.
Quid de Eunuchis? 419.
Quid ſi Impotentia oriatur poſt Matrimonium? 421.
Quid ſi de temporali non præmoneatur altera pars? 424.
Quid agendum orto dubio de Impotentia? 427. & ſeqq.
Caſus ex Jure Canonico. 431.
Quid ſi Impotentia poſſit emendari? 434.
Reſolvitur Caſus num. 410. propoſitus. 436.
Proponuntur ſex alii Caſus Impotentiæ. 438. & ſeqq.
Duo nova dubia tangentia Medicos, volentes habere experimentum Impotentiæ. 448.
Archiducis Guilielmi Leopoldi caſtiſſimum dictum. 449.

Rutilius homo plebeius celebrat nuptias cum Ruffina virgine, quæ experta, ipſum laborare impotentiâ, petit divortium. Mandato judicis Eccleſiaſtici viſitantur accuratè uterque, deprehenditur Ruffina eſſe adhuc virgo, immuniſque. At verò unus Medicinæ Doctor, atque duo chirurgi, inſpectâ Rutilii partis genitalis conſtitutione, eſſe breviorem judicant (cauſa referebatur in obſtetricem, quæ erraverat in umbilico reſcindendo) quàm ut ullius mulieris vas penetrare valeret, quare fuit illud Matrimonium pronuntiatum nullum, factâque Ruffinæ poteſtas nubendi, cui vellet, Rutilio verò inhibitio adſpiranti ad ullius amplexus conjugales. At ecce rem inexſpectatam! Idem Rutilius viginti duobus Annis pòſt comparet rurſum coram tribunali Eccleſiaſtico, poſtulans facultatem ducendi non jam Ruffinam) quæ toto illo tempore manſerat cælebs) ſed Robertam, ſe enim eſſe verè potentem ad copulam conjugalem, 410

galem, utpote qui non ſemel cognoverit Robertam, atque inſuper ſuſceperit ex ea prolem, quæ adhuc vivat, teſtem hujus generationis adeſſe ipſammet Robertam, ſe quoque, ſi rurſum inſpiciatur, haud dubiè pronuntiatum iri aptum copulæ conjugali. Dictum Rutilii confirmat Roberta mater prolis, luſtratur rurſum Rutilius à duobus Medicinæ doctoribus, atque tribus chirurgis. Doctores diſſentiunt inter ſe, unus ſtat pro potentia, alter, idémque ætate, & uſu haud paulò peritior pro impotentia: cum hoc ſentiunt tres illi Chirurgi, & quia nullus defectus reperitur in corpore Ruffinæ viſitatæ denuo, & quidem etiam à viris, fit huic iterum poteſtas legendi maritum, quem vellet, Rutilio aufertur omnis ſpes omnis Matrimonii, priùs tamen, quàm ferretur hæc ſententia, fuerunt mihi, & alteri Theologo, communicata acta judicialia, petitúmque, ut ſcripto declararem meam opinionem de duabus quæſtionibus conceptis, in hæc verba:

411 Prima: *Utrùm Matrimonium inter hoſce duos quondam contractum, deinde verò ex capite nullitatis ob viri impotentiam per ſententiam ſeparatum, nunc ob ejuſdem viri præſumptam fornicationem ſit reſtaurandum, vel ſimpliciter, vel ſaltem ad triennium experientiæ?*

Secunda: *Utrùm in eventu nullitatis Matrimonii prioris, viro huic concedenda ſit facultas ineundi Matrimonium cum altera fornicariè priùs corrupta, cujus reſpectu credi poſſet potens, qui intuitu fœminæ prioris adhuc virginis præſumebatur impotens?*

412 Quid reſponderim ad haſce duas quæſtiones, patebit ex infrà ſcilicet *num. 436.* dicendis, atque adeò, poſtquam tradidero perquam ſuccinctè communes doctrinas de Matrimonii nullitate ob impotentiam, indicaveróque, ſuadere me omnibus, quibus occurret perplexus Caſus circa hanc materiam, ut conſulant vel P. Thomam Sanchez *Lib. 7. De Matrim. à diſp. 92. uſque ad 114.* vel multò ſuccinctiores illo, admodùm tamen accuratos P. Martinum Perez *De Matrim. Diſp. 37.* & P. Dicaſtillo *Diſput. 7.* Conſulant, inquam, unum ex his tribus, ſi non ſufficiant jejuniores P. Tannerus, P. Laymannus, Bonacina &c. Proderit quoque Dominis Officialibus legiſſe Joannem Sanchez *in Select. Diſput. 46.* ubi plura, quàm cæteri Theologi, congerit ex Medicis, ad dignoſcendam Impotentiam.

413 Quæres jam I. *Quid, & quotuplex ſit Impotentia?* Reſp. I. Nomine *Impotentiæ* intelligitur talis defectus corporis, qui impediat perfectam copulam conjugalem, qua ſcilicet à viro in vas fœmineum cum penetratione ſemen immittatur, ut loquitur Tannerus *Tom. 4. Diſp. 8. quæſt. 4. dub. 8. num. 131.* patétque ex dictis *num. 389.* Hic defectus aliquando contingit, ideò, quòd vir vel non poſſit emittere verum ſemen, ut ſunt ſpadones, ſive Eunuchi carentes utroque teſticulo, vel non poſſit penetrare vas fœmineum ob ſuam naturalem complexionem, ſeu nimis frigidam, ſeu nimis calidam, ſive aliunde accidat vocatúrque communi nomine Frigiditas, ut loquitur idem Tannerus *num. 133.* Per τὸ *Aliunde* deſignans vitium, quo noſtrum Rutilium laboràſſe retuli.

Quòd ſi defectûs cauſa ſit circa fœminam, 414
ob vaſis ſcilicet muliebris, ſeu partium venerearum nimiam conſtrictionem, nullâ arte, aut medio naturaliter medicabilem, eſt, & dicitur ea impotentia ex parte fœminæ, quæ communi nomine *Arctitudinis* appellari ſolet. Ita rurſum Tannerus, cujus verbis malo in hac non ſat honeſta materia uti, quàm meis. Fit quoque, ut hic defectus ſit vel perpetuus, vel tantùm temporalis, ut eſt in puerulis nondum puberibus, item ut ſit in viro reſpectu cujuſcunque mulieris, & in muliere reſpectu cujuſcunque viri, & tunc dicitur Impotentia *abſoluta*, vel ſit reſpectu tantùm aliquorum, vel aliquarum, cum quibus nequeat haberi copula, poſſit autem cum aliis, & tunc appellatur Impotentia *reſpectiva.* Denique hic defectus naſcitur quandoque ex cauſa naturali, quandoque ex maleficio dæmonis. Ex his patet, quàm multiplex ſit Impotentia.

Quæres II. *An, & qualis Impotentia dirimat* 415
Matrimonium?

Reſp. I. Vir laborans vitio frigiditatis perpetuo, & cujuſcunque mulieris reſpectu, inhabilis eſt ad omne Matrimonium, & ſimiliter mulier obnoxia arctitudinis vitio perpetuo, & reſpectu cujuſcunque viri: ſi verò vitium ſit in viro reſpectu aliquarum duntaxat, inhabilitas erit reſpectu harum, non aliarum. Ita omnes DD. certúmque eſt *ex toto tit. De frigidis, & maleficiatis*, atque ex naturali ratione, etenim per Matrimonium fit mutua traditio corporum, in ordine ad perfectam copulam conjugalem, ubi autem hæc eſt impoſſibilis, conſequenter & traditio in hunc finem eſt impoſſibilis, moraliter loquendo.

II. Itaque inhabiles Matrimonio ſunt tum 416
ſpadones utroque teſticulo carentes. Tannerus *loc. cit.* aſſerens, hoc eſſe jam certum, ob expreſſam Declarationem factam à Sixto V. quam deſcribunt Sanchez *Diſp. 92.* & Perez *cit. Diſp. 37. ſect. 3. num. 5.* Quamquam etiam poſt hanc Declarationem Baſilius Pontius apud Dianam *Part. 4. Tract. 4. Reſol. 75.* ſentit contrarium, ejúſque opinionem velut probabilem (caſu, quo utraque pars ſit conſcia hujus defectûs, & velint caſtè vivere) defendit latè Diana ipſe. Tum 2. ſi qui præ ſenio ſunt ita 417
debiles,

Digitized by Google

debiles, ut nequeant penetrare vas fœmineũ. Perez *ſect. 3. num. 7.* addens tamen, nullos tales reperiri, qui ſaltem arte medicâ non valeant reddi potentes, ſed contrarium ſupponit apertè Navarrus *De frigid. & malef. conſ. 2. n. 15.* notans ex Scoto, à nonnullis mulieribus, quæ cum ſenibus contrahunt, deſponſari potiùs divitias, quàm perſonas. Et P. Emm. Sa *verb. Matrimonii impedimenta num. 14.* ſcribit, ſufficere in his, ſi poſſint penetrare vas, eſto nequeant ſeminare. Verùm contraria opinio eſt conformior Bullæ Sixti V. Certa quoque illa, quòd, licèt mulier nunquam poſſit retinere ſemen virile, ſed ſtatim etiam invita effundat, nihilominus ſubſiſtat conjugium, antequam enim fiat hæc expulſio, peracta eſt (ſaltem ſi & ipſa ſeminavit) inſeparabiliter copula perfecta. Sanchez *Lib. 9. Diſp. 17 num. 24.* Tum 3. qui ſunt ita calidæ naturæ, ut ſemper totum ſemen effundant, priuſquam aperiant vulvam muliebrem. Perez *ſect. 2. num. 8.* Tum 4. qui habent tantam averſionem ab aliqua muliere propter ejus ſummam deformitatem, ut quando cogitant de actu conjugali habendo cum illa, toti frigeant ad venerem, ſi enim hæc averſio, & horror videatur inemendabilis prorſus, tum reddit talem hominem perpetuò inhabilem ad copulam cum tali, ergo eſt impedimentum dirimens reſpectu hujus deformis Meduſæ. P. Perez *cit. num. 8.*

418 Dixi paulò ſuperiùs: Spadones *utroque teſticulo* carentes, qui enim tantùm uno carent, ſunt abſque omni dubio idonei Matrimonio, ſi nil aliud obſtet, cæteri autem ſpadones ideo inidonei, quia, licèt penetrare valeant vas fœmineum, carent tamen vero ſemine humano, fundentes alium humorem ſpecie diſtinctum, ut notant citati.

419 Hinc elucet veritas reſolutionis, quam poſt hæc omnia jam pridem conſcripta dedi

Invitus invito.

QUi *ſcilicet ad me à Judice Eccleſiaſtico directus, ut, qua poſſem ratione, conſulerem ipſi maximopere deſideranti conjugium cum muliere jam ſibi deſponſata, ideo autem non admiſſo ad copulationem actualem, quòd interea innotuiſſet, fuiſſe ipſi exſectum à chirurgo utrumque teſticulum, utpote contuſum lapſu grandis in eas partes ponderis, tulit à me perinvito reſponſum ingratiſſimum, & idcirco inexſpectatum, quòd & æquè facilè penetrârit poſt illam miſeriam vas defunctæ legitimæ uxoris, ac poterat ante exſectionem, & aſſereret, à ſe emitti materiam perſimilem illi, quam ante caſtrationem, & adderet, vivere hodiéque duos ſpadones, omnia ſimiles ipſi, qui tamen fuerint à ſuis Parochis conjuncti, non ignaris illius defectûs accidentalis, denique ſubjungeret, ſe verſari in ſummo periculo incontinentiæ, ſéque reverâ redactum iri ad extremam paupertatem, ſi careret uxore.*

Cauſa autem, cur reſponderim, non poſſe à me approbari ejus petitionem, erat hæc fundamentalis, quòd ex una parte ignorarem, an quiſquam Scriptorum poſt Bullam Sixti V. relatam à Sanchez, atque Perez *locis num. 416.* indicatis ſcripſerit, Matrimonia ſpadonum utroque teſticulo carentium ſubſiſtere, eſto inita cum præſcitu utriuſque partis, ſi quidem ſint contracta cum intentione copulæ, quam vel maximè avebat Orator, ex altera autem mihi conſtaret, ab eodem P. Sanchez *loc. cit.* aſſeri, eſſe indubitatum, à P. Tannero *loc. cit.* eſſe certum, quòd jam non ſubſiſtant talia conjugia, eſt autem res periculoſæ aleæ, permittere circa valorem Sacramenti aliquid contra clara verba Pontificis, communémque ſenſum præſentium temporum.

Acceſſit his ipſis jam ſcriptis judicium duorum Medicinæ Doctorum, ad me poſtea miſſum, conceptúmque his formalibus: Cùm à Galeno *in arte parva, & primo de ſemine* teſtes inter partes corporis principes numerentur, non quidem ratione conſervationis individui, ſed ſpeciei, & cum eo tota Medicorum ſchola conſentiat, idcirco & nos ad generationem ſummè neceſſarios profitemur, illque deſtitutum ad generandum naturaliter impotentem declaramus.

I. Jac. Leiner Medic. I. G. Kiene Med.

Nec obſtat 1. quòd Diana relatus ſuprà *n. 416.* probabilem nuncupet ſententiam Baſilii Pontii, arbitrati non adverſari Bullæ Sixtinæ, ſi talis eunuchus eligat connubium ad caſtè vivendum, cenſeatur autem is quoque eligere talem ſtatum, qui eligit ad fugiendam fornicationem, cùm certum ſit, caſtitatem rectè dividi in Conjugalem, & Virginalem ac proinde illum rectè dici appetere conjugium *ad caſtè vivendum,* qui deſiderat idcirco, ut in eo conſtitutus vitet omnem illicitam Venerem. Non, inquam, hoc obſtat, tum quia idem Pontius apud ipſummet Dianam in Editione Veneta loquitur expreſſè de volente caſtè vivere ſine intentione copulæ, ergo & Diana eſt ita intelligendus, quandoquidem allegans pro ſe Scriptorem, cenſetur eo ſenſu loqui, quo allegatus. Coccinus *in Deciſion. Rotæ Deciſ. 291.*

Non obſtat 2. quòd nonnulli dicebant, dubitari, utrùm Breve Sixtinum ſit uſu receptum in hac Diœceſi, cùm enim id Breve & ſit conformiſſimum Legi naturali, ut demonſtrant contra permultos antiquiores apud Sanchez tum citati pro noſtra reſponſione, tum mox citandi, & Germani Scriptores, ut Tannerus *loc. cit.* Laymannus *Lib. 5. Tract. 10. p. 4. cap. 11.* Dicaſtillo, qui ſcripſit in Superiore Ger-

Digitized by Google

mania *Tract. 10. De Matrim. Diſp. 7. dub. 46.* Coninck, qui in Belgio *Diſp. 31. dub. 7. De Sacramentis*, Buſenbaum, qui in Weſtphalia, *abſolutè* pronuntiant invalida Matrimonia taliũ ſpadonum, omniúmque impotentium ad copulam cum immiſſione ſeminis veri, cùm deinde noſtræ Provinciæ Theologi maximè ſectentur in ſcholis ſmorales doctrinas nominatorum Doctorum, dubitari nequit, quin & nota Confeſſariis, Parochis, aliis, & recepta hîc quoque locorum ſit illa particularis ſententia, cui contrariam damnavit Sixtus V.

APPENDIX CASVS PERPERAM RESOLVTI.

a CErtè hiſce jam commiſſis *tertiò* prælo fuêre duo, aut tres ſpadones, auditâ meâ ſententiâ, juſſi à Curia Conſtantienſi deponere ſpem omnis conjugii, at fuítne ſeparandus ab uxore ille eunuchus maritus, de quo

Literæ ad me datæ 26. Februarii 1674.

b *QUi videlicet tametſi utroque teſticulo reſciſſo, attamen multis abhinc Annis uxorem duxit Epiſcopo loci perſuaſo à quibuſdam, poſſe cum talibus ab eo diſpenſari, ac proinde permittente illam copulationem. Quærebatur igitur ex illo ipſo, qui me conſuluit* 1. *An relinqui poſſit in Matrimonio is ſpado, ob autoritatem Baſilii, & Dianæ relatorum ſuprà* n. 416. 2. *An tactus, & copula permitti, ſi hoc enim Matrimonium ſit, ut eſſe vult Pontius, & quidem probabiliter judice Dianâ, validum, cur illicitè utantur eo?* 3. *An ſi altera pars ante contractum ignoravit defectum, fuerit nihilominus tractu temporis, & per mutuam cohabitationem tam diuturnam ſufficienter manifeſtatus conſenſus, contractúſque ratihabitus, vel certè an novo adhuc conſenſu firmari poſſit?*

c Ad *primum* reſpondi, quandoquidem omnia jura favent, quoad poſſunt, uſui rei, bonâ fide acquiſitæ, poſſeſſæque, ac proinde permittunt pro illo uſu manutenendo praxin ſententiarum non improbabilium, ſi uterque iniit bonâ fide illud Matrimonium, poſſe in eo permanere, ſiquidem illam doctrinam Pontii non eſſe improbabilem, ſuadent tum rationes revera non futiles, quas idem autor producit, tum autoritas ejus ſimul, atque Dianæ, qui duo tanti fiunt à pleriſque in materia morali, ut nihil dicam de Paludano. S. S. Thoma, & Antonino, atque aliis, quos pro ſe nominant hi duo, tum denique quia ſi opinio Pontii eſt falſa, conſequenter eſt longè pernicioſior, quàm permultæ ex iis, quarum uſu interdixit Alexander VII. ergo magis commerita ferulam, cùm præſertim fuerit ante illa tria Decreta Alexandri minimùm decies prælo commiſſa, adeóque omnibus ferè nota illa ſententia Pontii, valdéque benignum de ea judicium Dianæ, quia igitur nihilominus evaſit ſpongiam Alexandrinam, videri queat non carere probabilitate etiam *practicâ*. Verùm nolim uti hoc poſtremo argumento.

Ad *ſecundum*. Quandoquidem ipſe Pontius, ac Diana apertè negant, eſſe talibus conjugibus conceſſos actus matrimoniales, impudicóſque, non auſim eos ipſis permittere. Nec obeſt, quòd ſint veri conjuges, ſiquidem illud conjugium ſolùm valet in ordine ad caſtè vivendum, nec aliter defenditur ſeu à Diana, & Pontio, ſeu ab aliis Doctoribus, quos pro ſe referunt, qui quidem Doctores ſuam de valore ejuſmodi Matrimoniorum ſententiam non reſtringunt ad ſpadones, ſed extendunt ad quoſlibet impotentes, contra quam tamen extenſionem occurrit mihi (hæc omnino poſtrema verba ſcribenti) ratio, quòd ſi talium, adeóque frigidorum virorum, arctarum mulierum conjugia in ordine ad caſtè vivendum intra ſubſiſtant, ſequatur, etiam ſubſiſtere ea, quæ cum dicta intentione ineuntur ab obnoxiis, ſaltem occulto impedimento cognationis, affinitatis, publicæ honeſtatis, quis autem ſuſtineat hoc ſentire? quis credat, unquam permiſſum fuiſſe ab ullo Pontifice? Vim hujus objectionis perpendat lector, & me, ſi lubet, doceat, ſitne aliquid ei deferendum. d

Ad *tertium* dico, ſi mulier ignara defectûs contraxit, adfuiſſe verum impedimentum erroris, cùm ſit ex conſuetudine generali eligentium vitam conjugalem, definitionéque Matrimonii ex Bonacina adferenda *Tract. ſeq. Caſ. X. num. 387.* omnino præſumendum, eam idcirco contraxiſſe, ut fieret mater, ſi tamen comperto vitio perrexit cohabitare ſuo ſemiviro, abſque commercio carnali, ſed caſtè, videtur ſuppoſitâ ſententiâ Pontii, de qua hîc ſermo, revalidari poſſe mutuo conſenſu, & abſque præſentia parochi illud conjugium eo pacto, quo *Tract. ſeq.* dicemus, valorem poſſe addi Matrimonio ficto, nec enim apparet hîc ulla conſiderabilis differentia formalis, eſto intercedat materialis. Imò quia Doctores referendi à nobis *Caſ. XX. num. 561.* ſingulariter *in Append. ad num. 561.* cenſent, in caſu, quo ob aliud impedimentum dirimens ignoratum ab una partium non ſubſiſtit ab initio Matrimonium, poſſe ſublato illo impedimento validum reddi etiam non petito novo conſenſu partis ignaræ, idcirco apparet, quòd hîc ſimiliter ſit pronuntiandum. e

Porrò quia in ſpecie facti, noſtrique præſentis Caſûs exprimitur, fuiſſe poſtulatam Epiſcopi facultatem, ac diſpenſationem, ad ineundum tale Matrimonium, obſervo illam diſpenſationem fuiſſe irrationabiliter, imperitéque petitam, nec enim eſt cujuſquam Epiſcopi f

Digitized by Google

ſcopi diſpenſare hac in re. Aut enim ille defectus inducit impedimentum dirimens, aut non inducit? Si primum, ne quidem Papa diſpenſare valet. Si ſecundum, corruit fundamentum diſpenſationis, utpote quòd ſit vinculum inductum à lege.

g Nec obſtat 3. Illi reſponſo, quod ſuprà ſcripſi, me invitum dediſſe invito, quod ille Orator affirmabat de duobus eunuchis, de quibus ſuprà, etenim ignorantia juris, qua laborat unus aut alter, nec facit, nec tollit jus.

Sed ecce

Novum & mirum Dubium.

h *AN videlicet Eunuchus, qui conformiter doctrina Pontiana init validè Matrimonium, at inſuper habens propoſitum, quod priùs ex doctrina ejuſdem Baſilii neceſſariò formaverat, de vivendo inſtar fratris cum ſua nupta, exercet quoad poteſt, omnia opera maritalia, violato turpiter propoſito, licitè pergat in hac ipſa violatione, eſto peccaverit in prima. Licitè poſtea pergere, aſſeruit nonnemo, ductus exemplo illius, qui poſtquam Matrimonio ſemel validè contracto eviratus eſt totus, utitur nihilominus licitè Matrimonio ex aliquorum ſententia.* Ita ad me 29. Novembris 1674. vir Doctiſſimus, exquirens meum judicium.

i Reſpondeo breviter: De ſimilibus ſimile debet eſſe judicium, ſimilia autem ſunt votum perpetuæ caſtitatis, & propoſitum obligans ſub mortali ad perpetuam caſtitatem, atqui ex una parte propoſitum ſpadonis de vivendo inſtar fratris cum ſua Bertha obligat ſub mortali ad ſervandam cum hac perpetuam continentiam, ſiquidem eſt de re valde gravi, cùm pendeat ab illo eſſentia conjugii, ex altera autem parte eſt evidens, obligationem voti de perpetua caſtitate (eadem eſt ratio plurimorum aliorum votorum) perdurare etiam poſt ſexcenties violatam Deo fidem. Et verò ferrent votifragi è ſua malitia, contra Decreta Canonum & legum, maximum commodum, ſi per injuriam factam Deo acquirerent jus ad violandam impunè fidem.

k Nec facit ad rem exemplum evirati poſt jam validè contractum Matrimonium, ſicut enim utile per inutile vitiari non debet, ita nec acquiſitum jus ad unum uſum tolli debet ſublato jure, aut poteſtate ad alium ſeparabilem & dividuum. Doctores ex *L. 1. §. Similiter. L. 4. §. Si is, qui duplum. ff. De verb. obligat.* Accedit, quòd P. Sanchez, & alii, quos referam *num. 606.* ſequárque contra Petrum de Ledeſma, concedant tali eunucho jus ad ipſam quoque vaſis fœminei penetrationem, immiſſionémque ſeminis, ſeu humoris infœcundi, ſicuti & utique permitti debet decrepitis ea copula, quam habere poſſunt.

Porrò occaſione horum duorum Caſuum, 1
indico, fuiſſe me aliàs literis ſeriò interrogatum, an duobus obſtrictis impedimento Canonico, & tamen volentibus contrahere, putarem poſſe permitti, ut cohabitarent ſolùm, tanquam fratres, ut loquitur Sanchez *loc. cit. Diſp. 97.* quid reſpondendum, refero *Tract. ſeq. Caſ. XIII. num. 546.* hîc autem addo, eſſe in caſu herniſtarum, adeóque teſticulorum ſub dubio læſorum legenda ea, quæ Diana *Part. 12. in Reſolution. Miſcellaneis Reſol. 5.* Refert de Herniſtis valde rara, & aliquando profutura.

III. Eſt perinde, ſive à natura, ſive à male- 420
ficio proficiſcatur Impotentia perpetua, nam utrobique dirimit contrahendum. Laymann. *Lib. 5. Tract. 10. Part 4. cap. 11. num. 3.* cum communi, quia utrobique deeſt finis *intrinſecus* Matrimonii.

IV. Eſt autem hæc tota doctrina vera ſolo 421
caſu, quo Impotentia præcedit Matrimonium, nam ſi ſequatur jam contractum, nihil officit contracto, etiamſi duntaxat ſit ratum. Sanch. *Lib. 7. Diſp. 102.* Laymannus *loc. cit.* aliique communiter contra alios, aliter ſentientes de duntaxat rato, & non conſummato. Porrò ſecutâ illâ Impotentia non interdicitur conjugibus, quò minùs exerceant alios omnes actus, quos licitè exercebant ante Impotentiam, modò abſtineant iis, quibus ineſt verum periculum pollutionis, lex quippe naturalis vetat
pollutionem etiam conjugibus. Quamquam ſi 422
Impotentia ſit talis, ut tamen vir poſſit aliquando, etſi perrarò, ſeminare intra vas, non peccat tentando, vel exercendo actum conjugalem, etiam cum prævíſo periculo pollutionis, hoc enim periculum eſt *per accidens.* Sanchez *Lib. 9. Diſp. 17. n. 29.* non diſſentiente Laymanno *in fin. cap. 11.*

V. At verò priores doctrinæ de invalidita- 423
te non habent locum in caſu Impotentiæ *temporalis*, hæc enim nil officit valori Matrimonii. Ita omnes, teſte Sanchez *Lib. 7. Diſp 92. num. 5.* ſic quippe definitur c. *Fraternitatis, De frig. & malef.* nec enim eſt de ratione Matrimonii, ut poſſit ſemper haberi copula perfecta, ſed ut aliquando.

Quid ſi autem laborans Impotentiâ temporali 424
nihil dicat de hoc vitio alteri parti? An non ſufficiet hæc deceptio ad diſſolvendum Matrimoniū? Reſp. eſſe rem dubiam, etenim ſufficere negat P. Sanch. *loc. cit. num. 5.* aſſerunt Sotus, Henriquez, alii apud ipſum. Illud certum, quòd Impotentia proveniens ex immatura ætate ſit quidem temporalis, dirimat tamen Matrimonium, ut videbimus infrà *num. 450.* Non evertit tamen hic caſus noſtram doctrinam, quia ille defectus ætatis dirimit ſolo jure Eccleſiaſtico, non autem naturali, hactenus autem locuti ſumus de vi dirimendi naturaliter.

425 VI. Ineptus quoque eſt conjugio, qui vel ex morbo eſt ita debilitatus, ut nequeat ſperari reſtauratio potentiæ ad copulam perfectam deſtructæ. P. Laymannus *num. 6.* Vel ex maleficio tali, ut nequeat depelli, niſi aut ope dæmonis, aut vero miraculo, quale non cenſetur, quando per conſuetos exorciſmos pellitur maleficium, nam hi ſunt ordinaria media. Laym. *loc. cit. n. 2.* & alii hactenus citati. Vel denique quando mulier nimis arcta nequit aperire ſine vitæ diſcrimine *cap. Fraternitatis. De frig. & malef.* ſecùs, ſi adſit periculum ſolius morbi gravis. Sanchez *Diſp. 93.* ex communi contra nonnullos infrà referendos.

426 At verò ſterilitas mulieris non impedit valorem Matrimonii, quis enim neget, parentes Joannis Baptiſtæ fuiſſe veros conjuges? Ideo autem non impedit, quia poteſt cum ea ſtare perfecta copula, quæ quia ſecundùm autores relatos *num. 230.* nequit ſubſiſtere, quando fœmina nequit ſeminare, idcirco etiam in hoc caſu ponitur obſtaculum valori Matrimonii juxta illam ſententiam, non juxta contrariam communiorem.

427 Quæres III. *Quid agendum ſit, orto dubio de Impotentia?*

Reſp. I Dubitans, an ſit potens, necne, *illicitè* contrahit, quia decipit in re valde gravi alteram partem. Et facilè evenire poteſt, ut ob hanc ipſam deceptionem Matrimonium ſit nullum, eſto fortè adſit illa potentia, de qua dubitatur, poteſt enim fieri, ut intentio alterius contrahentis ſit manifeſtè talis, ut nolit contrahere cum tali dubitantio.

428 II. Quando contracto bonâ fide Matrimonio ſupervenit verum dubium de Impotentia, non licèt propriâ autoritate dirimere Matrimonium, ſed utendum eſt Privilegio juris, quod habetur *in cap. Laudabilem. De frig. & malef.* ut ſcilicet conjuges illi toto triennio (niſi citiùs probetur Impotentia, ut traditur in eodem *cap. juxta Gloſſ.*) probent, utrùm poſſint habere copulam perfectam, necne, ſi vel ſemel habuêre perfectam, Matrimonium erit inirritabile: ſi nunquam, irritabitur illud connubium, & ſeparabuntur lecto, & tecto, niſi fortè velint una habitare, ut frater, & ſoror, id eſt, ſine ullo commercio (lectus communis non prohibetur, niſi ubi eſt proximum periculum peccandi) carnali per tactus, aſpe-
429 ctus impudicos &c. Illa autem irritatio, & diremptio nequaquam facienda eſt propriâ autoritate, ſed judicis Eccleſiaſtici, qui non ſtatim credet affirmanti hanc Impotentiam, ſed conformiter diſpoſitioni *cap. Laudabilem, cap. Fraternitatis, cap. Litera, de frig. & malef.* jubebit à peritis inſpici illum, qui dicitur eſſe impotens, & inſuper utrumque *cum ſeptima propinquorum manu* (ideſt, ſeptem è propinquis, vel vicinis ſimul atteſtantibus) *firmare juramento, ſe carnaliter commiſceri nequiviſſe.*

Quibus peractis fiet ſeparatio, dabitúrque 430
parti carenti impedimento poteſtas tranſeundi ad alias nuptias. *At quid ſi poſtea comperiatur, fuiſſe erratum in judicio de Impotentia, & tamen ante compertum errorem celebratum fuerit aliud Matrimonium?* Reſp. Diſſolvetur hoc alterum, & redintegrabitur primum, ut diſces ex hoc

Caſu famoſiſſimo.

Mulier O. nupſit viro P. cum quo multos 431
Annos morata, non potuit ab ipſo propter arctitudinem carnaliter cognoſci. Quare præmiſſis probationibus arctitudinis, quas jam pridem expreſſi, celebratum fuit divortium. Eo celebrato mulier O. emiſit ſuaſu Epiſcopi Altiſiodorenſis, Ordinarii ſui, votum continentiæ perpetuæ. Vir P. cupiens fieri pater duxit aliam uxorem. Contigit autem poſtea, quòd mulier invenit, qui ſeras hujuſmodi reſeravit, & abjiciens continentiam, quam promiſerat, ſupernupſit viro G. Interrogatus Innocentius III. reſcripſit, hæc duo poſteriora Matrimonia eſſe diſſolvenda, redeundum ad primum niſi hunc reditum impediret vel votum ſolenne mulieris, vel fornicatio viri.

Eſt hoc breviarium celeberrimi, & proinde 431
famoſiſſimi, in hac de frigidis materia, capituli *Fraternitatis*, quo firmatur data reſponſio, aliæque doctrinæ ſuperiores.

III. Quando dubitatur, utrùm Impotentia jam adfuerit ante Matrimonium, an verò ſupervenerit jam contracto, docet *abſolutè* P. Laymannus *cit. cap. 11. num. 3.* eſſe probabile, quòd præſumendum ſit, jam adfuiſſe ante Matrimonium, quod & ego exiſtimo, ſi illa Impotentia provenit ex cauſis naturalibus, ſi verò ex maleficio, ſcribit Dicaſtillo *cit. Diſp. 7. dub. 49. num. 529.* non videri tutum, propter impedimentum notum poſt contractum Matrimonii declarare Matrimonium nullum, niſi idoneo argumento probetur, impedimentum extitiſſe ante contractum Matrimonii, quod in maleficiis rarò probari poteſt. Subdit tamen *num. 529.* nihilominus poſſe in dubio præſumi, jam præceſſiſſe, eò quòd hoc malum ſoleat immitti in eum finem, ut Matrimonium diſſolvatur, Confeſſarium quoque poſſe ſuccurrere anxio pœnitenti, per ſententiam judicis abſoluto à vinculo talis Matrimonii, ea etiam de cauſa, quòd nobiles Scriptores aſſerant, Matrimonium dirimi per impedimentum ſuperveniens Matrimonio, non quidem conſummato, ſed rato. Et quidni hæc ſententia 433
reperiat locum apud Judicem caſu, quo illud maleficium eſt duntaxat reſpectivum: & niſi diſſolvatur, timentur graviſſima mala, ut quando perſonæ ſunt Illuſtres? Fateor cum Dica-

Dicaſtillo, eſſe hîc opus magnâ diligentiâ, prudentiáque, ſed non video, cur illa diligentia debeat tunc carere effectu, ſi probetur Canonicè Impotentia, & dubitetur, an ſupervenerit Matrimonio. Notetur hæc doctrina Confeſſariis, ſum enim aliquoties pulſatus hac quæſtione.

434 IV. Quando Impotentia habendi copulam perfectam poteſt emendari ſine periculo mortis, vel gravis morbi, tenetur uxor admittere inciſionem, aliáque remedia naturalia. P. Sanchez *Diſp. 93. num. 2.* Bonacina *De Matrim. quæſt. 3. punct. 13. num. 7.* & alii communiter, hoc quippe eſt neceſſarium ad copulam, cujus poteſtatem transtulit ipſa in maritum.

435 At *quid ſi nolit pati inciſionem? Valebitne Matrimonium?* Reſpondet Bonacina ex communi, valiturum, at negat Baſilius Pontius *De Matr. Lib. 7. cap. 62.* apud & cum Diana *Part. 3. Tr. 4. Reſol. 201.* addente, mulierem teneri pati illam inciſionem, háncque ſententiam fuiſſe in uſum redactam cum D. Franciſco de Fonſeca, & Joanna de Azevedo.

Hiſce de iſto impedimento notatis reſolvendi ſunt Caſus ſequentes.

436 *Primus* eſt noſtri Rutilii, de quo ſuprà *num. 410.* Et ego quidem reſpondi, non poſſe compelli Ruffinam, ut ipſum reciperet ad ſuum torum, quandoquidem fatebatur ipſe, ſe non ſemel intra illos 22. Annos habuiſſe commercium carnale cum alia, ergo poterat eum tanquam adulterum repellere Ruffina per expreſſam, & ſpecialem deciſionem *cap. Fraternitatis* ſuprà compendiati. Quam tamen deciſionem negat Sanchez, *Diſp. 101. num. 4. & 6.* contra Sotum, extendendam eſſe ad partem præditam potentiâ, ſi fornicetur prudenter credens, Matrimonium eſſe nullum ob alterius impotentiam, & ita reſolvi in facti contingentia. Addidi, non poſſe adigi Ruffinam, ut rurſum permitteret ſe inſpici, quandoquidem jam erat bis, & quidem ſemel à pluribus viris inſpecta, ideo autem à viris, quia Gloſſ. *in cit. cap. Literæ* ſcribit: *Omnis cautela, quæ adhiberi poteſt in talibus, eſt adhibenda propter periculum animæ.* Si tamen Ruffina ſponte conſentiat habitare cum Rutilio, poſſe Matrimonium reſtaurari per *cit. cap. Literæ*, & *cap. Fraternitatis.* quandoquidem unus Doctor Medicinæ, atque duo chirurgi cenſeant, eſſe aptum copulæ conjugali, adferentes cauſam ſui dicti. Subdidi

437 nihilominus, D. Judicem poſſe ſalvâ conſcientiâ confirmare priſtinam ſententiam de Impotentia Rutilii, quandoquidem ſint quatuor, qui poſt diligentem inſpectionem judicârint, non poſſe ab eo conſummari Matrimonium, horum quatuor peritorum judicio ſi ſtet judex, fore tutum in conſcientia per *capit. Fraternitatis* & alia plura, ac proinde poſſe præſcindere Rutilio omnem ſpem Matrimonii cum qualicunque muliere, niſi emendetur ejus vitium. Non adeſſe ullam neceſſitatem credendi ipſi, & Robertæ, ſicut etiam Navarr. in ſimili obſervavit *Conſil. 2. De frig. & malef.* aſſerentibus ea, quæ retuli in deſcriptione Caſûs, alleganti enim ſuam toties repetitam turpitudinem non creditur. *L. Tranſact. Cod. De tranſ.* præſertim quærenti ſuum peculiare commodum, ſicuti quærebat Rutilius Matrimonium cum Roberta, detrectans redire ad Ruffinam. Ob has, & alias rationes confirmata fuit priſtina ſententia de perpetua Impotentia Rutilii, tametſi ego magis inclinarem (ob favorem Matrimonii in concurſu opinionum, de quo *Tract. ſeq. Caſ. II. num. 74.*) in conceſſionem facultatis repetendi experientiam, & probationem triennalem, modò Ruffina vellet eam admittere, ſed noluit. Pluribus exornavi tunc rationes pro utraque parte, ſed hæc ſufficiunt hoc loco.

Secundus Caſus eſt, quem multùm ſimilem 438
priori refert Navarr. *Conſil. 1. De frig. & malef.* Sicuti &

Tertius Caſus Eſt de ſpadone carente utroq; teſticulo, & tamen permiſſo contrahere, eam ob cauſam, quòd ipſe, & ejus ſponſa aſſererent, ſe ante Matrimonium ſæpius peccâſſe carnaliter cum perfecta copula, quem Caſum latè unà cum priore deſcribit Navarr. *in Conſilio ſecundo De frig. & malef.* quod conſilium continet multam eruditionem. Factum illius Ordinarii probare non poſſum, ſtante Bullâ Sixti V. de qua ſuprà.

Quartus Caſus. *Ante Annos triginta puella* 439
quadam juncta fuit Matrimonio viro cuidam, qui per aliquot menſes communi toro uſus, eam nec attigit quidem. Dies illi dicta coram Officiali, cujus decreto inſpectus eſt à quatuor Medicis, qui hominem frigidum, & impotentem deprehenderunt. Officialis itaque pronuntiat, ut experiatur per triennium, at ille rurſus poſt aliquot menſes clam omnibus puellæ rebus onuſtus aufugit, eam, uti acceperat, virginem relinquens. Nihil interea auditum, niſi ante 15. Annos, cùm agnitus fuit à quodam ſuo populari. Quæritur, an ſuper his fundamentis Eccleſia poſſit pronuntiare ſententiam nullitatis prioris Matrimonii?

Quæſitum fuit his verbis ex P. Leſſio, ut le- 440
ges *in Auctario in 1. 2. Verb. Matrimonium. Caſ. 11.* qui reſpondit breviter *affirmativè*, eò quòd ſit in his circumſtantiis ſatis probata frigiditas mariti, nec fuerit neceſſaria triennalis experientia, poſt judicium illorum quatuor Medicorum, ſed ſola inſpectio puellæ, itémque juramentum puellæ, & propinquorum, eò quòd juramentum viri jam non ſit neceſſarium, quandoquidem ejus fuga etiam ſuppleat ex parte vim juramenti.

Quintus Caſus. *Cordula uxor multos Annos* 441
ſejuncta à toro mariti non inviti, hoc ſepulto, juravit, ſe non tranſituram ad ſecunda vota. Cùm verò incidiſſet in juvenem perbonis moribus præditum, ſed ob frigiditatem ineptum copulæ conjugali, nupſit ei cauſata, ſe ſolùm idcirco jurâſſe non nupturam, quòd putaret, ſe non reperturam virum, qui non peteret debitum conjugale. Parochus

Digitized by Google

rochus gnarus frigiditatis, & juramenti, conjunxit utrumque. An ritè? Contigit hoc in Auſtria.

442 Sic omnino ad me quidam Ruralis Decanus, qui ſine dubio ſatis ipſe vidit, peccâſſe graviter illum Parochum, qui promovit peccatum alienum, peccavit enim mortaliter uterque ſponſorum contrahendo cum impedimento dirimente juris naturalis. Suprà *num. 60. At nonne illa Cordula fuit etiam rea perjurii?* Reſp. Probabiliter non fuit, videtur enim ex ejus verbis, & facto præſumendum, quòd non juraverit, ſe non nupturam illi, de quo fortè eſſet futura certa, quòd non exigeret illud debitum. Adde, quòd propriè non nupſerit: Nec enim ſubſiſtebat illud Matrimonium.

443 *Sextus* Caſus. *Cæcilia conjuncta fuit cum Petro vegeto, matre Petri invitâ, ideóque cùm conjungeretur, mater ſeram in ſuo ſacco poſuit, ad potentiam Petro adimendam poſt nuptias, prædicens Cæciliæ, eam non fore gravidam ex ſuo filio, exitus verba probavit, nam Petrus volens reddere debitum non potuit, cujus Impotentiam cognoſcens Cæcilia concepit ex alio, quo comperto profugit Petrus, & duxit aliam, à qua propter eandem Impotentiam deſertus redivit ad primam uxorem, quæ recuſat illum. An jure?*

444 Sunt hæc verba ejuſdem venerabilis Domini Decani, ad quæ reſpondeo, injuſtè agere Cæciliam, nam adulterium adulterio compenſatur *cap. Intelleximus. De adult. & ſtup.* egóque pluribus explano *in Theolog. Jurid. Moral.* ſeu *Tract. 5. Quinarii cap. 32. ſect. 4.* Cùm itaque Cæcilia prior commiſerit adulterium, nullo modò à Petro condonatum, ut ſatis docet ejus fuga clancularia, retinuit hic illud jus, quo potiebatur ante adulterium ab ipſo patratum, illud verò jus erat, ut Cæcilia permitteret triennalem probationem. Suprà *num. 428.*

445 Qua triennali probatione cum exorciſmorum, & aliorum naturalium, ac ſupernaturalium mediorum uſu peracta ſine emendatione illius vitii poterat D. Judex pronuntiare, Impotentiam jam adfuiſſe unâ, aut pluribus (nihil enim refert ſeu diu, ſeu immediatè ante publicam conjunctionem ſponſorum accidat, modò accidat antè) horis, priuſquam copulentur à Parocho, id quippe eſt conforme doctrinæ allatæ ex Dicaſtillo *num. 432.* confirmatæ hîc inde, quòd illa peſſima mater docta ab Orco clauſerit illam ſeram nondum peracto contractu, quæ clauſura, cùm videatur fuiſſe conditio, qua poſita eſſet diabolus (permittente ob cauſas nobis ignotas Deo) immiſſurus temporalem, perpetuámve frigiditatem in corpus Petri, jure præſumitur immiſiſſe ſtatim.

446 *Septimus* Caſus. *Titius viduus, & Titia vidua Matrimonium contraxit: nocte immediatè ſequente nuptias, deprehendit Titius, ſe impotentem ad emittendum ſemen, duratque hæc Impotentia, cùm tamen priorem uxorem cognoverit ſine ullo impedimento. Quæritur 1. Utrùm ſubſiſtat hoc Matrimonium, poſito quòd Impotentia ſit perpetua? 2. An, ſi velint hi conjuges communi etiam lecto inſtar fratris, & ſororis uti, liceat id ipſis?*

Titium, & Titiam novit ſinceriſſimus ſacerdos, qui hoc de Titio ſcripſit, propoſuitque has duas quæſtiones, ad quarum *primam* reſponderet *negative* P. Dicaſtillo relatus *num. 445.* & à nobis approbatus, in dubio enim præſumitur præceſſiſſe Impotentia. Ad *ſecundam* patet reſponſio ex dictis *num. 428.* Pluribus Caſibus, quos ad manum habeo, recenſendis ſuperſedeo, potiùs. 447

Quæro IV. Quod quærit nemo: *An ſcilicet Medici non peccent, quando volentes probare, utrùm vir, de cujus Impotentia dubitatur, ſit potens ad Venerem, aquâ calidâ aſpergunt ejus partes genitales, ut erigantur,* id enim teſtatur Joannes Sanch. *in ultim. Diſput.* ſuarum ſelectarum diſputationum. Et nonnemo, quem res iſta tangebat, quæſiit ex me, an quia Navarrus *conſil. 2. De frig. & malef. num. 21.* teſtatur, membrum virile appetitu coëundi calefactum in aliquibus creſcere pluſquam in duplum, quæſiit inquam, an non liceat illud excitare ad capiendum in vero dubio experimentum ſufficientis longitudinis, cujus defectu laborat noſter Rutilius, de quo *num. 410.* & ille, de quo Navarrus *loc. cit. conſil. 1.* 448

Reſp. Videri mihi illicitum in viro omnino ſoluto, eſt quippe conſtans perſuaſio Theologorum, quòd, ſicuti nullo caſu eſt fas ſolutis *directè* procurare ſeminis deciſionem, ita etiam nullo caſu iiſdem fas, *directè* procurare motum carnalem, ſeu ſpirituum genitalium commotionem, utpote quæ *directè*, & ſuâ naturâ tendat ad expulſionem ſeminis. At verò videtur id permitti poſſe illi, qui junctus eſt Matrimonio, de cujus valore dubitatur, cùm enim huic ſit permiſſus conatus ad habendam copulam perfectam, motus carnalis, quem ſeu affuſione illius aquæ, ſeu attactu ſui ipſius, ſeu imaginatione actûs conjugalis cum ſua conjuge excitat in ſe, tendit ad copulam licitam. Nec dubitandum, quin ita reſponſuri ſint illi D. D. qui referendi à nobis *Tract. ſeq. num. 659.* excuſant à mortali conjugem, qui in abſentia conjugis excitat in ſe, abſque periculo pollutionis, motum turpem.

Porrò ſicut illi Medici, de quibus ſuprà, non approbantur à me, ita vice verſâ ſingularibus encomiis digniſſimum eſt judicium, ſimul & animus Herois verè Chriſtiani, quem demonſtrat. 449

Hoc ſtultiſſimum judicium ſapientiſſimè confutatum.

Deſtinabatur magna ſponſa pari cuidam ſponſo, dubitabatur de procreando hærede. Erant, qui narrarent, optatum priùs à ſponſo experimentum. At ego, ſubjecit Archidux,

chidux, millies mori præoptarem, ejus loco ſi eſſem, quàm vel unam Dei offenſam incurrere: Pereant Regna, intereant familiæ, neque enim in illorum ſpem ullum peccatum eſt admittendum.

Ita judicavit, ita ſenſit Sereniſſimus Archidux Leopoldus Guilielmus, referente R. P. Nicolao Avancino (nunc Auſtriacam Provinciam gubernante) *in ejus Virtutibus Part. 1. cap. 7.* Qui adhuc potiori jure damnâſſet Congenſes, ſolitos per duos, tréſve Annos cohabitare, omniáque matrimonialia opera, officiáque exercere, ut capiant experimentum, unáne pars quadret alteri, ut pleniùs retuli *in Alphabeto Confitent. Caſ. VIII. num. 10.*

A P P E N D I X.

a Hujus Appendicis cauſam dedêre duo Caſus novi, ventilati coram Eccleſiaſtico tribunali, primus coram noſtro, alter coram alio remoto.

Primus novus Caſus Impotentiæ.

b *Ruffinus affectans Matrimonium cum Rebecca, mittitur ad me 17. Septemb. Anno 1673. cum chirurgo excellente herniæ ſectore: Eunuchum eſſe indicabat utcunque vox fracta, glabréque genæ, cùm jam eſſet Annorum triginta ſex, natus patre bene barbato. Allegabat autem ad probandam virilitatem teſtimonium trium, omni exceptione majorum virorum, affirmantium, chirurgum, qui illum adhuc bimulum ſecuerat, poſt ſectionem dixiſſe, quòd ei reliquerit* ſein Mutwillen / *ut loquuntur noſtrates, id eſt teſticulos. E diverſo chirurgus, de quo ſuprà, affirmabat, ſe poſt accuratam explorationem factam manibus, & oculis nihil planè teſticulorum deprehendere poſſe, quia verò Ruffinus renuebat ſubire aliam inſpectionem, quærebatur, utrùm permitti poſſet ei Matrimonium?*

c Mihi, ad quem erat idcirco præcipuè ablegatus, ut, ſi judicarem, habendum pro impotente, perſuaderem, ut acquieſceret (volvebat enim conſilia minimè probanda) ſententiæ Superioris, viſum fuit, non eſſe permittendum. Ducebar, quòd cenſerem, eſſe potiùs credendum chirurgo ſecundo teſtanti de Impotentia, quàm primo de potentia 1. Quia teſtibus contraria teſtificantibus, debet fides haberi vero ſimiliora deponenti. Communis Doctorum ex claro textu *cap. Cùm cauſam. De probat.* §. *De præmiſſis.* vero ſimiliora ſunt autem, quæ & conformia curſui communi. Everhardus *loco: A ſolitis*, teſtabatur autem ſecundus ſector, ſe ex plus ducentis parvulis, quos ſecuit, non potuiſſe, niſi duobus, vel ſummùm tribus relinquere teſticulos. 2. Magis creditur digniori, quàm minùs digno. Gabrielius *De teſtibus Concluſ. 4. num. 34.* 3. Magis quoque credendum jurato, cùm teſtis injuratus non mereatur fidem. *Leg. juriſjur. Cod. De teſtib.* & deponenti in judicio, quàm extrajudicialiter. DD. cum & apud Gabrielium. Atqui ſecundus chirurgus erat ordinis ſenatorii in oppido ſuo primus omnino privatus, primus teſtis jam pridem mortuus, nunquam juridicè fuerat examinatus, nunquam ſua verba firmaverat jurejurando, utrumque autem præſtiterat alter.

Nec obſtat 1. quòd teſti de ſuo facto deponenti ſoleat haberi plena fides. Menoch. *De arbitr. jud. Lib. 3. Caſ. 90.* non habetur enim, niſi depoſuerit in judicio. Menochius *ibid.* Gabrielius *Lib. 7. De Criminalibus concluſ. 31. num. 1. loc. cit. num. 18.* d

Nec obſtat 2. quòd tres viri integræ famæ jurâſſent coram Magiſtratu, ſe ex ore ipſiuſmet primi chirurgi immediatè audiviſſe ea, quæ retulì ſuprà, ſit autem tribus talibus viris utique plus fidei habendum, quàm uni chirurgo.

Hanc objectionem perquam importunè urgebat tum ipſemet Ruffinus, tum quidam ipſi ſanguine junctus, & literis quidem probè excultus, hoſpes tamen in Juriſprudentia, ut proinde perquam difficulter perſuaſerim, crediderunt tamen denique, etiam mille ejuſmodi teſtibus non poſſe probari intentum, tum quia erant teſtes de ſolo auditu, tum quia ſingulares, nec enim aut ſimul, aut eodem loco, & tempore, ſed ſeorſim audierant ſinguli, & ſe audiviſſe ajebant, tum denique & fundamentaliter, quòd, ut illis duobus dicebam, licèt Angelus de cœlo teſtaretur, primum chirurgum revera aſſeverâſſe id, pro quo allegabatur, attamen inutile foret ejuſmodi Angeli teſtimonium, utpote quo non probaretur, chirurgum talia eſſe effatum coram judice, & effatum cum juramento, aut elocutum cum veritate. Accedebat, quòd quidam inſignis Medicinæ Doctor mihi dixerit, fuiſſe chirurgos repertos, qui falſò jactârint, ſe non exemiſſe teſticulos, & ideo jurârint, ut parentibus gignerent falſam ſpem futuræ ſucceſſionis ex tali filio, ſicque referrent iidem chirurgi magnum præmium. e

Nec poterat judex in hoc Caſu permittere Ruffino, ut cum Rebecca, quam deperibat, viveret tanquam frater cum ſorore, juxta dicta ſuprà *num. 419.* Etenim non ſemel faſſus ipſe erat, à ſe ideo appeti conjugium, ut poſſet abſque peccato ſatiſfacere vehementibus carnis ſtimulis. Denique licèt omnia, quæ protuli adverſus Ruffinum, non utique ſufficerent ad dirimendum Matrimonium, ſi quod iniiſſet cum illo defectu, *argum. cap. Laudabilem. & Ex literis. De frigid. & malef.* quia tamen f

men turpiùs ejicitur, quàm non admittitur hoſpes *text. cap. Quemadmodum de jurejurando*, & multa fieri prohibentur, quæ tamen, ſi facta fuerint, obtinent firmitatem. *cap. Ad Apoſtolicam. De Regul.* idcirco nihil officit illa qualis qualis debilitas argumentorum. Ob hæc & ſimilia fuit Ruffino ſucciſa ſpes obtinendi, quod peroptabat.

Alter Novus Caſus erat hic ſatis mirabilis.

8 *Rutilia adhuc innupta, plebejáque mulier, ſuſcipit prolem, & cùm de parente prolis quæreretur, nominat Romedium, & ipſum plebeium, quod & iſte fatetur; & non tantùm permittit hanc prolem baptizari ut ſuam, ſed etiam jungit ſibi paulò pòſt in facie Eccleſiæ Matrimonio Rutiliam, at poſt dimidium cohabitationis Annum inter jurgia objicit Rutiliæ, infantem illum non eſſe ſuum, regerit ea, ſe libenter concedere, eò quòd ipſe ſit impotens, ac deinde accuſatus à Rutilia de impotentia, examinatur ac primò quidem negat impotentiam, inſuper addens, Rutiliam à ſe eſſe poſt nuptias quoque cognitam, ſæpiúſque cogniturum fuiſſe, ſi ipſa parere voluiſſet. Quin etiam illis, qui per inſpectionem juſſu Magiſtratûs Eccleſiaſtici, impotentiam hanc examinârunt, nullum apparebat indicium, poſtmodum tamen illo tempore, quo iterum jurejurando fateri veritatem jubebatur, fatetur, ſe quidem carnis ſtimulos ſentire, Rutiliam tamen matrimonialiter nunquam cognoſcere potuiſſe, quamvis tentaverit. Jubentur proinde ulteriùs matrimonialiter ſibi cohabitare, cùm ſigna impotentiæ ſufficientia nondum apparerent. Priùs autem, quàm ſiſteretur ille Romedius huic ſecundo examini, fuit Rutilia apud Magiſtratum ſæcularem accuſata de fornicatione, commiſſa cum alio, quam non ſolùm fatetur hic, ſed addit, ſe eſſe genitorem prolis falſò, addictæ Romedio, mulctantúrque tam ipſe, quàm Rutilia, tanquam rei fornicationis, Romedius verò poſt latam fornicationis ſententiam vivit cum Rutilia in perpetuis rixis, & jurgiis, pôſtque aliquod à lata ſententia tempus, impatiens continuorum diſſidiorum abit peregre, alibiq; moratur ultrà biennium. Tandem ad conjugem reverſo antiqua recrudeſcunt jurgia, ideo iterum ad tempus tædio domeſticarum diſcordiarum victus diſcedit, & ſic, diſcedente ſæpius, & redeunte illo, & potiſſimò tempore extra uxoris lares manente, labitur quadriennium, & dimidius Annus, ita quidem, ut Romedius toto illo tempore vix ultra ſeſqui Annum fuerit domi ad experiendam maritalem copulam, & quidem ſeſqui Anno ferè ſemper inter lites, & jurgia, poſt quod tempus redeunt uterque ad Conſiſtorium: petunt Matrimonium declarari nullum ob impedimentū impotentiæ, proinde quærebatur, an hæc experientia, quam hi jam in quintum Annum conjuges, vix tamen per ſeſqui Annum ad maritalem copulam experiendam cohabitantes, & hoc quidem ferè omni tempore inter jurgia, & lites, ſufficeret una cum juramento conjugum, & ſeptimâ manu ad diſſolvendum Matrimonium, ita ut utrique liberum eſſet, aliud Matrimonium inire? Viſum fuit viris doctis negativè concludendum, alii exiſtimaverunt, hoc judicium eſſe nimis rigidum, quare velim ex Ra. Va. cognoſcere, utri parti adhæreat in hoc eventu paſſim divulgato, & notando.*

Ita ad me quidam D. Canonicus NN. cujus h
petitioni exigenti majorem legum, Canonúmque, quàm Theologiæ uſum, applicationémque ſatiſfacio in hunc modum.

I. Certum mihi eſt, non poſſe, poſitis iis i
omnibus, & ſolis, quæ exhibet hæc ſpecies facti, verbatim ex literis illius Clariſſimi Domini huc tranſlata, Romedio dari facultatem convolandi ad aliud Matrimonium. Ratio eſt clara, nequit enim ei fieri hæc poteſtas, niſi conſtet, eſſe potentem ad copulam, atqui illa, quæ in ſpecie facti narrantur, tendunt eò, ut prius Matrimonium diſſolvatur ob impotentiam Romedii, & proinde ipſe declaretur impotens, ergo nequit dari poteſtas contrahendi cum alia, utpote quam nequeat ducere cum vitio frigiditatis, alioqui res una, & eadem cenſeretur jure non eodem, ſed planè contrario contra receptam, & à Tiraquello *De Retract.* §. Gloſſ. 18. autoritate firmatam Regulam: Res una, & eadem diverſo jure cenſeri non debet *L. Eum, qui ades. ff. De uſurpat. & uſucap.*

II. Itaque nequit iſtud jus ei concedi, niſi k
probetur, ejus frigiditatem eſſe reſpectivam ſolùm, ſeu reſpectu ſolius Rutiliæ, hoc autem nullo modo probatur iis, quæ refert ſpecies facti, ex hac enim nil aliud inferri poteſt, quàm vel Romedium eſſe abſolutè potentem, quod ego infrà oſtendam, eſſe veroſimilius poſitâ illâ ſolâ experientiâ, quæ facta memoratur, vel impotentem reſpectu Rutiliæ. Si ſit abſolutè potens, ergo adhærebit Rutiliæ per *cap. Laudabilem. cap. Fraternit. cap. Ex literis* &c. *De frig. & malef.* Si impotens reſpectu Rutiliæ, non debet mox haberi pro potente reſpectu aliarum, nam & à tam diverſis non valet illatio. *L. Papinianus. ff. De minor.* & ex iis, qui ſunt impotentes

Digitized by Google

tentes reſpectu unius mulieris, præſertim jam effectæ matris, reperiuntur pauciſſimi potentes reſpectu aliarum. Atqui ea, quæ rarò eveniunt, non temere in agendis negotiis computanda ſunt *Leg. 64. ff. De Reg. jur.* etenim *rarò* & *nunquam* æquiparantur *cap. Coram. De off. jud. deleg.*

l Adde, quòd cùm Medici, qui inſpexerunt Romedium, non deprehenderint ullum ſignum frigiditatis, nec allegetur ullus defectus ex parte fœminæ, debeat ea, ſi qua ſupponatur adeſſe frigiditas, adſcribi potiùs maleficio, quàm naturæ, omnes enim puberes præſumuntur eſſe potentes naturaliter. Hoſtiens. *In Summa. De frigid. & malef.* §. *Qualiter*, & *quando*, & patet ex iis, quæ diſſerit Sanchez *cit. Lib. 7. Diſp. 94. num. 6.* igitur priùs, quàm pronuntietur quidquam contra Matrimonium Romedii, adhibenda ſunt ea remedia ſpiritualia, quæ pellendo maleficio judicantur in qualibet Diœceſi opportuna, nec enim reperio Canonem, qui præſcribat aliquid certi.

m III. Vel maximè opus eſt, ut priuſquam feratur ſententia irritativa Matrimonii, compleatur triennium præſcriptum *cap. fin. De frigid.* Eſt hæc aperta ſententia P. Sanchez *cit. Lib. 7. Diſp. 108. num. 8.* loquentis contra non paucos Canoniſtas etiam in Caſu, quo uterque conjux fatetur impotentiam, in quo etiam caſu loquuntur poſt S. Thomam plurimi Theologi, & Canoniſtæ, tum ante Sanchez, eos nominantem, tum alii poſteriores id nervosè, & generatim probantes ex *cit. cap. Laudabilem*, ubi indiſtinctè mandatur triennale experimentum, ſi frigiditas *priùs probari non poſſit*, id eſt: *non manifeſtè conſtet*, ſicut expreſſè, & optimè explicat Gloſſa *verb. priùs probari*; atqui ex depoſitione etiam jurata utriuſque non conſtat manifeſtè de frigiditate, quandoquidem poteſt eſſe inter tales colluſio in Matrimonii injuriam, quæ eſt ratio, ob quam Cœleſtinus relatus *cap. Super eo. De eo, qui cognovit*, reſcripſit, non eſſe fidem habendam viro, & fœminæ aſſerentibus, ſe fuiſſe carnaliter invicem cognitos, priuſquam vir ille ſororem dictæ mulieris duceret in uxorem; quæ eadem ratio ſingulariter locum habet in præſenti Caſu, ſiquidem de malo homine ſemper malum præſumimus. Farinacius *Pract. Crim.* §. *3. cap. 85. n. 3.* Quales autem ſint Romedius, & Rutilia, liquet ex ipſa ſpecie facti. Accedit, quòd favor Matrimonii efficiat, ut credatur quidem conjugibus, ſi uterque fateatur, eſſe à ſe poſita omnia neceſſaria, non item ſi oppugnent Matrimonium. Wangnereck *in cit. cap. Super eo.* poſt Navarrum.

n Nec juſjurandum, quo uterque confirmat ſuam de impotentia aſſertionem, conciliat ſufficientem credibilitatem. In primis enim, licèt depoſitio jurata, & in judicio, præferenda ſit (multorum opinione) injuratæ, & extrajudiciali; videtur autem Rutilia, quando fuit primâ vice interrogata ſe genitore ſuæ prolis, aut non firmâſſe juramento, aut certè non in judicio ſuam aſſertionem de Romedio, ut patre, attamen generatim contraria extrajudicialis depoſitio, non ſolùm debilitat ſubſecutam judicialem. Gabrielius *Lib. 7. De Criminal. Concluſ. 31. num. 8.* poſt Angelum, efficitque, ut taliter varians non ſit teſtis integer. Idem Gabrielius *num. 9.* poſt Baldum, & alios, ſed inſuper ut judex non poſſit ſe fundare in ſecunda contraria judiciali. Aretinus *Conſ. 71.* Alex. *Conſ. 154. vol. 5.* Gabrielius *num. 10.* Imò dictum extrajudiciale præfertur judiciali tunc, quando pro ipſius veritate ſtant aliquæ conjecturæ, vel veriſimilitudines. Communis Doctorum, quos nominat Gabriel. *num. 17.* producemus autem infrà *lit. S. & ſeqq.* non unam conjecturam pro veritate primæ teſtificationis. Et ſi conjunctio conjecturarum habet tantam vim, quantam habebunt præſumptiones & Regulæ validiſſimæ, quas in favorem illius prolis proferemus *lit. S. & ſeqq.*? quæ etiam inde roborantur, quòd non præſumatur mulier velle nubere illi, quem novit, eſſe impotentem. Hoſtiens. *In Summa. De frig. & malef.* §. *Qualiter*, & *quando*, noviſſet autem Rutilia, Romedium eſſe impotentem, ſi revera fuiſſet impotens.

Unde ulteriùs patet, nullam eſſe rationem habendam juramenti ſecundi, quo ſuum primum revocavit Romedius, tum quia *indignum eſt, ut quod ſuâ voce quiſque dilucidè proteſtatus eſt, id in eundem caſum infirmari poſſit, & proprio teſtimonio reſiſtere. cap. Per tuas. De probat.* & *Leg. Generaliter 13. Cod. De non numerat. pecun.* tum quia non ſolùm inſpectio à Medicis facta prævalet tali juramento. Barboſa *in cap. Propoſuiſti. De probation. num. 4.* ſed etiam ea, quæ contra Rutiliam propoſui, magis militant adverſùs Romedium, ſiquidem primum Romedii juramentum, utpote ex ejus poſteriore depoſitione falſum, adimit ipſi fidem, juxta ea, quæ retuli *in Alphabeto Quadrupl. Part. 2 num. 687.* efficitque, ut vel neutri juramento credatur, ut placet Bartolo, & plurimis aliis apud Gabrielium *cit. Lib. 7. Concil. 29. num. 1.* vel certè ſtetur primo, ut itidem placet plurimis apud eundem Gabriel. *ibid.* quandoquidem non erat admittendus ad hoc ſecundum juxta Gloſſ. *in c. Literas. verb. Præter. De præſumpt.* igitur non videtur ullus planè Juriſperitus dubitaturus, quin, priuſquam Romedius pronuntietur impotens, & conſequenter ejus Matrimonium invalidum, debeat præcedere alia experientia, juxta *cap. final. De frig.* Doctores enim contrarii reſolutioni datæ *lit. K.* volunt, in eo ſolo caſu ſtari juramento utriuſque conjugis de impotentia alterius deponentis, quando non ſuppetunt peculiares rationes, juxta *cap. In noſtra 32. De teſtib. & atteſtat.* ob quas prudenter dubitetur, an plenam fidem mereantur, prudentiſſimè autem de his duobus dubitari poſſe; de- o

Digitized by Google

monſtrant ea, quæ attulimus. Vide tamen, quæ hanc in rem proferam *Tr. 10. num. 640. in App. lit. e.* ex Ludov. Engel.

APPENDICULA EX NOVO CANONISTA.

QUod ſcripſi hoc loco de non habenda nlla fide deponenti quidpiam adverſus ſuum prius juramentum, negat doctiſſimus P. Ludovicus Engel Benedictinus in Caſu Tripliciter ſingulari, quem ex ipſo referam *Tract. ſequent. Caſ. 16. n. 640. lit. e.* aſſerens poſt Fachineum, eſſe penes judicem arbitrari ex circumſtantiis utri juramentum ſit deferendum. Quæ doctrina, cùm ſit favorabilis, ſimul & probabilis, meritò ſtabit eâ quandoque judex.

p IV. Porrò defectus, & mutilatio illius triennii, quod Romedius, & Rutilia ſupponuntur inchoâſſe, at nequaquam obſervâſſe juxta normam *cap. fin. De frigid.* Ita ſuppleri debet, ut cohabitent una minimùm viginti, aut etiam viginti quatuor menſes. Ratio eſt, quia in ſpecie facti narratur, eos convixiſſe vix ſeſqui Annum, ergo *per ſe loquendo* debent adhuc ſaltem ſeſqui Annum una morari.

q Deinde ibidem dicitur, eos illo ſeſqui Anno, quo convixerant, fuiſſe propè in quotidianis rixis, contentionibus, jurgiis, ergo rariſſimè exercuerint opus maritale, adeò, ut ſi fuiſſent ſub jurejurando examinati ſeorſim (& verò debuiſſent examinari, propter doctrinam Gloſſæ jam jam adducendam) quoties tentaverint, ut oportebat, fuerint concorditer (diſcordantibus quis crederet?) expreſſuri tam exiguum numerum, ut judex pronuntiaturus fuerit, eos *moraliter loquendo* vix ullam feciſſe probationem. Quia igitur ipſa ratio naturalis, ac ſupernaturalis approbat auream monitionem Gloſſæ *in cap. Litera. De frig.* loquentis de allegata impotentia, ac dicentis: *Omnis cantela, quæ adhiberi poteſt, adhibenda eſt propter periculum animæ*, eam ob rem mihi certum eſt, decernendum eſſe, ut minimùm integrum biennium experientiæ, nec enim ſuppetit ulla ratio voluntariè demendi vel unam hebdomadem de triennio præſcripto *in cit. cap. fin.* etſi enim dicatur ſæpe quis uno loco fuiſſe, alicuive negotio vacâſſe unum Annum, dummodo majorem Anni partem, adeóque ſex menſes & unum diem fuerit eo loco, in ea occupatione, ut videre eſt apud Henriquez *Lib. 12. cap. 87. & 8.* itémque Sanchez *De Matrim. Lib. 7. Diſp. III.* nequaquam tamen habet illa doctrina locum in præſenti materia, & Caſu, tum quia *per ſe loquendo* nomine triennii intelligitur in citatis Canonibus triennium integrum *moraliter loquendo.* Sanchez *num. 5. & 6.* cum aliis ab eo relatis, adeóque tam integrum, quàm ſolet eſſe inter conjuges. Idem *num. 6.* verba enim ſunt intelligenda ſecundùm ſubjectam materiam. *Cap. Intelligentia. De verb. ſignif.* tum denique & potiſſimùm, quia ubi periculum majus intenditur, ibi procul dubio *plenius* (ſeu ut habet Gloſſa, *penitus*) conſulendum eſt. *cap. 3. De elect. in 6.* eſt autem hîc periculum majus idcirco, quòd liqueat ex ſpecie facti, peſſimè inter ſe convenire conjuges, ac proinde ardere deſiderio, ſingulariter Rutiliam, convolandi ad aliud conjugium, idcirco tempus integrum ab iis ſuppleri debet, quod ſubtraxerunt experientiæ. Dicaſtillo *De Matrimon. Diſp. 7. dub. 55. num. 599.*

Idem biennium debet eſſe continuum, & r
non interpolatum *cit cap. fin.* quæ continuitas tametſi non debeat eſſe *metaphyſica*, ut rectè contra multos jureconſultos tradit Sanchez *loc cit.* Dicaſtillo *De Matrim. Tract. 10. Diſp. 7. Difficult. 55.* cum aliis, debet tamen eſſe & *moralis*, & in præſenti Caſu major, quàm exigeretur, ſi Romedius abfuiſſet quidem tanto tempore, quantum exprimitur in Caſu, at non continuo, ſed interpolato. Sanchez *cit. num. 6.* ubi obſervat, etſi abſentia ſex menſium continua deſtruat requiſitam continuitatem cohabitationis, attamen ſecùs dicendum, ſi ea abſentia ſit interpolata, eſto contingat tot diebus interpolatis, ut æquet ſemeſtre ſpatium. Sanè hæc moralia ſunt *per ſe loquendo moraliter, civiliter*, ac proinde juxta morem inter conjuges uſitatum intelligenda, ut rectè Sanchez *cit. Diſp. III. num. 2.* atque ego hoc menſe Junio Anno 1674. reſpondi cuidam conjugato prætendenti impotentiam, atque miſſo ad me.

3. Ubi fuerit exactum illud continuum co- s
habitationis, experimentique biennium, ſi denuo jurent, ſe nihil perficere potuiſſe, nequibunt ſeparari, niſi accedat ſeptima manus propinquorum *cap. Laudabilem. cap. Fraternitatis. cap. Litera. De frigid.* exprimítque Vallenſis *hoc loco*, Barboſa *in cit. cap. Laudabilem*, quatenus *num 2.* ſcribit, adhibenda eſſe ea, quæ perſcribuntur *in cap. Laudabilem*, Maſcardus *De probat. Concl. 816. & 888. num. 2.* qui propinqui jurent, ſe omnino credere, Romedium, & Rutiliam vera loqui, quandoquidem Canones de hac re loquentes exigunt verum judicium, quod quidem fit per juramentum partium, & ſeptimæ manûs propinquorum. Maſcardus *loc. cit.*

Ita tamen requiruntur propinqui, ſeu con- t
ſanguinei, ut ſi nequeant haberi tot conſanguinei, adhibeantur alii bonæ famæ viri. Maſcard. *cit. Concl. 816.* cum aliis. Quin imò praxis noſtræ Diœceſis Conſtantienſis conſtanter habet, ut vir allegans, aut negans impotentiam, inſpiciatur à viris; quod tametſi Laymannus *in Theol. Mor. Lib. 5. Part. 5. cap. 11. num. 5.* non
requirat, niſi quando apparet neceſſitas, re- u
quirunt tamen Vallenſis, & Barboſa *locis cit.* favente apertè *cap. Laudabilem*, quatenus loquitur de muliere, & meritò, ſingulariter in hoc Caſu, tum propter indicatas peculiares rationes, tum quia Rutilia non reclamavit primo

bime-

Digitized by Google

bimeſtri, quò caſu jura magis favent reclamantibus, ſed primùm poſt ſex menſes. Certè cùm Romedius extrajudicialiter ſit faſſus, ſe eſſe patrem, & in prima inſtantia juraverit, ſe eſſe potentem, meritò eſt cum eo inſtituendum exactius examen, exactior perveſtigatio veritatis, quàm ſi conſtanter faſſus fuiſſet, ſe eſſe impotentem; nam ubi difficultas occurrit, accipiendum eſt illud, quod minus habet de periculo S.Thomas 3. *Part.q.* 83. *Art.* 6. ad 2. Et generatim uſurpo verba Hoſtienſ. *De frigid. & maleſ.* §. *Qualiter & quando. Col. ultima num.* 14. ſic loquentis: *Si judex vult mihi credere, cùm hic non agatur de lana, ſed de anima, per inſpectionem, & omnes alios modos, & circumſtantias tam ex parte viri, quàm mulieris* (quando eſt ſuſpicio, ne ex ejus corporis conſtitutione proveniat ſaltem partialiter impotentia actûs conjugalis) *omnem diligentiam, quam poterit, ad hoc, ut veritatem inveniat, adhibeat.*

u Non me fugit quidem, doctum Menochium *De arbitrat. judic. Lib.* 2. *Caſ.* 58. *num.* 3. & 4. poſt Calcam inficiari, eſſe adhibendam etiam in viris inſpectionem partium ſecretatum, eò quòd Juſtinianus *in Inſtit.* & *in Cod. L. ultimâ. Quando tutor. vel curat. eſſe deſinant,* interdixerit eâ inſpectione, *quam à fortiori etiam deberet inhibere Papa*, ait hic Doctor. Sed inprimis judicio horum duorum Juriſconſultorum oppono *cap. Propoſuiſti. De probat.* & *cap. Laudabilem. De frigid.* Oppono deinde Theologos, & Jureconſultos relatos à Sanchez *citatis locis*, & à Maſcardo *cit. Concluſ.* 888. qui Maſcardus expreſſè loquitur de inſpectione Virginitatis. Adhæc obſervo (quod miror, diſſimulâſſe Menochium) cum Gloſſa *in cit. Leg. fin. Quando*, Imperatorem eo loco ſolùm tunc vetare inſpectionem, quando agitur de tutela finienda per adeptionem pubertatis, hæc enim pubertas præſumitur adeſſe Annis à Jure determinatis, & proinde excluditur neceſſitas inſpectionis; at verò quando dubitatur rationabiliter, utrùm adſit in ætate competente potentia generandi, *debet fieri corporis indagatio*, inquit Gloſſa, quam, ut dixi, ſequitur conſtanter noſtra curia, adeò, ut dum hîc moror, tres deinceps Officiales exquiſiverint meum in hac materia judicium, factâ jam inſpectione mulierum à mulieribus, virorum à viris, & communiter quidem à duobus Medicis, ac totidem chirurgis conſtanter obligatis Officialatui. Et verò teſtatur ipſemet Hoſtienſis *loc. cit. num.* 14. ſe in duabus cauſis feciſſe inſpici viros, nedum per Laicos, ſed etiam per Clericos, ut loquitur ille.

x V. Quin imò exiſtimo, non eſſe imperandam in hoc præſenti Caſu ulteriorem probationem. Ratio eſt, quia fruſtra expectatur tempus, & eventus, cujus nullus eſt effectus. *Leg. Aliquando. ff. Ad S.C. Vellejan.* nullus autem effectus conſequetur ex indicta illa probatione, partim quia non eſt prudenter ſperandũ, fore, ut experiantur eo modo, quem expreſſimus *litt. P.* partim quia licèt fortè experiantur, attamen probabiliter non reperientur ſeptem viri probatæ integritatis, qui jurejurando confirment, ſe omnino credere, partes ſincerè loqui, apparet enim ex ſpecie facti, eſſe Rutiliæ affectum ita averſum à Romedio, animos ita exulceratos, & jurgiis, contentionibúſque aſſuetos, ut nemo crediturus ſit, eos toties e. g. minimùm quinquies, aut ſexies ordinariè per hebdomadem, tentâſſe perfectam copulam, quoties tentandam innuunt Doctores apud Sanchez *cit. Diſp.* 111. Certè quorum unum corpus eſt, debet eſſe & animus. *Text. cap. De neptis* 31. *q.* 2. atqui quod quis non eligit (ſed averſatur) non diligit *Text. cap. Præſens* 20. *q.* 3. qua igitur prudentiâ ſperari poteſt, eos conaturos, ut par eſt, fieri unum corpus, ſeu unam carnem?

VI. Proinde videtur mihi perquam veroſimile, judicem jure acturum, ſi impoſito perpetuo ſilentio mandet, ut deponant omnem ſpem ſeparationis, ſed potiùs unà vivant ut veri conjuges, adeóque cenſeo, habere hîc locum illam finalem concluſionem Menochii *De arbitrar. jud. Lib.* 2. *Caſ.* 58. *num.* 8. ſcribentis: Judex ergo noſter arbitrabitur, aliquem eſſe potentem ad coëundum, inſpectâ perſonæ qualitate, membrorum diſpoſitione, & valetudine bonâ; proindéque Romedium eſſe *practicè* habendum pro non impotente. Ratio mea fundamentalis hæc eſt, quòd quando lis decidenda eſt ex ſolis præſumptionibus, Regulíſque juris, pronuntiandum ſit pro parte, cui favent plures, potentioréſque præſumptiones, & Regulæ, nam & præſumptio major tollit minorē *Leg. Divus. ff. De in integ. reſtit.* & ibi Gloſſa *in verb. Exiſtimari*, & nobilior attendenda. *L. Qui acta. De don. int. vir. & mul.* Similiter qui habet Regulam pro ſe, dicitur fovere jus certum. Bart. *Leg.* 2. *ff. Si quis in jus vocat.* & judex in dubio, conflictúque opinionum, debet pronuntiare pro eo, qui habet Regulam pro ſe. Decianus *in Tract. Crim. Lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 3. poſt Baldum, Decium, alios. Atqui una ex parte præſens lis non poteſt decidi, niſi ex præſumptionibus, & Regulis juris, cùm deſint idonei teſtes, atque inſtrumenta; ex altera autem parte non ſolùm eſt pronum cuivis propè tyroni Juris producere tres præſumptiones, Reguláſque pro valore Matrimonii inter Romedium, & Rutiliam, & conſequenter pro potentia ad copulam, quando adverſarius proferet unam contra.

Antequàm autem proponam argumentum, z ex Regulis, & præſumptionibus deſumptum, ſuppono illud certiſſimum principium Juris. *Conceſſo uno, conceduntur omnia neceſſaria ad illud unum* Leg. 2. *ff. De juriſdict. omn. jud.* Leg. *Avibus. eodem. De Leg.* 3. & ibi Gloſſa cum aliis Legibus & Doctoribus apud Barboſam *in Axiom. in voce: Neceſſaria, Axiom.* 158. *num.* 2. Atqui

Digitized by Google

qui Leges, Canones, præſumptiones, & Regulæ indubitatæ concedunt aliquid, ſcilicet valorem Matrimonii (ad quod *abſolutè* neceſſaria eſt in Romedio potentia ad copulam) priùs initi; ergo hæc potentia eſt etiam conceſſa. Subſumptum poſſem firmare quidem variis Regulis, præſumptionibúſque, quia tamen una bona allegatio obnubilatur ob nimiam allegationem, ut ſapienter obſervat Abbas *in Proœmio Decretal. circa med.* contentus ero unicâ præſumptione, & unicâ Regulâ.

aa Præſumptio eſt ea, quam Rolandus à Valle referendus *Tract. ſeq. num. 394.* pronuntiat ſuperare omnes alias præſumptiones, videlicet quòd actus præſertim ſolennis, ita ſit geſtus, ut valeat, quia ſcilicet ſemper curandum eſt, ut actus potiùs valeat, quàm ut pereat *Text. in Leg. Quoties. ff. De rebus dubiis*, adeò, ut interpretatio, quæ fit pro valore actûs, ſit regina omnium interpretationum. Cephalius *Conſil. 51.* & ſingulariter in Matrimoniis ſolenniter celebratis valor ita ſuſtinendus eſt, ut contra hunc valorem nullæ præſumptiones admittendæ ſint. Leſſius referendus *Tract. ſeq. n. 430.* loquens in ſpecie de Matrimonii reipſâ initi valore in controverſiam tracto.

bb Hinc etiam Doctores relati à me *in primo Tract. Quinarii*, ſeu *Clypeo Clem. Ind. ſect. 13. num. 195.* ſcribunt, unius unici Doctoris autoritatem, pro valore Matrimonii præferendam autoritati plurium, ipſique communi opinioni. Unde infertur, præſumptiones omnes, quæ pro impotentia adferri poſſunt, ut videlicet ea, quæ ſumitur partim ex juramento partium, & ſeptimæ manûs, partim ex inſpectione (quam tamen favere potiùs potentiæ, quàm impotentiæ, clarum eſt ex ſpecie facti, refertur enim, Medicos non potuiſſe deprehendere impotentiam, ergo præſumenda eſt, ſecundùm omnes potentia) debere cedere præſumptioni de valore præſentis Matrimonii, & conſequenter præſumptioni de impotentia, conceſſo enim valore Matrimonii, concedenda eſt etiam potentia ad copulam.

cc Regulam pro valore Matrimonii, & conſequenter pro potentia illius quod attinet, eſt hæc, ab omnibus Legibus ſacris & profanis quaſi Canonizata: *In dubio melior eſt conditio poſſidentis. Text. in cap. Ad aures. De præſcript.* Quam Regulam tanti faciunt omnes, ut in omnibus tribunalibus apud omnes gentes prohibeatur, ne poſſeſſor bonæ fidei ſpolietur ſuâ poſſeſſione, ſi non ſit *moraliter* certum, eam ipſi non competere, Leſſ. *Lib. 2. De juſtit. cap. 14. numer. 25.* Atqui infans, quem peperit Rutilia, fuit, & eſt hodiéque in poſſeſſione filiationis reſpectu Romedii, ínque poſſeſſione juris exigendi ab eo alimenta, & denique legitimitatis; certum autem eſt, non eſſe ullo prorſus modo *moraliter* certum, quòd hæc poſſeſſio, vel quaſi ipſi non competat, ſicuti manifeſtum eſt, ſeu obiter duntaxat, ſeu attentè legenti ſpeciem facti deſcriptam ſuperiùs, certò autem ei non competeret, ſi Romedius foret impotens, ergo eſt pronuntiandus potens.

dd Fuiſſe infantem illum in poſſeſſione, vel quaſi filiationis reſpectu Romedii 1. Clarum eſt inde, quòd appellatus fuerit filius Romedii, & quidem ab ipſa matre, ab ipſo patre, inque actu ſolenni Baptiſmi, ac proinde etiam à baptizante, patrinis, omnibus Domeſticis, ac viciniſ tam Romedii, quàm Rutiliæ, habitúſque pro tali per dimidium Annum, indiſputabiliter, ac tractatus ut filius. Hæc ſanè omnia ſimul ſumpta ſatis probant, Romedium eſſe habendum pro patre; etenim nominatio tranſfert in alium onus probandi contrarium. Maſcardus *De probat. Concl. 790. n. 9.* ſingulariter quando cum nominatione concurrunt aliquæ aliæ conjecturæ. Maſcard. *loc. cit. num. 10.* & expreſſè Menoch. *De Arbitr. Caſ. 89. n. 65.* ſicuti hîc concurrit & alimentatio præſtita illi puero, & Matrimonium initum cum Rutilia, quam infamem ob fornicationem, & prole onuſtam non duxiſſet, niſi ea proles ad ſe ſpectâſſet. Conſentit apertè Menoch. *loc. cit. num. 69. & 77.*

2. Eadem nominatio facit tantam præſumptionem filiationis, ut eâ ſtandum ſit, donec ee probetur contrarium. Baldus *in Leg. Neque profeſſio. Cod. De teſtib.* Alciatus *Conſ. 335.* Maſcardus *num. 28.* 3. Singulariter quando ea nominatio eſt facta non incidenter, ſed principaliter, & propter ſe. Alciatus *loc. cit.* Maſcard. *num. 34.* & alii. Atqui nominatio illius pueri fuit facta non incidenter, ſed per ſe, quando videlicet fuit legitimè, nimirum à Miniſtro Baptiſmi interrogatus, eſſétne genitor illius ſobolis. 4. Singulariter probat tunc nominatio, quando pater & filius, invicem pro patre, & filio nominantur. Bartolus, Baldus, atque alii cum & apud Maſcard. *num. 39.* ſicut in propoſito Caſu fuit & Romedius non ſemel nominatus pater dicti pueri, & dictus puer non ſemel appellatus filius Romedii. 5. Nominatio ejuſmodi ſingulariſſimè in quaſi poſſeſſione filiationis nominatum conſtituit adverſùs nominantem. Maſcard. cum Jaſone, & aliis *num. 40.* adferens *num. 41.* hanc optimam rationem, quòd exiſtimandum non ſit, aliquem eſſe tam vecordem, ut (ſingulariter in publico actu, & in quo ſolent talia referri in librum, memoriámque poſteriorum) illum, qui non eſt ſuus, nominet ſuum. Vide, quæ in hanc rem ex Fagnano refero *in Quinario Tract. 5. cap. 28. num. 87.* 6. Nominatio publica, & per famam, non ſine indiciis confirmata probat optimè filiationem. Maſcard. *Concluſ. 791. num. 7. & 8.* volens eſſe communem Doctorum, quam & propugnat Menochius *cit. Caſ. 89. num. 86. & ſeqq.* hæc autem tria conveniunt filio Rutiliæ reſpectu Romedii.

Denique legitimitatis poſſeſſio ſuffragatur ff

illi

Digitized by Google

illi proli, utpote quæ per ſubſequens Matrimonium legitimata eſt, legitimatio autem ſtatim conſequitur ſuum effectum. Tiraquellus *in Lib. Si unquam.* Gloſſa *in verb. Donatione largitus num. 282.* faciens è naturali legitimum. Idem *ibid.* conſequenter Romedius eſt pater ipſius, nec enim poteſt eſſe aliâ ratione legitimus. Si pater, ergo legitimum Matrimonium ipſum, ergo ipſe præditus naturali potentiâ.

gg Quòd verò ejuſmodi poſſeſſio ipſi ſuffragetur, probatur inde, quòd & credendum ſit, eum, qui ex juſtis (præſumptivè) nuptiis natus eſt, juſtum filium eſſe. *Text Leg. ſeptimo. ff. De ſtatu hominum*, & is dicatur eſſe in poſſeſſione legitimitatis, qui natus eſt ex ea, quæ habebatur vera uxor. Fagnanus in præclaro conſilio, quod in controverſa cauſa legitimitatis conſcripſit *in cap. Lator. Qui fil. ſint. Legit.* Si puer ille legitimus eſt, ergo filius, ſi filius, ergo Romedius habendus pro potente, donec legitimè probetur impotentia; quod, quia cenſeo, nunquam probatum iri, eam ob rem autumo, fuiſſe (quid re ipſâ actum ſit intra tot Annos, ex quo lis præſens agitari cœpta eſt, me latet) ſententiâ judicis compellendos ad cohabitandum, habendúmque ſuum conjugium pro legitimo ſine ſpe diſſolutionis matrimonialis obtinendæ, ſiquidem conceſſo uno, concedenda ſunt omnia neceſſaria ad illud. Suprà *Lit. z.*

hh Foret autem adhuc veroſimilius noſtrum judicium hoc, ſi ipſæmet partes concorditer, & voluntariè elegiſſent, vel per judicem eligi conſenſiſſent, & promiſiſſent ſtare judicio illorum, à quibus fuit luſtratus Romedius, tunc enim ſententia ex horũ peritorum judicio lata tranſiſſet (niſi poſtea fuiſſet manifeſtè probata impotentia) in rem judicatam. Barboſa *in cap. Propoſuiſti. De probat. num. 6.* rectè allegans pro ſe Marantam *fol. mihi 535. num. 131. in fin.* ac Menochium *in Conſiliis conſil. 849. num. 5.* excipientem ſolum caſum appellationis factæ ſuo tempore, qualis quidem non memoratur in noſtro Caſu fuiſſe interpoſita.

ii Certitudinem de filiatione non minuit confeſſio alterius dicentis, ſe eſſe patrem, quia hoc ſcire nequit, niſi etiam ſciat, Romedium eſſe impotentem (nullúmque alium commixtum fuiſſe cum Rutilia; at unde hoc habebit compertum? Et quia ſine cauſa, ſeu nullâ neceſſitata compellente nominat ſe patrem, habebitur à Maſcardo ſuprà *Lit. ee.* pro valde ſuſpecto. Alia eſt ratio Romedii, qui ſe patrem ideo dixit, quòd legitimè interrogaretur ratione cæremoniarum, ſeu circumſtantiarum baptiſmalium, intèr quas eſt, ut antè exquirantur nomina parentum, quò poſſint referri in librum baptizatorum.

kk His omnibus, & aliis expenſis arbitror eſſe veroſimiliora, quæ concluſi in decurſu, ſalvo tamen judicio cujuſcunque.

At inquies fortè: *Quid ſi Romedius, & Rutilia liquidò nôrint, falli judicem, dum Romedium pronuntiat habendum pro apto ad copulam conjugalem?* ll

Reſpondeo. Si contraxerunt uterque rati mm (ſicuti veroſimillimum eſt, eſſe arbitratos) ejuſmodi Matrimonium ſubſiſtere, poſſunt haud dubiè nihilominus biennium, aut duos Annos cum dimidio impendere probationi, hoc enim permittunt ſacra jura omnibus impotentiam ſincerè allegantibus, imò poterunt ſe accommodare ſententiæ Cardinalis, Archidiaconi, & Bellameræ apud Sanchez *Lib. 7. Diſp. 111. n. 1.* exiſtimantium, quando interpolatum fuit triennium à Jure determinatum, debere inchoari de novo, eſt autem id à fortiori ſentiendum de his duobus conjugibus ob rationem allatam ſuprà *Lit. p.* imò etiam exacto hoc triennio poterit pergi in commercio conjugali, ſi aliqua ſpes ſubſit perficiendi vel ſemel copulam. Patet exemplo illius, de quo ſuprà, ſeu *Tract. ſeq. Caſ. XV. num. 591.*

At ſi Romedius, ratus ſe eſſe impotentem nn duxit Rutiliam, contra ſuam conſcientiam, non caret magnâ difficultate. Quis enim compellat Rutiliam, ut uſuram det corporis tanto deceptori? Et cùm de ratione contractûs matrimonialis intrinſecâ ſit traditio corporis ad conjugalem copulam, Romedius autem non fecerit, quia non potuit, ſiquidem impoſſibilium nulla eſt voluntas, quis illum eorum contractum appellet verè matrimonialem? Ita ſanè mihi videtur ſubſcripturo ſecùs opinanti, ſi hunc nodum ſolvat aliter, quàm dicendo, eam non latuiſſe hoc naturæ vitium, hoc autem dici nequit, quandoquidem ſupponit ſpecies facti, eam ante nuptias feciſſe poteſtatem ſui corporis Romedio. Si denique poſt exactam trium Annorum probationem clarè pateat utrique præſumpto conjugi, adeſſe, adfuiſſéque ab initio initi conjugii perpetuam impotentiam, nec tamen ob cauſas ſuprà allatas, eos velit audire Judex, licèt ejus ſententia ſit eis timenda *cap. 1. 11. quæſt. 3.* quia tamen æterni tribunal judicis illum reum non habet, quem injuſtè judex condemnat, *cap. 1. De ſent. & re jud. in 6.* ideo non delinquet *per ſe loquendo* Rutilia, ſi diſcedat à Romedio, nubátque alteri.

Jam pridem erat chartæ mandatus præſens oo de Romedio Caſus, cùm exquiritur meum judicium de hoc

Novo & præſtigioſo facto.

R*ichardus ſuſceptis ex primo Matrimonio liberis; mortuáque uxore, dat Roſæ fidem Matrimonii de futuro, ſed ante copulationem experitur talem corporis & animi intemperiem, ut cogatur proripere ſe ex lecto, & inſtar inſani hinc inde. Diſcurrere. Quod cùm*

conſilii

Digitized by Google

conſilii cauſâ recenſuiſſet viro bono, juſſit hic eſſe bono animo, ſerenitatem redituram poſt copulationem. Quare ducit Roſam in facie Eccleſiæ, at mox primâ nocte nuptiarum, dum cogitat de copula, non modo non experitur ullum prorſus carnis ſtimulum, ſed inſuper cogitur ſurgere è ſtrato, atque hinc inde perinde atque amens curſitare. Quæ corporis, animíque intemperies cùm tenuiſſet dies quatuordecim circiter, ſuaſu cùm periti Medici, tum viri Religioſi adhibuit remedia corporalia, & ſpiritualia, ut benedictionem lecti, veſtium, domûs, at fruſtra, quin imò ita crevit malum animi, ut acceſſerit ſuum Superiorem Laicum, poſtulârítque ab eo puniri inſtar blaſphemi. Paulò tamen pòſt remittente eâ tempeſtate, ſuſcepit cum ſua Roſa peregrinationem ad Eremum B. V. eámque obivit quàm potuit religioſiſſimè, ad obtinendam integram malaciam, potentiámque ad actum conjugalem. Verùm obtinuit nihil, adeò ut toto tempore, triennii, inquam, non modò non ſit expertus ullum carnis ſtimulum, cùm tamen ſit ætatis ac virium haud dubiè habilium ad perfectam copulam, ſed etiam quoties ipſum in lecto etiam leviter tetigit, aut etiam interdiu incedenti per domum occurrit Roſa, magno horrore corripi conſueverit.

pp *Cùm igitur ex his judicet Richardus liquere, impotentiam coëundi eſſe perpetuam, ſupplicat ferri ſententiam perpetui, integrique divortii, addens non obſtare, quòd non tentaverit crebriùs copulam, neminem quippe obligari ad impoſſibile, vel ad actum fruſtraneum, nec fuiſſe, aut eſſe per hunc fruſtraneum copulæ conatum dandam occaſionem uxori ad illicita tentationis, ſed ſufficere, quòd perſæpe habuerit ſerium animum exercendi opus conjugale, at viderit, ſe non poſſe. Quæritur ergo. an hiſce ſolis cognitis & poſitis valeat Judex Eccleſiaſticus illud Matrimonium pronuntiare nullum ex cauſa Impotentiæ?*

qq Reſpondeo breviter, non poſſe. 1. Quia nequit in re tanti momenti ſtari depoſitione unius è conjugibus, ut notant omnes ſcribentes *in Tit. De frigid. & maleſic.* 2. Quia nemo poteſt eſſe teſtis ſimul & reus; atqui ſi Roſa accuſet, ut ſanè poteſt, Richardum divertere volentem, conſtituetur hic propriiſſimè reus & teſtis ſimul. 3. Et principaliter, quia triennium cohabitationis præſcriptum *in cap. fin. De frigid.* datur ideo, ut conjuges omnem diligentiam adhibeant, ut opus carnale perficiatur. Hoſtens. *De frigid. & maleſ.* §. *Qualiter & quando num. 10.* in terminis, ſeu, ut dent operam copulæ carnali. Gloſſa *in cap Laudabilem.* §. *Prius probari. eod.* & Abbas *ibid. num. 1.* ſeu ad experientiam copulæ. Idem *ibid. num. 5.* ex communi omnium ſenſu; & quidem tam frequentem, ut poſſit dici, interceſſiſſe experientiam *moraliter* continuam. *cap. fin. De frig.* Dicaſtillo *De Matrimon. Tract. 10. Diſp. 7. difficult. 55.* poſt Sanchez *Lib. 7. De Matrim. Diſp. 11.* atque alios communiter. Atqui ex ſpecie facti non conſtat, interceſſiſſe aut ullam omnino experientiam copulæ, ſeu ullam datam operam copulæ carnali, aut datam *morali* modo continuam. 4. Quia ipſa quoque mulier debet audiri, teſtarique non modò adhibitam fuiſſe diligentiam, de qua ſuprà, notátque Hoſtienſis, ſed inſuper quòd diligenter palpaverit ipſum virum, ſeu Richardum, & nunquam ſenſerit moveri ad libidinem. Hoſtienſ. *loc. cit.*

Itaque jubendus eſt Richardus ſaltem per dimidium Anni dare operam copulæ maritali continuam *moraliter*, adeóque minimùm quater aut quinquies hebdomadatim, jubendáque Roſa illum ſæpius palpare ex doctrina Hoſtienſis. Hoc ſemeſtri elapſo, ſi tam ipſe, quàm uxor negent, potuiſſe unquam ſe fieri unam carnem, diſpiciet Judex, An non ſit alteruter inſpiciendus, & An advocanda ſeptima manus? An verò, quod omnino arbitror, præſcribenda ulterior probatio. Si conſtet, fuiſſe adhibita remedia naturalia, quæ peritus Medicus fruſtra adhibuit, non eſt Richardus adigendus ad conſulendum alium Medicum, ſumendáve plura pharmaca, cùm præſertim circumſtantiæ expreſſæ in ſpecie facti, ſi conſtet de earum veritate, ſatis ſupérque demonſtrent, illam impotentiam provenire unicè ex maleficio, ut deducitur ex iis, quæ de ſignis maleficii refert poſt Sanchez & Delrium Dicaſtillo *cit. diffic. 55.* At verò debent adhuc aliqua ſupernaturalia remedia adhiberi, ut e. g. aliqui exorciſmi, crebrior uſus aquæ luſtralis, frequens invocatio divinæ opis: Sacramentorum quoque in hanc rem frequentatio. Et proinde Judex non ſtatim poſt illud ſemeſtre ſpatium feret ſententiam definitivam, ſed diligenter conſiderabit, utrùm ſint ad probationem ulteriorem aſſignandi duo Anni cum dimidio (ad implendum videlicet continuum triennium, de quo *in cit. cap. fin.*) an verò huic ultimo ſemeſtri adjiciendum aliquid ex elapſo triennio? Quod quidem negaret Sanchez, ſed fortè concederent alii. rr

Cæterùm quia in prolixo Caſu de Romedio, aliiſque ſæpius refero homines deponentes omnino contraria ſuæ priori confeſſioni, lubet in ſubſidium quoque Judicum Conſiſtorialium referre, quid duo ſapientiſſimi Viri cenſuerint pronuntiandum de duobus individuis Caſibus. De uno Pater Sanchez *Lib. 3. De Matr. Diſp.* ſſ

Diſp. 15. n. 6. De altero Cardinalis de Lugo *in Reſponſ. Moral. Lib. 1. dub. 42.* qui in primis ſuum, deinde Sanchezianum proponit

Hiſce verbis.

tt *COntigit in quadam civitate Marchiæ, ubi Titius volebat ducere uxorem, quæ ejus conſanguineis non placebat, ideóque oppoſita fuit illis ſuſpicio affinitatis orta ex copula illicita, & adulterina, quam dicebatur habuiſſe cum conſanguinea illius, quam nunc ducere volebat. Negavit ille, copulam ejuſmodi præceſſiſſe, poſtea tamen à conſanguineis perſuaſus faſſus eſt cum juramento in ſcriptis, & coram duobus teſtibus. Denique qua erat ingenii volubilitate, vel recaleſcente affectu, iterum copulam negavit, addens, ſe ſcripturam illam inductum à conſanguineis feciſſe. Rogatus fui, an Ordinarius in tanta juvenis inconſtantia poſſet Matrimonii contractum permittere?*

uu Reſpondi, non poſſe, niſi Titius ſufficien-
» tibus ſaltem indiciis probet falſitatem confeſ-
» ſionis, quod à fortiori probari poteſt in caſu,
» quem adfert Thomas Sanchez *Lib. 3. De Matr.*
» *Diſp. 15. n. 6.* ubi refert, quod *quidam ducere*
» *volebat in conjugem concubinam ſuam, quam vi-*
» *vente adhuc uxore ipſemet cognoverat: rogatus*
» *autem à Parocho, An durante priori Matrimo-*
» *nio, fidem dediſſet concubinæ futuri conjugii, ſi*
» *uxor moreretur, ipſe ingenuè confeſſus eſt fidem*
» *datam. Dicente autem Parocho, id eſſe impedi-*
» *mentum dirimens, negavit, fidem fuiſſe datam.*
» Quo Caſu Sanchez dicit, non eſſe conceden-
» dam licentiam contrahendi ſecundum Matri-
» monium cum concubina. *Primò*, quia nimis in-
» dignum eſt, ut quod ſuâ voce quiſque dilucidè
» proteſtatus eſt, id in eundem caſum infirmari
» poſſit, & proprio teſtimonio reſiſtere. *cap. Per*
» *tuas. De probationibus*, & *Leg. Generaliter. 13. ff.*
» *De non numerata pecunia*, quod potiſſimùm in
» hoc caſu habet locum, in quo occurrunt vehe-
» mentes conjecturæ pro veritate prioris confeſ-
» ſionis ſpontaneæ, nempe affectus nimius erga
» concubinam, præproperus tractatus Matrimo-
» nii cum illa ſtatim, ac mortua eſt uxor, uſus in-
» ter concubinarios pollicendi ſibi invicem Ma-
» trimonium, ut mutuum ſibi amorem oſten-
» dant. *Secundò*, quia facilè præſumi poteſt men-
» dacium in negatione ſubſequenti, ex deſiderio
» nuptiarum, & metu, ne Matrimonium concu-
» pitum impediretur. Denique quia confeſſio
» extrajudicialis, probat contra confitentem,
» donec de ejus errore conſtet, ut docet Menoch.
» *De præſumpt. Lib. 3. præſumpt. 131.*

xx Hæ ſunt rationes, quibus Sanchez utitur
» ad illum caſum, ex quibus, ut dixi, à fortiori
» argui poteſt ad Caſum noſtrum, in quo non
» præceſſit ſola ſimplex confeſſio copulæ, ſed
» in ſcriptis cum juramento, & coram teſtibus
ad faciendam plenam fidem, quam confeſſio- »
nem licèt ipſe factam ex inductione dicat & »
ſuaſione ſuorum conſanguineorum, id tamen »
non probat, non fuiſſe veram: potuit enim in- »
ductus, & ſuaſus à ſuis confiteri authentice co- »
pulam, quam antea ex Matrimonii deſiderio »
negaverat. »

Nec credendum eſt, voluiſſe imponere cri- yy
men adulterii fœminæ alioqui honeſtæ, idque »
cum juramento, & in ſcriptis, & coram teſti- »
bus, ſi id falſum fuiſſet, ſed potiùs credi po- »
teſt, quòd ex deſiderio nuptiarum, & amore »
fœminæ eam poſtea neget. Præſertim cùm in- »
ventus fuerit in eodem lecto cum illa priori, »
quæ eſt validiſſima præſumptio copulæ cum ea »
habitæ, quam poſtea cum juramento faſſus fuit, »
quibus ſtantibus, non apparet, quomodo poſ- »
ſit Ordinarius licentiam dare ad contrahen- »
dum Matrimonium, quamdiu, vel contrarium »
non probatur, vel diſpenſatio Sedis Apoſtoli- »
cæ non obtinetur, pro qua ſententia videtur »
etiam eſſe Baſilius Pontius *Lib. 5. De Matr. cap.* »
3. num. 3. ubi ait: *Si contrahentes oppoſito per* »
unum teſtem impedimento, nec probato, primùm »
confeſſi ſunt impedimentum, poſtea negaverunt, »
ſtandum eſt primæ confeſſioni, niſi probent ſecun- »
dam veram. Quid diceret, ſi prima confeſſio fuiſ- »
ſet juramento, ſcripturâ, teſtibus, & tot aliis præ- »
ſumptionibus adminiculata?

Notent harum reſolutionum fundamenta, & tantorum Doctorum judicium Theologi, qui quandoque rogantur ſententiam de conſimilibus eventis, ſicuti ego perſæpe.

Jam tandem imponet finem diſcutiendis variis Caſibus de impotentia

Hic necdum reſolutus.

NOndum, inquam, reſolutus à legitimo judice, ſed adhuc ſuſpenſa ſententia. a
Cùm enim Roſcia aliquot Annos in Matrimonio cum Roſcio tranſegiſſet, accuſavit illum de impotentia, quam & faſſus eſt ipſe, eámque ob rem viſitatus à chirurgo, & comperto nullo ipſum vitio niſi fortè frigiditatis laborare juſſus eſt ſubire triennalem probationem, adhibendo remedia corporalia, & ſpiritualia. Elapſo triennio reditur ad tribunal; Roſcius jurat, ſe habuiſſe ter intra illud triennium perfectam copulam cum Roſcia id negante, aſſerente autem, ſe & adhuc virginem, & paratam ſubire inſpectionem, quam ſubiit quidem, at matronæ, quæ luſtrârunt, deponunt ſe nihil in alterutram partem pronuntiare poſſe, ſed verè dubitare de virginitate. Reditur ergo iterum ad tribunal, ob cauſam verò mihi incognitam differtur ultima ſententia, quæ cùm non pronuntiaretur, dixit Roſcia judici: Si igitur deſerto Roſcio ingreſſuram Monaſterium, ad quod cùm taceret judex,

conſtituit Roſcia repetere autoritate ipſius dotem, atque Monaſterium ingredi in alia Diœceſi, ſperans fore, ut Ordinarius hujus alterius Diœceſis permiſſurus eſſet ingreſſum etiam poſt factam informationem totius proceſſus.

Quid de toto hoc Caſu ſentiendum?

b RESpondi ego I. Die primo Julii hujus Anni 1677. tametſi nonnemini primo impetu viſum fuerit, non eſſe ullam fidem habendam Roſcio, utpote pejeranti adverſus ſuum primũ juramentum, attamen rectè ſe ipſemet correxit, ac meritò: potuit enim fieri, ut ante probationem fuerit Roſcius verè impotens, ſicuti fieri poſſe ſupponunt omnia tribunalia ſacra, alioquin ſuperſederent illa probatione.

c II. Quandoquidem ego ipſe *Tract. ſequenti Caſu 10. num. 403.* ex *cap. Continebatur De deſponſ. impub.* ſcripſi, in dubio de habita copula conjugali, credendum eſſe potiùs viro aſſerenti habitam, quàm mulieri neganti; quia præterea in dubio de valore Matrimonii eſt pro hoc præſumendum partim ob reverentiam debitam Sacramento, partim propter præſumptionem pro valore actûs, quam alibi dixi eſſe Reginam præſumptionum, dubitant autem mulieres, utrùm fuerit perfecta, an ſolùm imperfecta copula habita cum Roſcia, ambigendum non eſt, quin ſit à judice pronuntiandum hîc pro valore, donec aliquid in contrarium probetur. P. Sanchez *Lib. 7. Diſput. 109. numer. 6.* cum communi, quatenus in eo ſolo Caſu vult fidem haberi mulieri, neganti, ſe cognitam à viro, quando reperitur Virgo à Matronis illam inſpicientibus; atqui non poteſt dici, illam reperiri virginem, quando poſt inſpectionem dubitatur, an ſit adhuc virgo, tunc enim eſt præſumptio de perfecta copula, ſiquidem præſumitur potiùs de iis, quæ ſunt ſecundùm naturam & frequentiſſimum uſum, ut, quando mas & fœmina conſtituti in ætate pubere conantur habere copulam perfectam, habeant illam, eſtque ſine dubio hujus opinionis Baſilius Pontius relatus à P. Palao *Tract. 8 De ſponſal. Diſp. 4. punct. 13. §. 9 num. 7.* nec diſſentit ipſe P. Palaus, quia loquitur, cum P. Sanchez, de ſolo caſu, quo matronæ aſſerunt, mulierem eſſe repertam à ſe virginem.

d Accedit hiſce, quòd literæ proponentes hunc Caſum expreſſe affirment, Roſciam ſumme conqueri de ſævitia mariti in ſe exercita; ſpargere etiam de illo grave crimen; ergo præſumitur eſſe hoſtili animo in ipſum, ergo non meretur fidem in judicio, dum aliquid deponit contra maritum, Maſcardus *De Probation. Volum. 2. Concluſ. 898. num. 41.* ſcribens, illum haberi pro inimico tuo, & conſequenter pro teſte non legitimo, qui malam famam ſpargit de te.

Sed ait Roſcia: Quando dixi judici, nolenti apertè ferre ſententiam definitivam, me relicto Roſcio mutaturam ſtatum ſæcularem cum Regulari, non contradixit, ſed ſolùm tacuit, ergo hoc ſilentium meritò habeo pro annutu. Reſp. hanc conſequentiam eſſe muliebrem, eò quòd ſapiens Petrus Peckius in *Reg. 43. in 6. num. 5.* neget taciturnitatem haberi in judice pro aſſenſu in iis cauſis, & actibus, quos & quas jura præcipiunt finiri ſententia judicis prolata verbis claris, & perſpicuis, cauſa verò divortii perpetui eſt tam gravis, ut æquiparetur capitali, eò quod in ea agatur de ſtatu hominis. Infrà *Tract. 10. n. 77.* ergo nequaquam eſt illud ſilentium habendum pro annutu; cùm præſertim præſumendum ſit de judice, viro, inquam, primæ Autoritatis, juſta de cauſa noluiſſe tunc finem imponere liti; ergo eſt is iterum adeundus, aut redeundum ad Roſcium, ſi fieri queat abſque periculo malæ tractationis.

His poſitis clarum eſt, Roſciam fruſtra repetituram dotem, cùm enim dos, ſeu ejus fructus, & adminiſtratio debeatur marito pro ſuſtentatione familiæ *Leg. 7. Cod. De jure dotium*, adeóque non poſſit ipſi, conſtante Matrimonio auferri invito, niſi periculum ſit, ne vel eam abliguriat. Laymann. *Lib. 3. ſect. 5. Tr. 4.* vel fiat divortium ob ſævitiam mariti, ſicut declaro in Quinario *Tract. 5. cap. 34. num. 53.* horum autem neutrum ſit adhuc perfectum, clarum eſt, repetitionem dotis fore inutilem. e

Porrò fruſtra etiam ſupplicabit Ordinario alterius Diœceſis, ut ejus permiſſu ſuſcipi poſſit in aliquod monaſterium, id enim, permittere hic nequit, niſi Matrimonio diſſoluto, vel quoad vinculum, vel quoad torum, lectúmque; hanc autem diſſolutionem nequit alienus Diœceſanus decernere, ſiquidem extra territorium jus dicenti nõ paretur impunè *Leg. 1. ff. De Offic. Proconſul.* & una juriſdictio alteram turbare non debet. Cardin. Tuſchus *Lit. f. concluſ. 35.* f

Queres V. *Ecquenam ætas apta ſit conjugio?* 450

Reſp. Puellæ Anno ætatis duodecimo completo, pueri verò Anno ætatis decimoquarto itidem completo ſunt communiter apti conjugio, quia communiter ſunt jam puberes illâ ætate; adeóque poſſunt illæ concipere: hi generare prolem, ante autem prædictam ætatem *invalidè* ex diſpoſitione ſolius juris *Eccleſiaſtici*, quod habetur ſub titulo *De deſponſat. impub.* contrahunt, niſi ſuppleat ætatem *malitia*, ut loquitur capitulum *De illis*, ſeu *prudentia*, & eodẽ ſenſu capitulum *Tua. De deſponſ. impub.* id eſt, potentia generandi. Si verò poſt prædictam ætatem ſit quis inhabilis, modò non in perpetuum, ad copulam conjugalem, contrahet *validè* Sanch. *Lib. 7. Diſp. 104. n. 14.* cum aliis contra nonnullos. Plura de hac materia non addo, quia hac ætate non conjunguntur, niſi qui

qui ſint manifeſtè aſſecuti Annos pubertatis. Vide tamen Caſum ſpecialem infrà *Caſ. XXII. num. 610.* & adde, talia Matrimonia habere nihilominus vim ſponſalium *cap. fin. De deſponſ. impub.* Sanchez *Lib. 1. Diſp. 20.* & inducere impedimentum *Publicæ Honeſtatis.* Idem *ibid.*

QUO PACTO ABSENTIA PAROCHI, ET TESTIUM DIRIMAT MATRIMONIUM?

CASUS XVIII.

Germanis Peregrinus.

SUMMARIUM.

Caſus ſponſi nati, ubi non eſt receptum Tridentinum de præſentia Parochi, volentis ſine Parocho contrahere in loco, in quo eſt receptum Decretum. 451.

451 *Sigebertus Nobilis juvenis advenit huc cum puella Nobili, in nuptias cum eo conſentiente. Et quia puellæ avunculus impedimento erat, ne verò potirentur, è Gallia diſcedebant. Ibi autem non eſt publicatum Decretum Tridentini, & ideo coram quolibet Sacerdote contrahere ad validitatem ſufficit. Sic ipſi, ut ſine ſtrepitu inirent, & tamen in facie Eccleſiæ, conveniebant ad Eccleſiam* Fratrum Minorum, *adducentes ſecum Sacerdotem è Galliâ, qui eos conjungeret, nec is tamen erat Parochus alterius partis, nec à Parocho ullo licentiam habens. Quærebat à me per literas loci Guardianus, An poſſet hic in re merè permiſſivè ſe habere, non interdicendo eis Eccleſiam ſuam? Reſpondi, Sacerdotem illum,*
452 *& contrahentes in errore verſari, & ideo monendos eſſe de nullitate contractûs matrimonialis, quandoquidem contrahitur in loco, ubi Decretum Concilii Tridentini receptum eſt. quod afficit quaſcunque perſonas ibi contrahentes; contractus enim ſequitur Leges loci, in quo fit, in hoc autem loco præſentia Parochi proprii partium contrahentium neceſſaria eſt. Quare intellectâ, receſſerunt ad Parochiam vicinam, quæ erat in Gallia, & ibi conjuncti ſunt.*

453 Ita ſe reſpondiſſe fatetur Jacobus Marchantius *in Reſolut. Paſtoral. Tr. 8. cap. 2. quæſt. 3.* ad hunc Caſum, ideo Germanis peregrinum, quia eſt in Germania (qua Catholica) per Dei gratiam ubique (quantum quidem ſcio) receptum Decretum Concilii Tridentini, quod hanc in rem *Seſſ. 24. cap. 1. De reformat. Matr.* ita ſancit: *Qui aliter, quàm præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus Teſtibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit.* Hoc Decretum quia loquitur tum de Parocho, tum de Teſtibus, proponam priùs ſcienda de Parocho, hîc tamen breviter notato, à P. Sanchez *Lib. 1. De Matr. Diſp. 20.* ac Barboſa in hunc ipſum textum, aliiſque contra alios ex vocula *omnino inhabiles* deduci, ne quidem vim ſponſalium habere illa clandeſtina Matrimonia. Deinde cognoſcenda de Teſtibus. Sit ergo

SECTIO I.

Traduntur doctrinæ neceſſariæ de aſſiſtentia Parochi.

SUMMARIUM.

Decretum Tridentini quas conditiones exigat ad id, ut, eo non obſervato, Matrimonium ſit irritum? 454. *& ſeqq.*

Quid ſi hæretici habentes templum commune cum Catholicis, in quo eſt promulgatum Tridentinum, contrahant ſine Parocho Catholico? 459. *& ſeqq.*

Viennenſis Theologicæ Facultatis judicium. 467.

An Catholica nupta hæretico licitè contrahat coram miniſtro hæretico? 472.

Aut renovet licitè coram eo? 474.

Quid agendũ in loco, ubi nullus eſt Parochus? 475.

Quid ſi moribundus nequeat habere Parochum? 477.

Caſus Religioſi copulantis milites in abſentia eorum Parochi. 478.

Quid ſi ſponſorum alter ſpectet ad Parochiam, in qua non eſt promulgatum Tridentinum? 479.

Quid ſi quis ſtudio eat ad locum, in quo non eſt receptum Tridentinum? 480.

Singulariter, ſi in ejus Parochia non innotuit Declaratio Cardinalium irritans tale conjugium? 482.

Quid ſentiendum de ſtudioſis, & famulis? 483.

Quid de viatoribus? 484. *&* 485.

Non eſt abſolutè verum, quòd Tridentinum non ſit receptum in Gallia. 485.

Parochus quando cenſeatur Vicario dare licentiam aſſiſtendi? 487.

Licentia tacita quatenus ſufficiat. 488.

Conſtitutiones Conſtantienſes exigunt expreſſam. 489.

Petitâ per tabellarium licentiâ an licitè utaris, priuſquam tibi innoteſcat? 490.

An, & quomodo aſſiſtens debeat intelligere contrahentes? 491.

Quid ſi invitus aſſiſtat? 492.

Quando ſponſi ſpectant ad duas diverſas Parochias, contrahent in utralibet. 493.

Pœna copulantis ſine jure. 494.

Vagorum Matrimonio quis aſſiſtat? 495.

Habens duo domicilia contrahet in utrolibet 497.

Parochus licitè aſſiſtit Matrimonio hæretici 498.

An debeat intereſſe renovationi conſenſus in Matrimonium priùs invalidè initum? 500.

Tenetur quandoque dare alteri facultatem aſſiſtendi. 501.

Exhibetur longus diſcurſus P. Marchantii de Matrimoniis hæreticorum ſine Parocho. 501, *in App. I.*

Reſolvitur quoque Caſus tangens locum, in quo ſunt plures Parochi. App. II.

454 Continentur ex doctrinæ ſequentibus Paragraphis. I. Decretum Concilii Tridentini non obligat, niſi in iis locis, quibus inprimis promulgatum, deinde receptum, ac prætерea non abrogatum uſu contrario. Nam promulgationem quod attinet, ipſamet Synodus Trident. *cit. cap. in fin.* requirit illam, tanquam neceſſariam ad inducendam vim irritandi Matrimonii, & quidem fieri vult in ſingulis Parochiis, ita ut, ſi hîc Conſtantiæ facta eſſet promulgatio illius Decreti in Parochiali ſimul & Collegiata Eccleſia Sancti Stephani Protomartyris, non verò in S. Joannis itidem Collegiatâ, validè quis in hac contraheret abſque præſentia ullius Parochi, ut reliquos inter, & rectè notat Joannes Wigers *De Matr. q. 50. cap. 5. num. 45.*

455 Cenſetur autem eſſe ſufficienter promulgatû, quando eſt uſu communi receptum. P. Leſſius *in Auctario ad 1. 2. verb. ſponſalia cap. 5. num. 15.* nam & diuturna conſuetudo pollet vi inducendi impedimentum Matrimonii. Suprà *Caſ. 1. num. 25.* & licèt illud Decretum habeat iſtud peculiare, quòd debeat promulgari in ſingulis Parochiis; nec obtineat vim, niſi in Parochiis, in quibus eſt publicatum, & quidem non niſi *poſt triginta dies à die prima publicationis in eadem Parochia facta numerandos*, ut loquitur ipſa Synodus, non tamen ſuppetit ratio dicendi, habere etiam iſtud peculiare, quòd non ſufficiat receptio, & uſus communis, ſed requiratur formalis promulgatio; poſtquam autem fluxerunt triginta dies à promulgatione, ligat omnes, etiam ignorantes, ut notant paſſim DD.

456 II. Attamen non ſufficit promulgatio, ſed requiritur receptio; ſicuti enim ad valorem etiam Pontificiæ Legis in actu ſecundo exigitur communiter receptio, ſeu acceptatio *cap. 3. Diſt. 4.* & Gratianus *ibidem*, ita & hîc. Unde illam generalem doctrinam ſingulariter applicat huic Legi P. Ferdinand. de Caſtro Palao.

457 *Diſp. 2. De ſponſal. p. 13. §. 8. num. 3.* meritò ſubdens, nec promulgationem, nec receptionem, ſeu acceptationem ſufficere, ſi poſtmodum fuit uſu contrario alicubi abrogatum.

458 III. Hinc valent pleraque Matrimonia hæreticorum, ſi aliud non deſit, quàm præſentia Parochi; etenim in pleriſque Parochiis omni ex parte hæreticis non fuit ulla facta publicatio illius ſanctionis, quia pleraque illa loca jam defecerant à Papa, priuſquam lucem aſpiceret illa Conſtitutio Tridentina.

459 At, quid *ſi in una, eadémque Eccleſia, ſicut in Comitatu Turgoja, in Suevia quoque, fiat, ut Acatholici utantur prorſus eodem templo, quo Catholici, ſit autem in illo templo facta promulgatio à vero Paſtore, neglecta à lupo? An idcirco exporrigetur hæc ſanctio ad illos Acatholicos?* Re- 460
ſpondet P. Tannerus *Tom. 4. Diſp. 8. q. 3. dub. 6. num. 122.* P. Joannes Moquetius *in Diſputatione de Nuptiis num. ult.* P. Laymannus *Lib. 5. Tr. 10. Part. 2. cap. 4. numer. 7.* P. Dicaſtillo *De Matrim. Diſp. 3. dub. 10. num. 84.* & alii, quos cum P. Bonagratia retuli *Caſ. 1. num. 57. & ſeqq.* inprimis, generatim etiam in urbibus mixtæ Religionis, in quibus eſt promulgatum Tridentinum, ſubſiſtere Matrimonia hæreticorum facta ſine vero Parocho, eò quòd Papa ſciat, ita fieri, & tamen ob vitanda graviora mala non declaret irrita; & conſequenter approbet tacitè, ſubſiſtere quoque in illo ipſo peculiari caſu, quem expreſſi.

Ego tamen profiteor, me non poſſe acqui- 461
eſcere huic rationi, quia, licèt omnes Patres Tridentini, & Pius IV. approbator, confirmator ejuſdem Synodi, declarâſſent in terminis terminantibus, non habitum iri à Sede Romana pro legitimis, qui naſcituri eſſent ex Matrimonio celebrato ſine præſentia Parochi Romano-Catholici, attamen nihilo majores turbas excitaturi fuiſſent Lutherani, & Calviniani, quàm quando intellexerunt, ſe declarari hæreticos, & conſequenter obnoxios pœnis Canonicis, Civilibuſque hæreticorum, adeóque Reos Divinæ, humanæque Majeſtatis. Ita prô dolor! eviluit vix nato Lutheraniſmo apud Lutheranos Autoritas Pontificum, Cardinalium, Epiſcoporum, ut eorum Bullis, Legibus, Reſcriptis tam parùm ſint moti, quàm ſi ea dictâſſet, vel etiam ſuâ manu ſcripſiſſet Imperator Turcicus. Nôrunt optimè, poni 462
ab omnibus Catholicis in numero deſpectiſſimorum ſpuriorum omnes liberos natos ex Matrimonio Monialium, Regularium, Sacerdotum, & tamen rident, irrident: cachinnantur, dum hoc audiunt. Imo ſubſannarent Pontificem, ſi apertè diceret, aut ſcriberet, talia quidem conjugia adverſari ſanctioni Tridentinorum Patrum, ſe tamen ex benignitate Paterna permittere, ut ſuis moribus vivant ipſi Lutherani, atque alii non melioris furfuris. Adde, quòd nullus, planè nullus Princeps Lutheranus, Calvinianus, Zwinglianus eſſet reſpectu ſuorum contumaciter rebellium ſubditorum approbaturus etiam tacitè ejuſmodi connubia, ſi forent contraria legibus ſuis; atqui omnes, de quibus loquimur, ſunt ſaltem præſumptivè contumaciter rebelles Romano Pontifici, utpote quem oderunt cane pejus, & angue, pejus Antichriſto vero, pro quo illum habent multi tam certò, quàm Chriſtum pro Salvatore Mundi. Quare aſſentior Veriviis, 463
utrique Marchantio, Zypæo, & aliis apud P. Bonagratiam relatum *Caſ. 1. num. 45.* Item P. Leſſio, & P. Hermanno Buſenbaum, quos retuli

tuli ſuprà *Caſu. 1. num. 29.* Verricello *De Apoſt. Miſſion. Tit. 129. 174. ſect. 1. & 4.* citanti etiam Pontium, negantibus valorem Matrimonii abſque forma Concilii Tridentini coram miniſtro hæretico, vel Magiſtratu contracti ab hæreticis, in quorum Parochia dictum Decretum fuit publicatum, ut loquitur Buſenbaum *Lib. 6. Tract. 6. cap. 3. dub. 2. in fin.* ſive hæretici conficiant minorem, ſive etiam majorem partem illius ejuſdem Parochiæ, ut exprimit Leſſius *in Auctario ad 1. 2. ſeu in Conſil. moral. verb. Præſcriptio Caſ. 1. numer 1. & 2.* Vide eundem *verb. Matrimonium Caſ. 17.* generatim reſolventem, Matrimonia ſine præſentia Parochi, vel alterius Sacerdotis de ejus licentia, contracta in locis hæreticorum, & nominatim in Hollandia, ac Zelandia eſſe irrita; & eodem *Auctario verb. Hæreticorum cum Catholicis converſatio Caſ. 26. n. 1.* rotundiſſimè aſſerentem, Matrimonia Hæreticorum (in locis, ut interpretor, mixtæ Religionis) eſſe nulla, adeòque conjunctionem illorum eſſe fornicariam. Ratio à priori eſt, quia Congregatio Concilii Tri-
464 dent. 19. Januar. Ann. 1605. Reſcripto ad Epiſcopum Tricharienſem, Nuntium Apoſtolicum in Belgio, inter reliqua ſic reſpondit: *Hæreticos quoque, ubi Decretum cap. 1. Concil. Trident. eſt publicatum, teneri talem formam obſervare, & propterea etiam ipſorum Matrimonia, abſque forma Concilii, quamvis coram Miniſtro hæretico, vel Magiſtratu loci contracta, nulla, atque irrita eſſe.* Hanc Declarationem, velut Authenticam, cum pluribus aliis articulis deſcribit Diana *Part. 11. Tr. 6. reſ. 1.* & ex illo P. Thomas Tamburinus *De Matrim. Lib. 8. Tr. 6. c. 2. §. 2. n. 12.* ac Petrus Marchantius *in Append.* quam leges ad finem hujus Sectionis.

465 Ergo meritò diſſentio ab illis autoribus, tam benignè ſentientibus de Pontificum indulgentia adverſùs Hæreticos. Accedunt his rationes, quibus *Caſ. 1. n. 29. 30. 43. & ſeqq.* probavi, Acatholicos ligari legibus omnibus, ſtatuentibus impedimenta Matrimonii dirimentia; nec enim ſuppetit cauſa excipiendi ex illa generali doctrina legem de impedimento ob abſentiam Parochi.

466 Quòd ſi velis cum Tannero, atque Dicaſtillo dicere, quando heterodoxi habent idem commune templum cum orthodoxis, eſſe quidem *phyſicè* unam unicam Parochiam, *moraliter* autem, & juris fictione duplicem, ſcilicet veram, & falſam, in hac autem pſeudo-parochia non cenſeri promulgatum Decretum Tridentini, licèt ſit revera publicatum in vera Parochia; dicam hanc explicationem adverſari verbis, & menti Congregationis.

467 Confirmo meam ſententiam reſponſo vetuſtiſſimæ, celeberrimæ Facultatis Theologicæ Viennenſis in Auſtria, quod ea dedit ad quæſtionem ipſi propoſitam die 18. Maii Ann. 1655. ab Excelſo Regimine Auſtriæ, his verbis: *An Concilium Tridentinum etiam Acatholicos Auſtriacos in cauſis matrimonialibus ita obliget, ut, ſi extra Auſtriam, ſine proprii Parochi conſenſu, in Hungaria copulentur, pro veris, & legitimis conjugibus taliter copulati non ſint habendi?*

Ad hanc quæſtionem priuſquam reſponde- 468
ret illa inclyta Facultas, ſuppoſuit, & aſſeruit expreſſè, Acatholicos degentes, in Auſtria, ubi Decretum Tridentini ubique promulgatum eſt, omnes obligari illo, ac deinde hanc inter cæteras dedit reſolutionem: *Si ejuſmodi Acatholici in fraudem Decreti Tridentini, eo fine, ut ſine proprii Parochi præſentia Matrimonium contrahant, ad illas Hungariæ partes, ubi Decretum non ligat, proficiſcantur, eorum Matrimonium ita contractum eſt irritum.* Ergo ex ſenſu, atque conſenſu tam præſtantium Doctorum in materia *practica*, & in ordine ad praxin conſultorum, connubia Acatholicorum ſine præſentia proprii, verique Parochi (non intruſi) ſunt eo modo irrita, quo Catholicorum. Porrò exemplar totius reſponſi deſcriptum ex ipſomet Regiſtro Facultatis Theologicæ ad me menſe Majo Anni 1664. miſit ejuſdem Facultatis collega meritiſſimus.

Sed objicies: Buſenbaum *cit. dub. 2.* ex com- 469
muni ſenſu Doctorum ſic ſcribit: *Non requiritur, ut, qui Matrimonio aſſiſtit, à parte rei verè ſit Parochus, ſed ſufficit, ſi habeat titulum ſaltem coloratum, ita ut communi errore habeatur Parochus, nec ſit intruſus abſque omni titulo.* Atqui prædicantes habent titulum coloratum, & communi errore habentur pro veris Parochis. Ergo ſufficit illorum aſſiſtentia.

Reſp. Illam doctrinam intelligendam de 470
errore *facti*, non autem *juris*. Sicut enim ignorantia *facti*, non *juris* excuſat, ut definit Regula *13. in 6.* ita nec ullum jus tribuit; laborant autem juris ignorantiâ, & quidem craſſiſſimâ illi Lutherani, Calviniani &c. qui inter Catholicos viventes habent ſuos Miniſtros pro legitimis.

Nihilominus tamen judicium tantorum vi- 471
rorum excuſabit omnes, qui ſequentur conſulendo, judicando, agendo contrarium, ſicuti utique agere debent Parochi, Confeſſariique locorum, in quibus fuit hactenus notoriè, & conſtanter tolerata à Magiſtratu Eccleſiaſtico Catholico praxis ſententiæ Tannerianæ, prout toleratur in noſtra vicina Turgoja; nec enim jubentur (ſi nil aliud obſtet) confirmare priorem contractum Matrimonialem, qui è Turgoia conjugatis redeunt ad Ovile Petri.

APPENDICULA VERRICELLANA.

AT quid ſi *Catholica cum hæretico contraxiſſet coram Prædicante in Parochia communi Catholicis & Zwinglianis?* Reſpondeo, Verricelli *De Apoſtol. Miſſion. Titul. 12. q. 174. ſect. 4. n. 13.* diceret, Matrimonium fuiſſe nullum, ſiquidem ibidem in terminis tradit, ſi unus

conjux ſit hæreticus, alter Catholicus, non ſubſiſtere Matrimonium, abſque Parocho (vero) contractum, eſto concederetur (quod tamen ipſe concedere non vult) valiturum Matrimonium, quod ille hæreticus iniret abſque Parocho, & idcirco iniret, quòd non haberet proprium Parochum. Ubi etiam *num. 15.* ſubdit: *Quamvis aliqui doceant, vagum non habere Parochum, tamen ſi contrahat cum aliqua habente Parochum, invalidè contrahit abſque iſto.*

472 IV. His adde tria, quæ ſolus P. Leſſius exhibet *in Auctario ad 1. 2. verb. Hæreticorum cum Catholicis converſatio Caſ. 24. 25. & 26. Primum*, illos Catholicos, qui à ſuis Magiſtratibus Acatholicis, ut v. g. in Hollandia, compelluntur contrahere coram Miniſtro hæretico, peccare, ſi pareant huic mandato, licèt habeant intentionem poſtea contrahendi coram legitimo Sacerdote; nam & videtur eſſe hæc quædam profeſſio ſectæ hæreticæ, videtur enim Miniſter adhiberi tanquam perſona ſacra, & ſi habeant intentionem conſummandi, antequam à legitimo Sacerdote copulentur, conſentiunt planè in fornicationem. *Secundum.*

473 Adhibetur autem ut perſona ſacra, quando adhibetur ut Miniſter Eccleſiæ, ſeu ad quandam cæremoniam Religioſam e g. ad benedictionem nuptiarum, ad orandum ſuper conjuges; & tunc neque ob periculum mulctæ, aut infamiæ licet contrahere coram illo, ſive poſt, ſive ante copulationem factam à vero Parocho; ſecùs, ſi Miniſter adhibeatur ob cauſam politicam, nempe ut legitimæ perſonæ conjungantur, & impediantur nuptiæ illegitimæ, & ut hortetur ad Matrimonii fidem, eſto coram illo pronuntianda eſſent verba Matrimonii, & concio habenda ab illo, vel aliquæ preces recitandæ, modò nulla interna, vel externa veneratio, & reverentia habeatur illius concioni, vel orationi; qualem hæretici habere ſolent. Ratio eſt, quia tunc adhibere Miniſtrum non cenſetur cæremonia Religioſa, ſed quoddam pertinens ad politiam externam. Unde etiam apud Ethnicos poſſent incolæ Chriſtiani ſic conjungi, ſi ſimilis lex, vel conſuetudo eſſet, ut nullum Matrimonium poſſet fieri, niſi coram ſacerdote Idolorum. *Tertium.* Non licet quidem ordinariè Catholicis honorare ſuâ præſentiâ convivium nuptiale hæreticorum, eò quòd eorum Matrimonia ſint nulla, ſed duntaxat conjunctiones fornicariæ, ut jam retuli paulò ſuperiùs; quia tamen adire tale convivium alium uſum habet, nempe ad ſervandam amicitiam, ad paſcendum corpus &c. ideo non videri per ſe malum, modo conjunctis non gratulentur de conjunctione, & munera non dentur in ſignum gratulationis. Hæc Leſſius *loc. cit. Caſ. 26.*

474 Porrò ex iis, quæ hic Doctor tradit. *cit. Caſ. 25.* reſolvi, quam ſcripto propoſuerat quidam Theologiæ Profeſſor, hanc

Quæſtionem Suevicam.

Quid cenſet R. V. de nuptiis in hiſce partibus? ſi ſponſorum alter ſit hæreticus, & priùs quidem privatim coram 2. aut 3. Teſtibus copulentur Parocho Catholico, & deinde in vicino pago publicè coram præcone, ut in gratiam Acatholici ſponſi quidpiam concedatur, ne cognatio nimis ſit invita, ſi ſponſus alias in conditiones Catholicis proficuas conſenſit.

Reſolvi autem verbis P. Leſſii *loc. cit.* ubi pro titulo illius Caſûs *vigeſimi quinti* legitur hoc interrogatorium: *Utrùm is, qui antè legitimè junctus eſt coram Catholico Sacerdote, poſſit denuo jungi coram miniſtro hæretico?* Ad hoc interrogatorium reſpondet, non poſſe, *ſi miniſter adhibeatur ad quandam cæremoniam religioſam*; poſſe, *ſi ob cauſam politicam.* Poſtquam autem verbis, quæ ſuprà deſcripſi, explicavit, quid intelligat per haſce duas phraſes, ſtatuit hoc finale reſponſum: *Poſtea lectâ formulâ, quæ in Provinciis hæreticis* (Belgii) *ſervatur, adverti, Miniſtrum adhiberi, ut Miniſtrum Eccleſiæ, & dare firmitatem Matrimonio, & orare ſuper conjuges, & populum hæreticum habendum pro Eccleſia Chriſti &c. Unde juxta priorem partem reſponſionis cenſeo, non eſſe licitum.* Ita Leſſius; ita ego.

V. Si Parochia, in qua aliquando Decretum Tridentini fuit obſervatum, proprio Parocho, & Epiſcopo careat, nulluſque illic ſit, qui ejus vices ſuppleat, Matrimonium valet abſque præſentia Parochi, ſervatâ tamen, in quibus poteſt, formâ Concilii, nempe adhibitis duobus Teſtibus. Idem eſt, ſi Parochus, & Epiſcopus metu hæreticorum lateat, ita ut verè ignoretur, ubi ſit, vel eorum metu abſit à Diœceſi, & ad neutrum ſit tutus acceſſus, adhibitis tamen, ut dictum eſt, duobus Teſtibus. Ita reſpondit Congregatio Cardinalium verbis, quæ referunt Diana, & Tamburinus ſuprà *n. 464.* nominati. Conſentit Chapeaville *De modo miniſtr. Sacram. temp. peſtis. cap. ult. q. 15. abſolutè* cum & ex Cardinale Bellarmino docens, in locis, ubi non ſunt ulli Parochi, poſſe contrahi ſine Parocho, eſto fuerit illic promulgatum Decretum Tridentini; P. Leſſius tamen *in Auctario verb. Matrimonium Caſ. XVII. abſolutè* negat, valere Matrimonium, quod etiam Catholici contrahunt in Hollandia, & Zelandia ſine Parocho, eò quòd licèt nullum habeant, attamen poſſint vel petere diſpenſationem à Pontifice, vel invenire, qui ab Ordinario habeat poteſtatem aſſiſtendi: Cui generatim conſentit Diana *loc. cit* caſu, quo poſſunt ſine gravi periculo accedere, à quo conjungantur; ſecùs generatim, ſi non ſine gravi periculo; vel ignoretur, ubi ſit Parochus, citátque Diana pro ſe multos, ſed non omnes loquuntur tam laxè. Joan. Caramuel *in Theol.* 475

Præter-

Digitized by Google

Præterint. num.205. non ſubſcribit, niſi quando nequit haberi ſine periculo mortis.

476 VI. Illud Decretum, ubi eſt publicatum, ita obligat, ut ne quidem in extremo agone, vel intentato mortis metu poſſit *validè* contrahi ſine Parocho, & Teſtibus, extra caſus paulò antè indicatos. Leſſius *cit. verb. Præſcriptio. Caſu 1.* Unde ſi moribundus velit in uxorem eam, quam imprægnavit, ducere ea ſola de cauſa, ut & proles concepta ſit legitima, & conſervetur honor prægnantis, nequeat autem advenire Parochus, vel alius habens ab eo poteſtatem, *invalidè* contrahet ille moribundus. Fusè Barboſa *De Parocho Part. 2. c. 21. num. 81.* & Tamburinus *cit. Lib. 8. Tract. 6. cap. 2. num. 1.* poſt Sanchez, Palaum, alios communiter, contrarium vocantibus probabile Veracrucio, Capuâ, Vegâ apud P. Palaum. *De ſponſal. Diſp. 2. p. 13. §. 8. num. 9.* Ratio reſponſionis noſtræ eſt, quia & verba Concilii ſunt valde clara, univerſaliáque, & inhabilitas ad contrahendum inducta per legem non tollitur ob metum cujuſquam mali, inquit P. Leſſius *loc. cit. Sed loco Parochi adhibebuntur tantò plures Teſtes?* Reſpondet P. Tamburinus, fore fuſtra, quia lex requirit Parochum, vel alium ab eo deputatum, ut liquet ex verbis ſuprà deſcriptis. *Quid ſi autem diſpenſet Epiſcopus?* Fruſtra etiam erit diſpenſatio, teſte Palao *loc. cit.*

477 Vide, ſi placet, P. Amicum apud Dianam *Part. 10. Tract. 13. Reſ. 15.* latè defendentem, poſſe ſine Parocho contrahi tunc ſingulariter à concubinario moribundo, quando, niſi per Matrimonium legitimetur proles priùs ſuſcepta in concubinatu, ditio concubinarii devolvetur ad hæreticos. Item poſſe clandeſtinè contrahi, quando quis minatur tibi mortem, niſi contrahas, & mox conſummes. Negat Perez relatus ſuprà *Caſ. XII. num. 257.* Ego cum Diana remitto deciſionem utriuſque caſûs judicio habentium jus definiendi, at verò pronuntio, feciſſe perinde, ac ſi abſque omni Parocho contraherent,

Illos milites,

In quos ſtativa habentes in caſtro Italico cùm incidiſſet Religioſus Parochus cujuſdam loci in Germania, rogatúſque, ut eorum aliquot paria copularet, abſente videlicet proprio Parocho, & alibi habitante, ad quem excurrendi nec licentiam habebant, neque commodum erat accerſere, copulavit illos, exceptis etiam eorum Confeſſionibus, non ignarus juris, id ſub cenſura vetantis, quia tamen putabat, id in hac neceſſitate non obſtare, bonâ fide proceſſit, nunc autem ſcrupulo urgente (ſcribit vir gravis exquirens meum hac ſuper re judicium 9. Decemb. 1666.) *quærit: an incurrerit ſuſpenſionem, & poſtea poſt celebrationem, & hujuſmodi parochialia etiam Irregularitatem, & etiam an his teneatur, poſtquam ab aliquo ex Religioſis mendicantibus habente poteſtatem, ſub conditione fuit abſolutus, & diſpenſatus?*

Ita ille, ex cujus narratione ſequitur inprimis, illa Matrimonia planè fuiſſe æque nulla, ac ſi nullus interfuiſſet ſacerdos, ſiquidem nec eſt ratio cogitandi, proprium Parochum habuiſſe ratas illas copulationes, & licèt habuiſſet ratas, quia tamen nullo ſigno externo prodidit, ſe *tacitè* conſentire in eam conjunctionem, idcirco nullo pacto adfuit ea *tacita* licentia, ſeu ratihabitio de præſenti, quam exigi, demonſtrabo *in ſequenti Tract. Caſ. XIV.* copioſè. Sequitur deinde, confeſſiones, quas excepit, fuiſſe invalidas, ſi vel Religioſus ille non erat præditus aliâ poteſtate, quàm conceſſâ ratione beneficii Parochialis, ſiti in Germania, hæc enim non ſe extendit, niſi ad parochianos, aut in Parochia vagos (peregrinos, aut viatores. Suprà *Tract. 7. Caſ. III. num. 82. & 83.*) vel excepit in Epiſcopatu, in quo non admittuntur ad id miniſterium, niſi approbati ab Epiſcopo loci, ſicuti in omni ferè Italia. Poſtremò incurrit utique, *per ſe loquendo*, ſuſpenſionem, & deinde Irregularitatem, atque quia bona fides excuſavit à peccato mortali, conſequenter & à cenſura, & ſimul ab Irregularitate fundata in cenſura. Et eſto, reipſa incurriſſet utrumque, valuiſſet tamen abſolutio à cenſura, quam impertiit Religioſus Ordinis Mendicantis, ut liquet ex eorum Privilegiis, & indicavi *in Alphab. Confeſſar. Caſ. XX. num. 461.* Ubi inſuper retuli *num. 641.* ex Soto, Irregularitates ex delicto ortas (excipe ſingulariter ortas ex homicidio) tolli poſſe per Religioſos Mendicantes, idcirco probabiliter valuit diſpenſatio, quam impertiit Confeſſarius Mendicans, eſto ponamus, fuiſſe verè contractam illam Irregularitatem. 478

VII. Si contingat, ut ſponſus ſpectet ad Parochiam, in qua eſt promulgatum Decretum Tridentini, ſponſa verò ad illam, in qua non eſt publicatum, nec receptum, Matrimonium, quod in Parochia ſponſæ inibitur ſine Parocho, valebit: non valebit, ſi ineatur in Parochia ſponſi ſine Parocho. Ratio eſt, quia contractus quoad valorem pendent à legibus loci, in quo fiunt: *cap. fin. De foro compet.* 479

VIII. Tametſi fuit olim probabiliſſimum, valere Matrimonia, quæ in locis liberis à Decreto Tridentini Concilii contrahebantur à ſponſis, ſpectantibus ad Parochiam ſubjectam illi Decreto, ad loca autem non ſubjecta profectis eâ ſolâ intentione, ut illic ſine ullo Parocho contraherent, peractóque contractu mox domum remearent: in primis tamen certum eſt, quòd tales peccaverint contra antiquos Canones, vetantes illa clandeſtina connubia, etenim *Eccleſia ſemper deteſtata eſt* talia 480

Matrimonia, ut loquitur Tridentinum *cit. cap. 1. De Reform. Matrim.*

481 Deinde Cardin. de Lugo *Reſponſ. Moral. Lib. 1. dub. 36.* deſcribit Authenticum Breve Vrbani VIII. Anno 1627. datum ad Archiepiſcopum Colonienſem, quo confirmat, & ubique obſervari præcipit reſponſum. Sacræ Congregationis, reſcribentis ad eundem Archiepiſcopum: *Non eſſe legitimum Matrimonium ſic contrahentium cum fraude*, id eſt, *quando incolæ tam maſculi, quàm fœminæ loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto Matrimonii eſt promulgatum, retinentes idem domicilium ſe transferunt* (ad locum, ubi non eſt promulgatum) *ſolo animo ſine Parocho, & Teſtibus Matrimonium contrahendi, habitationem non mutantes.* Propter quæ verba ſcribit idem Cardinalis, non audere ſe probare ſententiam Sanchezii *Lib. 3. Diſp. 28.* atque aliorum graviſſimorum Scriptorum, qui valorem tribuerunt Matrimoniis illis, de quibus hîc loquimur. Propter hoc ipſum Breve Vrbani diſſentit à Sanchezio Thomas Tambur. *cit. Lib. 8. Tract. 6. cap. 2. §. 2.* diſſentit quoque Facultas Theologica Viennenſis in Reſponſo, de quo *num. 467.* Diſſentio & ego, quia non habeo ullam probabilem rationem negandi, quin illud Breve revera emanaverit ab Vrbano VIII. quandoquidem teſtatur de Lugo, ſe accepiſſe exemplum ex autographo illius Brevis. Si multis abhinc Annis habuiſſem copiam hujus Brevis, non docuiſſem in ſcholis, quod docui Anno 1637. & aliàs cum P. Sanchez. An verò ſint ſeparandi, qui contraxerunt juxta ſententiam Sanchezii, videbimus *ſect. ſeq. num. 521.* certè Diana *Part. 11. Tract. 3. Reſol. 34.* adhuc defendit ſententiam Sanchezii.

482 Sed & quidam præclarus Theologiæ Profeſſor lectis, quæ hîc reſolvi, mihi ſcripſit

Hoc factum Conſiſtorii Ratiſbonenſis.

Fuiſſe, inquam, paulò antè approbatum Matrimonium, quod duo Catholici contraxerant coram Miniſtro hæretico, in loco, ubi nunquam fuerat promulgatum Tridentinum Decretum, & ad quem ſe contulerant. Quamvis autem ipſe meritò non probet hoc factum, exiſtimat tamen, in iis locis, in quibus non eſt publicata Declaratio Pontificia, quam retuli ex Cardinale de Lugo, doctrinam Sanchezii habentis pro ratis hujuſmodi connubia, retinere eandem practicam probabilitatem, quam antea obtinebant, eò quòd tales Declarationes æque, atque ipſæ leges Pontificiæ indigeant publicatione.

Et verò fateor, eas æquè debere publicari, atque ipſas Leges, nihilominus tamen aſſentior Ochagaviæ, & Cotonio, quos *in Alphab. Sacrif. Caſ. XVII. num. 604.* retuli negantes, requiri ſolennem in ſingulis Provinciis, ſeu Diœceſibus publicationem, ſed ſufficere qualemcunque publicam notitiam, modò ſit certa. Suprà *num. 352.* Quod à fortiori dicet Tannerus, dum relatus ſuprà *Caſ. I. num. 68.* generatim docet de Legibus Pontificiis, ſufficere ad earum obligationem, ſi publicè practicentur à Doctoribus, niſi fortè Pontifex decernat pro aliqua peculiari Lege aliquam aliam promulgationem. Et verò, quia communiter Canoniſtæ, ac Theologi, qui hoc ſæculo adſerunt pro, aut contra aliquas Declarationes, relinquunt eis ſuum robur, ſi nihil aliud obſit, quàm ſolennis promulgatio earum in ſingulis Diœceſibus, videtur, non poſſe rationabiliter illam poſci. Fateor, me non meminiſſe legere, qui poſtulet, quare non auderem in particulari caſu, de quo eſt inpræſentiarum ſermo, aſſerere valorem talis Matrimonii, poſito quòd ea Declaratio ſit non quidem ſolenniter promulgata in illa Diœceſi, ſed tamen innotuerit ſufficienter per Theologos, Concionatores &c. quod quia videtur negare ille Theologus, idcirco habebit adhuc in ea Diœceſi probabilitatem, excuſabilitatémque, quam habuit ante Vrbanum opinio ſat communis de valore Matrimonii inter deditâ operâ conferentes ſe ad loca, in quibus non eſt receptũ Decretum Tridentini de clandeſtinitate.

IX. Alia ratio eſt ancillarum, militum, 483
præſidiariorum, itémque ſtudioſorum Academicorum, ſeu Gymnaſiſtarum decernentium, ut ſit, per majorem Anni partem commorari in loco libero à Decreto Tridentini, cum enim ſubſint Parocho talis loci in aliorum Sacramentorum perceptione, ſuberunt (niſi maline ſe conferre in patriam) & in hujus, ſicuti & ſummè miſerandi Chriſtiani, qui hoc bello Turcico abducti ſunt (ad trecenta millia ſcribunt aliqui) in barbaram ſervitutem, *licitè* (ſi nil aliud obſtet, quàm abſentia Parochi) ducent uxores in media Turcia, vel Tartaria, ſine Parocho, non tamen ſine Teſtibus, ſi habere queant. Idem dic de mercatoribus ibidem morantibus diu. Vide Dianam *Part. 6. Tract. 7. Reſol.* 484
30. & Part. 12. Tract. 3. Reſol. 34. ubi etiam diſſentit à Baſilio Pontio ſcribente, ſi tranſeas per aliquem pagum, vel oppidum, ut faciunt viatores, poſſe te copulari matrimonialiter à Parocho loci. Pontio conſentit Facultas Theologica Viennenſis, quæ in reſponſo, de quo ſuprà, ſic pronuntiat: *Illi iidem* (Acatholici habentes domicilium, ubi viget Decretum Tridentinum) *validè contrahunt Matrimonium clandeſtinum, ubi non eſt receptum Tridentinum Decretum, ſi deveniant caſu, aut per modum tranſeuntis, ſed non ex induſtria, ut contrahant ſine proprio Parocho. Ita ſentiunt DD. communiſſimè, quia verior eſt ſententia, peregrinos, & iter facientes teneri conſuetudinibus loci, per quem tranſeunt.* Ita loquuntur illi DD. quibus

quoad

Digitized by Google

quoad hanc ſpecialem materiam favet apertè Tannerus *Tom.4. Diſp.8. quæſt.3. dub.3. num.12. verſ. At qui.* Equidem cenſeo, doctrinam ſeu affirmativam, ſeu negativam de viatoribus generatim, eſſe huc quoque applicandam, niſi obſtet hîc peculiariter uſus. Vide apud Barboſam *in Trident. ſeſſ 24. cap.1. De Reform. Matr. num. 12* Declarationem Congregationis pro ſententia Pontii.

485 Porrò licèt plures *abſolutè* ſcribant, Decretum Tridentini non eſſe in Gallia promulgatum, idque ſit verum, loquendo de ſæculo ſuperiore, teſtatur tamen P. Leſſius *in Auctario in 1. 2. Verb. Sponſalia Caſ. V.* ex D. de Val, fuiſſe hujus ſæculi Anno ſecundo promulgatum illic juſſu Regis, receptúmque.

APPENDIX HISTORICA.

a AT ignoro, quo pacto hæc aſſeveratio Valii conſentiat cum iis, quæ accuratiſſimus, ſtudioſiſſimúſque hujus ipſius argumenti tractator Cardinalis Pallavicinus *Part. 3. Hiſtoria Concil. Trident. Lib.24. cap.10.* memoriæ prodidit, ibi enim teſtatur quidem, *decreta doctrinæ adorata illic* (in Regno Galliæ) *fuiſſe tanquam ſacroſancta ab univerſis Catholicis, deinde quamquam diſciplinæ decreta in difficultatem offenderunt, propterea, quòd aliqui ex Concilio*) id eſt reverſi ex Concilio Tridentino) *& ex ſenatu ea quaſi detrimentoſa privilegiis Regis, & Eccleſiæ Gallicanæ depinxerint, attamen Epiſcopi illa in ſynodis Provincialibus pro virili ſunt imitati, & ipſe Henric. IV. jurejurando ſpopondit Clementi VIII. omnem à ſe operam navatum iri, ut Concilium ſuis in regnis integre ſuſciperetur.* Et paulò pòſt: *Compertum eſt, quam inflammato ſtudio hanc acceptionem promoverit in publicis Galliæ Conventibus Cardinalis Peronenſis, & Cardinalis Richelius &c.* Hi certè duo Cardinales floruerunt, multis Annis poſt ſceleratam necem Henrici IV. non ergo video, quo pacto dici poſſit, fuiſſe hujus ſæculi Anno ſecundo juſſu ejuſdem Regis publicatum, receptúmque in Gallia tota Concilium.

b Hæc cùm ſcripſiſſem, nactus Brunonem Chaſſaing *De privil. Regul.* reperio, ab eo *in Tract. 1. cap. 1. propoſ. 11.* ex inſtituto probari, illud ipſum Concilium quoad nova morum decreta repugnantia moribus Galliæ, ut repugnat annullatio Matrimoniorum clandeſtinorum, non ſolùm non fuiſſe unquam receptum in toto Regno, ſed ne quidem in parte ulla regni. Non in toto, *ſiquidem Anno 1614. tribus Regni ordinibus Eccleſiaſticorum, Nobilium, & Tertii ſtatûs, congregatis in comitiis generalibus, poſt multas hinc inde diſceptationes, & propoſitiones quoad promulgationem, & receptionem dicti Concilii, res infecta cum plurimorum juſto dolore remanſit.* Ita Chaſſaing ſcriptor Gallus, ſubdens & quotidie ferri in ſupremo Regis conſilio ſententias contra Concilii Trident. Decreta, & Anno 1616. fuiſſe à Ludovico XIII. ejúſque matre Regina in ſuo Concilio approbatum, quem repræſento, articulum: *Quod geſtum fuit à Clero ſuper promulgatione Concilii Trident. non fuit a Rege approbatum, nec ex eo quidquam ſecutum eſt, nec ipſe Rex quidquam impoſterum circa illud fieri ſinet, aut contra autoritatem ſuam.*

c Ita Chaſſaing, ideo defendens ejuſmodi factum, quòd moribus Regum Galliæ à Carolo Magno, ad hæc uſque tempora ſit receptum, ut nullæ Pontificiæ leges, tangentes univerſum Regnum vel promulgari, vel obligare poſſint, niſi diploma Pontificis munitum ſigillo Pontificis approbetur à Rege, quo non approbante, nequeat quemquam obligare, cùm receptio legis univerſalis ſit invalida, ſi non ſit facta etiam à Magiſtratu ſæculari. Ita Chaſſaing, qui ſi hanc doctrinam extendat etiam *practicè* ad Matrimonia clandeſtina, intendens negare, Concilium eſſe in Gallia hac quoque ætate receptum, contradicunt ipſi alii Viri Galli, iique doctiſſimi, uſu peritiſſimi. à quibus ſcio aſſeri, Tridentinum (ut ex ipſa Urbe Roma fio certior) ubique paſſim in Galliæ Regno quoad hoc ita eſſe receptum, ut ea habeantur pro irritis.

d Alterum, ſcilicet de particularibus Regni Provinciis, aut Diœceſibus inde probat, idem Chaſſaing, quòd ad earum nullam ſpectet, recipere legem contra jus regni, niſi ſpeciali, expreſſo, & irrevocabili Pontificis mandato. Hæc ille. teſtans etiam Duallium *in 2. 2. S. Thomæ Tract. De diſcipl. Eccleſiaſt.* quem edidit Anno 1636. id ipſum ſcribere de non ſecuta hactenus receptione, quæ quia ſcio pluribus non eſſe fundamentaliter nota, volui huc tranſcribere, fungens officio ſolius relatoris.

Quibus addo. fore, ut non abſque motu, quà conſolationis, quà admirationis abitura ſit ſemihorula, ſi quam fortè lector impenderit legendis iis, quæ idem Cardinalis Pallavicinus memoriæ prodidit tum *cit. Lib. 24. cap. 9. & 10.* de receptione Concilii facta à Regibus Luſitaniæ Sebaſtiano, & Hiſpaniæ Philippo II. tum *cap. 13.* de inſigni artificio, quo Sigiſmundus Poloniæ Rex laudatiſſimus effecit, ut (nequidquam obnitente ipſomet Gneſnenſi Archiepiſcopo Regni Primate, hæreticis addicto) totus ſenatus Polonicus conſenſerit in receptionem, tum *Lib.22. cap.4 & 8.* itémque *Lib. 23. cap. 5. num. 8.* de propè incredibili permultorum, è doctiſſimis, piiſſimis Patribus Tridenti congregatis, fervore in conatu perſuadendi, nec *licitè*, nec *validè* poſſe à Concilio, aut Pontifice irritari Matrimonia clandeſtina, quem tamen fervorem poſtea, ut par erat, moderati ceſſerunt in vota ſaniùs ſentientium.

X. Parochus habet jus aſſiſtendi. etſi nec ſit 485
Sacerdos. Congregatio Cardinalium apud Dianam *Part.11 Tract.3. Reſol.32.* nec ullo Ordine ſacro, ſeu Majore inſignitus. Tannerus

Tom. 4.

Digitized by Google

Tom. 4. Diſp. 8. quæſt. 3. num. 175. Barboſa *De Paroch. n. 60.* cum plurimis contra alios, nam Concilium loquitur *abſolutè* de Parocho. Nomine verò Parochi intelligitur 1. verus Parochus proprii domicilii *habitationis*, adeòque uterque illorum duorum domiciliorum, in quibus habitas per æqualem Anni partem. Sanchez, & Lugo referendi infrà *num. 508.* non autem Parochus *Originis*, nam hoc domicilium ſolum nihil huc facit. Barboſa *num. 36.* Dicaſtillo *Diſp. 3. num. 41.* poſt P. Perez *Diſp. 40. ſect. 2.* Intelligitur 2. Parochus loci, in quo velut peregrinus habitas, vel incipis habitare cum intentione illic morandi per majorem Anni partem. P. Sanchez *Lib. 3. Diſp. 13.* cum plurimis contra P. Henriquez *Lib. 11. cap. 3. n. 3.* Rodriquez, alios apud Barboſam *De poteſt. Epiſc. allegat. 33. num. 59.* Sic enim, ut alia argumenta omittam, declaravit Congregatio Cardinal. Trident. Concil. teſtante eodem

487 Barboſa *ibid. num. 63.* contra ſeipſum. Intelligitur 3. Parochus loci, ſeu per quem tranſis, ſeu in quo ſubſiſtis uno, alteróve die juxta Pontium, & alios relatos *num. 484 & 485.* Intelligitur. 4. Non verus quidem Parochus, ſed qui errore communi habetur pro tali. Palaus *cit. punct. 13. §. 1.* tum Vicarius Generalis Epiſcopi. Palaus *loc. cit.* cum Sanchez & aliis contra Sotum, & alios, tum Parochi, Parochiæve Vicarius, non autem Vicarius Foraneus, ſeu, ut hîc vocamus, Commiſſarius certi alicujus diſtrictûs. Diana *cit. Part. 12. Tract. 3. Reſ. 35.* Vicarius, inquam, Parochi, aut Parochiæ, vel temporalis, & ad nutum amovibilis. Diana *loc. cit.* cum Sanchez *Lib. 3. Diſp. 31.* contra Baſilium Pontium, poteſtque Parochus alii delegare ſuas vices, ſed non niſi Sacerdoti. Tannerus *loc. cit.* ita enim exprimit ipſa Synodus Tridentina. Cenſetur verò Parochus, aut Vicarius etiam ad nutum amovibilis, ut notat Diana *cit. Reſol. 32.* dare licentiam, quando generatim dicit alicui Sacerdoti: *Do tibi licentiam adminiſtrandi omnia Sacramenta in mea Parochia.* Congreg. Cardin. apud Gallemart. *in cit. cap. 1.* Trident. *n. 12.* & Palaus *cit. punct. 13. §. 12.* poſt Pontium contra Hurtadum, & Coninck, *abſolutè* negantes, at ſatis commodè diſtinguente Dianâ *cit. Reſol. 32.* ut opinio Palai ſit vera, in abſentia Parochi, falſa in præſentia, ſeu quando non eſt aliò profectus.

488 Sufficere *tacitam* licentiam, quæ fit per tolerantiam Parochi videntis, & non prohibentis, cùm poſſet, negant Menochius, Henriquez, Barboſa, Tannerus *num. 120.* alii apud Palaum aſſerentem cum Sanchez, & aliis, ſubdentem tamen cum communi, non ſufficere licentiam ſub ratihabitione de futuro. Vide latè Dicaſtillo *cit. Diſp. 3. dub. 14.* Interim obſerva, Congregationem Tridentini Concilii cenſuiſſe, *tacitam* illam licentiam, quæ videlicet reſultat ex tolerantia Parochi, haud ſufficere, ſed exigi commiſſionem generalem adminiſtrandi omnia Sacramenta, vel *ſi hæc* non adſit, ſpecialem, & expreſſam. Ita teſtatur Fagnanus *in cap. Quod nobis. De ſponſ. impub. num. 22.* Porrò quidnam requiratur ad id, ut revera adſit *tacita* licentia, aperiam reſolutione Caſûs omnino ſingularis *in Tractatu ſequenti num. 549.* & multis *ſeqq.* ubi etiam adfero cauſam, ob quam diſcuſſi eo loco illum Caſum, quæ cauſa etſi non ſubſiſtat reſpectu hujus *quartæ*, ſeu veriùs *quintæ* Editionis, quia tamen haud potuiſſem nunc tranſferre huc dicta illic, ſine numerorum marginalium permoleſta mutatione, idcirco reliqui omnia in illa ſpecie. Multum lucis adferent ibi dicendis ea, quæ diſtinctè *in Alphab. Confeſſar. Caſ. III. num. 88. & ſeqq.* tradidi.

Licèt verò Conſtitutiones Synodales Con- 489
ſtantienſes *Part. 1. tit. 16. n. 3.* præciſè vetent, ne ſine licentia Parochi, Epiſcopi, aut hujus Vicarii quiſquam aſſiſtat, ſcio tamen mulctari, qui aſſiſtunt ex ſola *præſumpta* licentia de præſenti, ita ut Illuſtriſſimi Conſtantienſes velint practicari doctrinam Menochii, requirentis licentiam *expreſſam.* Sufficere eam, quæ eſt per vim, aut metum extorta, tradunt Diana, Palaus, alii *ll. cc.* ſicuti & ſufficit extorta per dolum, verſantem circa cauſam ſolùm impulſivam, ut ſi dicas tuo Parocho: *Meus Dynaſta rogat te, mihi des licentiam contrahendi coram ſuo Capellano.* Huic exemplo ſimile defendit latè contra Texedam Diana *Part. 9. Tr. 8. Reſ. 20.* & P. Perez *Diſp. 41. ſect. 6.* alii communiter: niſi fortè, quod rarò fit, Parochus velit, ut ſua licentia unicè pendeat à precibus, ſeu petitione illius Dynaſtæ.

Quòd ſi per tabellarium petiſti à Parocho, 490
aut Vicario Generali licentiam aſſiſtendi, *validè* illâ uteris, ut primùm fuerit conceſſa, eſto nondum intellexeris, eſſe conceſſam, ſecundùm P. Sanch. *cit. Lib. 3. Diſp. 37.* Barboſam *loc. cit. num. 75.* Coninck *Diſp. 27. dub. 3.* Palaum *cit. p. 13.* non valebit juxta Pontium, Perez *Diſp. 41. ſect. 2.* ac Dianam *Reſ. 32.* quibus aſſentitur Barboſa caſu, quo Parochus ſponte conceſſit. Dicenti autem ſe habere licentiam contrahendi coram alieno Parocho, aut Sacerdote, non eſt fides habenda, niſi conſtet, eſſe valde timoratæ conſcientiæ. Sanchez *cit. Diſp. 37.* Diana *loc. cit.* Barboſa *num. 76.* & alii, addente Barb. *n. 77.* non valere Matrimonium, cui aſſiſtis, mentiens te habere facultatem, & obſervante Cardinale de Lugo *in Reſponſ. Moral. Lib. 1. dub. 35.* licentiam, quam Parochus alicui Sacerdoti dedit ad aſſiſtendum certo cuidam Matrimonio, expirare ſtatim poſt mortem ejuſdem Parochi cognitam, non autem, ſi aut ignoretur, aut fuit licentia generalis data ad aſſiſtendum cuivis Matrimonio. Vide etiam P. Sanch. *Lib. 3. Diſp. 22. num. 55.* & *ſeqq.* & interea nota deciſionem, quam, teſte Fagnano *cap. Quod nobis. De clandeſt. Deſponſat. n. 55.* dedit ſacra Congregatio ad ſequentem ſatis rarum

Caſum

Digitized by Google

Caſum Ariminenſem:

Cum Epiſcopus Ariminenſis, inquit Fagnanus, *propoſuiſſet Congregationi, an ſit nullum Matrimonium, cui intervenerat ſacerdos juſſu Epiſcopi ex deceptione opinantis, Sacerdotem illum eſſe Parochum contrahentium, cùm tamen non eſſet, reſpondit, eſſe validum, eò quòd Concilium voluit ſufficere, ut Matrimonium fieret coram Sacerdote de licentia Epiſcopi, etiamſi talis ſacerdos non eſſet proprius Parochus, nec requiſivit Concilium, qua intentione, quóve modo Epiſcopus daret talem licentiam, ſed ſatis habuit, ut daret licentiam Sacerdoti, non Parocho.*

Ita Fagnanus, non referens, id factum ex conſenſu Epiſcopi, hic quippe conſenſus nequaquam eſt, *per ſe loquendo*, neceſſarius, cùm jus aſſiſtendi competat Parocho ex diſpoſitione Concil. Trident. & ita quidem, ut, etiamſi aſſiſtat prohibitus legitimè ab Epiſcopo, valeat tamen aſſiſtentia. Infrà *num. 491.* ergo factum fuit ex mandato Epiſcopi, fortè idcirco, quòd Parochus nollet ob cauſas Epiſcopo non probatas fungi officio aſſiſtentis. Cujus occaſione moneo, abſque dubio mortaliter delinquere Parochum, quando denegat aſſiſtentiam, ſi debito modo & loco velint ſponſi manus jungere, tenetur enim ratione officii aſſiſtere. Barboſa *De offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 32. num. 115.* ideóque compelli poteſt ab Epiſcopo. Barboſa *ibid.*

491 XI. Aſſiſtit autem ſufficienter inprimis, licèt ipſe non intelligat loquentes, modò hi per fidelem interpretem declarent præſenti Parocho, ac Teſtibus ſuam voluntatem. Fusè Diana *Part. 10. Tract. 13. Reſ. 17.* poſt Hurtadum, Perez, atque alios, contra Pontium, atque alios, nam interpres eſt utique æquè ſufficiens, ac procurator. Rurſum aſſiſtit ſufficienter, etiamſi vi, aut dolo adductus ſit ad locum contractûs, ut fuit is, de quo ſuprà *num. 451.* Barboſa *De Parocho Part. 2. cap. 21. num. 47.* Diana *Part. 11. Tractat. 3. Reſol. 32.* cum aliis, item etſi planè invitus interſit, Barboſa, & Diana cum aliis communiter, & quidem ita invitus, ut claudat aures, & oculos, ne quidquam audiat, videátve. Barboſa & Diana citans etiam Leandrum: Congregatio enim reſolvit quidem, non valere, ſi non intellexit Parochus, addit tamen exceptionem: Niſi Parochus affectâſſet non intelligere, *& meritò*, inquit apud Dian. Pontius, *nam hoc ipſo, quòd affectet non intelligere, admonitus priùs, velle Matrimonium contrahere eos, qui adſunt, ignorare non poteſt conſenſum contrahentium, atque adeò Teſtis eſſe poteſt apud Eccleſiam. Huic tam apertiſſima deciſioni frigidè reſpondet Sanch.* (Lib. 3. Diſp. 39.) *horum verborum ſenſum eſſe: Niſi Parochus conſultò, & datâ operâ fingat, ſe non intelligere, cùm tamen revera intellexiſſet.* Ita Pontius more ſuo & calidè, & callidè (nam ſine vero fundamento) frigiditatis inſimulans Patrem Sanch. Dico: *ſine vero fundamento*, eſt enim apertè alienum à vero, quòd Parochus hoc ipſo, quòd affectet non intelligere in iis circumſtantiis ſolis, quas ponit Pontius, non poſſit ignorare conſenſum ſponſorum, adeóque quòd Teſtis eſſe poſſit apud Eccleſiam, etſi enim verum eſt, Parochum tunc non poſſe ignorare, quin ſponſi habuerint (*præſumptivè*) verum mutuum conſenſum tunc, cùm ipſe fuit monitus, eſſe paratos ad jamjam manifeſtandum illum coram ipſo, tanquam Teſte primario, nullo tamen modo ſequitur neceſſariò, quòd, quando actu ipſo, & *realiter* proferebant verba enuntiativa conſenſûs, dicebántque: *Te accipio in meam.* Et: *Te viciſſim accipio in meum.* Parochus claudens aures, & affectans non audire, ſeu deditâ operâ conans impedire perceptionem verborum, nihilominus tamen audierit tunc, ſeu perceperit. Si tunc non percepit, quomodo erit Teſtis de auditu? quomodo idoneus? Teſtabitur quidem ille: *Scio, quòd dixerint, velle ſe jamjam contrahere juxta normam Trident. Concil. adeóque ſe velle, audiente me, atque intelligente, proferre verba contractum matrimonialem de præſenti ſignificantia, utrùm autem reapſe profati ſint, aut expectarint, donec rurſum aperirem oculos, & aures, teſtari non valeo magis, quàm cæcus de colore rè ipſâ appicto, quem cæcus audierat, eſſe mox appingendum, illinendum, re quippe verâ veriſſimâ ſeu ob aures occluſas, ſeu ob vehementem animi in alia diſtractionem voluntariam ignoro, ſintne locuti Græcè, an Hebraicè*, at hoc teſtimonium non eſt huc ſufficiens, ſiquidem & repugnat Lex *Coram Titio.* referenda *ſeq. num. 492.* & Teſtis argumentans, ſeu judicans nihil probat. Alexand. *Conſil. 50. num. 12. Lib. 5.* talis autem Parochus debet neceſſariò argumentari, & judicare, igitur nihil probat, ergo nequit fungi officio Teſtis, ergo nec Parochi. Hoc, puto, ſi perpendiſſet Pontius, diſſimulâſſet ſuam frigidam impugnationem, qua proinde inſuper habitâ, dico, etſi affectans non audire in circumſtantiis à Pontio expreſſis perſæpe ſatis audiat, præſumptionem tamen, quòd reipſa perceperit percipienda, non eſſe tam firmam, quin judex Eccleſiaſticus poſſit, & debeat fidem habere tali Parocho juranti, ſe planè non intellexiſſe, quæ dixerunt, niſi fortè Stentoreâ ſint uſi voce.

Dico inſuper, mihi non probari reſolutionem Fagnani *in cap. Quòd nobis. De clandeſt. Deſponſ. num. 54.* quam dat hiſce verbis: *Si duo contrahant coram Parocho, & Teſtibus per verba de præſenti, non tamen Parochus ſit tunc formaliter adhibitus, dum forſan conjugii* (an convivii? certè typus Romanus, ſicut & Colonienſis Fagnani habet: conjugii) *vel confabulationis* 492

bulationis cauſâ, vel aliud tractandi adeſſet, audivit hujuſmodi contractum fieri, & poſtea alter contrahentium velit ab hujuſmodi contractu ratione hujus defectûs reſilire, Sacra Congregatio cenſuit, poſſe, niſi alia intervenerint, quæ Parochum à contrahentibus adhibitum fuiſſe arguunt. Ita Fagnanus, ſiquidem poteſt meritò dubitari de ea ſententia ſacræ Congregationis, etenim ex Diana *Part. 10. Tract. 13. Reſol. 16.* & Boſſio apud ipſum, plus non colligo, quàm quòd Congregatio exigat contractum ita celebrari coram Parocho, ut appareat à contrahentibus ea de cauſa adhibitus fuiſſe. Atqui poteſt apparere, fuiſſe adhibitum ea de cauſa, etiamſi tempore convivii, aut confabulationis, aut etiam tranſitûs dicant eo præter omnem ſuam exſpectationem audiente, hæc verba: *Domine Paroche, en! ſerio accipio jam hanc fœminam in meam uxorem: Hunc virum in meum maritum.* Facit huc aperte Lex *Coram Titio. ff. De verb. ſignif.* ubi dicitur: *Coram Titio aliquid facere juſſus non videtur, eo præſente, feciſſe, niſi is intelligat.* Tergit I. C. Florentinus: *ſcire autem, non etiam velle is debet &c.* Quare ego cum Diana, & Barboſa *cit. cap. 21. De Parocho n. 50. & in Trident. ſeſſ. 24. De Reform. cap. 1. num. 77.* aliiſque plurimis, quos hi duo referunt contra Pontium, atque alios, arbitror, nullam aliam formalem adhibitionem Parochi exigi, quàm ut contrahatur coram eo ſufficienter cognoſcente, quid agatur, ſeu dicatur, ut magis declarabo tribus eventis infrà *num. 506. & 538.* ac declaratur Caſu noſtri Sigeberti, de quo *n. 451.* Adhæc aſſiſtet *validè*, licèt aut nihil planè loquatur, aut Epiſcopus ipſi interdixerit juſta ex cauſa, quia nequit reſtringere poteſtatem jure communi conceſſam Parocho. Sanch. *Lib. 3. Diſp. 32 n. 2.* ſicut & *validè* aſſiſtet Delegatus à Parocho, licèt Epiſcopus vel tali vicario inhibuerit aſſiſtentiam. Congregatio Cardinal. apud Gallemart. *in cit. cap. 1. Trident. num. 10.* vel Parocho prohibuerit delegationem generatim, aut reſpectu certi generis perſonarum. Sanchez *loc. cit.* Dicaſtillo *Diſputat. 3. numero 103.* niſi fortè vetuerit per Decretum irritativum actûs. Diana *loc. cit.* Vide Perez *Diſp. 41. ſect. 4.* Sicut & tam delegans, quàm delegatus aſſiſtunt validè, licèt, ſint excommunicati, ſuſpenſive. Tannerus *loc. citat.* Dicaſtillo *loc. cit. dub. 10.* & alii apud hunc, contra alios, etenim hæ cenſuræ non privant jure vel aſſiſtendi, vel dandi (ut contra Dicaſtillum *loc. cit. num. 7.* & alios rectiùs ſentit Sanchez *Lib. 3. Diſp. 21.* Perez & alii) licentiam ad aſſiſtendum, quandoquidem aſſiſtentia eſt valde imperfectus actus juriſdictionis, ſi tamen actus. Sanchez *loc. cit.* Unde nec obeſt, etſi ſit privatus adminiſtratione Sacramentorum, quia aſſiſtentia eſt impropriiſſimè adminiſtratio Sacramenti. Sanchez *ibidem.* Et probabiliter tantùm venialiter peccat, *per ſe loquendo*, aſſiſtens, licèt non proferat illa verba: *Ego vos in Matrimonium conjungo.* Tanner. *n. 117.* poſt Sanchez contra Rebellum, & alios.

Quæ dixi de Parochi aſſiſtentia tunc etiam valida, quando eſt ipſi vetita ab Epiſcopo, confirmat hic nudius quartus diſceptatus

Caſus varia involuens.

Soſthenes clandeſtinè contraxit per verba de præſenti, in loco, ubi receptum eſt Tridentinum, cum Syncletica quæ mox pœnitudine ducta celebravit cum ſimplicio ſponſalia, at Soſthenes factâ primâ denuntiatione opponit ſe, defertur lis ad Epiſcopum, ſeu ejus officialem, qui cùm juberent procedi nihilominus ad alteram denuntiationem, provocat Simplicius ad ſuperius tribunal, quâ tamen appellatione non attenta, ſed repulſa, mandatur Parocho, ut conjungat utrumque matrimonialiter. Facta copulatione affertur ſententia judicis ad quem, pronuntiantis, fuiſſe rectè appellatum, malè judicatum, atque idcirco mandantis, ut Syncletica nubat Simplicio. Valde fuit dubitatum. 1. An Soſthenes jure depopoſcerit ſibi Syncleticam in conjugem? 2. An jure appellârit? 3. An durante appellatione potuerit validè contrahi illud ſecundum Matrimonium, quandoquidem judex, ad quem inhibuit copulationem? a

Nonnulli viri docti, quibus hic minimè fictus Caſus propoſitus fuit, judicârunt, illud Matrimonium fuiſſe quidem validum, attamen illicitum, eò quòd durante appellatione fuerit contractum. Alii licitum, eò quòd meritò nihil fuerit delatum appellationi. Alii nec licitum, nec validum, eò quòd Superior judex inhibuerit, ne parochus aſſiſteret. Hoc ultimum judicium ſpectat quidem ſolùm ad hunc locum, nihilominus tamen, quia fui interrogatus ego, quid de hiſce tribus, aut quatuor punctis ſentirem, & revera intereſt etiam parochorum, quibus quandoque proponuntur talia dubia, nôſſe, quid ſeu certò, ſeu probabiliter de iis pronuntiari poſſit, dicam, quid de ſingulis mihi videatur. b

I. Probabile eſt ex illo Matrimonio clandeſtino non fuiſſe ortam obligationem ſponſalitiam. P. Sanchez *Lib. 1. De Matrim. Diſp. 2.* Barboſa *in citatum textum Tridentini Concilii*, & plurimi alii apud hunc contra alios, etiam multos, & magnos. Ratio illorum eſt, quia & concilium diſertè tollit ejuſmodi clandeſtinè contrahentibus omnem habilitatem, conſequenter omnem obligationem, & ita deteſtatur ea Synodus talem copulationem, ut planè videatur nolle ipſi quidquam adeſſe virium c

II. Conſequenter malè ut ſic, egit Soſthenes, quòd & voluerit impedire ſecundum Matrimo- d

trimo-

trimonium, & appellaverit à ſententia contra
ipſum lata, Ratio eſt, quia appellatio inven-
ta eſt, non ut ſit iniquitatis defenſio, ſed inno-
centiæ præſidium, ut ſapienter notavit Gloſſa
in cap. Cùm appellationibus 5. De appellat. in 6.
verb. deferendum.

e III. At verò abſolutè, & per ſe loquendo
potuit legitimè appellare Soſthenes ſeu pro-
vocare ad ſuperiorem judicem. Ratio eſt, tum
quia *Tractat. ſeq. num 386.* cum aliis contra P.
Sanchez oſtendemus, Matrimonium Soſtenis,
etſi clandeſtinum, habuiſſe vim ſponſalium,
tum quia leges tam civiles, ut nominatim Lex
2. Cod. De litigioſ. quàm Canonicæ *toto Tit. De*
appellation. in 5. & 6. abſolutè dant locum ap-
pellantibus, gravatis ſententia inferioris judi-
cis, excipiendo ſolùm frivolas appellationes,
ut loquitur Clemens V. *cit. cap. 5. Cùm appella-*
tion. frivola autem appellatio eſt, quæ ſine le-
gitima cauſa interponitur, Barboſ. *in cit. cap.*
Cùm appellationibus, ſeu quando appellat is, qui
non eſt injuſtè gravatus P. Ernricus Pirching.
Lib. 2. Decretal. Tit. 28. ſeu *De appellat. num.*
66. qui, inquam, non manifeſtè injuſtè grava-
tus, ſi enim prudenti ratione ductus provoca-
vit, non dicetur appellare ſine legitima cau-
ſa, ergo nec frivolè. Tunc autem adeſt legiti-
ma cauſa, quando jus & obſcurum, atque
utrinque ſtant graves viri, gravéſque rationes,
ſicut probat praxis omnium tribunalium ſu-
periorum, quæ illos ſolos appellantes conde-
mnant in expenſas, quos habent pro temere li-
tigantibus, non litigat autem temere, qui ni-
titur prudente ratione, ſiquidem is ſolus eſt
temerarius litigator, qui contemnit leges Bar-
boſ. *in Opuſculo dictione. 405.* ſubſcribens Ca-
jetano *in 2. 2. S. Thom. quæſt. 13 art. 3.*

f IV. Hac doctrina ſtante non potuit judex
à quo repellere appellationem, & conſequen-
ter non potuit mandare Parocho, ut aſſiſteret
ſecundo Matrimonio, conſtat enim *ex cap. Ve-*
nientes 19. & cap. Dilectis 55. De appellation.
autoritatem judicis inferioris ſuſpendi per ap-
pellationem legitimam, & quidem ſine alia
inhibitione, P. Pirhing. *loc. cit. num. 218.* poſt
Gloſſ. Abbatem, Marantam & alios.

g V. Nihilominus tamen Parochus validè ad-
ſtitit tali Matrimonio, eſto ſupponamus fuiſſe
ipſi à judice ad quem, legitimè vetitum, ne
aſſiſteret. P. Sanchez *Lib. 3. De Matrim. Diſp.*
27. num. 4. adferens hanc optimam rationem,
quòd aſſiſtentia non ſit in rigore actus juriſ-
dictionis, appellatio autem per ſe loquendo
ſuſpendat ſolos actus juriſdictionis concer-
nentes cauſam in qua eſt appellatio. Vide
hanc in rem caſum relatum ſuprà *num. 19.*

h VI. Addo tamen, quandoquidem notant
Doctores, eſſe penes judicem A QUO pronun-
tiare, utrùm omnibus expenſis videatur eſſe
deferendum appellationi nec ne? Eam ob rem
à me non abſolute damnari judicem noſtri So-
ſtenis.

XII. Quando ſponſus, & ſponſa ſpectant 493
ad duas diverſas Parochias, poterunt contra-
here in utralibet. Sanchez *loc. cit. Diſp. 19.* Di-
caſtillo *num. 52* ex communi, & Declaratione
Cardinalium. Et ita quidem, ut ſi Parochus
aſſiſtat in Parochia ſponſæ abſque facultate
Parochi loci, valeat quidem actus. Barboſa
De Parocho Part. 2. cap. 21. num. 45. cum plu-
rimis, itémque Proſper Fagnanus *in cap. Quod*
nobis. De ſponſ. impub. num. 33. referens Decla-
rationem ipſiuſmet Pontificis, qua revocaba-
tur alia Declaratio facta in contrarium, at ex
Decreto B. Pii V. apud Tannerum *num. 116.* ſit
puniendus, ſicut & eſt puniendus, ſi uterque
ſit ſuus Parochianus, copulet autem in aliena
Parochia. P. Tannerus *loc. cit. num. 120.* cum
P. Henriquez contra P. Sanchez *Diſp. 19. num.*
18. adeò, ut & ſuſpenſionem incurrat juxta
Tannerum, & efficiat, ut Matrimonium non
valeat juxta Navarrum, nimis ſanè rigidum
cum Salzedo, & Pontio apud Dicaſtillum *num.*
55. meritò mitiorem, cum Sanchez, Perez, Lay-
manno, Rodriquez, Henriquez, Barboſa *De*
Paroch. loc. cit. num. 65. al is. Illud certum, 494
quòd, qui alienos parochianos conjungit ſine
vera licentia Parochi, ſit tamdiu ſuſpenſus ab
officio Parochiali, donec abſolvatur ab Epiſco-
po Parochi, cujus invaſit jus, nam ita decerni-
tur in Tridentino *ſeſſ. 24 cap. 1. De Reformat.*
Matr. niſi bona fides illum excuſet, aut igno-
rantia etiam craſſa. Perez *Diſp. 42. ſect. 5.* Eſt &
illud certum, quod notavit Fagnanus *cit cap.*
Quod nobis. num. 37. quando Parochus ſuos
parochianos copulat in aliena Parochia de li-
centia Parochi loci, non dici conjungere no-
mine hujus Parochi, ſed verè proprio, ſicut
quando Epiſcopus ſuas functiones obit in alie-
na Diœceſi erga ſuoſmet Diœceſanos, illis im-
pertiendo e. g. Sacramenta Confirmationis,
& Ordinis, dicitur rectè hæc facere jure pro-
prio.

XIII. Parochus illicitè intereſt Matrimo- 495
nio vagorum, niſi poſt inquiſitionem eos co-
gnitos habeat, licentiámque obtineat àb Ordi-
nario. Trident. Concil. *cit. ſeſſ. 24. cap. 1. De*
Reform. Matrim. quod etiam ſtatuunt Conſti-
tutiones Synodales hujus Diœceſis Conſtan-
tienſ. *cit. tit. 16. num. 13.* addente Clemente X.
in Inſtruct. repræſentanda ad finem hujus Ope-
ris §. *16.* eſſe priùs petendam *fidem*, ſeu teſti-
monium Ordinariorum ipſorum. Intelligun-
tur autem nomine *Vagorum* illi, qui non ha-
bent ullam certam ſedem, aut domicilium, in
quo habitent, eſto ſuperſit adhuc vicus, vel
pagus, ubi nati, educati ſunt: Secùs ſi in una,
eadémque terra per octo Annos habitârunt.
Congregatio Concilii teſte Gallemart. *in Tri-*
dentinum Capite 7. De Reformat. Matrimonii.
At vero Vagis annumerat Leſſius *in Auctario*
verb. Matrimonium Caſu 13. milites, qui qui-
dem ſunt in aliquo præſidio, ſed tamen pen-
dent à nutu ducis emittentis, vel evocantis ad

aliud præſidium, vel ad exercitum. Sicut & Dicaſtillo *num.52.* poſt Sanchez *Diſp.19.& 23.* rectè vagis annumerat illos, quorum alteru-
496 ter eſt vagus. Horum, aliorúmque vagorum Matrimonio poteſt, cum cautela paulò antè indicata intereſſe vel quilibet Parochus cujuſque loci, in quo hoſpitantur, ut fatentur omnes, vel etiam quilibet alius Parochus juxta Sanchez *num.23.* Layman. *Lib.5. Tract.6. cap. 10. num.7.* Baſilium Pontium, & alios apud Dicaſtillum *num. 132.* diſſentientem cum Perez, & Coninck *Diſp.27. num.20.* dicente: Vagi debent contrahere coram Parocho loci, *in quo pro tempore hoſpitantur*, atque *numero 131.* annumerantem vagis illos, qui habitantes in urbe conſtante pluribus Parochiis, jam morantur intra fines unius, jam intra alterius, addentem *num.133.* ſi vel Lege, vel Conſuetudine ſit alicubi determinatus Parochus pro vagis, coram hoc ſolo poſſe *validè* contrahere. Ergo ex ſententia Sanchezii D. Parochus ad S. Stephani Conſtantiæ aſſiſtet *validè* Matrimonio vagi, morantis intra fines Parochiæ S. Pauli ejuſdem urbis, at non *validè* juxta Coninck. Spectanda tamen conſuetudo recepta, Laym. *ibid.*

APPENDICULA MILITARIS.

Parochus A. copulavit militem B. cum puella C. ſua Parochiana, idque fecit inſcio Capellano cohortis, ad quam ſpectabat Miles B. qui quidem Capellanus obtinebat juriſdictionem Parochialem in illum Militem. Quæſitum fuit literis ex Domino D. poſtea ex me, an validè, *an* licitè *id factum? Ratio dubitandi poterat peti ex eo, quòd nunc primùm retulerim ex P. Dicaſtillo, ſi pro vagis conſtitutus ſit proprius Parochus, coram hoc ſolo contrahi* validè; *atqui ex una parte milites caſtra ſequentes annumerantur vagis. Suprà* num.495. *ex altera Capellanus Caſtrenſis conſtitutus eſt pro omnibus Sacramentis adminiſtrandis militibus, & conſequenter pro copulatione.*

Nihilominus tamen reſpondi, Parochum A. *validè* aſtitiſſe, etenim eſt generalis doctrina, quòd quando ſponſi ſpectant ad duas diverſas Parochias, poſſint pro lubitu eligere alterutrum ex Parochis. Suprà *num.483.* Quare doctrina Patris Dicaſtillo de vagorum Matrimonio neceſſariò contrahendo coram eorum proprio Parocho, intelligenda eſt in caſu, quo uterque eſt vagus, non in quo alter non eſt vagus, ſed habet proprium Parochum, etenim jura juribus ſunt concordanda. Equidem ſi Capellanus ille adſtitiſſet tali Matrimonio, fuiſſet hoc habitum pro legitimo, ergo & pro legitimo id, quod & quatenus ſuâ præſentiâ firmavit Parochus A. quia de ſimilibus ſimile eſt judicium.

Nec ſolùm *validè*, ſed etiam *licitè per ſe loquendo* id officii præſtitit Parochus A. utebatur enim jure ſuo.

XIV. Quando quis habet duo domicilia, 497
prout habere poſſe, tradidi *in Alphab. Ordin. & Extrem. Unction. num. 292.* poteſt contrahere coram Parocho alterutrius domicilii. Licèt verò Princeps cenſeatur eſſe civis omnium urbium, omnium pagorum ſui Principatûs, non tamen *validè* ducet conjugem in quovis ejuſmodi loco. Lugo *in Reſponſ. Moral. Lib.1. dub.37.* ſed ſolùm coram illo, qui eſt Parochus palatii, in quo ordinariè reſidet. Lugo *ibid.* Vide infrà *num.508.*

XV. Parochus, habens in ſua Parochia ali- 498
quos hæreticos, *licitè* aſſiſtit eorum Matrimoniis, judice Laymanno *cap.4. illicitè*, niſi ſpecialis cauſa excuſet, arbitro Tannero *cit. Diſp. 8. quæſt.4. num.93.* eò quòd hæretici ſacrilegè ſuſcipiant hoc Sacramentum. Sed quia nimis difficile eſt, negare his poteſtatem contrahendi, vel eos adigere, ut accedant Prædicantem carentem juriſdictione in illos, ideo ſententia prior reducenda erit in praxin.

XVI. Quanquam Tannerus *cit. quæſt. 3.* te- 499
ſtatur, eſſe à Congregatione Concilii Trident. declaratum, quòd Epiſcopus nequeat prohibere ſuis Parochis, ne aſſiſtant huic Sacramento extra Eccleſiam, attamen Conſtitutiones Synodales hujus Diœceſis *cit. tit. 16. num.11.* ita loquuntur: *Parochi omnes in nullo alio loco, quàm in Eccleſia ipſa ſponſos Matrimonio conjungant: In privatis autem ædibus nunquam, niſi facultate à Nobis, vel à Vicario noſtro in ſcriptis conceſſâ.* Quod etiam in Colonienſi, Panormitanáque Synodis ſtatutum eſſe, teſtatur Diana *Part. 1. Tract. 4. Reſol. 279.* & ego de Mechlinienſi.

XVII. Quando Matrimonio jam celebra- 500
to coram Parocho deprehenditur ſubfuiſſe impedimentum, renovandus quidem communiter eſt ab utraque parte contractus, ut oſtendimus *in Theolog. Juridico-Moral. cap.37. num. 133.* attamen neceſſe non eſt, Parochum intervenire huic renovationi, ſicut obſervavi *ibid. num. 137.* ex Navarro referente Declarationem B. Pii V. & ſtylum Pœnitentiariæ Romanæ, quamvis unus ex admodum Reverendis & Spectabilibus Dominis Decanis hujus Diœceſis, miſerit mihi authenticum documentum, *quo nominabantur Parochus, & Teſtes Matrimonii, renovati cum diſpenſatione Illuſtriſſimi Domini Nuntii Lucernenſis, inter duo paria conjugum, Annis duodecim antè conjunctorum, ignorato impedimento conſanguinitatis in tertio, & quarto gradu,* quod etiam ſentio eſſe ad evitanda incommoda faciendum, quando impedimentum eſt notorium. Vide plura pro noſtra hac reſolutione *Tractat. ſeq. Caſ. XI. num. 415.* & *in Quinario Tract. 5. cap. 37. num.134.*

XVIII. Occur-

501 XVIII. Occurrit quandoque caſus, quo vel Epiſcopus, vel Parochus tenentur ex charitate delegare alteri ſuas vices. Declaro

Exemplo concubinarii reſipiſcentis.

Qui cùm fuiſſet uſque ad ſenectam ita tectè uſus concubinâ, ut ab omnibus haberetur pro vera conjuge, denique, hortatu Sacerdotis è noſtra Societate, adjecit animum ad eam jungendam ſibi Matrimonio. At cùm nollet, quemquam mortalium eſſe conſcium, præter illum ſuum Confeſſarium, fui ab hoc literis conſultus, quid agendum cenſerem?

Reſpondi, eſſe omnibus modis inducendum illum vetulum (qui ab annis plus duodecim cœlum terrâ mutavit) ut pateretur adeſſe duos Teſtes, ſaltem è noſtra Societate, ſine Teſtibus enim Matrimonium certò non ſubſtiturum. De Parocho non eſſe magnam habendam ſolicitudinem, hunc ſiquidem, aut certè Epiſcopum, cognito tanto animæ periculo, facilè permiſſuros, ut ille ipſe Confeſſarius fungeretur officio Parochi, videri autem rectà recurrendum ad Epiſcopum, utpore qui & ſimul poſſet diſpenſare in denuntiationibus. Dictum, factum, diſpenſavit, vicéſque Parochi delegavit Confeſſario, qui adlegit Teſtes non ingratos capulari ſponſo. Profectò cùm ſit Paſtoribus animarum data poteſtas, non in deſtructionem, ſed in ædificationem. *2. Corinth. cap. 13.* ipſéque Epiſcopus ſit ſuorum Diœceſanorum parens juxta S. Clementem *Conſtit. Apoſtolic. cap. 30.* ac velut pupillorum pater S. Baſil. *Epiſt. 6.* peccat autem pater graviter adverſùs pietatem paternam, nolens, cùm facillimè poſſit, ſuccurrere filio conſtituto in periculo graviſſimi mali corporalis, non video, quo pacto excuſari poſſit à peccato mortali Epiſcopus, qui in caſu, quem poſuimus, oſtendit ſe minùs indulgentem, quàm is, de quo hîc ſermo, & quem poſſum dicere fuiſſe nunc D. Antonium Epiſcopum Brixinenſem. Certè ille miſer concubinarius ob publicum officium apprimè honoratus, non tam ex malitia, aut ſuperbia, quàm ex infirmitate ſupplicabat pro gratia illa duplici, conſtitutus in diſcrimine damnationis æternæ, ſi negaretur: ergo negari abſolutè nec potuit, nec debuit.

APPENDIX I.
Ad hunc Caſ. XVIII.

a FEci ſuperiùs mentionem de Matrimoniis initis, renovatis coram miniſtris hæreticis, initis quoque partim ab Acatholicis, partim à Catholicis, in terris hæreticorum, nullus Theologorum, quos tunc, cùm adornarem *primam* editionem, habebam ad manum, tam diſtinctè, & copioſè explicavit illas circumſtantias, atque Petrus Marchantius, poſtmodum à me viſus, cujus liber, quia fortè perveniet ad manus multò pauciorum Parochorum, quàm hicce meus, quemadmodum teſtabuntur ipſi bibliopolæ, non dubitavi, me gratiam initurum à compluribus eorum, ſi fini hujus Sectionis attexerem omnia, quæ circa indicatas circumſtantias exhibet ille Scriptor *in citato Tom. 3. Tribunalis. tit. 7. Quæſt. IV.* ubi ſic ſcribit.

b Advertendum eſt, in Hollandia, quoad ſpiritualia, duplicem velut reperiri Chriſtianam Rempublicam. Alia eſt Pſeudo-Eccleſiæ, quæ eſt hæreticorum, & Synagoga Sathanæ, in qua ritus ſacri, & cæremoniæ tranſierunt vel in politicas ſanctiones, vel in adulterinos ritus. Unde, ut Matrimonia non ſint clandeſtina inter eos, vel contrahuntur coram Magiſtratu, vel coram Miniſtro. Et cùm hæc Reſpublica non tantùm ſit hæretica, ſed etiam ſchiſmatica, non agnoſcens caput Eccleſiæ, & Vicarium Chriſti, fruſtra de legibus Eccleſiæ ab illis ſervandis diſputamus, cùm nec Legiſlatorem agnoſcant, ſed legem, & jugum excuſſerint. Unde ſive ex erronea conſcientia, ſive argumentoſa, ſive etiam diſſimulante, & non urgente Eccleſiâ verâ ſua præcepta, quia inutiliter illa urgeret, tanquam exleges à Lege Eccleſiaſtica habendi ſunt, ideóque nec nobis de illis ſermo.

Alia eſt in illis locis Eccleſia vera, Catholicæ Romanæ membrum, & de Matrimonio Catholicorum potiſſimùm hîc ago, & pono ſequentes concluſiones.

Concluſio I.

c In locis Hollandiæ, Zelandiæ, Friſiæ, & in quibus non conſtat, legem Tridentini fuiſſe legitimè promulgatam, & vi ejuſdem Concilii aliquo notabili tempore, ſaltem unius aut alterius Anni communiter, & paſſim obſervatam, pro non promulgata habendam eſſe.

Concluſio II.

d Sola adhibitio præſentiæ Parochi, etiam multo tempore uſurpata in illis locis, non eſt ſufficiens ſignum promulgatæ Legis Concilii Tridentini. Ratio eſt, quia ante Tridentinum etiam præcepto, & ritu Eccleſiæ præſentia Parochi adhibebatur, & proinde talis uſus in priorem legem, ſive Eccleſiæ præceptum referri poteſt, non autem in vim Concilii, niſi aliunde conſtet.

Concluſio III.

e In dubio, an ſit Concilium Tridentinum promulgatum, & lex de præſentia Parochi ſufficienti uſu confirmata in illis locis, probabiliùs habenda eſt pro non obſervata, in quibus non poteſt probari obſervata.

Concluſio IV.

f Reſtituto tantiſper cœtu fidelium in Hollandia, & Epiſcopis, ac Vicariis Generalibus,

Digitized by Google

„Parochis, & aliis Miniſtris Catholicis reſtitu-
„tis per Hollandiam, maximè veriſimiliter ab
„iis, qui Romanæ Eccleſiæ adhærent, Conci-
„lium Trident. & ejus Leges, & ſpecialiter de
„præſentia Parochi, in Matrimoniis uſu com-
„muni receptæ ſunt, adeóque in locis, ubi de
„communi uſu conſtat, lex de Parochi præſen-
„tia in Matrimoniis, jam obtinuit, nec abſque
„invaliditate Matrimonii (ubi nullum eſt peri-
„culum, aut juſtum Impedimentum) omitti
„poteſt. Ratio eſt, quia, etſi in Territorio quo-
„ad politiam civilem Concilium Tridentinum
„poſſit ſupponi non receptum, quia tamen cœ-
„tus fidelium in politia Eccleſiaſtica Rempubli-
„cam quandam facit, & in eodem Territorio
„politiam Eccleſiaſticam obtinet, legibus ejus
„uſu receptis ſe conformare debet. Suppono au-
„tem, legem de præſentia Parochi à fidelibus,
„velut in Parochias congregatis, ex zelo fidei,
„& reverentia ad Eccleſiam Catholicam Roma-
„nam, & Tridentinũ, ejúſque Leges ſuſceptam,
„ex Vicariorum Generalium in Spiritualibus
„ſolicitudine introductam eſſe, adeóque regu-
„lariter, & communiter, ubi juſtum Impedi-
„mentum non eſt, obſervari debet.

Concluſio V.

g In Hollandia, Zelandia, & terris ſub Stati-
„bus Hollandiæ, & hæreticorum jugo degenti-
„bus, ubi ſine gravi periculo, aut diſpendio,
„gravique incommoditate, Parochi, vel Sacer-
„dotis legitimè delegati præſentia haberi non
„poteſt, licet Catholicis abſque Parochi præ-
„ſentia Matrimonium celebrare, & ſic celebra-
„tum validum eſt, adhiberi tamen debent te-
„ſtes, & alia quæ adhiberi poſſunt.

h Hæc Concluſio mihi clara eſt ex Reſponſio-
„ne ſacræ Congregationis ſuper Concilium Tri-
„dentinum ad Epiſcopum Tricarienſem, *Si ve-*
„*rò*, inquiunt, *Parochia, in qua fuit aliquando*
„*obſervatum Decretum, Parocho careat, & Ca-*
„*thedralis itidem Epiſcopo, & Capitulo habentibus*
„*à Concilio facultatem alium Sacerdotem ad idem*
„*delegandi, nullúſque alius ibi ſit, qui vices Paro-*
„*chi, aut Epiſcopi ſuppleat, Matrimonium valet*
„*abſque præſentia Parochi, ſervatâ tamen in eo,*
„*in quo poteſt, formâ Concilii, nempe adhibitis ſal-*
„*tem duobus Teſtibus. Si verò extent quidem Pa-*
„*rochus, & Epiſcopus, ſed, nullo conſtituto Vica-*
„*rio, uterque metu hæreticorum lateat, nec ad al-*
„*terutrum ſit tutus acceſſus, validum eſt Matri-*
„*monium abſque Parocho, adhibitis tamen duobus*
„*Teſtibus.*

„ Quæres, quid ſi ad evitandum clandeſti-
„num Matrimonium coram Magiſtratu, vel Mi-
„niſtro hæretico, juxta communem & civilem
„Territorii morem contraherent? Reſpondeo,
„cùm in Matrimonio Catholicorum reperiatur
„interdum duplex contractus, alter *Sacramen-*
„*talis*, ſive qui ad Sacramentum Matrimonii
„ſufficiat: alter *civilis*, qui reſpicit communio-
„nem bonorum temporalium, hæreditates, ſuc-
„ceſſiones, dotationes &c.

Ad *Sacramentalem* quidem requiri, ut Leges»
Eccleſiaſticæ ad amuſſim, juxta Eccleſiæ expli-»
cationem, obſerventur, & quidem, ubi Decre-»
tum Concilii Tridentini invaluit, ut coram»
vero Parocho, vel delegato fiat, imò ſemper,»
ut ſaltem ad benedictionem aſſiſtentia Paro-»
chi requiratur, ad quæ nihil Magiſtratus, vel»
Miniſter hæreticus conferre poteſt. Imò coram»
Miniſtro hæretico contrahere vel irreveren-»
tia Sacramento illata deputaretur, vel pericu-»
lum nonnunquam eſſet pravæ interpretatio-»
nis, quaſi Catholici ſic contrahentes hæreticis»
in ſua hæreſi conſentire externo facto vide-»
rentur. Quantum tamen ad contractum *Civi-*»
lem, ut de communione bonorum, legitima-»
tione prolium, ſucceſſionibus, & hæreditati-»
bus, ac dotationibus publicè, & civiliter con-»
ſtaret, ſi ita legibus civilibus conſtitutum eſ-»
ſet, liceret Catholicis coram Magiſtratu, aut»
perſonis Lege conſtitutis contrahere ad affe-»
ctum civilitatis, ita tamen, ut vel priùs, vel»
poſteriùs ad rationem Sacramenti Catholici»
contrahentes catholicè contraherent ante o-»
mnem Matrimonii uſum.

Hæc Petrus Marchantius, cui non ſubſcri-
bo, quatenus tradit nonnulla contraria iis, quæ
ipſe ſtatueram in ſuperioribus.

APPENDIX II.

Ad eundem hunc Caſum.

CONvenit me hoc menſe Octobri vir nobilis,
è longinqua regione negotiorum cauſa huc
profectus, ut ex me cognoſceret, quid judica-
rem de hoc in ea regione

Notorio Caſu.

DAmocles celebravit Matrimonium per verba de præſenti cum Dionyſia, nominè proprio Parocho, ſed coram illo, in cujus Parochia tunc degebat Dionyſia, puella, inquam, carens proprio domicilio, at pro honoraria famula jam in hoc, jam in alio loco vitam agens apud ſanguine, vel affinitate junctos. Damocles pœnitudine ductus deſerit Dionyſiam, à ſe intactam, ducitque aliam, coram proprio Parocho, non tantùm ignaro prioris Matrimonii, ſed ſecuto fidem duorum, qui interrogati, an non eſſet ipſis compertum ullum Impedimentũ, negaverunt, tametſi conſcii prioris illius conjugii. Repetiit jam pridem Dionyſia ſuum Damoclem, at hic detrectat redire ad eam, cauſatus tum multiplicem prolem ſuſceptam è ſecunda uxore, tum invaliditatem prioris conjugii ob defectum partim conſenſûs legitimi, utpote ficti, partim Parochi etiam legitimi, utpote vel nullâ abſolutè, vel nullâ reſpectu copulatorum juriſdictione præditi.

diti. Quærebat igitur ille vir nobilis. 1. Verène valuerit primum conjugium? 2. An, ſi cauſa deferatur ad ſuperiorem judicem (eſt enim jam condemnatus ab inferiore) ſpes ſit abſolutionis? 3. An ſi ſupplicet Sedi Apoſtolicæ pro diremptione prioris Matrimonii Rati, & non conſummati, videatur impetraturus diſſolutionem?

l Reſpondi ego I. Si Damocles ſolùm fictè contraxit, certò defuiſſe valorem priori contractui. Omnes DD. nam Matrimonium ſolo conſenſu contrahitur. *Cap. Cùm locum. De ſponſal. & Matrim.* At verò ſi adfuit conſenſus, valori non obſuit, quòd contractus celebratus ſit in loco illo, in quo neuter habebat domicilium. Etenim liquet ex ſpecie facti, Dionyſiam fuiſſe propriè vagis annumerandam, & ex dictis hoc ipſo *Caſu XVIII. n. 495. & 496.* ubi etiam addidimus, tum quemlibet vagum poſſe copulari à quovis Parocho loci, in quo tunc exiſtit, tum huic privilegio vagorum eſſe locum, etiamſi tantùm alteruter ſit vagus, ergo ſi Sacerdos, qui eos conjunxit, erat præditus vel ordinariâ, vel delegatâ juriſdictione in veros parochianos illius loci, non eſt ambigendum de ſufficiente reſpectu illorum duorum.

m Sed ajebat ille vir nobilis, Parochiam, in qua fuerunt illi duo conjuncti, eſſe incorporatam in ſpiritualibus, & temporalibus Eccleſiæ Collegiatæ, cujus Capitulares ſinguli prætendunt juriſdictionem Parochialem, ita ut nullus præditus ſit majore poteſtate, quàm ſinguli è reliquis, nec habeant Vicarium.

Reſpondi II. Id, quod aſſerebatur de illa prætenſione, eſſe valde alienum à more communi cæterarum per orbem Collegiatarum Eccleſiarum. Etſi enim in quibuſdam earum mos eſt, ut ſinguli è Canonicis poſſint in neceſſitate aliquali excipere confeſſiones omnium ſpectantium ad illam Capitulo incorporatam parochiam, inprimis tamen debent omnes eſſe approbati ab Epiſcopo, etſi quippe ea Parochia ſit incorporata ipſorum Collegiatæ, non tamen ſequitur, ſingulos eſſe verè Parochos, & proinde jure ipſo juxta Tridentinum Concilium approbatos, ſicuti nec ex eo, quòd omnis Epiſcopalis juriſdictio ſit, Sede vacante, penes Capitulum Cathedrale. *cap. His quæ*, & *cap. Cùm olim. De major. & obed.* ſequitur, quòd ſinguli ſint eâ præditi juriſdictione. Deinde quemadmodum unius Eccleſiæ tanquam ſponſæ unicus eſt Epiſcopus *cap. Sicut alterius. 7. quæſt. 1.* ita & unius Parochiæ unicus Parochus; etenim & in apibus princeps unus eſt. *Cap. In apibus. 7. quæſt. 1.* & grues unam ſequuntur ordine literario. S Hieronymus, relatus *in cit. Cap. In apibus.* Vide Barboſam *De Parocho Part. 1. cap. 2. num 44.*

n Quare non perſpicio, quo aut ſenſu, aut jure, valeant ſinguli dicere, ſe pollere juriſdictione Parochiali, ac poſſe ſe titulo Parochiali omnia adminiſtrare Sacramenta, niſi fortè mutent vices, ita ut unus eam poteſtatem exerceat hoc menſe, alius alio, vel tunc ſolùm exerceat, cùm nemo alius adeſt. Quæ ratio diſtribuendi, partiendique *actualem* juriſdictionem, etſi repugnet moribus Eccleſiarum Germanicarum, ſolitarum conſtituere ſaltem Vicarium, quia tamen non eſt contraria juri *Divino*, potuit per decurſum longiſſimi temporis, ſicut & per diſpenſationem Pontificis (per quam poſſunt etiam duo Epiſcopi præfici uni Epiſcopatui, ſinguli in ſolidum juxta Dianam *Part. 12. Tract. 1. Reſol. 73.* atque alios, repugnante fortiter, eruditéque ut ſolet, Theoph. Raynaudo *in Bicipite Eccleſia punct. 3.*) evadere legitima: qua de re cognoſcere pertinet ad Epiſcopum, non ad privatum, diſſitum centum leucis.

APPENDIX III. CATHEDRALIS.

POſſe duos Epiſcopos ex ſententia Dianæ *loc. cit.* Azorii *Part. 2. Lib. 3. cap. 29. quæſt. 13.* & aliorum contra Joan. à Sanctiſſimo Sacram. *De Priore Cauſtrali, Part. 3 num. 333.* & alios, præfici in ſolidum uni Epiſcopatui, imò duos Parochos uni Parochiæ, videtur inde confici, quòd, tametſi Epiſcopus ſit de jure communi, propriè, & immediatè, non quidem ſingularum ſuæ Diœceſis Parochiarum (ſicuti erat olim, quando ante diviſionem Parochiarum Sacerdotes per Epiſcopatum diſperſi fungebantur officio ſolorum coadjutorum, ut reliquos inter notat Barboſa *De jure Eccleſiaſt. Lib. 3. cap. 26. §. 2. num. 4.*) ſed tamen ſuæ Cathedralis Parochus. Barboſa *ibid.* poſt Abbatem *in cap. Cùm contingat. De decim.* & alios, nihilominus pluribus in locis habet Cathedralis ſuum alium Parochum, ut nominatim de Auguſtana teſtatus eſt mihi vir fide perquam dignus, addens, unum è Cathedralibus Canonicis non modò appellari, eſſéque verè Parochum Cathedralem, ſed inſuper habere cooperatorem, ego verò de noſtra Conſtantienſi ſcio jam plus viginti Annorum experientiâ, qua non modò vidi exerceri ab ipſo erga Dominos Canonicos Cathedrales, eorum Capellanos, Æditūos Advocatos Conſiſtoriales, & Procuratores, alioſque mancipatos ſervitiis Epiſcopalibus & Cathedralibus, omnia (præterquam quòd paſchalem Communionem in æde Cathedrali *cumulativè* præbeant vel ipſe Illuſtriſſimus Epiſcopus, vel ejus in Pontificalibus Vicarius Generalis, & cùm deducitur ad ſepulchrum funus Canonici Cathedralis, tum D. Decanus Cathedralis præcedat feretrum,) quæ cæteri Parochi erga ſuos Parochianos, ſed etiam quòd in literis ſuæ inſtitutionis expreſſè nuncupetur Parochus Eccleſiæ Cathedralis. Hæc ſanè inſtantia conciliat probabilitatem opinioni Dianæ, impugnatæ à P. Raynaudo, utramque ita re-

linquo in medio, ut tamen aſſeram, Raynaudianam eſſe conformem juri communi, conſuetudinarióque, Dianæam verò ſtabiliri inſtantiâ fortè nec in Italia, nec in Hiſpania ſeu notâ, ſeu in ſimilem uſum deductâ.

At verò menſe Decembri Anni 1677. D. N. Canonicus Collegiatæ Eccleſiæ Waldkirchenſis in Sylva Hercinia hujuſce Diœceſis, mihi diſertè aſſeveravit, & ſe, & ſingulos è ſuis D. D. Collegis revera pollere illa parochiali poteſtate, de qua hîc ſermo, ac proinde eſſe penes parochianos eligere pro Sacramentis Baptiſmi, Pœnitentiæ &c. cæterorúmque à ſimplici Sacerdote conferibilium, ſeu hunc, ſeu illum Canonicum.

III. Provocatio ad ſuperius tribunal eſt pleniſſima periculoſæ aleæ, in quantum ea nititur allegatione ficti conſenſûs, huic enim allegationi nihil prorſus deferri debet niſi clariſſimis indiciis probetur, ſicuti ex inſtituto videre licebit infrà *Tract. 10. Caſ. XI. num. 430. & ſeqq.* at verò in quantum eadem appellatio fundat ſe in abſentia legitimi Parochi, judicabit de ejus probabilitate is, qui meliùs, quàm ego, perſpecta habet jura illius Eccleſiæ Collegiatæ.

IV. Nulla, vel perexigua ſpes ponenda eſt in benignitate Sedis Apoſtolicæ: Nulla: ſi prior uxor repetat ſuum Damoclem, reſpondebit enim Pontifex: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Matth. 19. ſingulariter cum injuria alterius, *noſtræ enim intentionis non eſt* (nec eſſe debet) *alteri præjudicium generare. text. cap. Super eo. 15. De offic. jud. deleg.* Perexigua, tametſi conſentiat Dionyſia, quia *non eſt dignus, qui Eccleſiæ benignitatem facile experiatur, cujus ſalubria monita* (præcepta) *contempſit.* Trident. Concil. *Seſſ. 24. cap. 5. De Reform. Matrim.* ubi cùm Concilium expreſſè loquatur de contrahentibus cum neglectu ſolennitatum, longè magis adverſatur iis, qui induxêre falſos Teſtes.

Nihilominus tamen, quia & Synodus illa ita temperat ſuam rationem adverbio *facilè* non præcludente omnem omnino ſpem, & nemo debet alterius odio prægravari. *Reg. 22. n. 6.* nec ex alterius malignitate damnum pati. *L. Ex liberis. Cod. De acquir. & retin. poſſeſſ.* præſertim innocens, altera autem uxor Damoclis ſupponitur fuiſſe prorſus ignara prioris conjugii, & inſuper ſolet Mater Eccleſia habere ſingularem rationem educationis filiorum, qui communiſſimè meliùs educantur in conjugio, quàm extra illud: eam ob rem cenſui, non eſſe Damocli deponendam omnem fiduciam impetrandæ diſpenſationis Apoſtolicæ, caſu, quo liceret per Dionyſiam ſupplicare. Et verò, quia negotia, in quibus nihil amittendum timetur, ſed potiùs lucrum ſperatur, audacter tractanda ſunt. Baldus relatus à nobis *Tract. 8. num. 824* videtur omnibus perpenſis conſultum, ut Damocles pulſet fores, quæ hactenus patuêre tot chiliadibus afflictorum reſipiſcentium, & nominatim quibuſdam ſupplicantibus pro diſſolutione Matrimonii Rati.

APPENDIX. IV.

Caſûs doli perrari.

S*Abbatinus Cavallerius, & Blaſius Salvardus ex loco Varingranæ ſuperioris, Diœceſis Bononienſis, aliàs de menſe Martii Anni 1665. ne impediretur Matrimonium inter Dominicam Cavalleriam horum reſpectivè filiam, & cognatam, & Joſephum Clericum ex eodem loco, qui ne dum dictam Dominicam carnaliter cognoverat, ſed illam deflorâſſe præſumebatur, probatâ priùs per ſe ipſos libertate ſtatûs ipſius Dominicæ, & Joſephi Salvardi ex loco Caſelechii ejuſdem Diœceſis, licentiam à Vicario Generali Bononienſi, qui (ut deinde aſſeruit) neque Joſephum Clericum, neque Joſephum Salvardum cognoſcebat, procurârunt, & obtinuerunt, ut Matrimonium contraheretur inter eos Joſephum Salvardum, & Dominicam Cavalleriam, prætermiſſis denuntiationibus, coram parocho Villæ Fontano, qui proprius eorum parochus non erat, ſed ille vigore dictæ licentiæ conjunxit in Matrimonium dictam Dominicam cum præfato Joſepho Clerico, habitâ à prædictis Sabbatino, & Blaſio falſâ atteſtatione, eſſe cum Joſephum Salvardum, his poſitis, & per ipſum Vicarium Generalem, & per partes abundè informantes deductis. Quæritur, an conſtet de nullitate Matrimonii?*

Die nonâ Februarii Anni 1669. ſacra Congregatio Eminentiſſimorum S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Concilii Tridentini cenſuit, conſtare de nullitate.

A Cardinalis Celſus Præfectus

Loco † Signi.

S. Branchaccius Archiepiſcopus Andriopolitanus Secretarius.

In Chriſti Nomine.

A*Nno ab ejuſdem Nativitate milleſimo, ſexcenteſimo, ſexageſimo nono, Indictione ſeptimâ, die verò 27. Auguſti, tempore Pontif. SS. D N. Clementis IX. &c. Noverint univerſi, qualiter ego Notarius infrà ſcriptus, requiſitus pro parte, & ad inſtantiam D. Joſephi à Clerico Bonon. ſumpſi, & fideliter de verbo ad verbum tranſumptavi.*

ſuprà

ſuprà dictum Decretum nullitatis fact. à Sacra Congreg. Eminentiſſimorum Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Concil. Trident. Interpretum, & prout in eodem exemplari, & cum ſuo Originali collationavi, & concordare inveni, ſuper quibus &c. rogatus &c.

Præſentibus DD. Rocco Manzolino, & Antonio Maria Nello Civibus, & Notariis Bononiæ teſtibus &c. Ex notis, & rogitibus meis Joſephi Maria de Lodis civis, & Notarii Apoſtolici, etiam & Imperialis, ac unius ex Actuariis Curiæ Archiepiſcopalis dictæ civitatis de prædictis rogat. In fidem &c.

Bononiæ typis hæredis Victorii Benatii, Impreſſoris Archiepiſcopalis.

r Tranſtuli hæc ad verbum, quod hîc, mi lector vides, ex impreſſo exemplari, in hanc Conſtantienſem Urbem miſſo hoc menſe Majo fluentis Anni 1673. mihi communicato à viro Clariſſimo; ubi cernis, fuiſſe dolo, utique ratiſſimo præſentatum Vicario Parochi ſponſum, qui non abſque teſtibus profitebatur, ſe eſſe Joſephum Salvardum, pro quo impetrata erat diſpenſatio, cùm eſſet Joſephus Clericus, ſeu à Clerico. Cauſam verò, cur Sacra Congregatio tale Matrimonium pronuntiaverit nullum, fuiſſe errorem ac deceptionem. *At cujus? Parochine?* Contra: Error Parochi non vitiat Matrimonium, ſi conſideretur ille, ut præciſè aſſiſtens; etenim verba Tridentini deſcripta ſuprà *num.* 453. non exigunt niſi præſentiam Parochi talem, ut poſſit teſtari, ſe vidente, vel audiente exhibita fuiſſe ab hac, & illa individuis perſonis ſufficientia ſigna conſenſûs matrimonialis de præſenti. Suprà *num.* 491. & 492. Atqui Parochus, qui aſtitit Matrimonio horum duorum, potuit firmiſſimè teſtari, hoſce duos ſe præſente, audiente, protuliſſe verba ſignificantia conſenſum in Matrimonium de præſenti. Et ſi talis error nocet valori Matrimonii, nocebit & in teſtibus, utpote æquè neceſſariis, ac Parochus; hoc autem nemo, reor, unquam cogitavit.

s Sed neque illa deceptio Parochi, quatenus copulantis eos, ſeu proferentis verba in Ritualibus præſcripta, poteſt impedire illum valorem, quandoquidem ejuſmodi copulatio nullo modo eſt de ratione conjugii, ergo recurrendum eſt ad errorem, ſeu deceptionem Vicarij, *At quomodo potuit decipi hic, quandoquidem non noverat ſeu Clericum, ſeu Salvardum?* Et utique intendebat facere gratiam juxta intentionem duorum teſtium, & ſimul ſupplicantium in favorem non Salvardi, ſed Clerici; etenim Princeps, & omnis, cui ſupplicatur pro aliqua gratia, cenſetur ſe accommodare, in reſcripto favorabili, ſubſtantiali intentioni ſupplicantis. Hæc ſanè ratio non eſt explodenda, & confirmatur inde, quia ſi nullus fuiſſet in orbe Salvardus, hoc autem nomine affeciſſent Clericum, non induxiſſent Vicarium in pernicioſiorem ſibi ipſis, ſeu ſuo clienti errorem, quàm ſi nuncupâſſent eum non Joſephum, ſed Abrahamum Clericum, poſito, quòd nullus exſtaret hoc nomine inſignitus, verba enim intentioni, non intentio verbis deſervire debet *Arg. cap. Intelligentia. De verb. ſignif.* & error in nomine non vitiat per ſe reſcriptum. Infrà. *num.* 635.

Hanc ob rem cenſeo, ſi illi duo teſtes inter ſe convenerunt, quòd vellent Joſepho Clerico præciſè, ac eo modo indere nomen Salvardi, ac ſi nullus uſpiam viveret Salvardus, tunc deceptionem illam nihil fuiſſe præjudicaturam Joſepho Clerico, propter cauſam nunc primùm allatam; at verò ſi cogitaverunt apud ſe, poſſe fieri, ut Vicarius haberet aliquam, ſeu claram, ſeu confuſam notitiam Joſephi Salvardi, ac proinde facilè acquieturus eſſet petitioni, ipſorum, vel ſi expreſſè convenerunt inter ſe, quòd vellent ſimulare, ſe velle ſupplicare pro ipſomet Salvardo, cùm eorum intentio ultima ferretur in Clericum, tunc reor, neminem dubitaturum, intentionem Vicarii dirigendam fuiſſe in quempiam Salvardiano ſanguine cretum, adeòque Matrimonium futurum fuiſſe nullum, quandoquidem Parochus, de quo ſuprà, non fuiſſet habiturus facultatem aſſiſtendi contractui cum Clerico, ſed cum Salvardo. Atque exiſtimo, ſacram Congregationem ita fuiſſe interpretatam verba, mentémque teſtium, ac Vicarii. t

Sed fortè quæres I. Quæ ſit diſtinctio inter illa duo, quæ referuntur in ſpecie facti: *Non ſolùm cognoverat, ſed etiam defloràſſe præſumitur.* Reſpondeo, per deflorationem præſumptam intelligi ereptionem præſumptæ, ſeu probabiliter nondum priùs deperditæ virginitatis, nec enim videtur hoc vocabulum hîc aliter accipi poſſe (tametſi Hoſtienſis *in ſumma. De frigid. & malef.* per deflorationem intelligat expreſſè fornicationem etiam cum aliqua jam corrupta. Vide infrà *Tract. ſeq. numero* 200. u

Quæres II. Quod & quæſiit ille ipſe Doctor Juris, qui in mei gratiam procuravit exemplar, de quo ſuprà, *quid videlicet intelligatur per libertatem ſtatûs, de qua loquitur ipſa facti ſpecies?* x

Reſpondi, & reſpondeo, hac, ut puto, formulâ ſatis rarâ in ſenſu, quo explicabimus, apud Juriſconſultos deſignari libertatem à conjugio, ac proinde illos duos viros ſolùm fuiſſe teſtatos, quòd Joſephus ille, & Dominica non ſint in ullo alio Matrimonio (de præſenti, aut futuro) juncti. Hanc interpretationem ſuggerit mihi Inſtructio Clementina, quam deſcripſi in fine *ſequentis Tractatûs*, & in qua fit non ſemel mentio ſtatûs inſinuati.

Quæres III. *Quæ videatur fuiſſe cauſa, ob* y

Dd 4 *quam*

quam duo illi ingenioſiùs, quàm feliciùs cuderunt fabulam deſcriptam?

Reſpondeo, fuiſſe hanc, quòd ſuſpicati ſint, vel etiam animadverterint, eſſe unum aliquem, aut plures, qui deſtinaverant, omni, qua poſſent ratione impedire illud Matrimonium, eam ob rem fuit & confictum cognomen, & omiſſæ denuntiationes, & electus extraordinarius, qui aſſiſteret. Ita ſanè indicant ferè prima verba deſcripti Caſûs.

SECTIO II.

Explicatur neceſſitas, & conditio Teſtium Matrimonialium, reſolvuntúrque varii de Parocho, & Teſtibus Caſus Facti, & non Ficti.

SUMMARIUM.

Quales Teſtes exigantur pro Matrimonio? 502.
Pœna Matrimonii clandeſtini. 503.
Doctrinæ traditâ hac, & præcedente Sectione elucidantur ſeptendecim Caſibus. 504. & ſeqq.
Singulariter reſolutione illius, quem n. 451. produximus. 504.
Deinde Nobilis, qui ad cœnam invitavit vice-Parochum, & coram ignorante priùs rem totam contraxit. 508.
Et Religioſi aſſiſtentis Matrimonio vagorum. 513.
Et Ingolſtadienſis; qui contraxit coram Parocho A. cùm accepiſſet à ſuo Parocho facultatem contrahendi coram Parocho B. 525.
Et fabri ferrarii contrahentis coram Parocho dubio. 531.
Et aliorum migrantium pro copulatione ad locum, ubi non eſt receptum Tridentinum. 535. & ſeqq.
Et duorum obruentium Parochum tempore Sacrificii. 518. & 519.
Et duorum obruentium decumbentem. ibid.

502 DE Teſtibus eſt pro fundamento ſupponendum, exigi quidem illos tantâ neceſſitate, quantâ exigitur præſentia Parochi, ut liquet ex textu Concilii Trident. deſcripto ſuprà *num. 453.* attamen & ſufficere duos, ut etiam exprimit Synodus, & à Synodo non præſcribi ullas peculiares qualitates Teſtium, ſeu nullum genus hominum per Concilium repelli à teſtimonio hîc dicendo. Unde rectiſſimè inferunt Theologi, & Canoniſtæ, omnes illos homines reputandos eſſe idoneos, quos jus naturale non arcet; jus autem naturale neminem arcet à teſtimonio dicendo, niſi illum, de quo eſt vel certum, vel probabile, vel prudens timor, quòd non ſit daturus, ſeu dare non poſſit verum teſtimonium. Unde ulteriùs infertur, admittendos eſſe cognatos, affines, viros, fœminas, Chriſtianos, Paganos, rogatos, non rogatos (ut primùm hodie in contingentia facti reſolvi) ſpontaneos, coactos, non autem ebrios, amentes, infantes, nam de his poſterioribus non poteſt prudenter credi, eſſe dicturos potiùs verum, quàm falſum; de prioribus prudenter præſumitur, dicturos verum, niſi omnino peculiaris dubitandi cauſa ſubſit, ut e. g. quando quis in judicio przjurium commiſit, nec probatur ſe emendâſſe. *cap. Parvuli. 12. q. 5.* etenim quivis præſumitur eſſe bonus, donec probetur eſſe malus. Alciatus *Reg. 3. præſumpt. cap. 2. numer. 7.* aut quando Teſtis, præſertim conſanguineus valde affectat illud conjugium. Lege obvios Scriptores, ſcribentes de neceſſaria aſſiſtentia Parochi, ac Teſtium, nominatim Bonacinam *De Matrimonio quæſt. 3. p. 2.* & communem in materia matrimoniali Magiſtrum P. Thomam Sanchez *Lib. 3. Diſp. 39.* exprimentes, quòd illi Teſtes non debeant eſſe omni exceptione majores, attamen debere eſſe ita præſentes, ut audire poſſint, aut cognoſcere ſigna contractûs matrimonialis, adeóque ſanctè Teſtari, ſe audiviſſe hæc verba, vidiſſe hæc ſigna, exprimentia conſenſum Matrimonii de præſenti, debere quoque ſimul adfuiſſe contractui, non verò unum poſt alterum.

His omnibus addes, Matrimonium celebratum ſine Teſtibus, ac Parocho dici *Clandeſtinum*, 503
quaſi clàm, aut ſecretò, furtivéque factum; de quo quidem quoad pœnas ſic ſtatuit Tridentin. Concil. *cit cap. 1. De reform. Matrim. Sancta Synodus Parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum minore Teſtium numero, & Teſtes, qui ſine Parocho, vel Sacerdote hujuſmodi contractui interfuerint, nec non ipſos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit*: Per cujus pœnæ arbitrariæ ſanctionem tolli ſuſpenſionem triennalem *cap. fin. De cland. deſponſ.* latam in Sacerdotem aſſiſtentem Matrimonio ſine aliis Teſtibus, ſcribit P. Caſpar Hurtad. *Diſputat. 5. diffic. 17.* poſt Sanchez *Lib. 3. Diſput. 48.* contra Barboſam *De poteſt. Epiſc. citat, allegat. 32. num. 162.* & alios. Inſuper in quibuſdam Diœceſibus feriuntur anathemate ipſi contrahentes clandeſtinè. In hac Conſtantienſi, non tamen in Baſileenſi, incurrunt caſum reſervatum. Præterea in Hiſpania privantur hæreditate hi clandeſtini conjuges, quam privationem ſtatutam Lege Civili defendit contra Covarruviam, & alios Dicaſtillo *Diſputat. 3. dub. 21.* Et verò ego *in Theol. Jurid. Moral. cap. 37. n. 9.* poſt Sanch. Tannerum, Palaum ibi relatos obſervo, clandeſtinè contrahentes poſſe puniri etiam à Magiſtratu ſæculari, cùm hoc delictum ſit mixti fori.

Doctrinis utrâque Sectione ſuccinctè indi- 504
catis ſubjiciam varios Caſus illarum declarativos, aut confirmativos.

I. Caſus eſt Sigeberti, de quo ſuprà *n. 451.* rectè quippe reſpondit Marchantius, non potuiſſe *validè* conjungi à Sacerdote, quem ducebat ſecum, ille enim non erat Parochus alterutrius ſponſorum, tenebatur autem Legibus Tridentini tunc, utpote verſans in lo-

Digitized by Google

co, in quo requirebatur præſentia proprii Parochi.

505 *At potuiſſetne Parochus loci conjungere, illos?* Reſp. Potuiſſet, arbitro Pontio; non potuiſſet, judicibus Dianâ, atque aliis, quia erant illi ſponſi ſolùm viatores. Vide ſuprà *numer. 483. 484.*

506 II. Caſus eſt alterius è Diœceſi Ratiſbonenſi Nobilis, *qui cognito, eſſe, potente parente ſuæ ſponſæ, interdictum ab Ordinario, ne quis eos conjungeret, Vicarium ſuæ Parochiæ invitavit ad cœnam, ac poſtmodum ſurgens è menſa dixit ſponſæ?* Nónne accipis me in maritum? *Reſpondente illâ.* Accipio. *ſubdit*: Et ego te in uxorem. *Audit hæc verba, etſi ægerrime, Vicarius, audière & duo alii, priùs ignari futuri hujus contractûs.* Quæſitum ex me, *lite pendente*, fuit, quid ſentirem de hoc Matrimonio? Reſpondi cum communi Barboſæ *cit. cap. 21. n. 50.* contra Bonac. Pontium, & alios, loquentes in ſpecie de Parocho ad prandium vocato, eſſe *validum*, tum quia nil oberat, quòd is eſſet tantùm Vicarius. Suprà *num. 487.* tum quia nihil officiebat, quòd ipſe, & Teſtes non fuerint vocati expreſſè ad hunc actum, aut quòd fuerint inviti. Suprà *num. 502.* & denique prohibitio Epiſcopi, aut Vicarii Generalis non oberat valori aſſiſtentiæ. Suprà *num. 491.* An vero peccârint utentes tali dolo, vide Barboſam. *De Paroch. Part. 2. cap. 21. num. 48.* Repete etiam Caſum ſuprà *num. 19.* deſcriptum. Similem verò huic Caſum referam ex Diana infrà *num. 538.*

507 III. Caſus. *Saturnina Principiſſa conſueverat menſe Majo ſe conferre ad oppidum quoddam ſuæ ditionis; duntaxat æſtûs declinandi causâ, illicque manere quinque menſes, reliquos ſeptem tranſigere in alio loco, ubi reſidebant ejus Officiales, & Curia. Solicitata verò à nonnemine illac, id eſt, per oppidum æſtivum, tranſeunte: contraxit cum eo coram Parocho illius ejuſdem oppidi, at poſtea alius ſe oppoſuit, contendens, Matrimonium non valuiſſe. An jure ſe oppoſuit?*

508 Cardinalis de Lugo *Conſil. Mor. Lib. 1. dub. 37.* referens hunc Caſum reſpondet: *Jure, eò quòd nemo cenſeatur habere duo domicilia habitationis, niſi in eis habitet æqualiter*, non quidem *Mathematicè*, ſed *moraliter*, ut latè declarat Sanch. *Lib. 3. dub. 23.* nequit autem dici, quòd, *moraliter loquendo*, illa Principiſſa æqualiter habitaverit in utroque loco, quandoquidem in uno manebat duobus menſibus plùs, quàm in altero, & quidem in hiberno, ut ita loquar, domicilio habebat ſuam curiam, & celebrabat Paſchalem Communionem, quam circumſtantiam ſolent ponderare DD. Acquieſco huic reſolutioni, quia fundatur *in cap. 2. De ſepul. in 6.* Vide ſuprà *numer. 497. &* Dicaſtillo *dub. 3. num. 48.*

509 IV. Caſus. *D. Nicolaus pluries coram Teſtibus promiſit Luciæ, imò per verba de præſenti aſſeruit, ſe eam in uxorem accipere velle; ipſa itidem reſpondit, ſe eum in virum accipere, poſteàque ſubſecuta eſt inter eos carnalis copula, poſt quam Nicolaus infirmitate correptus Deo cum juramento vovit, illam ſe ducturum in uxorem.*

Quæſitum fuit, an Matrimonium eſſet validum? Sacra Congregatio cenſuit, ſi Caſus iſte contigit poſt triginta dies à die primæ publicationis Decreti Concilii Tridentini, facta in Parochia dictorum Nicolai, & Luciæ, & verbis illis de præſenti prolatis non interfuit proprius Parochus eorundem, certum eſſe, ejuſmodi contractum nullum eſſe ex eodem Decreto.

Ita loquitur, teſtatúrque Proſper Fagnanus 510
in cap. Is, qui fidem. De ſponſal. num. 11. Qua authenticâ reſponſione firmantur doctrinæ traditæ *ſupra*.

V. Caſus. *Samuel Turgojus juvenis Aca-* 511
tholicus vult ducere Suſannam Catholicam, at non conſentientem, niſi ipſe fi… Zwingliano Romano-Catholicus. Abjurat … inglianiſmum, & , quia, ſi contrahat in ſuo pag… edient parentes, cogitat ſe conferre ad vicin… rochum. Satin' providè?

Fui de hoc Caſu conſultus, durante illo 512
propoſito. Partim reſpondi, partim reſpondeo 1. Si in pago alterutrius ſponſi eſt Parochus Catholicus non licebit ſine alterutrius facultate adire alium, licebit autem cum alterutrius. *Suprà num. 493.* 2. Si in neutrius pago eſt Catholicus Parochus, ſicuti non ſunt in iis Pagis Turgoiæ, in quibus non niſi duæ familiæ Catholicæ habitant, oportebit adire illum, à quo vel ſponſus, vel ſponſa accipit Paſchalem Communionem, etenim in Turgoja deſignantur loca Catholica, ubi & baptizari, & Communionem Paſchalem, Confeſſionemque peragere debent tales homines. Quòd ſi alicubi non ſit talis locus deſignatus, tum fortè locum habebit doctrina relata *numer. 475.* quòd ſcilicet poſſit clandeſtinè contrahi ſine Parocho, non tamen ſine Teſtibus. Sed de hoc viderint ii, quorum intereſt.

VI. Caſus. *Franciſcus Religioſus Ordinis N.* 513
aſtitit Matrimonio duorum vagorum ſine licentia Parochi, ubi domicilium conſtituerant ad tempus. Quæritur 1. An incurrerit excommunicationem latam in Clement. De privil? 2. An, ſi incurrit, poſſit eum abſolvere Sacerdos Societatis Jeſu?

Sunt hæc verba formalia, quibus admodùm 514
Rever P. Guardianus N. die 24. Martii 1658. propoſuit ſcripto hoc factum, haſce duas quæſtiones, & quidem alteram idcirco, quòd totus Ordo Seraphicus gaudeat, & meritiſſimò quidem, participatione privilegiorum omnium Ordinum Mendicantium.

Reſp. I. Probabilius eſſe, quòd non incur- 515
rerit illam cenſuram. Ita contra Barboſam *in Trident. Seſſ. 24. cap. 1. De reformat.* Sanchezium, & alios relatos à Bonacina *De cenſur. Diſput. 3. quæſt. 6. p. 5. num. 19.* & Perez *De Ma-*

trim.

Digitized by Google

trim. Diſput. 43. Sect. 5. cenſent iidem cum aliis. Ratio eſt, quia Congregatio Cardinalium, Teſte Gallemart, declaravit, illam cenſuram excommunicationis fuiſſe à Tridentino Concil. *Seſſ. 24. cap. 1. De reformat. Matrim.*
516 commutatam in ſuſpenſionem. Accedit, quòd Clementina excommunicet: Tridentina Synodus ſuſpendat illos ſolos, qui *præſumpſerint, auſi fuerint* conjungere ſponſos alienæ Parochiæ, ut proinde hic etiam craſſa ignorantia excuſet. Barboſa *in cit. cap. 1. Trident.* poſt Sanchez, Gutierez, alios, qualis faciliùs præſumitur in Religioſo, quàm temeritas. Imò debet in hoc ſaltem caſu præſumi potiùs ignorantia probabilis, inculpabiliſque, quàm culpabilis, aut temeritas, quia ſcilicet multi Theologi cenſent, quemvis planè Parochum poſſe ubivis conjungere Vagos. Suprà *num. 496.* ergo nullus determinatus Parochus patitur ullum conſiderabile incommodum, tametſi vel Religioſus, vel Sacerdos non approbatus aſſiſtat Matrimonio talium hominum; ergo nullus poteſt rationabiliter multum ægre ferre; ergo pœna non eſt extendenda ad tales. Erravit ille Religioſus, quòd non petierit licentiam ab Epiſcopo; ſuprà *num. 495.* ſed non idcircò incurrit ſuſpenſionem, nec arbitror, eſſe paſſim uſu receptum mandatum de petenda illa licentia.
517 Reſp. II. Verba noſtri Privilegii *verb. Abſolutio num. 1.* ſunt clara, etſi ponamus illum Religioſum fuiſſe excommunicatum.
518 VII. Caſus. *Quidam miles Lotharingus in oppido Thenenſi præſidiarius abduxit quandam virginem Thenenſem Geldonium Brabantiæ oppidum, & ibi coram Parocho, Teſtibúſque contraxit. An validè?*
519 Reſpondet P. Leſſius *verb. Matr. Caſ. 13. Validè,* eò quòd miles ille fuerit annumerandus vagis, utpote omni horâ expoſitus periculo; fuerit & virgo illa vaga, utpote quæ reipſa deſeruerat Thenas, cum animo habitandi Leodii, quò nondum pervenerat. Placet utraque ratio, quarum alteram expreſſè admittit P. Tamburinus *Lib. 8. De Sacram. Tr. 6. cap. 2. §. 5. n. 14.* poſt P. Palaum, Sanchez, Gutierez. Vide tamen dicta *num. 495.*
520 VIII. Caſus. *Sophronius civis Conſtantienſis Annis abhinc 50. profectus fuit Tigurum (ubi nunquam fuit promulgatum Decretum Tridentinum) cum ſua ſponſa, ibique in hoſpitio coram duobus Teſtibus ſine ullo Parocho contraxit Matrimonium, ac domum rediit. Sed re cognitâ Vicarius Epiſcopalis pronuntiavit Matrimonium invalidum; & ſic Sophronius tranſiit ad alias nuptias.* Quid hîc dicendum?
521 Ignoro quidem, utrùm hic Caſus contigerit in hac Diœceſi, at alibi eveniſſe, teſtatur Leſſius *loc. cit. Caſ. 14.* qui ante Declarationem Urbani VIII. de qua ſuprà *num. 481.* reſpondit, illius loci Dominos Officiales potuiſſe facere talem ſeparationem; proles tamen natas ex illo clandeſtino Matrimonio fuiſſe, niſi lis moveretur, ipſis relinquendas in eo ſtatu, in quo erant. Ego autem dico, ſi quis Conſtantienſis id factitâſſet, etiam ante Bullam Urbani VIII. graviter peccaturum fuiſſe contra Conſtitutiones Synodales *Part. 1. tit. 16. num. 42.* attamen non neceſſariò fuiſſe ſeparandos, propterea quòd plurimi DD. tunc cenſuerint, ejuſmodi Matrimonia eſſe validiſſima. Si verò nunc contingeret ille Caſus, rectè faceret Superior Eccleſiaſticus, ſi redigeret in uſum Bullam Urbani VIII. ſeu potiùs adigeret revalidandum legitimè Matrimonium.

IX. Caſus. *Parochus quidam levi infirmitate detentus conceſſit Præpoſito licentiam exer-* 522
cendi concernentia curæ officium. Dubitatum poſtea fuit, an fuerit validum Matrimonium, cui prædictus præpoſitus interfuit loco Parochi?

X. Caſus. *Præpoſitus Eccleſiæ Armacanæ* 523
inter cætera dubitavit, An, cùm ipſe conſtituiſſet Vicarium in ea Eccleſia, poſteáque illi dediſſet Coadjutorem, de cujus licentia quidam Sacerdos Matrimonium contrahentes conjunxit, an Matrimonium hoc modo celebratum ſit validum?

Fagnanus *in cap. Quod nobis, de clandeſt.* 524
deſp. num 32. refert utrumque Caſum, teſtans, Congregationem (quis judicio ejus ſe reverenter non ſubmittat?) ad utrumq; Caſum reſpondiſſe *affirmativè*. Vide ſuprà *num. 487.*

XI. Caſus. *Sebaſtianus civis Ingolſtadienſis* 525
petit, obtinétque à Parocho ad S. Mauritii ejuſdem urbis facultatem contrahendi in proximo pago nomine Oettinga, ſed declinare volens & ſumptus, & aliquas ſubſannationes vadit ad alium pagum, aliquanto remotiorem ab urbe, nomine Gerlſingam, atque ibi coram Gerlſingano Parocho contrahit ſine ulteriore licentia ſui proprii Parochi. An validè?

P. Simon Felix præcellens Theologus no- 526
ſtræ Provinciæ interrogatus reſolvit, valuiſſe, fortè ea de cauſa, quòd Parochus Mauritianus tantùm attenderit cauſam, ob quam ille Parochianus petebat extra urbem contrahere, ſcilicet declinationem ſumptuum, & aliquarum irriſionum. Licèt ergo fuerit tam à cive, quàm ab ipſo Parocho nominatus ſolus Parochus Oettinganus, licentiam tamen fuiſſe expreſſam ad libitum ſupplicantis.

Dixi: *Fortè hac de cauſa*, quia habeo qui- 527
dem in meis adverſariis fideliter deſcriptas circumſtantias facti, at non cauſam reſponſionis. Hæc mihi occurrit, & puto admiſſum iri ab aliis, qui, ut vidimus ſuprà *numer. 488.* ſunt contenti *Tacitâ*, nam illa licentia fuit probabiliſſimè *Implicita*, *Implicita* autem eſt minùs controverſa, quàm *Tacita*. Vide *in Alphabet. Ordin. num. 599.* Caſum huic ſimilem in diſſimili materia.

XII. Caſus. *Soſthenes vir magna conditio-* 528
nis poſtquam multis Annis fuit uſus concubinâ, tanquam uxore, omnibus, quibus erat notus, exiſtimantibus eſſe veros conjuges, demum reſipiſcere

Digitized by Google

piſcere volens conſtituit illam ducere in uxorem; at vult ita ſecretò fieri, ut ne quidem ipſe Parochus reſciat. Quomodo ei conſulendum?

529 Conſultus ego jam pridem in Tiroli ab ipſius Confeſſario, re adhuc integrâ, reſpondi idipſum, quod ad illum, quem retuli *num. 501.* ſcilicet poſſe abſque dubio impetrari vel à Parocho, vel ab Epiſcopo facultatem, ut ipſe Confeſſarius agat in tali actu vices Parochi; poſſe etiam illum Soſthenem adduci, ut coram duobus aliis Religioſis, vel duobus ignotis Teſtibus, jurantibus ſe rem ſecretiſſimam ſemper habituros, contraheret, Ordinarium facilè diſpenſaturum in denuntiationibus. Placuit reſponſum, & conformiter illi proceſſum

530 Annis abhinc triginta. At dum hîc ſcribo hunc Caſum, reperio conſimilem apud Leſſium *verb. Sponſalia Caſ. VII.* de viro magnæ nobilitatis, *qui ineſcatus amore puellæ inferioris conditionis, volebat eam habere uxorem, at coram Teſtibus ignotis, Sacerdotéque Religioſo. Reſpondit Leſſius, non facilè tale quid permittendum, poſſe tamen permitti illi Nobili, ſi videretur, non poſſe aliter avelli ab illicito amore illius puellæ.*

531 XIII. Caſus. *Cajus faber ferrarius domo Pragenſis ante Annos 12. Egræ didicit opificium fabrile, ac poſtea ibidem conſtanter habitavit, & animum perpetuò ibi habitandi habet, ſi liceat per dominum, cui ſubjectus eſt. Similiter Caja è Parochia Milbachenſi Diœceſis Ratiſbonenſis ab infantia per 14 Annos continuos habitavit, & ancillata eſt Egræ; in Confeſſionibus Paſchalibus, & reliquis ad Parochiam ſpectantibus ſecuta eſt ordinationem Parochiæ Egrenſis; hos copulavit Parochus Milbachenſis.* Quæritur, an potuerit illos conjungere? An potiùs Egrenſis?

532 *Pro Parocho Egrenſi facit, tum quod videtur Cajus, & conſequenter Caja, quæ marito adhærere debet, acquiſiviſſe Egræ domicilium habitationis, & conſequenter uterque deſeruiſſe domicilium Originis: tum quia Declarationes Cardinalium in Tridentin.* Seſſ. 24. cap. 1. De Matr. *dicunt;* Si contingat, contrahentes alienigenas eſſe, & parvo tempore ibi habitantes, conſtito tamen, quòd non ſint inter vagabundos, proprius Parochus ad contrahendum is eſt, in cujus Parochia contrahentes habitant eo tempore, quo contrahunt. *Pro Parocho Milbachenſi eſt, tum quòd dixerit uterque, ſe incertos eſſe, an velint Egræ habitare: tum quòd diceretur, fieri poſſe, ut Dominus ſponſi impediret, ſi reſciret de ſponſa.*

533 His verbis fuit conſilii causâ ad me perſcriptus, ventilatúſque iſte Caſus Annis abhinc viginti octo. Quid reſponderim, non memini probè; reor tamen, fuiſſe me tunc jam illius opinionis, cujus nunc ſum, quòd videlicet potuerit Parochus uterque copulare illos: Egrenſis quidem propter doctrinam allatam ſuprà *n. 482.* Milbachenſis verò ob doctrinam communem expreſſam ſuprà *num. 493.* re enim verâ neque ſponſus, neque ſponſa deſeruerant domicilium *Originis*, neque facti ſunt cives Egrenſes; ut enim quis acquirat alicubi domicilium, non ſufficit animus habitandi illic per totam vitam, quando quis non eſt ſui juris, ſed integre dependet ab alio. Commoratio illa tam diuturna in civitate Egra nullo modo ſufficit ad acquiſitionem *domicilii*, cùm ne quingenti quidem Anni ſufficiant, ſi alia deſint. Jordanus relatus *in Alphab. Ordin. & Extrem. Unctionis Caſ. VII. num. 298* quo loco fuſiùs tractato de hoc argumento. Quare patet ex dictis, 534
ſicuti ſtudioſi literarum poſſunt Communionem Paſchalem percipere, vel à Parocho urbis, in qua navant operam literis, vel à ſuo Parocho, ad quem excurrunt facientes ſibi ipſis ferias hebdomade Paſchali, ita etiam poſſe famulos, qui Conſtantiæ famulantur alicui è Reverendiſſimis Dominis Canonicis, conjungi matrimonialiter à D. Parocho Cathedrali, vel à ſuomet, ſi ipſis lubeat ſe transferre in ſuam patriam pro illo actu, eóque celebrato redire Conſtantiam, quia ſcilicet Parochus Cathedralis, & quilibet exterorum famulantium in ejus urbe eo modo, quo ſolent famuli, habet jus in illos *cumulative*, non autem *privativè*, ut loquar cum Jureconſultis.

XIV. Caſus *Cùm in Palatinatu degerem, duo ſponſi propter obicem, à Magiſtratu ratione bonorum temporalium poſitum, cùm conjungi non poſſent, inde in vicinam Boëmiam* (id eſt, ut interpretor, quendam Bohemiæ locum) *ubi Decretum Tridentini Concilii non eſt receptum, digreſſi ſunt, & a Parocho copulati ſunt. Neque poſt reditum fuerunt velut illegitimi conjuges ſeparati. De hoc Caſu Dicaſtillo, & Diana propter Declarationem Cardinalium videntur difficultatem facere.* 535

Ita ad me unus è meis olim in Theologia auditoribus oppidò tunc diligens, nunc perdoctus Profeſſor Juris Canonici. Ut proinde certum ſit, eveniſſe hunc Caſum multis Annis poſt Breve Urbani VIII. de quo ſuprà *numer. 481.* Quod quia ibidem indicavi haberi à me pro Authentico, non poſſum illud Matrimonium vocare Legitimum, niſi aut confugiam ad Legem *Barbarius, ff. De offic. prætor.* aut dicam cum Ochagavia apud Dianam *P. 5. Tract. 2. Reſol. 96.* hujuſmodi Declarationes non obligare in foro *interiore*, & *exteriore*, niſi de iis conſtet notitia publica, orta e. g. ex fama publica, & certa, derivata ex principio Authentico. Id temporis autem nondum habebatur talis notitia illius Bullæ. Hæc ratio poterit fortè applicari ſequenti 536

Decimoquinto Caſui *recentiſſimo. Priore Anno ad noſtrum Reverendiſſimum Conſiſtorium delatus Caſus diſtrahebat DD. Aſſeſſores in diverſa. Duo ſponſi cùm à Parocho ſuo in noſtra Diœceſi obtinere non poſſent, ut eo, quo volebant, tempore copularentur, excurrunt ad pagum Lutheranum, ibique à Prædicante copulati ſunt. Inde ad ſua regreſſi cohabitârunt, ut legitimi conjuges.* 537

Paro-

Digitized by Google

Parochus, ut dixi, ad Conſiſtorium, & cauſam, & Reos adduxit. Pro valore Matrimonii ſtabat, & pugnabat unus: contra valorem alter. Denique tamen fuit illud Matrimonium judicatum nullum.

Ita ad me 5. Febr. Anni N. ille, de quo in priore Caſu, indicans, probari ſibi hoc judicium, & mihi quoque probatur tum propter generalem doctrinam, & Decretum Concilii deſcriptum *num 453.* tum propter ſpecialem illam Bullam Urbani VIII. tum propter aliam ſpecialem Congregationis Declarationem de nullitate talis Matrimonii productam ſuprà *num. 509.* tum denique, quia non eſt malitiis hominum indulgendum *cap. Plerumque. De Reſcript.* neque de ſua malitia quiſquam commodum reportare debet *cap. Intelleximus. De judic.*

538 XVI. Caſus. *Cùm Mediolani in quadam Eccleſia Parochiali Parochus, qui ex prohibitione ſibi facta ab Ordinario nolebat poſt factas denuntiationes Aſſiſtere Matrimonio duarum perſonarum habilium, Miſſam celebraret, ſponſi una cum duobus acceſſerunt ad altare, ubi Parochus celebrabat; & cùm Parochus finitâ miſſâ recederet ab altari, nihil ſciens, neque cogitans de hoc, expreſſerunt coram ipſo, & duobus Teſtibus adductis mutuum conſenſum de præſenti. Quod Matrimonium fuit Mediolani, & Romæ pronuntiatum validum, licèt ipſi contrahentes fuerint nonnullis pœnis mulctati.*

Sic loquitur, Teſtatúrque Diana *P. 10. Tr. 13. Reſol. 16* indirectè confirmans doctrinam probatam ſuprà *num. 491.* quòd ſcilicet ſufficienter aſſiſtat Parochus, etiamſi vi, aut dolo ſit adductus ad locum contractûs. Confirmatur, & reſolutio, quam ſuprà *num. 506.* dedi ad Caſum, qui contigit in Diœceſi Ratiſbonenſi, mihíque illic commoranti propoſitus fuit. Rurſum judicio Tribunalium Mediolanenſis, & Romani roboratur doctrina contra Fagnanum propoſita *num. 492* de validitate Matrimonii, cui adeſt Parochus, at non *formaliter* adhibitus, prohibente Epiſcopo, & declarante, Matrimonium fore irritum, ſi agatur contra ſuam prohibitionem, ſicuti expreſſimus *Caſ. I. num. 19.* Pœnam, qua caſtigatos fuiſſe duos illos ſponſos teſtatur Diana, juſtam reputo, ſi potuerunt alia ratione comparare præſentiam legitimi aſſiſtentis, eſt quippe injurioſum tam Sacramento, quàm ipſi Parocho, circumveniri tam fraudulenter, atque in ejuſmodi circumſtantia temporis. Sed graviùs erant, *per ſe loquendo*, plectendi, quos exhibet ſequens

XVII. Caſus valde Heteroclitus.

539 *Illorum ſcilicet duorum ſponſorum, qui nullis præmiſſis denuntiationibus, nec præmonito Parocho, ingreſſi ſunt Eccleſiam, in qua hic litabat, atque accedentes altare, in quo ſacrificabat, protulerunt verba ſignificantia conſenſum mutuum de præſenti; quæ heteroclita agendi ratio ita diſplicuit Parocho, ut intermiſſo, atque interrupto Miſſæ ſacrificio receperit ſe plenus indignatione in Sacriſtiam.*

Hoc Caſu delato ad Rotam Romanam, fuit Anno 1651. die 14. Febr. pronuntiatum pro valore hujus contractûs. Deciſionem totam reperies apud Dianam *P. 10. fol. 477.* ſeu ultimo, atque eâ *validè* confirmabis duas è noſtris ſententiis fruſtra revocatas in dubium à nonnullis. *Primò* illam ipſam, quam *præcedente n. 538.* dixi eſſe facto ipſo approbatam à Curiis Romana, Mediolanenſique; deinde *alteram*, quam in ſequente Alphabeto tuebimur adverſùs Menochium, accenſentem impedimentis dirimentibus culpabilem defectum denuntiationum matrimonialium.

Confirmatur eadem doctrina hoc ſingulari Caſu, quo recentiſſimè fuit *tacitè* habitum pro rato Matrimonium illius, *qui à legitimo magiſtratu condemnatus ad ducendam Juliam, convenit cum teſtibus, & Titia Parochum decumbentem, atque coram eo, tametſi ægerrimè ferente, dedit Titia, accepitque fidem conjugalem*, fuit, inquam, *tacitè* habitum pro legitimo illud Matrimonium, quia re delatâ ad D. Ordinarium non fuit hactenus lata ulla ſententia de nullitate.

RAPTUS QUOMODO DIRIMAT MATRIMONIUM?

CASUS XIX.

Facilis reſolutionis.

SUMMARIUM.

Caſus profugientis clàm cum ſponſa. 540.
Deſcribitur ſanctio Tridentina de raptu. 541.
Quid ſit raptus? 541. *& ſeqq.*
An pœnæ Tridentini extendantur ad fœminam, quæ rapit virum? 543.
Reſolutio Caſûs num. 540. propoſiti. 547.

Timotheus celebravit ſponſalia cum Truſilla lubente, at iniquè repugnante patre, 540
ſub cujus poteſtate conſtituta erat. Qui cùm adduci non poſſet, ut in Matrimonium conſentiret, Timotheus clàm illo abduxit ſuam ſponſam minimè invitam atq; acceſſit D. Ordinarium loci, petens facultatem contrahendi coram Parocho, nominando ab ipſomet D. Ordinario. Dubitavit hic aliquantulum, an id eſſet ſibi fas, ſtante ſanctione Tridentinâ de Raptoribus. Quare meum judicium exquiſiit.

Quid

Digitized by Google

Quid reſponderim, aperiam, ubi deſcripſero verba Concilii Tridentini, atque indicavero quæſtiones, quæ moveri ſolent circa illam ſanctionem Tridentinam.

541 Notandum itaque eſt, extare in Concilio Tridentino *Seſſ. 24. c. 6. De reform. Matrimon.* hanc Conſtitutionem: *Decernit ſancta Synodus, inter raptorem, & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere Matrimonium. Quòd ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat, & nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniúmque dignitatum incapaces.*

Circa hoc Decretum moventur à DD. ſequentes quæſtiones I. *Quid ſit propriè raptus?* Reſpondent, eſſe violentam puellæ extractionem de domo patris. Quæ violentia propriè reperitur, quando perſona aliqua invita, aut reſiſtentibus illis, ſub quorum poteſtate eſt, per vim abducitur ad libidinem explendam, vel contrahendum Matrimonium. Sic loquitur P. Dicaſtillo *De Matrim. Diſp. 17. dub. 58. num. 657.* teſtans *num. 658.* eſſe hanc communem, & receptam doctrinam, ſeu explicationem.

542 II. *An igitur ſubjaceat indicatis pœnis, adeòque invaliditati Matrimonii is, qui puellam per vim abducit cauſâ ſolius libidinis explendæ?* Aſſerit Bonacina *De Matr. q. 4. p. 18. num. 3.* cum pluribus apud P. Sanchez *Lib. 7. De Matr. Diſp. 13.* negantem, & huic negationi aſſentientem P. Perez *De Matr. Diſp. 43. ſect. 4.* P. Dicaſtillo *loc. cit. n. 660.* aliis multis apud Barboſam *in cit. cap. ſextum Tridentini num. 2.* Ratio eſt, quòd Concilium Tridentinum omnino videatur agere voluiſſe de illis ſolis, qui rapiunt cauſâ Matrimonii contrahendi. Ego horreo extenſionem legum pœnalium, ubi non cogit litera, non cogit autem in hoc caſu.

543 III. *An, ſi mulier per vim abducat invenem Matrimonii cauſâ, locum habeat hæc lex Tridentina?* Reſpondent rectè P. Dicaſtillo, & P. Eſcobar *Theolog. Moral. Lib. 27. cap. 33. dub. 141.* cum aliis contra alios *negativè*, quia Concilium loquitur expreſſè de ſolis raptoribus, non de raptricibus, nec ſolent Leges ſtatui de caſibus rariſſimis, eſt autem rariſſimum, quòd mulier per ſe, aut alios rapiat, ſeu per vim abducat aliquem Matrimonii cauſâ. Vide Dianam *Part. 10. Tr. 16 Reſol. 84.*

544 IV. *An illa vis, ſeu violentia comprehendat etiam preces importunas, quibus difficillimè reſiſtat?* Reſpondet *affirmativè* Dicaſtillo poſt Sanchez, Gutierez, Bonacinam, loquentes de illis precibus, quæ violentiæ poſſint æquiparari. Quia verò ignorantia, & dolus neq; vocari poſſunt violentia, neque ſimiles, ſeu æquales violentiæ, ideo rectè negat Dicaſtillo *loc. cit. num. 667.* poſt Sanchez *n. 31.* contra Gutierez, & Bonacinam, iis dirimi Matrimonium.

V. *An raptus propriæ ſponſæ renitentis, & invitæ dirimat Matrimonium?* Negat Barboſa *loc. cit. numer. 6.* poſt Henriquez, Rodriquez, Leſſium, alios apud ipſum. Affirmat Sanchez *cit. Diſp. 13. num. 15.* Hurtadus *De Matrim. Diſp. 23. diffic. 3.* Eſcobar *loc. cit. dub 142.* & apud hunc alii, quibus aſſentior, ſaltem caſu, quo ſponſa juſtam cauſam habet non ſtandi fide datâ. 545

VI. *An, ſi puella nulli deſponſata ſequatur lubens volens aliquem amaſium, ut ei nubat, ſequatur autem repugnantibus parentibus, quorum poteſtati ſubeſt, poſſit ſubſiſtere Matrimonium?* Reſp. Negari quidem ab Henriquez *Lib. 12. cap. 14.* Gutierez, atque aliis, apud Sanchez *cit. Diſp. 13. num. 13.* rectiùs tamen aſſeri ab eodem Sanchez, Coninck *in 3. Part. Diſp. 41. num. 48.* Perez *Diſp. 38. ſect. 4.* Eſcobar *loc. cit. dub 141.* Ratio optima eſt, quia Decretum Tridentini, ut patet ex verbis ſuprà deſcriptis, non attendit niſi libertatem Matrimonii, quæ nullo modo læditur, quando puella liberrimè conſentit, eſto, reclament parentes, horum enim voluntas non requiritur ad libertatem. 546

VII. *An ſponſa ſequens ſponte ſponſum, at obſiſtentibus parentibus, validè contrahat?* Reſp. Utique. Nam ita expreſſè definitur *cap. Cùm cauſa, De raptoribus.* 547

Ex his infertur clara reſolutio hujus noſtri *Caſus XIX.* in quo expreſſè ſupponitur, ſponſam ſine omni violentia ſibi illata, ſed omnino ſponte diſceſſiſſe cum ſponſo è domo paterna, eámque ob rem fecit ille D. Ordinarius ſapientiſſimus, inquam, D. Denichius Vicarius in Pontificalibus, & Spiritualibus Generalis poteſtatem conficiendi Matrimonii per verba de præſenti. Non ampliùs autem memini, utrùm ipſis determinaverit Sacerdotem, coram quo celebrarent contractum matrimonialem, an verò dederit ipſis optionem eligendi, quem vellent. Sanè poterat utrumque facere.

QUID AGENDUM SPONSIS, PAROCHO, CONFESSARIO, SUPERIORI LAICO, ET ECCLESIASTICO, INTELLIGENTIBUS, SUBESSE IMPEDIMENTUM MATRIMONIO CONTRAHENDO, VEL JAM CONTRACTO?

CASUS XX.

Imperiti.

SUMMARIUM.

Caſus inexorum impedimento malè reſolutus à Parocho. 548.
Quid agent ſponſi, intelligentes ſubeſſe impedimentum? 550.
Quid Parochus cognoſcens idipſum? 551. & 552.
Quid Confeſſarius? 556. & ſeqq.

Ee Caſus

Caſus deſerentis putatitiam uxorem, poſtquam cognovit, ſuum Matrimonium fuiſſe nullum. 561.

Quid agendum Magiſtratui ſæculari, deprehendenti impedimentum? 562.

Quid Eccleſiaſtico? 563. & ſeqq.

Reſponſio ad numero 548. propoſitum caſum. 564.

Caſus aperientis Confeſſario, ſe intra decennium nequiviſſe ſemen immittere in vas. 566.

Caſus Matrimonii formaliter renovati. 568.

548 *VBaldum Parochum Diœceſis N. convenit non ſine aliquo comitatu Parochianus ſuus dicens: Domine Paroche, dimidius Annus eſt, ex quo ego cum Walburga mea Matrimonium contraxi, te præſente, & nos conjungente. Nunc verò deprehendo certò, illam eſſe mihi junctam quarto cognationis gradu, quod ſanè ego, & ipſa penitus antea ignorabamus; Velim ex te cognoſcere, quid facto ſit opus; Sum quippe paratus id agere, quod lex Chriſtiana præcipit. Reſpondet Ubaldus: quandoquidem omnis fraus, & dolus abfuit ab hoc contractu, eſtote ſine metu, pergite in veſtro Matrimonio, at caventes, ne quidquam cuiquam de hac conſanguinitate dicatis.*

549 Quæritur: *An parochianus ille fuerit obligatus interrogare Parochum, aut alium? An Parochus rectè reſponderit? An parochianus prudenter ſteterit ejus reſponſo? Et generatim ratione hujus Caſûs quæritur, quid reſpondendum ad quæſtiones propoſitas in titulo?*

Jam fluxêre Anni triginta ex quo tempore evenit, quod narro, in una ex decem, vel undecim Diœceſibus, quæ attingunt hanc Conſtantienſem; ſunt quoque Anni complures, ex quo tam Parochus, quàm uterque ille conjunx migravit è ſtatione hujus mortalitatis, at duodecennium eſt, cùm interrogatus ego fui quid judicarem de reſponſo dicti Parochi. Meum ſenſum intelliges, mi Lector, ubi reſolvero quinque quæſtiones, quas propoſui in titulo; Quibus eſt quidem affinis illa, quæ ſolet proponi de hominibus privatis, quando fiunt proclamationes matrimoniales, ſed hanc differam ad *Tractatum ſequentem Caſ. XIII. num. 529.* ubi ex inſtituto diſſeram de illa quæſtione.

550 Quæritur ergo hîc I. *Quid agendum ſit ſponſis, intelligentibus ſubeſſe ſuo Matrimonio impedimentum dirimens?*

Reſp. I. Si intelligant poſt ſponſalia quidem, ſed ante contractum ipſum matrimonialem, tenentur, *per ſe loquendo*, deſiſtere à propoſito celebrandi, ante obtentam diſpenſationem, nuptias. Suprà *num. 58.* Attamen *per accidens* excuſabuntur à peccato, ſi nequeant effugere mortem, aut ingentem infamiam, niſi contrahant, ſine tamen intentione conſummandi. Suprà *Caſ. XII. num. 256.*

Quæritur II. *Quid agendum ſit Parocho, cognoſcenti in ipſa Confeſſione Sacramentali, contrahere velle quempiam obnoxium alicui impedimento?* 551

Hanc quæſtionem plenè reſolvi *in Theolog. Jurid. Moral.* ſeu *Tract. 5. Quinarii, cap. 37. à n. 18. ad 30.* qui Tractatus primam lucem vidit pluribus Annis, priuſquam cogitarem de hoc Alphabeto. Quare iis, quæ tradam paulò inferiùs de Confeſſario, addam hîc duntaxat compendiolum dictorum, atque probatorum *loc. cit* Conſiſtit autem illud compendiolum in his paucis verſibus.

Si ex ſola Confeſſione Sacramentali cognovit, nequit ei *abſolutè* negare ſuam aſſiſtentiam; 552
quia nequit notitiâ ex Confeſſione tali hauſtâ uti cum tanta moleſtia, pudoréque pœnitentis. Nec debet publicè petere ab eo facultatem loquendi privatim cum ipſo de re aliqua audita in Confeſſione; hæc enim petitio incuteret ipſi ruborem, & gigneret aliis ſuſpicionem commiſſi ſceleris. Imò ſatis probabile eſt, quòd ne quidem privatim petere ſit neceſſe; quandoquidem extra Confeſſionem debes, aut ſaltem potes te cum tuo pœnitente in omnibus rebus gerere perinde, ac ſi totâ vitâ non excepiſſes ullam cujuſquam Confeſſionem. Quam Regulam ſatis tutò ſequêris caſu, quo Cnejus cras celebraturus nuptias confitetur tibi, nihil dicens de impedimento, quod tibi ante Annum manifeſtavit in Confeſſione, & propter quod negâſti abſolutionem ipſi, utpote nolenti deponere propoſitum Matrimonii ineundi, cum tali inhabilitate. Plura in hanc rem *in Alphab. Confeſſarior. Caſ. XXIII.*

Quæritur III. *Quomodo ſe gerere debeat Parochus, quando extra Confeſſionem comperit, illos, qui volunt conjungi, eſſe obnoxios impedimento?* 553

Reſp. Si factâ unâ, alteráve denuntiatione intelligat impedimentum, debet eis negare aſſiſtentiam ſuam; debet tamen omittere examen illius impedimenti, quamvis, ſi poſſit ſine ſtrepitu ſtatim certò, & indubitanter cognoſcere, utrùm rectè allegetur, non ſit vetitum examinare. Suprà *Caſ. VII. num. 165.* ubi ſpecialiter tracto de allegato impedimento cognationis. Sufficit autem, ſi illud impedimentum cognoſcat ex unico Teſte, modò ſit omni exceptione major, juratus, & de viſu, nam ſi Teſtis de ſolo auditu Teſtetur de alio, quàm de affinitate, aut conſanguinitate, non eſt curandus. Navarr. *De conſang. & affin. conſ. 2.* & nos *Tract. ſeq. num. 535. & 537.* Sed utique juramentum excipere non debet ipſe Parochus.
Qui quidem ſi ſolus ſine Teſte habeat 55
etiam extra Confeſſionem cognitũ illud obſtaculum, priùs fortiter dehortabitur à nuptiis. Si nil proficiat verbis, dicet: *Ergo vos non copulabo.* Hæc omnia rationibus, & autoritatibus probo, fuſiúſque declaro *in citata Theolog. Jur. Moral. cap. 37. num. 30. & ſeqq.* explicans *n. 43.* an conjungere poſſit illos, quos novit obtinuiſſe di-

ſe diſpenſationem in impedimento pro ſolo foro conſcientiæ, ſicut & *num. 45.* quid agendum Parocho, ſcienti ſponſos eſſe implicitos impedimento dirimente, ſed quia id probare nequit; & ſponſi falſis Teſtibus probant, ſe non eſſe impeditos, jubetur ab Epiſcopo illos conjungere.

555 His adde, quando fama fert, aut aliunde conſtat idoneis Teſtibus, Matrimonium inter aliquos eſſe nullum, nequaquam jure acturum Parochum, ſi indicat ſeparationem, quandoquidem nulla juriſdictio in foro *externo* ipſi competit, ſed eſſe mox fideliter informandum Superiorem.

556 Quæritur IV. *Quid facere vel oporteat, vel liceat, decetve Confeſſario, comperienti impedimentum ſui pœnitentis, vel jam illigati, vel cupientis illigari Matrimonio?*

Reſp. Hic à me admodum prolixe, atque enucleate ſatisfactum huic quæſtioni *cit. cap. 37. totâ ſect. 4.* illic propoſita, reſoluta, probata repræſento hac ſynopſi valde brevi.

557 I. Quando pœnitens jam illigatus Matrimonii vinculo, ignorat vincibiliter impedimentum, quia ſcilicet angitur dubio, & tamen vel ex deſidia, vel ex malitia negligit interrogare, nequit abſolvi a Confeſſario, quia hic nequit impertiri abſolutionem incapaci: Quando autem ignorantia eſt plane invincibilis, eſt quidem, *per ſe loquendo*, & communiter, commonefaciendus, ſi tamen Confeſſarius judicet, ſuam commonefactionem fore fruſtra, & conſequenter eâ factâ pœnitentem eſſe ex malitia, aut fragilitate humana permanſurum cum peccati mortalis conſcientia in Matrimonio, abſtinere debet a monitione, nam *ſi ſcirem, tibi non prodeſſe, non te monerem, non te terrerem*, inquit S. Auguſt. relatus *cap. Si quis. De pœnit. dist.* [illegible]. Varias ampliationes, & limitationes hujus doctrinæ lege *ibid. a num. 63. ad 78.*

558 II. Quando vero pœnitens ligatus impedimento [illegible] ad thalamum conjugalem, edocendus eſt de illo impedimento, non ſolum, ſi vincibiliter ignorat propter rationem paulò ante productam, ſed etiam fere ſemper, quando invincibiliter, quia rariſſime occurrent, & concurrent tales circumſtantiæ, ut prudenter judicetur, fore magis ex honore Dei, adeoque ex bono tum privato pœnitentis, tum publico, diſſimulare. Vide *loc. cit. num. 78. & ſeqq.*

559 III. Quando Confeſſarius dubitat, utrum ſua admonitio, impedimentique detectio profutura ſit, necne, ſi non timeat obfuturam, debet eâ uti, nam & Medicus tenetur deſperato adhibere medicinam dubiam, ſi ſciat, non obfuturam; ſin dubitet, utrum ſit profutura, an obfutura, Matrimonium autem ſit initum bonâ fide, rectius utetur ſilentio, loquetur autem rectiùs communiter, quando needum initum eſt Matrimonium. Rationes hujus reſolutionis vide *ibid. num. 82.* ſed valde *practicam* applicationem hactenus dictorum, indicatorumque reperies *à num. 85. ad num. 138* quibus adde, quæ ſuperiùs dixi de Parocho, intelligente impedimentum in ipſa Confeſſione.

IV. Declaro *loc. cit. n. 100.* quid agendum tibi, quando noſti, tuum pœnitentem ex iracundia, aut odio, ſeu averſione nolle reddere debitum conjugale, & *num. 101.* quando audis, famâ publicâ ferri, tuum pœnitentem eſſe in Matrimonio invalido; & *num. 107.* quando pœnitens confitetur, ſe illi, cum qua peccavit, promiſiſſe, fore, ut, mortuâ ſuâ uxore, eam ducat; & *num. 121.* quando idem ignarus impedimenti videtur eſſe facturus divortium, ſi illud noſſet; & *num. 132. ac ſeqq.* quomodo oporteat impetrare conſenſum partis ignorantis impedimentum, quando pars altera reddita conſcia illius vult, aut non vult revalidare: Quibus adde hunc 560

Caſum rarum, & laudandum.

Vigilius illuſtri genere natus, actis multis annis in Matrimonio, intelligit ſubeſſe impedimentum affinitatis, edoctus autem, eſſe ſibi fas facere divortium, deſerit conjugem ac ſit Religioſus; An hic Caſus non aufert omnem probabilitatem ſententiæ dicentium, poſſe quandoque omitti petitionem novi conſenſus, dandi ab ignaro impedimenti? Certè ſi ſola uxor cognoviſſet hoc impedimentum, & nihil dixiſſet marito, hujus conſenſus non concurriſſet cum renovatione conſenſûs facti ab uxore. 561

Novi multos ex illa Illuſtri familia. hic tamen Caſus non adimit omnem prorſus probabilitatem illi opinioni, nam ſubſiſtit nihilominus ratio fundamentalis illius ſententiæ; quod ſcilicet conſenſus initio datus duret, donec revocetur. Quòd ſi ille Dominus ſemel, aut ſæpius in decurſu illorum Annorum dixiſſet: *O ſi poſſem ſolvi vinculis Matrimonii, quàm foret mihi volupe!* Certe non valuiſſet renovatio conſenſûs præſtita ab uxore ſola, nam hæc verba ſatis indicant, conſenſum mariti eſſe ſufficienter revocatum.

APPENDICULA ROMANÆ PRAXIS.

SEd audi, quid circa præſens argumentum, & objectum fieri ſoleat Romæ in tribunalibus Pœnitentiariorum, quidam etenim ex doctiſſimis eorum Patribus 21. Octobris Anno 1671. ultra cætera huc non facientia ſcribit ad propoſitum in hunc modum.

Eſt verè, & certò probabile, & fortè probabilius, quòd obtentâ diſpenſatione ſuper impedimento dirimente, cujus alter duntaxat conjugum eſt conſcius, quòdque virtute diſpenſationis applicatæ in Sacramento Pœnitentiæ dicto conſcio confer-

fertur, revalidetur Matrimonium antea irritum, ſublato ſcilicet impedimento, etiamſi conſcius illius non moneat alterum, quando ſcilicet id abſque magno periculo fieri nequit, revalidatur, inquam, vi, ſeu virtute prioris conſenſûs coram Parocho præſtiti, qui moraliter *permanere cenſetur. Hanc praxin in Pœnitentiaria NB. obſervamus, imò hæc ſola* moraliter *poſſibilis eſt; nec Leges Eccleſiæ obligant cum tam enormi periculo, diſcrimine, detrimento pluſquam* morali. *Bertha uxor Titii carnaliter cognita fuit ante nuptias à patre vel fratre Titii, quæ, quæſo, Lege Eccleſiaſti à aſtringi poteſt ad rem tantâ cum tam multiplici periculo Titio aperiendam? Vana ſunt porrò reliqua adminicula, diverticula, remedia petita vel à copula cum affectu maritali habita, vel à conſenſu conditionato extorta &c. Cuncta, inquam, hæc vel fruſtra ſunt, vel non faciunt ſatis. Illam ergo opinionem certò probabilem reputo, quam Sanchez Lib. 2. De Matrim. Diſp. 36. num. 8.* Vix probabilem, & falſam. Ita ille ſacræ Pœnitentiariæ Confeſſarius clariſſimus libri prælo datis.

562 Quæritur V. *Quid liceat Magiſtratui ſæculari; quid Epiſcopo, cognoſcentibus impedimentum in aliquo ſuorum ſubditorum?*

Jam reſpondi *Caſ. I. num. 64.* ſi ſit quæſtio *juris*, nihil juris ei competere, ſi *facti* ſolius, dari locum præventioni, & nominatim illos, qui clandeſtine contraxerunt, poſſe puniri à brachio ſæculari, notavi *in Theolog. Jurid. Moral. cap. 37. num. 9.*

Quam doctrinam extendit Facultas Theologica Viennenſis (in reſponſo, de quo ſuprà *num. 467.*) expreſſe ad illos Acatholicos, qui è loco Catholico, in quo fuit publicatum Decretum Tridentini, proficiſcuntur ad locum, in quo non eſt publicatum, ſolâ intentione contrahendi clandeſtinè.

563 Epiſcopum quod attinet, cùm omnes lites, ſeu cauſæ matrimoniales ſpectent ad ejus tribunal, & quidem *privative* reſpectu Magiſtratûs ſæcularis, quando eſt quæſtio *juris*, *cumulativè* autem, quando eſt quæſtio *facti*, ſicuti paulò ante innui, & pluribus explano *cit. cap. 37. ſect. 1.* ideo non ſolùm ei fas eſt, ſed præceptum, ut impediat omni modo contractus ineundos cum impedimento, & jam initos dirimat, pronuntiando Matrimonium eſſe nullum, injungendoque ſeparationem tori, & quidem additâ comminatione Cenſurarum Eccleſiaſticarum.

564 Ex hactenus dictis petitur reſolutio Caſûs propoſiti ſuprà *num. 548.* videlicet illum Parochum graviter deliquiſſe, nec enim eſt diſſimulanda veritatis manifeſtatio, quando ipſimet conjuges agnoſcunt impedimentum, vel de illo magnoperè ſunt anxii; & quando præſertim illud impedimentum eſt aliis quibuſdam notum; Tunc enim longe plus mali debet timeri ex diſſimulatione, quam ex aperta manifeſtatione veritatis. Debebat ergo Parochus ille rotundè dicere, laborare eos impedimento, & proinde abſtinendum [illegible] non ſolùm à copula, ſed etiam ab omni [illegible]. Addere debebat, ſe, ſi vellent [illegible] ſe veri conjuges (& verò communiter eſt diſſuadendum divortium, præſertim quando una, aut plures proles ſunt ſuſceptæ) [illegible] per ſe, aut alium [illegible] tionem, vel pro ſolo foro *interno*, quando impedimentum eſt occultum, id eſt, [illegible] rium, ſeu non notum majori parti viciniæ, ſicuti explico *in Theolog. Jurid. Moral. [illegible] num. 173.* vel pro foro etiam *externo*, juxta ea, quæ dicam *Caſ. XXII.*

Sicuti autem putatitii illi conjuges tenebantur, cognito ſuo impedimento, mox abſtinere omni commercio carnali, & conſulere ſeu ſuum Parochum, ſeu alium peritum harum rerum, quid agendum ſibi ulteriùs eſſet, ita poſtquam audivere ſui paſtoris reſponſum, quantumvis oppido imperitum, [illegible] coram Deo excuſati, perſiſtendo in ſuo Matrimonio; ſicuti enim pœnitens dignus eſt excuſatione, [illegible] ſiſtet judicio ſui Confeſſarii, nec [illegible] *per ſe loquendo*, conſulere plures, [illegible] parochianus rudis, ſi obſequatur ſententiæ ſui Parochi, habiti vulgo pro ſatis intelligente eorum, quæ ſunt officii; ſecùs, ſi aut [illegible] animarum laboret turpi infamiâ inſciti[illegible], aut parochianus ob gravem rationem dubitet, an non erràrit ſuus doctor, præſertim quando negotium ſuum non [illegible] habet tractum ſucceſſivum, ſicuti Matrimonium; tunc quippe ſingulariter locum [illegible] monitio Pontificia. *Ubi periculum [illegible] ditur, ibi proculdubio plenius eſt [illegible] Text. cap. Ubi De elect. in 6.* Atque ita [illegible] ctum eſt *quatuor* quæſtionibus propoſitis [illegible] *549.* 565

Reſolvitur quoque ex dictis hic

Caſus Impotentiæ.

Titius Cajo Sacerdoti in Confeſſione [illegible] Verſor jam decennio in Matrimonio [illegible] Sibylla, ſed nunquam potui immittere [illegible] in ejus vas, utpote nimis arctum. Quæro, [illegible] peccaverim, & peccaturus ſim [illegible] ſcendo?

Reſolvitur, inquam, in hoc Caſu [illegible] ficto ex dictis, aperiendam eſſe [illegible] conſequenter applicando [illegible] *ſticas*, quas de Impotentia tradidi [illegible] *XVI.* Patet quoque, quid judicandum [illegible] xi, quam exhibet hic 566

Caſus Acronianus.

Quidam ſponſi [illegible] nuntiati, poſtea [illegible] nei, vocati ſunt coram Teſtibus [illegible] noſtram 567

noſtram, impetratâ (à Nuntio Apoſtolico) jam occultè diſpenſatione, cùm intellexiſſent, ſe non eſſe conjuges, & poſſe alterum ab altero diſcedere, & alii nubere, conſenſerunt de novo in Matrimonium, & factâ confeſſione ſtatim coram pauculis Teſtibus matrimonialiter conjuncti. Liberi jam ſuſcepti ob probabilem conſanguinitatis ignorantiam legitim pronuntiati ſunt in ipſa diſpenſatione.

569 Judico ego, imitandum hoc factum quoad omnes circumſtantias, ſi facilè queat; etſi circumſtantia de ſacriſtia non eſt ullo modo neceſſaria; ſicut etiam probabile eſt, non fuiſſe neceſſariam; præſentiam Teſtium, & Parochi, prout videbimus *Tract. ſeq. Caſ. XI.* eſt tamen tutius, & conſultiſſimum adhibere, *per ſe loquendo.* Liberi illi fuêre omnino legitimi propter allatam rationem, quam fuſiùs explico *in Theolog. Jurid. Moral. cap. 37. n. 247.* Porrò hic Caſus ideo nuncupatur Acronianus, quia contigit in oppido ad quod lacus Acronianus, ſeu Bodamicus, eſt longè profundiſſimus, ex quo etiam oppido mihi cum aliis pluribus, contentis in hoc, & aliis meis Alphabetis, perſcriptus eſt à ſpectatæ virtutis, atque prudentiæ Domino Decano.

AN; ET QUATENUS DISPENSENT EPISCOPUS, ET NUNTIUS APOSTOLICUS IN IMPEDIMENTIS MATRIMONII?

CASUS XXI.

Valde ſpecialis.

SUMMARIUM.

Caſus laborantium impedimento, ſed copulatorum à Parocho ante receptam Bullam diſpenſationis: 570.
In quibus impedimentis diſpenſet Epiſcopus. 572. & ſeqq.
Singulariter in occultis poſt jam contractum Matrimonium. 576.
Quid aget Confeſſarius intelligens impedimentum diſpenſabile per Epiſcopum? 577.
Quando cenſeatur urgere neceſſitas? 578.
An Epiſcopus diſpenſet, quando patet acceſſus ad Nuncium Apoſtolicum? 581.
An, & quatenus diſpenſet Epiſcopus ante initum Matrimonium? 582. & ſeqq.
An Capitulum, Sede vacante? 585.
Nuntii Apoſtolici in quibus impedimentis diſpenſent. 587. & ſeqq.
Proponitur Caſus novæ difficultatis. 588.
Quandonam diſpenſans cum uno volentium contrahere cenſeatur etiam cum altero diſpenſare. 589.
Reſolvitur Caſus n. 570. propoſitus. 590.
Caſus non habentium ſumptus pro diſpenſatione. 591.
Caſus facientis inutile votum ad occultandum impedimentum. 592.
Caſus Epiſcopi quærentis, an tutò ſequeretur exemplum trium ex anteceſſoribus, ſolitorum diſpenſare in quarto gradu? 595.
Caſus allegantis paupertatem. 597.
Caſus impragnatæ, volentis ſecum diſpenſari ante adventum Romanæ diſpenſationis. 600.

XEnocrates petiit ſuppliciter à Sede Apoſtolica diſpenſationem ad contrahendum cum conſanguinea in tertio gradu. Accipit ex Urbe reſponſum, diſpenſatum iri cum ipſo, ut primùm repræſentâſſet in Urbe ordinariam taxam; quæ quidem fuit repræſentata, at nihilominus diu dilata gratia diſpenſationis. Quam moram peragre ferens Xenocrates, rogat Dominum Vicarium Epiſcopi procul degentis, ut ipſe diſpenſet. Renuit ille tunc quidem, quia tamen confidebat, fore, ut actutum adeſſet Breve Pontificium, permiſit fieri omnes denuntiationes. Iis peractis, at nondum comparente nuntio Romano, inſtat ſponſus rurſum apud Reverendiſſimum Dominum Vicariũ. Adferuntur partim ab illo, partim ab aliis hæ circumſtantiæ, quòd ſcilicet non ſuperſint, niſi duæ hebdomadæ uſque ad Adventum, eſſe autem magnum incontinentiæ periculum, ſi oporteat expectare uſque ad octavas Epiphaniæ; ſubeſſe quoque metum magni probri, cùm ſponſa orta ex familia honeſtiſſima probabiliter jam ſit impragnata. Item timendum meritò, ne ſponſus concedat in Parochiam Lutheranam, atque illic contrahat coram Prædicante. Addebatur & alterius mali (hic non exprimendi) adhuc gravioris prudens metus. Quid in his circumſtantiis agendum? 570

Multis abhinc Annis fui, re adhuc integrâ, literis conſultus, quid in hiſce liceret Domino Vicario Generali Diœceſis diverſæ ab hac Conſtantienſi. Meum judicium intelliget Lector *num. 590.* ſcilicet ubi legerit generalia, quæ de poteſtate Epiſcopi, ejúſque Vicarii, circa diſpenſationem in impedimentis Matrimonii, ſub unum aſpectum dabo, ex probatis Scriptoribus, apud, quos videri poterunt rationes ſingulorum diffuſiùs expoſitæ. 571

I. Ad impedimenta impedientia quod attinet, retuli *Caſ. II.* Jacobum de Graſſis indicantem, poſſe ab Epiſcopo diſpenſari, ut tempore interdicto celebrentur ſolennitates nuptiarum. Votum quod ſpectat, ſi ſit quidem Caſtitatis, ſed non perfectæ, diſpenſat in eo ſuâ ordinariâ poteſtate. Non eſt autem perfectæ caſtitatis, quando vel non eſt perpetuæ, vel eſt perpetuæ quidem, ſed non integræ, quia 572 573

non eſt de fugienda omni impuritate tam intra, quàm extra Matrimonium, aut integræ quidem, at non *abſolutè*, ſed *hypotheticè* promiſſæ, ut cùm dicis: *Si vel ſemel relapſus fuero in hanc turpitudinem, promitto Deo perpetuam, perfectámque caſtitatem: Idem ſpondeo, ſi me Numen liberaverit hoc morbo*, in his omnibus votis, utpote non reſervatis Pontifici, diſpenſat ordinariâ poteſtate Epiſcopus etiam impleta conditione; ſicuti cum Sanchez *Lib. 8.*
574 *De Matrim. Diſp. 12. & Lib. 4. Moral. cap. 40.* ſentio *in Tract. De Jubil. Quintuplici cap. 40.* dicens *cap. 41.* proportionaliter idem de voto Religionis ingrediendæ, & extendo 1. Hanc doctrinam ad cauſam, quo illa duo vota ſunt vel dubia, vel certa quidem, ſed emiſſa ex metu injuſto gravi, aut levi, extendo 2. Ad caſum, quo obſtrictus voto Caſtitatis, aut Religionis, vel verſatur in proximo periculo fornicationis, niſi uxorem ducat. Sanchez poſt Silveſt. Navarr. Henriquez alios: vel puellam imprægnavit, quam ducere vellet, antequam infametur: vel caret pecuniis ad impetrandam diſpenſationem: aut non patet facilis Romam aditus. Sanchez, Sanctarellus, Lezana re-
575 lati à me *ibid. num. 321.* In his omnibus Caſibus, exceptis iis, quos involvit ſecunda extenſio, poteſt vota hæc commutare in alia opera Confeſſarius vel Ordinum Mendicantium, vel expoſitus pro Jubilæo. Videri quoque poſſunt, quæ in hanc rem ſuppeditat noſtrum *Alphabetum Quadruplex Part. 1. Caſ. XI.*

576 II. Epiſcopus diſpenſat pro ſolo foro conſcientiæ in impedimentis, etiam ſolo jure *humano* dirimentibus, poſt jam contractum Matrimonium, ſi adſint hæ omnes conditiones. 1. Si adſit graviſſima neceſſitas. 2. Si hæc ita urgeat, ùt non ſit tempus, vel propter paupertatem modus adeundi Pontificem, vel ejus delegatum valentem diſpenſare. 3. Si impedimentum ſit occultum, id eſt, ſecretè quidem notum tribus, aut quatuor, non tamen majori parti viciniæ. 4. Si Matrimonium fuit bonâ fide (& præmiſſis denuntiationibus. Infrà *num. 632.*) contractum. P. Thomas Tamburinus *De Matrim. Lib. 8. Tract. 2. cap. 4. §. 4. num. 13.* Teſtans, hanc doctrinam cum his conditionibus recipi hac ætate communiter ab Authoribus. Idem Teſtatur P. Dicaſtillo *De Matrim. Diſp. 8. dub. 4. num. 53.* Id ipſum Teſtatur P. Palaus *De ſponſal. Diſp. 4. punct. ult. §. 1. num. 7.* Imò hanc doctrinam habendam eſſe jam pro certa, pronuntiat P. Perez *De Matr. Diſp 43 ſect. 6.* eò quòd Papa ſciat, eam tradi communiter voce, & libris impreſſis, conſequenter factitari (& verò practicatur certò in hac Diœceſi Conſtantienſi, atque Eichſtettenſi) ab Epiſcopis, & tamen non prohibeat. Authores pro ea plurimos refert more ſuo P. Sanchez *De Matrim. Lib. 2. Diſp. 40. num. 5.* P. Dicaſtillo *loc. cit.* Barboſa *De offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 35.* & alios Stephanus à S. Paulo *Theolog. Moral. Tr. 5. Diſp. 8. dub. 12.* ac Mathias Corona *De dignit. Epiſc. pag. 273.* Ratio eſt, quia omnes Leges conditæ ſunt ad bonum commune *cap. Erit autem. diſt. 4.* multi autem eſſent deſtituti remedio neceſſario, ſi Epiſcopus nequiret diſpenſare, quando adſunt hæ omnes circumſtantiæ. Addit P. Henriquez *Lib. 2. De Matrim. cap. 3. num. 2.* non eſſe opus, ut ſingulæ ex his circumſtantiis tam ſtrictè obſerventur. Ego nolim Matrimonium facilè exponi periculo nullitatis.

Cæterùm illa doctrina de poteſtate Epiſcopi ad diſpenſandum eſt ita perſuaſa juris ſapientibus, & perquàm piis, ut horum unus nihil dubitans de illius veritate dederit ex Oettinga Veteri ad me die 13. Mart. Anno 1664. literas. 577

Hujus tenoris.

Deſideranter expecto Alphabetum matrimoniale, in cujus objecto ſæpe hic deſudamus; ſingulariter autem nunc hæreo in hoc, utrùm laborantes impedimento dirimente occulto debeant ad Ordinarium ablegari, aut illorum loco à Confeſſario per literas conveniri, & diſpenſatio poſtulari? Sed quid ſi hic longiſſimè hinc diſtet extra hanc, & vicinas Diœceſes? Quid ſi obnoxii impedimento ipſimet nec convenire velint, neque etiam poſſint? Idem quæritur, ſi in concubinatu, vel per fictitium conjugium, qui tamen paſſim pro legitimis habentur? Num petet Confeſſarius poteſtatem clandeſtinè illos, vel quibuſcunque Teſtibus advocatis, ſinéque denuntiationibus copulandi?

Ad *primam* harum quæſtionum Reſp. Sicuti P. Quintannadvennas *Singularium Tract. 9. Singul. 11. num. 4. abſolutè* ſcribit, quando pœnitens proponit Confeſſario impedimentum ad petendum debitum conjugale, ortum ex adulterio cum uxoris conſanguinea intra ſecundum gradum, Confeſſorem debere (ex charitate non graviter obligante) ab Ordinario petere diſpenſationem vel coram, vel per literas, tacito tamen nomine pœnitentis; ita etiam communiter gerere ſe debet Confeſſarius, quando adfertur ipſi impedimentum dirimens diſpenſabile ab Epiſcopo, quia vix inducetur pœnitens, ut ipſemet petat, ſaltem quando impedimentum eſt ortum ex delicto. Diſtantia Epiſcopi, vel ejus Vicarii (quando Epiſcopus procul adeſt) vix erit unquam tanta, quin literæ poſſint ad eum venire. Et ſi ſit facilior, aut æquè facilis aditus ad Nuntium Apoſtolicum perſonalis, aut per literas, præferatur hic, ut tantò ſit certior diſpenſatio: nec applicetur huc doctrina Barboſæ *De offic. & poteſt Epiſc. alleg. 41. num. 7.* cum aliis ſcribentis, quando innodatus excommunicatione Papali nequit

Digitized by Google

nequit per ſe convenire Papam, non obligari mittere tabellarium, aut literas, Doctores enim faciliùs permittunt excommunicato uſum actionum vetitarum excommunicatis, quàm matrimonialem contractū inhabilibus, quamquam & hîc quoque ſunt perbenigni alii apud Dianam *Part. 11. Tract. 7. Reſol. 5.* Ego die 22. Auguſti 1674. facilè impetravi à D. Vicario Generali diſpenſationem in tertio gradu conſanguinitatis. Quantò autem ſeriùs obtineri poteſt diſpenſatio, tantò fortioribus antidotis eſt adverſus actiones ſolis veris conjugibus permiſſas muniendus conjux putatitius.

Ad *alteram* quæſtionem reſpondi ex iis, quæ ſuprà *Caſ. XVI. num. 501.* attuli ad exemplum concubinarii reſipiſcentis.

578 III. Neceſſitas, de qua ſuprà, cenſetur urgere ſufficienter tunc, quando conjuges nequeunt abſque gravi incommodo, vel ſcandalo ſeparari, & ſi inſeparati maneant, verſantur in periculo incontinentiæ, donec Papa, vel ejus delegatus diſpenſent. Palaus, & Perez *loc. cit.* ac Dianà *Part. 11 Tract. 8. Reſol. 3.* ſicut & cenſentur non poſſe adire Papam, vel ejus delegatum, quando obſtat eorum paupertas, Dianà *loc. cit.* ex communi, aut nimia diſtantia. Perez *ibidem.* Qui Perez *num. 4.* poſt Sanchez, & Pontium addit rectè, poſſe etiam cum divitibus diſpenſari, ſi ii patiantur periculum incontinentiæ, donec adveniat diſpenſatio Pontificia.

579 Subdit quoque, ſicut & Corona *loc. cit. pag. 274.* cum aliis ſufficere, ſi alteruter conjugum contraxerit bonâ fide, id eſt, laborans ignorantiâ *juris*, aut *facti*, ſive illa ignorantia fuerit inculpabilis, ut requirit P. Tamburinus, ſive etiam culpabilis; ut rectè probat P. Perez ex Concil. Trident. *Seſſ. 24. cap. 5. De Reform.* Quin P. Dicaſtillo *num 53. in fine*, cum aliis apud Dianam *loc. cit.* poſt P. Henriquez putat, etſi mala fides interceſſerit, poſſe tamen in valde urgente, & magna neceſſitate fieri ab Epiſcopo illam gratiam. Excipe eos, qui contraxerunt in gradibus prohibitis, aut non præmiſſis denuntiationibus. Infrà *num. 632.*

580 IV. Idcirco autem requirunt communiter autores, ut impedimentum ſit occultum, quia ſi ſit publicum, poterunt ſine infamia, & ſcandalo ſeparari. Si tamen aut ſeparatio nequeat fieri ſine gravi damno, aut ob paupertatem nequeat adiri Papa, ſeu impetrari diſpenſatio; cenſet Perez *num 6.* poſſe in primo Caſu: inſignis aliquis Theologus apud Tambur. *n. 11.* in ſecundo diſpenſari ab Epiſcopo. Pulchrâ facti ſpecie referendâ infrà *num. 590.* declarat ſuum judicium hic Theologus.

581 V. Licet Authores ſuprà citati, nominatim PP. Tamburinus, & Perez, item Diana *Part. 8. Tract. 3. Reſol. 71.* negent Epiſcopo poteſtatem diſpenſandi caſu, quo eſt facilis recurſus ad Legatum Apoſtolicum, diſſentit tamen apertè, & quidem probabiliter; teſtibus Dianâ *loc. cit.* ac Barboſâ ab iis P. Henriquez *Lib. 12. cap. 5. num. 1. lit. H.* cui non aſſentior tunc, quando ille Legatus habet *expreſſam* poteſtatem diſpenſandi; ſecùs, quando ſolùm *tacitam*, ſeu non aliam, quàm, urgente neceſſitate, Epiſcopus. Et verò teſtatur P. Filliucius *Tract. 10. cap. 10. num. 302.* ne quidem Legatum à Latere gaudere majore poteſtate diſpenſandi in his impedimentis, quàm gaudet Epiſcopus. Sed utique ſaltem extraordinariè confertur major Illuſtriſſimis Dominis Nuntiis, imò communiter. P. Coninck *Diſp. 33. num. 35.* poſt Gloſſ. Abb. Henriquez loquens de Legato à Latere. Vide infrà *num. 587.*

582 VI. Occurrit quidem rariùs urgens neceſſitas diſpenſandi ante Matrimonium initum, quàm poſt, nihilominus tamen poteſt reverà urgere talis, ut etiam ante initum contractum matrimonialem utatur Epiſcopus illâ poteſtate. Ita contra Sotum, Cordubam, & Medinam apud Sanchez ſentit idem Sanchez *cit. Diſp. 40. num. 7.* primus omnium; & poſt eum Palaus, Dicaſtillo, Reginaldus, Corona *loc. cit.* Caſp. Hurtad. *Diſp. 26. diffic. 2.* Bonacina, Perez, Barboſâ *De offic. & poteſt. Epiſc alleg. 35. num. 5.* Georgius de Rhodes *Pag. ult. Diſput. Theolog.* Tambur. *num. 12.* Stephanus *loc. cit.* cum aliis, Diana *cit. Tract. 3. Reſol 80.* addens Villalobos, Pontium, atque Præpoſitum, & exprimens cum his duos Caſus.

583 *Primum*, quando ſponſa commiſit fornicationem cum ſponſi cognato in ſecundo gradu, nec ſuppetit ulla prorſus ratio differendi Matrimonii, aut vitandi grave aliquod incommodum, niſi diſpenſet Epiſcopus. Vide ſuprà *Caſ. XII. num. 264.* & infrà *num. 591.* ac Stephanum *loc. cit. num. 89.* *Secundum*, quando quis morti proximus adſtringitur ad Matrimonium cum aliqua contrahendum; ut ſic legitima reddatur proles antea ſuſcepta, vel ut reſarciatur honor puellæ, vel ut ſtatim ſedentur graves inimicitiæ. Pluribus rationibus probat hanc doctrinam Diana *loc. cit.* ut proinde non debeat dubitari de probabilitate ejus intellectæ generatim in his terminis, quos cum aliis exprimit Diana *loc. cit.* *Epiſcopus poteſt ex cauſa maximè urgente diſpenſare in impedimento dirimente; etiam ante contractum Matrimonium, ſi omnibus tentatis diſpenſatio judicetur neceſſaria, ad vitandam gravem infamiam, vel grave ſcandalum, quia ſumma neceſſitas, cui aliter occurri non poteſt; eam facultatem tribuit Epiſcopo ex tacita ſummi Pontificis licentia.* Sic Diana, quem die 12. Januarii 1671. ſecutus fui reſolvendo ſpeciem facti tunc ſummè urgentis.

584 VII. Negant plerique citati Scriptores, Vicarium Generalem Epiſcopi poſſe diſpenſare in iſtis extraordinariis Caſibus, indicatis *num. 578. & ſeqq.* niſi Epiſcopus dederit ſpecialem facultatem, eò quòd hi Caſus extraordinarii non includantur in generali poteſtate

Digitized by Google

Vicarii. Puto autem ego, ſatis ſpecialiter communicari, quando Epiſcopus dicit: *Do tibi in mea abſentia omnem poteſtatem, qua tanquam delegatus Sedis Pontificiæ polleo.* Et quis negabit de Vicariis illorum, qui poſſident duos, vel tres Epſcopatus remotiſſimos ab invicem?

585 VIII. De Capitulo, Sede vacante, idem eſt dicendum, quod de Epiſcopo, illud enim ſuccedit in omnes actus juriſdictionis Epiſcopalis *cap. Cùm olim. De Maj. & Obed.* ſicut autem Epiſcopus nequit per ſuam diſpenſationem revalidare eam, quam per dolum impetrâſti à Papa. Palaus *Diſp. 4. punct. ult.* §. 11. contra nonnullos Theologos teſte Dianâ *Part. 11. Tr. 8. Reſol. 3.* & Canoniſtas *in cap. Quocirca. De conſang.* ipſis utcunque favens nudè ſumptum, ita neque Capitulum Sede vacante. Quid verò competat Regularibus, dicam *Caſu ult.*

586 IX. Interrogatus olim nomine Illuſtriſſimi cujuſdam D. Epiſcopi. An Germaniæ Epiſcopi non gaudeant privilegio diſpenſandi, ſaltem in quarto gradu, etiam manifeſto? Reſpondi, id me latere, & minimè credere, quid verò ſpecialiter juris habeant Epiſcopi Ratiſbonenſ. & Leodienſes, referam *num. 596. & 597.* Illuſtriſſimi Conſtantienſes ſtant jure communi.

587 X. Illuſtriſſimi Domini Nuntii Apoſtolici gaudent inprimis hac in re omni poteſtate, qua per ſuperiùs dicta Epiſcopi, reputantur enim Ordinarii judices ſuæ Provinciæ *text. cap. 2. De offic. legat. in 6.* Deinde licèt jus commune ſcriptum ipſis æquè parum, atque Epiſcopis tribuat poteſtatis circa diſpenſationes matrimoniales *argum. cap. Quod tranſlationem.* & Gloſſ. *ibid. extra De offic. leg.* nihilominus tamen conſuevêre Summi Pontifices facere ipſis jus diſpenſandi *gratis quibuſcunque perſonis intra ſua Legationis limites exiſtentibus, quæ quarto, aut etiam tertio, & quarto,* (circa tertium æqualem nihil poteſt Nuntius, ſicuti primùm nuper fuit ob Caſum occurrentem reſponſum ex Nuntiatura Lucernenſi) *etiam multiplicibus conſanguinitatis, vel affinitatis gradibus conjunctæ, ſeu ſe attinentes ſcienter, vel ignoranter conjunctæ ſunt, vel alias ſe, non tamen ſub ſpe faciliùs habendæ diſpenſationis à Sede Apoſtolica, carnaliter cognoverunt, nec non cum aliis quibuſcunque ſimilibus gradibus conjunctis, vel ſe attinentibus, qui propter anguſtiam loci, aut ad ſedandas inimicitias, vel ob dotem minùs competentem, aut aliàs ob rationabiles cauſas Matrimonium invicem contrahere voluerint,* hæc enim ſunt verba formalia cujuſdam Brevis dati ab Innocent X. ad quendam Illuſtriſſimum Dominum Nuntium Apoſtolicum, quibus tamen præmittitur clauſula de iis, *qui ob eorum paupertatem, & itineris incommoda ad Romanam Curiam pro diſpenſatione impetranda accedere, vel mittere non poſſunt.* Vide aliud infrà *num. 697.*

Præter hanc communem facultatem conceditur quibuſdam Illuſtriſſimis Dominis Nuntiis alia ſpecialis circa impedimentum Publicæ Honeſtatis proveniens ex ſponſalibus, & Cognationis Spiritualis inter levantem, & levatum, non autem inter baptizantem, & baptizatum, ſicuti declarat ſpecies facti, de qua infrà *num. 627.* atque exprimitur diſertè in Indiculo ſpecialium facultatum impertitarum Illuſtriſſimo Domino Federico Borromæo ad Helvetios &c. Apoſtolico Nuntio, quem penes me habeo, quique inſuper continet poteſtatem diſpenſandi in tertio, & quarto gradu conſanguinitatis, & affinitatis ſimplici, & mixto cum pauperibus, incarceratiſque, & cum hæreticis (converſis) in ſecundo ſimplici, & mixto, item ſuper impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante, quin imò conceditur etiam poteſtas diſpenſandi in tertio gradu tum ſimplici, tum etiam geminato. Porrò fuit occaſione harum facultatum aliquando petitum ex aula Illuſtriſſimi cujuſdam Nuntii Apoſtolici judicium meum ſuper hoc

Caſu ſatis raro.

Cajus cognovit Bertham in ſecundo, & tertio gradu ſibi conſanguineam, quam ut in uxorem duceret, petiit, & obtinuit Româ diſpenſationem, quæ tamen priuſquam adveniret, peperit Bertha puerum, quem ipſemet Cajus ſtatim baptizavit, eò quod eſſet periculum in mora, indéque ortum fuit novum impedimentum, ac propterea dubitatum primò, *an D. Nuntius diſpenſare poſſet in hoc ſecundo impedimento?* Secundò, *an poſito, quòd poſſet, liceret, cùm propter appoſitionem manûs Sanctiſſimi in diſpenſando primo impedimento nonnulli ſint in ſententia, eſſe etiam pro ſecundo recurrendum ad Sanctiſſimum. Ita literæ datæ die 21. Junii,* A. N. 588

Reſpondi ego: Si Illuſtriſſimus D. Nuntius polleat peculiari poteſtate diſpenſandi in impedimento Cognationis Spiritualis inter baptizantem, & parentes baptizati, (quæ tamen facultas non exprimitur in Indiculo, cujus paulò ſuperiùs memini) non apparere mihi rationem prudentem dubitandi, utrùm eo privilegio poſſit *validè* uti in propoſito Caſu; licèt enim Summus Pontifex jam appoſuerit manus, & conſequenter videatur non debere ſe intromittere Nuncius, juxta communem doctrinam apud Barboſam *De Jure Eccleſiaſtic. Part. 1. cap. 5. num. 82.* eas tamen non appoſuit ad impedimentum Cognationis Spiritualis, ergo hæc appoſitio prorſus nihil impedit; alioquin nec valerent Domini Nuntii impertiri diſpenſationem pro *Extra* iis, qui obtinuiſſent à Papa diſpenſationem pro ætate, quod eſt contra praxin quotidianam.

Ratio

Ratio autem hujus praxis eſt: quia Princeps conferendo alicui ſuorum ſubditorum aliquam gratiam ſpecialem, non intendit derogare juribus alterius generis, quæ indulſit ſuis delegatis judicibus, ſi enim non debet quiſquam alterius odio prægravari *Regul. 22. in 6.* multò minùs alterius favore, gratiâ, & beneficio. Et cùm Principis beneficium ſit ex ſe perpetuum *cap. Decet. De Regul. jur. in 6.* non eſt præſumendum, eſſe ipſi derogatum niſi conſtet de voluntate Principis; atqui ex eo, quòd conferat alicui gratiam diſpenſationis, nullo modo conſtat, velle inhiberi alterius jus, & privilegium alterius generis circa eandem perſonam, ſiquidem conceſſa in augmentum non debent parere diminutionem. *L. Legata inutiliter. 19. ff. De Legat. 1.*

Nec obeſt, quòd Pontifex manus appoſuerit, & conſequenter apponere non debeat alius, tum *Argum. cap. Propoſuiſti. De foro compet.* tum quia una juriſdictio non debet aliam turbare, præſertim Superioris. Cardinal. Tuſchus *Lit. F. Concl. 35.* Hinc quippe non ſequitur, quòd non liceat ſuſcipere, tractare, terminare negotium, ad quod Pontifex non appoſuit manus.

Ex his patet, Dominum Nuntium potuiſſe *validè* diſpenſare in impedimento illo Cognationis, ſi alias fuit præditus poteſtate diſpenſandi, & quia non video ullam inconvenientiam in uſu hujus poteſtatis, idcirco etiam non video, cur illicitus fuerit ejus poteſtatis uſus.

Cæterùm quia in caſu ſupponitur, illum Dominum Nuntium habuiſſe facultatem diſpenſandi non ſolùm inter levantem, & levatum, ſed etiam inter levantem, & parentes levati, quæ tamen facultas non exprimitur in Indiculo, quem habeo, idcirco exiſtimo, etiam *virtualiter* contineri in poteſtate diſpenſandi inter levantem, & levatum per Regulam: *Cui licet, quod eſt plus, licet utique, quod eſt minus. Reg. 53. in 6.* quæ Regula locum habet etiam in iis, in quibus quale quale periculum alterius verſatur. Peckius *in cit. cap. Cui licet*, & per eam licet argumentari à majore ad minus. Nicolaus Eberhardus loco *A majore.*

Quamvis autem P. Joannes Streinius *in cit. Regul. 53.* poſt Joannem Andream *in Regul. Quæ a jure. De Reg. jur. in 6. abſolutè* neget, argumentum à majore ad minus valere in facultate diſpenſandi, proinde facultatem conceſſam ad diſpenſandum in certo caſu, non debere extendi ad ſimilem, aut etiam ad habentem majorem rationem, id tamen limitandum ſaltem: *Niſi ſtylus Curiæ aliud habeat*, habere autem aliud in præſenti materia conjicio ex eo, quòd in propoſito caſu ſupponatur pro indubitato, quòd ſuppetat Domino Nuntio poteſtas diſpenſandi inter levantem, & parentes levati, cùm tamen hæc poteſtas nullo modo exprimatur in meo Indiculo, miſſo ad me ex aula illius ipſius Domini Nuntii, in cujus foro agebatur hæc controverſia.

Reſponſiones in decurſu, & elucidatione 589
hujus XXI. Caſûs partim declarant, partim etiam firmant ſequentes Caſus, quibus tamen præmitto, licèt doctrina Patris Sanchez *Lib. 8. De Matrim. Diſp. 26. num. 6.* poſt Navarrum & alios tradentis, quando Nuntius Apoſtolicus, aut alius Superior diſpenſat cum aliquo in impedimento conſanguinitatis, affinitatis &c. cenſeri hoc ipſo diſpenſare cum altera parte, vera ſit, quando ſponſus & ſponſa ſubſunt uterque juriſdictioni diſpenſantis, ſi tamen ſponſus ſit e. g. ſub Nuntiatura Helvetica, ſponſa ſub Viennenſi, vel Colonienſi, eandem doctrinam pati difficultatem, nam facultates Nuntiorum ſunt expreſſe hoc tempore limitatæ ad perſonas ſubjectas eorum Nuntiaturis, quemadmodum reſponſum mihi fuit Anno 16 0. in contingentia facti, quæ tamen cùm poſtea eſſet tranſlata Romam, diſpenſavit ſua Sanctitas cum utroque (juncti erant quarto æquali affinitatis gradu, impoſitáque mulcta ſolùm duodecim ſcutorum) ita tamen ut diſpenſatio fuerit, juxta modernum ſtylum Curiæ, miſſa ad Ordinarium ſponſæ, non autem ad ſponſi, etſi liquidò ſcio, fuiſſe Anno 1656. contrarium factum cum aliquo illuſtri viro, quem etiam nominant mea adverſaria, id temporis conſcripta. Quo notato pro praxi venio ad alios Caſus, quibus declarantur dicta in hoc Caſu, ſeu *cap. 21.*

I. Caſus eſt noſtri Xenocratis, ſuprà *num.* 590
570. cum quo diſpenſandi ſufficientem habuit cauſam D. Vicarius Generalis, re enim verâ imminebat graviſſimum periculum animæ, ſicuti & famæ, ergo locum habebat reſolutio allata *num. 583.* Accedebat, quòd & ſponſus jam impleverat gravem ſibi conditionem, cum qua erat ipſi promiſſa diſpenſatio, poterátque ob tam diuturnam dilationem gratiæ Pontificiæ non inaniter credere, illam eſſe quidem jam expeditam, ſed alicubi, ut perſæpe factum experius ſum, hærere contra mentem ſuæ Sanctitatis, ergo habebat in his circumſtantiis locum doctrina de valore diſpenſationis jam quidem conceſſæ, ſed nondum cognitæ, adferenda *Caſ. XXIII. num. 669.*

II. Caſus eſt hic. *Titius, & Bertha, præmiſſis* 591
legitimis denuntiationibus, cæteriſque requiſitis, bonâ fide Matrimonium contraxerunt, ac filios genuerunt multos, quorum unus nunc eſt ſuperſtes. Sed ecce! poſt Annos ſeptem a Matrimonio apparuit impedimentum dirimens inter ipſos ſecundi in quartum gradum. Notitia hujus impedimenti eſt inter vicinos, ita ut jam ſit publicum. Supplicârunt quidem Pontifici pro diſpenſatione, ſed requiſita ſunt vel aliquot expenſæ, vel acceſſus ad Romanam Curiam Conjuges autem ita ingenti oppreſſi ſunt inopiâ, ut neutrum poſſint. Quid hic remedii?

Hic Caſus cum his circumſtantiis miſſus fuit decidendus cuidam Theologo Panormitano, teſte P. Tamburino *loc. cit. §. 4. num. 11.* qui reſpon-

reſpondit, Epiſcopum poſſe, & debere diſpenſare, cùm nequeat Pontificia gratia obtineri ob paupertatem, vel diſtantiam ab urbe Româ, nec illi conjuges poſſint ſeparari ſine dedecore, & ingenti difficultate, nec cogendi ſint, ut cohabitent, ſicut frater, & ſoror, nec adigi poſſit Epiſcopus, ut ſequatur opinionem P. Vaſquezii rati, Epiſcopum teneri facere expenſas diſpenſationum, quando oratores nequeunt eas facere. Certè hanc de ſufficiendis expenſis doctrinam negat meritò P. Palaus *Tr. 3. Diſp. 6. punct. 1. num. 7.* ignorat eandem praxis Germaniæ Epiſcoporum, tametſi opibus affluentium. Non exprimit quidem P. Tamburinus, utrùm *poſitivè* approbet tam categoricum prædicti Theologi reſponſum, inſinuat tamen ſatis. Ego puto, probationem deduci poſſe ex dictis *num. 578.*

592 III. Caſus. *Cajus pridie nuptiarum confitetur, ſe carnaliter peccâſſe cum conſanguinea ſponſæ, nec poſſe copulationem differri ſine ingenti ſuo malo.* Quare Confeſſarius dicit ipſi: *Celebra ergo nuptias, at ſine animo conſummandi: Imò fac votum peregrinationis pro felici conjugio, ſuſcipiendæ ſtatim altero, tertióve die poſt copulationem, tuum hoc votum indica ſponſæ, quam facilè induces, ut ſervet caſtitatem uſque ad tuum reditum, ego interim petam, impetrabóque diſpenſationem.* Quid cenſendum de hoc conſilio?

Reſpondeo, videri mihi quidem novum quoad votum peregrinationis, ſed tamen percomodum, fuit nihilominus ſupervacaneum, quia poſtquam fuit impetrata diſpenſatio Epiſcopalis, ut tanto minus ſcrupuli remaneret circa valorem Matrimonii, quæſiit Confeſſarius id, quod priùs debuiſſet, utrùm ſcilicet cognoſcendo conſanguineam ſponſæ immiſerit ſemen in ejus fas? Reſpondit enim Cajus, ſe non immiſiſſe, metu, ne ea evaderet gravida, unde irrefragabiliter intulit Confeſſarius: *Ergo non contraxiſti ullam affinitatem.* Vide dicta *Caſ. XVI. num. 392.*

593 Hoc ipſum quærendum eſt ex puella, confitente ſuam violationem factam à cognato ſponſi, quòd ſi non ſit dubium de contracta affinitate, & tamen immineat ſummum probrum puellæ, ſi reſiliat à ſponſalibus, ſuadent Recentiores DD. ſecuti Patrem Sanchezium *Lib. 2. Diſp. 40. num. 7.* omnium ducem, ut ipſa emittat votum caſtitatis, & maritum faciat de eo certiorem poſt contractum matrimonialem, abſtineátque copulâ, donec adſit diſpenſatio, vel à Papa, ſi non concurrant circumſtantiæ, in quibus valeat diſpenſare Epiſcopus, vel ab Epiſcopo, ſi eæ concurrant.

594 Verùm non darem id conſilii puellæ, cujus maritus legiſſet hoc Alphabetum, vel aliquem è Theologis Recentioribus, tractantibus hanc materiam. Etenim facilè ſuſpicaretur, præceſſiſſe fornicationem. Fortè erit tutior famæ ſponſæ, ſi dicat, ſe velle aut integre, aut ex parte, uti privilegio communi, quòd ſcilicet neque ſponſus, neque ſponſa teneantur primis duobus menſibus reddere debitum. Vide Caſum, quem reſolvi *num. 264.*

IV. Caſus. *Epiſcopus A. ſcit, tres è ſuis Illuſtriſſimis Dominis Deceſſoribus diſpenſâſſe in quarto gradu affinitatis, at ignorat, quo titulo. Quærit, an tutò poſſit ſequi eorum veſtigia?* 595

Literis ejuſdem Epiſcopi interrogatus reſpondi, ſtante illâ omnimodâ ignorantiâ, non videri eſſe ſequenda veſtigia, eſt enim tunc præſumendum, illos tres fuiſſe munitos Privilegio *perſonali*, non autem *reali*, id eſt, affixo ipſi Sedi, cùm enim ejuſmodi Privilegium *reale* vel nullus, vel vix ullus Epiſcopus habeat, præſumi non poteſt in dubio. *cap. Inſpicimus. De Reg. jur. in 6.* ſi tamen excuſſis diligenter tabulariis, & examinatis iis, qui notitiam habere poſſunt Privilegii *perſonalis*, ſiquod impertitum fuiſſet, nequeat perveſtigari origo, & fundamentum illius conſuetudinis, probabiliſſimum eſt, non ſolùm illos tres, ſed etiam anteriores id feciſſe ex opinione vel dati Privilegii *realis*, vel alterius juris, atque adeo eſſe titulo præſcriptionis comparatum illud jus, juxta ea, quæ ex communi tradit P. Laymannus *Lib. 3. Tract. 1 cap. 8. num. 15.* Nec enim 596 dubitari debet, quin vel ex Cancellaria, vel ex fama aliqua cognoſci poſſet impertitio talis *perſonalis* Privilegii, ſi fuiſſet conceſſum. Et his ſcriptis reperio, P. Leſſium *in Auctario verb. Matrimonium, Caſ. IX.* reſpondiſſe, Epiſcopum Leodienſem, ejúſque Vicarium diſpenſare in tertio & quarto gradu affinitatis, quando ob paupertatem nequit obtineri Româ diſpenſatio, & imminent graviſſima mala, ſi non diſpenſet ipſe, eò quòd illorum anteceſſores per 40. Ann. ſoliti ſint diſpenſare in tali Caſu. Adde, quòd in dubio, utrùm privilegium, de quo dato conſtat, ſit *reale*, an *perſonale*? præſumendum ſit, eſſe *reale* teſte Bonacinâ *De Leg. Diſp. 1. quæſt. 3. punct. 1. num. 7.* Laymanno, & aliis.

V. Caſus. Reverendiſſimus & Illuſtriſſimus 597 Dominus Epiſcopus Ratiſbonenſis habet a Sede Apoſtolica ad quinquennium poteſtatem diſpenſandi cum pauperibus in quarto & tertio gradu ſimplici, vel mixto conſanguinitatis, Wolfgangus ejus Diœceſanus imprægnavit Cajam cognatam in tertio gradu, petitque diſpenſationem à ſuo Domino Ordinario, cauſatus ſe pauperem, eò quòd ſit opifex vulgaris, carens propriâ domo, & non habens ex agello, & in cenſu annuo, niſi 36. aut 40. Florenos, id eſt, ſcuta Romana 20 vel 22. Quærebatur, an hoc caſu procederet Privilegium?

Reſpondi rogatus ſententiam affirmativè, 598 idcirco, quòd ſit imitandus mos Pontificis *cap. Ex literis. De conſtitut.* Atqui Pontifex diſpenſat gratis cum talibus, ergo tanquam cum pauperibus. Accedit id, quod de clauſula: *Si ſit pauper*, dicam infrà *num. 658.*

VI. Caſus. *Fabius cum Lælia conſanguinea* 599 *in tertio gradu contraxit ſponſalia per verba de*

futur,

futuræ, ſub conditione diſpenſationis impetrandæ, eámque cognovit carnaliter, quæ cùm ſit probabiliter gravida, & conſequenter infamanda, ſi exſpectetur Romana diſpenſatio, ac præterea timendum ſit magnopere, ne ob metum confuſionis inferat ſibi, aut proli extremum malum, ſupplicat Reverendiſſimo Domino Vicario Generali participanti omnem poteſtatem Epiſcopalem, ut ipſe diſpenſet in hoc impedimento, quatenus ante quadrageſimam, quæ intra 24. dies incipiet, copuletur in facie Eccleſiæ. Poteſtne Dominus Vicarius Generalis annuere precibus?

600 Conſultus ante permultos Annos exiſtimavi, non potuiſſe, partim quia id temporis nondum erant editi, aut à me lecti tot Scriptores, qui ſequuntur doctrinam relatam *num. 582.* à Sanchez *cit. Diſp. 40.* primò omnium traditam, ut teſtatur ipſe, partim quia mihi videbatur, illud periculum matris, aut prolis non ſatis prudenter præſumi. Adhæc videbar non fruſtra timere, ne copula illa eſſet habita ſub ſpe tantò faciliùs impetrandæ diſpenſationis, quo caſu Papa non ſolet facilè diſpenſare, nedum Epiſcopus. Infrà *num. 626.* Itaque fui reſolvendo ſecutus rigidiorem ſententiam Soti, & aliorum ſuprà *num. 582.* relatorum. Jam verò mitiùs judicarem, ſuppoſito vero periculo damni procreandi matri, aut proli, itémque certitudine, quòd non utraque pars, ſed vel neutra, vel tantùm altera peccâſſet cum ſpe obtinendæ diſpenſationis juxta dicta *num. 587.* & dicenda *cit. num. 626.* & quòd Vicarius Generalis polleat etiam hìc poteſtate Epiſcopali juxta dicta *num. 584.*

APPENDIX PERIURI.

a Hi ſex Caſus jam ſubierant cenſuram eorum, quibus placuit legere *tertiam* mendoſiſſimam, id eſt Venetam editionem præſentis Tractatûs. Interim contigêre, mihíque elucidandi fuêre propoſiti coràm, & per literas alii multùm quidem affinitatis habentes cum hiſce prioribus, attamen veſtiti unâ, aut pluribus novis circumſtantiis, ut videri queant non indigni ſingulari diſcuſſione. At omiſſis cæteris ſunto hi tres ſequentes.

b VII. Caſus. *Publius, & Publia juncti ſecundo, & quarto, ſeu,* ut ſtylo Curiæ Pontificiæ utar, *quarto cum ſecundo gradu conſanguinitatis, petunt diſpenſationem. 1. Quia Publius habet pauperes parentes. 2. Quia nequit in ſuo oppido reperire niſi pauperem. 3. Quia parentibus eſſet gratum hoc Matrimonium. Addebatur, quòd in primò examine negârint interceſſiſſe copulam, at poſtmodum faſſus eſt Publius, ſe ex verecundia mentitum. An his poſitis ſperanda diſpenſatio Domini Nuntii Apoſtolici?*

c Reſpondeo, poſſet ſperari ob cauſas relatas, & referendas *num. 587.* & *655.* niſi obſtaret perjurium, etenim perjuro non creditur in judicio *cap. Teſtimonium. De teſtib.* ſaltem in eodem judicio, & cauſa, Maſcardus *De probat. concluſ. 1174.* & ego poſt illum *in Alphab. Quadrupl. Part. 2. num. 687.* ex communi, fortè igitur Dominum Nuntium non habiturum fidem juraturis, ſe non fuiſſe commixtos carnaliter ſub ſpe facilioris impetrationis, poſſe tamen tentari, ſi de ſuo perjurio, ſeu falſo juramento *malitiæ*, ut vocant, egerunt pœnitentiam, quandoquidem valde diverſa ſunt, *abſolutè* non fuiſſe fornicatos, & fuiſſe quidem fornicatos, at non ſub ſpe facilioris diſpenſationis. Et cùm plebei homines nihil ſanè nôrint de ſpe faciliùs conſequendæ illius gratiæ, ſi priùs commiſceantur carnaliter, meritò credet Dominus Nuntius negantibus hanc intentionem, haud etiam difficulter habetur fides aſſerenti veroſimiliora, veroſimiliora autem ſunt ea, quæ communiter fiunt, fit autem, ut dixi, communiter (expertus loquor) ut deſit apud plebejos illa tam inviſa (& meritò) Romanæ, conſequenter Nuntiorum Curiis intentio, & denique dicam infrà *num. 628.* an poſſit per æquivocationem negari illa intentio. Junge his doctum Ludovicum Engel referendum *Tract. ſeq. num. 740. in Append. lit. G.*

VIII. *Nabor, & Praxedes impetrârunt diſpenſationem in quarto gradu conſanguinitatis à Nuntio Apoſtolico N. cum clauſula*: Sublatâ ſpe alterius Matrimonii *Praxedes Nabore vitâ functo vult juſtis de cauſis alteri nubere. An poteſt?* d

Reſpondi, poſſe, quia & Papa diſpenſat ſine tali clauſula apud P. Sanchez *Lib. 8. Diſp. 34. num. 3. & 4.* & inferior nequit onus adjicere diſpenſationi in lege ſuperioris. P. Palaus *Part. 1. Tract. 3. Diſp. 6. punct. 9. num. 4.* Nota hanc doctrinam non obviam. e

IX. *Poteſtne ſperari in favorem religionis, & manifeſtam loci anguſtiam à paupere Titio diſpenſatio Pontificia ſuper impedimento cognationis ſpiritualis orta ex Sacramento Confirmationis inter Confirmatum, & Tenentem patrinum, ambos ignorantes inde oriri poſſe impedimentum?* Ita ad me vir primæ authoritatis. f

Reſpondi I. Illa ignorantia parùm: favor Religionis, paupertas & anguſtia loci multùm juvabunt in Curia Pontificia. Parùm ignorantia, hæc enim non multùm attenditur per dicta generatim hoc ipſo *Tract. 9. num. 67.* Multùm autem favor Religionis, quia ſumma eſt ratio, quæ pro Religione facit *Leg. Sunt perſonæ. ff. De Relig. & ſumpt. fun.* Multùm & plurimùm anguſtia loci, & paupertas per ea, quæ protuli *num. 605. & ſeqq.* g

Reſpondeo II. Valebunt quoque in Curia Domini Nuntii per ea, quæ ibidem *num. 587.* & *697.* profero, ſingulariter id, quod allegato *num. 587. §. Præter*, ubi inter facultates extraordinariè impertitas Illuſtriſſimis Nuntiis, exprimo jus diſpenſandi inter Patrinum, & Filiaſtrum baptiſmalem, ergo & diſpenſandi cum patrino & filiaſtro Confirmationis, tum quia argumentum à majore ad minus eſt *per ſe lo-* h

quendo

Digitized by Google

quendo ſaltem in materia favorabili validum. Everhardus *in Locis ad 66.* cum plurimis, ſingulariter quando majus & minus ſunt ejuſdem qualitatis. Cardinalis Tuſchus *in pract. concluſionibus lit. A. concluſ. 501. num. 10.* ſingulariſſimè autem in materia delegatæ poteſtatis ad diſpenſandum *text. expreſſ. in cap. Per venerabilem. §. Quod autem, Qui filii ſint legitimi.* præſertim cùm hæc poteſtas ſit latè interpretanda, eſto, ipſamet diſpenſatio ſtrictam depoſcat interpretationem *cit. cap. Per venerabilem.* Sanchez *De Matrimonio Lib 8. Diſp. 2. num. 1.* innumeros referens, contra nitente licèt Barboſâ *in cit. cap. Per venerabilem.* Unde fit, ut poteſtas diſpenſandi à caſibus expreſſis extendatur ad non expreſſos, ſi hi ſint quoquo modo adaptabiles expreſſis. Felinus *cap. final. num. 8. limit. 1. De ſimon.* atque Sanchez *loc. cit. n. 2.* eſt autem præſens Caſus maximè adaptabilis ad caſum patrini & filiaſtri ex Baptiſmo, eſtque ejuſdem, ut ex ſe patet, qualitatis, ergo ſtant pro hac reſolutione inter cæteros Felinus, iteratò Tuſchus, atque Sanchez. Cenſeo autem, eſſe priùs ſupplicandum D. Nuntio, utpote viciniori. Si autem hic ſe nolit intromittere, ſuæ Sanctitati, & fortè ſi rogetur D. Nuntius, aget ipſe cauſam pauperum.

PAPA QUATENUS DISPENSET IN IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

CASUS XXII.

Principalis.

SUMMARIUM.

Papa nequit diſpenſare in impedimentis juris Divini. 603.
Cauſa, ob quas diſpenſat in Eccleſiaſticis. 604.
Referuntur diverſi Caſus diſpenſationum Papalium. 609.
Singulariter, ut duo impuberes nuberent. 610.
Regula ſubreptionis ex taciturnitate veri, vel expreſſione falſi. 611. & ſeqq.
Quid ſi adferatur unica cauſa, eáque falſa? 614. & 633.
Quid ſi dubitetur, an cauſa ſubſiſtat? 615.
An laborans pluribus impedimentis debeat omnia exprimere? 618. & 619.
Et ſingulariter in conſanguinitate. 620. & ſeqq.
Varia circa errorem in conſanguinitate, & affinitate. 622.
An omnia impedimenta ſint in uno, eodémque libello exprimenda? 624.
Quid exprimendum in jam contracto Matrimonio? 625.
An exprimenda copula priùs habita? 626. & ſeqq.
Caſus cognoſcentium ſe carnaliter ante executionem diſpenſationis. 629.
Quid ſi Reſcriptum Pontificium contineat errorem in nomine diſpenſandi? 635.
Quid ſi in nomine Diœceſeos? Ibid.
Quid ſi pro gradu affinitatis ponatur à ſupplicante gradus cognationis? 638.
Valet diſpenſatio, petita etiam pro ignorante. 641.

Illuſtriſſimus quidam enixè petebat diſpenſationem, ut poſſet ducere uxorem relictam ſui fratris defuncti, quæ ſimul conjuncta erat Oratori in ſecundo gradu conſanguinitatis. Dixi, difficiliorem quidem eſſe ejuſmodi diſpenſationem, propter concurſum utriuſque impedimenti in eadem perſona, quia ſicut ſingula, quæ non proſunt, ſimul collecta juvant, ita ſingula, quæ non obſunt, ſimul conjuncta nocent, adeóque majores deſiderari cauſas ad eam diſpenſationem juſtificandam, quàm ſi unum ſolum eſſet impedimentum, poſſe tamen tales eſſe cauſas, & rationes, ut etiam ſtante utroque impedimento, ſummus Pontifex meritò diſpenſare poſſit. Et verò poſt longam diſputationem, & conſiderationem Urbanus VIII. Anno, ni fallor, 1643. diſpenſationem conceſſit. 601

Refero verba Cardinalis de Lugo *in Reſponſ. Moral. Lib. 1. dub. 43.* appellans hunc Caſum *Principalem*, quia Pontifex diſpenſat in ejuſmodi impedimento cum ſolis viris Principibus, quinam autem dicantur hîc viri Principes, referam *Caſ. ſeq. num. 678.*

602 Occaſione autem hujus eventûs, & Tituli dabo hîc ſucculentam, & ſuccinctam ſynopſin eorum, quæ de Pontificis diſpenſationibus circa impedimenta Matrimonii reperio in probatis Theologis; diſcuſſionem nonnullarum, ſeu difficiliorum, ſeu magis practicarum quæſtionum differens ad Caſum ſequentem XXIII.

603 I. Nequit quidem Papa diſpenſare in impedimentis jure naturali inductis, alioqui diſpenſaret in Lege naturali, quod tamen fieri poſſe, negat S. Thomas *1. 2. queſt. 94. art. 5.* atque alii communiter. At verò *validè* diſpenſat vel in ſua Lege, quia ejuſdem eſt ſolvere, & ligare *cap. Inferior. diſt. 21.* vel in anteceſſoris, quandoquidem par in parem non habet imperium. *cap. Innotuit. De elect.* Et quidem *validè* diſpenſat, quando abſque juſta cauſa, etſi tunc *illicitè*, ſicuti de diſpenſatione in Lege humana generatim ſumpta demonſtrant Theologi in materia, ſeu *Tract. De Legibus.*

At valuitne diſpenſare in hoc

Caſu Romæ acriter controverſo?

Cum videlicet poſtulante aliquo ſupremo Principe diſpenſationem, ut liceret ſibi in Matrimonium accipere nurum, ſeu viduam ſuimet

ſuimet filii defuncti, fuit publicè in Urbe inter viros doctos acriter diſputatum, an Pontifex diſpenſare valeret 1. validè. 2. licitè?

Validè poſſe, aſſerebant alii, negabant alii, utrique fulti autoritate maximorum Doctorum, nec malis rationibus, ob quas Cardinalis de Lugo, referens hunc Caſum *in Reſponſ. Moral. Lib. 1. dub. 11.* cenſet quidem, eſſe probabile *ſpeculativè*, potuiſſe, at ipſemet de eo conſultus reſpondit, ſibi certum videri, non expedire, ut tunc diſpenſaret Pontifex, eò quòd omnes Doctores fateantur, ob maximam illius conjunctionis turpitudinem, ſeu indecentiam, exigi maximam neceſſitatis cauſam ad eam purgandam, ideóque nunquam Pontifices diſpenſâſſe in eo impedimento, nec illam neceſſitatem reperiri in Caſu Principis, de quo erat lis. Lege eruditiſſimè diſcuſſum ab eodem Cardinale hunc Caſum, & inde infer aliquam confirmationem reſponſi, quod videbis à me datum fuiſſe ad Caſum valde rarum propoſitum ſuprà *num. 381*.

604 II. Tres ſunt valde communes, & rationabiles cauſæ, ob quas ſolet Papa diſpenſare, *Prima* eſt, quando Rex, aut Princeps petit ſibi illam gratiam. Eſt enim valde rationi conſonum, ut Eccleſia oſtendat ſe benignam ergà defenſores, & patronos fidei, addente P. Perez *Diſp. 45. De Matrim. ſect. 5.* non eſſe acceptionem perſonarum, ſi Papa faciliùs diſpenſet cum divitibus, quàm cum pauperibus, eò quòd hoc ſit magis neceſſarium bono communi, ſolent enim divites facilè turbare pacem,
605 quando eis negatur, quod petunt. *Secunda*, quando nonnihil admodum difficulter reperit nuptias dignas ſe, aut ſibi competentes, niſi ducat hanc, aut illam affinem, conſanguineam &c. aut cogendus eſt ducere aliquam ex alio oppido. *Tertia* eſt defectus dotis competentis reſpectu puellæ, aut patrimonii reſpectu viri, ſi enim ipſa non reperiat, qui indotatam ducat, niſi cognatum, aut ſi juvenis non inveniat, quæ neceſſaria ad honeſtam ſuſtentationem adferat, niſi conſanguineam, affinem, commatrem, meritò petet, impetrabitque diſpenſationem. Vide de his cauſis plura infrà *Caſ. ſeq. num. 644. & ſeqq.* itémque Sanchezium *Lib. 8. Diſp. 19.* Coninck *De Sacram. Tom. 2. Diſp. 33. dub. 5.* P. Palaum *De ſponſal. Diſp. 4. punct. ult.* §. 2. ſatis copioſè differentes de his, at jejuniùs P. Thom. Tambur. *De Sacram. Lib. 8. Tract. 2. cap. 7.* cum P. Dicaſtillo *Diſp. 8. dub. 5.* de ſequentibus, quarum *Prima*, adeóque *Quarta* eſt extinctio gravis diſcordiæ, aut im-
606 peditio magnæ litis inter conſanguineos. *Quinta* eſt evitatio ſcandalorum, jactura famæ, & aliorum damnorum, quæ probabiliter timentur, niſi Matrimonium fiat. De ſcandalo vide authenticum Caſum infrà *num. 674.* *Sexta* eſt conſervatio divitiarum in eadem cognatione, & familia, ne cauſâ dotis diſtrahantur divitiæ ad aliam familiam, quando eæ ſunt ampliſſimæ, expedit enim Reipublicæ, & bono publico, magnas familias conſervari in ſuo ſtatu, & amplitudine opum, ſicuti diverſis occaſionibus inculcant Jureconſulti. Huc ſpectat conſervatio familiæ illuſtris intra eundem ſanguinem, quod maximè verum eſt, quando caput familiæ perituræ eſſet mulier, inquit P. Henriquez *Lib. 12. cap. 3. lit. D.* *Septima* cauſa eſt excellentia meritorum erga Eccleſiam, quale eſſet Centurionis, qui valde ſtrenuè, ac feliciter pugnâſſet ſuperioribus Annis adverſùs Turcam. *Octava* cauſa eſt, proles bonâ fide ſuſcepta ex conſanguinea, ut videlicet tantò meliùs educetur, ſi perſiſtant in Matrimonio, quod bonâ fide inierant, ſicut & initum bonâ fide Matrimonium ſuppeditat communiter juſtam cauſam, quia communiter nequeunt conjuges ſeparari ſine gravibus incommodis.

Lege omnino Barboſam *in Concil. Trident. Seſſ. 24. De Reform. Matr. cap. 5. num. 5. & ſeqq.* proferentem decem cauſas, ob quas Sedes Apoſtolica ſolet diſpenſare cum impeditis inter ſe, item formulas variarum diſpenſationum, ac præterea nominantem autores de iis ſcribentes. Quibus adde, cauſam, ob quam eadem Synodus *cit. cap.* ſtatuit, ne facilè diſpenſetur in ſecundo ſingulariter gradu, eſſe fortè eam, quam S. Gregorius relatus à Gratiano *cap. Quædam 34. quæſt. 3.* profert his verbis: *Experimento didicimus, ex tali conjugio ſobolem non ſolere ſuccreſcere.* Addo quoque, quòd Clemens X. Calend. Decemb. Anno 1670. diſpenſârit cum oratoribus junctis quarto gradu affinitatis, ſupplicantibúſque pro ea gratia: *Ex certis cauſis animum noſtrum moventibus*, nec ulla particularis cauſa exprimitur in toto Reſcripto. Hujus Brevis Copiam habeo penes me.

Cauſarum autem enumerari ſolitarum, etſi 607
ſingulæ non ſemper ſufficiant, ſufficiunt tamen plures ſimul ſumptæ. Cardin. de Lugo ſuprà *n. 601.* & intelligendæ de impedimentis dirimentibus ſolo jure *humano*, non habentibus adjunctum impedimentum impediens juris *Divini*, ſicut habet votum ſolenne Caſtitatis, & Religionis, cùm enim horum duorum votorum obſervatio religioſiſſima redundet in bonum commune Religionis, non debet in iis diſpenſari, niſi ob cauſam graviſſimam. P. Palaus *loc. cit. num. 3.* At in voto ſimplici Caſti- 608
tatis, vel ingrediendæ Religionis diſpenſatur ob quamcunque cauſam, quæ obſtat executioni voti, ſcilicet ob periculum grave tranſgrediendi votum, vel ob gravem difficultatem illud exequendi. Palaus *ibidem* vel ob ſcrupulos, vel ob dubium de valore. P. Perez *Diſp. 45. cit. ſect. 5. num. 13.* ſubdens, cauſam diſſolvendi ſponſalia legitima (parte alterâ invitâ) eſſe, ſi timeatur, priorem ſponſam futuram eſſe occaſionem peccandi ſponſo, aut ſi ex Matrimonio cum altera ſperetur publica pax, aut extinctio, vel impeditio gravium diſcordia-

 rum,

Digitized by Google

rum, qua de re rurſum agemus *Tract. ſeq. Caſ. VII. num. 283.*

609 III. Ex his apparet, potuiſſe Vrbanum VIII. diſpenſare cum illo, de quo noſter Caſus *Principalis*, licèt in eo apparuerit duplex impedimentum. Sicut & Clemens VII. *validè, licitéque* diſpenſavit cum Henrico VIII. Rege Angliæ tunc Catholico, ut duceret Catharinam Caroli V. Imperatoris materteram, quam prædicti Henrici frater Arcturus habuerat antea uxorem, reliquerátque viduam, imò & virginem, ut videre eſt apud Florimundum Remondum *in Lib. De Ortu & progreſſu Hæreſeon*, quemadmodum etiam totus mundus novit, Sereniſſimum Joannem Caſimirum Poloniæ Regem duxiſſe Sereniſſimam Reginam, quæ fuerat conjunx Sereniſſimi Uladiſlai, fratris ejuſdem Joannis Caſimiri. Et Henriquez *Lib. 12. cap. 3. lit. D.* teſtatur, gratiâ Gregorii XIII. quandam Comitiſſam Hiſpanam nupſiſſe ſuomet patruo, & quidem poſtquam ſua defuncta
610 ſoror nupſerat illi patruo. Reſolvit inſuper, doctéque probat Navarr. *Conſil. 4. De deſponſ. impub.* Pontificem potuiſſe cum filio Ducis Medinæ Cæli, puero duodenni, diſpenſare, ut Matrimonium per verba de præſenti contraheret cum filia Ducis Albuquerzii, nondum etiam pubere, tum quia ſola lex humana irritat Matrimonia nondum puberum. Suprà *Caſu XVII. num. 450.* tum quia ſponſus, & ſponſa pollebant extraordinariâ diſcretione judicii, tum quia illud Matrimonium erat ceſſurum in utilitatem privatam, publicámque.

611 IV. Cùm diſpenſationes, & alia Reſcripta evadant ſubreptitia ex cauſa duplici, ſcilicet taciturnitate veri, & expreſſione falſi, notandum eſt, illorum ſolorum taciturnitate impediri valorem diſpenſationis conceſſæ à Papa, quæ à jure, vel ſtylo Curiæ mandantur exprimi, & illorum ſolorum expreſſione falſâ vitiari conceſſionem, quibus ſecundùm jus, aut ſtylum Curiæ movetur Papa in Reſcripto concedendo, ita ut jure, aut ſtylo Curiæ (qui pro Lege, in foro quoque *interno* habetur, ut fert communis opinio adverſùs Pontium apud P. Eſcobar *in Theol. Moral. Lib. 27. dub. 198. num. 776.* habentem *num. 778.* cum aliis 22. quos nominat Diana *Part. 12. Tract. De Conclavi Reſolut. 25.* Pontii ſententiam pro probabili, eò quòd Curiales Pontificii ſæpe introducant, ignorante Pontifice, ſtylum, ſeu conſuetudinem) cautum ſit, quòd eis non (hæc *negativa* eſt mendoſè omiſſa in Palao mox citando) ex-
612 preſſis, Papa non conceſſiſſet gratiam. Hanc pro generali Regula in omni cujuſcunque materiæ diſpenſatione tradit, aliis rejectis, juriſ ſcientiſſimus P. Caſtro Palaus *De Legibus Diſp. 6. punct. 16. §. 3. numero 13.* poſt Navarrum *De conſang. & affin. conſ. 8.* ex Felino, P. Sanchez *Lib. 8. De Matrim. Diſput. 21. numero 13.* P. Suarez *Lib. 6. De voto cap. 27.* Garciam *De benefic. Part. 8. cap. 3. numero 20.* ubi hic auctor adfert duas deciſiones Rotæ, & plurimos DD.

Intelligit autem Palaus hanc doctrinam 613
de expreſſione falſi, & taciturnitate veri circa cauſas pertinentes *directè* ad conceſſionis materiam, non ad ipſum concedentem, vel quæ conceſſioni ſint *extrinſeca*, quia neque lex, neque ſtylus Curiæ exigit, ut exprimantur ea, quæ ſpectant ad concedentem, aut quæ ſunt conceſſioni *extrinſeca*, ſicut improbitas vitæ, qua laborat petens diſpenſationem in affinitate, eſt planè *extrinſeca* conceſſioni diſpenſationis, perinde ac improbitas eſt *extrinſeca* conceſſioni aut ſtipis, aut Beneficii Eccleſiaſtici, nec enim eleemoſyna præbetur propter probitatem, ſed propter inopiam, ſicut & Beneficium Eccleſiaſticum datur propter qualitates neceſſarias ad exequendum munus illi Beneficio annexum, non ob ſanctitatem, ergo diſpenſatio data ſcelerato ſubſiſtit, licèt Papa certò non fuiſſet diſpenſaturus, ſi ſciviſſet, eſſe ſceleratum.

Addit verò Palaus *numero 1.* poſt Menoch. 614
& Gutierez, quando in Reſcripto exprimitur unica cauſa, eam cenſeri finalem, eò quòd princeps non diſpenſet ſine cauſa, ergo ſi ea non ſubſiſtit, cadit diſpenſatio. Vide infrà *numero 633.* Et Diana *Part. 8. Tract. 3. Reſol. 62.* poſt Bonacinam, Coninck, Perez, alios tenet contra P. Molinam, Ochagaviam, alios, in dubio, utrùm cauſa *tacita* ſit impulſiva, an verò finalis, eſſe habendam pro impulſiva, eò quòd debeamus, quoad poſſumus, defendere valorem actûs propter juris præſumptiones. Unde 615
infert P. Dicaſtillo *De Matrim. Diſp. 8. dub. 6. numero 118* cum P. Sanchez generatim in dubio, an ſatis probetur veritas narratorum in precibus, vel an cauſa, aut *tacita*, aut falsò expreſſa ſit finalis, an impulſiva, eſſe etiam ante contractum matrimonialem ſequenda mitiora ob præſumptionem juris de valore actûs. Unde *in Alphabeto Ordinis Caſ. XIX. num. 732.* obſervavi, quando in literis diſpenſationis exprimuntur duæ cauſæ, quarum altera eſt vera, altera falſa, ſubſiſtere diſpenſationem, modò vera cauſa ſit ejuſmodi, ut eâ ſolâ allegatâ, ſoleat impertiri diſpenſatio. Vide etiam in eodem *Caſ. XIX. numero 534. in fin.* quod dixi de ſuſtinendo valore actûs. Equidem tanta eſt præſumptio, quæ oritur pro validitate actûs, ut omnes alias vincat præſumptiones. Decius *in cap. Quoniam*, & Abbas *De offic. jud. deleg.*

Sequitur I. Illum, qui ob periculum inconti- 616
nentiæ petiit, & impetravit diſpenſationem ad Matrimonium contrahendum cum una, ſi, hac mortuâ, petat rurſum diſpenſationem, neceſſarium non eſſe, ut faciat mentionem prioris. P. Palaus *cit. punct. 16. §. 4. num. 5.* quia nulla lex ſcripta, aut non ſcripta præcipit, fieri in petitione poſterioris diſpenſationis, mentionem prioris, obtentæ vel circa aliam materiam,

riam, ut tradunt omnes, vel circa eandem. P. Palaus *loc. cit. num. 3.* excipiens tamen cum P. Perez *cit. Diſp. 46. ſect. 4.* & aliis duos aut tres caſus, quando ſcilicet aut obtenta diſpenſatio cedebat in præjudicium, tertii, rurſúmque ceſſura eſt, ſi rurſum concedatur, aut mentio prioris jam conceſſæ neceſſaria eſt, ut Papa intelligat quantitatem, & qualitatem gratiæ adæquatæ cauſæ ſibi propoſitæ.

617 Sequitur II. Si impetráſti diſpenſationem ducendi Bertham conſanguineam, attamen non duxiſti, utpote mortuam, vel ingreſſam Religionem ante nuptias, eâ autem tumulatâ obtinuiſti aliam diſpenſationem de ducenda alia cognata, at non feciſti mentionem prioris gratiæ, valere nihilominus ſecundam. Sanchez *Lib. 8. Diſp. 22. num 19.* Vide Palaum *loc. cit. num. 9.* Secùs ſentiendum eſt, ſi aut, illâ Berthâ vivente, volentéque tibi nubere, petas poteſtatem ducendi aliam cognatam. P. Tambur. *De Matrim. Tract. 3. cap. 9. §. 2. num. 3.* aut impetratâ diſpenſatione in impedimento uxoricidii, de quo *Caſ. IX.* rurſum contrahas idem crimen, ac rurſum ſupplices pro beneficio diſpenſationis, debes enim neceſſariò exprimere primam gratiam, quia Pontifex ægerrimè diſpenſat bis in hujuſmodi impedimento. P. Perez *cit. ſect. 3. num. 4.* idem dic de aliis ſolitis non niſi difficulter diſpenſari. P. Tamburinus *cit. §. 2.*

618 Sequitur III. Laborantem pluribus impedimentis Matrimonii, ſi ſint diverſi generis, debere omnia exprimere, etenim diſpenſatio circa unum non extenditur ex ſtylo Curiæ ad aliud. Ita omnes. Excipe: Niſi unum includatur in altero, ut impedimentum Publicæ Honeſtatis continetur in affinitate, quàm contráxiſti cum Fabiola, conſummando Matrimonium cum ejus matre, aut ſorore Marcella. Dicaſtillo *cit. Diſp. 8. dub. 8. num. 139.*

619 At, *quid ſi ſit multiplex impedimentum unius generis? ut ſi ſit conſanguineus ex parte Patris & Matris? ſi levavit è fonte Baptiſmi tres proles Titiæ, quam ducere cogitat? Si cognovit carnaliter quis non ſolùm unam; ſed duas conſanguineas illius, quam ducere vult, ſúntne omnia hæc exprimenda?* Negant Henriquez *Lib. 12. cap. 10.* & apud Sanchez *Lib. 8. Diſp. 24. num. 14.* Petrus Ledeſma, Emmanuel Rodriquez & Vega, quibus P. Eſcobar *in Theolog. Moral. Lib. 22. ſect. 2. dub. 1. quæſt. 2.* jungit Ludovicum de S. Joan. & Diana *Part. 8. Tract. 2. Reſol. 60.* Texedam. Aſſerunt idem Sanchez, Perez, Tambur. Dicaſtillo *ll. cc.* atque Eſcobar, addens Pontium, Hurtadum, Ochagaviam, Villalobos, alios Recentiores, & Rotam Romanam, at malè Dianam. Ob horum authoritatem in re tanti momenti ſequenda eſt hæc ſecunda ſententia, adeóque exprimendum; in quoto gradu cognationis, aut affinitatis exiſtas, item quotuplici titulo ſis affinis, aut cognatus, & ita de cæteris. Nihil tamen ſcrupuli habendum, ſi bonâ fide omiſſa eſt illa expreſſio, ſicut nec ullus habendus, quando juncti gradibus inæqualibus exponunt (excluſo ſcandalo, ut limitat Tamburin. *cit. cap. 9. §. 7.*) ſolùm diſtantiorem. Suprà *num. 161.* nam à parte rei non diſtant plus, quàm indicet remotior. Suprà *cit. num. 161.*

APPENDIX.

Excipe caſum, qui involvit primum gradum, ſemper enim, quando is adeſt, mandat eum exprimi Beatus Pius V. quemadmodum demonſtro, & recentiſſimo Caſu probo *in Quinario Tract. 5. cap. 37. num. 298.* contra nonnullos, núncque confirmo auctoritate Cardinalis de Lugo, utpote qui *in Reſponſ. Moral. Lib. 1. dub. 16.* in contingentia facti latè, & more ſuo ſapienter reſolvit, generali facultate *diſpenſandi excepto primo gradu*, non involvi, ſed etiam excipi primum gradum ipſius quoque affinitatis ex copula etiam illicita, ſive illa affinitas ſit in recta, ſeu etiam in tranſverſa linea, quandoquidem ille quoque gradus eſt propriè primus, igitur propriè involvitur exceptione primi gradûs. Unde addit idem Cardinalis, illum, qui habet privilegium diſpenſandi in impedimento ad petendum debitum, orto ex ſuperveniente affinitate, non poſſe hoc ipſo diſpenſare in ſimili impedimento orto ex cognatione ſpirituali ſuperveniente, nec habere in hujuſmodi materiis locum illam Regulam: *Cui licet, quod eſt plus, licet etiam, quod eſt minus*, eam ſiquidem intelligendam eſſe de illo minore, quod in majore continetur vel tanquam pars in toto, vel tanquam ſpecies in genere, quod etiam inter Theologos tradit Sanchez *Lib. 8. De Matr. Diſp. 2. num. 15.* Sed Jureconſulti, ut Dynus, Peckius, Streinius *in cap. Cui licet. De Regul. jur. in 6.* itémque Nicolaus Everhardus *in Locis*, Sanchez relatus ſuprà *num. 610. in Append. lit. F.* poſt innumeros, non arctant hanc, ab utroque jure traditam Regulam, tam anguſtis limitibus, nolo tamen diſſentire ab illa reſolutione ſapientiſſimi Cardinalis, ideóque poſt hæc jam priori prelo mandata ſic reſolvi in noviſſimo Caſu valde controverſo inter magnos Viros rogatus ſententiam; etenim cùm agitur de valore actûs, ſectanda ſunt certiora.

Nec obſtat huic doctrinæ Tamburini, quòd Barboſa in ſuis Deciſionibus *Lib. 1. voto 3.* referat ad longum literas Vrbani VIII. in forma Brevis datas Anno 1624. ad Officialem Toletanum, ob quarum authoritatem non fuit idem Barboſa auſus habere pro valido Matrimonio illud, quod D. Antonius. & D. Franciſca rati, ſe tertio tantùm cognationis gradu eſſe junctos, injerant cum diſpenſatione Pontificia, inito autem illo, & conſummato, deprehenderant, ſe etiam ſecundo eſſe junctos. Etſi enim idem Vrbanus dicat, aliud Matrimonium, quod alii duo ex indulto ejuſdem Vrbani contraxe- 620

Digitized by Google

traxerunt, factâ in ſupplici libello mentione ſolius gradûs tertii, cùm nôſſent, ſe eſſe etiam in ſecundo, fuiſſe *nulliter*, *& de facto* contractùm, eſſéque *inceſtuoſum*, id tamen non dicit *affirmativè*, ſed tantùm *relativè*, ſeu *narrativè*, refert enim tantùm, quòd Officialis Toletanus poſtea (urgente ſcilicet ſcrupulo, ob diſpenſationem à ſe, nomine Pontificis, factam, cùm nec ipſe, nec ſponſi ignorarent conjunctionem ſecundi quoque gradûs) ſcripſerit Pontifici, illos conjuges non poſſe permanere in eo Matrimonio, & proinde ſupplicare pro nova diſpenſatione, & liberorum ex eo conjugio jam ſuſceptorum legitimatione.

621 Hanc explicationem admittunt verba Vrbani ſumpta Grammaticaliter, ergo ſunt ita intelligenda, ut vitetur non leve incommodum, quòd ſcilicet Vrbanus VIII. appellâris nullum, inceſtuoſúmque Matrimonium, quod duo nobiliſſimi ſponſi injerunt, ſecuti apertiſſimas literas, & Decreta B. Pii V. & Clementis VIII. imò Gregorii IX. Clementis VI. & ipſiuſmet juris Communis, ut teſtatur B. Pius V. in Bulla, quam ibidem deſcribit Barboſa: ſicuti & Sanchez *Lib. 8. Diſp. 24. num. 26.* deſcribit verba Clementis VIII. B. Pius V. in terminis abrogaverat Bullam Pauli IV. habentis talia Matrimonia pro nullis, ejus veſtigia ſecutus erat Clemens VIII. hujus utriuſque Pontificis diſpoſitio extabat in omnium manibus, utpote relata à Sanchez, Gutierez, aliis Scriptoribus, & conſequenter recepta uſu tribunalium, quis credat, Vrbanum VIII. ſtatim ſecundo Anno ſui Pontificatûs non tantùm abrogâſſe illa Brevia, ſed etiam pronuntiâſſe inceſtuoſas nuptias, quæ contractæ erant ex mente ſuorum Anteceſſorum?

622 Sed eſto, Vrbanus reſcripſerit eo ſenſu, quo illum intellexit Barboſa, non tamen eſt eo ſenſu receptum illud Reſcriptum, partim quia Barboſa illud è tenebris in lucem protraxit novendecim Annis, poſtquam emanaverat, partim quia contrarium illius poſtea tradidêre Pontius apud ipſummet Barboſam, Perez *Diſput. 46.* Dicaſtillo *Diſput. 8. dub. 9.* Tamburinus ſuprà, ut omittam Filliucium, Covarruviam, Coninck, alios permultos, qui ante Vrbanum ſcripſêre. Hoc verum eſt, quòd idem B. Pius ſanxerit, ut poſtquam ſunt impetratæ literæ diſpenſationis, non expreſſo viciniore gradu, ſupplicetur pro aliis, quibus declaretur, taciturnitatem prædicti gradus nihil obeſſe valori impetratæ priùs diſpenſationis, at hæ poſteriores literæ ſunt petendæ ſolùm propter forum *externum*, non propter *internum*, ut notant citati. Formam petendi has declaratorias dant Sanchez, & Barboſa. Addit rectè P. Perez *cit. Diſp. 46. ſect. 5. num. 10.* cum Tamburin. *capit. 10. §. 2.* contra Conradum, nil obeſſe, ſi per errorem ſcribas, te eſſe conſanguineum tuæ ſponſæ in ſecundo gradu, cùm ſis ſolùm in tertio, ſicque reſpondi in facti contingentia conſultus ex Valleſia Anno 1671. At ait idem P. Perez, obeſſe, ſi per errorem ſcribas, te eſſe conſanguineum in ſecundo gradu, cùm tamen non ſis ullo modo conſanguineus, ſed affinis in tertio gradu, quod etiam tenet Tamburinus *cit. cap. 9. §. 8.* repugnantibus apud ipſum Dianâ *Part. 2. Tract. 10. Reſol. 36.* & *Part. 8. Tract. 3. Reſol. 64.* & Portel cum Bonacina. At nemo, reor, diſſentit vel à Sanchez *Lib. 8. Diſput. 24. num. 2.* negante valorem diſpenſationis, quam errore communi deceptus impetrâſti exponendo, te eſſe affinem in tertio gradu, cum ſis in ſecundo, qua de re vide etiam P. Perez *loc. cit.* Vel à Tamburino *cap. 9. § 6. num. 1.* obſervante, non eſſe exprimendum, utrùm Cognatio Spiritualis ſit contracta ex Baptiſmo, an ex Confirmatione, cùm utraque ſit ejuſdem omnino rationis, ſicut ſunt duæ cognationes carnales, quarum una ex virili, altera ex muliebri ſanguine provenit, eſſe autem dicendum, utrùm conſanguinitas proveniat ex linea recta, an tranſverſa, putat rectè Eſcobar *cit. Lib. 27. Theolog. Moral. dub. 194.* poſt Sanchez *cit. Diſp. 24.* Bonacinam *De Matrim. quæſt. 2 punct. 5.* contra Pontium, & Leandrum.

Sequitur IV. Valere diſpenſationem, quam 623
obtinuiſti, poſtquam ſemel, aut bis tuleras repulſam, ſive obtinueris ab illomet, qui negârat, ſive ab ejus ſucceſſore. Diana *Part. 8. Tractat. 3. Reſol. 54.* poſt P. Amicum, & Granad. contra Menochium, quia nec ſcripta lex, nec ſtylus Curiæ mandat exprimi factam repulſam, ſicut nec exigit, ut ſi fortè impetrâſti diſpenſationem, ſed vitioſam, facias hujus vitioſæ mentionem, dum ſupplicas pro alia.

Sequitur V. Quid reſpondendum ſit ad il- 624
lam quæſtionem, utrùm laborans pluribus impedimentis, neceſſariò exprimendis in petitione diſpenſationis, debeat omnia exprimere in uno libello ſupplici, an ſufficiat, ſi unum in uno, aliud poſtea in alio exprimat. Sufficere negat communior opinio apud P. Sanch. *Lib. 8. Diſput. 23.* contra Navàrrum, Henriquez, Vegam, & P. Emman. Sa, apud ipſum, & apud Eſcobar *loc. cit. dub. 190.* eò quòd Pontifex non ſatis intelligat, quantam gratiam tibi faciat, ſi immemor, ſe jam diſpenſâſſe tecum ſuper uno impedimento, diſpenſet rurſum ſuper alio. Quæ ratio perſuadet mihi illam *negativam* ſententiam caſu, quo illa impedimenta ſunt ejuſmodi, ut quando ſimul concurrunt, efficiant in morali æſtimatione majorem indecentiam, quàm ſi unum ſolùm adeſſet, ut patet in Caſu allato *num. 609.* de illo, qui volebat ducere ſuam neptem, & quidem illam, cujus ſororem priùs habuerat in Matrimonio. Vide P. Perez *cit. Diſp. 46. ſect. 4. num. 4.* & Dicaſtillo *cit. Diſp. 8. num. 146.* bene diſtinguentes cum P. Hurtado *Diſputat. 26. diffic. 6.* poſt P. Coninck *Diſput. 33. numero 74. & 75.*

Sequi-

Digitized by Google

625 Sequitur VI. Si in impetratione diſpenſationis non ſit facta mentio Matrimonii ſcienter initi intra gradus prohibitos, aut ignoranter omiſſis denuntiationibus, &, ſi conſummatum ſit, ipſius quoque conſummationis, ſubreptitiam, irritámque eſſe talem diſpenſationem. Ita P. Perez *cit. Diſp. 46. ſect. 7. num. 6.* dicens, hoc eſſe certum, ob Decretum Concil. Trident. *Seſſ. 24. cap. 5. De Reform. Matrim.* addens cum P. Sanch. & aliis contra Texedam, Navarrum, Vegam, & Rodriquez apud Dianam *Part. 9. Tr. 7. Reſol 36.* id ipſum dicendum, tametſi illud dictum Matrimonium, & ejus conſummatio contingat, poſtquam Pontifex conceſſit diſpenſationem, at nondum ea per Ordinarium, cui commiſſa fuit, expedita eſt. At verò ſi non
626 fuit initum Matrimonium, ſed ſolùm habita copula inceſtuoſa, diſtinguendum eſt, aut enim illa copula fuit habita eâ intentione, ut tantò faciliùs impetraretur diſpenſatio, & tunc taciturnitas copulæ vitiat Reſcriptum, redditque illud irritum. P. Sanchez *Diſp. 25. num. 38.* cum omnibus, quos legi, quia ſcilicet ita habet expreſſus, & Pontifici notus ſtylus Curiæ, expreſſus etiam in facultatibus Nuntiorum Apoſtolicorum, ſuprà *num. 587.* non tamen extendendus ad Caſum, quo ſolùm unus ſponſorum habet illam intentionem, nec eam manifeſtat alteri. Sanchez *loc. cit. num. 31.* & Portel apud Dianam *cit. Tract. 3. Reſol. 82.* contra Bonacinam *cit. punct. 5. num. 10.* diſſentientibus ab eo Patribus Palao *cit. punct. ult. §. 3. n. 9.* Hurtado *Diſp. 26. diffic. 5. num 26.* & Perez *loc. cit. ſect. 7. n. 9.* etiam in caſu, quo uterque peccavit ob illam ſpem, at eam non manifeſtavit, aut fuit quidem habita copula inceſtuoſa, ſed ſine prædicta intentione, & tunc ejus diſſimulatio non officit valori diſpenſationis. P. Perez *loc. cit. ſect. 6.* & Diana *loc. cit. Reſol. 81.* citans Averſam, Ochagaviam, Præpoſitum, Hurtadum: quibus addo P. Dicaſtillum *cit. Diſp. 8. num. 129.* referentem plures alios adverſus permultos, adhærente his Sanchez *loc. cit.* Tamburino *cit. Lib. 8. Tract. 2. cap. 9. §. 8.* & Eſcobar *loc. cit. dub. 188.* Ratio reſponſionis eſt, quia neque ex natura rei, neque ex ulla lege ſcripta, neque ex ſtylo Curiæ probari poteſt neceſſitas exprimendi talem copulam: Etenim Navarrus, qui tot Annis vixit Romæ, peritiſſimúſque erat hujus ſtyli, nihil de eo ſcivit, ut obſervat Diana, teſtans apertè idem de P. Emmanuele Sa, tacitè de ſemetipſo, & meritò addens *Reſol. 83.* contra Menochium, Gutierez, & Garciam, ſingulariter eſſe tunc veram hanc doctrinam, quando copula fuit habita inter junctos cognatione ſolùm ſpirituali, aut irretitos impedimento Publicæ Honeſtatis.

627 Confirmatur hæc doctrina partim Reſcripto Illuſtriſſimi D. Nuntii Apoſtolici ad Helvetios, dato Anno 1666. partim reſponſo, quod dedi ad dubium ortum ſuper eo. Verba Reſcripti ſunt hujus

Tenoris abbreviati.

Joannis N. & Petronillæ N. petitio continebat, quòd cupientes &c. animadverterunt, ſe cognationis ſpiritualis gradûs, non tamen inter levantem, & levatum, eò quòd Oratrici Orator duas puellas è baptiſmali fonte levârit, impedimento detineri &c. Nos à S. D. N. ad hoc ſpecialiter deputati abſolventes &c. prudentiæ tuæ committimus &c. etiamſi ſe carnaliter cognoviſſent, dummodo non ſub ſpe faciliùs obtinendæ diſpenſationis, abſolvas. Deinde cum eiſdem, ſi, & quatenus preces veritate nitantur &c. & quamvis priùs dicti Oratores juraverint, tale impedimentum inter eos eſſe, tamen juramento affirmant, copulam ſub ſpe non ſecutam fuiſſe &c.

Accepto hoc Reſcripto innotuit, alteram ex duabus perſonis peccâſſe carnaliter cum altera, ductam (ſed ignarâ alterâ parte) ſpe obtinendi faciliùs diſpenſationem, quæſivit ergo ex me Reverendiſſ. D. Vicarius Generalis, cui delegata erat poteſtas diſpenſandi, an nihilominus *licitè*, *validéque* poſſet diſpenſare. Reſpondi *affirmativè*, tum propter auctoritates *num. præced.* adductas, tum quia, cùm D. Nuntius priùs ſcripſerit in plurali: *Cognoviſſent*, meritò etiam pluralis numerus fuerit ſubintellectus in proximè ſequenti clauſula: *dummodo non ſpe faciliùs obtinendæ diſpenſationis*, ſubintellectus, inquam, ſubaudiendo verbum: *Cognoverint*, habet enim in hoc individuo caſu vel maximè locum Regula, quòd poſterior clauſula obſcurior ſit intelligenda juxta ſenſum prioris, utpote à qua determinari ſoleat. Marta *De Clauſulis Part. 4. clauſ. 24. num. 1.*

At Pontifex committens Ordinario diſpenſationem apponit quandoque expreſſè hanc 628
clauſulam: *Dummodo copula non interceſſerit.* Quid tunc agendum? Reſpondet Tamburin. *loc. cit. num. 6.* poſt Sanchez *loc. cit. n. 13.* ac Perez *loc. cit. ſect. 7.* cum diſtinctione, nam quando Oratores non fecerunt in petitione gratiæ mentionem copulæ, & executor pro foro *externo* diſpenſat, non poteſt interrogare (ut tamen factitatur Conſtantiæ ſequendo aliorum opinionem) de copula occulta, de qua non adſit infamia æquivalens ſemiplenæ probationi, quòd ſi interroget, poterunt ſupplicantes negare ſub apta æquivocatione, niſi fortè adeſſet aliqua ſuſpicio de illa, nec per dictam æquivocationem vitiatur diſpenſatio, at quando executor diſpenſat pro foro *interno*, ut ſolet eſſe Confeſſarius per Pœnitentiariam delegatus, debet interrogare de copula occulta, & ſupplicantes fateri debebunt, eáque ſuppoſitâ non poterit Confeſſarius diſpenſationem exequi,

qui, ut fatentur omnes. Vide etiam de hoc P. Caſtropalaum *De ſponſ. Diſp. 4. punct. ult. §. 3.* & partim admitte, partim rejice reſolutionem datam ad hunc

Caſum inceſtuoſorum.

619 N. *Tractabat de Matrimonio ineundo cum C. ſecundo gradu conſanguinitatis ſibi attinente, & poſt miſſam informationem in Urbem, & impetratam commiſſionem diſpenſandi, antequam fieret diſpenſatio, cognoverunt ſe carnaliter, & poſtea commiſſarius accepto juramento, quo juraverunt, ſe ſe non cognoviſſe, diſpenſavit, & contraxerunt publicè, & multis Annis vixerunt conjuges. Quæritur de remedio animæ, & corporis præfatorum.*

630 His verbis fuit expoſitus hic Caſus Navarro, ut eſt in ejus Conſiliis *De conſang. & affinit. conſ. 10.* Ad quem reſpondit 1. Peccâſſe graviſſime per inceſtum, & perjurium. 2. Valuiſſe diſpenſationem, quia in impetratione commiſſionis Papalis non fuit admiſſa ulla ſubreptio, & eam commiſſionem non potuit irritare inceſtus ſubſequens. 3. Matrimonium tamen fuiſſe cum peccato (ſicut contrahuntur ejus opinione pleraque Matrimonia) contractum, eò quòd non petierint ab Epiſcopo diſpenſationem ſuper impedimento impediente inceſtûs.

631 *Prima* Reſponſio hujus Doctoris eſt certa quoad utrumque membrum, niſi jurando ſint uſi, (ut poterant ex dictis,) æquivocatione, aut reſervatione mentali. *Secunda* placet *abſolutè. Tertia* diſplicet, quia *Caſ. 1. num. 7.* dixi ex Perez, Tamburino, & aliis, inceſtum non eſſe hac ætate annumerandum impedimentis reſpectu illius, cum qua interceſſit inceſtus, ſed ſolùm reſpectu ejus conſanguineorum.

632 His adde, decerni à Concil. Trident *Seſſ. 24. cap. 5.* ut qui aut ſcienter contraxit intra gradus prohibitos, aut ignoranter quidem, ſed non præmiſſis denuntiationibus, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis careat, ſuper quo Decreto ſi Commentarium deſideras, lege Perez *cit. Diſp. 46. ſect. 7.*

633 Sequitur VII. Quando in ſupplicatione affertur una tantùm cauſa, ſed falſa, diſpenſationem eſſe invalidam, ut jam monui ſuperiùs contra Leandrum, & Martinum à S. Joſepho apud Tamburin. *cap. 10. §. 3.* fortiter repugnantem iis, etiam in eo caſu, in quo ſubeſt juſta cauſa, ſed omiſſa in ſupplicatione, etiam tunc, cùm per ſimplicitatem, bonámque fidem eſt allata falſa cauſa, ut etiam notat Diana *Part. 2. Tract. 3. Reſol. 69.* cum Palao contra Baſilium Pontium. Eſt autem valida diſpenſatio, ſi cauſis falſis addatur una vera, quæ ex ſe ſit ſufficiens impetrandæ diſpenſationi, quia utile, per inutile non debet vitiari. Nec obeſt, 634 quòd Papa faciliùs diſpenſet inductus allegatione illarum falſitatum, nam ſufficit, dummodo reipſa eſſet conceſſurus etiam ſine allegatione falſæ cauſæ. Si tamen diſpenſatio in utroque impedimento tendat in unum, eundémque finem, ſicuti e. g. diſpenſatio in voto caſtitatis, ſimul & conſanguinitatis, & per dolum (ſecùs, ſi per ignorantiam non valde craſſam) ſit allata falſa cauſa pro una parte diſpenſationis, e. g. in voto, vera autem pro altera, judice Tamburino *cap. 10. §. 5.* corruit omnis gratia, eò quòd non videatur Pontifex velle quidquam beneficii impertiri agenti ſecum fraudulenter. E diverſo ait P. Perez *cit. Diſp. 46. ſect. 8.* valere diſpenſationem, quando cauſa eſt quidem vera, ſed probata per falſos Teſtes, ſicut & P. Chriſtophorus Haunoldus noſter *Tom. 1. De juſtitia Tract. 1. num. 337.* cum communiore Theologorum contra Canoniſtas defendit, falſam allegationem cauſæ merè impulſivæ nihil obeſſe valori Reſcripti, ſi cauſa finalis allegata ſubſiſtat, explicat autem bene *num. 340.* quid ſit cauſa merè impulſiva.

Quæres: *Utrùm, quando Papa expediendo Bullam diſpenſationis errat in nomine diſpenſandi, aut Diœceſis, cujus Officiali demandatur diſpenſatio, hoc vitium auferat ſuam vim diſpenſationis?* 635

Reſp. Convenit inter Authores hactenus citatos, erroris in nomine Oratoris nullam habendam eſſe rationem, dummodo conſtet, eſſe diſpenſatum cum illa ipſa perſona, quæ petiit diſpenſationem, at diſſenſio eſt, quando pro expedienda, ſeu exequenda diſpenſatione erratur nominando officialem alterius Diœceſis, quàm nominari deberet, etenim conſtat ex Tridentino *Seſſ. 22. cap. 5.* commiſſiones diſpenſandi, nomine Papæ, dirigendas eſſe ad Officialem illius Epiſcopi, ad cujus Diœceſin pertinet is, cum quo diſpenſandum eſt, ergo ſi inſcriptio literarum Apoſtolicarum præ ſe ferat Officialem alterius Diœceſis, erunt eæ literæ inutiles. Nam diſpenſare non poterit Officialis nominatus in literis, nec enim credibile eſt, fuiſſe mentem Pontificis, ut contra ſtylum conſtantiſſimum Curiæ, & Tridentini diſpoſitionem concederetur huic alieno hæc poteſtas, nec poterit diſpenſare Officialis, ad quem de jure Trident. ſpectaret, ſiquidem nullam commiſſionem accepit à Papa. Hanc diffi- 636 cultatem tetigi *in Alphab. Ordinis Caſ. XIX. n. 741.* ibique dixi, mihi videri non habendum ullum ſcrupulum ratione hujus erroris, quando reſcriptum Pontificium continet, eſſe jam diſpenſatum à Papa, ſicuti continent reſcripta circa ætatem ordinandorum, nam tunc non confertur ulli alteri poteſtas diſpenſandi, ſed tantùm executioni mandandi conceſſam à Papa diſpenſationem; at verò illic non aperui, quid cenſerem de Caſu præſentis difficultatis, in qua ſcilicet Papa ipſe non diſpenſat, ſed alius ejus autoritate, nunc autem aperio, &

propter

Digitized by Google

propter allatam rationem dico, Officialem alienæ Diœceſis nequaquam poſſe diſpenſare, at verò tam multi è Recentioribus DD. aſſerunt, tam multi negant, & quidem ob rationes ſatis bonas, Ordinarium Oratoris poſſe diſpenſare, ut neutri parti queat negari *practica*
637 probabilitas; etenim *affirmativam* ſuſtinet Salas, Sanctarellus, Texeda, Portel. Bonacina, Amicus, quos, citat, ſequitúrque Diana *Part. 1. Tract. 10. Reſol. 36. & Par. 8. Tr. 3. Reſol. 45.* item Pontius apud Tamburinum *cit. Tr. 2. De Matr. cap. 10. §. 7.* & Leander apud Eſcobar *cit. Lib. 27. dub. 197.* teſtatúrque Diana *cit. Reſol. 36.* hanc opinionem fuiſſe, ipſo conſulente, bis poſitam in praxi. Quare ignoro, cur P. Tamburinus *loc. cit. num. 3.* neget, ſe poſſe acquieſcere illis, qui eam habent pro probabili. Unde adhæret ipſe, & P. Eſcobar *locis citatis* opinioni *negativæ* poſt Sanchez *Lib. 8. Diſp. 22. n. 39.* Monetam, Villalobos, Merollam, & fuſè P. Perez *cit. Diſp. 46. ſect. 8.* Ego *affirmativæ*, ob præſumptionem de valore actûs, & de generali voluntate conformandi ſe Legi, & faciendi gratiam non inanem.

APPENDIX I.

Religioſi de Religioſo.

a Cum ea, quæ ſuperiore *num. 635.* Scripſi de errore in nomine minimè officiente, valori diſpenſationis, legiſſet vir Religioſus, atque perdoctus è Sacro Carmelitano Ordine, viſus à me nunquam, literis ad me exaratis rogavit me, ut ſibi aperirem meum judicium de aliquot reſponſis, quæ dederat ad tres, quatuórve quæſtiones propoſitas ſibi ab alio Religioſo neque Carmelitani, neque Societatis noſtræ inſtituti, multùm autem tentato. Ultra cæteras, huc nullo modò facientes, erat hæc una, quam in hunc ferè modum proponebat ille tentatus: Sum implicitus aliquo voto, cujus diſpenſationem, ſi ego apertè & per me peterem à noſtro Reverendiſſimo P. Generali, certò impetraturus eſſem, nec enim ſolet cuiquam negare; At gravi de cauſa nolo, ut reſciat à me peti; eam ob rem conſtitui rogare unum è meis amicis Ordinis, ut ipſe ſcribat P. Generali quaſi nomine & rogatu unius alterius, inſigniendi tali nomine, quale nullus habet in noſtra Provincia. Quæro igitur, an poſtquam venerit, ſicuti certò aderit diſpenſatio exprimens illud, in noſtra Provincia jam nulli impoſitum nomen, poſſim ego vi illius reſcripti cenſere, me eſſe coram Deo diſpenſatum?

b Hiſce auditis, & in memoriam revocatis illis, quæ hoc loco *n. 637. & 639.* ſcripſi de non habenda ratione erroris commiſſi in nomine Diœceſis, & impedimenti, reſpondit ille P. Carmelitanus videri quidem omnino futuram validam illam diſpenſationem, ſi ita res ſe habet, ut affirmabat ille conſulens; videri tamen, eſſe cum ſuperioribus agendum ſinceriùs.

c Et utique debetur præſertim ſupremis Capitibus Ordinum obſervantia major, quàm ut in literis ad eos datis adhibeantur ex propoſito tales technæ, nihilominus tamen ſuppoſita, ut dixi, veritate narratorum validam fore illius petitæ gratiæ conceſſionem, quandoquidem intentio Generalis verè tendebat non in nomen ſed in perſonam illam individuam, cui ſeu verè, ſeu fictè tribuebatur ea nomenclatura.

d Occurrit tamen hæc in contrarium ratio, quòd ſuprà *Tract. 7. num. 711.* retulerim Cardinalem de Lugo, & P. Dicaſtillo ſcribentes, Confeſſarium è noſtris Collegiis & Domibus, qui fortè incidit in caſum reſervatum, ad cujus abſolutionem exigitur expreſſa facultas Superioris, non poſſe ſibi ex illa communitate deligere pro ſui criminis relaxatione, quem maluerit, eſto prius accedat Superiorem, eique dicat: *Eſt in Collegio unus, qui indiget veſtra facultate pro una vice, ut faciat ſe abſolvi ab aliquo Confeſſario.* e Sanè talis adhuc minùs falſificat ſuum nomen, quàm ille, de quo Religioſus in hanc ſcenam productus ab illo Patre conſulente, imò non falſificat, ſiquidem hæc dictio: *Aliquis* comprehendit omnes perſonas abſque ulla diſtinctione, Gloſſa in *Clement. I.* de foro compet. *verb. Aut earum parte.* ergo & ipſummet Confeſſarium

f Sed reſpondetur in primis ex Cardin. Tuſcho *Tom. 2. Lit. D. Concluſ. 269.* illam Regulam fallere tunc, quando jus commune reſiſtit tantæ ampliationi; repugnat autem jus commune Societatis, cujus optima interpres eſt conſuetudo, quæ habet, ut poteſtas abſolvendi Domeſticos à Caſibus reſervatis non concedatur, niſi Confeſſario Domeſtico.

g Quòd ſi replices, eſſe nunc in quolibet Collegio duos Ordinarios Confeſſarios, ergo poſſe illum, de quo loquuntur PP. Lugo & Dicaſtillo. Reſpondeo, verba eſſe intelligenda ſecundùm ſenſum comunem non toti Orbi, ſed communitati, *Argum. Leg. In ſtipulationibus ff. De Reg. jur.* atque ſubjectæ materiæ Barboſa in Opuſcul. *Dictione 20. num. 9.* Atqui ſenſus communis noſtræ Societatis illam particulam *aliquis*, appoſitam tali materiæ, qualis exhibetur in producta objectione, intelligit, atque intelligi vult de perſona diſtincta à petente illam facultatem.

h Dices: *Ergo Confeſſarius eſt deterioris conditionis, quàm ſint alii*, ſiquidem ex dictis ſequitur, quod ſe debeat manifeſtare Superiori, cùm alii minimè teneantur. Item Confeſſarius petens à Superiore facultatem abſolvendi aliquem alium à reſervatis, debet ita circumſpectè loqui, ut Superior ne prudenter quidem ſuſpicari poſſit, ut dictum *cit. Tract. 7. Caſ. 20. num. 722.* atqui facilè ſuſpicabitur, ſi Confeſſario non liceat uti illa indeterminata clauſula, ſeu dictione: *Aliquis.* Reſp. Id minimè ſequi, quandoquidem, ut paulò antè monui, ſunt in quolibet Collegio duo Confeſſarii; poterit

Digitized by Google

terit ergo ille alter Confeſſarius mitti ad Superiorem pro poteſtate abſolvendi aliquem à Caſu reſervato.

Priori Appendici proponenti Caſum Erroris *in Nomine* reſpectu materiæ concernentis diſpenſationem in Voto, ſubnecto alterum formaliter continentem errorem etiam in Nomine, ſed materiæ Matrimonialis. Sit igitur.

APPENDIX II.

Caſus duplicis difficultatis.

i CAjus Diœceſis A. & Titia Diœceſis B. conſanguinei obtinuerunt tres Pontificias diſpenſationes magnis quidem ſumptibus, at duas priores invalidas propter expreſſionem falſi in puncto ſubſtantiali, tertia autem diſpenſatio continebat hanc difficultatem, quòd exprimeret eſſe in ſupplici libello ſcriptum: *Caji Diœceſis A. & Titiæ Diœceſis B. in dicta tamen Diœceſi A. biennio & ultra commorantis petitio continebat &c.*

k Hæc clauſula de illa commoratione tam diuturna nequaquam erat veritati conformis, cùm fuerit quidem Titia diverſis vicibus in illa Diœceſi, ſed tantùm ſemel per menſem commorata in uno loco, reliquis vicibus fuerit ferè in itinere; nihilominus tamen literæ diſpenſationis fuerunt inſcriptæ D. Officiali Diœceſis A. Quæſitum igitur, an poſſit hic illas exequi? Duo viri perquam ſapientes dubitârunt, nec voluerunt, etſi conſulti, categoricum reſponſum dare. Ego ad repetitam inſtantiam literis factam denique reſpondi, poſſe tutò procedi ad executionem. Fundamentalis ratio erat, quòd cenſerem illam clauſulam, tametſi à parte rei falſam, non ſpectare ad ſubſtantiam conceſſæ gratiæ.

l Ducebar inde, quòd mihi ſcriptum eſſet, fuiſſe quidem in prima ex duabus prioribus diſpenſationibus expreſſum, ſponſam eſſe Diœceſis B. at prorſus nullam factam mentionem commorationis in Diœceſi A. & tamen executio demandata erat Officiali A. igitur Stylus Curiæ minimè exigit illam commorationem. Accedebat, quòd & ego, & alii plures viderimus non unam ſed plures diſpenſationes continentes quidem, ſponſos eſſe diverſarum Diœceſeon, haudquaquam tamen exigentes, aut ſupponentes, ſponſam longo, aut brevi tempore habitâſſe in Diœceſi ſponſi.

m Hoc fateor, ſi uterque ſponſus fuiſſet Diœceſis B. nec alteruter in Diœceſi A. fuiſſet commoratus diutius, quàm re ipſa commorata eſt Titia, diſpenſationem futuram fuiſſe nullam, ſi quidem conceſſa fuiſſet cum illa clauſula de duobus Annis. Ratio eſt, quia præſumendum eſt, diſpenſationem dirigi duntaxat ad Officialem vel utriuſque, vel ſaltem unius ſponſorum. Suprà ex *Concil. Trident.* atqui illa tam brevis mora in Diœceſi A. non effeciſſet, ut Officialis A. eſſet eorum propriè Officialis. Confirmatur reſponſio inde, quòd Laurentius Portel. apud eundem Dianam *cit. Reſol 64.* poſt Bonacinam diſertè ſic ſcribat: *Si quis petens diſpenſationem ſcribat, ſe eſſe Diœceſis Eboracenſis, cùm tamen ſit Olyſſiponenſis, & Papa remittat diſpenſationem faciendam ab Eboracenſi, cum tamen non ſit Ordinarius impetrantis, poterit in tali Caſu diſpenſare Olyſſiponenſis, nam Papa intendit ibi dare facultatem diſpenſandi Epiſcopo ipſius impetrantis.* Ita Portel. poſt Salas, & Bonacinam.

Accedebat hæc ratio, quòd finalis ſeu po- n
ſtrema, de qua loquimur, diſpenſatio tenuerit tres ipſos Annos cum expenſis pluſquam ducentorum aureorum, & cum tali incommodo ſponſorum, ut ob mœrorem inde conceptum inciderit ſponſa in morbum lethalem. Culpa autem errorum, qui irrepſerant partim in libellos ſupplices, partim in ipſas Bullas nullo modo adſcribenda eſſet literis è Diœceſi miſſis, ſed vel Procuratori partium Romæ reſidenti, vel alicui ex miniſtris Curiæ. Vide hanc in rem Caſum deſcriptum *Tract. 8. num. 447.* in App. *Lit. c. & i.*

Unde exiſtimabam, eſſe ſupremi Paſtoris & o
Patris hanc generalem intentionem, ut, quando Officialis certus eſt de libello, qui ex Diœceſi miſſus eſt in Urbem, expreſſam fuiſſe ſine ullo alio vitio ſubſtantiali cauſam de ſtylo Curiæ ſufficientiſſimam, & tamen ob errorem in Urbe commiſſum rediit duplex, aut triplex reſcriptum, exhibens jam hanc, jam illam clauſulam, à parte rei nec veram, nec ab Oratore inſinuatam, attamen ex ſe ſubſtantialem, cenſeo, inquam, eſſe in his circumſtantiis mentem cujuſlibet Romani Pontificis, ut inſuper habito illo defectu procedatur ad executionem; nam & ſemper curandum eſt, ut actus potiùs valeat, quàm ut non valeat, ut notant omnes; & clauſula: *Si preces veritate nitantur*, refertur potiùs ad preces, prout ab ipſo Oratore factæ ſunt, quàm pro ut ab alio contra ipſius voluntatem, cur enim hic alterius odio prægravetur contra Regulam *22. in 6.*

Hanc rationem velim, examinet Lector, p
& corrigat, ſi erret. Certè dum expendo, nullum ex Collegio Eminentiſſimorum Dominorũ Cardinalium extolli ſolere ad Thronum Apoſtolicũ, niſi & præditum magno judicio naturali, & excultum ſingulari ſapientia comparata in diverſis Congregationibus & Officiis, in quibus eorum induſtria & ſagacitas variis occaſionibus probata, approbatáque fuit, nequeo inducere in animum, ut credam eis non conſtare, ſexcentos errores in petitione, expeditionéque diſpenſationum committi ſine ulla prorſus culpa vel errore Oratorum, qui nixi veris, expreſſiſque cauſis juxta ſtylum Curiæ ſufficientiſſimis ſupplicaverunt pro gratia nulli negari conſueta; quid ni igitur de illorum paterna benignitate præſumamus, eos velle haberi majorem rationem veritatis per eoſdem orato-

oratores expreſſæ quidem in ſupplici libello à partibus tranſmiſſo, ſed ab intermediis Miniſtris tacitæ, vel non fideliter relatæ, quàm mendorum, quæ ultro citróque præter & contra ipſorum mentem irrepſerunt?

Sequitur VIII. Qui reſpondendum ſit ad hunc

Caſum non excogitatum?

638 *Titius, & Caja tertio affinitatis gradu juncti, cupientes Matrimonium contrahere, à Papa ſuper dicto affinitatis gradu, re totâ ſincerè, & perſpicuis verbis propoſitâ diſpenſationem petiverunt. Papa commiſit Officiali, ut, ſi preces niti veritate cognoverit, cum Titio, & Caja autoritate Apoſtolicâ diſpenſare poſſit, ut dictæ perſonæ Matrimonio jungantur. Sed erratum fuit in Bulla Pontificia, quòd pro tertio gradu affinitatis poſitus ſit tertius gradus conſanguinitatis. Quæritur, utrùm Officialis nihilominus diſpenſare poſſit, ut dictæ perſonæ Matrimonio jungantur?*

639 Deſcripſi hunc Caſum ex P. Laymanno *Lib. 1. Theol. Moral. Tract. 4. cap. 22. num. 26.* Non igitur eſt à me excogitatus, etſi fortè ab illo; qui quidem allatis utramque in partem rationibus rectiſſimè concludit, ſi Titius probare queat, ſe in ſua ſupplicatione expreſſiſſe affinitatem, non autem conſanguinitatem, poſſe Officialem cum eo diſpenſare, nam & mens Pontificis fuit directa in ipſam perſonam Titii, & *cap. Suſceptum. De reſcript. in 6.* expreſſè dicitur, verba Reſcripti non eſſe ad alium Caſum extendenda, *niſi de intentione mandantis aliud appareret expreſſe*, atqui hîc expreſſè aliud apparet de mente mandantis, ſcilicet Pontificis; cùm nullus prudens dubitare debeat, quin lecto ſupplici libello annuerit petitioni. Adde, talem errorem *per ſe loquendo* nihil obeſſe juxta Dianam, & Portel. relatos ſuprà *num. 622.* cum Bonacina.

640 Dixiſti: *Officialem poſſe diſpenſare cum tali, dicéſne etiam debere?* Reſp. Dicam omnino, etſi non dixit Laymannus; etenim judex, & conſequenter Officialis, ſeu Commiſſarius Papalis debet procedere ſecundùm allegata, & probata; allegat autem, & probat Caſus, eſſe voluntatem, mandatúmque Pontificis, ut Officialis diſpenſet in tali etiam Caſu.

641 Sequitur IX. Subſiſtere diſpenſationem, quam petit Caja ad nubendum Cajo conſanguineo, impetrátque, ignorante Cajo, aut etiam invito. Sanchez *Lib. 2. Diſp. 26 & Lib. 4. De voto, cap. 24. num. 26.* Diana *p. 8. Tr. 3. reſol. 86.* & alii relati *Tract. præced. num. 748.* Nec obſtat, licèt in Bulla ſupponi videatur, utramque partem petere, ſicuti memini, me aliquando reſcripſiſſe quærenti ex me, quid de hoc Caſu, qui contigerat, cenſerem. Ratio eſt, quia inprimis ex natura rei non requiritur ullo modo plus, quàm ut tollatur impedimentum ex una parte, ſublato enim uno correlativorum tollitur & reliquum. Everhardus *in Loco à Relativis.*

Deinde non probatur, ſtylo Curiæ adverſari hanc practicam. Et quia ſuppoſitio, ſeu opinio, quòd utraque pars ſupplicet, non verſatur circa ſubſtantialia, ideo licèt ſit falſa, non irritat gratiam. Relege, ſi lubet, valde ſingularem Caſum, quem *in Alphab. Ordin. n. 745.* propono, & diſcutio de quodam, cui ignoranti, & tunc non cupienti erat impetrata diſpenſatio ſuper ætate, impetrata, inquam, à ſuo domino, cujus ipſe erat mancipium impropriè dictum, ſeu ſervus *de gleba.*

VARIÆ QUÆSTIONES CIRCA DISPENSATIONEM MATRIMONIALEM RESOLVUNTUR BREVITER.

CASUS XXIII.

Diſputabilis.

SUMMARIUM.

Caſus, in quo commiſſus error circa ætatem fœminæ petentis diſpenſationem. 642.
Quid requiratur ad id, ut diſpenſatio ob anguſtiam loci conceſſa ſubſiſtat? 645. & ſeqq.
An allegatio anguſtiæ habeat etiam in maſculis locum. 646.
Quid per Oppidum *intelligatur in ejuſmodi diſpenſationibus? 648.*
Quid ſi intra propriam Parochiam reperiatur idonea ſponſa? 649.
Paritas conditionis unde deſumenda? 651.
Reſolvitur Caſus num. 642. propoſitus. 652.
Paupertas allegatur dupliciter in materia diſpenſationis. 654.
Mulier quandonam cenſenda pauper? 656. & 658.
Quando vir? 658.
Et ſingulariter in Diœceſi Conſtantienſi. ibid.
An, quando ſolùm alterutet ſponſorum eſt pauper, verificetur formula? 659.
Nobiles Helvetii gaudent privilegio pauperum. 661.
Formula diſpenſationis ob paupertatem. 662.
Caſus Nobilium allegantium paupertatem. 663.
Et mulieris allegantis eandem ob deformitatem. 664.
An titulus paupertatis allegandus ſit ab utraque parte. 666.
Declaratur Caſu novo. Ibid. & 667.
An promittens conſanguineæ Matrimonium, teneatur promiſſione? 668.

Quando-

Quandonam incipiat valere diſpenſatio? 669.
Declaratur duplici caſu. 670. *&* 672.
Quatenus poſſit diſpenſare Officialis, antequam accipiat Bullam? 673. *in App.*
Quandonam debeat verificari cauſa, ob quam poſtulatur diſpenſatio. 674. *& ſeqq.*
Probatur ſufficere, modò tunc adſit, quando diſpenſatio eſt mandanda executioni. 677.
Quinam intelligantur nomine magnorum Principum? 678.
Quid agendum in perſeverante dubio circa diſpenſationem? 679. *& ſeqq.*
Refer'ur hanc in rem caſus. 684.
Explicantur nonnulla circa literas Dataria Romana ſpectantes diſpenſationem. 685. *& ſeqq.*
Item indicantur remiſſivè ſpectantia ad clauſulas Pœnitentiaria Romana. 688.
Caſus peccantis gratis. 694.
Deſcribitur formula diſpenſationis ex Curia Nuntii Apoſtolici. 697.
Proponitur nova quæſtio, an ſcilicet, quando datur Epiſcopo facultas diſpenſandi in ætate cum clauſula: Dum in actuali viſitatione exiſtis, *nequeat diſpenſare, niſi ipſemet.* 699.
Adferuntur rationes aſſerendi poſſe 700. *& ſeqq.*
Concluditur, non poſſe. 703.
Ratio, cur ea controverſia hic tractetur. 705.
Actus exercitus ſine requiſita conditione eſt nullus. 706.
Diſpoſitio conditionalis quæ? 707.
Omnis diſpoſitio intelligenda eſt ſecundùm naturam actûs. 708.
Quando eſt electa induſtria perſonæ, nequit alteri ſubdelegare. 709.
Quandonam cenſeatur electa induſtria perſonæ? 710 *&* 711.
Quandonam faciens per alterum non cenſeatur facere per ſe ipſum? 714.
Viſitatio eſt unum è præcipuis muniis Epiſcopalibus. 715.
In gratia illa, de qua ſuprà num. 699. *verè fuit electa perſona Epiſcopi.* 716.
Quatenus Regulares diſpenſent in impedimentis? 718. *& ſeqq. fuſè.*
Quatenus revocata Oracula vivæ vocis? 728. *& ſeqq.*

642 *Zaſius Illuſtri genere natus impetravit à Sede Apoſtolica gratiam ducendi, ſi preces veritate niterentur, in uxorem Barbaram ſanguine parem, ſimul & junctam; impetravit autem cum his clauſulis:* Cùm Barbara trigeſimum Annum & ultra agens, hactenus, ut aſſerit, virum paris conditionis, cui nubere poſſit, non reperiat, &c. demandamus tibi, ut, ſi preces niti veritate deprehenderis &c. *At verò ipſa agit ſolùm Annum vigeſimum tertium, nec fuit in ſupplici libello allegata illa ætas Barbaræ; Conſultus Illuſtriſſimus Dominus Nuntius Apoſtolicus Fridericus Borromæus reſpondit: ſi verificetur cauſa anguſtiæ l[illegible], valere diſpenſationem, non obſtante, quod æquivoca-tione ſcribentis error circa aiatem irrepſerit in conceſſione. Interim fatetur Barbara, eſſe in vicinia quatuor non inferioris conditionis, inter quos, & ipſam non intercedat impedimentum cognationis, aut affinitatis, ſed adeſſe gravem cauſam, ob quam è duobus neutri nubere velit: duos adhuc vacare ſtudiis literariis. Quæſitum ergo fuit, utrum potuerit Commiſſarius Apoſtolicus Zaſium, & Barbaram conjungere, aut conjungi jubere, ſtantibus his circumſtantiis?*

Reſpondi ego, lite & pendente, & multùm ancipite, videri, eſſe à Domino Commiſſario Apoſtolico diſpenſandum. Rationem mei reſponſi non modo producam *num.* [illegible] ſed inſuper hoc loco diſſolvam varias [illegible] occurrere ſolitas circa diſpenſationem, [illegible] junge illas, quas *Caſu præcedenti* [illegible] expreſſione falſi, taciturnitate veri; de [illegible] mendis in literis; de variis erroribus [illegible] bus, & ſingulariter quando erratur [illegible] Hîc verò 643

Quæritur I. *Quid requiratur ad id, ut diſpenſatio conceſſa ob anguſtiam loci ſub[illegible]* 644

Reſp. Exigi, ut in oppido, vel loco, in quo domicilium habet ſponſa, non reperiantur multi conditionis ipſi paris, qui non ſint ei juncti cognatione, vel affinitate intra quartam gradum. Ita re ipſa ſentit P. Sanch[illegible] *De Matrim. Diſp.* 19. atque alii plurimi, ut liquebit ex declaratione ſingularum particul[illegible] hujus concluſionis.

Dixi enim I. *Sponſa.* Etenim Sanch[illegible] *cit. num.* 13. loquitur de ſola fœmina [illegible] Congregatio Cardinalium verbis apud ipſum deſcriptis, itémque Navarrus *in Manuali* [illegible] *num.* 57. P. Reginaldus *Lib.* 31. *numer.* 194. P. Thom. Tamburinus *De Matrim. Lib.* 8. *Tract.* 2. *cap.* 7. §. 2. *num.* 2. Wigers *in* 3. *Part. q.* [illegible] 5. *num.* 52. P. Filliucius *Tract.* 10. *num.* [illegible] aliique plures; & ratio eſſe poteſt, quia non eſt maſculis tam difficile deſerere patrios lares, quàm fœminis, imò non tenentur ſequi uxores, ſed hæ ipſos. Nihilominus tamen non ſolùm P. Coninck in 3. Part. S. Thom. *Diſp.* [illegible] 5. *num.* 46. loquitur *generatim de nobilibus & principalibus perſonis, ſive quæ ſint ex honorabilioribus ſui oppidi*, ſicuti & generatim P. Perez *De Matrim. Diſp.* 45 *ſect.* 5. *num.* [illegible] ſed inſuper P. Caſpar Hurtadus de Mendoza *De Matri. Diſp.* 26. *difficult.* 3. *num.* 11. ſic reſolvit: *Secunda cauſa* (legitimæ diſpenſationis) *eſt, quando quis abſque gravi incommodo nequit invenire nuptias ſibi dignas, niſi cum cognata, aut cum ea, inter quam & inter ipſum eſt impedimentum, cujus petitur diſpenſatio, aut quando quis nequit* 6[illegible] 645

ullam

nullam in proprio oppido invenire. Ita Hurtadus; Ita quoque P. Dicaſtillo *Tr. 10. Diſp. 8. num. 88.* qui videtur mihi deſcripſiſſe ipſum Hurtadum. Favent huic locutioni apertiſſimè verba Innocentii X. deſcripta ſuprà *num. 587.* dum loquuntur de *Quibuſcunque perſonis* &c.

647 Miror equidem, nullum ex tot Doctoribus *disertè, reflexè*, ſeu *in actu ſignato*, quærere, aut exprimere, utrùm anguſtia loci locum habeat aliquando etiam reſpectu viri, cùm ſit certum ex verbis Congregationis, quæ deſcribit P. Sanchez *cit. num. 3.* quòd habeat communiter reſpectu fœminæ; habere etiam, & ſæpe quidem reſpectu viri, docent apertiſſimè Hurtadus, atque Dicaſtillo, & ſatis clarè P. Coninck, favente, ut dixi, brevi Innocentii X. at habere ſemper reſpectu ſolius fœminæ, nemo, quem legerim, exprimit: ergo quia certum eſt, fieri quandoque, ut etiam maſculi non reperiant in ſuo oppido uxores paris conditionis, niſi junctas ſanguine, vel affinitate, extra autem, non niſi unam, alterámve, quæ tamen nolint iis nubere, niſi ipſi velint ſe integere transferre in earum oppidum, arcem &c. ideo ego adhærens verbis horum trium poſteriorum Doctorum, & Brevis Pontificii, exiſtimo, poſſe anguſtiam loci etiam quandoq; extendi ad ſponſos; ſed velim examinent doctiores me, hanc doctrinam hactenus non ventilatam, etſi a me ſuaſam.

648 Dixi II. *In oppido*, nam vocabulo *oppidi* utuntur *abſolutè* Hurtadus, Riccius, Dicaſtillo, Coninck, Tamburinus *loc. cit.* Quamvis autem Navarr. Sanch. Reginald. Wigers, ac Tannerus loquantur de *Civitate* (per parentheſin nota, nomine *Civitatis* venire ſtylo Curiæ Romanæ ſolas urbes Reſidentiarum Epiſcopalium) *Urbe*, vel loco *inſigni, aut famoſo, oppidóve majore*, ego tamen per *oppidum* intelligo etiam in hac materia pagum; etenim Hurtadus, Palaus, Coninck, Diana, Filliucius *loc. cit. abſolutè* dicunt: Si non reperiant *in loco ſui domicilii*; & Breve Innocentii exprimit *abſolutè* anguſtiam *loci.* Ratio verò eſt, quia & de correlativis idem eſt judicium. Suprà *Tract. 5. num. 10.* & etiam multis mulieribus educatis in parvis oppidis, aut pagis eſt perquam difficile, deſerere ſuos, & ſua. Et Nobiles Imperii, ut vocant, adeóque Nobiles Suevi, Alſatæ, Francones plerique omnes domicilia habent non in oppidis, aut urbibus, ſed in pagis; & tamen perfrequenter poſtulant, impetrántque gratiam, de qua nunc diſſerimus. Hanc quoque particulam relinquunt indiſcuſſam Canoniſtæ, ac Theologi Morales, cùm tamen clarum ſit, non eſſe eos concordes in re ipſa, aut modo loquendi.

649 Adde ex Declaratione Cardinalium apud Sanchez, ſubſcribente Wigers, prædictam clauſulam verificari, etſi in circumvicinis locis invenire ſit paris conditionis, nam debent inveniri in eodem loco; Moleſtum eſt enim mulieri, relinquendo ſuos, nuptias extra ſuum oppidum, etiam in loco vicino, quærere, inquit P. Tamburinus *loc. cit. num. 3.*

At quid dixiſſet P. Tamburinus ad

Hunc Caſum nuperum?

Helena cupit Herculeo nubere ſuo in quarto gradu conſanguineo, ea ſola de cauſa, quòd in parvo pago, in quo habitat, non reperiat quemquam paris conditionis, at plures in loco ſuæ propriæ Parochialis Eccleſiæ, diſtante ſolùm dimidiæ horulæ ſpatio. An eſt ſpes obtinendæ diſpenſationis?

Re adhuc integrâ reſpondi, non videri eſſe ſpem, niſi dubiam, idcirco quòd circumſtantia propriæ Parochialis Eccleſiæ juncta tantæ viciniæ faciat, ut Helena poſſit juxta vulgarem, moralémque loquendi modum dici habere poſſe in loco habitationis ſuæ pares ſibi conditione; tum quia ex una parte, quod parum diſtat, nihil diſtare videtur. Tiraquellus *in Tr. De judicio in reb. exig.* tum quia ex altera parte cenſetur quis habitare in loco ſuæ Parochiæ vicinæ, ſi in eo conſueverit frequentare Divina. Quia tamen Riccius *in praxi Tom. 1. reſol. 238.* ait, puellam poſſe frui gratiâ diſpenſationis, etiamſi virum paris conditionis reperiat in inſigni loco vicino ſuæ patriæ, & Sanchez, Wigers, alii plures etiam ita loquuntur, ideo non haberem pro ſubreptitia diſpenſationem, quam petiiſſet, impetrâſſétque Helena, allegans bonâ fide, ſe non reperire parem in loco ſui domicilii.

Dixi III. *Non reperiuntur multi*; licèt reperiantur duo, aut tres, dicetur tamen mulier non reperire virum paris conditionis. Sanch. Wigers, Tamburin. Diana, Filliucius dicentes, verificari illam clauſulam, modo major pars (judicet Lector de hac majoritate) oppidi, ſeu loci ſit imparis conditionis, ſeu ſi poſſit dici, in eo loco *communiter* non reperiri aliquem paris conditionis. 650

Dixi IV. *Paris conditionis*; quæ paritas non protinus addeſt, etſi maſculus fœminam æquet aut nobilitate, ſi deſint opes, aut opibus, ſi deficiat paritas nobilitatis, aut neutrum horum deſideretur, attamen ſit magna differentia in ætate, in indole, in moribus; ut obſervant citati; imò quandoque ſi ſit nimia ſimilitudo, ut ſi mulier ſit præduri, & ferocis ingenii, & qui offertur, ſit nihilo mitior, evadet enim tunc Matrimonium Avernale. Vide Sanch. *loc. cit. num. 15.* ubi etiam notat, eſſe imparitatem hîc conſiderandam, quando is, qui offertur, eſt gravatus prole ex alio conjugio. 651

Ex his infero, jure feciſſe Reverendiſſimum Dominum Officialem diſpenſando, autoritate Pontificiâ, cum D. Zaſio. Inprimis enim Domina Barbara neminem reperiebat in loco proprii domicilii paris ſibi conditionis, qui non 652

attin-

Digitized by Google

attingeret eam cognatione, aut affinitate; ergo verificabatur clauſula de anguſtia loci. Deinde non occurrebant in vicinia, niſi quatuor; ergo etiam hoc nomine patrocinabatur ipſi, juxta phraſin Sanchezii & aliorum, titulus anguſtiæ loci. Et fortè duo ex illis quatuor erant adhuc valde procul à cogitatione de ambienda conjuge, utpote operam dantes Minervæ, cui nihil eſt commercii cum Venere.

653 Nec obſtat, quòd eſſet literis diſpenſationis inſerta major ætas, quàm revera haberet D. Barbara, poterat quippe probari, illam tantam ætatem non fuiſſe expreſſam in libello ſupplici; ergo hîc quoque valebat ratio, quam attuli ex Laymanno ſuprà *num. 639.* Imò licet per fraudem ad tantò faciliùs impetrandam gratiam expreſſiſſet illam ætatem, non nocuiſſet valori diſpenſationis, cùm enim abeſſet omnis ſpes reperiendi ante Annum vigeſimum quintum ætatis, (qui Annus jam inchoatus communiter attendi ſolet in his diſpenſationibus, in loco ſui domicilii tam multos paris conditionis, quàm multos exigunt DD. ſuprà citati ad falſificandam clauſulam de anguſtia loci, ſuberat jam cauſa una ſufficiens ad diſpenſandum, atqui quando exprimuntur duæ cauſæ; una vera, altera falſa, allegatio falſæ non reddit gratiam ſubreptitiam, ſi vera de ſe ſufficit ad gratiam obtinendam. Suprà *numero 634.*

654 Quæritur II. *Quinam intelligantur nomine pauperum in matrimonialibus diſpenſationibus?*

Supponendum eſt I. id, quod nemo disertè ſeu reflexè notat, videlicet titulum paupertatis allegari dupliciter in materia matrimoniali. 1. Tanquam cauſam finalem diſpenſationis *per ſe.* 2. Tanquam cauſam diſpenſationis *per accidens*, ſeu gratis impetrandæ. *Primo* modo allegatur paupertas, quando ideo allegatur, quòd ea ſit in cauſa, ut nequeat reperiri extra cognationem, vel affinitatem ſponſus, vel ſponſa. *Altero* modo, quando paupertas eſt in cauſa, ſeu impedit, quò minùs poſſint fieri ſumptus, requiſiti ad impetrandam Româ diſpenſationem legitimo titulo deſideratam, ſuſcipiendúmve iter Romanum. Hæc duplex paupertas quandoque conjungitur, quandoque ſeparatur. Nam reperire eſt, quibus non deſunt quidem facultates ſufficientes ad ſumptus taxámque Romanam, at deſunt ſufficientes ad nanciſcendum æqualis conditionis virum ſine gratia diſpenſationis; & vice verſâ aliqui non habent ſufficientes ad repræſentandam taxam Romanam, habent autem ad reperiendam uxorem, aut virum paris conditionis.

655 Supponendum eſt II. Illuſtriſſimos Dominos Nuntios Apoſtolicos communiter non pollere tam amplâ poteſtate diſpenſandi cum valentibus facere expenſas Romanas, quàm cum non valentibus; & ita quidem, ut ſicuti non ſubſiſtit diſpenſatio impetrata ob titulum paupertatis à Papa, ſi non adſit paupertas, quæ allegatur ut cauſa finalis, ita etiam vana ſit, quam ab ejus Nuntio impetrâſti, falſò allegando, te eſſe tam tenuis fortunæ, ut nequeas ſolvere taxam Romanam, itérve Romanum. Hoc ſuppoſito

Reſp. I. Loquendo de fœminis, quarum 656
reſpectu longè frequentiùs, quàm reſpectu virorum allegatur pro diſpenſatione paupertas, (licèt utique & hi non raró petant diſpenſationem) illa mulier habetur pro ſufficienter paupere in ordine ad impetrandam diſpenſationem *per ſe*, ſeu *abſolutè*, quæ non habet tantam dotem, quanta conſuevit exigi ad nubendum extra propriam cognationem, aut affinitatem viro æqualis conditionis, ſed debebit aut manere innupta, aut nubere vel inutili, morbido, valde moleſto, aut inæquali, prolibúſve onerato marito contra illud Ovidianum:

Si qua voles aptè nubere, nube pari.

Et reputatur meritò pauper, quamvis ha- 657
beat parentes opulentos, at conſtanter, præfractéque nolentes inſtruere dote competente; aut cognatos, à quibus multum ſperet, nam ſpes alit quidem agricolas, at non efficit locupletes. Conſule hac de re, & aliis dubiolis huc facientibus, Sanchezium *Lib. 8. Diſp. 19.* Dianam *Part. 8. Tract. 3. reſ. 94.* & alios ex ſuprà citatis, & infrà citandis.

II. Quiſnam vir cenſeatur pauper in hac 658
materia, non explicant mei DD. etſi Antonius Cotonius *controverſ. celebrior. volum. 1. Lib. 1. cap 8. controverſ. 7. num. 4.* ſic *abſolute* ſcribit: *Pauper dicitur omnis, qui vivere ſimpliciter, vel mediocriter non poteſt, niſi ei ſubveniatur.* Et Barboſa *in Opuſculis verb. Pauper*, obſervat ex communi, illum vocari pauperem, qui, licèt habeat congruam ſuſtentationem, attamen attento ſtatu perſonæ, & dignitate videtur indigere, & hanc doctrinam applicat obtendentibus paupertatem, quò minùs eant Romam propetenda abſolutione. *De Offic. & poteſt. Epiſc. Part. 2. Allegat. 41. numero 24.* citans Bartolum, Tiraquell. Surdum, alios; quod nota probè. Et verò non dubito, quin etiam ipſe maſculus ſit in hac ipſa materia diſpenſationis pro paupere habendus, qui ob inopiam nequit reperire ſibi uxorem parem natalibus, & dignitate. Vide ſuprà *num. 605.*

Sanè poſt hæc ſcripta obſervavi, Caſparum Hurtadum *De Matrim. Diſp. 16. Diffic. 3. num. 11.* ſcribere, eſſe viri, qui ex defectu ſubſtantiæ nequit invenire uxorem ſibi dignam, niſi eam, inter quam & ipſum ſit impedimentũ, eandem rationem, quæ eſt fœminæ patientis defectum dotis; qui quidẽ defectus reperitur in filia, non tantùm, quando ea *abſolutè* nequit dotari à patre, ſed etiam, quando poteſt *abſolutè*, ſed *incommodè*, quia ſcilicet pater habet plures filias, quarum unam ſi congruè dotet, non habebit, unde proſpiciat aliis. Riccius *in praxi Aurea Tom. 1. decis. 228. num. 8.* dicitur enim illud

fieri

Digitized by Google

fieri non poſſe, quod commodè facere, non poſſumus *L. Nepos Proculo. ff. De verb. ſignific.* congruitas autem dotis deſumitur ex reſpectu ad dignitatem natalium, facultates dotantis, qualitatem conjugum, numerum liberorum, conſuetudinem aliarum mulierum in eo loco. Riccius *in Collectaneis deciſionum Part. 4. Collectaneo 709.* exprimens, in civitate Neapoli quatuor millia ducatorum in perſona Nobili extra plateam haberi pro dote incongrua, ſeu omnibus ſpectatis inſufficiente. In vicina huic urbi Suevia, ubi magna eſt copia antiquarum Nobilium Familiarum, ſi quæ ultra mundum muliebrem adferat marito mille, aut mille quingentos ducatos, cenſetur eſſe inſtructa dote tam amplâ, ut meritò debeat renuntiare hæretitati paternæ, maternæ, imò & fraternæ. Tuſchus *Lit. P. Concl. 160.* obſervat, in hac ſpeciali materia diſpenſationis, illum dici pauperem, qui non poteſt ſolvere taxam Romanam. At Baldus *Conſil. 30. Lib. 2.* ex inſtituto tradit, illam mulierem non habere, unde ſe alat (& proinde eſſe pauperem) quæ nequit ſe alere ex redditibus, ſed ſolùm vendendo ea, quæ non ſolent vendi pro alimonia, ſicuti conſuevit vendi vinum, triticum &c.

In hac Conſtantienſi Diœceſi viget antiqua, teſtibus idoneis probata, frequenti, imò conſtanti uſu Conſiſtorii Eccleſiaſtici firmata conſuetudo, ut omnes illi, in materia diſpenſationis impetrandæ gratis, habeantur pro pauperibus, qui agriculturâ, opificio, arte etiam liberali, ut pharmacopœiâ, ſe, familiámque alunt. Et Barboſa *cit. num. 24.* habet illum pro paupere, qui habet multas filias nubiles.

659 III. Porrò quod quidam primæ dignitatis Eccleſiaſticæ vir ex me abhinc aliquot Annos occaſione caſûs, qui tunc agitabatur, percontatus eſt, utrùm, quando tantùm alteruter è ſponſis eſt pauper, verificentur clauſulæ: *Propter eorum paupertatem ad Romanam Curiam mittere non poſſunt*, aut *ſi verè ſint pauperes*, eſt indiſcuſſum à Doctoribus. Exiſtimavi ego, eſſe reſpondendum *affirmativè* reſpectu utriuſque clauſulæ; & quidem reſpectu *prima* idcirco, quòd verba diſpenſationis ſint intelligenda ſecundùm naturam actûs, ad quem diriguntur. Tuſchus *Lit. V. Concluſ. 95. num. 1.* & ita debent intelligi ſecundùm naturam actûs, & qualitatem perſonarum, ad quas referuntur, ut etiam debeant impropriari, ſi opus ſit, ut conveniant materiæ, actui, & perſonis. Barboſa *Axiomate 222. num. 8. & 9.* eſt autem natura actûs ſupplicantium pro diſpenſatione, ad quem dirigitur diſpenſatio ipſa, ut fiat vel communibus expenſis. Sanchez *Lib. 5. Diſp. 5. num. 33.* vel certè illius, ad cujus inſtantiam petitur, & proinde etiam hîc locum habeat uſurpatum nonnullis Juriſperitis hexametrum.

Commoda qui ſentit, jungat onus emolumentis.

Atqui talis diſpenſatio poſtulatur in gratiam pauperis. Adde, quòd clauſula: *Non poſſunt*, Verificetur etiam tunc, quando unus duntaxat poteſt. Adde rurſum, quòd *altera* Clauſula: *Propter eorum paupertatem.* Efficiat hunc verum ſenſum: *Propter paupertatem eos prementem*; quando autem alter ſponſorum eſt verè pauper, hujus paupertas etiam premit divitem, cùm cogatur, ut ſic, dare id, quod jure exigeret. Item eadem locutio reddit hunc ſenſum: *Propter paupertatem inter eos repertam.* Reperitur autem, etiam quando ſolùm alter eſt pauper. Denique cùm verba pluralis numeri perſæpe in jure accipiantur ſingulariter, ut variis inſtantiis declarat Tuſchus *loc. cit. Concl. 119.* quidni Commiſſarius Papalis etiam ſingulariter accipiat in præſenti materia? quandoquidem & actus ſemper ita interpretandus eſt, ut non ſit inanis, Barboſa *Axiom. 12. num. 16.* & poteſtas diſpenſandi, quæ eſt ipſi delegata, ſumi debet latè, non ſtrictè. Sanchez *Lib. 8. De Matrim. Diſp. 2. Prima*, & *ultima* allatarum rationum probat, etiam preces veritate niti tunc, quando, exiſtente illâ clauſulâ: *Si verè ſint pauperes, propriè, & directè* una ſolùm pars eſt pauper, illa, inquam, pars, quam altera accipit intuitu pietatis; hic enim reſpectus haberi debet. Reginaldus ex communi *Lib. 31. num. 196.* qui quidem tunc adeſt, quando ideo pauper accipitur, ut eripiatur periculo peccandi, habeat commodius Matrimonium, ſatiſfiat deſiderio cupientis filios Chriſtianè educare &c. Hæ fortaſſe cauſæ, aut aliæ, quæ me latent, effecerunt, ut ex aula Illuſtriſſimi Domini Nuntii Apoſtolici reſcriberetur, huc ſufficere paupertatem alterutrius; qua de re vide plura infrà *num. 666. in Appen.* Si tamen libello ſupplici inſeruiſſent hanc expreſſam clauſulam: *Cùm ob paupertatem neuter poſſit invenire alium nobilitate parem.* Caſu, quod alterutri non fuiſſet defuturum aliud conjugium Nobile, utpote locupleti juxta ſuum ſtatum, non modò expreſſiſſent falſum, ſed etiam eſſent probabiliter incapaces gratiæ factæ vi illius ſubreptionis tam apertæ. Quia tamen *num. 611.* dixi, illorum ſolorum expreſſione falſâ vitiari conceſſionem, quibus ſecundùm jus, aut ſtylum Curiæ ita movetur Papa in Reſcripto concedendo, ut iis non expreſſis non conceſſiſſet gratiam, concedit verò hanc facillimè, & communiſſimè, etiam quando alteruter ſolùm paupertate laborat; Ideo relinquo deciſionem hujus dubioli ultimam judicio Lectoris, notaturi reſolutionem hujus

Caſûs Helvetici.

SEmpronius homo agreſtis, gente Helvetius, per diſpenſationem gratis, ſeu in forma pauperum, *impetrandam ducere volens Liviam commatrem ſuam, allegavit titulum paupertatis, cùm tamen haberet in bonis immobi-* 660

Digitized by Google

mobilibus circiter quatuor millia ſcutorum, commater mille, Illuſtriſſimus Dominus Nuntius diſpenſavit quidem cum iis tanquam pauperibus; etenim uterque obibat labores, quos ſolent ruſtici, at motâ aliunde difficultate delata fuit res ad Curiam Romanam, è qua rediit reſponſum, quòd tales habendi non eſſent pro pauperibus, quia tamen Sempronius, & Livia uſi diſpenſatione Illuſtriſſimi Domini Nuntii contraxerant jam, priuſquam intimaretur ipſis Reſcriptum Romanum datum à Dataria quia inſuper in informatione, tranſmiſſâ in Urbem, non fuerat expreſſum, Sempronium habere quinque proles, Liviam duas è priore Matrimonio; quia denique Reverendiſſimus Dominus Vicarius Generalis idoneis Teſtibus probavit, haberi in hac Diœceſi ab antiquo in cauſa matrimoniali pro paupere omnem, qui exercet agriculturam, artem mechanicam, & etiam liberalem, ideo relicti ſunt in ſuo conjugio, in quo ſalvet illos Deus.

661 Quinimò etiam Nobiles Helvetios gaudere in Curia Romana Privilegio impetrantium diſpenſationes, *in forma pauperum*, ſcripſit non ita pridem Româ nonnemo, cujùs literarum exemplum Legi, optimè memor unius Prænobili proſapiâ nati, inſtructíque opibus congruæ ſuſtentationi ſufficientibus, qui mihi de ſeipſo narravit, ſe ſub hoc titulo impetrâſſe pro ſuo filio ab Innocentio X. diſpenſationem matrimonialem; erat autem ille, & eſt (nam vivit hodiéque (ut ſcribebam poſt *quartam* Editionem hujus Alphabeti) Senatoriâ clarus Dignitate) gente Helvetus. Vide alium Caſum infrà *num. 667.*

662 Porrò inter reliquas formas, quibus demandatur poteſtas diſpenſandi ob titulum paupertatis, eſt hæc: *Cùm eiſdem, ſi verè pauperes, & Catholici ſint, & rationabilis aliqua cauſa intercedat, anguſtia v.g. loci, aut vitandi ſcandali, vel infamiæ mulieris, dotiſve minùs competentis, à viro competenter augenda, vel alia ſimilis &c. diſpenſes.* Vide etiam ſuprà *num. 587.* & adde, Pontificem quandoque, dum diſpenſat imponere præſtationem magnæ ſummæ pecuniariæ, ab eo in pia opera erogandæ. Docéntque meritò plerique ex hactenus citatis Scriptoribus, præſtationem pecuniæ in talem finem, poſſe eſſe adæquatam, juſtámque cauſam diſpenſandi.

663 At, *quid videtur reſpondendum ad hunc*

Caſum Nobilium?

S*Emel examinavi duos Nobiles conſanguineos N. & N. cum quibus diſpenſandi commiſſio erat data Domino Officiali N. cum clauſula*: Si verè ſunt pauperes, aliàs non. *Paupertatem hanc non potui deprehendere; adhibitâ omni diligentiâ, ut omnimodè ſatisfacere potuerim Domino Officiali N. qui hanc paupertatem conſcientiis illorum reliquit, & ſic diſpenſavit.*

Ita mihi de ſe, & perſonis hîc indicatis ſcripſit ille Dominus Examinator; qui ſicuti factum illius Reverendiſſimi Domini Officialis non culpat, ita nec ego; etenim hæc narratio ſatis oſtendit, illum D. Officialem timuiſſe quidem, ne falſo allegaretur paupertas, nihilominus tamen ex narratis formâſſe de exiſtentia conditionis, ſeu paupertatis opinionem propriè dictam, tametſi cum formidine ſat magna oppoſiti; atqui nulla lex exigit à delegato, ut non diſpenſet, niſi ſit certus de exiſtentia conditionis, ſed ſolùm, ſi prudenter judicet, eam exiſtere; Infrà *num. 692.* prudenti autem judicio non repugnat formido oppoſiti, quandoquidem opinio à ſcientia differt *eſſentialiter* per eam formidinem.

Nec etiam fruſtra, aut inconſultò dixit: *Relinquo veſtris conſcientiis*; erat enim perinde, ac ſi diceret: Si fallitis, non eſtis tuti in conſcientia, quia diſpenſatio non conſiſtit cum ejuſmodi fallacia; ſolet enim addi: *Si preces veritate nitantur.*

His adde reſolutionem hujus 664

Caſûs Siculi.

B*Ertha Nobilis, ſed deformis, nequibat ob deformitatem reperire extraneum, qui eam duceret, repertura, ſi aut non eſſet deformis, aut eſſet ditior. Quare nonnemo ei dicit*: Si non reperias, qui te ducat, niſi ſanguine junctum, & petentem à te auctiorem dotem, augebo ego. *Ergo Bertha petit à Papa diſpenſationem, allegans, à ſe non reperiri ſibi æqualem ob defectum dotis; diſpenſat Pontifex, nubit Bertha. Quæritur ex P. Tamburino, quid judicet de valore hujus Matrimonii? Reſpondit, eſſe nullum. An neceſſariò ita reſpondit?*

665 Reſpondeo. Potuiſſet, ſecutus opinionem P. Sanchezii *Lib. 8. Diſp. 35.* quem ipſemet citat *de Matrim. Lib. 8. Tract. 2. cap. 7. §. 2. num. 16.* bonâ conſcientiâ dare benignius reſponſum; re enim verâ dicitur *moraliter* carere dote puella, quæ licèt ſit inſtructa dote ad repetiendum virum paris conditionis ſufficiente, ſi conſideretur ſine deformitate, aut infamia, non tamen eſt inſtructa ſufficiente, ſi ſpectetur *in concreto* cum ſuis defectibus; certè nemo ducit uxorem *in abſtracto*, ſed *in concreto*, talem ſcilicet, qualis ea eſt. Confirmatur univerſaliſſimis verbis, quibus conſtat Breve Innocentii, deſcriptum ſuprà *num. 587.*

APPEN-

APPENDIX I.

666 APerui quidem *ſuperioribus* §§. meum priſtinum judicium de valore diſpenſationis etiam quando tantùm altera pars eſt pauper, idque judicium eſt conforme praxi diverſorum Dominorum Nuntiorum Apoſtolicorum antehac uſitatæ, verùm reſcribit mihi ſciſcitanti, *utrùm paupertatis titulus ſit allegandus ab utraque parte?* Lucernâ nonnemo ſtyli Nuntiaturæ Lucernenſis bene peritus in hæc verba: *Eſt illa qualitas implicitè, vel explicitè alleganda ab utraque parte: Primò, quia ita fert ſtylus Curiæ Romanæ, quæ nunquam diſpenſat, niſi utraque qualitas verificetur in Sponſo, & Sponſa. 2. Quia, cùm in ſimili caſu Annis ſuperioribus fuiſſet ita diſpenſatum in aliqua Nuntiatura, non attentâ qualitate divitiarum alterius contrahentis, ſed ſolummodo paupertate unius illorum, Innocentius X. per literas circulares fuit graviſſimè conqueſtus apud omnes Nuntios, & propterea limitavit eam facultatem in hujuſmodi caſibus diſpenſandi.*

Ita ille, addens, in aliis literis, anguſtiam quoque loci eſſe, quando allegatur, allegandam ab utraque parte. Sed cenſeo hoc repugnare praxi, & variis Brevibus diſpenſationum conceſſarum à diverſis Nuntiis, attendentibus anguſtiam reſpectu ſolius ſponſæ.

APPENDIX II.

667 ADdo, mihi conſtare, quòd cùm fuiſſet ex Urbe demandata, delegatáque poteſtas Domino Titio diſpenſandi cum aliquo Nobili Helvetio, mihi notiſſimo, alleganti ex ſua parte paupertatem, cùm tamen ſponſa eſſet notoriè prædives, ac præterea dubitaret ille D. Titius, an non eſſet tranſgreſſurus limites ſuæ delegationis, reſpondit Illuſtriſſimus D. Nuntius N. ſe quidem nolle quidquam præſcribere illi Domino Titio, ſi tamen eſſet loco dicti D. Titii, ſe diſpenſaturum. Quin ejuſdem D. Nuntii Auditor addit, ſe in Actis D. Nuntii N. reperire, quòd Helvetii Nobiles gaudeant privilegio pauperum. Sed & idem D. Titius mihi aſſeveravit, illos Dominos Legatos, qui ſolent à Dominis Cantonibus Catholicis deſtinari in Urbem, ad gratulandum Novo Pontifici, conſueviſſe petere declarationem favorabilem circa hanc difficultatem, at ſemper tuliſſe hoc reſponſum: *Videbimus*: *Conſiderabimus*; quod ſanè reſponſum videtur tantiſper tolerare, permittereque curſum illius praxis, donec aliquid definiatur.

APPENDIX III.

Heteroclitæ diſpenſationis.

a PRinceps & Epiſcopus N habet inter plures alios Nobiles Toparchias unam penitus Acatholicam, accipientémque ab ipſo Leges, & imperia concernentia meram politiam, ſed quo ad negotia Religionis excuſſit illa Toparchia jugum, ſéque pro conſervatione ſuæ ſacrilegæ Religionis perpetuo fœdere junxit cum potente Principe, itidem Acatholico, ita ut illius Principis, Epiſcopi anteceſſores fuerint coacti permittere exercitium illius ſectæ quoad omnia ei annexa, inter quæ eſt hoc unum, quod Magiſtratus politicus diſpenſet in impedimentis Matrimonii provenientibus ex affinitate, & cognatione, non tamen gratis, ſed cum onere pendendi ſumam aliquam pecuniariam, at inæqualem, cujus tamen, ut & aliorum emolumentorum annuorum rationes reddere debent illi Reverendiſſimo Principi, qui licèt non ignoret fuiſſe à ſuis deceſſoribus illatas ærario pecunias è diſpenſationibus collectas, attamen dubitat, an ſibi liceat eorum veſtigia ſequi, quapropter dignatus eſt per unum è ſuis quærere ex me, quid judicem, eſſe inpoſterum faciendum.

Reſpondi ego, & nunc quoque reſpondeo, b utique per ſe loquendo non poſſe ſibi vindicare quidquam illarum pecuniarum: Quandoquidem certum eſt ex catholica doctrina ſancti Thomæ *22. q. 62. art. 7.* nefas eſſe participare ex bonis injuſtè & illicitè acquiſitis, ſicuti revera illicitè, atque injuſtè comparat illas pecunias Præfectus, ſeu Gubernator nominatæ Toparchiæ, ideo autem injuſtè, quòd careat omni poteſtate diſpenſandi, circa impedimenta Matrimonii, cùm utique non competat ipſi plus poteſtatis quàm ejus Principi, & Epiſcopo; nôrunt autem omnes, Papam, non autem Epiſcopum pollere hoc jure. Nihilominus tamen cenſui poſſe, inoffenſo Numine accipi alio titulo, eóque juſtiſſimo & quidem duplici pecunias illas. Primò, quòd illi hæretici ſubditi longè majora damna inferant ærario Epiſcopali, quàm ſint illæ diſpenſationũ pecuniæ. Nam imprimis non tolerant Præfectos ſeu Gubernatores niſi Acatholicos; atqui jus præficiendi Catholicos eſt magno ſanè pretio æſtimabile, ut quiſque Princeps Catholicus teſtabitur. Deinde adhuc minùs patiuntur Parochos, alióſq; Eccleſiaſticos Catholicos; quantum autem peculii è beneficiis Eccleſiaſticis directè, vel indirectè re ipſa tamen, & juſtè inferatur quot Annis in Epiſcopale ærarium quis divinet? Tertiò hîc vel maxime locum habet illa ex Celſo *Leg. 99. ff. De verborum obligationibus* deſumpta gnome: *Quidquid obligationis eſt, id niſi palàm verbis exprimatur, omiſſum, intelligendum eſt*; utique autem nec modernus Epiſcopus, nec ejus anteceſſores palàm verbis expreſſerunt, ſe non adhibituros media opportuna ad coërcenda ſcelera publica, qualia ſunt contractus matrimoniales initi contra Leges ab ipſiſmet hæreticis approbatas, coërcentur autem ſaltem aliquantum, quando publicè conſtat non dari poteſtatem ineundi talia connubia, niſi præſtita mulcta pecuniaria.

Quæritur III. *An promittens conſanguineæ Matrimonium teneatur ſtare promiſſione, aut petere diſpenſationem?* 668

Reſp. A plurimis aſſeri, à multis negari, etiam eo caſu, quo promiſſor defloravit puellam.

Digitized by Google

lam. Autores. & rationes utriuſque partis exhibet Sanchez *Lib. 5. De Matr. Diſp. 5.* Utra pars mihi præplaceat, dicam *in ſeq. Tract.* ſeu *Alphab. Caſ. IV. num. 164.*

669 Quæritur IV. *Quandonam diſpenſatio incipiat valere, & robur habere?*

Reſp. Quamprimum vel ipſe Summus Pontifex, vel poteſtatem ab ipſo habens dicit? *Diſpenſamus.* Aut, *Fiat.* Valet diſpenſatio in foro *interno*, at in *externo* ſolùm, poſtquam ſunt expeditæ literæ diſpenſationis. P. Molina *De juſtit. Tom. 3. Diſp. 599.* P. Præpoſitus *in 3. Part. q. 8. De Matr. diſpenſ. dub. 7.* Diana *cit. Tr. 3. Reſ. 74.* utrumque referens & *ſecundum* membrum probans ex Regulis Cancellariæ: *Primum* autem inde, quòd valor, & efficacia voluntatis Pontificiæ nullo modo pendeat à ſcripturis; ergo quamprimum ea expreſſa eſt verbis, obtinet vim ſuam. Unde infert idem P. Præpoſitus hanc concluſionem: *Uti poteſt diſpenſatione, & Matrimonium contrahere is, cui à fide digno eſt ſignificatum, Pontificem diſpenſaſſe, etiamſi literæ nondum miſſæ ſint.* Hinc patet reſolutio hujus

Caſûs Accidentarii.

670 *Philogonus intelligit ex uno è ſolicitatoribus apud Curiam Romanam, eſſe quidem diſpenſatum ſecum, literáſque deſuper confectas, at peſtem graſſantem obſtare, quò minùs valeant tutò mitti. An potuit Reverendiſſimus D. Officialis, ad quem ex diſpoſitione Concilii Tridentini relatâ ſuprà* n. 635. *directæ erant, diſpenſare ante acceptas literas?*

671 Reſp. Potuit, & re ipſâ fecit, faciendum reſcribente ſapientiſſimo, Illuſtriſſimo Principe & Patriarchâ, Domino Federico Borromæo, Apoſtolico Nuntio ad Helvetios &c. Atq; proferente hanc rationem, quòd ſcilicet fides meritò haberetur literis illius ſolicitatoris.

At quid judicandum de hoc

Caſu rariſſimo?

672 *Dominus Officialis B. accepit à ſua Sanctitate delegationem diſpenſandi cum L. viro primario. Cùm autem idem D. Officialis inſtituto examine ſapienter (ob cauſam mihi notam) judicâſſet, ſe non poſſe procedere ſine novo Reſcripto Romano, dilationem verò ferret ſponſus ægerrimè, quia conjunctam cum aliquo ſuo probro, & aliis incommodis: non ſuppeteret autem ulla ratio dubitandi, quin ſua Sanctitas eſſet reſcriptura ad plenum favorem ſponſi L. ſuaſum fuit prædicto D. Officiali à ſummo, juríſque Pontificii ſcientiſſimo viro, Nuntio, inquam, Apoſtolico, ut diſpenſaret ante receptum Reſcriptum; diſpenſaret autem additâ conditione, ut conjuges illi abſtinerent uſu Matrimonii, donec adeſſet Romanum reſponſum. Quid exiſtimandum de hac ſuaſione?*

Reſp. Fuiſſe mihi, habenti perſpectas omnes circumſtantias, & difficultates, probatam, ea etiam de cauſa, quòd uterque conjux eſſet jam conſtitutus in ætate ſenili, ac proinde meritò credendum, ſtaturos appoſitâ conditione. At ſanè nolim hujus properationis approbationem trahi in exemplum, niſi ſubſit cauſa graviſſima. Vide dicta. *num. 583. & ſeqq.* 673

APPENDIX.

Dixi *num. 671.* potuiſſe Dominum Officialem Conſtantienſem cum nonnemine diſpenſare ex commiſſione Pontificia, etiam antequam acciperet ex Urbe Breve faciens jus diſpenſandi, ſed nonniſi poſtquam fuit ſufficienter edoctus, illud Breve eſſe jam expeditum, atque eidem D. Officiali inſcriptum. At verò habueram aliquot Annis antè difficultatem conſentiendi, ut alius Officialis expediret diſpenſationem, etiamſi Orator exhibuerit literas Româ datas, & ſignatas manu Notarii publici, teſtantis, eſſe viſam à ſe Bullam Pontificis, concedentis petitam diſpenſationem, remanentem autem Romæ ſolùm ob itinera peſte infecta. Et quamvis idem Orator adderet, non poſſe ſine magno incommodo temporali ulteriùs differri copulationem, nihilominus tamen auſus non fui conſultus reſpondere, poſſe tunc fieri conjunctionem, erátque hæc fundamentalis cauſa; quòd literæ illæ non exprimerent, cuinam eſſet delegata diſpenſandi poteſtas, Epiſcopóne, an Officiali? Officialine Diœceſeos Conſtantienſis, cui ſuberat Orator, an alterius, ad quam ſpectabat Oratrix? Accedebat, quòd etiam erat interrogatus D. Nuntius Apoſtolicus, quid in hoc caſu faciendum eſſet, videbatur igitur non eſſe ulteriùs pergendum abſq; ejus declaratione, cùm & P. Laymannus *in Theol. Mor. Lib. 1. Tract. 4. cap. 23. num. 10.* rectè obſervet, quando Papa diſpenſat per Officialem cum Clauſula: *Diſpenſes, poſtquam he fuerint tibi exhibitæ*, nihil agi, ſi fiat executio ante acceptas ejuſmodi literas; atqui ignorabatur in Caſu noſtro, utrùm illa clauſula eſſet, nec ne, inſerta Brevi Pontificio.

Quin addo, eſſe probè in hujuſmodi caſibus conſiderandum, utrùm ingenia contrahere volentium, atque conditiones eorum non ſint ejuſmodi, ut poſſit prudenter timeri, ne, ſi poſt multos Annos reſciant, fuiſſe ſecum diſpenſatum juxta ſententiam minùs tutam, quærant cauſam divortii.

Porrò circa illam, quam ſuperiùs tetigi quæſtionem, utrùm privilegia, & diſpenſationes valeant, ſtatim poſtquam ſunt conceſſa, redactáque in ſcriptis, eſto nondum innotuerint Oratori, adfert P. Suarez *De Legibus Lib. 8. cap. 25.* ſex diſtinctiones, limitationéſque, addens

addens cum aliis apud Dianam *Part. 8. Tr. 3. Reſ. 84.* Matrimonium à te initum ex conjectura, & præſumptione, quòd ſit tecum diſpenſatum in impedimento, revera non valere, eſto ſit revera diſpenſatum, ſecùs ſi ſcias eſſe diſpenſatum, ut loquitur P. Laymannus *loc. cit.* innuens tamen, tunc non licere, niſi in Caſu neceſſitatis.

Etſi autem diximus ſuprà, diſpenſationes poſſe habere in foro *interno* ſuum effectum, etiam antequam literæ deſuper conficiantur, id tamen eſt tunc ſolùm verum, quando ipſe Papa, aut Nuntius e. g. immediatè diſpenſant, ſi enim diſpenſent per Commiſſarium, ut fit communiſſimè, clarum eſt, requiri, ut inſuper Commiſſario innoteſcat delegatio. Denique licèt in Regulis Cancellariæ decernatur, ut nulla diſpenſatio cuiquam in judicio, vel extra ſuffragetur, antequam ſuper ea literæ Apoſtolicæ ſint confectæ, id tamen ita generatim ſumptum intelligitur de foro *externo* ſolo. Præpoſitus *in 3. Part. q. 8. De Matrim. num. 94.* Sanchez *Lib. 8. De Matrim. Diſp. 29.* Diana *cit. reſ. 48.* cum multis contra alios exigentes ſemper expeditionem literarum.

674 Quæritur V. *Quandonam debeat verificari cauſa finalis diſpenſationis?* Reſpondeo, eo tempore, quod indicat hic

Caſus Pontificiæ deciſionis.

PORrò de Nobili viro N. pro cuius diſpenſatione, indulgentia ſcilicet remanendi cum ea, quæ ipſum quinto conſanguinitatis gradu contingit, à Sede Apoſtolica obtinenda, falſa nobis cauſa fuerat allegata, proles videlicet, cùm tamen, ante diſpenſationem obtentam, unica filia, quam habebat, viam fuerit univerſæ carnis ingreſſa, prout tua conſultatio continebat, diſſimulare poteris, ut remaneat in copula ſic contracta; cùm ex ſeparatione, ſicut aſſeris, grave videatur ſcandalum imminere.

675 Circa quem Caſum nota breviter ſequentia, 1. Olim impedimentum conſanguinitatis fuiſſe extenſum ultra quartum gradum, ut monui ſuprà *num. 163* 2. Quandoque diſpenſari etiam poſt Matrimonium malâ fide initum. 3. Maximam haberi à Summis Pontificibus, eorúmque Legatis rationem gravis ſcandali; quare ubi imminet grave ſcandalum, ſi Matrimonium non ineatur, vel ſi diſſolvatur, tutò petitur diſpenſatio, quia pietas Paterna non negat. Suprà *n. 606.* 4. Non ſufficere, quòd cauſa ſufficiens ad diſpenſandum adfuerit ante diſpenſationem, ſed requiri, ut adſit, cùm diſpenſatur. Quoad *quartum* punctum, & aliqua illi annexa ut intelligantur in compendio, repræſento verba P. Caſpari Hurtadi *De Matr. Diſp. 26. Diffic. 3. n. 14.* ſic reſolventis.

Obſervandum eſt, ut optimè Sancius *Lib. 8. Diſp. 30.* & Baſilius *Lib. 8. cap. 20.* ſi cauſa motiva (qua Pontifex motus fuit ad committendum Ordinario diſpenſationem) exiſtat, quando commiſſio ipſa fit à Papa, valere commiſſionem, etiamſi, quando mittitur ad Curiam Romanam pro commiſſione, non exiſtat; & non valere, quando non exiſtit cauſa eo tempore, quo fit commiſſio à Papa, quamvis antè, quando mittebatur, exiſteret, quia conceſſio commiſſionis innititur exiſtentiæ cauſæ motivæ. Deficiente tamen cauſâ motivâ ante diſpenſationem factam ab Ordinario ex commiſſione Papæ, diſpenſationem poſtea ab Ordinario factam eſſe nullam, quia, cùm jam non poſſit *licitè* fieri ab Ordinario, quia fieret abſque cauſa, non eſt mens Pontificis, ut, fiat, imò ut docent Sancius, ubi ſuprà, & Ægidius Coninck *Diſp. 33. numero 94.* contra P. Sa. *verb. Gratia*, & Baſilium, diſpenſationem, deficiente cauſâ motivâ, poſt ipſam diſpenſationem factam ab Ordinario, antequam Matrimonium fiat, reddi nullam, quia, deficiente cauſâ motivâ, nequit diſpenſatio perſeverare licita, & proinde mens Pontificis eſt, quòd non valeat; ſicut etiam, deficiente cauſâ motivâ, ob quam facta fuit diſpenſatio ad comedendum carnes, adhuc tantùm pro una die ceſſat diſpenſatio; perſeverat tamen diſpenſatio, ut advertunt Doctores, quamvis cauſa motiva minuatur, & ita ut ante diſpenſationem non eſſet ſufficiens, dum magna ex parte maneat, quia minor cauſa ſufficit, ut gratia *ſemel conceſſa perſeveret*, quàm *ut de novo concedatur.* 676

677 Ita P. Hurtadus; cui junge P. Tamburinum *cit. Tr. 2. de Matrim. cap. 12. §. 3.* meritò dicentem eſſe probabile, quòd valeat diſpenſatio, etſi cauſa finalis tunc primùm adſit, quando commiſſarius Papalis diſpenſat; in quam rem faciunt apertè ea, quæ ſcripſi *Tract. 8. n. 751.* item ſi tunc adſit, ſed deſinat, antequam actu ineatur Matrimonium. Ergo ſi puella petit diſpenſationem titulo paupertatis, licèt ea paupertas ſuperveniat primùm, dum Officialis vult executioni mandare literas Pontificias, innitentes paupertati falſò allegatæ, aut ſi illa paupertas aderat tunc, quando Officialis diſpenſat nomine Pontificis, penitus autem deſiit paulò antè, quàm copularentur illi diſpenſati, obtinet, & ſervat probabiliter, juxta Tamburinum, diſpenſatio ſuas vires. Imò hanc doctrinam, pro qua ipſe P. Tamburinus etiam citat Conradum, defendit, tenétque unicè Garcias *De Benefic. Part. 6. cap. 2. n. 283.* loquens in ſpecie de diſpenſationibus matrimonialibus, atque P. Laymannus *in 1. Decretalium cap. Conſtitutus. De Reſcript. n. 7.* contra Cordubam Gutierez, Sanch. *Lib. 8. Diſp. 30* Dianam *Part. 8. Tract 3. Reſol. 77.* & probans tum ex praxi, tum inde, quòd articuli, qui fiunt pro verificatione diſpenſationis, ſemper loquantur de tempore præſenti, & non de tempore datæ,

Digitized by Google

Confirmatur à fortiori illo Caſu, & Reſcripto, quæ deſcripſi *in Alphab. Ordin. Caſ. XIX. num. 715.* ille quippe caſus, & Reſcriptum comprehendunt expreſsè caſum, quo diſpenſatio actualis facta jam fuit ab ipſo Domino Nuntio, ſola executio à Domino Vicario facienda; in quo quidem caſu cenſet Garcias ipſe *ll. cc. num. 286.* cauſam requiſitam pro valore diſpenſationis debere adeſſe tunc quoque, quando Papa actu diſpenſat, ſed, ut vidimus *in cit. Caſ. XIX. n. 751.* Curia Illuſtriſſimi Domini Nuntii non obſervat illam doctrinam Garciæ, ſicuti & deſiit obſervari in hac Curia Conſtantienſi; in qua etiam ſingulariter notandum, quòd procuratores foranei, ſeu extra Urbem Conſtantiam commorantes, non ſoleant in ſupplicatione pro diſpenſatione in tertio, & quarto gradu adferre ullam ſpecialem cauſam, & tamen obtinent Reſcriptum diſpenſativum cum clauſula: *Si preces veritate nitantur, & rationabilis aliqua cauſa intercedat anguſtia loci, aut vitandi ſcandali, vel infamia mulieris, dotiſque competentis à viro augendæ, vel alia ſimilis*; ſub qua clauſula inferiùs *num. 697.* rurſum, ſed cum aliis adjunctis referenda, cùm ſoleat vel maximè collocari infamia mulieris, factum fuit ſemel id, quod proponit hic

Caſus Garciæ non improbatus.

Ut cùm videlicet eſſet ſupplicatum pro diſpenſatione junctorum quarto conſanguinitatis gradu; nulláque apud Dominum Nuntium allegata cauſa, niſi hæc vera, quòd ſcilicet propter paupertatem, & itineris incommoda, ad Romanam Curiam pro diſpenſatione recurrere non valeant oratores, *nihilominus fuerit diſpenſandi facultas conceſſa cum clauſula continente illas duas generales, & quatuor ſpeciales conditiones, quas paulò antè deſcripſi: ea autem diſpenſandi facultas uſurpata, cùm non ſubeſſet ulla ex his quatuor cauſis, niſi infamia mulieris, infamia, inquam, cujus periculum erat ortum primùm poſt facultatem, ſeu commiſſionem diſpenſandi à Domino Nuntio impertitam, & inde ortum, quòd tunc primùm orator imprægnâſſet oratricem.*

In quo eventu quidem rectiſſimè cenſet Garcias *cit. cap. 2. n. 287.* non valituram fuiſſe diſpenſationem, ſi conſultò (id eſt, ex communi conſilio) fuiſſet imprægnata, ut infamia, & nota poſſet verificari, nam dolus propriè patrocinaretur talibus, contra rationem Capituli *Sedes*, & *cap. Ex tenore. De Reſcript.* at nihilominus Reſcriptum diſpenſationis mandatum fuit executioni, quia videlicet non interceſſerat illa intentio, de qua loquitur Garcias, & quam, quia ita *reflexè* exprimit, meritò credes, ipſum aliud ſenſiſſe de caſu, quo fuit abſque prædicta intentione ſecuta imprægnatio, periculúmque infamiæ verificatum eo ſolo tempore, quo commiſſarius erat functurus officio ſibi demandato. Atque ita reſolvi, re adhuc integrâ. Quibus adde, fuiſſe probatum viris ſapientibus meum judicium, quod *in Alph. Ordinis Caſ. XX. num. 750.* manifeſtavi de Caſu, quo deſiderium petentis eſt adæquata cauſa petitionis?

Quæritur VI. *Quandoquidem Tridentinum Concilium Seſſ. 24. cap. 2. De reformat. diſponit, ne in ſecundo gradu conſanguinitatis, vel affinitatis diſpenſetur, niſi cum* magnis Principibus, *quinam intelligantur per* magnos Principes? 678

Praxis ipſa oſtendit, veram eſſe doctrinam Henriquezii *Lib. 12. cap. 3. numero 6. & 3.* tradentis, intelligi omnes perſonas opulentas, vel præcipuas, adeóque etiam omnes Nobiles. Vide Sanchez *Lib. 8. Diſp. 19 num. 2.* item Tamburinum *cit. cap. 7. §. 2. num. 27.* addentem ex aliis, *eſſe Nobilem* verificari, ſi pater, non autem, ſi ſola mater ſit Nobilis. *Eſſe ex principalioribus* verificari, ſi ſis valde potens, & dives. *Eſſe ex honeſta familia*, ſi familia nullâ turpitudinis notâ laboret.

Quæritur VII. *Quid agendum in propriè dictis, & perſeverantibus dubiis circa diſpenſationem?* 679

Dico: *Perſeverantibus*, nam hîc non loquor de dubiis, quæ vincuntur, & expelluntur compertâ veritate, ſed ſolùm de iis, quæ neque unt expelli. Reſp. partim ex Sanchez *Lib. 8. Diſp. 6. numero 16.* partim ex Tamburino *in Decalogum Lib. 1. cap. 3. §. 7. verb. Diſpenſatio* in hunc modum.

I. Officialis, aut Ordinarius, cui committitur diſpenſatio, ſi dubitet, utrùm poteſtas ſibi conceſſa ſe extendat ad hunc, aut illum Caſum, hanc, aut illam circumſtantiam, tutò ſe geret perinde, ac ſi ſciret extendi; at qui impetravit diſpenſationem, dubitat verò, an ea comprehendat hanc, aut illam circumſtantiam, e. g. an diſpenſatio in voto caſtitatis, data ſit ſolùm ad contrahendum Matrimonium unum, an verò ad duo, vel tria deinceps, debet ſe gerere, ac ſi ſciret, non comprehendi; nam poteſtas diſpenſandi eſt latè, ipſa verò diſpenſatio ſtrictè interpretanda. P. Tambur. *cit. verb. diſpenſatio n. 2.* ex communi. 680

II. Dubius, an indigeas diſpenſatione, ſi nequeas te extricare dubio, age, quod ageres, ſi noſſes, non indigere te, nam poſſeſſio tuæ libertatis facit tibi jus, juxta doctrinam de dubio impedimento, generatim traditam ſuprà *num. 62.* Poteris autem ſæpe te extricare recurrendo ad præſumptiones juris, nam in dubio debes ſupponere, eſſe id factum, quod jura præſumunt factum. Inter illas autem præſumptiones eſt una frequentiſſimi uſûs, ut ſcilicet conſideretur id, quod ſolet plerumq; fieri, nam in obſcuris & dubiis inſpicimus, quod plerum- 681

Digitized by Google

plerumque fieri ſolet, ut habent Regulæ utriuſque juris. Quia itaque communiter, ſeu plerumque fieri ſolet, ut mulieres non vetulæ ſemen emittant in copula voluntaria, ſi habuiſti copulam cum ſorore illius, quam ducere cogitas, dubites autem, an hæc æquè, atque tu, emiſerit ſemen, præſume, ipſam quoque emiſiſſe, & proinde tibi non patrocinari doctrinam *num. 390.* de mulieris ſeminatione neceſſaria ad contrahendam affinitatem.

682 III. Certus, ſe impetrâſſe diſpenſationem, at dubius, an ea valida ſit, quia e. g. dubitat, an, quod expreſſit, vel tacuit, ſit cauſa finalis, necne, ſatis probabiliter præſumet, eſſe validam. Vide ſuprà *num. 614.* Tamburinum *loc. cit. num. 5.*

683 IV. Superior certus, adeſſe aliquam cauſam diſpenſandi, at dubius, an ſit ſufficiens, diſpenſet animosè, quis enim illum obliget ad inſtituendum tam rigidum examen ſufficientiæ? ſecùs, ſi dubitet, adſitne revera aliqua cauſa, nam ad diſpenſandum requiritur aliqua cauſa. Suprà *num. 614.* Sanchez *Lib. 4. Summa cap 44 num. 6* Quòd ſi autem proceſſu temporis appareat, cauſam non fuiſſe ſufficientem, ſubſiſtet nihilominus diſpenſatio ex pia interpretatione voluntatis Pontificiæ. P. Tambur. *num. 8.* ſecùs, ſi deprehendatur poſtea, nullo modo adfuiſſe cauſam finalem, quæ putabatur adfuiſſe. Idem *num. 9.* poſt P. Sanchez *loc cit.* dubitans tamen de hoc ſecundo puncto.

V. Dubius de impedimento dirimente poteſt quidem (poſt adhibitam inquiſitionem neceſſariam) facere, quod certus de abſentia impedimenti. Suprà *Caſ. 1. num. 62.* at comperto, revera ſubeſſe impedimentum, tenetur petere diſpenſationem, ut *licitè* maneat in Matrimonio contracto tunc, cùm illud dubium vexabat. Tambur. *cit. §. 7. verb. Matrimonium. num. 1.* ſicuti & ſubreptitia diſpenſatio eſt, quando ſciens, ſe laborare impedimento, ſcribit, ſe dubitare, an laboret, ſicque impetrat diſpenſationem. Suarez *Lib. 6. De voto. cap. 27.* Sanchez *De Matrim. Lib. 8. Diſp. 21. n. 40.*

684 VI. Hiſce junge reſolutionem, quam dedi ad hunc

Caſum mixti fori.

Trebonio volenti inire Matrimonium cum Terentia dixit nonnemo, ſe putare, ſubeſſe Impedimentum conſanguinitatis, ut proinde inquireret. Reſpondit: Die Leuth ſagen vil / ich mag nit fragen: *vulgo multa dicit, nolo interrogare, ac poſtmodum contraxit verè anceps de Impedimento. Viginti Annis tranſactis in Matrimonio indicat ſuo Parocho ſuum dubium, priùs quidem in Confeſſione, poſtmodum verò extra Confeſſionem, ſed priùs pactus ſummum ſecretum naturale, ac proteſtans, ſe profugiturum, ſi revelaretur illud ſecretum. Monitus autem ab eodem Parocho, ut diſſimulanter inquireret in rei veritatem, quam poterat cognoſcere ex ſuo ſocero, viro bono, & cum quo ipſi verbene conveniebat, reſpuit monitionem, imò addidit, ſi quid oporteret expendere pro diſpenſatione, ſe eam non petere. Igitur me convenit Trebonii Parochus, quærens, quid hîc agendum? an, ſi is pergat reſpuere monita, non liceat, aut etiam oporteat eum deferre ad Magiſtratum Eccleſiaſticum?*

Reſpondi 1. Eſſe rurſum seriò urgendum, ut ſocerum conſulat, qui ſolus poterat ſolvere dubium de Impedimento. 2. Negandam eſſe, cum interminatione æternæ damnationis, abſolutionem Sacramentalem in caſu conſtantis contumaciæ. 3. Stante illo dubio, non eſſe Trebonio fas petere debitum conjugale, at reddere. 4. Conſiderandum tamen eſſe, utrùm expediat, omnibus conſideratis, facere eum certiorem de illicita illa petitione. 5. Non licere eam rem deferre ad Magiſtratum Eccleſiaſticum, foret enim contra ordinem correctionis fraternæ, præſcriptum à Chriſto Domino *Matth. 5.* mandante, ut non dicamus Eccleſiæ, id eſt, Superioribus, priuſquam aſſumpſerimus alium teſtem, & ſingulariter erat hîc priùs aſſumendus ſocer, interrogandúſque, quandoquidem poterat ſuâ relatione, & teſtimonio terminare litem. At verò 6. quia ſecreto merè *naturali* erat junctum ſecretum *Sacramentale*, eámque ob rem probabiliter exoriturum grave ſcandalum, quia gravis, etſi à parte rei falſa, ſuſpicio temerati ſigilli Sacramentalis, eam ob rem fore illicitam communicationem cum ſocero, niſi ea communicatio maneret ſecreta inter ipſos duos. 7. Denique eſſe, inſcio Reo, petendam diſpenſationem à Domino Vicario Generali, ejúſque in eventúm impetrationem manifeſtandam proximâ occaſione miſero peccatori, & verò ipſe ego illam, faciléque impetravi. Fundamenta harum omnium reſolutionum petet Lector partim è ſua privata ſcientia, partim ex locis, quibus tracto materias indicatas, ſeu inſinuatas in decurſu. Hunc autem Caſum vocavi *mixti fori*, quia cum eo mixum eſt ſecretum *naturale, & Sacramentale.*

Quæritur VII. *Quænam obſervanda potiſſimùm ſint circa literas & clauſulas literarum, quæ ex Romana Dataria, ſeu Cancellaria tranſmittuntur, ad locorum Ordinarios, ad diſpenſandum in Impedimentis matrimonialibus?* 685

Reſp. Ea, quæ breviter congeſſit idem P. Tambur. *De Sacramentis Lib. 8. Tract 2. cap. 12.* comprehenſa ſequentibus Paragraphis.

I. Quando ex literæ diriguntur ad Epiſcopum, non factâ mentione ejus Vicarii, vel ad Vicarium, non factâ mentione Epiſcopi, ille 686

Digitized by Google

ſolus *validè* diſpenſat, cui ſunt inſcriptæ, quamvis enim ſit idem tribunal Epiſcopi, & Vicarii in iis, quæ jure ordinario competunt Epiſcopo, non tamen in iis, quæ extraordinario, & ex delegatione. Tamburin. *loc. cit. numero 2.* ſubdens *num. 17.* poſt Sanchez *Lib. 8. De Matrim. Diſp. 27. num. 43.* & alios communiter, etſi Epiſcopus poſſit in caſu, quo ſolus eſt nominatus, ſubdelegare alteri munus examinandi Teſtes, haud tamen poſſe munus, ſeu miniſterium diſpenſandi ſubdelegare alteri, eò quòd Pontifex committat Epiſcopo, ut ipſemet diſpenſet, & non aliter, aut alter. Verùm conſtat mihi, non ubique hoc obſervari in Germania, nec mirum, quandoquidem Illuſtriſſimi Domini Epiſcopi Germaniæ præter ampliſſimos Epiſcopatus habent cauſas plurimas, & graviſſimas ratione ſtatûs politici. Coguntur ergo multas tam Eccleſiaſticas, quàm politicas ſubdelegare aliis. Vide exemplum *in Alphab. Ordin. num. 447.*

687 II. Commiſſio, ſeu delegatio facta Vicario, ut Vicario, ſicut communiter ſolet, ita tranſit ad ejus Succeſſorem, ut, ſi ipſe decedat officio, non cœptâ, aut cœptâ quidem, at nondum finitâ cauſâ, nequeat Epiſcopus quidquam facere, ſed totum debeat relinquere Succeſſori. P. Tambur. *loc. cit. num. 3. 4. 5.* P. Sanchez fuſè *Lib. 8. De Matrim. Diſp. 27. num. 14.* P. Caſtro Palaus *Part. 1. Tract. 3. Diſp. 4. punct. 16. §. 6.* qui talem commiſſionem vocant *Realem*, at *Perſonalem* illam, quæ eſt facta non tam ratione officii, quàm perſonæ.

688 III. Quia Concilium Tridentin. *Seſſ. 22. cap. 5. De Reform.* mandat, ut diſpenſationes miſſæ Româ committantur *Ordinariis* illorum, qui eas *impetraverunt*, ideo quando, Sede vacante, eſt ad viciniorem, ut ſolet, Epiſcopum remiſſa cauſa, ſi eam non expediat ante novi Epiſcopi creationem, non poterit poſtea pergere in ea, ſed neque novus Epiſcopus ſine nova commiſſione. Tambur. *num. 8. 9. 10.*

689 Additur in eodem Concil. *cit. cap. 5.* hæc ſanctio. *Eæ vero* (diſpenſationes) *quæ gratioſè concedentur, ſuum non ſortiantur effectum, niſi priùs ab eiſdem* (Ordinariis) *tanquam delegatis Apoſtol. ſummariè tantùm, & extrajudicialiter cognoſcatur, expreſſas preces, ſubreptionis, & obreptionis vitio non ſubjacere.*

690 Unde jure ſimul, & providè ſtatuitur in Synod. Conſtitut. hujus Diœceſ. *Part. 1. tit. 16. num. 30. ne Preſbyteri, quibus Apoſtolicæ diſpenſationes commiſſæ ſunt, eas priùs exequantur, quàm Nobis, vel Vicario exhibuerint, ut quæ circa eas jure facienda ſint, maturè providere valeamus.*

691 Dixi: *Jure*, quia favet à fortiori Tridentinum Decretum. Dixi: *Providè*, quia ipſimet Vicarii Generales, etſi theoriâ, & praxi planè excellentes, perſæpe tamen dubitant de circumſtantiis pertinentibus ad valorem diſpenſationum, alióſque conſulunt, quis ergo meritò timeat, commiſſum iri graves errores, ſi neque uſu, neque ſcientiâ ullatenus pares pronuntient ex ſuo duntaxat ſenſu? Ergo literas illas commiſſionum Apoſtolicarum prudenter expendent ad pondus, & libellam Sanctuarii indicati in ſuis Conſtitutionibus, niſi malint oraculum authentici interpretis, id eſt, Illuſtriſſimi Domini Nuntii conſulere.

IV. Inquiſitiones, quas jubetur facere 692
Commiſſarius Apoſtolicus, non ſunt neceſſariò faciendæ judicialiter, recipiendo nimirum Teſtes coram Notario &c. ſed ſufficit, ſi fiant extrajudicialiter, nam Pontifex ſolùm mandat, ut veritas indagetur, modo, & viâ neceſſariis ad prudenter procedendum. Sanchez *Lib. 8. Diſp. 35. num. 15.* Tambur. §. 3. *num. 2.* Qui ſi deprehendat, preces veritate niti tunc, quando eſt actu diſpenſaturûs, diſpenſabit, eſto eæ fuerint falſæ, quando Papa mandavit diſpenſationem. Suprà *num. 677.* ubi plura hanc in rem.

Quæritur IX. *Quomodo ſint intelligendæ litere* 693
diſpenſationum, quæ ex Pœnitentiaria Romana diriguntur ad Confeſſarios, exequendæ pro foro interno?

Reſp. Omnes, & ſingulas earum clauſulas eſſe à me copioſè explicatas *in Quinario Tract. 5.* ſeu *in Theol. Jurid. Moral. cap. 37. à n. 140. ad 283.* ubi & deſcribo communem formulam talium Brevium, ſeu Diſpenſationum, & nominatim ediſſero triginta tres clauſulas, atque etiam doceo, qua ratione poſſint impetrari prædictæ literæ, hîc autem reſolvo

Caſum peccantis gratis.

B*Enevolentia Reverentia Veſtra facit, ut* 694
denuo pulſem fores ratione dubii cujuſdam. Dubitatur, an nonnemini imperanda ſit reſtitutio, qui, ut minoribus ſumptibus impetraret diſpenſationem in gradu conſanguinitatis, Commiſſario Epiſcopali, vel Papali fraudulenter impoſuit, interpoſito etiam juramento, facultates ſuas nimiùm tenues eſſe, & ſe extendere ſolùm ad tres Ducatos, cùm tamen ſe extenderint ad 20. vel 24. Hâc fraude circumventus Commiſſarius Decretum diſpenſationis impetravit, ita ut omne negotium hoc uno Ducato tranſactum ſit, quem defraudator perſolvit quidem, ſed modò reſipiſcens quærit remedium. Ditioris fortunæ non eſt, quàm tunc fuit, ſéque, & conjugem gravidam, duóſque liberos alit labore manuum. Si reſtitutio facienda, de qua hactenus dubitavi, quæritur de modo, & quantitate, & cui? Commiſſarius ille diem ſuum jam obiit. Reſponſum à R. V. rogo, & per latorem exſpecto.

Digitized by Google

Sic ad me ante pluſculos Annos tunc Adm. R. P. Prior Monaſterii N. vir Religioſiſſimus, nunc Abbas digniſſimus, laudatiſſimus.

695 Vera quidem, & antiqua parœmia eſt, quòd nemo velit gratis malè agere, egit tamen gratis non ſolùm malè, ſed peſſimè is, de quo præſens Caſus, quia licèt faſſus fuiſſet apertam veritatem, haud tamen fuiſſet à quoquam adactus ad pendendum plus uno Ducato. Non ab Illuſtriſſ. D. Nuntio Apoſtolico, utpote qui libenter diſpenſat gratis cum pauperibus, pauper autem eſt, qui non habet ſcutos quinquaginta. Tuſchus *verb. Pauper, concluſ. 160.* ex Floriano, ille autem perjurus vix habebat quadraginta. Non à Commiſſario, ſeu Procuratore, etenim nequiviſſet hic jure exigere ab ejuſmodi paupere plus uno Ducato, pro omnibus neceſſariis ad impetrandam diſpenſationem.

696 Hinc infertur, illum ſimplicem hominem non fuiſſe obnoxium ulli reſtitutioni. Reſtitutio enim non debetur, niſi ratione aut rei acceptæ, aut injuſtæ acceptionis. DD. *in materia de Reſtitutione*, titulus rei acceptæ hìc non reperiebatur, quia orator non retinebat rem aut Illuſtriſſimi Domini Nuntii; aut Procuratoris, nec etiam aderat injuſta acceptio, nam neque horum duorum res ulla ablata, neque alterutri damnum ullum contra juſtitiam, cujus ſolius læſio adfert obligationem reſtitutionis, erat illatum, ſiquidem neuter poterat titulo juſtitiæ poſtulare plus, quàm fuit re ipſâ erogatum.

697 Porrò quia rurſum incidit mentio diſpenſationis impertitæ ab Illuſtriſſimo Domino Nuntio Apoſtolico, iis, quæ de ordinaria ipſius poteſtate in hoc genere retuli ſuprà *num. 587.* jungo ſpecimen ſpecialis poteſtatis, quod in Originali nactus ſum, jam deſcriptis ſuperioribus, directum ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Principe, ac Domino D. Federico Borromæo Patriarcha Alexandr. Nuntio Apoſtolico ad Helvetios &c. poſtea Eminentiſſimo Cardinale, *ad Perilluſtrem, & admodum Reverendum Dominum Vicarium Generalem Conſtantienſem die 18. Januarii Anni 1665.* quo refert *exhibitam ſibi pro parte dilectorum Chriſtophori N. & Sabinæ N. petitionem continentem, quòd ipſi cupientes Matrimonium invicem contrahere, animadverterunt, ſe tertii conſanguinitatis gradûs impedimento detineri, verùm ob eorum paupertatem, & itineris incommoda ad Romanam Curiam pro obtinenda diſpenſatione accedere, vel mittere non valentes humiliter ſupplicari ſibi fecerint* pro gratia diſpenſationis &c. ſe proinde *committere, & mandare* eidem Domino Vicario Conſtantienſi, *quatenus prædictos, etiamſi forte Matrimonium per verba de præſenti ſcienter, vel ignoranter contraxiſſent, ſeque etiam carnaliter cognoviſſent, dummodo non ſub ſpe ſic faciliùs à Sede Apoſtolica obtinendæ diſpenſationis &c. abſolvat. Deinde cum eiſdem, ſi, & quatenus preces veritate nituntur, & verè Catholici ſint, & rationabilis aliqua cauſa intercedat v.g. anguſtia loci, aut vitandi ſcandali, aut infamia mulieris, dotiſve minùs competentis à viro competenter augendæ, vel alia ſimilis &c. autoritate Apoſtolicâ diſpenſet.*

In his verbis cernere eſt 1. Illuſtriſſimos Dominos Nuntios etiam in tertio gradu diſpenſare ex gratia ſpeciali. 2. Anguſtiam loci non reſtringi ad mulieres. 3. Non ſolam paupertatem eſſe cauſam ſufficientem impetrandæ diſpenſationi, etſi non diſpenſet D. Nuntius, niſi cum illis, qui *ob eorum paupertatem, &c. non valent ire, vel mittere Romam.* 4. Paupertatem alterius ſufficere. 698

Quæritur X. *Qui ſolvenda ſit recentiſſima, atque à Scriptoribus præterita quæſtio, quæ emergit ex hac*

Specie facti.

Alexander VII. in Brevi ad Epiſcopum N. quem proprio compellat nomine, facit huic poteſtatem diſpenſandi, quoad tres menſes, ſuper ætate & etiam conferendi quibuſdam Ordines extra tempora præſcripta, utramque verò gratiam reſtringit hac clauſula: Dum in actuali viſitatione exiſtis. *Fuit ergo ex me quæſitum, an, ſi ille Epiſcopus, non per ſe, ſed per Ordinarium, extraordinariúmve Viſitatorem luſtraret ſuam Diœceſin, poſſet nihilominus diſpenſare per Viſitatorem illum, aut per ſe?* 699

Ratio aſſerendi poterat eſſe quadruplex. 700 *Prima*, quòd favores, & nominatim poteſtas diſpenſandi ſit amplianda. Arauxo *De Eccleſiaſt. ſtatu Tract. 2. quæſt. 18. num. 3.* poſt Sanchez *Lib. 8. De Matrim. Diſp. 2.*

Altera, quia quod quis facit per alium, cenſetur facere per ſe: *Reg. 72. in 6.* adeò, ut etiam Canonici, qui ante aditionem præbendæ tenentur emittere profeſſionem fidei, poſſint id præſtare per procuratorem. Barboſa *in cap. Poteſt quis. De Reg. jur. in 6.* nam regulariter quicunque poteſt aliquid facere per ſemetipſum, poteſt id facere per alium, niſi Lex, vel Canon aliter conſtituat *cap. Poteſt quis. De Reg. Jur. in 6.* Barboſa in terminis *De offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 61. num. 20.*

Tertia, quòd more, & uſu Illuſtriſſimorum Antiſtitum Germaniæ ſit receptum, ut poteſtatem delegatam in ſpiritualibus æquè, ac in temporalibus, ſubdelegent ſuis miniſtris. Unde videmus, ipſaſmet commiſſiones Cæſareas directas ad Epiſcopos Imperii Principes tractari per ſubdelegatos. 701

Quarta, quòd ſingulariter poſſit tunc Princeps delegatus ſubdelegare, quando delegans non attendit ad induſtriam perſonæ. Dynus *in cit Regul. 72. in 6.* non videtur autem Alexander VII. attendiſſe in præſenti gratia ad 702

indu-

induſtriam perſonæ, cùm & non ſit facilè præſumendum, electam eſſe induſtriam perſonæ. P. Laymann. *in cap. Quoniam. 43. De offic. & poteſt. jud. del. §. 1.* & Barboſa *in cit. cap. Quoniam.* & non ſoleat induſtria perſonæ attendi, niſi in cauſis aliquantulum perplexis, aut difficilibus. Innocent. *in cap. Quoniam. De off. & poteſt. jud. del. num. 5.* nulla autem prorſus perplexitas, aut difficultas conſuevit apparere, quando impertienda eſt mera gratia, præſertim diſpenſationis in ætate, & pro extra.

703 Nihilominus tamen cenſui tunc, & etiam nunc cenſeo, ſalvo meliore cujuſque judicio, ſi Epiſcopus N. non viſitet perſonaliter Diœceſin, irritas fore diſpenſationes, quas circa ætatem, & tempora Ordinationum faciet, ſeu faceret virtute indicati indulti. Ad cujus reſolutionis planiorem, exactiorémque intelligentiam decidendæ ſunt hæ duæ quæſtiones. *Prima*, utrùm, ſi Epiſcopus N. viſitet quidem Diœceſin, at non per ſe, ſed per Ordinarium, extraordinariúmve Viſitatorem, indultum illud Pontificium ſortiri poſſit effectum? *Altera*, an actualis diſpenſatio debeat fieri ab ipſo Epiſcopo, ſive interim ipſemet viſitet, ſive viſitet per ſuum, vel ſuos idoneos miniſtros?

704 Supponitur autem, nullum eſſe dubium, quin poteſtas diſpenſandi pendeat, in propoſito caſu, *eſſentialiter* à viſitatione jam inchoata, hoc enim apertè indicat tenor literæ, & ultra id, quod adferemus pro reſponſione ad *primam* quæſtionem, probatur efficaciter, quòd alioqui clauſula: *Dum in actuali viſitatione exiſtis*, foret ſupervacanea, atqui nulla clauſula debet eſſe fruſtra, aut ſupervacanea. Barboſa *Tract. De clauſulis in princ. num. 15.* cæteríque paſſim DD.

705 Suppono quoque, meum Lectorem facilè perſpicere, controverſiam hanc minimè matrimonialem, tantùm idcirco à me diſcuti hoc loco, quòd in hoc, & prioribus Caſibus tradam principia intelligendi facultates, circumſtantiáſque diſpenſationis, & ſicut Alexander VII. fecit poteſtatem diſpenſandi tempore Viſitationis quoad Ordinum impedimenta, ita etiam potuiſſe facere quoad inhabilitatem ad Matrimonium, præſertim provenientem ex Cognatione Spirituali, quæ utique eſt una ex materiis viſitatione dignis. His ſuppoſitis.

706 Reſpondeo ad *primam* quæſtionem, atque dico, neceſſe eſſe, ut ipſemet Epiſcopus N. viſitet Diœceſin, alioquin fore irritas omnes illas diſpenſationes. Probatur inde *fundamentaliter*, quòd omnis actus ſine conditione *eſſentialiter* requiſita exercitus ſit nullus, & irritus. *Leg. Qui heredi. ff. De condit. & demonſtrat.* Nam paria ſunt non fieri, & fieri ſine conditione requiſita. Romanus *conſil. 411.* ſiquidem, conditione deficiente, deficit conditionatum. Tuſchus *lit. C. concluſ. 593.* idque procedit tam in conditione *tacita*, quàm in *expreſſa*. Barboſa *Axiomate 48.* Atqui conditio, ſub qua eſt facta Epiſcopo N. poteſtas diſpenſandi, eſt, *ut*, ſeu *ſi ipſemet viſitet* Diœceſin. Et 707
verò quòd viſitatio actualis ſit quædam conditio, liquet ex definitione conditionis, quam è Theologis, & jureconſultis depromit Rippolli *Tract. De condition. & demonſtrat. cap. 1. n. 8.* dicens, eſſe adjectionem quandam, quæ diſpoſitionem ſuſpendit, ut etiam videbimus *Tract. ſeq. Caſ. XII.* diſpoſitio autem circa diſpenſationem ſuſpenditur per viſitationem, alioqui clauſula: *Dum in actuali viſitatione exiſtis*, foret fruſtra, ut jam dixi ſuperiùs. Et proinde conceſſio illa Pontificia eſt vera diſpoſitio conditionalis, hæc enim vocatur illa, cujus effectus differtur in futurum. Rippolli *loc. cit. n. 42.* id eſt, in conditionis poſitionem, & quamvis diceremus, illam conceſſionem eſſe diſpoſitionem potiùs *modalem*, quàm *conditionalem*, nihil tamen obeſſet propoſito, ſiquidem nihilominus viſitatio eſſet neceſſaria ad validam diſpenſationem, quia cauſa, & modus implendus ad favorem tertii ſemper præſumitur cauſa finalis. Tuſchus *lit. M, concl. 300.* viſitatio autem petitur à Summo Pontifice in favorem viſitandorum, non viſitantis.

Quòd verò eadem viſitatio, ut facta ab ipſo- 708
met Epiſcopo perſonaliter, ſit conditio, atque adeò, quòd ipſemet debeat in propria viſitare perſona, inde convincitur, quòd verba cujuſcunque diſpoſitionis intelligenda ſint & propriè *Leg. Non aliter ff. De legat. 3.* Decius *conſil. 113. num. 6.* cum cæteris Doctoribus, & ſecundùm communem uſum loquendi *Leg. Liberorum. ff. De legat. 3.* Bartol. *ibidem* vulgaris enim appellatio pro Lege habetur. Gonzales *ad Reg. 8. Cancellariæ Gloſſ. 11. num. 69.* & denique accipi debet juxta naturam actûs, & qualitatem perſonæ. Barboſa *Axiomate 222. n. 8.* proprius verò, & ſimul communis intellectus clauſulæ: *Dum in actuali viſitatione exiſtis*, inprimis deſignat præſentiam realem Epiſcopi, deinde natura actûs viſitationis, & perſona Epiſcopi exigit, ut, quando ipſemet Epiſcopus intereſt in propria perſona viſitationi (ſicut jam primùm probavimus, intereſſe debere vi indulti Pontificii) viſitet etiam ipſe, foret enim abſurdum, ſi inſtar ſtatuæ illic compareret, argumentum autem à vitando abſurdo eſt validiſſimum. Eberhardus *loc. 23. num. 1.* Confir- 709
matur 1. Quia deputatus viſitator, & reformator debet per ſe hoc exequi, & non per alium. Cardin. Tuſchus *lit. I. concluſ. 104. num. 10.* ergo & obtinens gratiam ſub conditione viſitationis, debet per ſe hanc exequi. Confirmatur 2. Quia generatim, quando induſtria perſonæ eſt electa, non poteſt ſubdelegari. Omnes DD. *ex capitulo tertio, & ultimo de officio jud. delegat.* atqui fuiſſe electam induſtriam perſonæ Epiſcopalis, probabitur inferiùs. Confirmatur 3. ex iis, quæ dicam ad *ſecundam* quæſtionem.

Etenim ad *alteram* quæſtionem, ut videlicet 710
Epi-

Digitized by Google

Epiſcopus debeat ipſemet diſpenſare, ut ſit valida conceſſio illa Pontificia? Reſpondeo, videri mihi probabilius, debere per ſemet diſpenſare. Ratio eſt *prima*, quia, quando in Reſcripto delegationis exprimitur nomen ejus, cui fit delegatio, cenſetur facultas eſſe data intuitu perſonæ, eſſéque perſonalis. Abbas Barboſa uterque, Wangnereck, & alii *in cap. Quoniam 43. num. 8. De officio & poteſt. jud. delegat.* quod verum eſt, ſaltem tunc, quando non cognoſcitur ex conjecturis fuiſſe alia mens

711 concedentis. Imola *in cit. cap. Quoniam. num. 23.* P. Laymannus in idipſum *cap. numero ſecundo*, fusè Sanchez *De Matr. Lib. 8. Diſp. 27.* Atqui in Reſcripto ſuperiùs indicato exprimitur nomen Epiſcopi delegati, nec poteſt ex conjecturis cognoſci, fuiſſe aliam mentem Pontificis. Ratio eſt *ſecunda*, quia tunc etiam cenſetur eſſe electa induſtria perſonæ, quando negotium eſt magnæ, ſeu notabilis importantiæ. Tuſchus *loc. cit. num. 9.* & deputatio fit non à Lege, ſed ab homine. Tuſchus *num. 10.* diſpenſare autem in ætate, & extra tempora eſt notabilis importantiæ, tum quia ne ipſis quidem Nuntiis Apoſtolicis permittitur, ut in ætate diſpenſent etiam pro uno die, tum quia utraque facultas ſimul juncta perquam raró

712 impertitur. Ratio eſt *tertia*, quia verba ſunt propriè intelligenda, niſi ratio perſuadeat receſſionem à proprietate, ut vidimus ſuperiùs, tunc autem ſolùm propriè diſpenſat quis, quando in propria perſona abſolvit à Legis obligatione, nam factum per alium dicitur *fictè* factum per ſe. Alexand. *conſil. 189. numero 10 Lib. 7.* Denique adferri poteſt hæc etiam ratio, quòd in materia delegationis cenſeatur in dubio eſſe electa induſtria perſonæ. Maſcard. *De probat. concluſ. 594.* poſt Pariſium. Dubitatur autem hîc, an Pontifex elegerit induſtriam Epiſcopi, necne?

713 Ad rationes in contrarium reſpondetur: ad *primam*. favores, & poteſtatem diſpenſandi eſſe amplianda, ſed non ultra voluntatem delegantis, nam voluntas in omnibus dominatur. Prateus *De Regulis juris Lib. 3. tit. 11 cap. 3.* quia ſcilicet verba ſervire debent intentioni, non intentio verbis. *cap. Intelligentia. De ſignif. verb.* oſtendimus autem, Pontificis vo-

714 luntatem, & intentionem fuiſſe aliam. Ad *ſecundam* reſpondeo, communiter quidem eſſe verum, quòd, qui facit per alium, cenſeatur etiam quoad valorem facere per ſe ipſum, at ab hac Regula excipiendo *primò*, niſi conſtet contrarium de mente delegantis: hæc quippe omnibus eſt præferenda, excipiendo *ſecundò* Caſum, quo induſtria perſonæ eſt electa. Dynus *in Reg. 62. in 6. num. 13.* & alii, induſtriam verò perſonæ Epiſcopalis fuiſſe tum quoad viſitationem, tum quoad diſpenſationem electam, probavimus ſuperiùs: & confirmatur etiam inde, quòd tunc cenſeatur electa induſtria perſonæ, quando clarè conſtat ex lectura. Tuſch. *Lit. I. concl. 106. num. 1.* clarè autem conſtat ex lectura horum verborum: *Dum in actuali viſitatione exiſtis*, eſſe electam, ſeu deſignatam, expetitam perſonalem actionem Epiſcopi, & quidem juſtiſſima de cauſa. Non ſufficit Epiſcopum mittere probos viros ad luſtrandas Parochias, ſed oportet ipſummet ire. Idem Barboſa *loc. cit. num. 24.*

Non enim ſolùm inter paſtorales curas, & 715 virtutum exercitium præcipuum locum habet ſolicitudo Diœceſin viſitandi. Expreſſè Barboſa *De offic. & poteſt Epiſc. Part. 1. Tit. 2. Gloſſ. 10. num. 21.* ſed etiam innumerabiles ſunt utilitates, quæ ex perſonali Epiſcopi viſitatione proveniunt. Idem Barboſa *numero 5.* Peckius *in eandem Regul. num. 23.* enumerans illas, & quarum reflexam rationem habuiſſe Alexandrum VII. habeo perſuaſum. Ad *tertiam* rationem reſpondetur, eſto, ea ſubdelegatio fiat in politicis, haud idcirco faciendam in Eccleſiaſticis, & factam in uno caſu non extendendam ad alium, quia conſuetudo contraria juri non eſt extendenda de caſu ad caſum, ſed reſtringenda, eſt quippe ſtricti juris. Maſcard. *De probat. concl. 423. num. 13.* Quamquam etiam in Politicis ſolet ſubdelegari potiùs examen cauſæ, quàm deciſio.

APPENDIX VISITATIONIS.

Dixi paulò antè ex Epiſcopo Barboſa, innumerabiles utilitates emergere ex frequenti luſtratione Diœceſeos, addo hîc è diverſo, innumera mala procedere ex defectu frequentis viſitationis, inter quæ ſunt perpendenda ſingulariter duo. *Primum*, inemendata ſcandaloſorum Clericorum vita, ac deſidia in ſuis muniis, horum enim ſocordia, ac mores perverſi, nunquam, aut ſanè vix unquam ſufficienter deteguntur Ordinariis, niſi veniant vel ipſimet, vel eorum fideles, accuratíque delegati in rem præſentem.

Alterum, ruina jurium Eccleſiaſticorum. Cùm enim ſæculares hac ætate non ſolùm non conſueverint augere, ut eorum laudatiſſimi majores, jura Eccleſiarum, & parochorum, ſed potiùs minuere, ubi exiſtimant (& pro dolor quoties abſque vera ratione) competere ſibi verum titulum, fit, ut titulo uſucapionis vendicent ſibi plurima, quæ revera ſpectant ad Beneficia Eccleſiaſtica, Clericos, hoſpitalia. Horum certè malorum perquam rigidum examen inſtituetur olim. Væ, Væ illi Epiſcopo, cui tunc deerit ſcutum legitimæ excuſationis.

Alter Saleſius noſtri ſæculi, & vera Idea Epiſcoporum Alanus de Solminihac dicere ſolebat, ſe, hoc ipſo, quòd eſſet Epiſcopus, obligatum eſſe ad inſtituendam viſitationem, hanc enim functionem *indiſpenſabiliter* Epiſcopatui annecti, ut loquitur in *Idea Boni Prælati* P. De-

Digitized by Google

P. Dominicus Biſſelius *Lib. 2. cap. 12.* exprihens, hunc digniſſimum ſuo titulo Epiſcopum Cardinali Richeliev ſanguine junctum, ſepties viſitâſſe totam, adeòque pagatim, Diœceſin ſuam Cadurcenſem, tametſi numerarentur in ea ſeptingentæ parochiæ. Fortè Alano hanc indiſpenſabilitatem inter cætera perſuaſerat auctoritas Cardinalis, ſimul & Capuani Epiſcopi Bellarmini, utpote qui in admonitione ad Epiſcopum Theanenſem nepotem ſuum in *prima Controverſia* ſic ſcribit. *Paſtor nec nomen paſtoris meretur, ſi non perſonaliter attendat ſuo gregi*, non attendit autem perſonaliter, qui nunquam viſitat, ac propterea ſapientiſſimus Petrus Forerius noluit Epiſcopo Tullenſi impertiri abſolutionem Sacramentalem, priuſquam ſponderet, ſe quot Annis eſſe luſtraturum ſuam Diœceſin, ſicuti retuli *in Alphab. Confeſſor. Caſ. XVIII. num. 560. in Append. Caſus ſtupendi.* Eam ob cauſam habeo mihi perſuaſum, omnes Epiſcopos, qui gaudent privilegio ſimili ejus, quo Conſtantienſes, teneri in propriiſſima perſona inſtituere viſitationem, ſiquidem cupiunt frui Beneficio ejuſdem Beneficii, ſeu gratiæ Apoſtolicæ.

716 Ad *quartam* rationem patet fundamentalis reſponſio ex probationibus noſtræ utriuſque concluſionis, verè enim induſtriam perſonæ ipſiuſmet Epiſcopi requiſivit Pontifex, ſaltem quoad actum viſitationis, eſt enim talis actus implicitus magnis difficultatibus, atque exigens magnam ſimul prudentiam, & authoritatem cum non minore zelo. Quod ita clarum eſt, ut exiſtimem, eſſe nullo modo dubitandum de veritate reſponſionis noſtræ ad *primam* quæſtionem, cùm præſertim ſcribat Laymannus *Tom. 1. in Jus Canonic. in cap. Quoniam. 43. De offic. & poteſt. judic. del. n. 4.* executorem conſtitutū non poſſe ſuas delegare vices, quando ex qualitate cauſæ, ob quam Papa Epiſcopo facit tam raram gratiam, præſumi poteſt, perſonæ induſtriam electam fuiſſe, ergo ſimiliter nequit Epiſcopus viſitare per alterum, quando ex qualitate cauſæ, ob quam Papa Epiſcopo facit tam raram gratiam, præſumi poteſt, voluiſſe, ut ipſemet Epiſcopus obeat officium Viſitationis, atqui hoc poteſt optimè præſumi in præſenti materia.

717 Faciliùs, & meo judicio probabiliter defendetur, diſpenſationis delegatam poteſtatem poſſe ſubdelegari, ſaltem quoad nudum miniſterium, quandoquidem Pontifices conſueverunt facillimis de cauſis diſpenſare quoad ætatem, & tempora Ordinationum, nec requiritur hîc ea diſcretio, quæ in viſitatione. Faciunt huc ea, quæ Barboſa & Wangnereck *in cit. cap. Quoniam 43. De offic. jud. deleg.* proferunt.

718 Quæritur poſtremò, non utique extra rhombum, *an & quid juris competat Religioſis, circa diſpenſationes matrimoniales, & ſingulariter ex viOraculorum vivæ vocis?* Profeſſio mea impulit me, ut qualem qualem coronidem huic penultimo è meis Alphabeticis libellis imponerem hac de Regularibus quæſtione, cujus partem obtinent Privilegia Societati noſtræ impertita.

Reſp. Autem ad *primum* membrum hujus quæſtionis.

I. Tametſi non extat memoria ullius privilegii facientis omnibus Regularibus poteſtatem diſpenſandi in ullo Impedimento matrimoniali, referuntur tamen à Scriptoribus nonnulla, partim communia per participationem omnibus Mendicantibus Ordinibus, partim ſpecialiter competentia uni, alterive Religioni.

II. Etenim P. Quintanadvennas *Singular.* 719
Tract. 9. Singul. 1. deſcribit verba Veracrucii, referentis ex Libello Richardi Roffenſis Epiſcopi, ab Henrico VIII. Angliæ Rege in odium Catholicæ Religionis occiſi, quo pacto Leo X. Auguſtinianis fecerit poteſtatem diſpenſandi cum iis, qui ſcienter, vel ignoranter contraxerunt cum Impedimento affinitatis etiam in primo gradu, modò id notorium non ſit, neque productum in judicium. Et verò habet Veracrucius illud privilegium pro vero, validóque, profitetur quoque Bruno Chaſſainus apud P. Bonagratiam Habſenſem *in Summula ſelectarum QQ. Regularium verb. Matrimonium num. 288.* ſe non audere de illo privilegio dubitare propter ſanctitatem Roffenſis. Adhæc, cùm Eligius Baſſæus in prima editione ſuæ Theologiæ Moralis retuliſſet hoc privilegium, expunxiſſet verò in ſecunda, repoſitum fuit in tertia Veneta, cum remiſſione tamen ad judicium Doctorum, ut teſtatur P. Bonagratia, ſuſpendens ſuum de hoc privilegio judicium, ſicuti & ſuſpendit P. Pellizarius *in Manuali Regul. Tract 8. cap. 3. num. 343.* At ejuſmodi facultatem fuiſſe ita generatim collatam, negat P. Henriquez *De Matrim. Lib. 2. cap. 3. num. 2.* negat & P. Quintanadvennas; tum quòd ſedulus revolverit omnes, qui diligenter collegerunt privilegia Mendicantium, & tamen nihil tale repererit: tum quia, eſto, ponamus conceſſam, attamen revocata ſit per Concil. Tridentinum *Seſſ. 25. cap. 22. De Ref.* Verùm liquet ex Rubrica, quam Barboſa præfigit huic vigeſimo ſecundo Capitulo, Concilium illic non loqui de privilegiis contrariis cuicunque tandem Decreto illius Sacræ Synodi, ſed ſolùm de iis, quæ obſtant Decretis in ea tota Seſſione, patétque ex ipſa litera hæc explicatio.

Nihilominus tamen exiſtimo, eſſe veroſi- 720
milius, tale privilegium vel nunquam emanâſſe, vel ſi, emanavit, non ſubſiſtere. Etenim vel fuit duntaxat vivæ vocis oraculo conceſſum, vel per Bullam? Si ſecundum, evolavit,

vit, cùm nuſpiam reperiatur, evolâſſe quis credat? Si primum, probabiliſſimè evanuit ob Bullas Gregorii, & Vrbani, de quibus infrà. Attamen ob reverentiam erga illum ſanctum Epiſcopum credo omninò, eſſe datum, at non Bullatum *formaliter*, conſequenter de illo diſcurrendum, ſicut infrà de cæteris ſine Bulla conceſſis olim privilegiis. Quia verò tam Veracrucius, quàm Chaſſainus adhuc tribuunt ipſi robur, Pellizarius, & Bonagratia non negant, ſicut nec Baſſæus, non eſſet manifeſti criminis, ſeu imprudentiæ reus ille ex Ordine Mendicantium Regularis, qui nactus duos ejuſmodi conjuges, ſed conſcios Impedimenti orti ex fornicatione, ut exprimit Henriquez, verſantes autem in manifeſto, perpetuóque (ob utriuſque ſingularem fragilitatem) inceſtuoſorum concubituum diſcrimine, cum evidenti periculo, quòd ampla hæreditas eſſet ad ipſorum filios illegitimos devolvenda iniquiſſimè, & cum quadam morali impoſſibilitate faciendi ſeparationem, diceret iis: *Diſpenſo vobiſcum, quoad poſſum, quia tamen valde dubium* (Theologi, & Jureconſulti ſexcenties vocant dubium illud, cujus certitudo non habetur) *eſt, an poſſim, petam à Pœnitentiaria Romana* (vel ab Epiſcopo, juxta dicta ſuprà *num. 579.* & Henriquezium *loc. cit.* loquentem expreſſè de primo gradu affinitatis ex fornicatione) *certam diſpenſationem, interim ſi continere non poteſtis, revertimini in idipſum, ſperantes bene de Benignitate Divina.* Ratio eſt, quia ſatius eſt in morbis deſperatis adhibere dubiam, quam nullam medicinam. P. Sanchez *Lib. 1. Moral. c. 19. num. 39.* poſt P. Gregorium de Valentia.

721 III. Poſſunt, teſte Quintanadvennâ *citat. Singul. 1. num. 4.* Mendicantes diſpenſare generatim in omnibus Impedimentis, in quibus Epiſcopi diſpenſant, non ratione urgentis neceſſitatis, ſed ex ordinaria juriſdictione, vel à jure, & conſuetudine. Ita hic Auctor, at non videtur poſſe ullo jure probari hæc doctrina, quam nec puto admiſſum iri in iis provinciis, in quibus fortè ex longæva conſuetudine Epiſcopi diſpenſant in quibuſdam occultis Impedimentis, nec ſcio, quis hactenus tribuerit Religioſis poteſtatem illam diſpenſandi in impedimentis Impedientibus, in quibus Epiſcopi ex ordinaria poteſtate: quale Impedimentum e. g. eſt defectus denuntiationum, ſeu proclamationum.

722 IV. Carmelitæ Diſcalceati diſpenſant in Regno Perſarum cum Neophytis quoad omnia Impedimenta conſanguinitatis, & affinitatis, excepto primo in linea tranſverſa, exceptis quoque omnibus lineæ rectæ. Bullam Pauli V. pro hoc magno privilegio refert Auguſtinus à Virgine Maria *verb. Miſſionarii num. 19.*

723 V. Bonagratia Habſenſis *cit. num. 300.* poſt P. Baſſæum, & P. Cyprianum etiam Capucinos, typis publicavit quinque privilegia Societati noſtræ pro partibus duntaxat Septentrionalibus ſpecialiſſimè conceſſa à Gregorio XIII. circa diſpenſationem cum iis, qui contraxerunt vel clandeſtinè, etiam ubi eſt receptum Concilium Tridentinum, vel coram non proprio Parocho, vel cum Impedimento Criminis, ignorantes, eſſe impedimentum, vel in quarto gradu affinitatis, conſanguinitatiſve, aut cum Impedimento Cognationis Spiritualis inter compatrem, & commatrem. Limitationes, cum quibus hæ gratiæ ſunt impertitæ, non attinet hîc exprimere.

VI. Idem P. Bonagratia *in eadem Summula* 724
verb. Miſſio num. 307. accenſet gratiis conceſſis Miſſioni illorum ſuæ Religionis Patrum, per Provinciam Helveticam, de qua feci alibi mentionem, jus diſpenſandi cum recèns converſis ad fidem Catholicam in 3. & 4. gradu conſanguinitatis, & affinitatis, quoad præterita Matrimonia, & prolem ſuſceptam declarandi legitimam. Item diſpenſandi cum eiſdem in Impedimentis Publicæ Honeſtatis, Criminis, neutro tamen conjugum machinante: & Cognationis Spiritualis inter levantem, & levatum. Obſervat autem idem Doctor duo: *Primum*, haſce facultates eſſe neceſſariò renovandas ſingulis quinquenniis, *alterum*, eas diſpenſationes non eſſe concedendas, niſi de conſenſu Epiſcoporum, ubi erunt, & cum clauſula: *Dummodo mulier rapta non fuerit.* 725
Addo ego *tertium*, ſcilicet vel hinc patere, Congregationem de propaganda fide, à qua emanârunt (cum præſcitu Pontificis) hæ facultates, etiam ſupponere, provincias hæreſi infectas eſſe obnoxias legibus ſtatuentibus Impedimenta dirimentia Cognationis Spiritualis, Criminis &c. ſicut ſuprà *Caſ. 1.* probavimus. Addo *quartum*, videlicet hoc privilegium non videri poſſe ab aliis Religioſis participari per communicationem, tum quia mihi veroſimillimum eſt, id expreſſè (tametſi non meminerit Habſenſis) vetari à Congregatione, tum quia alii Regulares non petunt renovationem, tum quia impertitur ſolis Miſſionariis. Etſi verò noſtræ Societatis Sacerdotes incolentes loca, quæ per Provinciam Helveticam intelligit P. Habſenſis, id eſt, ipſam Helvetiam, Briſgojam, magnam Sueviæ, Alſatiæ partem, eo jure appellari poſſint Miſſionarii, quo univerſim Patres Capucini, incolæ eorundem locorum, habentur pro Miſſionariis, haud tamen exiſtimo, fuiſſe hactenus à quopiam noſtrûm in praxin redactam ullam ex iis quinque facultatibus, nec vellem eſſe autor redigendi. Sed & illud noto, Congregationem Sacræ Inquiſitionis Decreto à ſua Sanctitate confirmato die 8. April. hujus Anni 1671. declarâſſe, facultates Miſſionariis in Anglia, Batavia &c. conceſſas de diſpenſando in tertio, & quarto gradu conſanguinitatis, vel affinitatis, ſimplici, & mixto, pro Matrimoniis contrahendis,

Digitized by Google

debere intelligi ſolùm de tertio,& quarto ſimplici, videlicet ab uno ſtipite futuris ſponſis communi,& inſuper de tertio,& quarto mixto ex altero ſtipite cum quarto, *nullatenus* autem cum ſecundo.

726 VII. Pollent Religioſi Mendicantes gratiâ Pontificia ad diſpenſandum in ordine ad petitionem debiti conjugalis cum conjugibus, aut voto caſtitatis adſtrictis, aut reis inceſtuoſi adulterii, ſicuti explicabo *Tract. ſeq. Caſu XVI. num. 630. & Caſu XV. num. 604. & ſeqq.*

727 Hæc circa *primam partem*, ſeu membrum quæſtionis propoſitæ *num. 718.* ſufficiunto, ad *alteram* priuſquam reſpondeam, exhibebo pluſcula de oraculis vivæ vocis, quà nota vulgo doctorum, quà etiam reconditiora, ſuppoſito, oraculum vivæ vocis nihil aliud hîc eſſe, quàm privilegium, ſeu gratiam à Summo Pontifice verè quidem conceſſum, at ſolâ voce, adeóque ſine ſcriptura, ſicuti ex Patre Suarez rectè deſcribit P. Dicaſtillo *De Pœnitent. Diſp. 10. dubio 11. num. 315.* conſentitque Lezana *in Summa Quæſtion. Regul. Tom. 2. verb. Oracula num. 4.*

728 I. Itaque Gregorius XV. & poſt eum Vrbanus VIII. Anno 1631. revocârunt omnia vivæ vocis oracula, à Romanis Pontificibus conceſſa quibuſcunque Regularibus, ut legere eſt in eorum Bullis apud Lezanam *loc. cit. num. 1. & 3.* quarum poſterior quia eſt prioris partim confirmativa, partim declarativa, idcirco eâ ſtandum eſt, adeóque dicendum, revocari ea ſolùm vivæ vocis oracula, quæ ſunt oretenus conceſſa ab aliquo Pontifice, aut ſignata manu alicujus Cardinalis. & quidem conceſſa Regularibus in particulari, vel in communi, de his enim ſolis loquitur Vrbanus, ut patet ex litera, rectéque monet Lezana *num. 5.* etſi P. Dicaſtillo *loc. cit.* extendat etiam ad ſæculares:

729 II. Cùm expreſſè mandet Vrbanus ſub graviſſimis pœnis, ut ſua Bulla à Superioribus Religioſis publicetur in ſingulis Conventibus, inde infert Bruno Chaſſainus apud Bonagratiam Habſenſem *in allegata Summula verb. Privilegium num. 49.* ſicciſſimè: *Vbi talis publicatio facta non fuit, non eſt curandum de contentis in hac Bulla.* Sed quia Vrbanus nec verbulo indicat, illam publicationem tam particularem eſſe neceſſariam ad inducendam obligationem *in actu ſecundo*, non auſim ita loqui, aut ſcribere. Teſtatur tamen Bonagratia *loc. cit.* ejuſmodi promulgationis nullum apud ipſos extare veſtigium, ſed potiùs contrarium, teſtor autem ego è diverſo, fuiſſe in noſtra hac Provincia ſuperioris Germaniæ fideliter, & humiliter paritum illi Decreto.

730 III. Circa dubium, quid nomine *Gratiarum, Privilegiorum, Indultorum*, quo utitur uterque Pontifex in ſua revocatoria, intelligatur, notandum eſt, eſſe opinionem magnorum Doctorum, eo non intelligi aut Indulgentias, (Peyrinis & Bordonus apud Lezanam *loc. cit. num. 5.* habentem hoc pro probabili,) aut generatim ullam gratiam omnino favorabilem, nulliſque præjudicioſam. Bordonus apud Lezanam *loc. cit.* non immeritò diſſentientem: aut illas conceſſiones, quæ jam erant ante eam renovationem ſortitæ ſuum effectum, eſto hic habeat tractum ſucceſſivum. P. Quintanadvennas *Singularium Tract. 9. Singul. 4.* id exemplificans, Lezana *ibid.* id ſpecificans, aut ea, quæ ſunt merè declarationes, explicationéſve Privilegiorum, Lezana *loc. cit. n. 5.* id exemplificans, ſicuti & Bonagratia teſtatur ex Barboſa *in Apoſtolicis Deciſionibus verb. Oracula vivæ vocis*, ipſummet Vrbanum VIII. aliâ poſteriore Conſtitutione incipiente: *Alias*, declarâſſe, Officiales, ſeu Miniſtros, quibus aliàs ante emanatas illas duas Bullas ex officiorum authoritate, de oraculo per eos à Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus habito, fides haberi ſolebat, in literis prædictis minimè comprehenſos fuiſſe.

IV. Vrbanus VIII. apud Habſenſem ita 731
declaravit, Patrum Capucinorum privilegiis nihil fuiſſe derogatum per illas Bullas, ut, conſideratâ illâ Declaratione, atque de ea judicio cujuſdam ex Patribus Provincialibus ſui Inſtituti, ita ſcribit ipſe P. Bonagratia: Hucuſque Reverendus, & Doctiſſimus Pater, cujus in hoc judicium mihi ſingulariter arridet, ut excludi non debeant oracula quæcunque Inſtituto noſtro conducentia, ſeu directè, ſeu indirectè per communicationem æquè primò, & principaliter, ſeu perinde, ac ſi tribus Ordinibus S. P. Franciſci ſpecialiter conceſſa eſſent: quod verbum *concedere* cùm ſit generale, aptum comprehendere omnes caſus ſecundùm ſubjectam materiam, generaliter ſumendum eſt, ita, ut comprehendat omnia vivæ vocis oracula quandocunque Capucinorum Inſtituto convenienter conceſſa. Barboſa *Axiomat. 106.* ubi quòd generalis diſpoſitio omnes ſpecies comprehendat, & expreſſio generis continentis ſpecies operetur idem, ac ſi ſingulæ ſpecies eſſent expreſſæ, cúmque favores ſint ampliandi potiùs, quàm reſtringendi, non video, quid nos cogat, favorem hunc ſpecialiter Capucinis factum reſtringere, attento maximè favore, quo Vrbanus Papa VIII. ferebatur in Capucinorum Congregationem, cujus frater idem Inſtitutum profeſſus eſt, donec ad Cardinalitiam eveheretur dignitatem, de quo proinde viri alii docti idem conteſtantur, dictum Pontificem, quantum ad oracula ejuſmodi, nobis Capucinis nihil abſtuliſſe, quin etiam ampliora conceſſiſſe.

Hactenus Bonagratia *in citata Summula* recuſa Coloniæ *verb. Privilegium n. 419.* Anno 1667. quo ad finem vergente colligo, pro altera (præſens eſt quinta) excuſione hujus Tra-

ctatûs,

ſtatûs, ſeu Alphabeti, has, & ſequentes opiniones, aſſertionéſque Doctorum circa illas duas decantatiſſimas apud Morales Scriptores Neotericos controverſias.

732 Tametſi Baſſæus apud Bonagratiam *in citat. Summula verb. Matrimonium n. 289.* exiſtimat, privilegium, cujus vi Religioſi Mendicantes diſpenſant quoad petitionem debiti conjugalis cum illigatis voto Caſtitatis, aut crimine inceſtûs patrati cum conſanguinea conjugis intra ſecundum gradum, eſſe duntaxat vivæ vocis oraculum, noſter tamen P. Quintanadvennas *cit. Tract. 9. Sing. 4.* demonſtrat contrarium, ideóque illo hodiéque utimur, fruimur.

733 VI. Quamvis Portellus *in Reſponſionibus Moralib. Tom. 2. Caſ. 13.* teneat, per prædictas Conſtitutiones revocari eas conſuetudines, quæ fundatæ ſunt in ſuo principio in aliquo vivæ vocis oraculo, nihilominus tamen probabilis etiam eſt pars negans, tum propter vim conſuetudinis, quæ poteſt inducere, & abrogare, legem, tum quia dici poteſt, quòd tales conſuetudines, quatenus fundatæ in vivæ vocis oraculis, abrogatæ ſint, non tamen quatenus ſunt conſuetudines legitimæ, & rationabiles, habentes conditiones ad illas requiſitas. Ita ſcribit idem Lezana *loc. cit. n. 7.* cujus reſolutio ſi eſt vera, tum privilegia impertita pluribus Annis ante Gregorium XV. verſantiáque in utcunque frequenti uſu, manent in ſuo vigore, nec enim eſt dubium, quin ſint uſurpata, frequentatáque tot actibus, quot ad conſuetudinem introducendam exiguntur à Doctoribus.

734 VII. Si eadem facultas, quæ conceſſa fuit prius à Pontifice per vivæ vocis oraculum, eadem ab eodem, vel ab alio conceſſa ſit per Bullam, Breve, Reſcriptum, Motum proprium &c. jam non manet in ſolo ſtatu vivæ vocis oraculi, ſed eſt ſimul conceſſa per ſcripturam, unde non cenſetur revocata per revocationem vivæ vocis oraculorum. P. Dicaſtillo *De pænit. Diſp. 10. dub. 11. num. 315.* quem à fortiori ſecuti ſumus *in Alphab. Confeſſariorum Caſ. XX. num. 661.*

735 VIII. Nota, quòd ſi privilegium per Bullam uni Religioni conceſſum, vivæ vocis oraculo alteri communicetur, probabile ſatis eſſe, tale vivæ vocis oraculum non revocari per dictas conſtitutiones, nam verè non eſt ſimpliciter vivæ vocis oraculum, ſed Privilegium Bullatum. Turrianus *Part. 2. ſelectar. Diſp. 26. dub. 3.* quem referunt, & ſequuntur Peyrinis, & Bordonus. Ita rurſum ſcribit Lezana *loc. cit. n. 8.* Quia tamen Vrbanus caſſat omnia vivæ vocis oracula *quomodocunq;* conceſſa, clauſula autem: *quomodolibet* includit omnem modum. Marta *De clauſulis P. 1. clauſ. 136. n. 2.* éſtque non ſolùm univerſalis, ſed etiam diſtributiva. Marta *num. 3.* Idcirco non caret ea doctrina Lezanæ magnâ difficultate. Sed majori obnoxia eſt reſolutio duorum ſequentium dubiorum, quorum *primum* eſt jam commune *alterum* particulare, & recentiſſimum.

Dubitatur enim *primò*: poſito, quòd omnia, 736
quæ hactenus retuli, ſint vera, aut probabilia, ſitne etiam probabile, nulla planè privilegia, ut vult Alviſet *De privileg. ſect. 1. cap. 4. num. 21. & ſect. 14. dub. 7.* eſſe re ipſâ Religioſis Mendicantibus ſublata. Ratio fundamentalis dubitandi de ipſa rei veritate eſt, quòd ii Pontifices certò, ut liquet ex litera, revocârint ſola oracula *vivæ vocis*, ſeu privilegia conceſſa vivæ vocis oraculo, quæ revocatio cùm ſit odioſa, reſtringi debet ad ea privilegia, quæ ſunt duntaxat *vivæ vocis* oracula, non autem extendi ad conceſſa etiam per Bullam cùm utile non debeat per inutile vitiari, atqui omnia privilegia, quibus Religioſi gaudebant ante Gregorium XV. & Vrbanum VIII. ſunt conceſſa etiam per Bullam, ſeu ſcripturam, deſcribit enim Leander apud Dianam *Part. 9. Tr. 11. Reſol. 61.* verba Clementis VII. ex Bulla: *Dum fructus uberes*, quibus expreſſè confert Minorum Ordini omnes conceſſiones, & gratias omniũ etiam Mendicantium *quomodolibet conceſſas, & concedendas.* Unde infert Leander hæc formalia: *In foro conſcientiæ poſſunt Religioſi uti privilegiis vivæ vocis ipſis conceſſis, non obſtantibus Bullis Gregorii XV. & Vrbani VIII.* Idem Leander teſtatur, B. Pium V. confirmâſſe *omnia* privilegia, conceſſa priùs Ordinibus Mendicantibus, ſicut & Sixtum V. & Gregorium XIII. indéque infert, *omnia* privilegia, quæ priùs erant ſolùm *vivæ vocis*, deſiiſſe eſſe ſolius vivæ vocis, eſſe autem relata in numerum, robúrque Bullatorum. Ita etiam propter has, & alias Bullas deſcriptas à Diana *Part. 11. Tract. 6. Reſol. 45.* ſentiunt multi nominati ab eodem Diana ibidem, quibus addo recentiſſimum Antonium à Spiritu Sancto Carmelitanum, in Directorio Regularium typis vulgato Coloniæ Anno 1667. ubi *Part. 1. Tract 2. Diſp. 1. ſect. 1. num. 35. & ſeqq.* fusè probat ſimul, & defendit ſententiam Leandri, à qua vix diſſidet Lezana, dum *in tertia parte ſua Summa verb. Oracula num. 7.* ſcribit, ea oracula adhuc perſiſtere, & cenſeri Bullata, quæ ſub nomine oraculi vivæ vocis confirmata ſunt, ſive in ſpecie, ſive in genere, atqui extat apud Rodriquez in Bullario Bulla, quæ eſt prima inter emanatas à Clemente VIII. in qua ſit expreſſa confirmatio oraculorum vivâ voce conceſſorum, ſicut & ſit in illa, quam à S. Pio V. editam indicat Diana *loc. cit.* Alios Pontifices, qui per Bullam confirmârunt *ex certa ſcientia* omnia omnino privilegia impertita Regularibus nominatis apud Illuſtriſſimum S. R. I. Principem, & Abbat. D. Auguſtin Reding *Tom. 6. Theolog. Scholaſt. quæſt. 10. art. 4. Controverſ. 4. num. 30. & ſeqq.* addunt Peyrinis & P. Pellizarius *Tract. 8. cap. 1. num. 181.*

737 Aliam limitationem tam generalis doctrinæ, quam defendit Leander, & Peyrinis, adferunt apud Bonagratiam nuſquam contradicentem *verb. Privilegium num. 419.* viri, ut apud eum loquitur Baſſæus, graviſſimi, qui tenent, Vrbanum VIII. revocâſſe ea ſolùm vivæ vocis oracula, quæ non ſunt confirmata per Bullam alicujus Pontificis *ex certa ſcientia.* Unde P. Hurtadus noſter apud eundem Baſſæum, & Bonagratiam (locum non reperio) ſcribit: *Quoniam per Conſtitutiones Pii V. Gregorii XIII. & Pauli V privilegia Minorum, etiam vivæ vocis, ex certa ſcientia confirmata ſunt, in Bullas tranſierunt*, & R. P. Yſon Pfau Principalis Monaſterii Sanctgallenſis Profeſſus *in Collectario Privileg. fol. 54. abſolutè* ſcribit: *Privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa, poſtmodum verò ex certa ſcientia confirmata, deſinunt eſſe vivæ vocis oracula, cùm jam ſint quaſi de novo per conſtitutionem conceſſa.*

738 Verùm quia idem Clemens VIII. profitetur, ſe ex certa ſcientia confirmare illa, de quibus paulò ſuperiùs, ideo hæc limitatio non videtur eſſe tolerabilior, quàm prior illa. Obſervo autem, quod alii diſſimulant, eâ Bullâ non confirmari omnia planè vivæ vocis oracula conceſſa Minoribus ſed illa ſola, quæ erant Pontifici propoſita in ſupplici libello, quæ autem fuerint illa, quis divinabit? E diverſo P. Quintanadvennas *cit. Sing 3.* Cotonius *celebr. controverſ. Lib. 4. controv. 8. cap. 1. numero 51.* Bordonus apud Bonagratiam *abſolutè* negant haſce limitationes, Diana *Part 6. Tract. 14. Reſ. 17.* & *cit. Part. 9. Tract. 7. Reſ. 51.* (non autem *cit. Reſ. 45* ubi certat pro valore revocationis) ſuſpendit ſuum judicium, ſuſpendo & ego, ſolùm monendo, inprimis eſſe certum, quòd ſaltem illa vivæ vocis oracula ſint ſublata, quæ expreſſè repugnant Concilio Tridentino, nam & Clemens VIII. in illa ſua Bulla excipit ea, & Alexand. VII. hanc damnavit ſententiam: *Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſſè revocata per Concilium Tridentinum*, deinde mihi adhuc probari doctrinam, quam viris ſapientiſſimis probatam expreſſi cum P. Dicaſtillo *in Alphab. Confeſſar. Caſ. XX. num. 668.* videlicet tunc non cenſeri vivæ vocis oracula, ſed Bullata, quando ſunt data alicui Communitati, cujus omnia privilegia, & facultates, data, & danda confirmavit: (*ex certa ſcientia*) aliquis Pontifex per Bullam, Breve, aut Motum proprium.

739 *Alterum*, idque novum dubium oritur ex eo, quòd, ut vidimus ſuperiùs, P. Bonagratia teſtetur, oracula vivæ vocis emanata ante Urbani VIII. Bullam remanere apud PP. Capucinos in ſuo robore, unde quis fortè ſic argumentabitur: Omnia privilegia etiam vivæ vocis, quibus gaudent PP. Capucini, competunt omnibus Ordinibus habentibus cum eorum Congregatione pleniſſimam communicationem privilegiorum, atqui ex una parte vel omnes, vel certè plerique Ordines Mendicantes, ac nominatim Societas Jeſu habent, illam communicationem: ex altera parte PP. Capucini gaudent etiam nunc *certò* (ut apud P. Bonagratiam *cit. num. 49.* quidam miniſter Provincialis ſcribit) omnibus priſtinis privilegiis, ergo &c. Major propoſitio nequit *abſolutè* negari, cùm omnes fateantur, ſaltem in pleniſſima participatione, qualis eſt juxta Bonagratiam, & alios, quando fit æquè *primò*, ac *principaliter*, comprehendi oracula vivæ vocis. At verò ſi admittatur major propoſitio, non verificabitur derogatoria clauſula Vrbani, quatenus petit, & ferit in terminis: *Quoſcunque Ordines Religioſos, etiam Mendicantes*, ut expreſſerat Gregorius. An reſpondebimus, illam pro- 740
poſitionem majorem eſſe veram, ſi non conſtet manifeſtè (meræ probabilitati non do hic locum, utpote non ignarus, quando unum oppoſitorum eſt duntaxat probabile, alterum communiter non carere omni probabilitate), eſſe aliam mentem concedentis ea privilegia, quæ quidem mens deſumi non debet ex affectu, quo Vrbanus VIII. ob ſuum *ſecundùm carnem*, ut loquitur ipſemet Vrbanus in Bulla *De largitione munerum*, Fratrem Onuphrium, teſte Bonagratiâ, ferebatur in illud Religioſiſſimum Inſtitutum, etenim Petri Succeſſoribus non debet caro, & ſanguis revelare, perſuadere conceſſionem tam ſpecialium gratiarum, ſed inde, quòd &, qui è duobus unum exprimit, & affirmat, alterum tacens, hoc alterum negare videatur. *cap. Nónne. De præſumpt.* Vrbanus verò dixerit, ut refert P. Bonagratia, Reverendiſſimo P. Antonio Generali Anno 1633. *In noſtra revocatione non intelliguntur vivæ vocis oracula vobis Capucinis conceſſa*, & nulla clauſula debeat eſſe fruſtra in Bullis, fruſtra autem, aut falſa foret clauſula. *Omnibus*, ſeu: *quibuſcunque Ordinibus*, ſi eâ non includerentur Ordines etiam communicantes cum PP. Capucinis. An divinabimus, quandoquidem, interprete Bonagratiâ, illa ſola, & omnia vivæ vocis oracula, quæ quomodocunque Capucinorum Inſtituto convenienter ſunt conceſſa, remanent in ſuo robore, ſaltem illa cæterorum Ordinum privilegia vivæ vocis eſſe caſſata, quæ nullo modo convenientia Capucinorum Inſtituto emanârunt? Dico ego hîc ſemel, quod Diana ſexcenties: *Tu cogita.* & mecum tranſi ad poſtremum Tractatum.

Tranſi, inquam, ſed priùs examina reſolu- 741
tiones, quas (poſt hæc omnia mandata chartæ à librario) dedi ad cujuſdam Epiſcopalis Theologi, ac Theologiæ Doctoris

Literas Noviſſimas.

E*xpeto Reverentiæ Veſtræ conſilium, & judicium, in caſu nuper mihi propoſito à Reve-*

Digitized by Google

Reverendiſſimo Domino Vicario Generali, at necdum à me reſoluto. Titius & Caja homines plebeii in ſecundo gradu affinitatis conjuncti, ante ſex menſes petierunt diſpenſationem ſuper contrahendo Matrimonio ab Illuſtriſſimo Domino Nuntio, & ſpe futura gratiæ impetratâ taxam etiam ibi ſolverunt ordinariam. Cùm autem interea nullum reciperent reſponſum, arripuit Titius iter ad Illuſtriſſimum Dominum Nuntium, ad quem tamen non modò non potuit pervenire, ſed certò etiam comperit, eſſe magnopere dubitandum, an ipſe D. Nuntius ſit intra longum tempus ullas expediturus huc literas. Quæro igitur. 1. Utrùm Epiſcopus in illis caſibus, & ex illis cauſis, quas exponit Reverentia Veſtra in 1. Part. Alphab. Matrim. *poſſit diſpenſare, non tantùm in inferioribus gradibus conſanguinitatis, & affinitatis, ſed etiam in ſecundo, qui difficilioris eſt diſpenſationis, etiam apud Papam? nec Reverentia Veſtra, nec alii Autores, quos conſului, videntur in hoc puncto diſtinguere gradus. 2. Cùm taxa jam fuerit recepta, & aliàs maturè Romæ curatæ hujuſmodi diſpenſationes, ut teſtatur multiplex experientia, ſed nonnunquam tardiùs ex loco Ordinariæ Reſidentiæ Domini Nuntii ſubmiſſæ diſpenſatis, utrùm non prudenter exiſtimari poſſit, jam fuiſſe poſt tot menſes obtentam Romæ diſpenſationem; & talis exiſtimatio, ac qualiſcunque notitia ſufficiat in his circumſtantiis ad licitè contrahendum? 3. Si prædictis modis non poſſint juvari ſponſi, quid aliud faciendum? Libeat Reverentiæ Veſtræ proximè, quàm fieri poteſt, ad hæc reſpondere. N.N. die 21. Septembris. Anno 1667.*

742 Ad *primam* quæſtionem reſpondeo, inprimis exprimi à me in hoc *Tractat. 9. Caſu XV. num. 583.* poſt Sanchez, atque alios, ſecundum gradum affinitatis, à Diana verò *Part. 8. Tract. 3. Reſol. 80.* atque aliis generatim aſſeri, poſſe ab Epiſcopo diſpenſari in Impedimentis (Eccleſiaſticis) dirimentibus, cum quibus proinde ſentio, illam, de qua ibi loquor, poteſtatem extendi ad ſecundum quoque gradum conſanguinitatis, in iis circumſtantiis, quas ibidem exprimo. Reſpondeo tamen *ſecundò*, hanc extenſionem, ſeu explicationem parum facere ad præſentem Caſum, cùm & non adſit illa urgentiſſima neceſſitas, quam exigunt authores à me nominati, & nullus eorum loquatur de Impedimento notorio, ſaltem ſi cauſa jam ſit deducta ad forum Pontificium, atqui ea, quæ à jure communi tantopere exorbitant, non ſunt ſine manifeſtatione, vel authoritate extendenda. *argum. cap. Quæ à jure. De Reg. jur. in 6. & ibi nos.* per Streinium.

Ad *alterius* quæſtionis *primum*, & *ſecundum* 743 membrum Reſp. Poſſe quidem prudenter exiſtimari, eſſe jam re ipſâ obtentam Romæ diſpenſationem, prudenter quippe credimus, eſſe re ipſâ factum, quod communiùs fieri conſuevit. *Leg. In obſcuris ff. De Reg. jur.* at hæc, quantumvis prudens, ſeu non planè temeraria exiſtimatio videtur nihil facere ad ipſam praxin. *Primò* enim certum eſt, illos ſponſos *invalidè* contracturos, niſi quis delegatus Pontificius diſpenſet re ipſâ cum iis, etenim Pontifex non diſpenſat *immediatè* cum innexis impedimento matrimoniali, ſed per delegatum.
Suprà *num. 636.* Deinde. quia Bartolus *in L.* 744 *Barbarius. ff. De offic. prætor. lectura 2. num. 28.* & Baldus in eandem legem etiam *lectura 2. num. 28.* citantes uterque Innocentium, Hoſtienſem, & Archidiaconum, *abſolutè* ſcribunt, juriſdictionem quidem dari, auferrique etiam ignoranti, at exercitium juriſdictionis nec auferri, nec dari ignoranti: atque horum doctrinam ſequuntur alii cum, & apud Sanchez *Lib. 3. De Matrim Diſp. 36. num 8.* ignoratur autem adhuc, an ſummus Pontifex contulerit juriſdictionem alicui mortalium reſpectu horum ſponſorum, dicendum videtur, exercitium diſpenſationis nulli competere. Et eſto competat alicui: Quiſnam ille eſt? An Epiſcopus? At conſuevêre tales commiſſiones dirigi ad Officiales. An Officialis? At fortè non ad illum, ſed ad Epiſcopum eſt directa. Quo caſu Officialis diſpenſabit *invalidè*. Suprà *num. 686.* Similiter judex delegatus non habet exercitium juriſdictionis ante præſentationem Reſcripti. Baldus, Decius, Felinus apud Marantam *in ſpeculo p. 4. cap. 16. numero 7.* etſi rectè, ni fallor, limitantem. Ad hæc *Tract. præced. Caſ. XIX. num. 751.* jam reſolvi, non eſſe ad ſuperiores Ordines in ætate incompetente ſuſcipiendos procedendum ex eo fundamento ſolo, quòd poſtulata ſit jam à dimidio Anno diſpenſatio, ac veroſimiliter credatur, (ſine ullo teſtimonio) eſſe re ipſâ conceſſa.
Quam reſolutionem quia & ſcio eſſe confor- 745 mem praxi tribunalium, & non dubito, probari vel omnibus, vel pleriſque Prælatis, infero à fortiori, non eſſe ad actus, de quorum valore, ut in diſpenſatione matrimoniali, agitur, procedendum, ſaltem ſine urgentiſſima cauſa, ex ſolis conceſſæ facultatis conjecturis, & quidem iis, quibus perſæpe ſubeſt falſum, ſicuti ſubeſt in cauſis, quæ tranſeunt per tot manus, per tot quoque regiones. Vide Dianam relatum ſuprà *in Append.* poſt *num. 673. lit. C.*

Præterea delegatus nihil *validè* operatur, ſi 746 tranſgrediatur terminos à delegante præſcriptos. *Leg. Diligenter. ff. mandati*, tranſgredi-

tur autem, quando non examinat, utrùm adſit cauſa allegata. Sanchez *Lib. 8. Diſp. 36. n. 16.* Siquidem in delegationibus, nominatim matrimonialibus, exprimitur hæc clauſula: *Si preces veritate nitantur*, ut liquet ex communi Bulla, quam exhibet P. Sanchez *loc. cit. num. 1.* quomodo autem reſciet ſeu Epiſcopus, ſeu Officialis, de quibus hîc ſermo, an ſubſiſtant ea, quæ ſponſi aſſerunt, eſſe à ſe repræſentata Pontifici? An habebit fidem eorum meræ aſſertioni? At nemo eſt idoneus Teſtis in propria cauſa. An ſcribæ? At redibit difficultas, quam tetigi ſuprà *Caſ. XV. num. 382. verſ. Ad ſeptimam.*

747 Denique fortè nullo conſtat experimento, modernum Pontificem diſpenſare etiam cum plebejis in ſecundo gradu affinitatis. Quid ſi rigidiùs, quàm aliqui fortè ſuorum prædeceſſorum, inſiſtat monitioni Tridentinæ relatæ ſuprà *num. 678.* de non diſpenſando, etiam in affinitatis ſecundo gradu, niſi cum magnis Principibus? Has ob cauſas reſpondi tunc, ac reſpondeo nunc, cùm non ſubſit in mora periculum gravis mali, videri mihi, non eſſe falcem mittendam in hanc meſſem, quoad ſaltem unius fide digni teſtimonio conſtet, & eſſe re ipſâ dictum à Pontifice: *Placet*, & quiſnam ſit deſignatus judex delegatus, & quænam cauſæ diſpenſationis allatæ ſint.

Ad *tertiam* quæſtionem Reſp. Non ſuccur- 748
rere mihi aliam rationem juvandi ſponſos,
quàm ut ab his rogatus Reverendiſſimus Dominus Officialis, aut alius urgeat per literas ad Illuſtriſſimum Dominum Nuntium rem apud ipſum inchoatam, qui ſi in Vrbem ſcribat, eſſe jam repræſentatam taxam, at expectari adhuc ſperatam gratiam, facilè impetrabit novam diſpenſationem, dummodo ſcribantur rurſum ad ipſum ea, quæ priùs erant
inſerta ſupplici libello. *At mora*, inquies, *erit* 749
nimis longa? Reſpondeo: utique non tam longa, quàm illius Hiſpani, qui etiam, poſtquam expendit Romæ ſexcenta ſcuta pro impetranda diſpenſatione matrimoniali in primo, & ſecundo gradu, debuit præſtolari tres circiter Annos, teſte, ac referente Navarro *conſil. Lib. 5. conſil. 15. De ſentent. excommunicationis.*

His omnibus exaratis, accipio literas ab 750
eo, qui me conſuluerat, teſtantes, fuiſſe poſt hanc reſolutionem rurſum pulſatas fores Domini Nuntii, atque in ejus Cancellaria repertam Bullam, ſeu Breve diſpenſationis petitæ, ideo autem illic tamdiu retentam, quòd ignoraretur, ad quem eſſet locum tranſmittenda, ergo tentanda, exploranda omnia, priuſquam arripiatur illud, de quo ſuprà, remedium extremum.

TRA-

TRACTATUS DECIMUS,

SEU

ALPHABETI MATRIMONIALIS

SECUNDA PARS.

XXIII. Cardinalibus Caſibus, atque aliis permultis *FACTIS*, non *FICTIS*,

Explicans omnem Materiam Matrimonialem, exceptis Impedimentis, & horum Diſpenſatione.

SERIES HUJUS ALPHABETI.

CAſu 1. Ediſſero, quid ſint ſponſalia? 2. Quæ horum ſigna externa? 3. Qui habiles ad eadem? 4. Sponſorum obligationes, & officia. 5. Probationem, obligationémque deflorationis. 6. Duas priores cauſas dirimendi Sponſalia. 7. Duas alias ejuſdem diremptionis, 8. Tres poſtremas. 9. Circumſtantias diſſolvendorum Sponſalium. 10. Explico, quid ſit Matrimonium; & ſingulariter, quid Ratum? Quid Conſummatum? 11. Quid fictum; & quæ hujus conditiones? 12. Quæ Matrimonii conditionati ratio? 13. Quæ ratio Denuntiationum matrimonialium? 14. Quæ Benedictionum matrimonialium. 15. Exhibeo ferè ex Tho. Sanchez pertinentia ad petitionem debiti conjugalis. 16. Spectantia ad redditionem debiti conjugalis. 17. Propono actiones venereas licitas, vel illicitas Conjugatis, Sponſis, Viduis. 18. Explano, an; & quatenus Matrimonium ſit indiſſolubile quoad vinculum? 19. Diſputo, an Matrimonia modernorum hæreticorum ſint diſſolubilia, etiam quoad vinculum? 20. Expono diſſolutionem quoad torum. 21. Aperio, quid ad valorem Matrimonii faciat probabilitas opinionis falſæ à parte rei, itémque error communis? 22. Scribo de cohabitatione conjugum. 23. De variis officiis conjugum.

QUID SINT SPONSALIA?

CASUS I.

Moris Illaudati?

SUMMARIUM.

Caſus juvenis propinantis puellæ poculum in Matrimonium. 1.
Quid ſint ſponſalia propriè? 2.
Qui ſponſi, & ſponſæ propriè? 3.
Uxor & maritus, in dubio, quinam intelligantur? 4.
Caſus ſponſi percutientis Clericum, inventum turpia agentem cum ſponſa. 5.
Quæ conditiones exigantur ad valorem ſponſalium? 9.
Epiſcopus Lauſannenſis irritat ſponſalia clandeſtina. 11.
An licitè, & validè? 14.
Sanctio Synodi Conſtantienſis circa hoc. 16.
Quomodo promiſſio in ſponſalibus debeat eſſe mutua? 19. & ſeqq.

An promiſſio facta per procuratorem revocari queat? 21.
Deliberatio quanta requiratur in promiſſione ſponſalitia? 22.
Caſus allegantis ob æſtum libidinis defectum libertatis. 23.
Quid debeat judex præſumere, allegato illo defectu? 26.
Quatenus metus obſtet valori ſponſalium? 29.
Fictio quatenus obſit? 30.
Reſolutio Caſûs num. 1. propoſiti. 31.
Quantum peccet promittens fictè Matrimonium? 36.

1 A*Rnulphus juvenis obſecutus illaudato mori ſui oppidi, potitat non raro, in publica taberna, cum puellis; quarum uni factus familiarior, ejúſque amore captus, & uxorem habere volens, propinat ei poculum vitri dicens*: Appel ich brings dir auff die Ehe. Apollonia propino tibi in Matrimonium. *Reſpondet Apollonia*: Geſegnes dir GOtt. Deus tibi benedicat: *Nec facta tunc ulterior mentio Matrimonii, etiam quando Apollonia ebibit vitrum propinatum ab Arnulpho. Aliquot tamen diebus poſt hoc ſympoſium Arnulphus revocat Apolloniæ in mentem nuperum factum, & verba, ait, illam eſſe ſuam ſponſam proinde paret ſe ad contractum Matrimonialem, velle enim ſe juſta ex cauſa brevi nuptias celebrare. Miratur illa hanc poſtulationem, negat, ſe promiſiſſe ipſi quidquam. Minatur Arnulphus citationem ad Conſiſtorium Epiſcopale, ſi hac pergat negare, ſe ejus ſponſam. Quæſitum ex me fuit: an prædicta verba, & actio contineant rationem ſponſalium?*

Quid reſponderim, aperiam *num.* 31. Priùs tamen explicabo, quid latè, quid ſtrictè ſint ſponſalia, & quibus conſtent?

2 Quæritur ergo 1. *Quid ſint ſponſalia?*

Reſp. Sponſalia à *ſpondendo* dicta, ſunt propriè, & ſtrictè promiſſio mutua futuri Matrimonii. S. Thomas *in ſupplem. quæſt. 43. art. 1.* ac Laymannus *Lib. 5. Theol. Moral. Tr. 10. Part. 1. cap. 1. num. 1.* ex communi, conformiter Legi 1. *ff. De ſponſal.* ubi hæc definiuntur eſſe *futurarum nuptiarum repromiſſio.* Unde Riccius *in collect. 2458.* ſcribit: *Sponſalia propriè intelliguntur de futuro.*

Dico: *propriè*; hoc enim nomen quandoque ita, ſeu impropriè, ſeu, ſi mavis, latè accipitur, ut etiam comprehendat Matrimonium Ratum. *cap. Accepiſti. 2. & cap. Tuas dudum. De ſponſ. duor. & cap. Qui deſponſatam 27. quæſt. 2.* Hinc idem Riccius ibidem, atque alii paſſim utuntur hac phraſi: *Sponſalia de præſenti*, id eſt, contracta per verbum de præſenti: *contraho*, & *ſponſalia de futuro*, ſeu expreſſa verbo futuri temporis: *contraham.* Sponſalia de futuro ſunt ſponſalia propriè, rigidéque dicta, at verò Sponſalia de præſenti non niſi impropriè, & latè nuncupantur Sponſalia. Proſper Fagnanus *in cap. Ad audientiam. De ſponſal. num. 13.* poſt Abbat.

Conſequenter nomine *Sponſi & Sponſæ* propriè intelliguntur ii, qui celebrârunt ſponſalia de futuro, impropriè, qui jam celebrârunt Matrimonium; ideóque illi priores ſæpe à DD. ad tollendam ambiguitatem vocantur ſponſi *de futuro*: iſti, ſponſi *de præſenti*; ſicuti vice verſâ nomine *uxoris*, & *mariti* propriè intelliguntur, qui Matrimonium non tantùm promiſerunt, ſed jam re ipſa contraxerunt, & maximè, qui jam conſummârunt. Gloſſa *in cap. 3. De ſent. excomm. verb. Cum uxore*: at impropriè uxor ſignificat quandoq; Sponſam propriè dictam, ut *Gen. 19. & cap. Juvenis. De Sponſal.* 3

Quia verò hæc vocabula ita variè à Doctoribus, ipſíſque Canonibus accipiuntur, hinc pronuntiat Riccius *loc. cit.* atque P. Mart. Perez *De Matrim. Diſp. 1. ſect. 1. num. 5.* nomine *ſponſi* abſolutè prolato deſignari in dubio ſponſum propriè dictum P. Sanchez verò *Lib. 1. De Matrim. Diſp. 1. num. 2.* P. Filliucius *Tr. 10. n. 231.* aliíque plures contra Covarruviam, ac Laymannum *cit. Tr. 10. cap. 1. num. 1.* ajunt, quotieſcunque aliqua lex, vel ſtatutum in materia favorabili loquitur de ſponſis, intelligendos etiam eſſe illos, qui contraxerunt Matrimonium ratum, ſed nondum conſummatum; niſi fortè ob peculiarem circumſtantiam aliud dicendum videatur. Vice verſâ nomine *uxoris*, aut *mariti* in materia favorabili intelligi ſponſos, & ſponſas etiam de futuro, in materia verò indifferente intelligi illos ſolos, qui Matrimonium contraxerunt re ipſâ, ſive illud conſummârint, ſive non. Denique in materia odioſa voce *uxoris* ac *mariti* deſignari illos ſolos, qui re ipſâ conſummaverunt Matrimonium, niſi peculiaris ratio ex verbis, aut aliunde petita obſtet. Conſentit P. Laymannus *cit. numero 1.* 4

Ex his reſolvi abhinc Annos plus 30. hunc

Caſum ſatis rarum.

A*Ntiſthenes deprehendit Clericum N. eodem in lecto cum Agatha, nudum cum nuda, cum qua Agatha ipſe Antiſthenes celebraverat ſponſalia ſtrictè dicta. Motus indignitate facinoris irruit in Clericum, contundit pugnis; fœdè notat, laceratque vultum, non ſine vociferatione, quæ etiam alios excivit. Re delatâ ad Parochum, vetat Antiſtheni, ne Ædem ſacram adeat, niſi rite abſolutus à vinculo excommunicationis; Neſcio quis patronus Antiſthenis negat, eſſe ab hoc incurſam ullam excommunicationem, eò quòd cap.* 5

3. De

§. De ſent. excommun. *dicatur.* Nec ille compellendus eſt ad Sedem Apoſtolicam venire (*hoc eſt, non eſt habendus pro excommunicato. DD. communiter apud Sanchez* cit. d. 1. num. 6.) qui in Clericum cum uxore turpiter inventum manus injecerit violentas; *nomine autem uxoris poſſe illic intelligi ſponſam quoque de futuro.*

6 Ego tamen reſolvi tunc, & nunc quoque reſolvo, Antiſthenem fuiſſe, *per ſe loquendo*, innodatum vinculo excommunicationis; licèt enim ille Canon meritò extendatur à Gloſſa ad ſponſam de præſenti, non tamen rectè ad ſponſam de futuro; eò quòd non ſit à jure Canonico recedendum, præſertim per improprietatem verborum, ſine claro textu, *L. Præcipimus. C. De appell.* Jus autem Commune *cap. Si quis ſuadente. 17. q. 4.* ferit anathemate injicientem iniquè manus in Clericum; injecit autem iniquè Antiſthenes, quia ſumpſit gravem vindictam propriâ auctoritate.

7 Quia tamen nulla cenſura incurritur re ipſâ, niſi ab exercente actum, cui annexam eſſe cenſuram ſciat, ut ex communiſſima ſententia tradidi *in Alphabet. Ordin. n. 666.* ſi Antiſthenes ignoravit, contrahi hîc, & nunc cenſuram, potuit ſaltem occultè intereſſe rebus ſacris.

Quæritur II. *Sitne abſolutè neceſſarium celebrare ſponſalia ante Matrimonium?*

8 Reſp. Cum P. Adamo Tann. *Tom. 4 Diſp. 8. q. 1 num. 2.* nuſquam *directè* id præcipi; quia tamen denuntiationes præmittendæ ſunt Matrimonio, non ſolent autem præmitti, niſi propter ſponſos de futuro, ideo plerumque celebrantur antè ſponſalia de futuro. Dixi: *ferè ſemper*; non autem abſolutè *ſemper*, qui enim conſtitutus in extremo agone ducit concubinam, ut legitimetur proles ex ea ſuſcepta, juxta dicta *Tract. proximè præcedente. n. 433.* facit id abſque ſponſalibus.

9 Quæritur III. *Quæ conditiones exigantur ad valorem ſponſalium?*

Reſp. Tres; ſcilicet ut contineant repromiſſionem veſtitam certis conditionibus 1. Ut hæc, ſit explicita, vel implicita (implicitam enim ſufficere, liquet vel ex formulis ſponſalitiis referendis infrà *n. 48.* & communi Doctorum) 2. Ut hanc exprimant ſignis. 3. Ut promittentes ſint perſonæ habiles. Primam explanabo nunc: duas poſteriores duobus ſequentibus Caſibus.

10 Priùs autem fortè ſciſcitaberis, an ad valorem ſponſalium non poſtuletur, ne Lege Epiſcopali irritentur contracta ſine Parocho & Teſtibus; & conſequenter quid cenſendū de hoc

Decreto Lauſannenſis Diœceſis?

11 C*Onformiter ad mentem Concilii Trident.* Seſſ. 24. cap. 1. De Reform. Matrim. *ea ſponſalia nulla declaramus, quæ ſcilicet abſque proprii, vel ejus licentia alius Parochi, ſeu Preſbyteri, duorúmque Teſtium, & principalium conjugum earundem perſonarum præſentia deinceps celebrabuntur; aut ſaltem niſi ſic clandeſtinè rationabiliter contracta, coram alterutrius partis Parocho poſtea mutuo contrahentium conſenſu denuo ratificata fuerint. Unde parti actrici ſecùs contrahenti proceſſui formando, vel ad tribunal Eccleſiaſticum ream partem citaturæ locus denegabitur, niſi aliud bonum prolis, aut ex dolo malo verbi, aut facti perſonæ ejuſdem familiæ illata injuria Judici Eccleſiaſtico circa prædicta diſponendum, & decernendum ſuggeſſerit.*

Hoc Decretum condidit Friburgi Helvetiorum, cùm illic morarer, Illuſtriſſimus Dominus Joannes de Watteville, Epiſcopus Lauſann. die 8. Febr. Anno 1637 circa quod dubitari poteſt 1. *An poſſit Epiſcopus vel ſolus, vel ſaltem cum conſenſu Magiſtratûs Politici condere ejuſmodi Decretum?* 2. *An ſponſalia clandeſtinè inita in caſu, quem permittit illud Decretum, obtineant aliquod robur, priuſquam ratificentur coram Parocho?* 12

Reſp. I. Quandoquidem Epiſcopus poteſt in ſua Diœceſi, quidquid Papa in toto mundo, niſi quid in particulari prohibeatur ipſi, P. Thom. Sanchez. *Lib. 1. De Matrim. Diſp. 6.* referens pro hoc Axiomate duodecim Theologos, & Canoniſtas; utique autem poſſet Papa, ſaltem dependenter ab acceptatione Magiſtratûs Politici, ferre legem pro tota Eccleſia ſimilem illi Lauſannenſi, poſito, quòd expediret ad bonum publicum, ideo & Epiſcopus id valet in ſua Diœceſi. 13

Quia tamen nequeunt ex clandeſtinis ſponſalibus enaſci ea mala, quæ ex Matrimoniis iridem clandeſtinis; quia deinde ſponſalia non ſunt utique tam conſtantis valoris, quàm Matrimonia; quia denique Decretum ſimile Lauſannenſi videtur repugnare moribus cæterarum Diœceſeon, idcirco non poſſe *moraliter* fieri, ut Epiſcopus abſque prævio conſenſu ſæcularium *licitè* ferat ejuſmodi legem irritativam; & erit fortè, qui idipſum ſentiat de valore. 14

Certè Tannerus *Tom. 4. Diſp. 8. q. 1. num. 1.* *abſolutè* tradit, referre potiùs, ut non contrahantur ſponſalia coram Parocho, ne videlicet officiatur libertati Matrimonii; meritò diſſentiens à Cajetano, damnante, *per ſe loquendo*, mortalis delicti contrahentes abſque uno ſaltem Teſte, cùm ne venialiter quidem peccent, *per ſe loquendo.* P. Dicaſtillo *De Matrim. Diſp. 1. dub. 24. num. 350.* poſt Sanchez, P. Conink, Bonacinam, alios, contra Palud. Silv. Cajetan. nec enim agunt contra ullam legem com- 15

Digitized by Google

communem. Unde Sanchez *Lib. 1. Diſp. 12.* cum Navarro, P. Henriquez, Rodriquez, Gutierez, aliiſque communiſſimè meritò rejicit nonnullos, pronuntiantes, jure communi non valere clandeſtina ſponſalia, ubi non valent clandeſtina connubia. Sed eorum rationes & per ſe nihil planè probant, & repugnant praxi, ipſique Declarationi Cardinalium apud Sanchez *num. 2.*

16 Nihilominus Conſtitutiones Synodales noſtræ, ſeu Conſtantienſes *Part. 1. tit. 15. num. 2.* ſapienter ita monent: *Sponſalia poſthac non fiant in angulis, ſed coram Teſtibus, in domo aliqua honeſta, per verba de futuro, præſente etiam Parocho, ſi fieri poſſit.* Monent, inquam, non mandant; ſaltem dum loquuntur de Parocho; licèt enim hic ſæpe vocetur ad ſponſalia honeſtiorum, nobiliorúmque familiarum, raró tamen ad plebejarum.

17 Quia tamen ex fide digniſſimo ſacerdote intellexi, perſæpe fieri in certo Decanatu hujus Diœceſis Conſtantienſis, ut celebrentur ſine ullo Teſte, ac proinde non raró conqueri ſponſas de fide ſibi non ſervata, ſed ideo fruſtra querantur, quòd nequeant probare datam; quia deinde nonnullæ formulæ ſpondendi ſunt multùm controverſæ, ut liquebit ex dicendis *num. 54. & ſeqq.* poteſt autem Parochus ſuggerere indiſputabiles, ideo oportet urgere praxin Conſtitutionis Synodalis, & in occurrente Caſu contrario recurrere ad Reverendiſſimum Dominum Ordinarium.

18 Reſp. II. Sponſalia illa clandeſtina Lauſannenſia nullam, *per ſe loquendo*, vim habent, antequam ratificentur coram Parocho. Liquet ex verbis Decreti: Ideóque neutra pars tenetur, *per ſe loquendo*, vel ultro, vel ad inſtantiam alterius partis ſiſtere ſe Parocho ad ratificationem. Unde poteſt, ſtante illo Decreto (quod tamen jam non obſervari comperi) quælibet pars liberrimè reſilire, liberrimè cum alio ſolenniter ſponſalia tam de præſenti, quàm de futuro celebrare, ignarâ, aut etiam invitâ alterâ parte *Per accidens* tamen tenetur una pars, petente alterâ, ſe ſiſtere coram Parocho, ſi priùs ita convenerit inter illos, quemadmodum & ſponſus ducere ſponſam, ſi hanc defloravit ſub ſpe Matrimonii. Infrà *Caſ. V.*

19 Quæritur IV. *Quænam ſint ſcienda de prima è conditionibus ſponſalium expreſſis ſuperiùs: ſcilicet de promiſſione?* Reſp. Sequentia.

I. Illa promiſſio debet eſſe mutua. Omnes DD. & conſtat ex *Leg. 1. ff. De Sponſal.* relata ſuperiùs *num. 2.* Quare, quando Cajus dicit Titiæ: *Promitto tibi Matrimonium*, ſi hæc præciſe ſubdat: *Accepto hanc tuam promiſſionem*, non cenſetur eſſe celebratus contractus ſponſalitius, ſcilicet ob defectum repromiſſionis; nec enim aſſentior Paludano, Vaſquezio, Baſilio Pontio, quos refert Caſtropalaus *De ſponſal. Diſp 1. p 3 num. 7.* ratis, non poſſe hic dari ſeriam acceptationem promiſſionis ſine repromiſſione, videtur enim contrarium, quod tradit idem P. Palaus ac P. Perez *De Matrim. d. 1. ſect. 10.* poſt Sanchez, Navarr. & alios, eſſe clarè verum.

20 Ergo, inquies, *Cajus non tenetur ducere Titiam, etiam poſtquam hæc acceptavit ejus promiſſionem?* Reſp. Vel fecit ipſe illam promiſſionem independenter, à promiſſione reciproca, vel dependenter? Si independenter, neganda eſt conſequentia; *ſtudioſe enim agendum eſt, ut ea, quæ promittuntur, opere impleantur, text. cap. Qualiter. De pact.* Si dependenter, ad nihil obligabitur, donec Titia repromittat, attamen non audietur, ſi primùm poſt decennium e. g. dicat Cajo adhuc ſoluto: *Memineris, te abhinc decennium ſpopondiſſe mihi Matrimonium, méque acceptâſſe illam promiſſionem, nunc autem non tantùm illam rurſum accepto, ſed etiam tibi promitto viciſſim Matrimonium.* Ratio eſt, quia non videtur eſſe mens ullius, exſpectare tamdiu repromiſſionem. Ergo prudentis arbitrio permittitur, ut expenſis omnibus circumſtantiis, & præſertim qualitate Caji, ac Titiæ, pronuntiet, utrùm videatur Cajus voluiſſe expectare ad menſem, Annum, aut etiam (ut volunt nonnulli apud P. Sanchez *Lib. 2. d. 32.*) ſeptennium. Certum autem eſt, non exigi, ut repromiſſio fiat ſimul *phyſicè* cum promiſſione; ſufficit, ſi ſimul *moraliter*: quæ ſimultas *moralis* pendet, ut dixi, à variis circumſtantiis.

At *dubium eſt, utrùm Cajus voluerit ſe obligare dependenter à repromiſſione?* Reſp. In obſcuris, adeóque in dubiis præſumendum eſt id, quod *plerumque* fieri ſolet, ut nos docent Regulæ juris utriuſque; ſolent autem *plerumque* tam mares, quàm fœminæ non aliter ſe per hujuſmodi pactum obligare, quàm dependenter à reciproca promiſſione. Bonacina *De Matrim. q. 1. p. 1. n. 7.* & alii paſſim.

21 II. Illa eadem promiſſio, ut vim habeat ſponſalium, debet eſſe acceptata à parte, cui eſt facta DD. communiter apud Sanchez *Lib. 1. Diſp. 6.* contra nonnullos. Ratio eſt, quia, ſicut in omni donatione tam reali, quàm verbali includitur, & ſubauditur hæc conditionalis: *Dono tibi, ſi placeat tibi donatio*; ita & in omni ſeu gratuita, ſeu oneroſa promiſſione ſubauditur conditio: *Si vis: ſi tibi placet: ſi acceptas.* Quare potes tuam promiſſionem revocare, donec acceptet altera pars, eſto, illam juramento confirmàris. P. Palaus *loc. cit. p. 3. n. 2.* nam juramentum ſequitur, utpote acceſſorium, naturam ſui principalis; ergo revocando promiſſionem nondum acceptatam, eſto juratam non peccabis contra vel juſtitiam, vel fidelitatem, vel Religionem. Vide etiam P. Martinum Perez *Diſp. 1. ſect. 9.*

Quòd ſi autem Cajus dicat patri, tutori, aut curatori (aliæ enim perſonæ nihil huc faciunt) Titiæ abſentis: *Promitto Titiæ, ſeu tibi repræſentanti Titiam, Matrimonium*, háncque

pro-

promiſſionem acceptet pater Titiæ, *poteritne revocari, antiquam notificet Titiæ?* Reſpondet Palaus *loc. cit. num. 6.* contra P. Sanchez *d. 7. num. 36.* affirmativè, eò quòd acceptatio tantæ rei videatur eſſe actio integre *perſonalis*; ſi Caſus contigat, poterunt conſuli hi duo DD.

22 III. Illa eadem promiſſio debet eſſe *plenè* deliberata, ſeu cum tanta advertentia judicii, & rationis, quanta requiritur ad peccandum mortaliter. Ita paſſim DD. idcirco nimirum, quòd illa promiſſio ſit de re magni momenti, ſicuti & votum; meritò igitur poſtulatur ex natura rei tanta deliberatio, quanta ad votum, & ad peccandum mortaliter.

At *nonne major? quandoquidem illa promiſſio involvit non ſolùm præſentia, ſed etiam futura, eáque non ſatis nota?* Ob hanc rationem cenſet Bonacina *De Matr. quæſt. 1. p. 4.* cum aliis, exigi omnino majorem; negat verò Perez *Diſp. 1. ſect. 3.* Ego non dubito, quin reſpectû aliquorum ſponſalium, ut ea ſint valida, exigatur diligentius examen, & conſequenter diuturnior, & hoc reſpectu major deliberatio, quàm ad peccatum mortale, quandoquidem, niſi præmittatur illud examen, deprehendetur ſæpe talis defectus, ob quem ignoratum Sponſalia erunt irrita. At ubi non intervenit talis defectus, non eſt ad valorem opus majore deliberatione, quàm ad contrahendam noxam lethalem.

23 Ex qua doctrina ferri poterit ſaltem hypotheticum, ſi non abſolutum judicium de ſequente.

Sententia Curiæ Neapolitanæ.

E*Rat valde renitens pars offenſa contra quendam Clericum* (in Minoribus conſtitutum) *qui violaverat virginem mulierem, quam ſummopere diligebat, ut duceret ipſam in uxorem, ſub prætextu, quòd tempore copulæ carnalis promiſiſſet ipſe Clericus, eam in uxorem ducere. Quare, introductâ cauſâ in noſtra Curia Archiepiſcopali, fuit dubitatum in limine expeditionis cauſæ, ſi prædicta promiſſio, facta prope copulam carnalem, induxiſſet Sponſalia ad effectum, ut nos poſſemus eum cogere ad contrahendum Matrimonium, juxta deciſionem cap.* Ex literis. De Sponſal. *& reſolutum fuit pro parte negativa, habendo pro vero, talem promiſſionem factam de ducendo uxorem prope copulam carnalem minimè inducere ſponſalia, tanquam facta ex vi, & impetu luxuriæ, & libidinis, quæ inſtabat in illo actu, & inſtanti, quo fuit facta dicta promiſſio de ducendo in uxorem illam, quam copulare carnaliter intendebat; & eò magis, quia ex parte Inquiſiti allegabatur amor erga illam mulierem, cujus potentiâ, & vigore facilè eſt præſumendum, abſque illius voluntate, & contra propriam mentem illam promiſſionem feciſſe; cùm vi, & ardore amoris ductus fecerit, cùm amor ſit quædam furoris ſpecies, Teſte Platone &c.*

Exhibeo narrationem, deciſionem, ac fundamentalem deciſionis rationem verbis, quæ legere eſt apud Aloyſium Riccium *Tom. 2. Part. 2. deciſionum, deciſione 15.* inter Archiepiſcopales Neapolitanas. In qua narratione notandum eſt, licèt hic Doctor ſub initium narrationis ſcribat, eam promiſſionem eſſe factam ipſo tempore *commixtionis carnalis*, attamen per tempus copulæ intelligi tempus, quo intendebat habere copulam, ut patet tum ex verbis ſequentibus, tum manifeſte ex deciſione *centeſima quinquageſima quinta* ejuſdem Curiæ, in qua repetens Riccius hanc ipſam ſpeciem facti expreſſè ſcribit, promiſſionem eſſe factam *tempore, quo rem volebat habere cum illa.* Occaſione autem partim claræ, partim aliquantum obſcuræ narrationis quæri poſſunt quatuor. 1. *An, qui ante copulam actualem promittit mulieri Matrimonium ex amore in eam, poſſit prudenter credere, ſibi defuiſſe deliberationem perfectam, ac proinde non teneri ſtare promiſſis?* 2. *An ſaltem tunc poſſit id credere, ſeu præſumere, quando promiſit tempore ipſius copulæ?* 3. *An judex fori interni teneatur credere aſſerenti, defuiſſe illam perfectionem deliberationis?* 4. *An judex fori externi debeat præſumere illum defectum, & conſequenter abſolvere impetitum à muliere?* Ad haſce quæſtiones indiſcuſſas ab aliis, quos habeo, Scriptoribus. 24

Reſp. I. Communiter loquendo is, qui ante copulam actualem pollicitus eſt mulieri Matrimonium ex amore in eam, præſumere debet adfuiſſe perfectam deliberationem. Ratio eſt, quia vel pollicetur Matrimonium *ſub conditione copulæ*, vel *abſolutè*? Si *ſub conditione*, peccat mortaliter, ut liquet per ſe, cùm habeat intentionem peſſimam; & quidem ita promittendo peccat mortaliter, non ſolùm *materialiter loquendo*, ſed *formaliter*, & *Theologicè*; eſt quippe credibiliſſimum, non reperiri unum è viginti talibus, qui non agnoſcat, ſe abſque omni dubio teneri confiteri illam ſeu hypotheticam promiſſionem, ſeu intentionem copulæ, eſto hæc fortè non ſit ſecuta, propter aut propriam pœnitentiam, aut Chriſtianam reluctationem mulieris. Ergo talis habuit perfectam deliberationem, & ſubinde cognitionem ſuæ malitiæ, ergo utique etiam perfectè cognovit, quid, & cui promitteret; nec enim major animi ſerenitas, ſeu libertas ab amoris paſſione exigitur ad *validè* obligandum ſe mancipio Veneris, & Aſmodæi per promiſſionem *ſub conditione copulæ*, quàm ad obſtringendum 25

dum ſe ipſi Aſmodæo, ſeu Cacodæmoni per peccatum luxuriæ. Unde fit, eſſe id ipſum à fortiori dicendum, quando Matrimonium fuit promiſſum, ſine conditione illa turpi, ſed ſolâ impurâ intentione intercedente. Dico, communiter eſſe ita præſumendum. Etenim fallit hæc præſumptio inprimis, quando illæ duæ perſonæ ſunt tam imparis conditionis, aut promittens Matrimonium ita abhorrebat priùs ab ea muliere, ut certò nunquam fuerit extra illum furorem libidinis eam ducturus; etenim inter ea indicia, ex quibus in dubio præſumimus, nos non præbuiſſe perfectum, ſed duntaxat imperfectum conſenſum tentationi, aut operationi per ſe malæ, eſt hoc unum, quando videlicet ſcimus, nos ante illam tentationem, aut operationem conſtanter abhorruiſſe à peccato, ad quod nos allexit, pertraxitque tentatio. P. Sanchez *Lib. 1. Moral. cap. 1. num. 20.* P. Palaus *Tr. 2. Diſp. 2. p. 6. num. 5.* Fallit deinde in prorſus extraordinario æſtro libidinis, quod quandoque oriri poteſt ex verbis, forma, tactu ſingulariter illecebroſis.

26 Ad *alteram* quæſtionem reſpondeo, eſſe rem planè dubiam. Ex una enim parte ſcripſi alicubi è Medicorum ſenſu, fieri conſuêſſe, ut ipſam copulam actualem comitetur aliqua tranſiens phreneſis: ex altera conſtat, pœnitentes haud rarò confiteri, ſe, dum fruerentur complexibus propriarum uxorum, ut alienarum, hæc aut illa cogitâſſe, dixiſſe. Exiſtimarem itaque poſſe tunc aliquem in dubio accommodare ſe deciſioni Curiæ Neapolitanæ, quandoquidem de illo amore, qui comitatur copulam, poteſt per antonomaſiam dici id, quod de amore ſcripſit Plato *in Phædro*, ſcilicet eſſe ſpeciem furoris; & quod Juſtinianus *Authen. Quibus modis natur. fil. efficiantur legit. §. Illud col. 6.* ante medium pronuntiat: *Nihil eſt furore amoris vehementius.* Et denique ſingulariter huc faciunt, quæ, ex diverſarum claſſium Scriptoribus, de amoris furore congeſſit Riccius tum *cit. deciſ. 15.* tum rurſum *deciſ. 155.* ejuſdem Curiæ Neapolitanæ, atque in Praxi *variar. Reſol. Tom. 1. Part. 2. Reſol. 135.*

Ad *tertiam* quæſtionem reſpondeo, quandoquidem in foro Sacramentali eſt idem Teſtis, & reus, judex autem tenetur ferre ſententiam, juxta Teſtium depoſitionem, Confeſſarium debere ſtare aſſertione negantis, ſe tunc fuiſſe ſibi præſentem quoad hunc actum promiſſionis, ſi, inquam, hoc neget conſtanter, poſtquam ipſe Confeſſarius probè examinavit, an revera tunc non cogitârit, quid, & quantum promitteret.

27 Ad *quartam* reſpondeo, me non poſſe acquieſcere judicio illius, quantumvis ſapientiſſimæ Curiæ, ſiquidem illimitatè habuit, ut habuiſſe indicat Riccius, *pro vero*, promiſſionem factam de ducendo uxorem prope copulam carnalem, minimè inducere Sponſalia; quia hoc judicium repugnat certò conſtanti praxi noſtratis, ſeu Conſtantienſis Curiæ, cæterarúmque, ut reor, Germanicarum, in quibus rideretur ſeu advocatus, ſeu cliens, ſi ſuſtineret allegare illum furorem, atque ob ejus allegationem peteret abſolvi à ſua promiſſione, etiam ſecutâ defloratione. 2. Quia itidem videtur adverſari judicio communi Doctorum; quandoquidem ex una parte fit, prò dolor! nimis frequenter, ut impetretur copula ſub conditione promiſſionis matrimonialis, & tamen nullus hactenus movit quæſtionem, utrùm ſubſiſtat talis pollicitatio. 3. Ipſemet Riccius *in praxi Reſol. 135.* reſolvit in ſpecie facti Matrimonium contractum inter excœcatos amore fuiſſe validum, nec potuiſſe diſſolvi ob allegationem, tametſi veram illius cæci, ſeu perquàm ardentis amoris, refértque pro ſe Jaſonem, Felinum, & Zenedum, ideo miror, quòd idem Doctor verbis ſuprà deſcriptis tam rotundè ſcribat, eſſe ex vigore amoris *facilè* præſumendum, quòd Clericus ille fecerit promiſſionem contra ſuam voluntatem. 4. Judex in obſcuris debet judicare ſecundùm ea, quæ plerumque contingunt *cap. Inſpicimus. De Reg. jur. in 6.* conjectura enim petita ex communiter contingentibus eſt efficaciſſima. Menochius *De præſumpt. Lib. 1. præſumpt. 18 & Lib. 5. præſumpt. 35.* plerumque autem contingit, ut ille amor, de quo eſt hîc lis, non auferat perfectam libertatem, quandoquidem plerique omnes agnoſcunt, ſe reos gehennæ, quòd in ſcelus illud induxerint mulierem, ſeu abſque, ſeu cum promiſſione Matrimonii; Atqui ad Sponſalium promiſſionem ſufficit plena illa deliberatio, quæ eſt ſufficiens ad peccatum mortale. Martinus Perez *De Matr. Diſp. 1. ſect. 3. num. 6.* ex communi, ut teſtatur *num. 4.* Recentiorum. Unde idem Doctor *ibid. numero 8.* exprimit, plenam deliberationem ſufficere ad Sponſalia, etiamſi ex iracundia, vel alia animi paſſione procedant Sponſalia, itáque communiter Doctores ſentire. 5. Etiam idcirco non ſubſcribo illi ſententiæ Neapolitanæ, tam illimitatè intellectæ, quòd ex narratione videatur, fuiſſe habitam fidem plenam alleganti, ſine ullo alio Teſte, ſuam inſaniam libidinem, atqui jure utroque cautum eſt, ne quis habeatur pro idoneo Teſte in re ſua, & ut affirmanti injungatur probatio.

Nihilominus tamen concedo inprimis cum Perez *cit. n. 8.* ſi in aliquo raro caſu vehementia 28 amoris (exprimit hanc quoque paſſionem idem Scriptor) tanta eſt, ut mentem abſorbeat, & liberum judicium non relinquat, nulla eſſe Sponſalia tunc contracta; in quo raro caſu ſicuti judex fori *interni* ſtat meritò verbis allegantis tantam vehementiam, juxta ſuperiùs dicta, ita Præſes Conſiſtorialis negabit fidem alleganti, & ſine ulla ſemiplena probatione parato jurare, defuiſſe ſibi plenum rationis uſum; etenim juramentum ſuppletorium probationis deferendum non eſſe abſque proba-

probatione ſemiplena, trademus infrà *Caſ. II.* ex communi Juriſperitorum, & ſingulariter, quando cederet in præjudicium tertii, *argum. Cap. Cùm contingat. De jure jur.* Quia verò ille, de quo Caſus Riccii, erat Clericus, & fortè ſæpius manifeſtârat, idque ob graves cauſas, ſe omnino velle ad Majores Ordines aſcendere, eam ob rem potuit faciliùs Curia Neapolitana applicare ejus facto Regulam *num. 25.* relatam ex Sanchez, atque Palao.

Concedo deinde, ſi quis perpendat ea, quæ partim de vi, & rabie amoris venerei. partim de valde mitibus ſententiis variorum judicum latis in allegantes, & qualitercunque probantes defectum plenæ rationis, dum patrabant ſcelera morte digna, commemorant, atque ex parte approbant Tiraquellus *De pœnis minuendis tota cauſa 4.* Menochius *De arbitr. Judic. Centur. 4.* toto *Caſu 328.* atque Riccius in tribus locis ſuprà relatis, probabilitate non carere illud judicium Neapolitanum, ſi fuit fulfultum, ut non dubito, aliquo peculiari indicio, & probabiliter timebatur infauſtus Matrimonii exitus. Augetur inde illa probabilitas, quòd P. Sanchez *Lib. 1. De Matrim. Diſp. 8.* eruditè diſſerens de delirantibus in una materia, minimè autem in aliis obſervat, aliquos perpetuò, ſeu conſtanter ſtulteſcere in una materia, idque *num. 23.* probat variis exemplis, & nominatim unius

Opilionis ſibi noti,

Qui in aliis ſapiens, in hoc uno deſipiebat conſtanter, quòd vehementiſſimè timeret, & quaſi obvios quoſque obteſtaretur, ne ſe cogerent, fieri monachum, ſed chirographo teſtarentur, ſe nullam ad id vim eſſe illaturos ipſi.

Eodem *num. 23.* obſervat idem Doctor, contingere, ut illa mania ſit quandoque breviſſima, eò quòd humor, à quo cietur, brevi diſſipetur. Quidni igitur ſit perquam veroſimile, id ipſum haud ſanè rariſſimè evenire tunc, quando voluptatis ſenſus à nonnullis exprimit hanc non hominis, ſed porci vocem, grunnitúmve, ut planè ſeriò dicant: *Libenter perferrem pœnas æternas*, aut: *non gravatè tolerarem privationem bonorum cœleſtium, ſi poſſem triginta Annos perfrui hac delectatione.*

29 IV. Sponſionem, qua de loquimur, non ſufficit eſſe deliberatam, ſed debet eſſe libera & ab errore, ſeu ignorantia, & à metu injuſto: debet quoque eſſe ſeria. Libera ab errore, & ignorantia, ut explicabo *Caſ. VIII.* libera autem à metu injuſto, planè eo modo, quo *in Alphab.* ſeu *Tract. præced. Caſ. XII.* dixi, Matrimonium debere eſſe liberum à vi, & metu. Solum hoc diſcrimen eſt inter hæc, quòd jus Canonicum expreſſè irritet Matrimonium, contractum injuſto metu, ſicuti ibidem vidimus, non item ſponſalia, quia tamen omnes contractus initi ex metu injuſtè incuſſo ad extorquendum conſenſum, vel ſunt irriti jure naturæ, ut multis placet, vel poſſunt reſcindi ad libitum partis metum paſſæ, ut fert communior conſenſus DD. ſponſalia verò ſunt contractus propriiſſimè dictus, ideo & metus debet abeſſe ab iis. Certè P. Tanner. *Tom. 4. d. 8. q. 1. dub. 1. num. 14.* habet pro valde probabili opinionem Soti tradentis, id, quod jure ſtatutum eſt de metu irritante ipſum Matrimonium, eſſe quoque intelligendum de metu reſpectu ſponſalium, quamvis *abſolutè* id neget idem Tannerus cum aliis.

Seriam autem eſſe debere illam promiſſionem, inde patet, quia ficta, ſimulatáve promiſſio nec eſt propriè dicta promiſſio, nec vacat gravi deceptione. Unde fit, ut ſponſalia propriè dicta includant *eſſentialiter* animum ſe ſe obligandi, eſt quippe impoſſibile; ſeparare à ſeria promiſſione obligationem, ut rectè Perez *cit. Diſp. 1. Sect. 6.* proinde, ſi ſponſus habeat ſerium, & efficacem animum ſe non obligandi per promiſſionem, fallitur, & fallit, dum ait, ſe promittere. 30

Quid ſi verò promittat ſeriò. At careat animo ſtandi promiſſis? Reſp. Erit quidem promiſſio *valida*, ſicut demonſtrat P. Perez *Diſp. 1. Sect. 7.* contra P. Gregorium de Valent. *Tom. 3. diſp. 6. q. 6. p. 1.* attamen perfida, ut fatentur omnes, quia continebit animum non faciendi id, ad quod tenetur ex fidelitate.

Ex hactenus dictis petenda eſt reſponſio ad noſtrum Caſum primum *moris illaudati*, illa ſcilicet, quam dedi ab Annis plus viginti, quòd nimirum, ſpectatis præciſè verbis, & circumſtantiis, quæ in caſu Arnulphi, & Apolloniæ exprimuntur, non potuerit judex Apolloniam compellere ad Matrimonium. Inprimis, quia erat præſumendum, Arnulphum potiùs joco, quàm ſeriò locutum, nec enim ſolent juvenes, qui nunquam tractaverunt cum aliqua de Matrimonio, ſeriò proferre talia verba, utpote qui nôrint, puellas haud conſueviſſe tam improviſò, & ſubitò ſeſe obligare, præſertim coram quatuor, vel quinque Teſtibus, ut tunc aſſidebant illi ſympoſio Deinde, quia verba Apolloniæ, benedicentis poculo propinato, nudè ſpectata, non ſignificant ullo modo apud Germanos, aut alios populos repromiſſionem matrimonialem, ſeu ſponſalium. 31

Si tamen præceſſit aliquis tractatus de ſponſalibus inter Arnulphum, & Apolloniam, & hæc præſetulit animum aliquando nubendi Arnulpho, nec poterat ex vultu, oculis, aliunde conjici, Arnulphum, & Apolloniam fuiſſe ſolùm jocatos, tunc ſanè videtur Apollonia damnanda. Etenim illa phraſis: *Propino tibi in Matrimonium: In emptionem, in commutationem &c.* ſignificat Germanis ſerium animum nubendi, emendi, commutandi. Rurſum 32

Ii quan-

Digitized by Google

quando dicenti: *Propino tibi in emptionem tui Xanti: commutationem mei gladii cum tuo: in ſanitatem Imperatoris*, reſpondet alter: Deus *tibi benedicat poculum.* cenſetur conſentire in rem petitam. Unde non invenietur in exercitu Polonico e. g. honeſtus ullus miles, qui propinanti in ſanitatem tyranni Ottomañici reſpondeat: *Deus tibi benedicat.*

33 Accedit, quòd, quando verba priùs loquentis de ſponſalibus ſignificant clarè promiſſionem, verba, quæ altera pars reponit, ſi ſint dubia, debeant intelligi ſecundùm verba priùs locuti. Sanchez *Lib. 1. diſp. 18. num. 4.* atqui verba Arnulphi ſignificant (poſitis circumſtantiis, quas expreſſimus) clarè enixam voluntatem contrahendi cum Apollonia, cujus Apolloniæ reſponſio eſt dubia, ergo ſunt interpretanda ad mentem Arnulphi. Equidem reperire vix eſt puellam, quæ, ſi abhorreret à tali Matrimonio, non eſſet in prædictis circumſtantiis mox dictura: *Jam non eſt tempus loquendi de Matrimonio*, aut certè reſponſura cum tali conformatione vultûs, oculorum, vocis &c. ut omnes circumſtantes notarent, ab ea non cogitari ſeriò de copulatione cum ita propinante.

34 Illud indubitatum: ſi Apollonia accepiſſet propinatum, ebibitúmque poculum, illúdque mox hauſiſſet, non oſtendendo ullatenus, id non ebibi ullo modo in ſignum Matrimonii, indubitatum, inquam, mihi eſt, fuiſſe compellendam nubere Arnulpho, quia ejuſmodi actio eſt Teutonibus clarum ſymbolum conſenſûs in rem, quam petiit propinans.

35 Quæritur V. *Quantum ſit peccatum, promittere fictè Matrimonium, & ad quid obligetur fictè promittens?*

Supponit autem hæc quæſtio, veram eſſe opinionem, quam velut indubitatam ſupponit P. Sanchez *Lib. 1. d. 9. n. 3.* admittit P. Tho. Tambur. *De Matrim. Lib. 8. Tract. 3. cap. 1. §. 4. num. 2. 3. 4.* probat verò, defenditque ex inſtituto Perez *Diſp. 1. Sect. 1.* contra P. Vaſquez *De Matrim. diſp. 6.* Pontium *Lib. 12. cap. 2.* P. Dicaſtillum *Diſp. 2. num. 66. & 148.* P. Hurtadum *De Matrim. diſp. 1. diff. 12.* quòd ſcilicet poſſit quis ſeriò alicui puellæ dicere: *Promitto tibi Matrimonium*, interim non habens animum verè promittendi, aut ſe obligandi. Si enim poteſt ex omnium ſententia dari Matrimonium propriè fictum, & ideo à parte rei invalidum, cur nequeant dari ſponſalia propriè ficta, ideóque à parte rei invalida? quis credat illis Doctoribus, aſſerentibus hæc verba: *Promitto tibi 100. aureos: acceſſum ad tuas nuptias &c.* ſi ſeriò proferantur, *eſſentialiter* includere veram animi promiſſionem, veram obligationem? Hoc ſuppoſito

36 Dico I. Si fictè promittas Matrimonium omnino liberaliter, id eſt, non exigendo, ut altera pars repromittat, peccas, *per ſe loquendo*, ſolùm venialiter, quia admittis mendacium nemini noxium. At mortaliter, ſi exigas repromiſſionem, quia iniquè adigis alteram partem ad faciendum quidpiam grave, ad quod ipſa non tenetur. P. Perez *loc. cit. Sect. 2. num. 4.*

Dico II. In neutro illorum duorum Caſuum teneris ducere, *per ſe loquendo*, ſecundùm Perez *loc. cit. num. 1.* poſt Sanchez *Lib. 1. diſp. 10. num. 14.* & alios contra alios. Ratio illorum eſt, quia ficta promiſſio non eſt vera promiſſio, atqui obligatio ducendi oritur ſolùm ex vera promiſſione, *per ſe loquendo.* Unde apparet, talem ſimulatorem, *per ſe loquendo*, ad nihil aliud teneri, quàm ut doleat de ſua ſimulatione, & ſit paratus impedire, reſarciréque damna, ſi quæ inde poſſint emergere, aut emerſura ſciat: ut ſi e. g. videat, illam, quæ ita decepta eſt, ratam, omnia eſſe ſincerè acta, negligere aliud Matrimonium honeſtum, quòd ipſi interea offertur. 37

At, quid ſi ejuſmodi ſimulator defloravit virginem ſub ſpe Matrimonii? Reſp. huic quæſtioni ſatiſfactum iri in *Caſu V. n. 230.*

QUÆ SINT SIGNA EXTERNA, ET PROBATIO SPONSALIUM?

CASUS II.

Singularis.

SUMMARIUM.

Caſus juvenis utentis in tractatu ſponſalitio illis verbis: Te non deſeram. 38.
Caſus, quo poteſt promiſſio fieri ſolà mente. 41.
An valeat votum de ineundo Matrimonio in remedium concupiſcentiæ, & quidem cum aliqua certa perſona? 42.
Quæ ſigna promiſſionis exigantur ad ſponſalia? 44.
Diviſio illorum. 47.
Referuntur verba certò ſignificantia ſponſalia. 48.
Et certò ſignificantia Matrimonium. 51.
Et ſub dubio indicantia ſponſalia. 53.
Nominatim hæc: Promitto, me deſponſaturum te. 54.
Et: Aliam non ducam, niſi te. 59.
Et: Promitto tibi amorem, & fidelitatem. 65.
Porrectio manûs quid hîc virium habeat? 66.
Et annuli inſertio in digitum? 67.
Quando verba, aut ſigna ſunt dubia, judex pronuntiabit pro reo. 74.
Statuta in cauſa matrimoniali, an ſint ſtatuta etiam in cauſa ſponſaliorum? Ibid.
In dubio magis eſt favendum fœminis. 77.
Rationes triplicis reſponſi dati ad Caſum num. 38. propoſitum. 81.
Quomodo, qui hîc tacet, conſentire videatur? 82.
Caſus promiſſionis muliebriter clauſulata. 85.
Alius Caſus promiſſionis matrimonialis, conſtantis verbis dubiis. 88.

Spon-

Sponſalia eſſe contracta, probatur verbis, & præſumptionibus; & qualibus? 89.
Præſumptio quid ſit? 90.
Probatur & Teſtibus. 91.
Qualitates illorum Teſtium. 92.
Caſus mulieris, non valentis, niſi juramento, probare factam ſibi promiſſionem. 93.
Quid exigatur, ut poſſit alicui deferri juramentum ſuppletorium probationum? 94.
An admittatur in ſponſalibus? 95.

38 *BEmbus juvenis honeſtæ familiæ, fortunæque, laceſſit ad turpitudinem Bleſillam virginem paris conditionis, atque apud omnes boni nominis, ac tandem precibus pertrahit non ſemel ad copulam, quam tamen ipſa plerumque non permiſit, niſi ſub conditione, ut, ſi ipſa evaderet gravida, acciperetur in uxorem; ipſe autem nunquam abſolutè, & apertè dixit:* Ducam te in uxorem, ſi facta fueris prægnans, *ſed tantùm ſubdidit:* Ego te non deſeram. *Poſt ejuſmodi commercium concipit Bleſilla, incipit tumere venter, revocat Bembo in memoriam utriuſque dicta; petit, ut pro eo, ac ſpopondit, Matrimonium ſecum celebret, priuſquam ſuum vitium fiat manifeſtum. Negat Bembus, ſe promiſiſſe nuptias: accedit Confeſſarium, quærit extra Confeſſionem ex eo, an revera cenſendus ſit dediſſe Bleſillæ fidem de Matrimonio, cùm revera non habuerit intentionem, ſed illis verbis ſolùm indicare voluerit, ſi Bleſilla uterum eſſet geſtura, atque paritura, ad futurum ipſi conſilio, & pecuniâ. Confeſſarius, dilato reſponſo, me ex ipſa Auſtria conſulit. Reſpondeo ego: Bembum non promiſiſſe quidem Matrimonium, propriè loquendo, cùm defuerit intentio promittendi, attamen teneri in conſcientia illam ducere, & vero ſi res deferatur ad judicem Eccleſiaſticum, condemnatum iri ad accipiendam illam in uxorem. Quæritur, quid de hoc triplici reſponſo ſentiendum ſit?*

39 Hunc caſum propoſitum mihi, ut jacet, appello *ſingularem*, quia inter multas formulas promittendi Matrimonii, quas à DD. cumulatas proferam inferiùs, non reperio ullam, quæ ſit aliquo modo ſimilis huic: *Non te deſeram.* Priuſquam adferam *num. 79. & ſeqq.* rationem triplicis illius reſponſi, dicendum mihi eſt: *An, & quibus ſignis exterioribus debeat manifeſtari promiſſio matrimonialis? &*

40 Reſp. I. Certum eſt, debere communiter, ſeu verbis, ſeu alio ſigno exprimi voluntatem ſe obligandi, quæ, ut ſuprà dixi, eſt *eſſentialiter* conjuncta deliberatæ promiſſioni. Ratio eſt, quia promiſſio matrimonialis non obligat communiter, niſi dependenter à reâ promiſſione; quam certè nemo tibi faciet, niſi cognoſcat priorem tuam promiſſionem. Imò, quia priore Caſu *num. 23.* dixi, promiſſionem Matrimonii etiam liberalem, & gratuitam non obligare, niſi acceptetur, non acceptatur autem, niſi intimetur, nequit autem intimari, niſi per ſigna exteriora, ideo etiam liberalis promiſſio non obligat ſine ſigno aliquo exteriore.

At, *quid ſi dicat Bertha Bartholomæo: Quamprimum in animo tuo dixeris:* Promitto, me ducturum Bertham, *ego illa interiora verba habebo pro acceptatis, & ex nunc me tibi obligo in eventum, quo tu apud te ſolùm fueris ita locutus?* Reſp. Si Bartholomæus dicat, ſe contentum, naſcentur vera ſponſalia, ut primùm ſeriò in ſuo ſolo animo dixerit: *Promitto, me ducturum Bertham;* jam enim ſatis manifeſtavit in anteceſſum ſuam intentionem. 41

Quid *ſi verò conſtitutus in graviſſimo periculo incontinentiæ ſæpiſſime incurſæ promittat Deo, ſe in remedium concupiſcentiæ initurum Matrimonium, & quidem cum Bertha?* Reſp. Si judicio viri prudentis ſit ipſi ad ſalutem aut neceſſarium, ut omnes fatentur, aut utilius, ut tradunt Patres Suarez *De voto Lib. 2. cap. 9.* ac Perez *d. 8. ſect. 2.* jungi Matrimonio, valebit promiſſio de Matrimonio ineundo, quia erit verum votum, utpote promiſſio facta Deo de meliore bono; ſicut pluribus declarabo *Caſ. X. n. 406.* ſecùs, ſi tantùm eſſet æquè utile ad ſalutem. At verò non tenebitur idcirco ducere Bertham, niſi hanc præ aliis elegerit, tanquam futuram ſibi commodiorem ad agendam vitam Chriſtianam, aut quia eſt e. g. pauper, nec reperire poteſt maritum, cùm tamen nubere cuperet; ſi enim intuitu hujus qualitatis eam præferat aliis non pauperibus, erit votum de meliore bono. Perez *loc. cit. ſect. 3.* ex communi, negans tamen ſubſiſtere votum, quo quis ideo ſolùm pollicetur Deo, ſe amplexurum ſtatum conjugalem, & quidem cum Bertha, ut hanc liberet certo periculo fornicationis. 42 43

Reſp. II. Generatim loquendo requiruntur, & ſufficiunt illa ſigna, quæ hic, & nunc ſufficienter indicant internam promiſſionem; ſi enim non ſufficienter ſignificent, eſt perinde, ac ſi non uſurpentur, qualiſcunque tandem intentio adſit. P. Dicaſtillo *Diſp. 1. n. 102.* ſi autem ſufficienter, jam aſſequuntur finem, ob quem exiguntur; ergo non eſt opus aliis. Quia verò in quibuſdam locis nonnulla verba, aut ſigna habentur communiter pro ſufficientibus, in aliis pro non ſufficientibus, idcirco communiter valebunt in aliis prioribus locis ſponſalitiæ promiſſiones, indicatæ iis ſignis, in poſterioribus verò communiter non ſubſiſtent. Dico: *Communiter;* aſſentior enim Tamburino *De Matrim. Lib. 8. Tr. 3. cap. 2. §. 3. n. 11.* ſic ſcribenti: *Quæcunque verba, ſigna, ſcriptura, nutus, quibus ſponſus, & ſponſa determinatè* 44 45

perſonæ ſignificent promiſſionem reciprocam de futuris nuptiis, ſufficiunt ad conſtituenda Sponſalia, ſive ea ſigna ejuſmodi ſint ex propria ſignificatione, ſive ex conſuetudine, ſive ex propria voluntate ſpondentium, ſive quocunque alio modo, dummodo Sponſus, & Sponſa inter ſe ſignificent, intelligántque promiſſionem. Ergo poteſt utique fieri, ut Sponſi ad ſignificandum ſuum animum utantur ſignis, alio prorſus ſenſu, quàm ferat communis ſignificatio.

46 Quia tamen, ut dixi, illa ſigna intelligenda ſunt communiter juxta communem ſenſum loci, in quo ſunt uſurpata, & compertum habeo, tribunalia ſacra ſæpe fatigari litibus de ejuſmodi ſignis, fortè ſerviam uni, aut alteri ejuſmodi tribunali, ſi hîc repræſentavero omnia omnino ſigna ſponſalitia, quæ reperi in meis DD. exprimendo, quid de illis ſigillatim

47 ſentiant hi, aut illi. Priùs tamen obſervo, eorum ſignorum aliqua conſiſtere in verbis, alia in alia actione; item quædam certò ſignificare promiſſionem juxta communem acceptionem; alia non certò, ſed tantùm dubiè; Item alia eſſe negativa, alia affirmativa; & denique alia de præſenti, alia de futuro; ergo ſecutus ordinem P. Tamburini exhibebo primo loco verba, quæ ejus, aliorúmque plurium opinione certò ſignificant promiſſionem ſponſalitiam; ſecundo loco, quæ certò non ſignificant; tertio, de quibus eſt lis, an ſignificent. Reperiet autem Lector hæc omnia verba apud communem Doctorem omnium, de hac materia ſcribentium, Patrem inquam Sanchez *Lib. 1. Diſp. 18. & 19.* ferè omnia apud Menochium *Lib. 3. præſumpt. 3.* & Perez *De Matrim. Diſp. 4* per totam; multa bene diſcuſſa à Dicaſtillo *De Matrim Diſp. 1. dub. 8.* poſt Henriq. Coninck, Bonacinam.

48 Verba certò ſignificantia Sponſalia.

1. *Accipiam, vel ducam te, v. g. Bertham in meam, vel in ſponſam meam.*
2. *Promitto, me ducturum te: promitto me ducturum Bertham in craſtinum.*
3. *Accipiam te: ducam te.*
4. *Deinceps: poſthac: Ex nunc te ducam.*
5. *Non aliam, ſed te ducam.*
6. *Promitto: me obligo: do tibi fidem meam, quòd te ducam.*
7. *Sub fide mea te ducam.*
8. *Habeas me infidum, niſi te ducam.*
9. *Accipio te in uxorem, ſi altera reſpondeat: Ego te accipiam in virum.*

49 Has novem phraſes habet Tamburinus *loc. cit. num. 7.* pro indubitatis juxta communem ſenſum DD. ſignis verorum Sponſalium, & probat ſingulariter de ultima, quia, licèt verba Sponſi dicentis: *Accipio te in uxorem*, videantur potiùs conſtituere Matrimonium, quàm Sponſalia, tamen illa expreſſio ſponſæ, reſpondentis per futurum, oſtendit, conſenſum eſſe de futuro. Licèt etiam prima harum novem phraſeon, (ſicuti & aliæ plures) non indicent *expreſſè* promiſſionem, ſignificant tamen *implicitè*, & uſu communiſſimo, ſicuti auctoritate plurimorum confirmat Sanchez *Lib. 1. De Matrim. Diſp. 18. num. 12* & aſſentitur Tannerus *Tom. 4. d. 1. q. 1. num. 8.*

Pro *decimo* conſtituunt idem Sanchez *loc. cit. num. 3.* Perez *Diſp. 4. n. 2.* Tambur. *loc. cit. n. 1.* quando aliquis Indus dicit Indæ: *Sepeliam te, ubi fueris mortua*; ſicuti pro *undecimo* etiam certò, quando Indo dicente: *Ego te ducam*, reſpondet Inda: *Fortè te ducam.* His inquam, verbis, certò conſtituuntur Sponſalia apud Indos, non quidem omnes, ſed illos, apud quos eſt, ut teſtatur apud Sanchez Veracrucius, & Barthol. à Ledeſma, moris, ut hæc verba habeantur pro ſufficientibus ſignis veræ promiſſionis. 50

Verba, quæ certò non conſtituunt Sponſalia, ſed Matrimonium. 51

1. *Accipio te in meam.*
2. *Habeo te in uxorem.*
3. *Providebo tibi, ſicut uxori.*
4. *Ex nunc reputo te in uxorem.*
5. *Ex nunc; vel: ſemper; vel: poſthac habebo te: tenebo te: tractabo te pro uxore: providebo tibi ut uxori: ex nunc accipio te in maritum.*

Harum formularum *prima* ponitur *in cap. penult. De ſponſal.* pro genuina forma contrahendi Matrimonii de præſenti, (quamvis hic Conſtantiæ, quando ſubſiſtebant Matrimonia clandeſtina, an tunc fuerint habenda pro tali, dubito; etenim, quando Conſtantienſes ſignificare volunt, ſe habere Sponſum, vel Sponſam de futuro, dicunt communiter: Jch hab einen genommen: *Accepi unum, accepi unam.*) Nec de *ſecunda* formula poteſt eſſe dubium, quia, ſi puella reſpondeat etiam in talem modum, conſtituit certò Matrimonium, non autem Sponſalia, Teſte Tambur. *num. 17. & ſeqq.* qui *num. 28.* ſubdit, illis verbis: *Providebo tibi, ſicuti uxori*, præciſè ſumptis, indicari ſola Sponſalia, ut etiam tradit Sanchez *loc. cit. num. 11.* at verò Matrimonium, ſi vel mos patriæ ſuffragetur: vel iis verbis addatur particula *Semper*, aut: *Ex nunc.* 52

Verba, quæ ſub dubio conſtituunt Sponſalia, niſi major expreſſio addatur. 53

1. *Promitto, me deſponſaturum te.*
2. *Te deſponſabo.*
3. *Tecum ſponſalia contraham.*
4. *Volo contrahere tecum: placet te ducere.*
5. *Volo te habere, te tenere in uxorem.*
6. *Mea eris.*

Has formulas pro dubiis habet P. Tamburi- 54

burinus *loc. cit. num. 25. & ſeqq.* Nam *prima* poteſt intelligi de promiſſione celebrandi vel ſola Sponſalia, vel Matrimonium. Idem dic de *ſecunda*. At *tertia* videtur ſignificare ſolam promiſſionem ſponſalium. *Quarta* formula eſt valde controverſa: nam Baſil. Pontius *Lib. 2. De Matrim. cap. 9. num. 8.* atque alii, Teſte Cardin. de Lugo *Lib. 2. Reſponſ. Moral. dubit. 17. n. 47. abſolutè* pronuntiant, iis verbis indicari conſenſum de præſenti ad Matrimonium, niſi conſuetudo, vel aliqua circumſtantia aliud perſuadeant; è diverſo P. Hurtadus de Mendoza *De Matrim. Diſp. 1. diffic. 13. num. 54.* ſic
55 ſcribit: Exiſtimamus, hæc verba eſſe æquivoca, » quia illis poteſt ſignificari conſenſus de præ» ſenti in corporum traditionem, & conſenſus » de futuro in futuram traditionem, etiam nu» dum propoſitum poſtea contrahendi pro vo» luntate ita loquentium: in foro autem judicia» li in quo non cognoſcitur intentio, ſed res ex » verbis decernitur, ex illis verbis, ſecundùm ſe » ſumptis, judicabitur, nihil fuiſſe factum; ſi ta» men proferantur, quando, poſt tractationem » de Matrimonio, convenitur ad illud contra» hendum, judicabitur à judice Matrimonium » factum; at judicabitur, facta fuiſſe Sponſalia, » ſi verba proferantur, quando poſt tractatio» nem de ſponſalibus convenitur ad id. Ita Hurtadus, non diſſentientibus Rebello *De juſt. Lib. 4. q. 5.* & Coninck. *in 3. Part. Tom. 2. Diſp. 11. num. 26.* Perez *d. 4. ſect. 1. num 2.* Denique juxta Sanchez *cit. d. 18. num. 24.* & alios plures apud ipſum, illâ quartâ formulâ indicantur
56 Sponſalia. Ego cenſeo, illis ſolis verbis nihil ſolere perfici in Germania, ſed requiri præterea vel manûs ſtipulationem, vel arrhæ alicujus exhibitionem, vel propinationem poculi, & reſponſionem ſimilem illi, quam dedit Apollonia inducta in *primo* Caſu *n. 1.* ſi enim Sponſus poſt illa præciſè verba repetita etiam à puella, vellet eam cogere ad nuptias, ſtatim exciperet, dicendo: Du haſt mir nichts auff die Ehe gegeben: *Nullam arrham, nullum aliud ſignum mihi dediſti futuri Matrimonii.*

57 Quinta: *Volo te habere in uxorem*, conſtituit Matrimonium juxta Paludanum, eò quòd non ſignificet duntaxat initium actûs, ſicut ſignificat: *Volo te ducere uxorem*, ſed ſignificet præterea executionem. At verò Sanchez, aliiq; plures habent illam formulam pro ſignificativa ſolorum ſponſalium.

58 Sexta: *Mea eris: habebo te in meam*, ſignificat Matrimonium de præſenti juxta Silv. Rodriquez, alios apud Sanchez, & Hurtadum, at ſecundùm hos duos, Tamburinum, atque alios duntaxat Sponſalia. Ego in noſtris partibus Germaniæ cenſeo, nihil effici his verbis ſolis, ſine aliqua alia actione. Quòd ſi dicas: *Poſthac eris mea*, & altera reſpondeat: *Et tu poſthac eris meus*, conſtituitur Matrimonium, Teſte Sanchez *num. 20.* ſecùs, ſi præciſè dicas: *Eſto mea*, atque hæc reſpondeat: *Eſto meus.* Sanchez *ibid.*

Ex dictis colliges, quid ſentiendum de ſe- 59
quentibus modis loquendi.

1. *Aliam non ducam, niſi te.* Etenim Laymannus *Lib. 5. Tr. 10. Part. 1. q. 1.* cum aliis ſcribit, eſſe valde probabile, eâ phraſi non conſtitui Sponſalia, ſed tantùm obligationem vel non ducendi uxorem, vel ſanè illam: quod ipſum dicit de formula: *Promitto, me nullam ducturum, præter te*, licèt ſint multi etiam Jureconſulti, qui cùm Menochio *De præſumpt. Lib. 3. præſumpt. 3. num. 8.* diſſentiant, rati,
ſicuti, quando dicimus: *Nemo poteſt conſecrare,* 60
niſi Sacerdos, ſeu præter Sacerdotem, ſignificamus, Sacerdotem quidem pollere poteſtate conſecrandi, at nullum alium, ita etiam, quando dicis: *Nullam ducam, niſi te*, eſſe hunc ſenſum: *Ducam quidem te, at nullam aliam.* Verùm præfero ego ſententiam Laymanni bene declaratam, & approbatam à Dicaſtillo *loc. cit. n. 129. & ſeqq.* uſque hujus Curiæ Conſtanţienſis

2. *Contraham tecum Matrimonium.* Nam 61
juxta Tannerum *Diſp. 8. quæſt. 1. n. 10.* ſignificant ſolùm propoſitum.

3. *Non habebo aliam in uxorem, & accepto* 62
te in uxorem. Etenim hæ duæ propoſitiones ſimul ſumptæ ſignificant Matrimonium de præſenti, quia poſterior explicat priorem.

4. *Nunquam te derelinquam pro alia.* Nam 63
non ſignificant Matrimonium. Sanchez *loc. cit. num. 29.* poſt Covarr. contra Hoſtienſ. & plures alios, cùm neque *abſolutè*, ſed tantùm *ex hypotheſi* ſignificent Sponſalia.

5. *Accipio te in uxorem ex craſtino, ſeu in* 64
craſtinum. Nam iis ſignificantur Sponſalia, non Matrimonium, juxta Dicaſtillo *cit. Diſp. 1. dub. 18. num. 110.* poſt Sanchez & alios. Attamen, ubi advenerit dies craſtinus, erit verum Matrimonium, inquit Dicaſtillo, ſcilicet in locis, in quibus valent clandeſtina connubia. E diverſo docet Perez *Diſp. 4. ſect. 2.* poſt Coninck, & Hurtadum, illis verbis indicari conſenſum de præſenti in Matrimonium, ſed ſuſpendi in craſtinum, eò quòd illa locutio efficiat hunc ſenſum: Ego conſentio jam ut meum corpus ſit cras tuum; poſt quæ verba illius corpus erit cras revera alterius, ſine novo conſenſu, ſi cætera adſint.

Ich verſprich dir Lieb / und Trew: *Promitto* 65
tibi amorem & fidelitatem. Ego enim in contingentia facti reſpondi, videri dubiam formulam, cùm poſſit & amor, & fidelitas ſervari in aliis rebus, quàm in directa promiſſione Matrimonii. Si tamen copula ſecuta eſſet hanc formulam, meritò judicaretur per hoc factum poſterius, declarari dubia illa verba, & explicari in ſenſu promiſſionis ſponſalitiæ. Quid verò pronuntiandum ſit de illa formula ſatis communi: Nubam tibi, ſi Deo placuerit: Item de illa valde ſpeciali: Wanns Gott ſchicken wird / will ich dich heyrathen / ſi Deus ita diſpoſuerit, te ducam; explicabo *Caſ. IV. num. 169.*

Digitized by Google

66 Reſp. III. Non ſolis verbis, ſed aliis etiam actionibus conſtituuntur Sponſalia.

1. Porrigendo, tangendóque invicem manus ut faciunt Germani, non tamen ſine verbis. *At maſculus apprehendit manum puellæ, & tunc primùm dicit*: Accipio te in meam Sponſam; *Illa autem nec retrahit manum, nec contradicit.*

Reſp. Non adeſt ſufficiens ſignum repromiſſionis, Sanchez *Diſp. 22. num. 6.* poſt S. Anton. Tabienſem, alios; ſecùs, ſi juvenis diceret: *En! habes meam manum in ſignum, quòd velim te habere*, & puella tunc primùm porrigeret etiam manum, nihil dicendo. Sanchez *ibid.* Perez tamen *d. 4. ſect. 6.* cum Pontio cenſet, etiam in *primo* caſu fieri vera Sponſalia.

67 2. Porrigendo Annulum, aut immittendo in digitum, quam actionem vocant DD. *Subarrhationem*. Quæ immiſſio facta, & acceptata ſine verbis, tametſi in noſtris partibus non ſufficiat ad Sponſalia, ſi tamen juvenis puellæ tradat Annulum, aut faſciam, dicendo: *Do tibi hunc Annulum, faſciam &c.* auff die Ehe / id eſt, *in ordine ad Matrimonium*, illáque acceptet, nihil contradicendo, habetur ejus taciturnitas pro expreſſa acceptatione, & conſequenter pro repromiſſione; etenim Sanchez *Diſp. 22, num. 3.* ſic loquitur: Si verba (de Matrimonio, ſeu ſponſalibus) unius præceſſerit immiſſio Annuli, & receptio, operatur verbum expreſſum alterius & conſenſum. Quare, ſi verbum Matrimonii præceſſit, operatur (ſi cætera requiſita adſint) Matrimonium; ſi verò Sponſalium, Sponſalia.

68 Quid *ſi verò Annulus immittatur in medium digitum*? Reſpondet Sanchez, deſignari Matrimonium, Sponſalia, ſi in alium. At noſtri Germani ignorant has ſubtilitates.

69 3. Mittendo munera alia, quorum aut miſſio, aut acceptatio non eſt ullo modo per ſe ſignum promiſſionis matrimonialis, ſed tunc ſolùm, quando vel præceſſerunt, vel comitantur, aliqua verba, actiones, aut circumſtantiæ, ob quæ, aut quas meritò cenſeatur, illam miſſitationem, & acceptationem haberi pro conſenſu in Matrimonium de præſenti, vel de futuro. Sanchez *loc. cit. num. 5.* dicens: Quando habito tractatu de Matrimonio contrahendo miſit ſponſus arrhas, jocalia, aut nomine Sponſalium pecunias, acceptavítque puella, cenſeri conſenſiſſe in Sponſalia. Idem tradit Perez *cit. Diſp. 4. ſect. 6. num. 3.* obſervans, ſi ſoli parentes, vel amici juvenis, qui puellam procatur, mittant Annulum, aut alia munera, communiter acceptationem illorum non haberi pro conſenſu in Sponſalia.

70 4. Taciturnitas, ſeu non contradictio eſt tunc ſignum *poſitivi* conſenſûs, quando parentes audiente, nec contradicente puellâ, dicunt: *Hanc noſtram filiam damus tibi, tuo filio in Sponſam*: ſecùs, ſi alius, ſub cujus poteſtate non eſt conſtituta puella, ita loqueretur. Sanchez *loc. cit. Diſp. 23. & 24.* Perez *cit. ſect. 6.* ſicut & eadem taciturnitas eſt ſignum aſſenſûs in odioſis, & quando intervenit actus *poſitivus*. Jaſon, & Peckius referendi infrà *num. 83.*

5. Copula ſecuta poſt Sponſalia *conditionata*, etiam ante eventum conditionis, eſt *abſoluta* promiſſionis ſignum certum, juxta Perez referendum *Caſ. VI. num. 276.*

Circa, hæc aliáque *realia*, & *verbalia* ſigna 71 Sponſalium, Matrimoniique notanda ſunt ſequentia.

Primum. Qualiacunque ſigna ſint, non obligant, *per ſe loquendo*, niſi, qui iis eſt uſus, revera conſenſerit in Sponſalia, aut Matrimonium. Sicuti enim nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit. *Textus Leg. Nuptias ff De Regul. juris*, Ita Sponſalia non locutio, ſed conſenſus facit. Unde qualiacunque ſigna ſint adhibita, ſi tamen, qui, vel quæ iis uſa eſt, ignoravit, indicari illis conſenſum, poſſitque probare judici (quod difficile) ſe ignorâſſe illam ſignificationem, judex non poterit compellere ad Matrimonium.

Secundum; Quando primus in Caſu matri- 72 moniali protulit verba clara Sponſalium, ſecundùm illum eundem ſenſum debent intelligi verba ſequentis, ſi ſint æquivoca, vel dubia, Sanchez *Lib. 1 dub. 18. n. 4.* poſt Palud. & Ledeſmam, ſecùs, ſi in contrarium clara, ſaltem ſpectatis circumſtantiis. Idem *ibidem*.

Tertium. Judex Eccleſiaſticus debet, *per ſe loquendo*, intelligere verba, ſignáque realia, quæ ſuperiùs expreſſimus, aut quibus uſi ſunt unus, aut alter, juxta communem modum loquendi. Ita ſtatuitur expreſſè in hac ipſa materia Sponſalium *c. Ex literis. 1. De ſponſal.* communem, inquam, modum loquendi, & intelligendi in loco, in quo ſunt contracta Sponſalia *Leg. Semper in ſtipulationibus. ff. De Reg. jur.* Dicaſtillo *Diſp. 1. dub. 8. num. 147.* Quare cùm hæc noſtra Conſtantienſis Diœceſis complectatur complures provincias valde diverſis dialectis, diverſis moribus utentes, ut ſunt Helvetii, Brigantini, Suevi, atque Briſgoii, facilè fieri poteſt, ut in una harum provinciarum aliqua locutio, vel actio det verum ſignum conſenſûs, in altera haudquaquam.

Quartum. Quando verba, aut ſigna ſunt ita 73 dubia, ut ex iis non poſſit probabiliter conjici mens uſi illis, non debet judex ea interpretari potiùs pro valore Sponſalium, quàm contra, ut vult expreſſè P. Tannerus *Tom. 4. Diſp. 8. q. 1. dub. 1. num. 16.* ac P. Tambur. *De Matrim. Lib. 8. Tract. 3. cap. 2. §. 3. numero 6.* ſed potiùs pro libertate (quando verba priùs locuti non ſunt clara) illius, qui tali ſigno eſt uſus. Expreſſè P. Perez *De Matrim. Diſp. 4. ſect. 1. n. 5.* Teſtans, eſſe communem, quam & ſequitur P. Dicaſtillo *loc. cit. n. 148.* P. Rebellus mox citandus, atque Diana *P. 10. Tr. 13. Reſol. 19.* Ratio eſt, quia ſtandum eſt pro libertate poſſidentis illam, niſi jus aliquid in contrarium diſponat:

Digitized by Google

ponat: Jus autem hîc nihil in contrarium diſponit reſpectu ſponſalium.

Nec obeſt, quòd *cap. Finali. De ſent. & re jud.* & alibi ſtatuatur, doceántque DD. apud P. Sanchez *Diſp. 18. num. 5.* eſſe in dubio favendum valori Matrimonii, nam ab hoc non valet argumentatio ad ſponſalia. Perez *loc. cit. & Diſp. 15. ſect. 2. num. 7.* atque Diana *loc. cit.* quia in Matrimonio eſt traditum, non in ſponſalibus. Perez *cit. num. 5.* Unde non aſſentior Tamburino *loc. cit.* dicenti, quæ ſtatuuntur in caſu matrimoniali, ſtatui hoc ipſo in ſponſalibus, cùm cauſa horum ſit matrimonialis: nego enim, eſſe propriè cauſam matrimonialem.

Quamquam ſponſalibus quoque jure applicabis pleraque eorum, quæ exhibet ſequens

APPENDIX.

a *PRopono R. V. aliud quoddam dubium in materia Matrimonii. Video, & Reverentiam Veſtram, & alios multa pronuntiare in favorem Matrimonii, quando dubium naſcitur de ejus valore. Si probabilitas opinionum poſſet valorem Matrimonio addere, non mirarer autorum liberalitatem, cùm autem nil inde ſtabilimenti videatur accreſcere Matrimonio, non magis, quam aliis contractibus, idcirco non integrè acquieſco ſententiis ita faventibus, quia per illas foventur multa peccata materialia, & fornicationes, inceſtus &c. Salvo meliore judicio, ſalvis etiam Decretis Canonicis &c. judicarem, potiùs in dubio tali recurrendum ad diſpenſationem, quàm opiniones Doctorum.*

b Sic ad me ſcripſit vir quidam doctus, cui facilè fuit reſpondere ex dictis *hoc Tract. Caſ. II. num. 73. & ſeqq. Inprimis* longè plura, graviáque mala exoritura eſſe, ſi faciles ſimus in diſſolvendis Matrimoniis initis cum requiſitis ſolennitatibus, quàm ſi difficiles. Deinde doctrinam communem de pronuntiando in dubio in favorem Matrimonii, nequaquam repugnare recurſui ad Sedem Apoſtolicam tunc, cùm hujus autoritas poteſt Beneficio diſpenſationis tollere omne, ſi quod fortè ſubeſt, occultum impedimentum, quin imò ſuadendum eſt omnibus, non tantùm propriè dubitantibus, ſed etiam habentibus ſolam probabilitatem cum rationabili formidine oppoſiti de valore ſui Matrimonii, quidni enim quivis in tam gravi negotio ſemitam ſequatur tutiorem? *Cap. Ad audientiam. De homic.* Sed inprimis perſæpe nequit prodeſſe diſpenſatio Pontificia, ut quando dubium verſatur circa impedimentum juris naturalis. *Secundò* quandoquidem deciſiones de ſuſtinendo valore Matrimonii in dubio æquè locum habent in foro interno, atque externo, eò quòd eæ nitantur ratione naturali, non videtur adeſſe obligatio ſed ſolùm ſuaſio, etiam in foro conſcientiæ, ut, qui, omnibus conſideratis, impenſáque diligentiâ perveſtigandæ veritati, propriè cum duobus, tribúſve prudentibus dubitat, ſublitne impedimentum ſuo Matrimonio, inito optimâ fide, ac ſervatis ſolennitatibus, poſtulet à Pontifice diſpenſationem, eſto, illud impedimentum ſit juris merè Pontificii.

c Ratio eſt, quia præſumptio meritò, & prudenter habetur pro ipſiſſima veritate, quamdiu non oſtenditur fallere. DD. *in cap. Semel malus. 8. De Reg. juris in 6.* Supponimus autem in noſtra concluſione, non potuiſſe comperiri veritatem, & conſequenter præſumptionem de valore talis Matrimonii non poſſe oſtendi fallere. Quare Doctores communiùs docent, illum, cui oritur dubium de valore Matrimonii legitimo modo, atque fide bonâ initi habere citra omnem diſpenſationem jus non ſolùm reddendi, ſed etiam petendi debitum conjugale, ſcilicet poſt diligentem, fruſtraneam tamen veritatis inquiſitionem. Vide hac de re tum ea, quæ refero infrà *Caſ. XVI. num. 636. & ſeqq.* tum Antonium à Spiritu ſancto *in Director. Confeſſar. Tract. 11. Diſp. 9. ſect. 8. num. 634.* bene probantem hanc doctrinam. Conſentit Henricus Zoeſius *in 4. Decretal. Tit. 14. num. 10.*

Ne autem videar ſine ſufficiente autoritate, ac ratione negare, tum, quæ ſunt in jure ſtatuta de cauſa matrimoniali, eſſe quoque intelligenda de cauſa ſponſaliorum, tum horum cauſam eſſe propriè, ſeu ſtrictè matrimonialem, obſervo inprimis, eſſe communem, & ferè omnium, ut expreſſè teſtatur contra ſemetipſum Barboſa *in cit. cap. fin. De ſent. & re judic. n. 3.* ſententiam, quòd, quando agitur de Matrimonio contrahendo, adeóque de ſponſalibus, non ſit in dubio præſumendum pro horum valore, ſaltem quando diſparitas intercedit inter partes, atqui certum eſt, non haberi ullam rationem hujus diſparitatis in dubio de valore Matrimonii de præſenti. Deinde Gloſſ. *in cap. Primum. Ut lite non conteſtatâ,* & Felinus in idem *cap. num. 2.* enumerantes complura, quæ in cauſis matrimonialibus ſunt ſpecialia, accenſent hiſce multa, quæ nullo modo veritatem obtinent in cauſa Matrimonii de futuro, ut e. g. quòd ſententia ſuper nullitate, aut valore nunquam tranſeat in rem judicatam, quòd tranſactio in cauſa matrimoniali non ſubſiſtat, quam ſubſiſtere in ſponſalibus, dicemus infrà *num. 270.* Item, quòd nec arbitrium, nec pœna per ſtipulationem decreta locum habeant. Igitur non eſt admittendum generaliter, quòd, quæ in Jure ſunt ſtatuta de cauſis matrimonialibus intelligenda ſint etiam de ſponſalibus. Hinc Menoch. *conſ. 199. num. 54.* deciſionem Capituli finalis *De ſent. & re judic.* qua dicitur, eſſe in dubio ſtandum pro valore Matrimonii, ait, poſt Socinum, intelligi debere ſolùm de Matrimonio jam contracto, ſicut & Andreas Gail *Lib. 2. obſerv 94.* negans, & delationem juramenti deciſorii litis, & compromiſſum habere locum in cauſa matrimoniali, item aſſerens cum permultis apud Sanch. 74

Digitized by Google

De Matr. Lib. 1. Diſp. 18. num. 7. contra alios apud Dianam *cit. Reſol 19.* opinionem unius Doctoris pro valore Matrimonii præferendam eſſe communi, haudquaquam extendet ſuam doctrinam ad ſponſalia, alioquin habebit adverſantia ſibi omnia tribunalia Eccleſiaſtica, ſicut & , quantùm ipſe obſervavi, repugnant *practice* ſibi ipſis, & plerisque Doctoribus illi ipſi, qui tantam, quantam indicavimus, autoritatem tribuunt ſententiæ unius pro valore Matrimonii. Sanè mediocriter verſatus in legendis Conſiliis Matrimonialibus, editis à variis Doctoribus, reperiet facilè 30. 40. in quibus ſuadetur judici, ut ferat ſententiam contra Matrimonium, non attento, quòd pro Matrimonio ſtare ſciat 4. 6. 8. Doctores. Sed quidquid ſit de hoc, P. Ferdinandus Rebellus *De oblìgat juſtit. Part. 2. Lib.4 quaſt.3. numero 9.* quem Diana *cit. Reſol. 19.* ſequitur, deſcribitque magna ex parte, diſertè aſſerit, quando agitur de valore, ſigniſque conſenſûs, eſſe faciendum diſcrimen in dubio inter Matrimonium de præſenti, & de futuro, ut, quando tractatur de valore Matrimonii de præſenti, ſit in dubio ſtandum pro valore, non autem quando litigatur de valore ſponſalium, déque ſignis conſenſûs.

75 Ratio faciendi diſcriminis eſt hæc aperta, quia ſi in dubio de valore Matrimonii de præſenti non pronuntiaretur pro eo, ſed diſſolveretur, non ſolùm fieret crebrò injuria uni ex partibus, ſicuti & fieri poteſt in ſponſalibus, ſi non ſtetur in dubio pro valore eorum, ſed inſuper, & crebrò emergerent grandia incommoda ratione dotis jam præſtitæ, natæque prolis: & fieret perſæpe duplex, imò triplex, eáque continua injuria Sacramento Matrimonii: una, ut diſſolveretur id, quod à parte rei eſt validum, quam rationem adferunt etiam Rebellus & Diana: altera, quam non tangunt, ut ſcilicet diſſoluto Matrimonio ineretur ſecundum, imò tertium, ſcilicet utrâque parte tranſeunte ad alia vota, quo pacto non ſolùm duplex, ſed triplex injuria inferretur Sacramento, præter continuam turpitudinem multiplicis copulæ à parte rei illicitæ. Horum autem malorum nullum eveniet, tametſi judex in dubio pronùntiet, ſponſionem matrimonialem eſſe invalidam, eſſe inſufficienter probatam, cùm tamen coram Deo ſubſiſtat. Quia igitur non ſolùm è duobus malis generatim, ſed etiam ſpeciatim è duobus periculis minus eſt eligendum *cap. Vbi. De elect. in 6.* ideo nullo pacto tanquam irrefragabilis eſt admittenda argumentatio à ſuſtinendo in dubio valore, exiſtentiáque Matrimonii, ad propugnandam validitatem, realitatémve ſponſalium, etſi præter P. Tamburinum admittat P. Sanchez *Lib 1. De Matrim. Diſp. 18. n.4.* illam argumentationem, conſequenter negandum eſt, cauſam de ſponſalibus eſſe propriè ſeu ſtrictè matrimonialem, ſed ſolùm largo modo, ut *in citatum primum Capitulum. Vt lite non conteſt.* loquitur Abbas *num. 6.* Quapropter eſt ſciendum pro intelligentia, concordantiáque Jurium, & Doctorum, nomen *cauſa matrimonialis* ſumi *latè*, & *ſtrictè*, *latè*, ſeu, ut loquitur Abbas, *largo modo*, quando agitur ad ſeparationem tori, lucrandam donationem propter nuptias, ac repetendam dotem, in quibus tribus caſibus Matrimonium impeti largo modo, ſcribit Abbas, hoc ipſo agnoſcens, cautas, quibus hæc tria tractantur, eſſe latè matrimoniales, quod ipſum pronuntiabis cum Rebello, Diana, aliis de cauſa ſponſalitia.

Unde memini, me has ob cauſas alicui gra- 76
vi Theologo reſpondiſſe literis, Axiomata de cauſa matrimoniali non eſſe univerſim extendenda ad cauſam ſponſalitiam. Et addo, dubium de ſua intentione circa ſponſalia poſſe pronuntiare pro ſua libertate. Henriquez & Tannerus expreſſè *ll. cc.* eo ſcilicet modo, quo de voto P. Thom. Tambur. relatus à me *in Alphab. Quadrupl. Part. 1. Caſ. XII. numero 319.* Adde, quòd forum conſcientiæ aut debeat, aut certè poſſit communiter accommodare ſe foro externo, nitenti præſumptionibus de falſitate hîc, & nunc non convictis: P. Sanchez *Lib. 1. De Matrim. Diſp. 5. num. 20.* poſt Covarruviam, atque alios. An autem poſſit judex dirimere litem deferendo juramentum, non ſatis explicant Authores. Stylus Reverendiſſ. Curiæ Conſtantienſis habet, ut etiam, quando verba ſignificant, juxta utcunque communem ſenſum, promiſſionem, una autem pars negat, ſe protuliſſe animo ſpondendi, adfértque ſuæ negationis rationes veroſimiles, defeтatur ei juramentum deciſorium litis, niſi opprimatur aliis contrariis probationibus.

Quare ſequitur, & meritò quidem eadem noſtra Curia, & ſine dubio multæ aliæ, illos Doctores, qui teſte, ſimul & contradicente Gabrielio *Lib. 1. De probat. concluſ. 1. num. 41. edit.* Francofortenſis (Veneta de Anno 1577. in qua ad *num. 39.* ponitur, quam nunc tangimus, doctrinæ Gabrielii, eſt manifeſtè quoad ſenſum corrupta) aſſerunt, etſi in cauſa *ſtrictè* matrimoniali non admittatur conjunctio probationum ex ſe ſigillatim inſufficientium, admittendam tamen in cauſa matrimoniali *latè* dicta, ſeu in ſponſalibus, conſequenter hi ipſi Doctores cenſebunt, juramentum deciſivum litis, atque ſuppletorium probationis, quod ex communi omnium ſententia repudiari ob favorem Matrimonii debet, cùm agitur de Matrimonio de præſenti diſſolvendo, eſſe admittendum, quando eſt lis de ſponſalibus, licèt enim cauſa ſponſalitia ſit etiam cauſa gravis, communiter autem non ſit in caſibus gravibus locus juramento finitivo litis. Gabrielius *loc. cit.* Gaill. *Lib. 2. obſervat. 49.* ea tamen quoad effectum non habetur ob favorem libertatis, in noſtra Curia (puto, quòd nec in plurimis aliis) pro tam gravi cauſa, quin cenſea-

tur

tur poſſe in conflictu ancipitum probationum terminari controverſia juramento, ſi quidem obſerventur ea, quæ dicam intrà *num. 93.* ſingulariter illius, cui defertur à parte adverſa. Profectò cùm ſit tam immane diſcrimen inter Matrimonium, & ſponſalia, ut, quando illud eſt legitimè probatum, nequeat diſſolvi, poſſint autem variè, & perſæpe quidem ſine gravi difficultate dirimi ſponſalia, indubitanter legitima, non apparet, cur harum cauſa debeat generatim æquè gravis, atque ipſius Matrimonii dici, etiam in ordine ad juramentum, ea etiam de cauſa, quòd Gaill, & alii reſpuentes juramentum in cauſa matrimoniali ideo, quòd hæc ſit cauſa gravis, hanc gravitatem fundent in eo, quòd tunc agatur de ſtatu hominis, atqui valde tum *remotè*, tum *indirectè*, ſi non impropriè agitur de ſtatu hominis, quando litigatur, utrùm Staphila promiſerit Matrimonium Sticho. Si tamen magna quædam commoda, aut incommoda comitarentur, aut ſequerentur ſponſalia, aſſentirer Seraphino *De privilegiis Juramenti cap 33. num. 113.* neganti, juramentum ſuppletorium rectè deferri in cauſa matrimoniali de futuro.

77 *Quintum* ex iis, quæ *num. 70.* inſinuavi eſſe notanda, eſt hoc, quòd ſcilicet ſit in dubio magis favendum fœminis, quàm maſculis. Henriquez *cit. cap. 11. num. 6.* Sanchez *loc. cit num. 4.* eò quòd fœminæ faciliùs, & conſequenter ſæpius decipiantur, quàm maſculi, ut docet experientia quotidiana.

78 *Sextum.* Quando puberes, utentes formulis indicantibus Matrimonium, habuerunt vere animum contrahendi Matrimonii, ſed invalidè, ob defectum Parochi, & Teſtium, probabilius eſt, ne quidem ſponſalia fuiſſe contracta ab iis. Sanch. *cit. Lib. 1. Diſp. 20.* cum plurimis contra plurimos etiam Recentiores, de quibus Diana *Part. 3. Tract. 4. Reſol. 258.* ac Tamburinus *cit. cap. 2. §. 4. num. 6. & ſeqq.* Ratio eſt, quia Tridentinum Concilium *Seſſ. 24. cap. 1. De Reform. Matrim.* loquens de contrahentibus clandeſtinè expreſſè ait: *Ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit*, id eſt, omni ex parte. At verò quando impuberes utuntur iiſdem formulis, conſtituunt ſponſalia, ſic expreſſè decernente Jure *cap. fin. De deſp. impub.*

79 Ex his deducitur, quid cenſendum de illo triplici reſponſo, quod dedi Confeſſario Bembi, de quo *num. 38.*

1. Rectè reſpondi; ſi revera defuit intentio promittendi, defuiſſe & promiſſionem. Suprà *num. 71.*

80 2. Rectè quoque reſpondi, nihilominus teneri in conſcientia illam ducere propter doctrinam, quam de obligationibus imprægnantium cum dolo tradam *Caſ. V. num. 230.* ſi enim non habuit intentionem eam ducendi, caſu, quo evaderet prægnans, tenebatur manifeſtare defectum hujus intentionis prudenter enim judicabat Bleſilla, adeſſe veram intentionem propter doctrinam mox adferendam ex Jaſone, & Peckio.

3. Tertium reſponſum firmatur tum iis, quæ de obligatione ducendi imprægnatas dicam *cit. Caſ. V. num. 217.* tum eâ ratione, quòd in dubio magis credatur hac in re fœminis, quàm maſculis. Suprà *num. 77.* tum denique ſequentibus tribus præſumptionibus, & Regulis juris, aut DD. 81

Prima eſt, quòd verba loquentis, ſeu reſpondentis ad verba priùs locuti debeant in dubio intelligi juxta ſenſum verborum prolatorum à priore. Supra ex Sanch. *num. 72.* Et ratio eſt, quia verba ſunt intelligenda juxta ſubjectam materiam DD. ex *cap. Intelligentia. De ſignific. verborum*: materia verò, de qua inſtituebatur tunc ſermo, erat Matrimonium, fatebatur enim Bembus, ſe, cùm Bleſilla poſtularet promiſſionem Matrimonii, ſubjeciſſe: *Non te deſeram.* In hujuſmodi caſibus verba interpretanda ſunt contra loquentem, inquit Jaſon. *Leg. Stipulatio iſta. 38. ff. De verb. oblig.* 82

Altera ratio, & præſumptio ſumitur ex communiter contingentibus. *Leg. In obſcuris. ff. De Reg. jur.* non autem nominabitur è 10. vel 20. una maturi judicii, honeſtæ familiæ, famæque puella, quæ juveni paris ſecum conditionis faciat toties, & quidem non niſi perſuaſa precibus, copiam ſui corporis, niſi præmiſſa ſtipulatione de Matrimonio, qua etiam ratione ſui uſus in alia inter nobiles perſonas controverſia matrimoniali. Vide, quæ ex P. Perez refero *Caſ. VI. num. 276.* ſingulariter ex Menochio.

Tertia petitur ex Regula. *Qui tacet in 6.* & interpretibus illius, quòd nimirum taciturnitas unius ſaltem tunc habeatur pro aperta confeſſione, ſeu aſſenſu, quando agitur de intereſſe tacentis. Petrus Peckius *in cit. Reg. Qui tacet. num. 6.* In odioſis enim lex omnia contra tacentem interpretatur in pejorem partem, inquit Jaſon. *Leg. Quæ dotis. ff. Sol. Matr.* nominatim, quando is dolo tacuit. Felinus *in cap. Si diligenti. De for. compet.* ſicut dolo tacuit Bembus, ut ſcilicet tantò ſæpius extorqueret uſuram corporis alieni. Denique taciturnitas tunc vel maximè habetur pro aſſenſu, quando intervenit actus poſitivus. Peckius *loc. cit. num. 5.* 83

Ex his tribus præſumptionibus deſumitur hoc argumentum condemnationis, quòd ſcilicet, generatim loquendo, condemnandus ſit is, contra quem militant præſumptiones juris, niſi hic eas elidat, ſaltem veroſimiliter. DD. ex *Leg. Divus Auguſtus. ff. De reſtit. in integ.* nam qui præſumptionem pro ſe habet, æquè obtinebit, ac ſi probâſſet intentionem ſuam per Teſtes, aut inſtrumenta, niſi adverſarius, contra quem militat præſumptio, aliâ probatione, vel fortiore præſumptione contrariâ illam elidat. Peckius *in Reg. 44. in 6.* 84

Deducitur quoque ex dictis reſolutio hujus

Caſûs

Digitized by Google

Caſûs muliebriter clauſulati.

85 *Barbara, puella nobilis ſedecim Annorum, Blaſio nobili adoleſcenti, ſed inferioris fortunæ, multis verborum lenociniis inducta, tandem hac formulâ verborum ſe obſtrinxit: Ego Barbara N. promitto Domino Blaſio N. fidem, & fidelitatem, jurans per SanctamTrinitatem, per Sancta Evangelia, & per locum, quem ſpero in Cælis, me nunquam nupturam alteri eúmque accepi, & ex nunc accipio in maritum, etiamſi noſtrum Matrimonium intra multos Annos non ſequatur, ſi fortè ejus parentes, vel mei vellent id impedire. Supra hoc do hanc meam ſignaturam prædicto Nobili. Poſtmodum vehementer pœnituit hanc puellam facti, & parentes vehementer repugnant. Quæritur, an ex hoc contractu maneat obſtricta?*

Quæſitum fuit verbis (in Veneta editione turpiter corruptis) huc tranſlatis ex P. Leſſio *in Auctario*, ſeu *Conſil. Moral. verb. Sponſalia. Caſ. 4.* & proinde cum clauſulis hîc repræſentatis, referentibúſque muliebre dicam, an puerile judicium? Certè illarum nonnullæ ſummùm in ſenſu communi, ſonant ſponſalia, ut illa: *Promitto fidem, & fidelitatem.* Suprà *num. 48.* Item ſecundùm nonnullos: *juro, me nunquam alteri nupturam.* Suprà *numero 59.* Item illa: *Etiamſi noſtrum Matrimonium* &c. uſque ad finem: At verò clauſula: *Accepi, & ex nunc accipio te in maritum*, indicat Matrimonium de præſenti. Suprà *num. 51.*

86 Ego cum Leſſio reſpondeo, fuiſſe in foro *interno* judicandum juxta intentionem illius puellæ, Suprà *num. 71.* At in foro *externo* cenſeo, ſtandum juramento litis deciſivo juxta dicta *Caſ. 1. num. 76.* & ſtylum noſtratis Curiæ.

Quòd ſi lis definienda fuit ex ſolis illis verbis, reſolvit Leſſius, ſatis probabile videri, non eſſe ſponſalia, ſed Matrimonium ratum, eò quòd verba hæc: *Illum accepi, & ex nunc accipio in maritum*, nequeant habere alium ſenſum. Ego verò, ſalvo longè defecatiore judicio tanti viri, ſentio, eſſe univerſâ hac formulâ conſtituta ſponſalia. 1. quia ſi hæ omnes clauſulæ conferantur invicem, reddunt ſenſum ſummè ancipitem, ergo ſunt interpretanda pro libertate Barbaræ, adeóque potiùs pro ſponſalibus, quàm pro Matrimonio. Suprà *num. 74.*

Et valet hoc argumentum, ſi contractus ille fuit initus, ubi valebant clandeſtina connubia.

87 2. Autem, ſi non valebant illic Clandeſtina, facit hæc ratio, quòd in dubio non debeat præſumi delictum *Leg. Meritò, ff. Pro ſocio*, fuiſſet autem graviſſimum delictum, ſi illic contraxiſſent clandeſtinè.

3. In dubio ſatius eſt, ut actus valeat, quàm ut pereat, cùm ergo nequiverit ille actus valere, tanquam Matrimonium, debet potiùs accipi pro ſponſalibus. Confirmatur, quia ille juvenis, ut apparet ex ſpecie facti, cupiebat ſibi quàm arctiſſimè obſtringere puellam, at nullo modo adſtrinxiſſet, ſi celebrâſſet Matrimonium clandeſtinum. Imò ſi celebrâſſet, popoſciſſet, impetrâſſétque à Barbara tanquam à vera (ſuâ falſâ opinione) uxore corporis uſuram, non impetravit autem, alioqui non interrogâſſet puella, quid ſibi agendum.

4. Denique quatuor, aut quinque clauſulæ illius contractûs tam manifeſtè indicant ſola ſponſalia, quàm manifeſtè una Matrimonium, ergo hæc ſexta debet cedere aliis quinque, etenim ſingulæ ſunt teſtes voluntatis, atqui unus teſtis cedere debet quinque aliis contrarium deponentibus. Adde, quòd facilè potuerit fieri, ut nomine mariti intellexerit ipſa ſponſum de futuro, ſicuti ſuprà monui, ſignificari ſæpe ab accolis Lacûs Acroniani.

Si tamen demus P. Leſſio, fuiſſe utriuſque illorum intentionem, contrahere tunc verum Matrimonium, idque in loco, ubi eſt receptum Tridentinum, tunc non modò non ſubſtitit illud Matrimonium, utpote clandeſtinum, ſed neque tranſiit in ſponſalia, Suprà *numero 71.* Jungo dictis hunc

Caſum Navarræum.

88 *Barnabas cum juramento mulieri viduæ protulit hæc verba*: Promitto tibi, me nullam ducturum uxorem, niſi te, neque aliam mulierem ingreſſuram in meam domum, niſi te ipſam. *Ita autem Barnabas mulierem illam eſt allocutus, ut eam ad ſecum concumbendam induceret, ut induxit. Quæritur, an eam teneatur ducere in uxorem?*

Reſpondit Navarrus *conſil. Lib. 4. conſ. 7. De ſponſal.* ſecundùm veriorem non fuiſſe contracta ſponſalia, judicem tamen, ſi cauſa ad eum deferatur, laturum ſententiam, ut ducat Barnabas viduam, ſi hæc velit. Utrumque reſponſum mihi probatur. *Primum* propter doctrinam allatam ſuprà *num. 59.* *Alterum* propter adferendam *num. 230.* Si tamen vidua illa ante conſenſum in copulam dixiſſet: *Non conſentiam, niſi ſpondeas, te ducturum me in uxorem*, debuiſſent verba illa, quæ Barnabas prolocutus eſt, intelligi ſecundùm verba viduæ. Suprà *num. 72.* & proinde cenſendus eſſet contraxiſſe ſponſalia.

Cæterùm, quia ſum multiplici doctus experientiâ, in, & ex variis hauſtâ locis, Theologos haud rarò conſuli ſuper dubiis de ſufficiente, inſufficientéve probatione promiſſio- 89

nis

nis ſponſalitiæ, duxi me nonnullis haud inutilem præſtaturum operam, ſi (ſuppoſito, aſſerentem facta eſſe ſponſalia, teneri ea probare, cùm ea ſint quid facti, facta autem probari debeant *Leg. Eum, qui ff. De probat.*) compendiosè referrem, quæ aut lectione, aut uſu hac in re didici, certè fuiſſem optimè aliquoties precatus piis Manibus alicujus ſeu Theologi, ſeu Juriſconſulti, ſi quem nactus fuiſſem Epitomigraphum hujus celeberrimi argumenti. Conſiſtit autem mea ſynopſis in ſequentibus §§.

I. Sponſalia eſſe re ipſâ contracta, probatur tum verbis, eo pacto, quo declaravi ſuprà *num. 48. 49. 58.* & ſequentibus, tum illis actionibus, quas expreſſi, & etiam diſcuſſi *num. 66.* & *ſeqq.* tum juramento, ut probavi contra Gabrielium ſuprà *n 76.* & explicabo inferiùs *n. 93.* interim notans ex Seraphino, & aliis Jureconſultis, probationem factam juramento partis dici ſolùm impropriè, ſeu abuſivè probationē.

90 II. Probatur ille contractus ex præſumptionibus, ſicuti enim Matrimonium de præſenti probari poteſt variis præſumptionibus, quas congerit Menochius *Lib. 3, præſ. 1.* enumerans ſimul & explicans harum duodecim, ita etiam poteſt abſque dubio Matrimonium de futuro probari quibuſdam præſumptionibus, quandoquidem enim præſumptio nihil eſt aliud, quàm præoccupatio quædam, de eo, quod in re eſt, communi ſenſu percepta ex eo, quòd plerumque factum intelligitur, ſeu quod plerumque fit. Kachl. *in verb. Præſumptio* ex Oldendorpio, ſeu præſumptio eſt *conjectura*, ſeu *divinatio in rebus dubiis per rerum circumſtantias frequenter evenientibus.* Schardius in Lexico *verb. Præſumptio.* Habet ea locum in omni forenſi negotio, & proinde etiam in ſponſalitio. Harum præſumptionum exempla, aut ſpecies, ſunt in præſenti materia tum verba, tum porrectio manûs, & annuli, tum taciturnitas, & miſſitatio munerum, eo modo, quo partim indicavi, partim explanant Scriptores nominati à me ſuprà *num. 68.* & *ſeqq.* His adde caſus, quibus aut vir, & mulier, ſe tractaverunt, & habuerunt invicem, ut ſolent ſponſi. Menochius *cit. præſumpt. 1. num. 12.* vel ſe invicem nominant ſponſos, & ſponſas verbis, ſeu voce, prolatis. Menochius *num. 84.* ſeu ſcripto expreſſis. Idem *num. 84.* aut extat inſtrumentum dotale, quo exprimitur, facta fuiſſe ſponſalia. Menochius *num. 90.* aut puella cœpit geſtare veſtes, quales ſolent ſolæ ſponſæ. Menoch. *num. 93.* aut fama viciniæ conſtanter fert, eſſe ſponſos. Idem Doctor *n. 98.* qui tametſi omnibus locis citatis halce præſumptiones applicat ſoli Matrimonio, quiſque tamen perſpicit, habere etiam proportionaliter locum in ſponſalibus. Et verò nominationem ſponſi, & ſponſæ quod attinet, hîc noto, *fuiſſe in hac Curia Conſtantienſi quendam Titium abſolutum ab impetitione cujuſdam Berthæ, depoſcentis illum in maritum, producentiſque chirographum Titii, appellantis illam ſuam dilectiſſimam*, qui tamen certò fuiſſet juſſus eam ducere (imprægnatam à ſe, ut fatebatur uterque) ſi loco *dilectiſſimæ* ſcriptum fuiſſet nomen *ſponſa.* Equidem rectè ſcribit Maſcardus *De prob. concl. 1331.* cùm ſolus ſponſi, & ſponſæ conſenſus conſtituat ſponſalia, meritò iis fidem haberi (*per ſe loquendo*, nam *per accidens* eſt, quandoque non habenda. Suprà *Tract. 9. num. 211. in Append. lit. C.*) aſſerentibus, ſe eſſe ſponſos, adeò ut Menochius apud eundem poſt Coraſium ſcribat, eo ipſo, quòd ejuſmodi atteſtatio demonſtret eorum voluntatem, dicendum eſſe, quòd, etiamſi verè priùs non fuiſſent contracta ſponſalia, eo ipſo tamen contrahantur, quòd de mutuo deſiderio, ac voluntate partium fidem faciant. Si tamen Cajus Cajam non audientem appellaret identidem ſponſam, hæc nuncupatio nil obeſſet Cajæ. Maſcard. *De probat, concluſ. 790. num 22.*

III. Indicatis hactenus præſumptionibus adde illam, quam ex arrharum traditione, harùmque acceptarum confeſſione tradit P. Sanchez *Lib. 1. De Matrim. Diſp. 35 num. 5.* ubi ſcribit, hanc acceptationem ſufficienter probari confeſſione partis, dicentis, ſe accepiſſe. Verùm ego cum Imola, atque aliis id nego generatim, cùm enim arra, ſeu arrha nihil ſit aliud, quàm pignus, quod datur inter ſponſos in ſignum futuri Matrimonii. Infrà *num. 175.* ſi judex deberet ſtare depoſitione jurantis, ſe accepiſſe arrham à Cajo, conſequenter deberet plenam fidem adhibere ei, jurejurando firmanti, eſſe ſibi promiſſum à Titio Matrimonium, hoc autem generatim, & abſolutè dici nequit. tum quia juramentum litis deciſorium non debet admitti, niſi adſit ſemiplena probatio, ut oſtendam paulò poſt, tum quia non ſemper eſt deferendum actori, ſed ſæpe reo. Addo tamen, confeſſionem acceptæ arrhæ obeſſe confitenti, prodeſſe autem actori, volenti eâ uti ad probandam ſuam intentionem.

IV. Huc quoque refer illam præſumptionem, quam attuli, probavíque ſuprà *num. 82.* de puella perhoneſta & integræ famæ, faciente non ſemel poteſtatem ſui corporis, hanc enim præſumptionem etſi Doctores non exprimant, ejus tamen veritatem ſatis ibidem probavi, ſecus, ſi aut tantùm ſemel facta eſt copia corporis, aut ſæpe quidem, ſed à puella vel vidua non integræ famæ, aut commorante in loco, in quo puellæ perfrequenter deprehenduntur pudicitiam prodegiſſe, quæ duæ cauſæ quendam judicem Eccleſiaſticum absterruerunt à definitiva ſententia, induxeruntque ad compoſitionem perſuadendam.

V. Probantur inſuper ſponſalia per juramentum ſuppletorium probationis, licèt enim Gaill *Lib. 2. obſervat. 94.* Seraph. *De privilegiis juramenti privil. 32.* atque alii communiter inficientur, ejuſmodi juramento eſſe locum in cauſa matrimoniali, *inprimis* tamen jam dixi *num. 75.*

num. 75. cauſam ſponſalium non eſſe ſtrictè matrimonialem. *Deinde* Riccius *in Praxi Tom. 1. Reſ. 140.* poſt Abbatem, & alios negat, illam communem doctrinam caſu, quo Matrimonium eſt plùs, quàm ſemiplenè probatum e.g. per unum Teſtem legitimum, *& alium* illegitimum, aut per aliqua indicia. *Tertiò* repugnat ea communis doctrina, ſi transferatur ad ſponſalia, notoriæ praxi Curiæ Conſtantienſis, & plurium aliarum, ut reor, & meritò ſequendæ, nam generatim maximum expediendarum litium remedium eſt juramenti religio. *Text. Leg. 1. ff. De jure. jur.*

91 VI. Communiſſima, & liquidiſſima probatio pollicitationis ſponſalitiæ deſumitur ex depoſitione Teſtium, de quorum qualitate reſpectu ſponſalium non ſatis perſpicuè loquuntur Scriptores, plerique enim omnes, quos legi, exprimunt duntaxat Matrimonium, ut Decius, Alexander, alii in ſuis Conſiliis, & Maſcardus *De probat. concluſ. 1022.* vel certè cauſam matrimonialem, ut Andreas Gaill *Lib. 2. obſervat. 94.* Seraphinus *cit. privilegio 33.* ejuſque inſignis Gloſſator Benekendorffius, atque alii, nihilominus tamen idem Maſcardus *concluſ. 1331.* breviter attingens probationem ſponſalium, remittit pro pleniore intelligentia ſuum Lectorem ad priùs *citatam concluſionem milleſimam vigeſimam ſecundam*: proinde quæ hac concluſione ſtatuit de Teſtibus pro Matrimonio requiſitis, eadem vult intelligi de Teſtibus ſponſalium. P. Thomas Sanchez *Lib. 1. Diſp 18.* per totam confundens cauſam matrimonialem cum cauſa ſponſalium, poſtea *Lib. 3. Diſp. 41.* mentem ſuam explicat de qualitate Teſtium matrimonialium, igitur quæ hi duo Scriptores tradunt de qualitate Teſtium matrimonialium, videntur velle extendi ad Teſtes ſponſalium, quod ego quidem credo de Maſcardo, dubito de P. Sanchez, eò quòd ſuam opinionem fundet maximè in eo, quòd defectus cæterorum Teſtium ſuppleatur per integritatem Parochi præſentis, quæ ratio habet reſpectu ſponſalium locum tunc ſolùm, cùm ſponſalia fuêre coram Parocho contracta, quod tamen plurimis in locis non fit.

92 Et verò quando Parochus intereſt, ſeu interfuit, cenſet Sanchez, quoſlibet, quos jus naturæ non repellit, eſſe admittendos, quam ſententiam, abſtrahendo etiam à præſentia Parochi, tenet denique Maſcardus *citat. concluſ. 1022. num. 15.* cum plurimis, interim referens *num. 4.* permultos requirentes, ut hi Teſtes ſint omni exceptione majores, & conſequenter, ut non ſint conſanguinei, domeſtici, infames &c. Ego jam negavi ſuprà *num. 75.* mihi videri firmam argumentationem à Matrimonio ad ſponſalia, ideo licèt fatear, conſanguineos admittendos eſſe in Teſtes, quando agitur de Matrimonio jam contracto, aut etiam contrahendo, ſi quidem rogentur ii de conſanguinitate, vel affinitate, hoc enim ſatis apertè traditur *in cap. Super eo. 22. De Teſtib.* aut impedimento criminis. Infrà *n. 802. in Inſtruct. Clement. §. 18.* ſi tamen ſit quæſtio, an re ipſâ ſint inita ſponſalia, aſſentior Hoſtienſi apud Abbat. *in cit. cap. Super eo. num. 10.* Farinacio, & aliis apud Barboſam *in cap. Videtur. Qui Matrim. accuſ. poſſ. num. 2.* contra Covarr. *in 4. Decret.. p. 2. cap. 8 § 12. n. 20.* & alios nimis illimitatè loquentes, habentibus matrem, & alios proximos conſanguineos ſuſpectos ſaltem tunc, quando filius, aut cognatus, pro quo teſtificantur, eſt opibus, aut nobilitate inferior, aut quando multùm affectant tale Matrimonium, ut etiam ſentit Abbas *loc. cit.* & Maſcardus *cit. concluſion. 1022. num. 25.* ſubdens *num. 27.* eandem eſſe rationem, quando probatur, fœminam eſſe carnaliter cognitam, tunc enim agitur de injuria illata toti familiæ, ſicut & Riccius *in Praxi aurea Tom. 1. Reſol. 233.* eos rejicit poſt Abbatem, & Felinum, quando producunt Teſtes pro filia. Proxenetam ſeu ſollicitatorem generatim repellunt Maſcardus *De probat. concluſ. 1317.* Cardin. Tuſchus *verb. Teſtis concluſ. 200. num. 56.* Farinacius *Lib. 2. De Teſtib quaſt. 60. num. 410.* & ſingulariter in cauſa matrimoniali Alexander *conſil. 154 num. 3. Lib. 1.* & ſæpe alibi, itémque Decius *conſil. 133. num. 4.* cum aliis indubitanter ſequendis, quando ille proxeneta, ſollicitator, mediator ferventer egit officium ſollicitatoris, aut facta eſt promiſſio præmii, ſi rem effectam daret, tunc enim reddit ſe ſuſpectum, quia cauſam ſponſalium facit ſibi propriam, per ea, quæ differunt Alexand. *conſil. 141. num. 8. Lib. 1.* & Tuſchus *loc. citat. num. 32.* atque ita judicatum in hac Curia, cenſuique judicandum.

APPENDIX I. NOVI CANONISTÆ.

P. Laymannus verò *Tom. 2. In Jus Can. in cit. cap. Super eo, De Teſtib num 6.* ſic diſtinguit: Vel agitur de Matrimonio contrahendo, ſi videlicet dubitetur, an vir & mulier fidem Matrimonii dederint de præſenti, vel de futuro. Hoc caſu parentes recipiendi ſunt in teſtes, ita ut mater e. g. cum alio teſte affirmante eſſe factam promiſſionem, efficiat plenam probationem. Excipe, niſi filio, aut filiæ, quia eſt impar divitiis, nobilitate, honore, ex nuptiis peculiaris honor, aut incrementum accedat, tunc ſuſpectum eſt matris teſtimonium, ut minùs æſtimari debeat propter affectionem. Vel agitur contra Matrimonium, quod dupliciter fieri poteſt: *Primò*, ne contrahatur, quia obſtat impedimentum dirimens, hoc caſu ſufficere debet unius matris teſtimonium, ſeu confeſſio, cùm agatur de peccato vitando, & honore Sacramenti ſervando, & ita habemus caſum, in quo fides habetur uni teſti etiam cum aliquo præjudicio tertii. *Secundò*, ut, quod contractum jam eſt, Matrimonium diſſolvatur, propter impedimentum dirimens. Hoc caſu

agitur

Digitized by Google

agitur de magno præjudicio, & ideo non ſufficit unius teſtimonium, ſed minimùm duo teſtes jurati requiruntur, & ad tale teſtimonium (ſi dubitetur de conſanguinitate, aut affinitate) præ aliis idonei ſunt parentes, & propinqui. *Cap. Videtur. 3. Qui Matrim. accuſare. poſſ. & cap. Quoties. De teſtib.*

Hæc omnia ad verbum Laymannus, quæ ideo ſcripſi, quia eſt rarus autor, ac magni æſtimatus, ſed & Henricus Wangnereck in illud ipſum capitulum: *Videtur* ſentiens cum Laymanno refert verba Abbatis *in cap. Super eo. De teſtib.* loquentis de hac ipſa materia, & pronuntiantis: *In veritate non poteſt dari certa Regula, ſed relinquendum eſt arbitrio judicis, & ex circumſtantiis judicandum, an teſtimonium ſit ſuſpectum.* Vide Barboſ. *in cit. cap. Super eo.*

Domeſticos in cauſa matrimoniali arcent rigidè Decius *loc. cit. n. 163.* & Alexand. *conſil. 151. num. 4. Lib. 3.* loquens de Matrimonio, & idcirco rejiciens, quòd Matrimonium debeat fieri coram pluribus, & conſequenter non ſit unum ex iis negotiis, quæ ex ſe ſint occulta, & proinde admittentia Teſtes domeſticos, aut alios jure inhabiles. Quæ ratio mihi probatur, loquendo de locis, in quibus præceptum eſt, ut ſponſalia non niſi coram *idoneis* Teſtibus, conficiantur. Idem Alexander *conſ. 150. Lib. 5. n. 2.* contendit, nihil probari dictis Teſtium tunc differentium in cortice verborum, etſi convenientium in ſubſtantia, quando interrogati, quibus verbis uſi ſint ſponſi, prælerunt, ſe velle formalia referre. Mulieres huc admitti, liquet inde, quòd etiam quando agitur de diſſolvendo Matrimonio, habeantur pro majoribus omni exceptione. Covarr. *cit. n. 20.* quem ſequitur Sanchez *De Matr. Lib. 2. Diſp. 45. num. 30.* Quid de matribus, & ſororibus peculiariter ſentiendum ſit, retuli ex Laymanno *in præcedente Append.* Hæc de probatione ſponſalium, ex quibus petitur reſponſio ad ſequentem

Quæſtionem à duobus propoſitam.

93 *Quid agendum, quando ſponſa affirmat, Matrimonium ſibi à Sticho promiſſum ſub conditione copulæ carnalis, & ideo permiſſæ, ſponſus autem confitens copulam, negat promiſſionem? Non enim poteſt illa per Teſtes, aut alias probationes probare id, quod contra iſtum aſſerit, ſupereſſe ergo videtur juramentum ſponſæ, utpote actrici & probanti deferendum, non verò ſponſo (niſi hic ultro juramentum purgatorium facere velit,) utpote reo, & in poſſeſſione ſuæ libertatis exiſtenti, quamdiu ſponſa non probat promiſſionem, per quam ſponſus ex poſſeſſione libertatis deturbetur.*

Fuit hæc quæſtio viro cuidam docto à viro gravi: ab eodem viro docto propoſita mihi verbis huc tranſlatis, ad quam ex dictis reſpondeo inprimis, juramentum ſuppletorium probationis, deciſivúmque litis non eſſe aut reo, aut actrici deferendum in hiſce præciſe circumſtantiis, etenim tali juramento (alia eſt ratio juramenti purgationis) non eſt locus, niſi actor ſuam intentionem probet ſemiplene. Maranta *in Speculo Part. 6. Princip. in 9. actu.* Seraphinus *De privilegiis Juramenti privil. 33. n. 5.* Benekendorffius in Seraphinum *cit. cap. 33. num. 84.* aſſerens, hoc eſſe indubitatum, quæ ſemiplena probatio non fit, niſi vel per unum teſtem omni exceptione majorem, Seraphinus *loc. cit. num. 6.* vel per famam, vel per præſumptiones, quamvis utique fama non ſemper efficiat ſemiplenam probationem, cùm non efficiat in criminalibus, horúmve conditionem, quoad probationes, ſequentibus! Farinacius *in Praxi criminal. Lib. 1. Tit. 5. quæſt 47. num. 54. & ſeqq.* ſicut nec quævis præſumptio, ſed ſolùm vehemens. Gloſſa, & Grat. apud Seraphin. *num. 53.* ſeu bona, Gloſſ. *in cap. fin. De jurejurand.* efficit ſemiplenam probationem. Quamvis autem Doctores, quos fideliter refert, ſequitúrque Benekendorffius *loc. cit. num. 36.* communiter negent, eſſe ad famam etiam plenè probatam deferendum juramentum ſuppletorium probationis, niſi in rebus modici momenti, ut limitat Fulvius *De probat. Lib. 1. cap. 49. num. 34.* attamen contrarium tenent nonnulli apud Seraphinum. *loc. cit. num. 34. & n. 53.* haud ſanè improbabiliter. His addo: ſicut Doctores ſcribentes de plena probatione, atque inter hos Andreas Gaill *Lib. 2. obſervat 94.* pronuntiant, illam denique cenſeri plenam, quam judex ipſe, omnibus perpenſis, habet pro plena, favétque apertè huic doctrinæ tum *cap. In noſtra. 32. De Teſtib. & atteſt.* ibi. *Ad multitudinem tantùm reſpicere non oportet, ſed ad teſtium qualitatem, & ad ipſorum depoſita, quibus potius lux veritatis affulſit, ex quibus motum animi ſui convenit judicem informare,* tum id, quod infrà *num. 640. in Append. lit. c.* referam ex Engel, ita viciſſim habenda eſt illa probatio pro ſemiplena, & ſufficiente ad plenam probationem, ſi ſuperveniat juramentum, quam ſapiens judex, aut ſtylus alicujus Curiæ habet pro tali. Et verò quia Germani noſtri ſummè horrent perjurium, præſertim in judicio commiſſum, ideo judices noſtrates ſunt faciliores ad deferendum, vel admittendum juramentū, ſeu ſuppletorium, ſeu deciſivum, quàm permittant ſcriptores, atque ideo factitant, ut juxta legem unic. *Cod. De jud.* tantò citiùs finem imponant litibus cum utriuſque partis ſatiſfactione.

Unde admittunt in ſponſalibus ejuſmodi juramentum, ut jam monui ſuprà *num. 76.* ſicuti forte nec ſtant judicio Gloſſæ apud, & cum Fulvio *Lib. 2. De probat. cap. 46. num. 104.* ne- 94

gantis, juramentum ſuppletorium deferendum illi, contra quem militat aliqua juris præſumptio. Porrò actorine, an reo ſit deferendum, explicant cum Menoch. *De arbitrar. jud. Caſ. 190.& De præſumpt. Lib. 1. præſumpt. 82.& 83.* autores partim hactenus citati, partim ſcribentes *in cap. fin. De jurejurand.* in quo capit. multum permittitur arbitrio prudentis judicis, ibique notat Barboſa, juramentum ſuppletorium eſſe reo, non verò actori deferendum, quando actor unam probationem pro ſe habet, & reus alteram, cùm judex debeat eſſe propenſior ad liberandum, quàm ad condemnandum. *Textus in cap. Ex literis. De probat.* Vide infrà *num 119.*

95 Ad præſentem verò Caſum quod attinet, patet ex dictis, defuiſſe illi puellæ actrici omnem ſemiplenam probationem, ſi præcisè ſtetur narratione facti, ac proinde non fuiſſe ipſi deferendum juramentum in ſupplementum probationis. Nec etiam deferendum fuit reo, quia, actore non probante, etſi ipſe reus nihil præſtiterit, abſolvendus tamen eſt. *Text. cit. cap. fin.* Sed nec purgatorio juramento erat propriè hic locus, quandoquidem actor non accuſabatur ullo crimine, juramentum autem purgationis reſpicit amotionem ſuſpicionis de commiſſo delicto, ut liquet vel ex Rubrica *Titul. De purgat. Canon.* Unde manifeſtè ſequitur, fuiſſe illi puellæ imponendum ſilentium, imò condemnandam fuiſſe in expenſas, veluti litigatricem temerariam. Aliud cenſerem, ſi quas pro ſe præſumptiones ipſa attuliſſet, e. g. illam, de qua ſuprà *num.* octogeſimo ſecundo, tunc enim vel illi, vel actori deferri potuiſſet juramentum ſuppletorium juxta paulò antè dicta: ad quod tamen juramentum non fuit, etſi ad id ſeſe offerens, admiſſus Anno 1665. quidam, *qui, ut prætenſam ſponſam adigeret ad nubendum ſibi, paratus erat jurare, illam fuiſſe carnaliter a ſe cognitam.* Sanè in eum quadrabat notum illud ex *Leg. Tranſactione. Cod. De tranſ.* Allegans ſuam turpitudinem audiendus non eſt. Cæterùm notant DD plenam probationem non elidi niſi aliâ plenâ. Fagnanus *in cap. Lator. Qui filii ſint legit. num. 53.* & probationes invicem conquaſſari. Idem *ibid. numero 47.*

APPENDIX II. LITIGIOSA QUADRUPLICITER.

1 PRævideo quidem futuros, qui imbuti, vel inducti genio Manriqueano, de quo nobis ſermo tam multus, & neceſſarius *in Vindiciis Theologicis* adversùs nonnullos ICtos, ſeu *in Tract. 2. Quinarii*, ſugillaturi me ſint, quòd ego hoc loco, ac pluribus aliis proponam, decidámque Caſus forum ſpectantes externum, adeóque decidendos ex principiis alterutrius Juris, non autem Theologicis, perinde ac ſi forem planè vel ignarus, vel immemor illius nunc trivialis ſeu moniti, ſeu imperii: *Tractent fabrilia fabri.* Hanc tamen ſugillationem confutatam auctoritate Eminentiſſimi Cardinalis de Lugo *in Reſponſ. Moral Lib. 4. dub. 34. num. 6.* adeò non moror, ut inſuper hoc ipſo loco ſim propoſiturus, expoſiturus recens factum, agitatum in una ex illis Curiis, è quibus ad me tranſmiſſi permulti eorum Caſuum, qui hoc volumine continentur, atque ea etiam de cauſa, quòd experientiâ meâ, alienâque doctus ſim, haud rarò Profeſſores Theologiæ etiam, nondum magno uſu peritos, nondum ſcientiâ Juris, niſi tenui imbutos, fatigari hujuſcemodi quæſtionibus, nec poſſe *abſolutè* negare ſuam operam, idcirco quòd id loci non reperiatur, qui aut veroſimiliùs, aut ſinceriùs, aut cum majore apparatu librorum neceſſariò conſulendorum, reſponſurus videatur. Quo igitur uni, aut pluribus ex hiſce, aliiſve eorum ſimilibus præferam aliquam faculam, exhibeo tam multas quæſtiones, foro *fori* potiùs, quàm foro *poli* ſervituras, unà cum ſuis ſolutionibus, nam inter has tangit illud forum hic

Caſus Mundus Mundis.

HEctor *ad ſtivam educatus fatetur, ſed ægrè, & multùm cunctabundus, ſe de nocte veniſſe ad Herulam, decumbentem in lecto, petiiſſe admitti ad lectum, repulſam quidem paſſum, nihilominus tamen denique admiſſum, impetráſſéque ab Herula copiam ſui corporis, ita tamen, ut eam non defloraverit, quia non impragnavit. Poſt alios quinque articulos Interrogatorio adjectos, revocat, etiam ſub jurejurando, illam de fornicatione confeſſionem, negátque, ſe membrum (s. h.) immiſiſſe in vas muliebre, ſicut & ſe dediſſe fidem matrimonialem. E diverſo Herula tenuis quidem fortunæ, & aliàs honeſta, & bona famæ affirmat, ſe ab eo verè cognitam, ſed non priùs, quàm ſponderet ille ſibi Matrimonium in futurum. Quæritur igitur, cui fides habenda in utroque puncto, ſeu articulo?* 1

Reſpondeo, videri habendam Herulæ in utroque, & quidem in *primo* idcirco, quòd, licèt Alexander *Lib. 1. conſ. 34. n. 1.* poſt Gloſſam & alios, quos ſequitur etiam Maſcardus *De probat. concluſ. 348. num. 55.* doceat, eſſe ſtandum confeſſione, aut negatione rei poſteriore, quando priorem contrariam revocavit *in continenti*, ut loquitur Alexander cum communi, ſeu antequam ea redacta eſſet in ſcriptis à Notario, ut loquitur idem Alexander, Maſcardus, & alii, attamen hæc doctrina non videtur mihi habere locum in hoc Caſu, nec enim poteſt dici revocâſſe *in continenti*, aut antequam Confeſſio ſit redacta in ſcriptis, qui revocat poſt alios quinque articulos, ſed 1

negaſ-

negatos, ſeu affirmatos, ſiquidem propriè id ſolùm dicitur fieri *in continenti*, quod fit nullo actu interjecto. Optimus *text. in Leg. Quod ait lex. §. fin. ff. Ad leg. Jul. De adult. ibi. propè uno ictu, & uno impetu.* Tiraquellus *in Leg. Si unquam. verb. revertatur. num. 114.* Et notarius foret meritò privandus ſuo officio, ſi relationem in acta differret in tantum temporis ſpatium, quantum occupant quinque interrogationes, & totidem reſponſiones, quis enim (ut alia omittam) prudenter ei crederet teſtanti de formalitate (à qua ſæpiſſimè unicè pendet tota controverſia, ut nôrunt omnes practici) verborum prolatorum ab alterutra parte?

d Accedit, quòd & magis credatur deponenti contra ſe, quàm pro ſe. Aymon. *Conſ. 6.* & exprimatur in ſpecie facti, quòd ægrè & diu cunctabundus faſſus ſit, ſe fornicationis peccatum patrâſſe cum Herula, quæ cunctatio eſt ſignum magnæ deliberationis, & reluctationis, reluctatio autem ſignum, quòd aliquamdiu pugnaverit contra conſcientiam arguentem peccati, id eſt, ægre paruerit conſcientiæ incitanti ad manifeſtandum crimen, quia igitur propria confeſſio eſt omnium probationum firmiſſima, debet ſtari priori confeſſione, ſicuti *abſolutè* tradunt Gloſſ. *cap. Veniens 2.* Abbas *cap. Cùm in tua. De teſtib.* & alii permulti apud Gabrielium *Lib 7. concl. 29. num. 1. verſ. contrarium*, quando teſtis (eadem eſt ratio Rei, ſeu Actoris) in judicio contraria deponit, & meritò, cur enim habeatur fides perjuro? Qualis præſumitur is, qui manifeſtè ſibi contradicit in eodem judicio: Vide dicta *in Tract. praeced. in Append. ad Caſ. XVII. n. 449. lit. L. & M.* ubi refero inſigne pronuntiatum Juris apprimè huc faciens. Adde, quòd contraria dicens non audiatur. *cap. Solicitudinem. De Appell. §. fin.* & ibi Gloſſa.

e Jam quòd attinet *alterum* articulum, ſcilicet fidem de Matrimonio datam, idcirco arbitror, eſſe potiùs aſſertione Herulæ, quàm negatione Hectoris ſtandum, quia in ſpecie facti exprimitur *primo*, Hectorem non fuiſſe ad lectum admiſſum, niſi poſt repulſam ſemel factam, ex quo infertur, Herulam fuiſſe nequaquam petulantem impudicámve puellam. Exprimitur *ſecundò*, fuiſſe honeſtam, adeóque bonæ, integræ famæ puellam. Exprimitur *tertiò*, fuiſſe pauperem. *Quartò*, Hectorem jurejurando ſuâ quoque prioris confeſſionis revocationem firmâſſe. Ex his omnibus deduco, annuendum eſſe Herulæ depoſcenti Hectorem in maritum 1. Quia licèt teſtimonium viri ſit *per ſe loquendo* præferendum teſtimonio mulieris. Abbas *in cap. Forus. De verb. ſignif.* attamen teſtimonium ſeu viri, ſeu fœminæ integræ fidei præferendum eſt teſtimonio viri perjuri, quia hic nullam meretur fidem, *cap. Teſtimonium. De teſtib.* Zahnnius *De mendacio Lib. 3. capit. 20.* cum aliis communiter, 2. Quia plus creditur ei, pro quo ſtat præſumptio, quàm ei, pro quo nulla. Aymonius Cravetta *cit. conſ. 6.* nulla autem præſumptio ſtat pro Hectore, magna valde pro Herula, ſcilicet deſumpta ex communiter contingentibus, quæ præſumptio concludit in materia probationum, ſicuti multis inſtantiis declarat Nicolaus Everhardus *loco 102.* ſeu *à communiter contingentibus*, etenim à ſolitis fieri validum eſt argumentum. Barboſa *in Locis comm. arg. loc. 120.* referens plurimos hoc loco uſos, in materiis graviſſimis, accidit autem communiſſimè, ut puellæ bonæ famæ, & quæ non niſi precibus inductæ conſentiunt in copulam, revera non conſentiant, niſi priùs datâ fide in Matrimonium de futuro, ſicuti probavimus ſuprà, & puto, teſtarentur arcani ſimul, publicique judices, ſi interrogarentur, certè Menochius referendus *num. 278.* diceret, ſtare pro hac præſumptionem juris, & de jure, & ſingulariter, quando eæ ſunt admodum tenuis fortunæ, habéntque occaſionem aliquantum emergendi è ſua paupertate, tunc enim vel maximè intendunt jacturâ (ſi aliter nequeant) ſuæ virginitatis comparare nuptias honeſtiores. Denique deponens in causa favorabili, antefertur deponenti contrarium. Felinus *cap. In noſtra. De teſtibus* paupertas verò, & ereptæ virginitatis compenſatio qualis qualis, eſt utique cauſa favorabilis. Cùm autem in ſpecie facti propoſita mihi non adferatur quidquam eorum, quæ ſæpe moventur contra indubitatas quoque promiſſiones ſponſalitias, non ſatis video, cur Hector, & Herula (quos ſuppono præmiſiſſe juramentum Calumniæ, aut etiam malitiæ) non declarentur eſſe legitimi ſponſi, atque ideo exiſtimavi, poſſe judicem ſalvâ conſcientiâ condemnare Hectorem ad traducendam in penates ſuos Herulam, quæ tamen rationes non ſunt adeò prægnantes, quin ob favorem libertatis potuerit fortaſſis excuſari, ſi abſolviſſet illum Reum. Audi enim, Lector, quid cenſuerim ipſe de hoc f

Non multùm abſimili Caſu.

Cum enim parentes, ac fratres Serapidis teſtarentur, Soſipatrem ſpopondiſſe Serapidi Matrimonium, ſi eam defloraret, atque impregnaret, Soſipater autem non quidem inficiaretur, ſe feciſſe ullam abſolutam, conditionatámve promiſſionem, ſed tantùm diceret, ſe revera nihil ſcire de hac, aut illa promiſſione, *exiſtimavi ego, judicem poſſe in utroque foro excuſari, ſi Soſipatrem abſolveret ab impetitione Serapidis.* g

Ratio erat, quòd videretur mihi non ſatis probata per teſtes, vel per præſumptiones illa ſponſio. In primis enim, tametſi parentum, fratrúmque teſtimonium recipiatur in aliquam

probationem, quando eſt quæſtio de conſanguinitate, aut affinitate. Suprà *in Append. 1. Leg. Etiam matris. ff. De probation.* in aliis tamen cauſis civilibus repelluntur à teſtimonio dicendo partim ſuprà *n. 92.* partim *in Quinario Tract. 5. cap. 42. num. 67. & 72.* ſingulariter quando agitur de ipſorummet honore, ut agitur in Caſu præſenti. Deinde videbatur mihi permirum, quòd id teſtarentur. Quomodo enim potuerunt teſtari, niſi Soſipater dixerit Serapidi in præſentia eorum: *Promitto, fore, ut te ducam, ſi te defloravero, & impregnavero?* Quis verò unquam audivit ejuſmodi promiſſionem ſeriam (jocoſa non ligat) coram tot, ac talibus factam ab homine ſobrio? Si ab ebrio facta eſt, non obligabat per ea, quæ diſſero *in Tract. 5. Quinarii cap. 25. n. 2. & ſeqq.* Et verò fuiſſe ebrium, ſi promiſit ſeriò (eâ ſerietate, ut ſic loquar, quæ ineſt vino madidis) fit mihi inde veroſimile, quòd aſſeruerit conſtanter, ſe ignorare, utrùm pollicitus ſit necne, meminiſſet autem abſque dubio, ſi rationis compos eructâſſet illa inſulſa verba: & nemo niſi vel ebrius vel ſummè impudicus jungat coram teſtibus præſertim talibus, pollicitationi de ducenda in caſu deflorationis, conditionem inſuper imprægnationis, quaſi verò non ſufficiat defloratio? Quare autumo, teſtimonia parentum, ac fratrum eſſe rejicienda.

h Potuit quidem fieri, ut Soſipater Serapidem ſæpius conveniret, quàm par erat, veritique parentes naufragium pudicitiæ, ei dixerint, ſe ob illud periculum ægre ferre tam frequens commercium, ipſe autem repoſuerit, ſi ſuum, ut loquuntur, honorem auferret filiæ, haud dubiè du urum eſſe in uxorem, at ejuſmodi verba nequaquam conſtituebant promiſſionem propriè, & verè ſponſalitiam, ea etiam de cauſa, quòd nullo modo ſequatur, filiam tunc repromiſiſſe. Vide dicta ſuprà *Caſu 1. num. 21.* Deinde id ipſum videtur mihi dicendum de aſſertione Serapidis, ſi non prætendat ipſa, illam promiſſionem fuiſſe ſibi alio tempore, & occaſione factam. Ratio quippe, ob quam credo, illa verba non fuiſſe prolata, niſi vel à temulento, vel joco, militat contra Serapidem quoque.

i Accedit, quòd videatur mihi, fidem habendam Soſipatri neganti, ſe ſcire quidquam de illa promiſſione. Si enim fuiſſet memor, ſe promiſiſſe, potiùs negâſſet *abſolute* factam eſſe à ſe pollicitationem, etenim ex una parte nemo eſt tam hebes, quin noverit, paris perjurii eſſe juratam negationem facti veri, ac negationem ſcientiæ de eo facto, ex altera autem parte præſumitur quiſque è duobus mediis ſeu licitis, ſeu illicitis arripere illud, quod magis conducit intentioni, ſiquidem non ſit difficilius, aut incommodius altero, juxta illud Tullii *De offic. Lib. 3.* effatum: *Omnes expetimus utilitatem, & ad eam rapimur,* quia ſcilicet totû inter homines ſpebus agitur. Salvianus Maſſilienſis *Lib. 2. Ad Catholic. Eccleſ. ſub fin.* præſumptio autem, quæ in naturæ affectibus fundatur, raro fallit. Fachineus *Lib. 8. cap. 64.* Atqui negatio abſoluta promiſſionis magis conducit ad elevandam fidem partis adverſæ, quàm negatio ſcientiæ *per ſe loquendo.* Cùm igitur Soſipater prudenter ſupponatur non meminiſſe datæ fidei matrimonialis, prudenter infertur, vel dediſſe in ebrietate, vel penitus non dediſſe; eſt enim improbabile, illum rei tantæ & coram tot teſtibus ſeriò geſtæ fuiſſe immemorem, & Serapidem non revocâſſe ei in mentem illa verba tam rara, & inuſitata in indicatis circumſtantiis.

Addo tamen. Si Serapis, priuſquam cognoſceretur à Soſipatre, fuit virgo honeſta, bonæque famæ, & non ſemel, ſed ſæpius, & quidem k
poſt aliquam reluctationem cognita à Soſipatre juvene melioris conditionis, ſeu fortunæ, aſſerat autem eadem Serapis, illam promiſſionem factam eſſe ſibi in cubiculo, in lecto &c. priuſquam admitteret Soſipatrem ad amplexus illicitos, poſſe judicem ſtare ejus verbis, cùm præter ea, quæ nos *n. 82. verſ. Altera ratio,* & in *Caſu praced. n. 95. in Append. lit. F.* produximus, illa tergiverſatio Soſipatris, non auſi *abſolutè* negare, ſed uſi negatione recordationis, poſſit facilè eidem judici attendenti ad vultum, oculos, vocem, alios geſtus Soſipatris, injicere non vanam ſuſpicionem fraudis, etenim debet ex his judex ſæpe arbitrium formare. Fachi- l
neus *Lib. 9. controv. cap. 84.* Acceſſiſſet hiſce omnibus conſideratio judici Eccleſiaſtico familiaris, ſi officio ſuo coram Deo rectè fungi velit, conſideratio, inquam, prolis in utero ſe habentis, ſicuti mortuus in tumulo, mortui autem ſunt inter miſerabiles perſonas miſerabiliores, & ſub protectione Eccleſiæ, ut obſervo, & probo *in Quinario Tract. 5. cap. 50. n. 21.* proindéque bonum prolis permagni fit à Theologis. Infrà *num. 196.* Et denique huc facit doctrina, quam ex Menochio referam infrà *num. 276.* à qua ægre diſcedo. Quapropter liquet à fortiori, quid fuerit reſpondendum ad hanc

Noviſſimam Quæſtionem.

AN ſtari poſſit ſecurè juratis, ac omnino m
veroſimilibus verbis Maviæ, à Titio defloratæ, imprægnatæque, aſſerentis, ſibi quoque promiſſum Matrimonium, quod quidem ipſe non negat expreſſe, ſed ſolùm ignorare ſe dicit.

Reſpondendum quippe eſt affirmativè: tum propter rationem *lit. K.* inſinuatam, aliáſque ſuperiùs expreſſas: tum quia deponenti veroſimilia credendum eſt, donec veroſimilitudo elidatur. Everhardus *in Loco à Veroſimili,* ſupponitur autem in Caſu, depoſitionem Mæviæ

Mæviæ eſſe omnino veroſimilem, tum quia taciturnitas habetur pro confeſſione, quando agitur de præjudicio generando ſibi. Decius *in Reg. Qui tacet. 43. in 6.* ſiquidem taciturnitas etiam in præjudicialibus habet in judicio vim conſenſûs. Felinus *cap. Propoſuiſti. De probat. & cap. 2. De accuſ. in 6.* & Aufrerius Toloſan. *Quæſt. 235.* tametſi repugnet Tiraquellus *De Retract.* §. 4. *Gloſſa 4 num. 35.* ex *Leg. Invitus. De procurat.* Univerſim autem circa Caſus hîc memoratos, alióſque ſimiles, quando videlicet alterutra pars conſtanter negat, eſſe datam à ſe fidem matrimonialem, videtúrque ægerrimè paritura ſententiæ compulſoriæ ad nuptias, obſervo, dandam eſſe operam Judici, ut ſuadeat vel integram remiſſionem ſine compenſatione, vel compoſitionem, partim ob favorem libertatis in hac ſingulariter materia, partim ob metum infelicis exitûs, quem parere ſolent coacta Matrimonia *cap. Requiſivit. De ſponſ.* Vide dicta ſuprà *num. 128.*

Sed priùs nota illum, qui hiſce omnibus jam ab amanuenſi deſcriptis, eſt mihi ſcripto tranſmiſſus

Caſum impudicorum.

Afra mulier ſoluta, fortíſque plebeja, enititur infantem, hujúſque patrem nominat Adrianum, & ipſum ruri natum, addens, hunc ſpondiſſe ſibi, priuſquam faceret ei copiam ſui corporis, Matrimonium, ſi evaderet prægnans. Adrianus negat, ſe eſſe patrem 1. Quòd habuerit cum Afra copulam ſolùm imperfectam. 2. Quòd hanc ipſam habuerit duodecim circiter menſibus ante puerperium Afræ: inficiatur inſuper, ſe expreſſiſſe eam ſolam conditionem, ſiquidem addiderit hanc: Si amorem tuum non converteris in aliú, *convertiſſe autem, eò quòd alium admiſerit in ſuum lectum, & quidem bis, feceritque ea, quæ tunc ſolent. Afra non negat quidem illam admiſſionem, at pernegat, eſſe quidquam inhoneſti geſtum. Quid hîc obligationis? quid juris?*

Reſpondeo: Hæc utraque quæſtio proponitur in ordine ad forum vel *internum*, vel *externum*. *Internum* quod ſpectat, eſt Adrianus, ſuppoſitâ veritate narratorum, liber onere habendi pro ſuo illum infelicem fœtum, utpote qui nequiit concipi, niſi ex copula perfecta. Suprà *Tract. 9. num. 390.* Quòd ſi ponamus, fuiſſe perfectam, debet Adrianus probè ſe reflectere, & expendere, quouſque ſe infra menſem duodecimum, perfectum, vel imperfectum extenderit intercapedo temporis, à puncto nativitatis ad eam copulam: etenim obſervavi ſuprà *Tract. 6. num. 421.* quò minor eſt is numerus, ad quem ponitur, exprimitúrque dubitativa particula *Circiter*, eò minorem infra eum dubiè ſignari; eſt autem numerus duodenarius parvis annumerandus, igitur nequit infra eum prudenter deſignari, niſi undenarius, vel denarius, & quidem non niſi undenarius in præſenti materia. Cùm enim ſoleant (expertus loquor) ruſticani juvenes computum temporis, ex quo exercuerunt ejuſmodi actiones, inſtituere cum reflexione ad feſta (hæc eſſe gulæ irritamenta, & luxuriæ occaſionem, demonſtro *in Quinario Tractat. 5. cap. 45. num. 113. & ſeqq.*) in, aut circa quæ patraverunt eas, non eſt veroſimile, quòd Adrianus, (cùm revera dubitet, utrùm plures, aut pauciores, quàm duodecim menſes effluxerint, inter ſuum cum Afra laſcivum commercium, Afræque partum,) ambigat, utrùm ſolùm decem nec ne? Si quippe de decimo ambigeret, diceret potiùs: *undecim circiter*, poteſt igitur ſalvâ conſcientiâ credere, lapſum eſſe plus temporis, quàm decem menſium, effluxiſſe duodecim planè, aut ferè integros imprudenter credet, ſeu præſumet, niſi adminiculetur Afræ peculiaris aliqua conjectura, ſicuti enim in dubio non eſt *abſolute* præſumenda mutatio, præſertim peccaminoſa, ut frequenter, & neceſſariò memini in præſenti Volumine, ita nec præſumenda citior, ſeu prior tempore, ſed ſerior, tardior, recentior, atqui ſi Adrianus præſumeret in ejuſmodi dubio, ſuum cum Afra congreſſum contigiſſe intra duodecimum menſem, hoc ipſo etiam præſumeret, ſe citiùs de modeſto, pudicóque mutatum fuiſſe in pullum Veneris, quàm ſi ea mutatio peracta fuiſſet menſe undecimo adhuc currente, & nondum decurſo.

Quòd ſi ita præſumat, ſubſumet, ſe non habendum eſſe pro genitore illius prolis, adeóque ſe non obligari ad ſequendam illam practico-ſpeculativam opinionem Doctorum, qui, ut retuli *in Quinario Tract. 5. cap. 28. num. 25.* cum pluribus apud Menochium *De arbitr. Judic. Caſ. XIX. num. 34. & ſeqq.* (ubi pereruditè diſſerit de numero menſium ſufficientium, neceſſariorúmve ad rectè pronuntiandum, ſitne quis conceptus ex legitimo, an illegitimo congreſſu) cenſuerunt, etiam undecim menſibus integris, aut pene integris, imò duodecim, tredecimve poſt conceptionem edi poſſe prolem vitalem, etenim Adrianus noſter licitè accommodabit ſe in praxi contrariæ ſententiæ ejuſdem Menochii, ac multorum aliorum, ea etiam de cauſa, quòd, tametſi ponamus, id aliquando (ſicuti reipſa Galliæ Parlamenta pronuntiârunt de Henrico Borbonio Principe Condæo, cujus mater matrona multò honeſtiſſima cum fuit enixa decimo tertio menſe poſt fata mariti) contigiſſe, attamen ejuſmodi caſus poſt decimum menſem, & quatuor, vel quinque dies undecimi, ſunt adeò rari, ut poſſint eis applicari, ſaltem quando mater eſt

malæ famæ, ut hîc, illa duo effata Bartoli, & S. Antonini, quæ uſurpavi ſuprà *Tract. 4. num. 170.* & eam ob rem præſens Caſus jure appellari multò Rariſſimus.

q Accedit, quòd in dubio probabili, utrùm quis ſit tuus filius nec ne, non tenearis eum ante ſententiam judicis alere, ſeu exhibere, ut loquar cum Ulpiano *Leg. Si quis à liberis. ff. De agnoſc. & alend. Liberis.* Doctores, & rationes attuli *cit. cap. 28. Quinarii ſect. 3.* Sanè ea, quæ rarò eveniunt, non debent præſumi, ſed probari, ſaltem quando raritati jungitur defectus integræ famæ, ut in præſenti Caſu jungitur. Si tamen integritas famæ jungatur partui conjugatæ, edito vel ſeptimo (qui tamen eſt pleriſque fatalis) menſe initi Matrimonii, vel ex quinquagenaria (juxta communem decurſum infœcunda) præſumitur legitimitas. *text. expreſſ. in Leg. Septimo menſe. ff. De ſtat. homin. & Leg. Si ſterilis. in princip. ff. De action. empt.* ſúntque hi duo Caſus, ob quos Peckius *in cap. Inſpicimus De Regul jur. in 6. num. 15.* cenſet, eſſe recedendum ab illa Regula, ſtatuente, ut inſpiciamus in ferendis ſententiis ea, quæ plerumque fiunt, non autem, quæ rarò, & ſic puto, intelligendum eſſe P. Haunoldum poſt hæc ſcripta lectum à me, & *Tom. 1. De juſtit. Tract. 4. num. 136.* multùm, & meritò, patrocinantem præſumptioni de legitimitate & *n. 135.* præmittentem, Phyſicos, ac Medicos eſſe in caſu occurrente conſulendos.

r Jam verò, quod attinet promiſſionem matrimonialem, ideo cadit ejus obligatio, quòd Afra admittendo in lectum bis alterum juvenem, ita reddiderit ſe vilem, & ſuſpectam de oſculis, turpibus tactibus, & ipſa quoque copula, ut & meritò præſumatur tranſtuliſſe ſuum animum in alium, & etiam demptâ hac præſumptione, poſſit repudiari, per ea, quæ tradam infrà ex communi *num. 328. & 329.* Dum verò Adrianus expreſſit duas accidentarias peculiaréſque conditiones, quibus ſervatis erat ducturus Afram, non excluſit generales, & quæ per ſe, aut aliunde inſunt contractui, qui enim è duobus exprimit unum, tacito altero (idem dic de exprimente duo, & tacente unum, per ſe intellectum) non cenſetur excludere hoc unum, ſeu alterum, per aliam diſpoſitionem incluſum. Barboſa *in cap. Nonne. De præſumpt. num. 4.* poſt Menochium *ibi* citatum, adeóque locum hîc non habet Regula de exceptione firmante Regulam in contrarium.

ſ Tranſeundo autem à foro *interno* ad *externum*, ambigendum non eſt, quin Judex teneatur Adrianum abſolvere ab obligatione ducendi Afram, ob rationem paulò antè allatam in favorem Adriani, utpote quæ obtinet in utroque foro. Quin imò propter hanc tantam impudentiam Afræ jam obſtrictæ Adriano, rectiùs pronuntiabit Judex, eam ipſam fuiſſe turpiter cum alio commixtam ſub ſeptimum, vel nonum menſem ante partum, quàm ex Adriano concepiſſe decem integris menſibus, & aliquot diebus antè. Cùm enim nequeat hanc de filiatione litem terminare niſi præſumptionibus, tenetur procedere ſecundùm fortiores, eæ verò ſunt fortiores, quæ veroſimiliores, veroſimiliores autem, quæ petuntur à longè frequentiùs accidentibus, quemadmodum haud ſemel repeto in hoc, & ſuperiore tractatu ex mente practicorum, theoricorúmque juriſperitorum, & liquet ex notatis *cap. Inſpicimus. De Reg. jur. in 6.* longè autem frequentiùs contingit, ut ejuſmodi laſcivæ mulierculæ patrent prorſus occultè unam, alterámve fornicationem, quàm ut poſt exactum decimum menſem pariant. Fecit Afra tam parvi ſuam virginitatem, ut eam prodegerit non habendo ullam prorſus illius rationem, ſed ſolius confuſionis, id eſt imprægnationis, ut deducitur ex ſpecie facti. Quid ni igitur judex prudentiſſimè præſumat in allatis circumſtantiis, eam id ipſum commiſiſſe cum alio, quod cum Adriano? Junge his, quod *Tract. præced. Caſ. XXVII. n. 449. in Append. lit. ſſ.* attuli ex Cardinali de Lugo.

At Afra prætendit, Adrianum uſum fuiſſe t
ſuo corpore novem menſibus ante puerperium, illine, an Adriano habenda fides? Reſpondeo, quandoquidem etiam reus tenetur probare ſuam exceptionem. Infrà *num. 183.* atque intentionem, in qua ſe fundat. *ibid.* Adrianus autem ſe fundat in ſpatio undecim menſium, debebit & ipſe id probare, probabit verò imprimis demonſtratione *phyſicâ*, ſi oſtendat, ſub illud tempus non potuiſſe propter morbum, vel abſentiam habere ejuſmodi commercium cum Afra. Probabit deinde argumento *morali*, id eſt juramento ſuppletorio probationum, etenim eſſe ipſi potiùs, quàm Afræ deferendum, liquet ex iis, quæ proferam infrà *n. 189.* præſertim ſi illic dictis jungatur indicata ſuperiùs præſumptio, aut certè vehemens ſuſpicio, quòd Afra ſæpius vulgaverit ſuam pudicitiam, erit enim, ut ſic notabiliter nigrioris famæ, minúſque digna fide, quàm Adrianus, qui quidem Adrianus meritò explodetur, ſi factam congruo tempore copulam faſſus, addat, fuiſſe ſolùm imperfectam. Suprà *n. 130.* premet etiam illum bonum prolis, alioqui carituræ patre, à quo alatur, Chriſtianéque educetur, qua de re nos *in Quinario cit. cap. 28. num. 89.*

APPENDIX APPENDICIS.

Dixi in præcedente Append. *lit. K.* judicem, u
qui ſuo munere vult ſolerter fungi, dum examinat ſeu actorem, ſeu præcipuè Reum, debere nonnunquam obſervare vultum, oculos, vocem hujus & illius, ex his enim vehementes conjecturas *patrati*, vel non *patrati* facinoris crebro deſumi poſſe, ut fert commune judicium Theoricorum, æquè ac practicorum Jureconſultorum, qui abſque dubio etiam fa-

tebun-

Digitized by Google

rebuntur, circumſtantiæ loci, ac temporis eſſe quandoque plurimum tribuendum. Quam in rem accipe hunc

Caſum Raguſanum.

Quoties ſacerdos ſacram elevabat hoſtiam in Sacrificio Miſſæ, omnes clara voce clamabant : Miſericordia, *atque percutiebant pectora manibus in cœlum ſublatis. Quo tempore non nemo, qui gravioris cujuſdam inſimulabatur delicti, ad teſtificandam innocentiam ſuam publicè proteſtabatur coram ſupremo illo omnium judice in ara præſente, ſe culpæ illius, cujus accuſabatur, minimè reum eſſe, & hoc cum ea ingenuitate, & candore, ut facilè omnes intelligerent eam proteſtationem eſſe omni probatione potiorem.*

Eſt hoc teſtimonium ſimul & judicium Religioſiſſimi, verèque doctiſſimi ſapientiſſimique P. Julii Mancinelli. Etenim P. Jacobus Celleſius Vitæ illius ſcriptor in proœmio ſic præfatur: Quidquid in ea (Vita venerabilis P. Julii) percenſebo, fideliter ex ipſo P. Julio mutuatus ſum, quo teſte fideliorem, vel ſcientiorem, ac veriorem deſiderare non poſſum.

Igitur cenſuit hic humanâ, divinâque ſapientiâ clariſſimus vir, & eorum locorum, Turcicis excurſionibus obnoxiorum, atque gementium, Raguſano Archiepiſcopo ſubjectorum, quaſi Apoſtolus, illas circumſtantias loci, temporis vultúſque conformationis potuiſſe ab illa tota communitate, communitatiſque Præſide haberi pro plena (niſi fortè duo teſtes omni exceptione majores contrarium edixiſſent) innocentiæ probatione.

Quod exemplum refero ego non modò ad confirmationem doctrinæ inſinuatæ *cit. lit. K.* ſed etiam idcirco, quòd ſit valde conveniens, ut viri Religioſi ſuas profanas (ut eſt ea, quam adeò prolixè hic perſequor) commentationes quandoque, ſi ita res ferat, condiant parergis ſpiritualibus, ut vocamus ſeu adjunctis. Porrò hanc narrationem reperies in *Lib. 1. cap. 8.* Vitæ illius Viri Apoſtolici.

HABILES AD SPONSALIA.

CASUS III.

Verus, & Communis.

SUMMARIUM.

Caſus ſponſalium contractorum, repugnantibus parentibus, approbatorum tamen à Curia Epiſcopali. 96.
Quinam ſint habiles ad ſponſalia? 97.
An ligati voto Caſtitatis, aut Religionis? 99.
An volentes nubere hæretico? 101.
An non habentes conſenſum parentum? 102
Quid ſi hi ſint injuſtè impedituri Matrimonium? 103.
Quid ſi timeantur graves iræ? 106.
Declaratur caſu ſcandaloſo? 107.
An valeant Leges permittentes exhæredari, qui contrahunt, invitis parentibus? 108.
Reſolutio Caſûs n. 96. propoſiti. 111.
Quæ ætas ſit idonea ſponſalibus? 113.
An cæcus, ſurdus, mutus validè celebrent? 115.

Callimachus honeſtæ familiæ, & fortunæ deſponſavit ſibi Calphurniam virginem aliquantò honeſtioris familiæ, aliquantò etiam lautioris fortunæ, id fecit tamen, inſciis parentibus, & idcirco non interrogatis, quòd ſcirentur, non eſſe daturi conſenſum, tum propter illam aliqualem, etſi non magnam, inæqualitatem, quàm expreſſi, tum quòd Callimachus eſſet aliquantum impetuoſus, ſat biloſus. Ubi reſcivit pater Calphurniæ, facta eſſe ſponſalia, non tantùm excanduit ſummopere, ſed fuit ſerio minatus filiæ, ſe illam præteriturum in teſtamento, niſi nuntium mitteret Callimacho. At cùm hæc mittere nollet, adivit Sedem Epiſcopalem, poſtulavítque, ut hæc ſponſalia d rimerentur. Quia tamen non impetravit, quod petebat, non tantùm noluit honeſtare nuptias ſuâ, ſuorúmque præſentiâ, ſed perſtitit in propoſito exhæredandi filiam, vix tandem poſt aliquot Annos perſuaſus à quodam Societatis noſtræ Sacerdote, ut animum mutaret. Quæritur, an Calphurnia potuerit ſalvâ conſcientiâ contrahere illa ſponſalia? An parens Calphurniæ agere, quæ egit, & univerſim quænam perſonæ poſſint cum hac, aut illa inire contractum ſponſalitium? 96

Narro, quod Annis ab hinc plus ſexaginta factum ab iis, quos indicavi, quos omnes novi, qui omnes jam pridem exceſſerunt è vita, & quorum cauſæ jus manifeſtabo, *num. 111. & ſeqq.* poſtquam attulero in medium generalia fundamenta diſſolvendi hunc, atque alios caſus de valore ſponſalium, & parentum contradictione.

Quæritur ergo I. Generatim: *Quinam ſint habiles, & inhabiles ad contractum ſponſalitium celebrandum?* 97

Reſp. Generatim omnes illi, & ferè ſoli ſunt jure *naturali* habiles, qui poſſunt *validè*, & *licitè* inire Matrimonium, & conſequenter omnes illi, & ferè ſoli ſunt jure naturali inhabiles, qui nequeunt ſine peccato nuptias cele-

 brare,

brare. Patebit veritas hujus reſponſionis, ubi deſcenderimus ad particularia impedimenta, ſeu inhabilitates.

Dixi: *Jure naturali*, nam pueri ſunt ante expletum primum ſeptennium jure *Eccleſiaſtico* inhabiles ad ſponſalia, & quidem, etiamſi malitia ſuppleat ætatem, juxta Sanchez, & alios bene refutatos ab Hurtado *De Matrim. Diſp. 1. diff. 14.* & tamen non peccant, etſi contrahant, ut videbimus inferiùs. Dixi: *Ferè*: nam in decurſu adferemus duos caſus, quibus Matrimonium eſt licitum, imò præceptum, licèt ſponſalia fuerint illicita.

98 I. Itaque non ſubſiſtunt ſponſalia illorum, qui nunquam poſſunt *licitè*, aut *validè* copulari Matrimonio. *Tex. expreſſ. in L. Oratio. ff. De ſponſal.* nam *pactum turpe, vel rei turpis, aut impoſſibilis de jure, vel de facto nullam obligationem inducit. Text. Cap. Super eo. De tranſact.* Et cùm quid prohibetur, prohibetur omne id, per quod ad illud pervenitur. Sanchez *Lib. 9. d. 3. n. 3.*

II. Nec illæ perſonæ ſunt idoneæ, quæ laborant aliquo Impedimento vel dirimente, vel etiam impediente. P. Ægidius Coninck *Diſp. 21. num. 49.* P. Adamus Tannerus *Diſp. 8. q. 1. num. 16.* & alii, nam tales nequeunt ſine peccato promittere Matrimonium, cùm nequeant, illo Impedimento durante, fieri conjuges.

Quid ſi autem dicat ſponſus? *Te ducam, ſi diſpenſaverit Papa.* Reſp. Nos locuti ſumus de ſponſalibus *abſolutè* ſumptis, non *conditionatis*. Utrùm verò hujuſmodi ſponſalia ſubſiſtant, necne, videbimus infrà *Caſ. IV. num. 160. & ſeqq.*

99 III. Non igitur valent ſponſalia ligati voto vel Religionis ingrediendæ, vel Caſtitatis *perpetuæ*, aut *temporalis* quidem, ſed obligaturæ adhuc eo tempore, quo oportebit ex pacto, ingrediente ipſum conſenſum, inire Matrimonium.

100 At *obſtrictus tali voto corrumpit virginem, priùs pollicitus, ſe eam accepturum in uxorem, ſi faceret poteſtatem ſui corporis. An non valebit talis pollicitatio, etſi juncta Impedimento impedienti?* Reſpond. I. Non valebit, ſi virgo fuit conſcia voti, debet enim ſibi imputare, quòd conſenſerit tali in copulam. P. Hurtadus *cit. Diſp. 1. difficultat. 21.* P. Perez *Diſp. 5. Sect. 1.* Reſp. 2. Eſto non fuerit conſcia, non tamen tenetur ſponſus ſtare promiſſis, ſi poſſit damnum compenſare aliâ ratione, quàm ſtando. Hurtadus, & Perez *ll. cc.* contra P. Sanchez, Baſilium Pontium, & alios. Ratio eſt, quia cùm poſſit aliâ ratione compenſare, non tenetur titulo juſtitiæ eam ducere, ſed neque titulo promiſſionis, utpote de re illicita factæ. Reſp. 3. Si tamen nequit aliter impedire infamiam illius puellæ, aut impoſſibilitatem nanciſcendi nuptias ſine augmento dotis, quod tamen ipſe præſtare non poſſit, tenetur, factâ prædictâ promiſſione, & defloratione, eam ducere. Ita omnes citati, eò quòd votum non obliget, quando nequit obſervari ſine injuſtitia, injuriáque alterius, quare tenetur talis reddere in Matrimonio debitum, at non petere. Hurtadus, & Perez, qui Perez contra Hurtadum autumat, hujuſmodi fornicatori eſſe liberum ducere in eo caſu, quo valet aliâ ratione impedire omne incommodum defloratæ.

IV. Nec valent communiter ſponſalia Catholici cum hæretica, ſiquidem communiter illicita ſunt, impiáque talium conjugia, ſicuti demonſtravi *Tract. praced. Caſ. XI.* 101

V. Communiter quoque ſunt illicita ſponſalia, quæ fiunt inſciis parentibus. P. Laymannus *Lib. 5. Tract. 10. Part. 1. num. 14.* & fuſè Menochius *Conſil. 69.* ex communi, liberi quippe, præſertim filiæ, debent parentibus id honoris, ut hos conſulant in re tanti momenti, peccant ergo mortaliter, non interrogando illos. Sanchez *Lib. 4. diſp. 29.* cum communi Henriquezii, Navarri, Molinæ, Lopez, aliorum apud ipſum. Accedit, quòd uſu receptum ſit, ut parentes judicent ſe ſperni, ſi hîc prætereantur, ergo dum prætereuntur, datur ipſis occaſio gravis offenſæ, gravium quoque peccatorum, ergo admittitur tunc, committitúrque à talibus liberis peccatum ſcandali. 102

Si tamen parentes ſint injuſtè impedituri Matrimonium, aut ſubſit alia juſta cauſa occultandi iis Matrimonium, licebit utrumque contractum inire, ipſis inſciis Concil. Trident. *Seſſ. 24. De Reform. Matrim* Perez *Diſp. 18. Sect. 18. num. 5.* Quòd ſi fuerint conſulti, nolint tamen conſentire in tale Matrimonium, ſed potiùs ſuadeant aliud, & quidem prudenter, non tamen hoc ipſo peccabit mortaliter filius contrahendo, ipſis invitis. Sanchez *cit. num. 10.* poſt Henriquez Viguier. Ledeſmam, Covarr. alios contra Menoch. *loc. cit.* Bellarminum *Lib. 1. De Matrim. Cap. 19.* Rodriquez, Lopez, alios apud eundem *loc. cit. num 9.* Ratio eſt, quia ex doctrina S. Thomæ *2. 2 quaeſ. 104. art. 5.* filii ſubjiciuntur parentibus in iis, quæ ad prolis generationem pertinent. Unde *non tenentur filii parentibus obedire de Matrimonio contrahendo*, inquit ibidem S. D. *nec poſſunt parentes invitas filias cogere certo conjugio ſociari*, *Text. c. De neptis. 31. q. 2.* ex Urbano II. adferente hanc elegantem rationem: *Quorum enim unum corpus eſt, debet eſſe & animus.* Et verò cùm homo ſubjiciatur per Matrimonium perpetuæ ſervituti. S. Thom. *in ſuppl. Quaeſ. 47. art. 6.* æquiſſimum eſt, ut hac in re ſit plenè ſui juris, ob quam rationem fit, ut liberi communiter non teneantur ſtare ſponſalibus, quæ nomine ipſorum contraxêre parentes. Sanchez *cit. Diſp 23. num. 3.* Et generatim clariùs excuſantur nolentes obedire parentibus ſuadentibus aliquod certum Matrimonium, quàm nolentes parere diſſuadentibus aliquod certum. Etenim conjugium exigit perpetuam ſocieta- 103 104

tem

tem mutuo amore conglutinatam, amor autem debet ſponte naſci, non ab alio imperari: *Quod enim quis non eligit, non diligit. Text. Cap. Præſens. 20. quæſt. 3.*

105 Si tamen Matrimonium filii, aut filiæ eſſet ceſſurum in probrum parentum, ſponſalia non ſubſiſterent, utpote conjuncta cum injuria tertii. Sicuti è diverſo, quando Matrimonium filiæ cum hoc, aut illo videtur eſſe medium neceſſarium ad compeſcendas graves inimicitias inter parentes ſponſi, aut ſponſæ (aut ob parentum indigentiam, vel ob aliam ſimilem cauſam juſtam, inquit Perez *Diſp. 18. Sect. 18.*) tenentur ex virtute pietatis filius, aut filia, jam aliàs parati tranſire ad ſtatum matrimonialem, eligere illud Matrimonium præ alio. Sanchez *cit. Diſp. 13. num. 4.* ex communi, non tenentur tamen abſolutè inire illud Matrimonium, ſed tantùm in caſu, quo, ut dixi, jam aliàs decreverunt non manere cælibes. Sanchez ibidem *num. 3.* Laymannus & alii.

106 Ex quibus infero, eſſe quidem valida ſponſalia, quæ ineuntur parentibus ſeu prudenter, ſeu imprudenter invitis, eſto timeatur offenſa eorum, quæ brevi deſitura ſit. At verò, ſi timeantur graves rixæ inter parentes contrahentium, ſi gravis, & diuturna horum offenſa, ſi denique grave ſcandalum, irrita ſunt ſponſalia. Menoch. *cit. Conſ. 69.* Sanchez *Lib. 1. diſp. 14.* cum multis, poteſtque, ac debet Magiſtratus Eccleſiaſticus impedire meditatum Matrimonium. P. Laymannus *cit. Cap. 1. n. 14.* poſt Navarr. Gutierez, alios, quos ſecutus in conſulendo, adeòque in contingentia facti Leſſius reſpondit ad Caſum, quem ex eo deſcripſi ſuprà *num. 85.* non valuiſſe ſponſalia illius Barbaræ cum Blaſio, eò quòd non ſubſiſtant illa, ex quibus timentur gravia incommoda, ut odia, rixæ, inimicitiæ inter conſanguineos ſponſorum, vel odia parentum in liberos, tum quia juſtitia non poteſt obſtringere ad id, quod ſine peccato fieri nequit, quale eſt contrahere Matrimonium cum ſcandalo proximi, & parentum gravi, & juſta indignatione. Et extendit Sanch. *loc. cit. num. 3.* etiam ad caſum, quo aut virgo eſt deflorata ſpe Matrimonii, aut Matrimonium illud eſt inter æquales, ſeu non diſparis conditionis. Sed ego tum has duas extenſiones, tum doctrinam P. Leſſii, P. Laymanni, & ejuſdem Sanchezii paulò antè relatam approbo in ſolo caſu, quo pietas, charitas, juſtitia, aut alia ſimilis virtus clarè, aut manifeſtè prohibet nuptias cum tali. Ratio eſt, quia quiſque habet tam certum, clarúmque jus ducendi quamlibet non laborantem impedimento, quàm emendi domum, agrum &c. ergo ſicut valet emptio domûs, agri &c. etſi repugnent pater, mater &c. in iis circumſtantiis, in quibus nec pietas, nec charitas, nec alia virtus clarè mandant abſtinere tali emptione, ita & de ſponſalibus dicendum. Atque ita ſentiunt Covarruvias mox citandus, PP. Hurtadus *Diſp. 6. diff. 10.* Coninck *Diſp. 28. dub. 5. num. 51. & 53.* Laymannus *loc. citat.* præſertim ſi probè expendantur rationes eorum, atque ita obſervari in Curia hac Conſtantienſi, teſtati mihi ſunt uſu longo periti.

Nihilominus tamen probo reſolutionem, & reſolutionis cauſam, quam Aloyſius Riccius *in Deciſionibus Curiæ Neapolitanæ deciſ. 24.* dedit ad hunc

Caſum Scandaloſum.

Tractatum fuit Matrimonium inter duas perſonas, quæ inter ſe concordes erant circa Matrimonii ſolennizationem, verùm quia mulier erat valde nobilis, & virum qui volebat cum ea contrahere, excedebat multùm in nobilitate, propterea conſanguinei dictæ mulieris, ſtante diſparitate conditionis, cæperunt minari cædes, & mortem, ſi tale Matrimonium contraheretur, quod in dedecus familiæ cedere conclamabant, & quia veriſimiliter dicta ſcandala oriri poterant, fuit diſputatum, an Epiſcopus ejuſmodi Matrimonium poſſet impedire, & prohibere, ne contraheretur? Et cùm fuiſſem de hac re conſultus, auditis utriuſque partis rationibus, fui in voto, quòd dictum Matrimonium per Epiſcopum impediri poſſet. 107

Ita Riccius, probans ſuum votum, ſeu reſolutionem ſolùm textibus Divinæ Scripturæ, & Canonum, varia vetantibus ob ſcandalum, & ſubdens, id Matrimonium debuiſſe non ſimpliciter inhiberi, ſed ſolùm, quamdiu duraret illud ſcandalum.

Memini ego quoque. *Fuiſſe inter fratres cujuſdam Illuſtriſſimæ familiæ ortum adeò grave diſſidium, eò quòd unus illorum Matrimonium ſpopondiſſet honeſtiſſimæ quidem, & nobili Virgini, at multò inferioris proſapiæ, ut omnino timeretur, ne armis, & cohortibus quadringentorum virorum concurrerent. Non fuit tamen ab Illuſtriſſimo Domino Ordinario inhibitus curſus, ſed, ut ſolent Germani, imitando Chriſti manſuetudinem, non perpetuare, ſed brevi componere inimicitias, publicùque odia, ac diſſidia, ita etiam illi fratres adducti aliorum rationibus ceſſârunt à minis, ac poſtmodum integrè fuerunt reconciliati.* Profectò cùm Matrimonia debeant eſſe libera. *Cap. Gemma. De ſponſ.* non eſt, niſi fruſtra tentatis omnibus reconciliationis modis, procedendum ad diremptionem ſponſalium cum plena deliberatione contractorum ab iis, qui ſunt ſui juris.

Dubitatur autem magnopere, utrùm ſubſiſtant Leges quorundam locorum, permittentes exhæredari filios, & præſertim filias, quæ, inſciis, aut invitis parentibus, contrahunt 108

Ma-

Matrimonium? Valere, affirmant multi Theologi, & Jureconſulti apud Sanchez *Lib. 4. diſp. 25.* & apud Dianam *Part. 1. Tract. 2. Reſol. 74.* Abrogatas eſſe à jure Canonico, tenent P. Sanchez, ac Diana cum plurimis juris, ac Theologiæ peritis, quibus & ego aſſentior ideo, quòd inprimis Leges Canonicæ conſulant, quoad poſſunt, libertati Matrimonii. *Cap. Gemma, De ſponſal.* & Tridentina Synodus *Seſſ. 24. cap. 9. De Reform. Matrim.* expreſſè pronuntiet, eſſe *maximè nefarium* impedire (directè, vel indirectè, ut patet ex conſequentibus) liber-
109 tatem Matrimonii. Deinde eædem Leges Canonicæ auferunt Magiſtratui ſæculari poteſtatem condendi Leges circa Matrimonium. *Cap. Tuam. De ordine cogn. Cap. 1. De ſponſ.* & *cit. cap. 9. De Reform. Matrim.* Et rectè tradit P. Laymannus *cit. Cap. 1. num. 15.* nullâ Lege, aut conſuetudine poſſe introduci, ut, quoties filia nubit, invitis parentibus, exhæredetur, licet interim idem Doctor ſubdat, ferri poſſe legem, ut hæreditate priventur liberi, quoties graviter delinquunt contrahendo abſque conſilio, & conſenſu parentum. Sed apertè hoc negat Covarr. *in Epitome Part. 2. cap. 2. §. 8. num. 5.* exprimens, non poſſe exhæredari etiam filiam minorem 25. (multò minùs, ſi ſit adultior) Annis, licèt nubat turpi, & indigno, eſto pater offerat ipſi dignum unà cum magna dote, teſtatúrque, eſſe hanc communem ſententiam, eò quòd aliàs minueretur libertas Matrimonii.

110 Utrùm verò poſſit pater negare dotem filiæ nubenti ſine ejus conſenſu, variæ admodum opiniones exiſtunt. Nam alii ajunt, poſſe negare minori 25. Annis, non autem majori. Alii nubenti indigno, non autem condigno. Alii, ſi filiæ non promiſit dotem. Alii, ſi promiſit. Legi poteſt Sanchez *cit. Lib. 4. diſp. 26.* diſtinctè differens de his, aliiſque punctis. Legi quoque poteſt Covarr. *cit. §. 8.* valde benignè loquens in favorem liberorum contrahentium, inſciis, aut invitis parentibus, meritóque rejiciens nonnullos Jureconſultos, qui ante Concil. Trident. ſcripſerunt, Matrimonia, invitis parentibus inita, eſſe invalida. Sed hanc ſententiam damnavit expreſſè ſancta Synodus *Seſſ. 24. cap. 1. De Reform. Matrim.* quæ etiam Synodus *Cap. 19.* anathemate ferit dominos, & magiſtratus, *qui directè, vel indirectè minis, aut pœnis ſuos ſubditos, aut quoſcunque alios cogunt, quò minùs liberè Matrimonia contrahant.* Quam pœnam Lopez, & alii apud Tannerum *cit. Quæſt. 1. num. 108.* extendunt, ſed malè, ad parentes utentes tali coactione. Ex iis verò, quæ nos tradidimus, petenda eſt ſolutio duarum quæſtionum, quas circa ſponſalia Callimachi propoſuimus ſuprà *n. 96.*

111 Et ad *primam* quidem apparet, deliquiſſe Calphurniam, dum contraxit ſponſalia, inſcio parente; ſciebat quippe, vel ſuſpicabatur exoritura mala, quæ indicavi, nec deerant, quibus ipſa aptè nuberet.

Apparet 2. Non valuiſſe ejus ſponſalia, vel quia non tenebatur fidem ſervare cum ſuo tanto malo, vel quia nequibat ſine gravi peccato in parentes inire Matrimonium tale, ut deduces ex narratis.

Apparet 3. Judicem Eccleſiaſticum im- 112
meritò tuliſſe ſententiam pro valore, & obligatione illorum ſponſalium, niſi moverit illum aliqua alia facti circumſtantia, quæ me latet. Vide infrà *Caſu VIII. numero 330. & ſeqq.*

Dicta de obligatione non contrahendi, *per ſe loquendo*, inſciis parentibus, firmo ingenioſis ſimul, & claris verſibus Catulli *in Epithal.* De puella canentis in hunc modum:

Virginitas non tota tua eſt, ex parte parentum eſt:
Tertia pars matri data, pars data tertia patri;
Tertia ſola tua eſt, noli pugnare duobus,
Qui genero ſua jura ſimul cum dote dederunt.

Quæritur II. *Quænam ætas requiratur ad* 113
ſponſalia?

Reſp. Septennium completum. *Cap. Literas, De deſp. impub.* ubi expreſſè requiritur ſeptennium completum, ut proinde ſint invalida ſponſalia inita ante illud tempus, ſeu à mare, ſeu à fœmina, quia ſcilicet ante prædictam ætatem communiter deeſt maturitas judicii neceſſaria ad ſponſalia, ut patet ex dictis *Caſu 1.*

Quòd ſi malitia ſuppleat ætatem, id eſt, ſi 114
uſus rationis ſit in aliquo, vel aliqua major, quàm ſoleat eſſe communiter ante illam ætatem, multi contra multos aſſerunt, ſubſiſtere ſponſalia, etiam ſtando jure Eccleſiaſtico, nam de naturali jure nullum eſt dubium. Sicuti etiam ſat multi cenſent, contra alios plures, nil obeſſe, licèt deſit tantùm unus dies, aut una hora de completo ſeptennio. Doctores pro, & contra reperias in obviis tractatoribus ſponſalium. Ego ideo non inhæreo his duabus controverſiis decidendis, quia hoc ſæculo, præſertim in Germania, non fiunt unquam deſponſationes in tam immatura, ſeu tenella ætate, qua etiam de cauſa non attingo illam quæſtionem: *An, ſi parens deſponſavit alicui ſuam filiam ante primum ſeptennium, poſſit hæc ante pubertatem reclamare?*

Quæritur III. *An cæcus, ſurdus, & mutus* 115
ſit aptus ad ſponſalia?

Reſp. 1. Qui ſolùm uno ex his vitiis laborat, eſt utique aptus, poteſt enim ſufficienter edoceri neceſſaria ad hujuſmodi contractum. Idem dic de illo, qui eſt mutus, & ſurdus ſimul, modò non ſit cæcus, nam etiam talis poteſt edoceri neceſſaria ad actum conjugalem, obligationémque mutuam, Sanchez *Lib. 1. diſp. 8. num. 32.* Tanner. *Diſp. 8. quæſt. 1. num. 32.* atque alii Theologi contra non paucos Canoniſtas. Confirmatur hæc doctrina iis, quæ de
hoc

Digitized by Google

hoc genus hominibus accuratè tradidi tum *in Aph. Communic. Caſ. VII.* de iis admittendis ad Sacram Synaxin, tum *in Alphab. Sacri audiendi, & Breviar. recit. Caſ. 1. n. 29.* dum quæſii, an obſtricti ſint præcepto audiendi Sacri?

116 Etſi verò idem Tanner. *num. 32.* tradat, *abſolutè, & phyſicè loquendo*, nil obſtare, quin is, qui eſt ſimul mutus, ſurdus, & cæcus, adeò perſpicacis ſit ingenii, ut rationem Matrimonii ſatis intelligat, adeóque uxorem ducere valeat, attamen, ſaltem moraliter loquendo, eſt impoſſibile, ut talis vel à ſe ipſo, vel ab alio diſcat requiſita ad connubium: quare eſt omnino repellenda, quæ vellet nubere tali. Sanchez *loc. cit.* Unde & Diana *Part. 5 Tract. 6. Reſol. 34.* Pellizariúſque *in Man. Regul. Tract. 3. cap. 2 num. 35.* cum aliis rectè docent, ejuſmodi hominem eſſe incapacem Profeſſionis Religioſæ. Et nos *in tit. Alphab. Sacri audiendi* negavimus contra Fagundez, ac Dianam, extendi ad hos præceptum de Sacro audiendo. Licèt

117 autem ibidem *num. 32.* itidem negârim, illum, qui ſimul cæcus eſt, & ſurdus, ligari Lege audiendæ Miſſæ, non tamen inficias ivi, ex eo, quòd *abſolutè* nequiret ſatis inſtrui, ut percipiat rationem Miſſæ Sacrificii, ſed ideo, quòd non poſſet adeſſe *moraliter* Sacro, niſi haberet, qui illum vellicaret, Eccleſia autem non obligat quemquam ad hoc medium vellicationis, tractionis &c. adhibendum, utpote nimis extraordinarium.

DE OBLIGATIONE, ET OFFICIIS SPONSORUM.

CASUS IV.

Involutus Evolutus,

SUMMARIUM.

Caſus ſponſalitiæ promiſſionis intricatus. 118.

118 **D**Iodorus *juvenis opifex fecit Dafroſæ ſpem Matrimonii, & eo modo impetravit uſuram corporis. Deinde cum juramento eidem promiſit abſolutè. Poſtea tamen coram patre, & matre Dafroſæ dixit, ſe contentum illam ducere, ſi poſſet fieri cum bona parentum ſuorum gratia. Denique ſolenniter cum illa contraxit ſponſalia coram Parocho. Nihilominus tamen tergiverſatur Diodorus, tum circa tempus, ait quippe, ſe non ſeriò promiſiſſe Matrimonium, aut certè non promiſiſſe, niſi adjectâ conditione :* Si liceret per ſuos parentes, *per eos autem non licere. Addit, ſe operam ſuam addixiſſe alicui magiſtro ad triennium, & proinde non poſſe ſe, ante elapſum triennium, contrahere cum Dafroſâ in facie Eccleſiæ. Quæſitum fuit ex P. Leſſio 1. An Diodorus teneretur, & poſſet cogi ducere Dafroſam? 2. An poſſet Diodorus, ut parentibus ſatisfaceret, differre Matrimonium ad triennium? 3. Quo pacto impediri poſſet, ne aliam duceret?*

Reſponſum ad haſce tres quæſtiones, quod dedit P. Leſſius, legere eſt in ipſius *Auctario ad l. 2. Verb. ſponſal. Caſ. 4* quod autem dandum fuerit, dandúmque ſit ex mente noſtra ad eaſdem, aliáſque plures, ſolitas moveri circa obligationes ſponſorum, atque eorum mutua officia, dicemus in hoc *IV Caſu*, ſeu *Capite hujus Alphabeti*, dividendo in duas Sectiones. *Primam* de officiis, & obligationibus ſponſalium Abſolutorum. *Alteram* de Conditionalium. 119

SECTIO I.

Obligationes, & officia ſponſalium abſolutè contractorum.

SUMMARIUM.

Quæ, & quanta obligatio oriatur ex ſponſalibus? 120. & ſeqq.
Monendi ſponſi, ut contrahant quamprimum. 124.
Judex compellat reſilientem, ut ſtet promiſſis. 125.
Caſus ex Jure Canonico huc faciens. 126.
Quid ſi prævideat, ſecutura gravia mala ex compulſione? 129. & 130.
An inſtituet proceſſum judicialem? 131.
Quid faciet Confeſſarius, audiens ſponſam paratam ad cogendum refractarium ſponſum? 134.
Quid ſi alterutera pars juravit conſtantiam in ſervanda promiſſione? 135.
Dubitans, an promiſerit, quid aget? 136.
Solvuntur quæſtiones num. 119. propoſita. 137.
Utrùm frater poſſit à judice adigi, ut teſtetur contra fratrem? 140. & ſeqq.
Nequit, ſi ejus teſtimonium non ſit neceſſarium. num. 142.

QUæritur I. *Quæ, & quanta obligatio oriatur ex ſponſalibus abſolutè, ſincerè, & validè contractis?* Dixi *ſincerè*, nam *Caſ. 1.* jam tractavi de fictè contractis, abſtrahendo ab imprægnatione, acturus *Caſ. V.* de fictè contractis cum defloratione. 120

Reſp. I. Tenetur quis, *per ſe loquendo*, ſub mortali inire Matrimonium cum ea, cum qua ſincerè, & validè contraxit ſponſalia. S. Tho. *in 4. diſt. 27.* & omnes DD. teſte Tannero *To. 4. diſp. 8. quæſt. 1. dub. 3. num. 3.* & jus Canonicum 121

nicum *c. Ex literis 2. & Cap. Requiſivit. De ſponſal.* ita decernit, & ratio demonſtrat: omnis enim contractus, ſaltem oneroſus, de re gravi obligat ad culpam lethalem. Si verò liberaliter promiſiſti Matrimonium, non petendo, ut altera pars repromitteret, probabile eſt, te ſolùm venialiter delinquere reſiliendo, etiam ſine juſta cauſa. P. Henriquez *Lib. 11. cap. 13. num 2.* P. Tannerus *loc. cit. Dub. 1. num. 4.* quia generatim probabile eſt, virtutem fidelitatis perinde, ac veracitatis obligare ex ſuo genere ſolùm ſub veniali. Suarez *Tom. 3. De Relig. Lib. 10. cap. 6. num. 4.* Molina *Tract. 2. diſp. 262.* poſt Cajetanum *2. 2. quæſt. 113. art. 1.*
122 éſtque hæc reſponſio recepta communiter in caſu, quo quis expreſſè voluit ſe obligare ſub duntaxat veniali delicto. P. Leſſius *De juſt. Cap. 18. num. 58.* loquens de contractibus gratuitis in genere; præſumitur autem voluiſſe inducere ſibi gravem obligationem, quando coram teſtibus, aut ſcripto dedit fidem Matrimonii. Henriq. & Tanner. *ll. cc.* ſicut & ſub gravi peccato tenetur compenſare damna ſecuta ex ſua, quamvis per ſe veniali, infidelitate, inconſtantiáque. Leſſ. *loc. cit.* ex communi; qui enim occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur *Cap. fin. De injur. & damn. dat.*

123 II. Tenentur ſponſi inire Matrimonium tempore ab ipſis præſcripto, niſi una pars liberaliter permittat dilationem, quia virtus fidelitatis, & juſtitiæ extendit ſuam obligationem ad omnes etiam minimas res, & circumſtantias promiſſas. Si autem nullum tempus conſtituerunt, tunc tenetur quiſque contrahere illo tempore, quo alter, ſpectatis omnibus circumſtantiis, id rationabiliter exigit, ut pluribus explico infrà *n. 362.*

124 III. *Monendi ſunt ſponſi, ut factis ſponſalibus quamprimum contrahant Matrimonium per verba de præſenti coram Parocho, & Teſtibus, ne ſponſa ſtupri periculum ſubeant, maximè, ſi ipſi ſponſi ante conſummationem Matrimonii id petierunt.* Ita Congregatio apud Gallemart. *in Trid. Seſſ. 24. Cap. 1. De Reform. Matrim. n. 3.* quod velim Domini Parochi ſæpe inculcent ſuis parochianis, procraſtinatio enim Matrimonii inter ſponſos præbet occaſionem efficacem infinitarum turpitudinum, ut, prô dolor! dolent Confeſſarii.

125 IV. Judex Eccleſiaſticus tenetur, *per ſe loquendo*, cenſuris Eccleſiaſticis compellere ad ſtandum Matrimonio illum, qui ſtare recuſat ſine exceptione legitima, ſi alter jus petat, non modò quando ſponſalia ſunt firmata juramento: *Text. in Cap. 1. diſt. 29.* adverſus Anglem, Armillam, & alios quoſdam, ſed etiam, quando non fuerunt roborata jurejurando. Sanch. *Lib. 1. diſp. 25. n. 4.* Coninck *Diſp. 22. n. 9.* Tannerus. *cit. Quæſt. 1. n. 37.* contra Viguer, Sotum, Vegam, & alios apud Sanchez. Ratio eſt, quia judicis eſt, compellere quemvis ad ſtandum legitimo contractu. *Cap. 1. 2. & 3. De pact.* atque ita habet praxis receptiſſima tribunalium, teſte Gutierez apud Sanchez *loc. cit. n. 6.* nominatímque Conſtantienſis. *Sed ſponſus v. g. quantumvis anathemate percuſſus pergit contumaciter injuſtè repudiare ſponſam.* Reſp. In ejuſmodi caſu habenda eſt præ oculis reſponſio, & ratio, quam Lucius Papa *Cap. Requiſivit. De ſponſal.* dedit ad hanc quæſtionem, &

Caſum Sponſæ perjuræ.

Requiſivit à nobis tua Fraternitas, qua 126
cenſurâ mulier compelli debeat, quæ juriſjurandi religione neglectâ nubere renuit, cui ſe nupturam interpoſito juramento firmavit. Ad quod taliter reſpondemus, quòd, cùm libera debeant eſſe Matrimonia, monenda eſt potiùs, quàm cogenda, cùm coactiones difficiles ſoleant exitus frequenter habere.

Circa quod Reſcriptum obſervandum eſt, 127
vel voculam *Potiùs* eſſe accipiendam pro: *Priùs.* Gloſſ. Innocent. alii apud Sanchez *cit. n. 4. ſub. init.* vel voculam: *cogenda* intelligi de coactione exactiſſima. Fortun. Covarr. Menoch. alii apud eundem P. Sanch. *n. 8.* ut proinde hoc Capitulum nullo modo repugnet *cit. Cap. Ex literis*, in quo expreſſè dicitur: *Fraternitati tuæ mandamus, quatenus, ſi hoc* (quòd ſcilicet *velit* contra ſuum juramentum ad alia vota migrare, relictâ priore ſponſâ) *tibi conſtiterit, eum moneas, & ſi non acquieverit monitis, Eccleſiaſticâ cenſurâ compellas, ipſam* (niſi rationabilis cauſa obſtiterit) *in uxorem recipiat.*

Ergo judex Eccleſiaſticus, auditâ querelâ 128
de repudiatione iniqua ſponſæ, ſponſum citabit ad ſuum tribunal, intentabit excommunicationem, ſi ſit deſtitutus legitimâ cauſâ, permittente repudium, nolentem parere minis, feriet anathemate, dúmmodo ſpes ſit extorquendi hac ratione liberum conſenſum, ut limitat expreſſè Pontius apud Dianam *Part. 3. Tract. 4. Reſol. 206.* atque indicat Sanchez *loc. cit. n. 7.* exprimítque Menochius *Conſ. 786.* Ubi aliquamdiu hæſerit obſtinatus in anathemate, abſolvet judex, etſi non peteretur abſolutionem. Sanch. *loc. cit. n. 8.* poſt Gl. Gutierez, Philiarchum, Lopez, alios contra Goffredum, negantem eſſe abſolvendum, donec pareat, ſed certè hic rigor repugnat expreſſè verbis deſcriptis ex *Cap. Ex literis*, repugnat quoque rationi. Si enim judex nolit cedere contumaci, hicque videns, ſe certò non abſolutum iri, niſi ſtet promiſſis, denique det manus, quis non videt futurum, ut vel ſimulet conſenſum, atque ita contrahat *invalidè*, vel conſentiat quidem, ſed infeliciſſimo exitu, id eſt, cum evidenti periculo perpetuorum jurgiorum, verberum, mutilationis? *Quorum unum corpus eſt, unus debet eſſe & animus*, inquit Urban. Papa relatus

Cap.

Cap. De neptis 31. quæſt. 2. Ergo judicis Eccleſiaſtici eſt, paternè hîc proſpicere. Vide etiam infrà *num. 337.* atque in contingentia facti conſule Riccium in praxi *Part. 4. Sectione 422.*

129 Et verò quando eſt clarum periculum horum malorum, emergens ex horrore, quem ſponſus habet adverſùs ſponſam, rectè cenſet Perez *Diſp. 11. Sect. 1. num. 4.* ſponſalium etiam juratorum obligationem hoc ipſo ceſſare: dicemus enim ex communi *Caſ. IX.* deſinere per ſe illam obligationem, quando, ſponſalibus jam contractis, ſupervenit talis mutatio, quæ ſi præviſa fuiſſet, omiſſa forent ſponſalia, atqui nullus, qui prævideret tantum horrorem, periculúmque tantorum malorum, contraheret ſponſalia, ergo eſt judicis Eccleſiaſtici, declarare illam deſitionem obligationis. Unde clarum eſt, ſponſam iniquè (ſuppoſitâ hac ſententiâ) agere, ſi urgeat negationem abſolutionis à cenſura, poterit nihilominus jure exigere compenſationem omnium damnorum emergentium ex hac diſſolutione. Infrà *num. 182.* & expreſſè Tanner. *cit. quæſt. 1. dub. 3. num. 36.* rectè obſervans *n. 38.* ſicut judex non tenetur furioſo repetenti ſuum gladium reſtitui curare, ita nec teneri ferre ſententiam in favorem ſponſæ, exigentis illam in ſuum ſummum damnum.

130 At verò quando non eſt tam manifeſtum, ſed duntaxat probabile periculum gravium malorum, aut mala, quæ timentur, non ſunt ita manifeſtè gravia, cenſet idem P. Perez *loc. cit. Sect. 2. num. 4.* non deſinere per ſe vim ſponſalium, poſſe tamen diſpenſari, non quidem ab Epiſcopo, ſed ſolùm à Papa, ut ſubdit *num. 5.* proinde exprimens proximè *cit. num. 4.* modum illum priorem, qui fit videlicet per declarationem, eſſe eum, quo communiter utuntur Epiſcopi. Cæterùm ſapienter notat P. Tanner. *loc. cit. num. 37.* ſæpe fieri, ut poſtea libenter, & pacatè inter ſe cohabitent, qui aliquanto tempore ejuſmodi cohabitationem declinârunt, & proinde cavere debet judex etiam, ne hîc ſit nimis timidus.

131 *At tenetúrne judex Eccleſiaſticus inſtituere proceſſum judicialem, priuſquam diſſolvat ſponſalia antea legitima?* Negat P. Sanchez *num. 10. abſolutè.* Aſſerit *abſolutè* Baſilius Pontius *Lib. 12. cap. 6.* apud Perez *cit. Sect. 2. num. 3.* aſſentientem Pontio caſu, quo per declarationem; Sanchezio caſu, quo per diſpenſationem dirimuntur ſponſalia.

132 Sed *nunquid judici etiam ſæculari competit jus compellendi ad ſervandam fidem?* Reſp. Competit caſu, quo eſt manifeſta infidelitas alterutrius partis: non, quo debet ea primùm probari, cognitio quippe cauſarum matrimonialium ſpectat privativè ad tribunal Eccleſiaſticum, cumulativè autem inflictio pœnæ, ubi notoria eſt culpa. Vide Sanchez *cit. Diſp. 29. num 9* & Tanner. *num. 39.* & obſerva, ſequentque praxin hujus

Caſûs tam frequentis.

133 D*Ativa virgo dixit Confeſſario: Celebravi quidem ſponſalia cum Diſibodo, ſed is jam palam, & conſtanter renuit me ducere, eò quòd in aliam tranſtulerit, me deſpectâ, omnem amorem; ego autem decrevi urgere meum jus. Quæro, an rectè faciam?*

134 Valde crebrò fuit mihi in ipſo Sacro tribunali propoſita hæc quæſtio. Semper autem reſpondi: Licet quidem tibi id tentare, ſed in tali circumſtantia multùm urgere ad fidem ſervandam non expedit, docet quippe experientia quotidiana, coactiones ſolere difficiles exitus habere. Fac, ut conſtet, non eſſe à te datam ipſi cauſam reſiliendi, utque proinde tibi ſatiſfaciat pro omnibus damnis, quæ adibis propter ejus perfidiam, atque illum dimitte. An verò ſit hîc neceſſarius conſenſus Epiſcopi, dicam *Caſ VI. n. 260.*

Sed juravi, me ipſi, & nulli alteri nupturam. Nihil officit tibi hoc juramentum, quoad *primam* partem, quia juràſti, ut ſic, in ejus gratiam: remittit autem nunc omne jus acquiſitum ex tali juramento. Vide infrà *Caſ. VI. n. 249. & in Alphabeto Quadrupl. Parte 2. Caſ. XVII.* diſtinctè explicata juramenta huic ſimilia. Nihil obeſt etiam quoad *ſecundam* partem, quia illâ clauſulâ: *Nulli alteri*: ſolùm indicâſti, te nulli alteri præ Diſibodo nupturam, ſeu nullum alium prælaturam Diſibodo.

135 *Ille verò juravit, ut mille cacodæmones ipſum vivum diſcerperent, ſi fidem falleret, ego viciſſim, ut omnia Sacramenta ſint in me perdita.* Ita aliquoties replicaverunt nonnullæ. Reſpondi tamen ad *primam* partem replicæ, ſoli ſponſo fœdifrago incumbere onus ſatiſfaciendi Numini pro tam irreligioſa infidelitate, nam *anima, quæ peccaverit, ipſa morietur.* Ezech. 18. v. 4. ergo ut ſic non delinquis, ſi nequeas ſine tuo notabili incommodo impedire tantum ſcelus ſponſi. Ad *alteram* partem replicæ triplicavi ego: Quia per te non ſtat, quò minùs ſtes promiſſis, nulla penes te culpa reſidet, nam etiam in foro Dei culpâ caret, qui ſcit, ſed prohibere non poteſt. *Leg. Culpa. 50. ff. De Reg. Jur.* Fortè autem ſciſcitaberis: *Virùm, ſicuti poteſt judex compellere pœnâ ſpirituali ſponſum ad ſtandum ſponſione, ita etiam poſſit temporali, adeóque pecuniariâ?* Ad hanc quæſtionem reſpondebo *Sect. ſeq. n. 179.*

136 V. Licèt ſponſa teneatur contractis nuptiis, *per ſe loquendo*, ſequi domicilium jam conſtitutum, aut conſtituendum à ſponſo. Infrà *Caſ. XXII.* Si tamen aliter proviſum eſt in pactis dotalibus, aut ſi domicilium illud ſit ſponſæ lethiferum, deſinit illa obligatio, ut declarabo *Caſ. XXII.*

VI. Dubitans, an verè promiſerit Matrimonium, pronuntiabit ſe liberum. Supra *Caſ. II. n.*

Digitized by Google

II. n. 75. Si tamen ſciat, ſe promiſiſſe, at dubitat, an fictè, item ſi ſciat, ſe fuiſſe obligatum promittere, at anceps hæret, an ſatiſfecerit huic obligationi, judicabit, ſe verè promiſiſſe, quia & non datur facilè præſumptio delicti, adeóque nec fraudis *Leg. Meritò. ff. Pro ſoc.* & in dubio præſumitur id factum, quod de jure erat faciendum. Tuſchus *lit. F. concl. 19.*

VII. Tenetur & ille ad Matrimonium, qui contraxit incerta ſponſalia. Dicitur enim is contraxiſſe *incerta* ſponſalia, qui contraxit cum perſona incerta, indeterminatáque, ut cùm Cajus dicit Titio: *Promitto, me accepturum in uxorem unam è tribus tuis filiabus*, quibus verbis, tametſi duntaxat impropriè, & imperfectè celebrentur ſponſalia, cùm deſit repromiſſio ex parte ſponſæ, aut ſponſarum, tamen, ſi Cajus eſt ita abſolutè, & ſincerè locutus, tenetur unam ex illis accipere, at illam ſolam, quæ inveniet gratiam in oculis ejus, non autem, quam obtruſerit Titius. Vide Bonacinam *punct. 3.*

137 Hactenus diſſeruimus de ſponſalibus abſolutè, ſeu ſine conditione conſideratis, jam agendum de conditionatis: at priùs reſpondendum ad tres quæſtiones propoſitas in fine noſtri Caſûs *Involuti, Evoluti num 19.* ac dicendum cum P. Leſſio. Ad *primam*, Diodorum fuiſſe omnino obligatum accipere Dafroſam, ad id enim illum adigebant verba clariſſima, abſoluta, & juramento firmata. Hanc autem obligandi vim non minuit conditio, quam poſteà poſuit coram parentibus Dafroſæ, ſicut enim perfecta donatio conditionem poſtea non capit. *Text. expr. in L. Perfecta C. De don. quæ ſub modo.* ita nec promiſſio oneroſa. Ad *alteram* reſpondetur, Dafroſam non potuiſſe obligari ad exſpectandum illud triennium. Patet ex dictis infrà *num. 123.* Nec obſtat, quòd Diodorus obligâſſet alicui opifici ſuam operam ad triennium, etenim ſe obſtrinxit primùm poſt ſponſalia, ut teſtatur Leſſius, non potuit verò ſe obſtringere cum injuria ſuæ ſponſæ. *At quid ſi illam operam addixiſſet ante ſponſalia, & celâſ-*
138 *ſet ſponſam?* Reſp. 1. Potuiſſet Dafroſa dicere Diodoro: *Habe tibi res tuas, quæram alium maritum, quia me turpiter decepiſti.* Reſp. 2. Videtur mihi, in illa promiſſione præſtandi triennalem operam incluſam fuiſſe conditionem: *Si non mutavero ſtatum*, etenim ingreſſus in Religionem, & tranſitus ad nuptias continent mutationem tam notabilem, efficiúntque, ut res non cenſeantur *moraliter* eſſe in eodem ſtatu, in quo erant tempore promiſſionis, & proinde videantur ſemper excipi, niſi quando exprimuntur disertè, patebit infrà *Caſ. IX. n. 293.* ſed obligatus fortè fuiſſet Diodorus præſtare damna, ſi quæ emerſiſſent ex non ſervata promiſſione. Infrà *n. 308.*

139 Ad *tertiam* quæſtionem dico cum P. Leſſio, potuiſſe impediri aliud Matrimonium ſi Epiſcopus vetuiſſet Diodoro ſub anathemate inire alias nuptias, vetuiſſétque ſuis Diœceſanis Parochis, ne quis illum copularet cum altera, & negâſſet omnem diſpenſationem in denuntiationibus.

Sed ecce! jam deſcriptis ab Amanuenſi o- 140
mnibus, quæ legiſti Lector, & pleriſque omnibus, quæ ſequentur, accipio literas à quodam D. Prælato Religioſo perantiqui Monaſterii, quæ inter cætera continent hanc

Quæſtionem Improviſam.

OBſecro, R. V. elucidet in ſuo Alphabeto Matrimoniali hanc quæſtionem, an frater, & ſoror compelli poſſint ad teſtandum contra fratrem, ad aperienda tantùm quædam indicia factæ promiſſionis matrimonialis, quando cauſa eſt tantùm ex accidente occulta, & aliàs promiſſio ſatis probatur præſumptionibus juris? Libenter legam Væ. Ræ. judicium.

Quò ſatiſfaciam huic tam honeſtæ petitio- 141
ni, tametſi de materia ſatis aliena à foro Theologico, reſpondeo, videri mihi, ſalvo meliori cujuſque Juriſperiti judicio, aliter forſan arbitraturi, probabilius, non poſſe fratrem, aut ſororem, ſaltem in illis circumſtantiis compelli ad ejuſmodi teſtimonium. Rationem peto ex duplici principio, *generali* ſcilicet, ac *ſpeciali*: *generali*, quia eorum teſtimonium ſupponitur non eſſe neceſſarium ad ſufficienter probandam ſponſionem, *ſpeciali*, quia ſunt frater, & ſoror.

Generale principium deſumo ex *Cap. 2. &* 142
5. De Teſt. cogend. in quorum priore jubentur Clerici ferre teſtimonium in cauſa inter ſuum Epiſcopum, & Abbatem Sublacenſem, idque ob hanc unicam cauſam: *Cùm ſit teſtimonium veſtrum neceſſarium.* Ergo quando non eſt neceſſarium teſtimonium, non ſunt teſtes cogendi, quia, ceſſante cauſâ, præſertim adæquatâ, ceſſat effectus. *Cap. Cùm ceſſante. De appellat.* At in poſteriore ex his duobus Capitulis reſpondetur: ut *illi* (laici) *qui de rebus Eccleſiaſticis teſtificari recuſant, ſi aliter veritas nequeat elici, ad id cenſuris Eccleſiaſticis compellantur.* Ergo per argumentum à ſenſu contrario, (quod *Gloſſ. in Cap. Cùm Apoſtolica. De his, quæ à Prælat. fiunt ſine conſ. Cap.* meritò vocat *fortiſſimũ*, utpote valde clarè approbatum in ipſomet Jure Canonico *cit. Cap. Cùm Apoſtolica, & Cap. Cùm virum. De Regul.*) quando veritas poteſt aliter, quàm per Teſtes ſatis elici, non ſunt hi cogendi, ſupponitur autem in ſpecie facti, jam eſſe ſufficienter aliunde elicita veritas promiſſionis. Unde rectiſſimè docent Hoſtienſ. Joann. Andreas, Bellamera, eóſque laudans, nec diſſentiens Farinacius *in Pract. crim. q. 78. n. 125.* Teſtes nequaquam eſſe, in foro ſaltem Eccleſiaſtico, ad quod utique ſpectat cauſa ſponſalium, cogendos,

Digitized by Google

dos, quando ſufficienter probata eſt intentio actoris, aut Rei; poteſtque hæc doctrina confirmari tam textu *Reg. 31. in 6.* decernentis, eum, qui certus eſt, ulteriùs certiorari non debere, quàm hac ratione, quòd nemini debeamus facilè parere incommodum, facilè autem paritur adigendo ad teſtificandum in alterius condemnationem. Nec obeſt, quòd Teſtes illi non poſtulentur *directè* ad probandam promiſſionem, ſed ſolùm ad indicia factæ promiſſionis, nam ſicuti lex non obligat ad actionem inutilem. *Capit. Erit autem diſt. 4.* ita neque judex obligare poteſt, aut debet ad inutilem actionem, ſicuti eſt inutilis probatio indiciorum, quando per præſumptiones (quæ ſunt liquida probatio donec de contrario appareat. Maſcard. *De prob. concl. 1221 num. 63.*) ſatis probatur facta promiſſio. Roboratur totum hoc generale argumentum ſpeciali.

143 Speciale autem eſt, quod ſuggerit Julius Clarus *in pract. crimin. §. fin. quæſt. 24. num. 22.* his verbis: *Debet judex, quantum fieri poteſt, abſtinere ab examinandis Teſtibus, qui de jure contra reum non poſſunt compelli*: atqui clarum eſt ex dictis, poſſe judicem in hac cauſa abſtinere ab examinandis fratre, ſororéque. Ac præterea probatur, non poſſe eos jure compelli ad teſtificandum, partim quia non ſunt neceſſarii, partim quia frater, & ſoror; ſororem enim, fratrémque non poſſe jure cogi ad deponendum contra fratrem, probatur inde, quòd, ſpectato jure antiquo, ne quidem admitti poſſint ad teſtandū pro fratre, ſiquidem non ſolùm Papa Anacletus *C. Accuſatores. I. 3. q. 5.* ex jure naturæ pronuntiat: *Inoffenſus Teſtium affectus quærendus eſt, & non ſuſpectus*, ſed inſuper Calixtus ſeu Calliſtus Papa *Cap. Accuſatores. III. eod.* expreſſè ſancit: *Conſanguinei adverſùs extraneum teſtimonium non dicant, quia propinquitatis affectio veritatem impedire ſolet.* Si non ſunt admittendi adverſùs fratrem, etenim propinquitatis affectio æquè impediet veritatem, ut ſcilicet deponant pro fratre, quando deberent contra illum.

144 Nec obeſt, quòd *Cap. 1. 35. q. 6. Super eo. De Teſtib. & atteſt. Cap. Videtur. Qui Matrim. accuſ. poſſ.* admittantur in cauſa matrimoniali ipſimet parentes. Nam primus, & tertius ex his tribus Canonibus loquitur ſolùm de teſtimonio parentum, quando agitur de cognatione, ut patet ex litera, & obſervat Pariſius *conſ. 38. n. 23. lib. 3.* quia ſcilicet præſumitur, illos meliùs nôſſe cognationem ſuam, quàm alii, ergo non ſunt extendendi extra illam materiam, poſteriora enim jura non derogant prioribus, niſi in caſibus expreſſis *Leg. Præcipimus. in fin. Cod. De appel. Capitulum. Super eo.* non plus dicit, quàm quòd parentes *poſſint recipi*, non autem, quòd poſſint cogi, ergo nec nos dicere debemus *Cap. Legatur. 21. quæſt. 2.* Et quia correctio jurium vitanda, quatenus fieri poteſt. *Cap. Cùm expediat. De elect. in 6.* corrigerentur autem Canones Sanctorum Pontificum Anacleti, & Calixti, ſaltem ſi extra neceſſitatem produceretur frater contra fratrem, & tunc vel maximè, ſi timerentur inde gravia diſſidia. Quòd ſi ille frater, ac ſoror habitarent cum illo fratre, excluderentur tanquam domeſtici *per Leg. Etiam. De Teſt.* & *per Cap. Conſanguinei. 3. q. 5.* Hæc breviter circa illam quæſtionem, cujus reſolutionem fundo præcipuè in *primo* principio. *Secundo* non ita innitendum reor, quia videtur repugnare ei praxis tribunalium communior, quam abſit ut damnem, tametſi non ignorem, ſtare pro me ſtylum Reverendiſſ. Curiæ Ratiſbonenſis, & Gabrielium, quem refero *in Quinario Tract. 5. cap. 42. n. 72.* ubi ex inſtituto diſſero de teſtimonio fratris contra fratrem. Equidem Laymannus poſt hæc jam emiſſa in lucem editus *Tom. 2. in Jus Canonicum Cap. Super eo. num. 3. De teſtib. abſolutè* negat, poſſe compelli fratrem, ut invitus teſtetur contra fratrem, exceptis caſibus quibuſdam nihil huc facientibus.

SECTIO II.

De Sponſalibus Conditionatis.

SUMMARIUM.

Quæ ſponſalia ſint conditionata? 145.
An, & quas conditiones liceat apponere ſponſalibus? 146 *& ſeqq.*
Quæ conditiones adjectæ habeantur pro non adjectis? 149.
Apud Germanos ceſſat, practicè loquendo, quæſtio de vi conditionum impoſſibilium. 155.
An judex licitè compellet ſtare promiſſis illum, qui adjecit ſeriò turpem conditionem? 159.
An, & quatenus obligent ſponſalia inita ſub conditione: Si Papa diſpenſârit? 160. *& ſeqq. enucleatè.*
Declaratur Caſu multa complectente. 165.
Et alio infami, ac notorio. 166. *In App. hujus numeri.*
Cur oporteat Dataria Romanâ pendere magnam taxam pro diſpenſatione? 164.
Quatenus obliget promiſſio ſub conditione: Si parens conſenſerit? 167.
Quatenus illa: Si Deo placuerit? 169.
An, & quatenus illa, quæ fit ſub conditione pœnali? 170. *& ſeqq.*
Et quæ ſub conditione perdendi arrhas? 175.
An judex poſſit ad inſtantiam partis læſæ minari parti refractariæ disjunctivè excommunicationem, vel mulctam pecuniariam? 178.
An pars læſa licitè petat compenſationem lucri, quod habuiſſet ex alio Matrimonio, ſi non ſperâſſet, ſponſum fore conſtantem? 181.
Quid ſi adſit damnum poſitivum? 182.
Caſus, quo declaratur, utrùm, quando ſponſa ait coram judice, ſe promiſiſſe quidem Matrimo-

nium, at ſub conditione hac aut illa, quæ non ſit purificata, teneatur ipſa probare, ſe adjeciſſe? An ſponſus, ipſam non adjeciſſe? 183.

145 SPonſalia quandoque contrahuntur *abſolutè*, id eſt, ſine appoſitione ullius conditionis expreſſæ, ſubintelligendo tamen omnes, quæ de jure, vel conſuetudine ineſſe debent, quandoque autem *conditionatè*, id eſt, exprimendo conditionem, quæ non ſubintelligitur in verbis *abſolutè* ſumptis. Nomine autem *conditionis* intelligitur hîc propriè dicta conditio, id eſt accidens, qualitas, circumſtantia &c. quibus contractus, ſeu diſpoſitio ſuſpenditur, donec aliud in futurum eveniat. P. Ferdinand. Rebellus *De oblig. juſtit. Lib. 2. Part. 2. quæſt. 10. Sect. 4.* nóſque pluribus infrà *num. 449.* ideóque diſtinguitur à *modo* propriè dicto, modus enim eſt limitatio appoſita in futurum, quæ quidem aggravat alterum contrahentem, beneficiúmve recipientem, non tamen ſuſpendit diſpoſitionem. Rebellus *ibidem.* obſervans, hæc duo vocabula ſæpe pro eodem ſumi, licèt propriè, & ſtrictè diſtinguantur, quod pluribus elucidant P. Tannerus *Tom. 4. diſp. 8. quæſt. 3. dub. 4.* P. Laymannus *Lib. 5. Part. 2. cap. 7.* atque perappoſito exemplo, ſeu caſu particulari, qui refertur & deciditur in *Cap. Cùm Joannes.* De fide inſtrumentor. declarat inter alios noſter Henr. Wangnereck in ſuo commentario Exegetico in illud ipſum Capitulum, & alii, ſicut & nos diſtinguimus hîc, ſuppoſitáque hac diſtinctione.

146 Quæritur I. *An, & quas conditiones liceat apponere Sponſalibus?*

Reſp. Generatim loquendo, fas eſt, addere ſponſalibus quaſvis conditiones poſſibiles, non repugnantes bonis moribus: nefas, impoſſibiles, aut repugnantes bonis moribus. *Prima* pars inde liquet, quòd quiſque rei ſuæ modum ponere valeat. *Leg. In tranſactionibus. ff. De pact.* atque adeò etiam contractui, quem liberè init. *Secunda* pars inde patet, quia apponens conditionem impoſſibilem, ut quando juvenis dicit juvenculæ. *Ducam te, ſi cras creveris uno palmo*, vel ſeriò loquitur, & tunc ineptit; vel joco, & tunc non contrahit, nec *abſolutè*, nec *conditionatè*, loquimur autem de volente contrahere. *Tertia* pars clara eſt inde, quia non licet intendere peccatum.

147 Porrò conditiones, repugnantes bonis moribus, confundo cum turpibus, de quibus eſt ſermo *Cap. fin. De pact. & Cap. fin De condit. appoſ.* quæ quidem conditiones ſunt vel de præterito, vel de præſenti, vel de futuro. De præterito, ut ſi dicas puellæ, quam nôſti, nunquam fuiſſe junctam conjugio: *Te ducam, ſi fuiſti aliquando Lutherana.* De præſenti, ut ſi dicas:

148 *Te ducam, ſi es adhuc Lutherana.* De futuro, ut ſi dicas *Te ducam, ſi permanſeris in Lutheraniſmo.* Conditiones turpes de præſenti, aut præterito vix quidem poſſunt ſine aliquo peccato apponi, ut per ſe patet, poſſunt tamen ſine mortali, etſi ſint de mortali, quia poſſunt exigi ob cauſam ſolùm venialiter malam, at graviter turpes de futuro nequeunt ſine gravi peccato apponi ſeriò, quia ejuſmodi appoſitio eſt inductio ad grave peccatum. Nobis erit deinceps ſermo de conditionibus impoſſibilibus, & turpibus de futuro, utpote frequentioribus, de quibus, uti de reliquis, fuſiſſimè diſſerunt Patres Sanchez *toto Lib. 5.* Perez *totâ Diſp. 16.* Dicaſtillo *totâ Diſp. 5.* ille per multas ſectiones, hic per multas dubitationes, attamen ferè ſolùm in ordine ad Matrimonium de præſenti, non autem in ordine ad Matrimonium de futuro. Nos *Caſ. XII.* tractabimus de iis, quatenus apponuntur Matrimonio de præſenti, nunc quatenus Matrimonio de futuro, ſeu propriè dictis ſponſalibus, priùs tamen præmittentes, licèt paria ſint, mentem ſuam declarare facto, & verbis *Leg. Paulus reſpondet. & Leg. De quibus. ff De Leg.* tamen quando eſt lis, aut ſermo de iis, quæ per modum conditionis requiruntur, non ſunt paria declarare facto, & verbis. De Seraphinis *De privilegiis Juramenti privil. 33. num. 135.* Vide Caſum, quem etiam hanc in rem affero ex Diana *num. 165.* Jam

Quæritur II. *An conditiones impoſſibiles, aut turpes de futuro adjectæ ſponſalibus habeantur pro non adjectis? Id eſt, an in dubio, utrùm ſint ſeriò adjectæ, an joco, præſumendum ſit, eſſe adjectas joco, & proinde nihil obeſſe valori ſponſalium, etſi non purificentur, ſed ſponſalia perinde valeant, ac ſi non fuiſſent expreſſæ?* 149

Reſp. Eſt ob auctoritatem probabiliſſimum, habendas eſſe in dubio pro non adjectis, at, ſpectatâ ſolâ ratione, oppoſitum eſt probabilius. *Prima* pars inde patet, quòd ita ſentiant plerique omnes Theologi, & Canoniſtæ pertractantes hanc materiam, utrorúmque indicem texit Sanchez *loc. cit. Diſp. 17.* quos ipſe ſequitur, ſicut & Dicaſtillo *cit. Diſp. 5. dub. 18.* Eſcobar *in Theologia Morali Lib. 25. dub. 206. num. 815.* ſcribens: *Ab hac receptiſſima ſententia recedere, piaculum ducerem.* Receſſe- 150
runt tamen ab ea apertè, nec ſine ratione Rebellus *cit. quæſt. 10.* Caſtro Palaus *De ſponſalibus Diſp. 1. punct. 16. num. 4.* atque apud ipſum Baſil. Pontius. Ratio fundamentalis eſt, quia fundamentum unicum ſententiæ communis eſt nimis infirmum: nititur enim hoc ſolo enthymemate: In *Cap. fin. De condit. appoſ.* expreſſè decernitur, conditiones impoſſibiles, & turpes (non repugnantes ſubſtantiæ Matrimonii, de quibus *Caſ. XII.*) adjectas Matrimonio habendas eſſe pro non adjectis, ergo idipſum quoque decernitur de adjectis contractui ſponſalitio, quandoquidem hic contractus eſt via ad matrimonialem. Verùm de- 151
monſtratur, hanc conſequentiam non ſubſiſtere. 1. Quia lex correctiva communis conſuetudinis, reſtrictiváque juris naturalis, non eſt ultra proprietatem verborum extenden-

Digitized by Google

tendenda ad materiam eſſentialiſſimè diverſam, cum imminutione libertatis Matrimonii, toties à Sacris Canonibus propugnatæ. Ille autem Canon finalis corrigit communem conſuetudinem, tum quia, quando contractui adjicimus conditionem impoſſibilem, volumus indicare, nos nullo modo velle contrahere, ut etiam conſtat ex *Leg. Non ſolùm. ff. De obligationibus & actionibus*: tum quia, quando homines adjiciunt conditionem turpem ipſis ſponſalibus, ſolent ſeriò apponere, ac velle, ut ſuus conſenſus dependeat ab eventu talis conditionis: tum quia, ſpectato jure naturali, debet quis in dubio haberi potiùs pro libero, quàm pro obligato: tum denique, quia argumentatio à Matrimonio ad ſponſalia non eſt firma. Suprà *n. 74*.

152 Porrò quòd ſponſalia differant eſſentialiſſimè à Matrimonio, quódque ejuſmodi extenſio repugnet libertati Matrimonii, eſt per ſe manifeſtum.

153 2. Infirmitas ejuſdem conſequentiæ inde probatur, quòd DD. & jura ſtatuant de Matrimonio plurima, quæ nequaquam exporriguntur ad ſponſalia, ut patet conſideranti Leges de Matrimonii indiſſolubilitate, clandeſtinitate, ætate, tempore, ſanctitate, officiis conjugum.

Adde quòd *Caſ. II. n. 74*, retulerimus ex Perez, eſſe communem ſententiam DD. in dubio, utrùm fuerit datus conſenſus in ſponſalia, debere in utroque foro præſumi pro libertate, cùm tamen debeat contra libertatem præſumi in dubio, an fuerit præbitus conſenſus in Matrimonium. Item tranſactio ſuper Matrimonio eſt vetita, non autem ſuper ſponſalibus. Infrà 271. Et metus irritat Matrimonium jure Canonico, non item ſponſalia. Tannerus relatus ſuprà *n. 27*. Vide alia ſuprà *n. 74. & 75*.

154 3. Debet in dubio præſumi, id eſſe factum, quod plerumque fieri ſolet, atqui ſaltem hac ætate, & in Germania noſtra ſingulariter plerumque fieri ſolet, ut adjectio conditionis impoſſibilis indicet diſſenſum in ſponſalia, ut cùm Cajus dicit Cajæ inopi puellæ. *Certò te accipiam in uxorem, ſi mihi pro dote attuleris Regnum Hiſpaniæ*. Vice verſâ, quando tam multi, prô dolor! dicunt: *Ducam te, ſi feceris mihi copiam tui corporis, ſi à Religione Papiſtica defeceris. Si permiſeris partem naſciturorum liberorum educari Calviniſticè &c.* indicare conſueverunt, ſe illas quidem ducturos, ſed non niſi impletâ illâ utraque priore turpi conditione, vel factâ implendi promiſſione. Idem eſto judicium de aliis multis.

155 Ex qua poſtrema ratione petita ex more, uſúque noſtratium deduco, ferè fruſtra (abſtrahendo à conſuetudine hujus, aut illius tribunalis) quæri, utrùm apud Germanos locum habeat controverſia de validitate, aut invaliditate conditionum impoſſibilium, atque turpium; omnes enim fatentur, adjectione conditionis impoſſibilis impediri vim ſponſalium, ſi appoſita fuit aut ſeriò, aut ut oſtenderetur animus alienus à ſponſalibus; ſicuti & impediri adjectione conditionis turpis, quando ſeriò fuit adjecta, & tamen non purificata, hancque doctrinam eſſe veram, etiam in foro *externo*, ſufficienter probatur, utriuſque illius, ac tertiæ conditionis adjectione factâ eâ intentione, qua diximus. Quod enim *Cap. Nuper. De big.* dicitur: *In Matrimoniis contrahendis non juris effectus, ſed animi deſtinatio attenditur*, idipſum de ipſis ſponſalibus pronuntiari debet. Unde Duarenus, quem refert non diſſentiens Chriſtoph. Haunoldus *De Juſtitia Tom. 2 Tr. 6. n. 355.* rectè obſervat, quæſtionem, an conditio impoſſibilis habenda ſit pro non adjecta, eſſe magis facti, quàm juris.

Dices: *At judex dubitat de intentione, ſeu animo?* Reſp. Debet reſolvere in Germania, excuteréque tale dubium applicando *practicè* Regulam *114. ff. De Reg. jur.* indicatam ſuprà, & ab utroque jure traditam, ab Ewerhardo *in loc. comm. loc. 102.* probatam, extenſámque etiam ad Caſum, quo præſumendum eſt delictum: *In obſcuris inſpici ſolet, quod plerumque fieri ſolet*. atqui ſolet in Germania noſtra plerumque, ſi non omnino ſemper, fieri, ut illæ appoſitiones conditionum fiant animo, quem dixi, itáque intelligantur ab utraque parte. 156

Quare infero, licèt communis opinio ferat, judicem teneri ferre ſententiam ex norma doctrinæ à pleriſque traditæ, attamen non teneri judicem, imò nec poſſe dare in hac particulari materia locum communi illi opinioni, fallit enim ea opinio cùm in multis caſibus, quos enumero *in Clypeo Clement. Judic. Part. 1; Sect. 13*, tum in eo, quo doctrina tradita à pleriſque nititur ſuppoſitione, non ſubſiſtente in aliquo certo loco. Etenim opinioni veritas eſt præferenda. *Text. c. Nuper. De bigam.* Doctrina autem illa communis, quam retuli ſuprà, nititur ſuppoſitione, quòd ab utraque parte ſciatur, eſſe jure ſtatutum, ut conditiones impoſſibiles, & turpes adjectæ ſponſalibus habeantur pro non adjectis; etenim ipſemet Sanchez *cit. Lib. 5. diſp. 3. n. 12.* cum aliis fatetur, ſi alteruter ignorans illud Statutum *Capituli fin. De condit. appoſ.* contrahat ſub conditione impoſſibili, (aut turpi) eam non habendam eſſe pro non adjecta. Atqui in Germania noſtra reperire non eſt, ſaltem inter indoctos, ullum fortè Matrimonium, ulla ſponſalia, quæ ſint ſub conditione impoſſibili, aut turpi facta, utroque contrahentium gnaro prædicti Capituli finalis, & non cum ſeria appoſitione turpis, ſingulariter loquendo de turpi. 157 158

At, *nónne judex Eccleſiaſticus rectè faceret, ſi in pœnam criminis admiſſi in adjectione turpis conditionis compelleret illum, qui adjecit, ſtare promiſſione, eſto conditio non ſit purificata, ſicut utique non debet purificari?* 159

Digitized by Google

Reſp. Hoc dubium non diſcuti ad auctoribus. Non dubito quidem, quin poſſit condi lex injungens talem pœnam, eo ſaltem caſu, quo non ſubeſt talis cauſa reſiliendi à ſponſalibus, qualis requireretur, ſi promiſiſſet *abſolutè* Matrimonium, & non ſub conditione turpi: donec tamen ſanciatur talis lex, eive ſimilis, aut legitima conſuetudo introducatur, ſicuti non viget in Reverendiſſimis Curiis Conſtantienſi, & Auguſtana, non cenſeo poſſe infligi hanc pœnam, nec enim habent Epiſcopi jus plectendi arbitrariâ pœnâ talia delicta, cùm præſertim præſens pœna minuat libertatem Matrimonii.

160 Quæritur III. *An, & ad quid obligent ſponſalia inita ſub conditione: Si Papa diſpenſaverit?* Hanc quæſtionem optimè, & diſtinctiſſimè tractat P. Sanchez *cit Lib. 5. diſp. 5.* Supponitur autem ex communi apud eundem *n. 16.* contra nonnullos, nullum, *per ſe loquendo*, admitti peccatum, ſi laborantes aliquo Impedimento, diſpenſabili per Papam, promittant ſibi Matrimonium appoſitâ expreſſè illâ conditione; etenim appoſitio illius non continet per ſe ullam turpitudinem, imò debet vel exprimi, vel certè ſubintelligi ab omnibus, qui obnoxii tali Impedimento faciunt ſeriò ſponſionem Matrimonialem. Hoc ſuppoſito

161 Reſp. Ad quæſtionem 1. Quando ſubeſt Impedimentum, in quo Papa non niſi graviſſima de cauſa diſpenſat, ut eſt Impedimentum Ordinis Sacri, aut Affinitatis in primo gradu, promiſſio *ſub conditione diſpenſationis* nihil virium habet. Sanchez *loc. cit. num. 2.* ex communi omnium, quia tunc conditio diſpenſationis habetur pro impoſſibili. Idem dic, quando Papa facilè diſpenſat quidem, ſed ex cauſa aliqua, cujus veritas non reperitur in ita contrahentibus. Idem *n. 3.*

162 II. Quando verò ſubeſt Impedimentum facilè diſpenſabile, valent ſponſalia poſt eam impetratam, ita ut una pars non poſſit reſilire, renitente alterâ. Sanchez *loc. cit. num. 12.* cum plurimis contra etiam multos Canoniſtas, & Theologos, ita tenaces ſuæ ſententiæ, ut dicant, licèt talis promiſſio ſit firmata juramento, licèt quoque fœmina ſit imprægnata ſub promiſſione illa conditionali, attamen ſtupratorem non teneri eam ducere, ſecutâ diſpenſatione, ſed exiſtimo, hanc doctrinam repugnare praxi tribunalium hujus temporis, certè repugnat ſenſui Theologorum Recentiorum communi, apud, & cum P. Coninck *Diſp. 29. numero 35.* Laymann. *Part. 2. cap. 7.* Bonac. *Quæſt. 1. p. 7.* Perez *Diſp. 16. Sect. 4.* Dicaſtillo *Diſp. 1. n. 574.* Palao *Diſp. 1. p. 16. n. 10.* generatim teſtante ex Seraphino, Rotam Romanam ſæpius ſuo calculo firmâſſe ſententiam, generatim tenentem, quando eſt impetrata diſpenſatio, obligari alteram partem ſtare ſponſione, ſi altera

163 velit. Et ratio eſt, quia, cùm appoſitio illius conditionis in circumſtantia, quam ponimus, ſit nullo modo turpis, ſed honeſta, non apparet, quin, ſicuti ſponſalia ſub aliis honeſtis conditionibus contracta valent, purificatâ conditione, valeant etiam iſta poſt impetratam diſpenſationem. Utrùm verò oporteat tunc novum conſenſum elicere, an ſufficiat, præceſſiſſe conditionatum, diſſentiunt inter ſe etiam hîc citati autores. Vide fusè Dicaſtillo *Diſp. 5. dubit. 7.*

III. Hinc rectè tenent citati pro priore reſponſione contra permultos, illum, qui ſub prædicta conditione Papalis diſpenſationis fecit fidem Matrimonii, teneri vel petere, vel certè expectare diſpenſationem petendam ab altero, ſi ſubſit juſta cauſa. Dico *vel petere, vel expectare*, nam Sanchez *cit. Diſp. 5. num. 36.* Layman. *loc. cit. num. 4.* atque alii, repugnantibus Navarro, Coninck *cit. Cap. d. 29. n. 35.* Palao *loc. cit. num. 12.* exiſtimant, ſponſum in tali caſu *tacitè* ſe obligare ad petendam diſpenſationem, quod ego puto verum, ſaltem, ſi ſponſa velit facere dimidiam partem ſumptuum, ſi, ut dixi, ſubſit juſta diſpenſandi cauſa. Hinc Anno 1665. cùm Titius dixiſſet Titiæ: *Te ducam, ſi non ſubſit Impedimentum.* & addidiſſet: *Si ſubſit, petam ipſe diſpenſationem.* ac poſtmodum fuiſſet repertum Impedimentum quarti gradûs Conſanguinitatis, at, re diligenter expenſâ, non fuiſſet inventa juſta diſpenſandi cauſa, Curia Conſtantienſis abſolvit Titium ab omni impetitione Titiæ, fecitque poteſtatem Titio ducendi aliam, & quidem ſine ulla compenſatione expenſarum, aut mulcta, quia ſcilicet omnis pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt. S. Auguſtin. *Lib. 2. retractat. c. 9.* ex meditullio utriuſque Juris. Porrò Impedimentis diſpenſabilibus accenſent P. Sanchez *cit. Diſp. 5. n. 15.* & P. Perez *cit. Diſp. 16. Sect. 4.* etiam Impedimentum Conſanguinitatis in ſecundo gradu; licèt enim aliquantulum difficulter diſpenſetur, attamen eſt perfrequens hæc diſpenſatio. Ego autem compertum habens, quàm notabilem mulctam debeant Nobiles, & Barones pendere Romanæ Datariæ pro ejuſmodi gratia, & ideo tam notabilem, quòd Sacra Synodus Tridentina *Seſſ. 24. De reform. Matrim. Cap. 5.* ſtatuat, ut in tali gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter *magnos Principes, & ob publicam cauſam*, nolim hoc Impedimentum locare inter facilè diſpenſabilia, niſi fortè, quando Conſanguinitas orta eſt ex fornicatione, tunc enim, præſertim ſi hæc ſit occulta, diſpenſatur. P. Coninck *Diſp. 33. n. 44.* 164

APPENDIX CORRECTORIA.

VErùm his omnibus ſcriptis, incidi in Deciſionem Rotæ Romanæ, quæ eſt *ſecunda* inter deſcriptas à Diana *Part. 6. in fin.* qua nonmodò negatur, valuiſſe, etiam poſt obtentam diſpenſationem, ſponſalia, quæ juncti ſecundo gradu inierant Franciſcus, & Barbara, ſed

etiam

Digitized by Google

etiam referuntur & plurimi DD. pro ea Deciſione, & inſuper quinque aliæ Deciſiones ejuſdem Rotæ, loquentes generatim de invaliditate ſponſalium contractorum ſub conditione diſpenſationis. Propter quas Deciſiones cenſerem, non eſſe facilè quemquam metu ullius pœnæ compellendum ad ducendam quocunque Impedimento irretitam, licèt expreſſè fuerit promiſſioni adjuncta conditio: *Si Papa diſpenſârit.* Certè concluditur in allegata Deciſione, memoratum Franciſcum non eſſe cogendum ad contrahendum cum Barbara.

165 Idem Diana *Part. 11. Tract. 2. Reſ. 70* doctrinam de nullitate promiſſionis factæ ſub conditione diſpenſationis Pontificiæ, & poſt hanc obtentam non ratificatæ per novum conſenſum confirmat reſolvendo hunc

Caſum varia continentem.

a *Diodorus promiſit Domitillæ junctæ ſibi ſecundo Conſanguinitatis gradu Matrimonium ſine expreſſa, ſed ſolùm ſubintellecta conditione Pontificiæ diſpenſationis, quam quidem ipſe poſtea petiit, atque impetravit. Verùm inprimis poſt eam obtentam nec ipſe, nec Domitilla elicuerunt ullum novum conſenſum in Matrimonium de futuro. Deinde Domitilla non tantùm nullum novum conſenſū dedit, ſed inſuper orta ſunt inter ipſam, & Diodorum odia, ſimultatéſque. Ad hæc idem Diodorus (priuſquam adeſſet diſpenſatio) celebravit ſponſalia cum alia. Poſtremò hanc aliam etiam imprægnavit. Quæſitum fuit ex Diana, referente in diſcuſſione hujus dubii haſce quatuor circumſtantias, utrùm poſteriora hæc ſponſalia ſervanda eſſent, an priora?*

b Reſpondet autem, non obſtantibus prioribus, poſteriora eſſe ad inſtantiam imprægnatæ ſervanda. 1. Ideo, quòd in prioribus non fuerit expreſſa conditio de diſpenſatione Papali, ſed ſolùm ſubintellecta, debuiſſe enim exprimi, declaravit Rota Romana apud eundem Dianam, probantem neceſſitatem exprimendæ conditionis ex Lege. *Conditiones extrinſecus. De condit. & demonſtrat.* Confirmatur hæc doctrina ex Seraphino relato ſuprà *numero 148.* 2. Ideo, quòd, licèt expreſſiſſet uterque conditionem, nihilominus Papalis diſpenſatio eſſet fruſtra idcirco, quòd poſt eam non intervenerit novus conſenſus, qui tamen neceſſariò debuerit intervenire: tum quia ſponſalia illa non potuerunt iniri ſub conditione *Leg. Inter ſtipulationem 82. §. Sacram. ff. De verb. ſignificat.* ubi ſtatuitur, ſi res à commercio eximatur, non poſſe ſuper ea contrahi obligationem, & contractam extingui, nec reviviſcere, ceſſante impedimento. *Leg. Continuum. 137. §. Cùm quis, eod.* tum quia ex facto à Lege improbato oriri nequit obligatio. *Leg. Cùm lex. ff. De fide juſſ.* ac proinde Papæ diſpenſantis in tali Caſu intentio ſit, dare facultatem contrahendi, non autem confirmandi, quod illicitè geſtum eſt.

c Et verò conſenſum debere in talibus eventis neceſſariò renovari, tradunt plurimi, qui referuntur in Deciſione Rotæ, cujus feci ex Diana paulò antè mentionem, & quibus alios tum Canoniſtas, tum Theologos accenſet Riccius *in Praxi aurea. Tom. 1. Reſ. 228.* applicans hanc doctrinam vero Caſui ſponſalium contractorum ſub expreſſa conditione diſpenſationis Papalis, teſtánſque, ita practicari, deciſúmque à Rota non ſemel quod ego facilè credo, at non video, quo pacto prudenter fidem habeam Dianæ *cit. Reſol. 70.* affirmanti Rotam Romanam id *perpetuò* docuiſſe. Certè DD. relati ſuprà *num. 162.* contradicunt huic tam illimitatæ aſſeverationi. Et verò compertum habeo, *fuiſſe Romæ in prima, ſecunda, tertia inſtantia pronuntiatum pro actrice quadam Stelveta contra reum, de quo non poterat probari, quòd novum conſenſum præſtitiſſet poſt diſpenſationem, imò, quod plus eſt, non poterat probari, fuiſſe expreſſam conditionem diſpenſationis Papalis, & tamen duo Pontifices damnârunt ſponſum ad ducendam ſponſam.* d Addit 3. Diana, dato, & non conceſſo, priora ſponſalia fuiſſe valida, nec novum conſenſum fuiſſe neceſſarium, tamen obſervanda eſſe ſecunda, juncta cum copula; eò quòd, quando duo contrahunt, unus de lucro acquirendo, alter de damno vitando, huic potiùs favendum ſit, quàm primo, atqui ſecundus id agit, ut damnum evitet, primus, ut lucretur, interim aut nullum, aut exiguum damnum timens. Refert autem Diana pro hoc judicio multos Doctores. Denique conclúdit idem Diana: eſto priora ſponſalia fuerint firma, tamen ſuperveniſſe juſtam cauſam ab iis reſiliendi, ſcilicet propter ſimultates, & odia inter ſponſum, & ſponſam, quæ quidem præbere juſtam cauſam reſiliendi à ſponſalibus, tradunt (eo referente) Hurtadus, Perez, Præpoſitus, Wigers, & alii. Verùm hi Doctores intelligendi ſunt non de qualicunque odio, & ſimultate, ſed de gravi, & probabiliter irreconciliabili, cujus gravitatem etiamſi ſolùm extrajudicialiter cognoverit judex, poteſt tamen ferre ſententiam relaxationis, ut contra Ledeſmam tenet ipſe Diana, citans Jordanum, & Sanchezium *De Matrim. Lib. 1. Diſp. 20. n. 6.*

e Porrò quia ex Diana, & Riccio diſco, tum jura, tum Doctores, tum tribunalia (fateor ipſe, teſtórque, Conſtantienſe bis, ſerve rigidiùs proceſſiſſe) magis favere ſententiæ neganti valorem ſponſalium, de quibus diſſeruimus, niſi poſt obtentam diſpenſationem renovetur ab utraque parte conſenſus, & illi ipſi DD. ſatis apertè negant, incumbere huic, aut illi parti obligationem tunc renovandi, quando ſecunda ſponſa gerit uterum, eam ob rem

nicum *c. Ex literis 2. & Cap. Requiſivit. De ſponſal.* ita decernit, & ratio demonſtrat: omnis enim contractus, ſaltem oneroſus, de re gravi obligat ad culpam lethalem. Si verò liberaliter promiſiſti Matrimonium, non petendo, ut altera pars repromitteret, probabile eſt, te ſolùm venialiter delinquere reſiliendo, etiam ſine juſta cauſa. P. Henriquez *Lib. 11. cap. 13. num 2.* P. Tannerus *loc. cit. Dub. 1. num. 4.* quia generatim probabile eſt, virtutem fidelitatis perinde, ac veracitatis obligare ex ſuo genere ſolùm ſub veniali. Suarez *Tom. 3. De Relig. Lib. 10. cap. 6. num. 4.* Molina *Tract. 2. diſp. 262.* poſt Cajetanum *2. 2. quaſt. 113. art. 1.*

122 eſtque hæc reſponſio recepta communiter in caſu, quo quis expreſſè voluit ſe obligare ſub duntaxat veniali delicto. P. Leſſius *De juſt. Cap. 18. num. 58.* loquens de contractibus gratuitis in genere; præſumitur autem voluiſſe inducere ſibi gravem obligationem, quando coram teſtibus, aut ſcripto dedit fidem Matrimonii. Henriq. & Tanner. *ll. cc.* ſicut & ſub gravi peccato tenetur compenſare damna ſecuta ex ſua, quamvis per ſe veniali, infidelitate, inconſtantiáque. Leſſ. *loc. cit.* ex communi; qui enim occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur *Cap. fin. De injur. & damn. dat.*

123 II. Tenentur ſponſi inire Matrimonium tempore ab ipſis præſcripto, niſi una pars liberaliter permittat dilationem, quia virtus fidelitatis, & juſtitiæ extendit ſuam obligationem ad omnes etiam minimas res, & circumſtantias promiſſas. Si autem nullum tempus conſtituerunt, tunc tenetur quiſque contrahere illo tempore, quo alter, ſpectatis omnibus circumſtantiis, id rationabiliter exigit, ut pluribus explico infrà *n. 362.*

124 III. *Monendi ſunt ſponſi, ut factis ſponſalibus quamprimum contrahant Matrimonium per verba de præſenti coram Parocho, & Teſtibus, ne ſponſa ſtupri periculum ſubeant, maximè, ſi ipſi ſponſi ante conſummationem Matrimonii id petierunt.* Ita Congregatio apud Gallemart. *in Trid. Seſſ. 24. Cap. 1. De Reform. Matrim. n. 3.* quod velim Domini Parochi ſæpe inculcent ſuis parochianis, procraſtinatio enim Matrimonii inter ſponſos præbet occaſionem efficacem infinitarum turpitudinum, ut, prô dolor! dolent Confeſſarii.

125 IV. Judex Eccleſiaſticus tenetur, *per ſe loquendo*, cenſuris Eccleſiaſticis compellere ad ſtandum Matrimonio illum, qui ſtare recuſat ſine exceptione legitima, ſi alter jus petat, non modò quando ſponſalia ſunt firmata juramento; *Text. in Cap. 1. diſt. 29.* adverſus Anglem, Armillam, & alios quoſdam, ſed etiam, quando non fuerunt roborata jurejurando. Sanch. *Lib. 1. diſp. 26. n. 4.* Coninck *Diſp. 22. n. 9.* Tannerus. *cit. Quaſt. 1. n. 37.* contra Viguer, Sotum, Vegam, & alios apud Sanchez. Ratio eſt, quia judicis eſt, compellere quemvis ad ſtandum legitimo contractu. *Cap. 1. 2. & 3. De pact.* atque ita habet praxis receptiſſima tribunalium, teſte Gutierez apud Sanchez *loc. cit. n. 6.* nominatímque Conſtantienſis. *Sed ſponſus v. g. quantumvis anathemate percuſſus pergit contumaciter injuſtè repudiare ſponſam.* Reſp. In ejuſmodi caſu habenda eſt præ oculis reſponſio, & ratio, quam Lucius Papa *Cap. Requiſivit. De ſponſal.* dedit ad hanc quæſtionem, &

Caſum Sponſæ perjuræ.

Requiſivit à nobis tua Fraternitas, qua cenſurâ mulier compelli debeat, quæ juriſjurandi religione neglectâ nubere renuit, cui ſe nupturam interpoſito juramento firmavit. Ad quod taliter reſpondemus, quòd, cùm libera debeant eſſe Matrimonia, monenda eſt potiùs, quàm cogenda, cùm coactiones difficiles ſoleant exitus frequenter habere. 126

Circa quod Reſcriptum obſervandum eſt, 127 vel voculam *Potiùs* eſſe accipiendam pro: *Priùs.* Gloſſ. Innocent. alii apud Sanchez *cit. n. 4. ſub. init.* vel voculam: *cogenda* intelligi de coactione exactiſſima. Fortun. Covarr. Menoch. alii apud eundem P. Sanch. *n. 8.* ut proinde hoc Capitulum nullo modo repugnet *cit. Cap. Ex literis*, in quo expreſſè dicitur: *Fraternitati tuæ mandamus, quatenus, ſi hoc* (quòd ſcilicet *velit* contra ſuum juramentum ad alia vota migrare, relictâ priore ſponſâ) *tibi conſtiterit, eum moneas, & ſi non acquieverit monitis, Eccleſiaſticâ cenſurâ compellas, ipſam* (niſi rationabilis cauſa obſtiterit) *in uxorem recipiat.*

Ergo judex Eccleſiaſticus, auditâ querelâ 128 de repudiatione iniqua ſponſæ, ſponſum citabit ad ſuum tribunal, intentabit excommunicationem, ſi ſit deſtitutus legitimâ cauſâ, permittente repudium, nolentem parere minis, feriet anathemate, dummodo ſpes ſit extorquendi hac ratione liberum conſenſum, ut limitat expreſſè Pontius apud Dianam *Part. 3. Tract. 4. Reſol. 206.* atque indicat Sanchez *loc. cit. n. 7.* exprimítque Menochius *Conſ. 786.* Ubi alſ quamdiu hæſerit obſtinatus in anathemate, abſolvet judex, etſi non petentem abſolutionem. Sanch. *loc. cit. n. 8.* poſt Gl. Gutierez, Philiarchum, Lopez, alios contra Goffredum, negantem eſſe abſolvendum, donec pareat, ſed certè hic rigor repugnat expreſſè verbis deſcriptis ex *Cap. Ex literis*, repugnat quoque rationi. Si enim judex nolit cedere contumaci, hicque videns, ſe certò non abſolutum iri, niſi ſtet promiſſis, denique det manus, quis non videt futurum, ut vel ſimulet conſenſum, atque ita contrahat *invalidè*, vel conſentiat quidem, ſed infeliciſſimo exitu, id eſt, cum evidenti periculo perpetuorum jurgiorum, verberum, mutilationis? *Quorum unum corpus eſt, unus debet eſſe & animus*, inquit Urban. Papa relatus

Cap.

Cap, De neptis 31. quæſt. 2. Ergo judicis Eccleſiaſtici eſt, paternè hîc proſpicere. Vide etiam infrà *num. 337.* atque in contingentia facti conſule Riccium in praxi *Part. 4. Sectione 422.*

129 Et verò quando eſt clarum periculum horum malorum, emergens ex horrore, quem ſponſus habet adverſùs ſponſam, rectè cenſet Perez *Diſp. 11. Sect. 1. num. 4.* ſponſalium etiam juratorum obligationem hoc ipſo ceſſare: dicemus enim ex communi *Caſ. IX.* deſinere per ſe illam obligationem, quando, ſponſalibus jam contractis, ſupervenit talis mutatio, quæ ſi prævisa fuiſſet, omiſſa forent ſponſalia, atqui nullus, qui prævideret tantum horrorem, periculúmque tantorum malorum, contraheret ſponſalia, ergo eſt judicis Eccleſiaſtici, declarare illam deſitionem obligationis. Unde clarum eſt, ſponſam iniquè (ſuppoſitâ hac ſententiâ) agere, ſi urgeat negationem abſolutionis à cenſura, poterit nihilominus jure exigere compenſationem omnium damnorum emergentium ex hac diſſolutione. Infrà *num. 182.* & expreſſè Tanner. *cit. quæſt. 1. dub. 3. num. 36.* rectè obſervans *n. 38.* ſicut judex non tenetur furioſo repetenti ſuum gladium reſtitui curare, ita nec teneri ferre ſententiam in favorem ſponſæ, exigentis illam in ſuum ſummum damnum.

130 At verò quando non eſt tam manifeſtum, ſed duntaxat probabile periculum gravium malorum, aut mala, quæ timentur, non ſunt ita manifeſtè gravia, cenſet idem P. Perez *loc. cit. Sect. 2. num. 4.* non deſinere per ſe vim ſponſalium, poſſe tamen diſpenſari, non quidem ab Epiſcopo, ſed ſolùm à Papa, ut ſubdit *num. 5.* proinde exprimens proximè *cit. num. 4.* modum illum priorem, qui fit videlicet per declarationem, eſſe eum, quo communiter utuntur Epiſcopi. Cæterùm ſapienter notat P. Tanner. *loc. cit. num. 37.* ſæpe fieri, ut poſtea libenter, & pacatè inter ſe cohabitent, qui aliquanto tempore ejuſmodi cohabitationem declinârunt, & proinde cavere debet judex etiam, ne hîc ſit nimis timidus.

131 *At tenetúrne judex Eccleſiaſticus inſtituere proceſſum judicialem, priuſquam diſſolvat ſponſalia antea legitima?* Negat P. Sanchez *num. 16. abſolutè.* Aſſerit *abſolutè* Baſilius Pontius *Lib. 12. cap. 6.* apud Perez *cit. Sect. 2. num. 3.* aſſentientem Pontio caſu, quo per declarationem; Sanchezio caſu, quo per diſpenſationem dirimuntur ſponſalia.

132 Sed *nunquid judici etiam ſæculari competit jus compellendi ad ſervandam fidem?* Reſp. Competit caſu, quo eſt manifeſta infidelitas alterutrius partis: non, quo debet ea primùm probari, cognitio quippe cauſarum matrimonialium ſpectat privativè ad tribunal Eccleſiaſticum, cumulativè autem inflictio pœnæ, ubi notoria eſt culpa. Vide Sanchez *cit. Diſp. 29. num. 9.* & Tanner. *num. 39.* & obſerva, ſequereque praxin hujus

Caſûs tam frequentis.

Dativa virgo dixit Confeſſario: Celebravi quidem ſponſalia cum Diſibodo, ſed is jam palam, & conſtanter renuit me ducere, eò quòd in aliam tranſtulerit, me deſpectâ, omnem amorem; ego autem decrevi urgere meum jus. Quæro, an rectè faciam? 133

Valde crebrò fuit mihi in ipſo Sacro tribunali propoſita hæc quæſtio. Semper autem reſpondi: Licet quidem tibi id tentare, ſed in tali circumſtantia multùm urgere ad fidem ſervandam non expedit, docet quippe experientia quotidiana, coactiones ſolere difficiles exitus habere. Fac, ut conſtet, non eſſe à te datam ipſi cauſam reſiliendi, utque proinde tibi ſatiſfaciat pro omnibus damnis, quæ adibis propter ejus perfidiam, atque illum dimitte. An verò ſit hîc neceſſarius conſenſus Epiſcopi, dicam *Caſ. VI. n. 260.* 134

Sed juravi, me ipſi, & nulli alteri nupturam. Nihil officit tibi hoc juramentum, quoad *primam* partem, quia juraſti, ut ſic, in ejus gratiam: remittit autem nunc omne jus acquiſitum ex tali juramento. Vide infrà *Caſ. VI. n. 249. & in Alphabeto Quadrupl. Parte 2. Caſ. XVII.* diſtinctè explicata juramenta huic ſimilia. Nihil obeſt etiam quoad *ſecundam* partem, quia illâ clauſulâ: *Nulli alteri:* ſolùm indicâſti, te nulli alteri præ Diſibodo nupturam, ſeu nullum alium prælaturam Diſibodo.

Ille verò juravit, ut mille cacodæmones ipſum vivum diſcerperent, ſi fidem falleret, ego viciſſim, ut omnia Sacramenta ſint in me perdita. Ita aliquoties replicaverunt nonnullæ. Reſpondi tamen ad *primam* partem replicæ, ſoli ſponſo fœdifrago incumbere onus ſatiſfaciendi Numini pro tam irreligioſa infidelitate, nam *anima, quæ peccaverit, ipſa morietur.* Ezech. 18. v. 4. ergo ut ſic non delinquis, ſi nequeas ſine tuo notabili incommodo impedire tantum ſcelus ſponſi. Ad *alteram* partem replicæ triplicavi ego: Quia per te non ſtat, quò minùs ſtes promiſſis, nulla penes te culpa reſidet, nam etiam in foro Dei culpâ caret, qui ſcit, ſed prohibere non poteſt. *Leg. Culpa, 50. ff. De Reg. Jur.* Fortè autem ſciſcitaberis: *Utrùm, ſicuti poteſt judex compellere pœnâ ſpirituali ſponſum ad ſtandum ſponſione, ita etiam poſſit temporali, adeóque pecuniariâ?* Ad hanc quæſtionem reſpondebo *Sect. ſeq. n. 179.* 135

V. Licèt ſponſa teneatur contractis nuptiis, *per ſe loquendo,* ſequi domicilium jam conſtitutum, aut conſtituendum à ſponſo. Infrà *Caſ. XXII.* Si tamen aliter proviſum eſt in pactis dotalibus, aut ſi domicilium illud ſit ſponſæ lethiferum, deſinit illa obligatio, ut declarabo *Caſ. XXII.* 136

VI. Dubitans, an verè promiſerit Matrimonium, pronuntiabit ſe liberum. Suprà *Caſ. II. n.*

Digitized by Google

II. n. 75. Si tamen ſciat, ſe promiſiſſe, at dubitat, an fictè, item ſi ſciat, ſe fuiſſe obligatum promittere, at anceps hæret, an ſatiſfecerit huic obligationi, judicabit, ſe verè promiſiſſe, quia & non datur facilè præſumptio delicti, adeóque nec fraudis *Leg. Meritò. ff. Pro ſoc.* & in dubio præſumitur id factum, quod de jure erat faciendum. Tuſchus *lit. F. concl. 19.*

VII. Tenetur & ille ad Matrimonium, qui contraxit incerta ſponſalia. Dicitur enim is contraxiſſe *incerta* ſponſalia, qui contraxit cum perſona incerta, indeterminatáque, ut cùm Cajus dicit Titio: *Promitto, me accepturum in uxorem unam è tribus tuis filiabus*, quibus verbis, tametſi duntaxat impropriè, & imperfectè celebrentur ſponſalia, cùm deſit repromiſſio ex parte ſponſæ, aut ſponſarum, tamen, ſi Cajus eſt ita abſolutè, & ſincerè locutus, tenetur unam ex illis accipere, at illam ſolam, quæ inveniet gratiam in oculis ejus, non autem, quam obtruſerit Titius. Vide Bonacinam *punct. 3.*

137 Hactenus diſſeruimus de ſponſalibus abſolutè, ſeu ſine conditione conſideratis, jam agendum de conditionatis: at priùs reſpondendum ad tres quæſtiones propoſitas in fine noſtri Caſûs *Involuti, Evoluti num 19.* ac dicendum cum P. Leſſio. Ad *primam*, Diodorum fuiſſe omnino obligatum accipere Dafroſam, ad id enim illum adigebant verba clariſſima, abſoluta, & juramento firmata. Hanc autem obligandi vim non minuit conditio, quam poſtea poſuit coram parentibus Dafroſæ, ſicut enim perfecta donatio conditionem poſtea non capit. *Text. expr. in L. Perfecta C. De doniqua ſub modo.* ita nec promiſſio oneroſa. Ad *alteram* reſpondetur, Dafroſam non potuiſſe obligari ad exſpectandum illud triennium. Patet ex dictis intrà *num. 123.* Nec obeſt, quòd Diodorus obligâſſet alicui opifici ſuam operam ad triennium, etenim ſe obſtrinxit primùm poſt ſponſalia, ut teſtatur Leſſius, non potuit verò ſe obſtringere cum injuria ſuæ ſponſæ. *At quid ſi illam operam addixiſſet ante ſponſalia, & celâſ-*
138 *ſet ſponſam?* Reſp. 1. Potuiſſet Dafroſa dicere Diodoro: *Habe tibi res tuas, quæram alium maritum, quia me turpiter decepiſti.* Reſp. 2. Videtur mihi, in illa promiſſione præſtandi triennalem operam incluſam fuiſſe conditionem: *Si non mutavero ſtatum*, etenim ingreſſus in Religionem, & tranſitus ad nuptias continent mutationem tam notabilem, efficiúntque, ut res non cenſeantur *moraliter* eſſe in eodem ſtatu, in quo erant tempore promiſſionis, & proinde videantur ſemper excipi, niſi quando exprimuntur diſertè, patebit infrà *Caſ. IX. n. 293.* ſed obligatus fortè fuiſſet Diodorus præſtare damna, ſi quæ emerſiſſent ex non ſervata promiſſione. Infrà *n. 308.*

139 Ad *tertiam* quæſtionem dico cum P. Leſſio, potuiſſe impediri aliud Matrimonium, ſi Epiſcopus vetuiſſet Diodoro ſub anathemate inire alias nuptias, vetuiſſétque ſuis Diœceſanis Parochis, ne quis illum copularet cum altera, & negâſſet omnem diſpenſationem in denuntiationibus.

Sed ecce! jam deſcriptis ab Amanuenſi o- 140
mnibus, quæ legiſti Lector, & pleriſque omnibus, quæ ſequentur, accipio literas à quodam D. Prælato Religioſo perantiqui Monaſterii, quæ inter cætera continent hanc

Quæſtionem Improviſam.

OBſecro, R. V. elucidet in ſuo Alphabeto Matrimoniali hanc quæſtionem, an frater, & ſoror compelli poſſint ad teſtandum contra fratrem, ad aperienda tantùm quædam indicia factæ promiſſionis matrimonialis, quando cauſa eſt tantùm ex accidente occulta, & aliàs promiſſio ſatis probatur præſumptionibus juris? Libenter legam Væ. Ræ. judicium.

Quò ſatiſfaciam huic tam honeſtæ petitio- 141
ni, tametſi de materia ſatis aliena à foro Theologico, reſpondeo, videri mihi, ſalvo meliori cujuſque Juriſperiti judicio, aliter forſan arbitraturi, probabilius, non poſſe fratrem, aut ſororem, ſaltem in illis circumſtantiis compelli ad ejuſmodi teſtimonium. Rationem peto ex duplici principio, *generali* ſcilicet, ac *ſpeciali*: *generali*, quia eorum teſtimonium ſupponitur non eſſe neceſſarium ad ſufficienter probandam ſponſionem, *ſpeciali*, quia ſunt frater, & ſoror.

Generale principium deſumo ex *Cap. 2, &* 142
5. De Teſt. cogend. in quorum priore jubentur Clerici ferre teſtimonium in cauſa inter ſuum Epiſcopum, & Abbatem Sublacenſem, idque ob hanc unicam cauſam: *Cùm ſit teſtimonium veſtrum neceſſarium.* Ergo quando non eſt neceſſarium teſtimonium, non ſunt teſtes cogendi, quia, ceſſante cauſâ, præſertim adæquatâ, ceſſat effectus. *Cap. Cùm ceſſante. De appellat.* At in poſteriore ex his duobus Capitulis reſpondetur: ut *illi* (laici) *qui de rebus Eccleſiaſticis teſtificari recuſant, ſi aliter veritas nequeat elici, ad id cenſuris Eccleſiaſticis compellantur.* Ergo per argumentum à ſenſu contrario, (quod Gloſſ. *in Cap. Cùm Apoſtolica. De his, quæ à Prel. fiunt ſine conſ. Cap.* meritò. vocat *fortiſſimũ*, utpote valde clarè approbatum in ipſomet Jure Canonico *cit. Cap. Cùm Apoſtolica, & Cap. Cùm virum. De Regul.*) quando veritas poteſt aliter, quàm per Teſtes ſatis elici, non ſunt hi cogendi, ſupponitur autem in ſpecie facti, jam eſſe ſufficienter aliunde elicita veritas promiſſionis. Unde rectiſſimè docent Hoſtienſ. Joann. Andreas, Bellamera, eóſque laudans, nec diſſentiens Farinacius *in Pract. crim. q. 78. n. 125.* Teſtes nequaquam eſſe, in foro ſaltem Eccleſiaſtico, ad quod utique ſpectat cauſa ſponſalium, cogendos,

Digitized by Google

dot, quando ſufficienter probata eſt intentio actoris, aut Rei; poteſtque hæc doctrina confirmari tam textu *Reg. 31. in 6.* decernentis, eum, qui certus eſt, ulteriùs certiorari non debere, quàm hac ratione, quòd nemini debeamus facilè parere incommodum, facilè autem paritur adigendo ad teſtificandum in alterius condemnationem. Nec obeſt, quòd Teſtes illi non poſtulentur *directè* ad probandam promiſſionem, ſed ſolùm ad indicia factæ promiſſionis, nam ſicuti lex non obligat ad actionem inutilem. *Capit. Erit autem diſt. 4.* ita neque judex obligare poteſt, aut debet ad inutilem actionem, ſicuti eſt inutilis probatio indiciorum, quando per præſumptiones (quæ ſunt liquida probatio donec de contrario appareat. Maſcard. *De prob. concl. 1221 num. 63.*) ſatis probatur facta promiſſio. Roboratur totum hoc generale argumentum ſpeciali.

143 Speciale autem eſt, quod ſuggerit Julius Clarus *in pract. crimin. §. fin. quæſt. 24. num. 22.* his verbis: *Debet judex, quantum fieri poteſt, abſtinere ab examinandis Teſtibus, qui de jure contra reum non poſſunt compelli*: atqui clarum eſt ex dictis, poſſe judicem in hac cauſa abſtinere ab examinandis fratre, ſororéque. Ac præterea probatur, non poſſe eos jure compelli ad teſtificandum, partim quia non ſunt neceſſarii, partim quia frater, & ſoror; ſororem enim, fratrémque non poſſe jure cogi ad deponendum contra fratrem, probatur inde, quòd, ſpectato jure antiquo, ne quidem admitti poſſint ad teſtandũ pro fratre, ſiquidem non ſolùm Papa Anacletus *C. Accuſatores. I. 3. q. 5.* ex jure naturæ pronuntiat: *Inoffenſus Teſtium affectus quærendus eſt, & non ſuſpectus*, ſed inſuper Calixtus ſeu Calliſtus Papa *Cap. Accuſatores. III. eod.* expreſſè ſancit: *Conſanguinei adverſùs extraneum teſtimonium non dicant, quia propinquitatis affectio veritatem impedire ſolet.* Si non ſunt admittendi adverſùs fratrem, etenim propinquitatis affectio æquè impediet veritatem, ut ſcilicet deponant pro fratre, quando deberent contra illum.

144 Nec obeſt, quòd *Cap. 1. 35. q. 6. Super eo. De Teſtib. & atteſt. Cap. Videtur. Qui Matrim. accuſ. poſſ.* admittantur in cauſa matrimoniali ipſimet parentes. Nam primus, & tertius ex his tribus Canonibus loquitur ſolùm de teſtimonio parentum, quando agitur de cognatione, ut patet ex litera, & obſervat Pariſius *conſ. 38. n. 23. lib. 3.* quia ſcilicet præſumitur, illos meliùs nôſſe cognationem ſuam, quàm alii, ergo non ſunt extendendi extra illam materiam, poſteriora enim jura non derogant prioribus, niſi in caſibus expreſſis *Leg. Præcipimus. in fin. Cod. De appel. Capitulum. Super eo.* non plus dicit, quàm quòd parentes *poſſint recipi*, non autem, quòd poſſint cogi, ergo nec nos dicere debemus *Cap. Legatur. 21. quæſt. 2.* Et quia correctio jurium vitanda, quatenus fieri poteſt, *Cap. Cùm expediat. De elect. in 6.* corrigerentur autem Canones Sanctorum Pontificum Anacleti, & Calixti, ſaltem ſi extra neceſſitatem produceretur frater contra fratrem, & tunc vel maximè, ſi timerentur inde gravia diſſidia. Quòd ſi ille frater, ac ſoror habitarent cum illo fratre, excluderentur tanquam domeſtici *per Leg. Etiam. De Teſt.* & *per Cap. Conſanguinei. 3. q. 5.* Hæc breviter circa illam quæſtionem, cujus reſolutionem fundo præcipuè in *primo* principio. *Secundo* non ita innitendum reor, quia videtur repugnare ei praxis tribunalium communior, quam abſit ut damnem, tametſi non ignorem, ſtare pro me ſtylum Reverendiſſ. Curiæ Ratiſbonenſis, & Gabrielium, quem refero *in Quinario Tract. 5. cap. 42. n. 72.* ubi ex inſtituto diſſero de teſtimonio fratris contra fratrem. Equidem Laymannus poſt hæc jam emiſſa in lucem editus *Tom. 2. in Jus Canonicum Cap. Super eo. num. 3. De teſtib. abſolutè* negat, poſſe compelli fratrem, ut invitus teſtetur contra fratrem, exceptis caſibus quibuſdam nihil huc facientibus.

SECTIO II.

De Sponſalibus Conditionatis.

SUMMARIUM.

Quæ ſponſalia ſint conditionata? 145.
An, & quas conditiones liceat apponere ſponſalibus? 146 *& ſeqq.*
Quæ conditiones adjectæ habeantur pro non adjectis? 149.
Apud Germanos ceſſat, practicè loquendo, quæſtio de vi conditionum impoſſibilium. 155.
An judex licitè compellet ſtare promiſſis illum, qui adjecit ſeriò turpem conditionem? 159.
An, & quatenus obligent ſponſalia inita ſub conditione: Si Papa diſpenſârit? 160. *& ſeqq. enucleatè.*
Declaratur Caſu multa complectente. 165.
Et alio infami, ac notorio. 166. *In App. hujus numeri.*
Cur oporteat Dataria Romanâ pendere magnam taxam pro diſpenſatione? 164.
Quatenus obliget promiſſio ſub conditione: Si parens conſenſerit? 167.
Quatenus illa: Si Deo placuerit? 169.
An, & quatenus illa, quæ fit ſub conditione pœnali? 170. *& ſeqq.*
Et quæ ſub conditione perdendi arrhas? 175.
An judex poſſit ad inſtantiam partis læſæ minari parti refractariæ disjunctivè excommunicationem, vel mulctam pecuniariam? 178.
An pars læſa licitè petat compenſationem lucri, quod habuiſſet ex alio Matrimonio, ſi non ſperâſſet, ſponſum fore conſtantem? 181.
Quid ſi adiit damnum poſitivum? 182.
Caſus, quo declaratur, utrùm, quando ſponſa ait coram judice, ſe promiſiſſe quidem Matrimonium,

nium, at ſub conditione hac aut illa, quæ non ſit purificata, teneatur ipſa probare, ſe adjeciſſe? An ſponſus, ipſam non adjeciſſe? 183.

145 Sponſalia quandoque contrahuntur *abſolutè*, id eſt, ſine appoſitione ullius conditionis expreſſæ, ſubintelligendo tamen omnes, quæ de jure, vel conſuetudine ineſſe debent, quandoque autem *conditionatè*, id eſt, exprimendo conditionem, quæ non ſubintelligitur in verbis *abſolutè* ſumptis. Nomine autem *conditionis* intelligitur hîc propriè dicta conditio, id eſt accidens, qualitas, circumſtantia &c. quibus contractus, ſeu diſpoſitio ſuſpenditur, donec aliud in futurum eveniat. P. Ferdinand. Rebellus *De oblig. juſtit. Lib. 2. Part. 2. quæſt. 10. Sect. 4.* nóſque pluribus infrà *num. 449.* ideóque diſtinguitur à *modo* propriè dicto, modus enim eſt limitatio appoſita in futurum, quæ quidem aggravat alterum contrahentem, beneficiúmve recipientem, non tamen ſuſpendit diſpoſitionem. Rebellus *ibidem.* obſervans, hæc duo vocabula ſæpe pro eodem ſumi, licèt propriè, & ſtrictè diſtinguantur, quod pluribus elucidant P. Tannerus *Tom. 4. diſp. 8. quæſt. 3. dub 4.* P. Laymannus *Lib 5. Part. 2. cap. 7.* atque perappoſito exemplo, ſeu caſu particulari, qui refertur & deciditur in *Cap. Cùm Joannes.* De fide inſtrumentor. declarat inter alios noſter Henr. Wangnereck in ſuo commentario Exegetico in illud ipſum Capitulum, & alii, ſicut & nos diſtinguimus hîc, ſuppoſitáque hac diſtinctione.

146 Quæritur I. *An, & quas conditiones liceat apponere Sponſalibus?*

Reſp. Generatim loquendo, fas eſt, addere ſponſalibus quaſvis conditiones poſſibiles, non repugnantes bonis moribus: nefas, impoſſibiles, aut repugnantes bonis moribus. *Prima* pars inde liquet, quòd quiſque rei ſuæ modum ponere valeat. *Leg. In tranſactionibus. ff. De pact.* atque adeò etiam contractui, quem libere init. *Secunda* pars inde patet, quia apponens conditionem impoſſibilem, ut quando juvenis dicit juvenculæ. *Ducam te, ſi cras creveris uno palmo*, vel ſeriò loquitur, & tunc ineptit; vel joco, & tunc non contrahit, nec *abſolutè*, nec *conditionatè*, loquimur autem de volente contrahere. *Tertia* pars clara eſt inde, quia non licet intendere peccatum.

147 Porrò conditiones, repugnantes bonis moribus, confundo cum turpibus, de quibus eſt ſermo *Cap. fin. De pact. & Cap. fin De condit. appoſ.* quæ quidem conditiones ſunt vel de præterito, vel de præſenti, vel de futuro. De præterito, ut ſi dicas puellæ, quam nôſti, nunquam fuiſſe junctam conjugio: *Te ducam, ſi fuiſti ali-*
148 *quando Lutherana.* De præſenti, ut ſi dicas: *Te ducam, ſi es adhuc Lutherana.* De futuro, ut ſi dicas *Te ducam, ſi permanſeris in Lutheraniſmo.* Conditiones turpes de præſenti, aut præterito vix quidem poſſunt ſine aliquo peccato apponi, ut per ſe patet, poſſunt tamen ſine mortali, etſi ſint de mortali, quia poſſunt exigi ob cauſam ſolùm venialiter malam, at graviter turpes de futuro nequeunt ſine gravi peccato apponi ſeriò, quia ejuſmodi appoſitio eſt inductio ad grave peccatum. Nobis erit deinceps ſermo de conditionibus impoſſibilibus, & turpibus de futuro, utpote frequentioribus, de quibus, uti de reliquis, fuſiſſimè diſſerunt Patres Sanchez *toto Lib. 5.* Perez *totâ Diſp. 16.* Dicaſtillo *totâ Diſp. 5.* ille per multas ſectiones, hic per multas dubitationes, attamen ferè ſolùm in ordine ad Matrimonium de præſenti, non autem in ordine ad Matrimonium de futuro. Nos *Caſ. XII.* tractabimus de iis, quatenus apponuntur Matrimonio de præſenti, nunc quatenus Matrimonio de futuro, ſeu propriè dictis ſponſalibus, priùs tamen præmittentes, licèt paria ſint, mentem ſuam declarare facto, & verbis *Leg. Paulus reſpondet. & Leg. De quibus. ff De Leg.* tamen quando eſt lis, aut ſermo de iis, quæ per modum conditionis requiruntur, non ſunt paria declarare facto, & verbis. De Seraphinis *De privilegiis Juramenti privil. 33. num. 135.* Vide Caſum, quem etiam hanc in rem affero ex Diana *num. 165.* Jam

Quæritur II. *An conditiones impoſſibiles,* 149
aut turpes de futuro adjecta ſponſalibus habeantur pro non adjectis? Id eſt, an in dubio, utrùm ſint ſeriò adjectæ, an joco, præſumendum ſit, eſſe adjectas joco, & proinde nihil obeſſe valori ſponſalium, etſi non purificentur, ſed ſponſalia perinde valeant, ac ſi non fuiſſent expreſſæ?

Reſp Eſt ob auctoritatem probabiliſſimum, habendas eſſe in dubio pro non adjectis, at ſpectatâ ſolâ ratione, oppoſitum eſt probabilius. *Prima* pars inde patet, quòd ita ſentiant plerique omnes Theologi, & Canoniſtæ pertractantes hanc materiam, utrorúmque indicem texit Sanchez *loc. cit. Diſp. 17.* quos ipſe ſequitur, ſicut & Dicaſtillo *cit. Diſp. 5. dub. 18.* Eſcobar *in Theologia Morali Lib. 25. dub. 206. num. 815.* ſcribens: *Ab hac receptiſſima ſententia recedere, piaculum ducerem.* Receſſe- 150
runt tamen ab ea apertè, nec ſine ratione Rebellus *cit. quæſt. 10.* Caſtro Palaus *De ſponſalibus Diſp. 1. punct. 16. num. 4.* atque apud ipſum Baſil. Pontius. Ratio fundamentalis eſt, quia fundamentum unicum ſententiæ communis eſt nimis infirmum: nititur enim hoc ſolo enthymemate: In *Cap. fin. De condit. appoſ.* expreſſè decernitur, conditiones impoſſibiles, & turpes (non repugnantes ſubſtantiæ Matrimonii, de quibus *Caſ. XII.*) adjectas Matrimonio habendas eſſe pro non adjectis, ergo idipſum quoque decernitur de adjectis contractui ſponſalitio, quandoquidem hic contractus eſt via ad matrimonialem. Verùm de- 151
monſtratur, hanc conſequentiam non ſubſiſtere. 1. Quia lex correctiva communis conſuetudinis, reſtrictiváque juris naturalis, non eſt ultra proprietatem verborum extenden-

Digitized by Google

tendenda ad materiam eſſentialiſſimè diverſam, cum imminutione libertatis Matrimonii, toties à Sacris Canonibus propugnatæ. Ille autem Canon finalis corrigit communem conſuetudinem, tum quia, quando contractui adjicimus conditionem impoſſibilem, volumus indicare, nos nullo modo velle contrahere, ut etiam conſtat ex *Leg. Non ſolùm. ff. De obligationibus & actionibus*: tum quia, quando homines adjiciunt conditionem turpem ipſis ſponſalibus, ſolent ſeriò apponere, ac velle, ut ſuus conſenſus dependeat ab eventu talis conditionis: tum quia, ſpectato jure naturali, debet quis in dubio haberi potiùs pro libero, quàm pro obligato: tum denique, quia argumentatio à Matrimonio ad ſponſalia non eſt firma. Suprà *n. 74.*

152 Porrò quòd ſponſalia differant eſſentialiſſimè à Matrimonio, quódque ejuſmodi extenſio repugnet libertati Matrimonii, eſt per ſe manifeſtum.

153 2. Infirmitas ejuſdem conſequentiæ inde probatur, quòd DD. & jura ſtatuant de Matrimonio plurima, quæ nequaquam exporriguntur ad ſponſalia, ut patet conſideranti Leges de Matrimonii indiſſolubilitate, clandeſtinitate, ætate, tempore, ſanctitate, officiis conjugum.

Adde quòd *Caſ. II. n. 74.* retulerimus ex Perez, eſſe communem ſententiam DD. in dubio, utrùm fuerit datus conſenſus in ſponſalia, debere in utroque foro præſumi pro libertate, cùm tamen debeat contra libertatem præſumi in dubio, an fuerit præbitus conſenſus in Matrimonium. Item tranſactio ſuper Matrimonio eſt vetita, non autem ſuper ſponſalibus. Infrà 271. Et metus irritat Matrimonium jure Canonico, non item ſponſalia. Tannerus relatus ſuprà *n. 27.* Vide alia ſuprà *n. 74. & 75.*

154 3. Debet in dubio præſumi, id eſſe factum, quod plerumque fieri ſolet, atqui ſaltem hac ætate, & in Germania noſtra ſingulariter plerumque fieri ſolet, ut adjectio conditionis impoſſibilis indicet diſſenſum in ſponſalia, ut cùm Cajus dicit Cajæ inopi puellæ. *Certò te accipiam in uxorem, ſi mihi pro dote attuleris Regnum Hiſpaniæ.* Vice verſâ, quando tam multi, prô dolor! dicunt: *Ducam te, ſi feceris mihi copiam tui corporis, ſi à Religione Papiſtica defeceris. Si permiſeris partem naſciturorum liberorum educari Calviniſticè &c.* indicare conſueverunt, ſe illas quidem ducturos, ſed non niſi impletâ illâ utraque priore turpi conditione, vel factâ implendi promiſſione. Idem eſto judicium de aliis multis.

155 Ex qua poſtrema ratione petita ex more, uſúque noſtratium deduco, ferè fruſtra (abſtrahendo à conſuetudine hujus, aut illius tribunalis) quæri, utrùm apud Germanos locum habeat controverſia de validitate, aut invaliditate conditionum impoſſibilium, atque turpium; omnes enim fatentur, adjectione conditionis impoſſibilis impediri vim ſponſalium, ſi appoſita fuit aut ſeriò, aut ut oſtenderetur animus alienus à ſponſalibus; ſicuti & impediri adjectione conditionis turpis, quando ſeriò fuit adjecta, & tamen non purificata, hácque doctrinam eſſe veram, etiam in foro *externo*, ſufficienter probatur, utriuſque illius, ac tertiæ conditionis adjectione factâ eâ intentione, qua diximus. Quod enim *Cap. Nuper. De big.* dicitur: *In Matrimoniis contrahendis non juris effectus, ſed animi deſtinatio attenditur*, idipſum de ipſis ſponſalibus pronuntiari debet. Unde Duarenus, quem refert non diſſentiens Chriſtoph. Haunoldus *De Juſtitia Tom. 2 Tr. 6. n. 355.* rectè obſervat, quæſtionem, an conditio impoſſibilis habenda ſit pro non adjecta, eſſe magis facti, quàm juris.

Dices: *At judex dubitat de intentione, ſeu animo?* Reſp. Debet reſolvere in Germania, excuteréque tale dubium applicando *practicè* Regulam *114. ff. De Reg. jur.* indicatam ſuprà, & ab utroque jure traditam, ab Ewerhardo *in loc. comm. loc. 102.* probatam, extenſámque etiam ad Caſum, quo præſumendum eſt delictum: *In obſcuris inſpici ſolet, quod plerumque fieri ſolet.* atqui ſolet in Germania noſtra plerumque, ſi non omnino ſemper, fieri, ut illæ appoſitiones conditionum fiant animo, quem dixi, itáque intelligantur ab utraque parte. 156

Quare infero, licèt communis opinio ferat, judicem teneri ferre ſententiam ex norma doctrinæ à pleriſque traditæ, attamen non teneri judicem, imò nec poſſe dare in hac particulari materia locum communi illi opinioni, fallit enim ea opinio cùm in multis caſibus, quos enumero *in Clypeo Clement. Judic. Part. 1. Sect. 13.* tum in eo, quo doctrina tradita à pleriſque nititur ſuppoſitione, non ſubſiſtente in aliquo certo loco. Etenim opinioni veritas eſt præferenda. *Text. c. Nuper. De bigam.* Doctrina autem illa communis, quam retuli ſuprà, nititur ſuppoſitione, quòd ab utraque parte ſciatur, eſſe jure ſtatutum, ut conditiones impoſſibiles, & turpes adjectæ ſponſalibus habeantur pro non adjectis; etenim ipſemet Sanchez *cit. Lib. 5. diſp. 3. n. 12.* cum aliis fatetur, ſi alteruter ignorans illud Statutum *Capituli fin. De condit. appoſ.* contrahat ſub conditione impoſſibili, (aut turpi) eam non habendam eſſe pro non adjecta. Atqui in Germania noſtra reperire non eſt, ſaltem inter indoctos, ullum fortè Matrimonium, ulla ſponſalia, quæ ſint ſub conditione impoſſibili, aut turpi facta, utroque contrahentium gnaro prædicti Capituli finalis, & non cum ſeria appoſitione turpis, ſingulariter loquendo de turpi. 157 158

At, *nónne judex Eccleſiaſticus rectè faceret, ſi in pœnam criminis admiſſi in adjectione turpis conditionis compelleret illum, qui adjecit, ſtare promiſſione, eſto conditio non ſit purificata, ſicut utique non debet purificari?* 159

Ll 3 Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Hoc dubium non diſcuti ad auctoribus. Non dubito quidem, quin poſſit condi lex injungens talem pœnam, eo ſaltem caſu, quo non ſubeſt talis cauſa reſiliendi à ſponſalibus, qualis requireretur, ſi promiſiſſet *abſolutè* Matrimonium, & non ſub conditione turpi: donec tamen ſanciatur talis lex, eive ſimilis, aut legitima conſuetudo introducatur, ſicuti non viget in Reverendiſſimis Curiis Conſtantienſi, & Auguſtana, non cenſeo poſſe infligi hanc pœnam, nec enim habent Epiſcopi jus plectendi arbitrariâ pœnâ talia delicta, cùm præſertim præſens pœna minuat libertatem Matrimonii.

160 Quæritur III. *An, & ad quid obligent ſponſalia inita ſub conditione: Si Papa diſpenſaverit?* Hanc quæſtionem optimè, & diſtinctiſſimè tractat P. Sanchez *cit Lib. 5. diſp. 5.* Supponitur autem ex communi apud eundem *n. 16.* contra nonnullos, nullum, *per ſe loquendo*, admitti peccatum, ſi laborantes aliquo Impedimento, diſpenſabili per Papam, promittant ſibi Matrimonium appoſitâ expreſſè illâ conditione; etenim appoſitio illius non continet per ſe ullam turpitudinem, imò debet vel exprimi, vel certè ſubintelligi ab omnibus, qui obnoxii tali Impedimento faciunt ſeriò ſponſionem Matrimonialem. Hoc ſuppoſito

161 Reſp. Ad quæſtionem 1. Quando ſubeſt Impedimentum, in quo Papa non niſi graviſſima de cauſa diſpenſat, ut eſt Impedimentum Ordinis Sacri, aut Affinitatis in primo gradu, promiſſio *ſub conditione diſpenſationis* nihil virium habet. Sanchez *loc. cit. num. 2.* ex communi omnium, quia tunc conditio diſpenſationis habetur pro impoſſibili. Idem dic, quando Papa facilè diſpenſat quidem, ſed ex cauſa aliqua, cujus veritas non reperitur in ita contrahentibus. Idem *n. 3.*

162 II. Quando verò ſubeſt Impedimentum facilè diſpenſabile, valent ſponſalia poſt eam impetratam, ita ut una pars non poſſit reſilire, renitente alterâ. Sanchez *loc. cit. num. 12.* cum plurimis contra etiam multos Canoniſtas, & Theologos, ita tenaces ſuæ ſententiæ, ut dicant, licèt talis promiſſio ſit firmata juramento, licèt quoque fœmina ſit imprægnata ſub promiſſione illa conditionali, attamen ſtupratorem non teneri eam ducere, ſecutâ diſpenſatione, ſed exiſtimo, hanc doctrinam repugnare praxi tribunalium hujus temporis, certè repugnat ſenſui Theologorum Recentiorum communi, apud, & cum P. Coninck *Diſp. 29. numero 35.* Laymann. *Part. 2. cap. 7.* Bonac. *Quæſt. 1. p. 7.* Perez *Diſp. 16. Sect. 4.* Dicaſtillo *Diſp. 1. n. 574.* Palao *Diſp. 1. p. 16. n. 10.* generatim teſtante ex Seraphino, Rotam Romanam ſæpius ſuo calculo firmâſſe ſententiam, generatim tenentem, quando eſt impetrata diſpenſatio, obligari alteram partem ſtare ſponſione, ſi altera

163 velit. Et ratio eſt, quia, cùm appoſitio illius conditionis in circumſtantia, quam ponimus, ſit nullo modo turpis, ſed honeſta, non apparet, quin, ſicuti ſponſalia ſub aliis honeſtis conditionibus contracta valent, purificatâ conditione, valeant etiam iſta poſt impetratam diſpenſationem. Utrùm verò oporteat tunc novum conſenſum elicere, an ſufficiat, præceſſiſſe conditionatum, diſſentiunt inter ſe etiam hìc citati autores. Vide fusè Dicaſtillo *Diſp. 5. dubit. 7.*

III. Hinc rectè tenent citati pro priore 164 reſponſione contra permultos, illum, qui ſub prædicta conditione Papalis diſpenſationis fecit fidem Matrimonii, teneri vel petere, vel certè expectare diſpenſationem petendam ab altero, ſi ſubſit juſta cauſa. Dico *vel petere, vel expectare*, nam Sanchez *cit. Diſp. 5. num. 36.* Layman. *loc. cit. num. 4.* atque alii, repugnantibus Navarro, Coninck *cit. Cap d. 29. n. 35.* Palao *loc. cit. num. 12.* exiſtimant, ſponſum in tali caſu *tacitè* ſe obligare ad petendam diſpenſationem, quod ego puto verum, ſaltem, ſi ſponſa velit facere dimidiam partem ſumptuum, ſi, ut dixi, ſubſit juſta diſpenſandi cauſa. Hinc Anno 1665. cùm Titius dixiſſet Titiæ: *Te ducam, ſi non ſubſit Impedimentum*, & addidiſſet: *Si ſubſit, petam ipſe diſpenſationem.* ac poſtmodum fuiſſet repertum Impedimentum quarti gradûs Conſanguinitatis, at, re diligenter expenſâ, non fuiſſet inventa juſta diſpenſandi cauſa, Curia Conſtantienſis abſolvit Titium ab omni impetitione Titiæ, fecitque poteſtatem Titio ducendi aliam, & quidem ſine ulla compenſatione expenſarum, aut mulcta, quia ſcilicet omnis pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt. S. Auguſtin. *Lib. 2. retractat. c. 9.* ex meditullio utriuſque Juris. Porrò Impedimentis diſpenſabilibus accenſent P. Sanchez *cit. Diſp. 5. n. 15.* & P. Perez *cit. Diſp. 16. Sect. 4.* etiam Impedimentum Conſanguinitatis in ſecundo gradu; licèt enim aliquantulum difficulter diſpenſetur, attamen eſt perfrequens hæc diſpenſatio. Ego autem compertum habens, quàm notabilem mulctam debeant Nobiles, & Barones pendere Romanæ Datariæ pro ejuſmodi gratia, & ideo tam notabilem, quòd Sacra Synodus Tridentina *Seſſ. 24. De reform. Matrim. Cap. 5.* ſtatuat, ut in tali gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter *magnos Principes, & ob publicam cauſam*, nolim hoc Impedimentum locare inter facilè diſpenſabilia, niſi fortè, quando Conſanguinitas orta eſt ex fornicatione, tunc enim, præſertim ſi hæc ſit occulta, diſpenſatur. P. Coninck *Diſp. 33. n. 44.*

APPENDIX CORRECTORIA.

VErùm his omnibus ſcriptis, incidi in Deciſionem Rotæ Romanæ, quæ eſt *ſecunda* inter deſcriptas à Diana *Part. 6. in fin.* qua nonmodò negatur, valuiſſe, etiam poſt obtentam diſpenſationem, ſponſalia, quæ juncti ſecundo gradu inierant Franciſcus, & Barbara, ſed etiam

etiam referuntur & plurimi DD. pro ea Deciſione, & inſuper quinque aliæ Deciſiones ejuſdem Rotæ, loquentes generatim de invaliditate ſponſalium contractorum ſub conditione diſpenſationis. Propter quas Deciſiones cenſerem, non eſſe facilè quemquam metu ullius pœnæ compellendum ad ducendam quocunque Impedimento irretitam, licèt expreſſè fuerit promiſſioni adjuncta conditio: *Si Papa diſpenſârit.* Certè concluditur in allegata Deciſione, memoratum Franciſcum non eſſe cogendum ad contrahendum cum Barbara.

165 Idem Diana *Part. 11. Tract. 2. Reſ. 70* doctrinam de nullitate promiſſionis factæ ſub conditione diſpenſationis Pontificiæ, & poſt hanc obtentam non ratificatæ per novum conſenſum confirmat, reſolvendo hunc

Caſum varia continentem.

a *Diodorus promiſit Domitillæ junctæ ſibi ſecundo Conſanguinitatis gradu Matrimonium ſine expreſſa, ſed ſolùm ſubintellecta conditione Pontificiæ diſpenſationis, quam quidem ipſe poſtea petiit, atque impetravit. Verùm inprimis poſt eam obtentam nec ipſe, nec Domitilla elicuerunt ullum novum conſenſum in Matrimonium de futuro. Deinde Domitilla non tantùm nullum novum conſenſũ dedit, ſed inſuper orta ſunt inter ipſam, & Diodorum odia, ſimultatéſque. Ad hæc idem Diodorus (priuſquam adeſſet diſpenſatio) celebravit ſponſalia cum alia. Poſtremò hanc aliam etiam imprægnavit. Quæſitum fuit ex Diana, referente in diſcuſſione hujus dubii haſce quatuor circumſtantias, utrùm poſteriora hæc ſponſalia ſervanda eſſent, an priora?*

b Reſpondet autem, non obſtantibus prioribus, poſteriora eſſe ad inſtantiam imprægnatæ ſervanda. 1. Ideo, quòd in prioribus non fuerit expreſſa conditio de diſpenſatione Papali, ſed ſolùm ſubintellecta, debuiſſe enim exprimi, declaravit Rota Romana apud eundem Dianam, probantem neceſſitatem exprimendæ conditionis ex Lege. *Conditiones extrinſecus. De condit. & demonſtrat.* Confirmatur hæc doctrina ex Seraphino relato ſuprà *numero 148.* 2. Ideo, quòd, licèt expreſſiſſet uterque conditionem, nihilominus Papalis diſpenſatio eſſet fruſtra idcirco, quòd poſt eam non intervenerit novus conſenſus, qui tamen neceſſariò debuerit intervenire: tum quia ſponſalia illa non potuerunt iniri ſub conditione *Leg. Inter ſtipulationem 82. §. Sacram. ff. De verb. ſignificat.* ubi ſtatuitur, ſi res à commercio eximatur, non poſſe ſuper ea contrahi obligationem, & contractam extingui, nec reviviſcere, ceſſante impedimento. *Leg. Continuus. 137. §. Cùm quis, eod.* tum quia ex facto à Lege improbato oriri nequit obligatio. *Leg. Cùm lex. ff. De fide juſſ.* ac proinde Papæ diſpenſantis in tali Caſu intentio ſit, dare facultatem contrahendi, non autem confirmandi, quod illicitè geſtum eſt.

Et verò conſenſum debere in talibus eventis neceſſariò renovari, tradunt plurimi, qui referuntur in Deciſione Rotæ, cujus feci ex Diana paulò antè mentionem, & quibus alios tum Canoniſtas, tum Theologos accenſet Riccius *in Praxi aurea. Tom. 1. Reſ. 228.* applicans hanc doctrinam vero Caſui ſponſalium contractorum ſub expreſſa conditione diſpenſationis Papalis, teſtánſque, ita practicari, deciſúmque à Rota non ſemel quod ego facilè credo, at non video, quo pacto prudenter fidem habeam Dianæ *cit. Reſol. 70.* affirmanti Rotam Romanam id *perpetuò* docuiſſe. Certè DD. relati ſuprà *num. 162.* contradicunt huic tam illimitatæ aſſeverationi. Et verò compertum habeo, *fuiſſe Romæ in prima, ſecunda, tertia inſtantia pronuntiatum pro actrice quadam Stelveta contra reum, de quo non poterat probari, quòd novum conſenſum præſtitiſſet poſt diſpenſationem, imò, quod plus eſt, non poterat probari, fuiſſe expreſſam conditionem diſpenſationis Papalis, & tamen duo Pontifices damnârunt ſponſum ad ducendam ſponſam.* Addit 3. Diana, dato, & non conceſſo, priora ſponſalia fuiſſe valida, nec novum conſenſum fuiſſe neceſſarium, tamen obſervanda eſſe ſecunda, juncta cum copula; eò quòd, quando duo contrahunt, unus de lucro acquirendo, alter de damno vitando, huic potiùs favendum ſit, quàm primo, atqui ſecundus id agit, ut damnum evitet, primus, ut lucretur, interim aut nullum, aut exiguum damnum timens. Refert autem Diana pro hoc judicio multos Doctores. Denique conclúdit idem Diana: eſto priora ſponſalia fuerint firma, tamen ſuperveniſſe juſtam cauſam ab iis reſiliendi, ſcilicet propter ſimultates, & odia inter ſponſum, & ſponſam, quæ quidem præbere juſtam cauſam reſiliendi à ſponſalibus, tradunt (eo referente) Hurtadus, Perez, Præpoſitus, Wigers, & alii. Verùm hi Doctores intelligendi ſunt non de qualicunque odio, & ſimultate, ſed de gravi, & probabiliter irreconciliabili, cujus gravitatem etiamſi ſolùm extrajudicialiter cognoverit Judex, poteſt tamen ferre ſententiam relaxationis, ut contra Ledeſmam tenet ipſe Diana, citans Jordanum, & Sanchezium *De Matrim. Lib. 1. Diſp. 20. n. 6.* c d

e Porrò quia ex Diana, & Riccio diſco, tum jura, tum Doctores, tum tribunalia (fateor ipſe, teſtórque, Conſtantienſe bis, térve rigidiùs proceſſiſſe) magis favere ſententiæ neganti valorem ſponſalium, de quibus diſſeruimus, niſi poſt obtentam diſpenſationem renovetur ab utraque parte conſenſus, & illi ipſi DD. ſatis apertè negant, incumbere huic, aut illi parti obligationem tunc renovandi, quando ſecunda ſponſa gerit uterum, eam ob rem

non eſt, *per ſe loquendo*, alterutra pars ad inſtantiam alterius compellenda à judice ad renovationem conſenſûs, at *per accidens* videtur tunc compellendus inprimis ſponſus, quando imprægnavit priorem ſponſam, quandoquidem ex una parte certum eſt, quòd, obtentâ diſpenſatione, licitè confirmet id, quod priùs ſpoponderat, ex altera autem videtur ſe obligare voluiſſe, & re ipſâ obligâſſe ad ſtandum promiſſione, ſi, ſalvâ conſcientiâ, ac circa ignoratam circumſtantiam fieri poſſet. Deinde etiam eſt idcirco adigenda prior ſponſa, ut proſpiciatur educationi prolis: quam rationem urgent variè Scriptores. Et quia Charitas incipit à ſe ipſa, ideo, licèt ſponſus pollicitus eſſet alteri Matrimonium, eámque etiam imprægnâſſet, ignaram priorum ſponſalium & imprægnationis, attamen non ſolùm non teneretur prior ſponſa, quam vocavimus Domitillam, urgere Diodorum, ſed potiùs teneretur non urgere.

166 IV. Quando innodati, Impedimento non fecerunt ullam mentionem diſpenſationis, negat P. Sanch. *cit. Diſp. 5. num. 26.* cum Covarr. Gutierez, & aliis contra nonnullos, quidquam virium ſubeſſe tali ſponſioni, eò quòd *L. Continuus 127. §. Cùm quis. ff. De verb. oblig.* expreſſè dicatur: *Non enim ſecundùm futuri temporis jus, ſed ſecundùm præſentis æſtimari debet ſtipulatio.* Ego propter tam clarum textum ſuſcribo ſententiæ Sanchezii, & à fortiori omnes illi, qui ſentiunt contra noſtram primam, & ſecundam reſponſionem. Unde ego aliquando per literas reſpondi, quandam Bertham hac etiam de cauſa difficiliùs inducturam ſponſum ad ſtandum promiſſione, quòd in hac non eſſet facta ulla mentio diſpenſationis, & tamen utrique parti compertum eſſet Impedimentum.

APPENDIX.

a Diſſertationi de ſponſalibus *ſub conditione Papalis diſpenſationis*, ſubnecto reſolutionem ad hunc

Caſum Notorium.

Caja fuit carnaliter cognita à ſuo compatre ex Baptiſmo, quæ tamen noluit concedere copulam, niſi poſtquam compater ſpopondit, ſe petiturum, ſoluturúmque diſpenſationem, at jam neutrum præſtare vult, nec Caja par eſt, ſolvendis expenſis neceſſariis in diſpenſationem. Quid conſilii fuit dandum illi Cajæ? Cajæ Confeſſarius extra Confeſſionem tamen conſultus ab eadem, petiit literis ex me cognoſcere, quid cenſerem.

b Reſpondi ego, Cajam jacturam periculoſam, & dubiam aleam, ſi velit ſententiâ judicis compellere compatrem ad ſtandum illâ duplici pollicitatione, ſiquidem Epiſcopus, ad cujus tribunal deferetur (minoribus ſumptibus) Cajus, ut compellatur ſtare promiſſis, fortè reſpondebit inprimis, ex facto lege improbato non oriri actionem *Leg. Cùm lex. ff. De fide. juſſ.* improbat autem lex canonica illum inceſtum, ex quo, & propter quem facta fuit ea promiſſio. Deinde cùm ſententia principalis, & definitiva ferenda ſit à Sede Apoſtolica, ad hanc quoque deferendam eſſe cauſam minùs principalem, per *cap. Acceſſorium, De Reg. jur. in 6.* & ibi exemplificata per Peckium. Fortè, inquam, utrumque hoc reſponſum dabit Ordinarius, eâ etiam ratione inductus, quòd non cogatur ſuum officium inutiliter impertire, fore autem inutilem hanc impertitionem, eò quòd Papa non videatur diſpenſaturus, quæ eſt altera cauſa, cur Caja meritò credatur jactura aleam valde incertam: tum quia retuli *n. 165.* tot autores teſtantes, hujuſmodi promiſſiones generatim haberi à Rota Romana pro invalidis: tum quia tunc ſaltem locum habet ille rigor Romanus, quando actrix non eſt gravida, adeóque non agitur bonum prolis, interim tamen jam eſt priùs corrupta, infamis quoque, & plebeja, aperiretur enim nimis lata porta pluribus inceſtibus, ſi cum talibus diſpenſaretur in lege plurimùm faciente ad bonum publicum. Is, quem ſuprà *numero 165. lit. C.* dixi, fuiſſe tam multiplici ſententiâ juſſum ducere corruptam, genuerat ex hac filiam, ex utroque parente nobilem, habet autem ſapientiſſima Curia Romana in pluribus eventis ſingularem, & meritò, rationem illuſtrium perſonarum, ſicut & prolis.

Quæritur IV. *Ad quid, & quantum obliget ſponſio matrimonialis facta ſub conditione*: Si pater conſenſerit? 167

Reſp. Ex omnium conſenſu ita obligat, ut, ſi pater, re intellectâ, apertè conſentiat, nec revocet conſenſum, oporteat ſtare illâ promiſſione: ſi verò pater initio conſentiat, deinde diſſentiat, tenebit nihilominus promiſſio in utroque caſu ſecundùm multos, in neutro tenebit ſecundùm alios, quos referunt PP. Sanchez *Diſp. 7.* Hurtadus *Diſp. 7. diffic. 5.* Perez *Diſp. 16. ſect. 11.* Dicaſtillo *Diſp. 5. dub. 4. & 5.* Tu ſequere in praxi illos, è quorum ſequela naſcentur minora incommoda, ſicut & in Caſu, quo pater neque contradicit, neque apertè diſſentit. Ego quidem puto, ita loquentes 168
ſolere eſſe ſolicitos, non tam ut pater conſentiat poſitivè, quàm ne contradicat cum indignatione, & proinde, ſi aut non contradicat, quia e. g. eſt mortuus, antequam ipſi innoteſceret illa promiſſio, aut contradicat quidem hodie, at cras conſentiat, arbitror impletam eſſe cond tionem.

At inquies: *Quid, amabo, intelligunt puellæ haud rarò dicentes. Tibi nubam, ſi Deo placuerit?* Ego autumo, eſſe hunc ſenſum illarum 169
communiorem: Si, re bene conſideratâ, deprehende-

hendero, eſſe expediens ad animæ meæ ſalutem, nubam tibi. Quare, ſi puellæ tales deprehendant, eſſe ſibi ad ſalutem conducibilius vel manere cælibes, vel nubere alteri, erunt omnino liberæ ſuâ promiſſione. Henricus Wangnereck *Commentario Exegetico in Decretales capite. Si conditiones. De condition. appoſ.* admittens poſt Silveſtrum hanc quoque explicationem. Equidem duo Ornatiſſimi viri, percallentes ſtylum in hac Curia Conſtantienſi vigentem, à me interrogati reſponderunt, nullam promiſſionem ſponſalitiam contineri hiſce verbis quoad forum *externum*, quod etiam judico de phraſi ad me Anno 1660. ſcripta his verbis: Wanns Gott ſchicken wird/ will ich dich heurathen: *Quando*, vel: *Si Deus ita res diſpoſuerit, te ducam.* Licèt enim vir apprimè doctus, qui meum de illa enuntiatione ſenſum literis exquirebat, exiſtimârit, eâ ſignificari *promiſſionem conditionatam, ſed conditione, quæ per ſe ſemper ſubintelligatur, & proinde moraliter, & juxta æſtimationem hominum perinde habeatur, & eadem, ac abſoluta*, mihi tamen tunc, ſicuti etiam nunc videtur, nequaquam *per ſe* ſubintelligi, ſed reor, eſſe potiùs explicandam, vel eo ſenſu, quo illa ſuperior: *Si Deo placuerit*, vel hoc: *Te ducam, ſi Deo dirigente, commodum mihi fuerit.* Atque ita cenſuerunt ſapientes viri à me interrogati. Ideóque per haſce duas formulas non conſtituuntur ſponſalia *abſoluta*, niſi eæ aliter declarentur per alias verborum, aut actionum circumſtantias juxta dicta *Caſu II.* Porrò de illa priore formula vide, ſi placet, differentes Sanchez *Lib. 5. Diſp. 7.* & Dicaſtillum *cit. Diſp. 5. dub. 2.* Inferiùs autem, ſcilicet *Caſ. VI.* tradam plura de ſponſalibus *conditionatis*, in ordine ad diſſolutionem eorum.

170 Quæres V. *Ad quid obligentur, qui Matrimonium contraxerunt ſub conditione pœnali? ut quando duo promittunt ſibi mutuò Matrimonium expreſſâ eâ conditione, ut pars, quæ promiſſis non ſteterit, pendat alteri 100. 200. aureos?*

Reſp. I. Certum eſt, partem reſilientem ex cauſa juſta non obligari ad illam pœnam, ſaltem ſi ſponſalia non fuerunt firmata juramento. P. Laymannus *Lib. 5. Tract. 10. Part. 1. cap. 1. num. 8.* ajens, hoc eſſe indubitatum: etenim, ut minimùm hoc decernitur *in cap. Gemma. De ſponſal.* ubi adfertur ratio; *Cùm libera Matrimonia eſſe debeant, & ideo talis ſtipulatio propter pœnæ interpoſitionem ſit meritò improbanda.*

171 II. Prædicta doctrina eſt vera, licèt ſponſalia ſint roborata jurejurando. Ita videntur ſentire omnes cum Laymanno. Ratio eſt, quia ii, qui jurant, ſe ſtaturos ſponſalibus, *tacitè* excipiunt Caſus, quibus jura permittunt reſiliri, etenim juramentum promiſſorium ſortitur conditiones actûs, cui adjicitur, ut latè explico *in Alphab. Quadrupl. Part. 2. num. 504. & ſeqq.* Accedit, quòd appoſitio talis juramenti apertiſſimè repugnet veræ, & morali libertati Matrimonii, & proinde obſervatio illius cedat in odium publicum. Ex quo ſequitur, tale juramentum eſſe illicitum, & qui vi hujus juratæ promiſſionis pependit pœnam, ſeu mulctam pecuniariam, habere jus repetendi.

III. At verò *licitè* adjicitur conditio pœna- 172
lis de mulcta ſolvenda ab injuſtè reſiliente. Barboſa *in cap. Gemma. n. 9. & 10.* Coninck *Diſp. 22. dub. 5.* Laymannus *Lib. 5. Tract. 10. Part. 1. cap. 1. num. 8.* Perez *Diſp. 7. ſect. 1. num. 6.* Baſilius Pontius, eúmque citans, & ſequens Diana *Part. 3. Tract. 4. Reſol. 211.* contra Tamburin. *Lib. 8. De Matrim. Tract. 3. §. 3.* Tannerum *Tom. 4. Diſp. 8. quæſt. 1. num. 44.* Dicaſtillum *Diſp. 1. dub. 26. num. 36.* Sanchez *Lib. 1. Diſp. 30. num. 2.* aſſerentem, omnes ſentire ſecum. Ratio reſponſionis eſt, tum quia jura adjectionem pœnæ prohibentia; quæ citat Sanchez, non loquuntur de injuſtè reſiliente à ſponſalibus contractis ab ipſomet in competente ætate, tum quia ipſamet jura Canonica minantur pœnam recedenti iniquè ab illo contractu. Suprà *numero 125.* tum quia fas eſt, ſponſalibus addere conditionem de perdendis arrhis, ut videbimus paulò poſt, tum denique, quia appoſitio, exactióque hujus pœnæ non officit veræ libertati Matrimonii, ſiquidem, qui pœnam incurrit, eſt jam aliàs privatus libertate, utpote, qui ſit ſub mortali obligatus ſtare fide da-
tâ. Ex quo fit, ut meritò diſſentiamus ab eo- 173
dem Sanchez *Diſp. 32. numero 21.* Tannero *loc. cit.* Dicaſtillo *num. 371.* atque aliis contra alios negantibus, deberi eam pœnam, etſi, qui inique fidem fregit, juraverit, ſe ſtaturum promiſſis.

IV. Quando ſponſi promittunt ſibi invi- 174
cem aliquid, ſi permanſerint conſtantes in ſua promiſſione, nullatenus improbantur à quoquam, nec enim intervenit tunc ullo modo pœna.

V. Sicut nec improbatur conditio, ut, qui 175
injuſtè reſilierit à ſponſalibus, perdat arrhas, ſicuti conſtat ex *Leg. ult. C. De ſponſal.* nomine enim *arrarum*, ſeu, ut alii ex græco ſcribunt, *arrharum*, & *arrhabonum* intelligitur hic pignus, quod datur inter ſponſos in ſignum Matrimonii, ut ſunt annuli, nummi aurei, faſciæ elegantiores, gemmæ, & alia ejuſmodi, de quibus, earúmque retentione, quantitate diſſerunt fusè Sanchez *Lib. 1. Diſp. 35. & ſeqq.* Perez *Diſp. 7.* Dicaſtillo *Diſp. 1. dub. 26. & ſeqq.* breviter, & pro communiore praxi ſufficienter Laymannus *cit. Tract. 10. Part. 1. cap. 1.* atque
alii. Illud obſervo ad confirmandam ſenten- 176
tiam *Reſp. 3.* probatam, illum, qui abſque legitima cauſa frangit fidem ſponſalitiam, obligari non ſolùm ad reddendam arrham, quam accepit, ſed etiam ad ſuperaddendum tantum, quantum valebat accepta arrha. *cit. Leg. ult. Cod. De ſponſ.* imò poſſe à ſponſis adjici conditionem, ut perfidus ſponſus, vel ſponſa egreſſi Annum ætatis vigeſimum quintum, ultra re-

ſtitutio-

ſtitutionem arrhæ acceptæ addant duplum, decuplum &c. illius ejuſdem arrhæ, ut tradit communis DD. cum, & apud Sanchez *cit. Diſp. 35. num. 8. & 9.* multis illorum fruſtra conantibus adferre ſolidam rationem, ob quam ſit permiſſa hæc conditio de duplo, quadruplo, centuplo, & non de pœna, quare meritò concluſimus ſuperiùs, adjectionem pœnæ propriè dictæ eſſe etiam in hoc contractu permiſſam.

At quid reſpondendum ad hunc

Caſum Præteritum?

177 *Diethmarus promiſit ſanctè Matrimonium Dymnæ virgini honeſtæ, ſed poſtmodum irretitus amore alterius negligit Dymnam, quæ cauſata, eſſe à ſe occaſione celebratorum ſponſalium neglectum optimum Matrimonium, ita ſtrenuè urget ſuam cauſam apud judicem, ut hic dicat Diethmaro:* Vel duc Dymnam, vel pende illi 100. Quos petit, aureos, vel certè feriam te excommunicatione. *Diethmarus perculſus hac ſententiâ ait, ſe potiùs ſervaturum fidem Dymnæ, quàm penſurum illam ſummam, aut excommunicationis pœnam. At prævidet judex, naſcitura ex hoc conjugio probabiliſſimè illa gravia mala, quæ ſuprà* Sect. 1. n. 128. *enumeravimus. Quæritur, an &* licitè *decreverit illam pœnam pecuniariam, &* licitè *urgeat executionem ejuſdem?*

178 Hunc Caſum appello *Præteritum*, non ſolùm, quia jam ante Annum 1639. quo illum ſcripto reſolvi, acciderat, præterieratque, ſed etiam ideo, quòd mei Doctores Morales eum prætereant ſilentio, nec enim invenio, qui diſcutiat *formaliter* hanc quæſtionem: *An ſcilicet poſſit judex ad inſtantiam partis læſæ eâ ratione, quæ exprimitur in hoc Caſu, lædenti minari disjunctivè pœnam ſpiritualem, aut corporalem, pecuniariámve*, & tamen toties *implicitè*, vel *explicitè* petit apud nos Germanos pars læſa ejuſmodi pœnam.

179 Ego illo Anno 1639. reſolvi, Dymnam probabiliter jure egiſſe, dum poſtulavit à Judice, ut Diethmaro intentaret alterutram pœnam.

Ratio erat *prima*, quòd viderem, hanc poſtulationem eſſe conformem perſuaſioni, uſuſque notorio privatarum perſonarum, publicarúmque in Germania noſtra. Poſſem tres nominare Diœceſes, in quibus vel ad 100. 200. aureos damnati, vel cum ſponſa tranſigere quoad rationabilem ſummam compulſi fuêre ſponſi frangentes fidem, tametſi ſponſæ non adierint è fracta fide damnum ullum poſitivum, aut æquivalens illi ſummæ.

180 Ratio *altera* erat, quòd Dymna habuerit jus adigendi pœnâ excommunicationis Diethmarum ad fidem ſervandam. Suprà *num. 125.* ubi qui communis ſententia fert, licere pro jure accuſandi in facto privato paciſci de ſumma pecuniaria, ſicut & potuit exigere compenſationem pecuniariam *formaliter* ob injuſtitiam in ſe à ſponſo admiſſam, vel admittendam per iniquum receſſum, ut fit in aliis contractibus. Sanchez *Lib. 1. Diſp. 30. num. 15.*

Ratio *tertia* accedebat, quòd, licèt Sanchez *cit. Diſp. 30. num. 12.* cum pluribus aliis neget, ſponſam poſſe exigere compenſationem lucri, ſeu commodi temporalis, quod nacta fuiſſet, ſi ſuus ſponſus ſtetiſſet promiſſis, meritò tamen ſecutus Gloſſam *in Leg. Titia 134. ff. De verb. obligat.* communiter receptam, ut teſtatur Coſta apud Barboſam *in cap. Gemma. De ſponſ. num. 8.* exiſtimo contra eundem Barboſam, Sanchez, atque alios inficiantes generatim jus exigendi in hac materia quidquam ratione lucri ceſſantis, nil obſtare, quin, ſicut in aliis contractibus poteſt agi de lucro, ſeu emolumento ceſſante ob culpam alterius contrahentium, ita etiam valeat in matrimoniali, ſeu ſponſalitio. Confirmatur ex dicendis *num. 265. & 266.* Quòd ſi Dymna ſequens fidem Diethmari feciſſet expenſas notabiles in veſtes nuptiales, futurum convivium nuptiale &c. tum rectè tenent iidem Sanchez, ac Barboſa poſt alios contra Hoſtienſem, & Silveſt. *verb. Sponſalia. quæſt. 8.* illam omni jure potuiſſe agere ad intereſſe, ſeu ad reſarciendum hoc damnum poſitivum. Sicut & aſſentior iiſdem duobus Doctoribus cum aliis communiter inficiantibus, poſſe quidquam exigi præciſè ob commodum (à bonis fortunæ diſtinctum) eventurum è conjugio promiſſo, ſeu quia contractus matrimonialis eſt inter Chriſtianos res ſpiritualis, ſuperans omnem temporalem æſtimationem, ut argumentatur Barboſa, ſeu quia videtur uſu omnium receptum, ut ad hanc compenſationem ſufficiat obligatio ſubmittendi ſe anathemati, ſi judex velit illud infligere. Certè Curia Conſtantienſis non admittit ejuſmodi querelas. Judicem Dymnæ quod attinet, ſi prævidiſſet, ſecutura ex illo coacto conjugio mala, quæ innuuntur in Caſu, rationes, quibus Theologi evincunt, refractarium ſponſum non eſſe, juxta dicta ſuprà *num. 128.* compellendum, ut invitus contrahat, quando tam infelix eventus formidatur, videntur etiam mihi probare, abſtinendum etiam eſſe exactione, ſeu compenſationis pecuniariæ, quando metus eſt illorum malorum. Certè ſi judex repellat in tali circumſtantia petitionem ſponſæ, habebit patronos pleroſque omnes Doctores, ut videre eſt apud Sanchez, & Barboſam locis citatis. *At ſponſa adivit magnum damnum poſitivum?* Ergo judex *abſolutè* condemnet ad reſarciendum, nec patrocinetur malenti ducere inviſam, quàm præſtare damnum, cujus ipſe cauſam dedit ſuâ pollicitatione, etenim malitiis hominum non indulgendum. *Text. Cap.*

Cap. Plerumque. De reſcript. Plura circa hunc Caſum infrà *num. 265. & 266.*

183 Dictis de ſponſalibus *conditionatis* ſubjicio ad ſequentem propoſitum mihi Caſum

Reſolutionem multis inexſpectatam.

Dorothea Virgo poſtulata à Deſiderio Nobili juvene in conjugem, ob annulum inſertum ſibi in digitum à Deſiderio, retentúmque ab eadem, fatetur inſertionem, retentionémque, addit tamen, ſe, dum permittebat inſeri, dixiſſe: Permittam inſeri, ſervabóque annulum, ſi placeat meæ matri, *matri verò non placuiſſe. Quæſitum fuit, teneretúrne Dorothea probare, fuiſſe à ſe adjectam illam conditionem? An verò incumberet Deſiderio probare, non fuiſſe adjectam?*

a Et verò non deerant, qui rotundè pronuntiabant, Dorotheam fuiſſe obligandam ad probationem, eò quòd affirmanti incumbat probatio. *Leg. 2. ff. De probat.* probare enim oportet, nec ſufficit dicere. Gloſſ. *in verb. Dicatur in Leg. 1. ff. Si quadrupes pauper. feciſſe dicatur,* & reus ſuam exceptionem probare debet, quia in exceptione actoris vices ſuſtinet. Prateus *De Regul. juris. Lib. 7. Tit. 8. cap. 1.* & denique tenetur quiſque intentionem, in qua ſe fundat, probare: *Text. in cap. Bona. 1. De elect. & elect. poteſt.* ibidémque Gloſſ. *in verb. per reum.*

b Nihilominus tamen viſum eſt viro theoriâ ſimul, praxique excellenti, non Dorotheam ad adjectæ, ſed Deſiderium ad non adjectæ conditionis probationem fuiſſe adigendum, quod judicium idcirco nequeo damnare, quòd communis Doctorum opinio ferat, quando reus in cauſis civilibus, ſeu non criminalibus confitetur id, quod *principaliter* exigit actor, ſuam tamen confeſſionem qualificat, actor non poſſit illam confeſſionem acceptare in ſuum commodum, niſi acceptet ſimul qualificationem: quam qualificationem ſi neget ipſe, probare tenetur, eam defuiſſe, niſi habeat præſumptionem pro ſe contra reum. Illius communis
c doctrinæ, quam ſatis intricatè tradit Baldus *in Leg. un. Cod. De Confeſſ. num 20.* perſpicuè verò Abbas *in Cap. Cùm veniſſent. De inſtit. num. 7. & 12.* & in contingentia facti Alexander *Lib. 1. conſil. 87. num. 1.* ac rurſum *Lib. 7. conſil 80.* (ubi in ſpecie loquitur de Reo fatente, ſe quidem ſpopondiſſe Matrimonium, ſed *ficté*) vult enim totam hanc propoſitionem admitti ab actrice, & non duntaxat primum ejus membrum, atque expreſſè ſcribens: *Si confiteor, me tibi promiſiſſe ſub certa conditione, oportet, quòd tu acceptes illam confeſſionem cum illa conditione adjecta.* Atque eandem doctrinam exhibens ex inſtituto Andreas Gaill *in Tract. De Pace publ. Lib. 1. cap. 17. n. 1. 2. 3.* Ratio hujus
d doctrinæ eſt, quia, qui confitetur cum qualificatione, agit potiùs partes *negantis*, quàm *affirmantis*, etenim habet ſe perinde, ac ſi factum per omnia, ſeu integre negaret. Bartolus *in Leg. Cùm de indebito. ff. De probat.* Unde Alexander *loc. cit.* non ſolùm generatim, ut retuli, dicit, quando fateor, me tibi aliquid promiſiſſe, aut cum certa conditione, debere a te admitti totam meam illam confeſſionem, ſed etiam hanc doctrinam applicavit cauſæ pecuniariæ ad forum deductæ, de qua conſultus erat. Igitur ex mente horum Doctorum videtur omnino dicendum, Deſiderium fruſtra admiſiſſe illam confeſſionem Dorotheæ, ſi negavit adjectionem conditionis, non valendo probare hanc negationem eo modo, quo propoſitio negativa probari poteſt, videtur, inquam, hoc dicendum ex mente illorum Doctorum, adeóque communi ſententia, niſi fortè excipiatur, cauſam ſponſalium, utpote matrimonialem, comparari quoad probationes cauſis criminalibus, in cauſis verò criminalibus, ut probat Gaill, locum non habere eam doctrinam. At, quia me necdum pœnitet negâſſe haud ſemel, cauſam ſponſalium eſſe aut ſtrictè matrimonialem, aut ſubjectam legibus de proceſſu criminali latis, ideo jam nequeo ſtare illâ exceptione: quam etiam idcirco rejicio, quòd cauſa, cur in criminalibus debeat reus probare qualificationem, ut, cùm dicit: *Occidi quidem Cajum, ſed feci ſolùm inculpatæ tutelæ ergò*, ſit, quia in fatente rem per ſe illicitam eſt præſumptio, quòd malâ egerit intentione, ſeu ſine jure, at nulla præſumptio militat contra fatentem, ſe acceptâſſe annulum, ſed potiùs eſt præſumptio, quòd, cùm eſſet Dorothea ſub poteſtate matris, quam ſummè reverebatur, noluerit ſine hujus approbatione retinere annulum. Sed nec adjectio conditionis eſt propriè exceptio dicenda, alioqui foret illa communis Bartoli, Baldi, Alexandri, Abbatis doctrina apertè falſa. Magis urget tum certa Regula, quòd Reus in exceptionibus fiat Actor. *Leg. 1. ff. De exception.* tum id, quod dixi de neceſſitate probandi intentionem, in qua ſe quis fundat, etenim Dorothea fundabat ſe in adjectione conditionis poſtmodum non purificatæ. Verùm reſponderi poteſt, tunc eſſe intentionem, in qua ſe quis fundat, probandam, quando in ea ſe fundat purè affirmando, non autem, quando ſimul negando juxta doctrinam ex Gaill, & Bartolo ſuperiùs traditam.

Vix mandaveram chartæ, quæ nunc typo, 184
cùm me conſilii cauſâ convenit juvenis, ſingulariter mihi notus, conſulens ſuper lite ſponſalitiâ ſimul, & *objectivè* conditionatâ, propoſitâ verò cum multis paraſangis, quas coërcui

Hiſce paucis lineis.

Dionyſia fatetur quidem, ſe mihi promiſiſſe Matrimonium, at ſub duplici conditione.

Digitized by Google

ditione. 1. Si accederet conſenſus Curatoris. 2. Si ei placeret mea, quam nunquam viderat, domus. Negat jam, impletam eſſe alterutram conditionē, negat & Curator ipſe, ſe dediſſe conſenſum. Primam conditionem eſſe purificatam ſcio quidem, ipſe enim Curator à me poſtea interrogatus expreſſit, ſe nolle impedire, ſeu diſſolvere ullum Matrimonium, at id nequeo probare, niſi duobus Teſtibus, coram quibus cùm eſſet (ante noſtram actualem promiſſionem) injecta mentio de Matrimonio inter me, & Dionyſiam, edixit, fore id ſibi non ingratum, item verbis Dionyſiæ fatentis, ſe dixiſſe mihi, fore, ut mihi mox redderet munera, quæ à me acceperat, ſi Curator non conſentiret, hactenus autem non reddidit. Domum meam ipſi placuiſſe probare poſſum teſte uno, & inſuper in ſupplementum probationis manifeſtati coram me conſenſûs, ut & quòd mea domus ipſi placuerit, offero me ad juramentum. Quæro igitur, an prudenter ſperare poſſim, hoc juramentum & admiſſum iri, & finiturum litem?

Reſpondi ex dictis de juramento ſuppletorio ſuprà *Caſ. II. num. 71. & 93.* prudenter poſſe, his poſitis, utrumque ſperari. Quod enim ſpectat conſenſum Curatoris, habet ipſe actor præſumptionem pro ſe hanc, videlicet quòd voluntatis mutatio non ſit præſumenda, ſed continuatio Romanus *conſ. 295. num. 7.* & qui dicit, voluntatis mutationem eſſe factam, debet illam probare. Roman. *ibid. num. 8.* niſi igitur probet Curator Dionyſiæ, ſe à propoſito receſſiſſe, cenſebitur præbuiſſe conſenſum, adeóque probatum erit, primam conditionem fuiſſe purificatam, quam purificationem ſatis probat retentio munerum tam diuturna, cùm fateatur Dionyſia, ſe dixiſſe, ſe reſtituturam mox, ſi Curatori non probaretur illud Matrimonium: etenim voculæ: *mox: quamprimum: illico* ſignificant idem, quod intra triduum *Leg. fin. Cod. De error. Advocat.* effluxerunt autem non ſolùm tres dies, ſed tres menſes. Domum quod ſpectat, cùm illam placuiſſe Dionyſiæ, teſtetur idoneus Teſtis, ſi accedat juramentum actoris, efficiet plenam probationem. Suprà *Caſ. II. num. 93.* Et verò eſſe huic deferendum, non autem reæ, deducitur apertè ex dictis *cit. Caſ. II. num. 94.* quandoquidem vel maximè tunc defertur actori juramentum ſuppletorium, quando habet Teſtem pro ſe. Suprà *num. 94.*

APPENDIX. I.

HAud ambigo multos ex meis lectoribus eſſe miraturos reſolutionem, quam de qualificatione confeſſionis admittenda neceſſariò ab eo, qui admittit ipſam Rei confeſſionem, dedi, quia tamen ſe primùm nuper obtulit neceſſitas quædam applicandi illam eandem doctrinam Caſui manifeſtè concernenti æternam ſalutem nobilis juvenis, multum à judice Eccleſiaſtico in cauſa matrimoniali gravati, egóque literis rogatus fui remedium, confirmo eandem puris Theologis peregrinam reſolutionem

Reſolutione alterius Caſûs vix probandâ Germanis.

IN cauſa, & lite inter Bondum, ac Dorotheam, viſis actis mihi exhibitis videtur, dictum Bondum fovere (dum recuſat ſtare promiſſione de illa ducenda) juſtitiam, quia Bondus confitetur quidem, quòd cùm eſſet filo captus in dicta Dorothea (hanc phraſin Alexandri, latinæ Grammaticæ oppidò, vel imperiti, vel negligentis, more ſæculi, quo ipſe vivebat, corrigat, vel interpretetur lector me in divinando felicior) *& eſſet ſolus cum ea*, & vellet illam carnaliter cognoſcere, & illa recuſaret, promiſit Dorotheæ, accipere illam in uxorem, ſi ipſa ſibi conſentiret, & quod poſt illam promiſſionem dicta Dorothea annuit, & ipſe tunc eam carnaliter cognovit, non tamen accipiendi illam in uxorem, ſed animo implendi votum (*id eſt libidinem ut interpretor*) ſuum. Et quamvis quando poſt ſponſalia de futuro ſubſequitur copula carnalis tranſeant (*ſecundùm jus antiquum*) in Matrimonium de præſenti, tamen ubi de caſu copulæ non conſtat niſi per confeſſionem viri, qui ſub una, & eâdem conceptione verborum, ſeu in eâdem oratione confitetur copulam eſſe ſecutam, non tamen animo eam accipiendi in uxorem, talis confeſſio non poteſt ſeparari, ſed aut in totum acceptari, aut in totum ſperni, ut notat Gloſſa & DD. in L. *Siquidem Cod. De except.* & notat Cynus, Speculator, ac Bartolus.

Hunc Caſum ſibi propoſitum refert Alexander *cit. Lib. 7. conſil. 80.* atque reſolvit. verbis huc translatis, at minimè approbandis in tribunalibus Germaniæ, quatenus illa generalis doctrina, quæ manifeſtum fundamentum habet *in cit. Leg. Siquidem* extendatur ad Caſum huic ſimilem, eſt enim Teutonum fides, ſeu candor animi longè major, quàm ut queat patrocinari illis exceptionibus, quæ fundantur in delicto, cùm non detur facilè præſumptio delicti. Eam ob rem licèt Alexander variis locis repetat (eſt enim hic Doctor in ſuis reſponſis haud paulò conſtantior, quàm Decius, aut etiam Baldus) hanc doctrinam, quòd videlicet admittens confeſſionem rei, debeat etiam admittere confeſſionis qualitatem, eam tamen optimi DD. (conformiter exemplo allato in eadem lege) reſtringunt ad illum ſaltem Caſum, in quo exceptio non ſit turpis, quo etiam ſenſu illam applico ſequenti

Caſui

Digitized by Google

Caſui dupliciter novo

d Dionyſius minorennis confeſſus in judicio ſe Dominicæ promiſiſſe quidem Matrimonium, at metu reverentiali adductum. Nunc ita abhorret à Dominica, ut mori malit, quam illi matrimonialiter convivere, jubetur tamen ſententia judicis eam ducere, condemnatur in omnes expenſas, perſcribitur ad me Anno 1677. ex Diœceſi multum ab hac diverſa hic Caſus, rogor remedium, quod & attuli reſcribens, poſſe Dionyſium inprimis provocare ab hac ſententia, poſſe deinde appellare etiam poſt fatalia.

e Primi reſponſi rationem deſumpſi ex *cit. L. Siquidem. De except.* clariſſimè huc faciente, ſi enim quo caſu debet vel integre rejici, vel integre admitti confeſſio, involuens conditionem, aut exceptionem, admittenda eſt hîc, tum quia jus Canonicum ſummè deteſtatur metum, favétque libertati in cauſa matrimoniali, ſicut & ætati minorenni, utpote obnoxiæ fraudi, ac violentiæ, eámque ob rem reſtituuntur in integrum pupilli, & minorennes per appellationem etiam poſt fatalia, & quidem ſpeciatim in cauſa matrimoniali ſeu ſponſalitia. Alexander *cit. conſil 80. lit. b.* applicans hanc doctrinam ſuo clienti Bondo, quod quidem quadriennium incipit ab Anno ætatis XXV. quia ab Anno, quo quis incipit eſſe major. Tuſchus *lit. R. concluſ. 298. num. 11. ex Leg. fin. Cod. De temp. in integrum reſtitut.*

f Hunc verò caſum appello idcirco *dupliciter novum*, quòd & contigerit hoc ipſo Anno 1677. quo illum elucido, & mea reſponſio acciderit admodum Nova, debuit autem in praxin redigi hoc, ut dixi Anno. Adeundus igitur erat ille ipſe Judex, vel ſucceſſor judicis, à quo condemnatus fuerat Dionyſius, ac petenda in integrum reſtitutio, quam ſi negaret, provocandum erat ad ſuperius tribunal: ſi concederet, dicendum erat, ſentio me *gravatum ſententia in me latâ tali, & tali Anno &c.* ideo autem gravatum, quòd cùm faterer, me quidem dediſſe fidem matrimonialem Dominicæ, illi meæ confeſſioni non addiderim & quidem immediatè, in eodem ſermone, me id feciſſe ex metu reverentiali erga parentem, cujus ſummam indignationem incurriſſem, niſi ad ejus inſtantiam conſenſiſſem in tale Matri-

g monium de futuro. Et repeto quidem id ipſum, quod tunc, videlicet, quòd ipſi promiſerim Matrimonium, ſed injuſto metu inductus, nec teneor probare hanc exceptionem ſeu adjectionem de metu, ſed quemadmodum mihi ſine ullo teſte fatenti eſſe factam à me illi pollicitationem, credidiſtis, ita etiam credere debetis alleganti metum, adeóque meam confeſſionem vel totam admittere, quod unicè peto ex vi juris communis, quod habetur in Leg. *Siquidem ſeu IX. Cod. De exception. ſeu præſcript.* communique interpretum. Si neutrum impetrare queo, appello à ſententia contra me tunc minorennem lata, inſtructus privilegio legis *fin. Cod. De temp. in integrum reſtit* quam ipſemet Conditor Juris Juſtinianus ſanxit, petóque Apoſtolos.

APPENDICULA.

Experior intra pauculos Annos frequentiorem, quàm antea neceſſitatem rejiciendi vel uſurpandi doctrinam ex Alexandro paulò antea relatam & non admiſſam. Etenim hoc menſe Septembri Anno 1678. Quæritur ex me, qui procedendum ſit in foro externo cum Scævola fatente quidem ſe Mæviæ integræ famæ puellæ ſæpe tempore ipſius copulæ perfrequenter habitæ, at ſine ſeminis in debitum vas effuſione ſpopondiſſe Matrimonium, minimè tamen ſeriò, ſed joco, quem Mævia potuerit haud difficulter cognoſcere ex vultûs, & oris conformatione. Negat autem illa, ſe quidquam ejuſmodi notâſſe. Cùm ergo Scævola fateatur, ſe omnino protuliſſe verba clarè ſignificantia ſponſionem Matrimonii de futuro, adigendum eſſe ad ſtandum illis verbis, prætendit Mævia, an petit jure? h

Reſponderet Alexander in Italia relatus ſuprà *lit. C.* negativè. Ego in Germania affirmativè, ob cauſam allatam *lit. d.*

Sed replicabatur, eundem Scævolam poſtmodum ſeriò dediſſe fidem matrimonialem Læliæ, quæ jam putetur gravida. Reſpondeo inprimis hanc alteram promiſſionem eſſe iniquam, invalidámque, utpote repugnantem illi, quæ data fuit legitimè Mæviæ, quæ jure ſuo nequaquam vult cedere. Reſpondi deinde, cùm bonum prolis maximi fiat, & merito quidem à Theologis ac Juriſtis, ut ſæpe & neceſſariò obſervo in hoc opere, poſſe in præſenti Caſu dari locum doctrinæ Alexandri, modò certum ſit, alteram eſſe imprægnatam, etenim non eſt alienum à communi ſenſu Theologorum ac Jure conſultorum ſequi ob piam, gravémque cauſam, opinionem minùs probabilem.

APPENDIX. II.

Protuli quidem *num. 183.* in medium plura de onere probandi, fuiſſe, aut non fuiſſe ſponſalibus adjectam conditionem; ac ſoliti ſint mei in palæſtra *morali*, ſeu commilitones, ſeu collegæ, quia tamen his jam alterum prelum expertis oblata fuit mihi non ſemel occaſio recurrendi ad eam minimè familiarem Theologis doctrinam, atque primùm hoc menſe Junio Anno 1673. conventus fui ab una nobilium perſonarum, litigantium etiam ratione illius ipſius argumenti, quarum deinde una aſſerebat, fuiſſe à ſe expreſſam conditionem: *Si conſenſerit NN.* altera negabat: eam ob rem exiſtimavi, eſſe adhuc aliquâ luce perfundenda, clariúſque ob oculos uſu pe- i

ritorum, qui conſuli conſueverunt, Theologorum, ſtatuenda, quæ dixi de illa probatione incumbente actori neganti, non autem reo aſſerenti, ſic autem declaro.

Certum eſt, reum non teneri plus negare, quàm aſſerat actor, nec plus huic concedere, quàm ipſe in ſuo libello petat, de jure etenim illa forenſis, ſolenniſque Advocatorum formula: *Credit*: *Non credit*, refertur ad verba partis adverſæ, intellecta in ſenſu intento ab eodem, nam & ſcriptum (ſeu nuda verba ſcripti) ſequi, calumniatoris eſt, teſte Tullio *in Orat. pro Cecinna*, & *is committit in legem, qui legis verba ſequens contra legis nititur voluntatem cap. fin. De Reg. jur. in 6.* quando autem actor, ſciens aſſeri, ſeu excipi à reo, additam fuiſſe pollicitationi ſponſalitiæ conditionem de futuro, inſerit libello ſuo: *Calphurnia repromiſit mihi Matrimonium de futuro*, intelligit repromiſſionem vel *abſolutam*, vel *conditionatam*: Non *conditionatam*, alioqui eſſet lis finita, ferè priuſquam inchoata igitur deſignat *abſolutam*, omnique conditione de futuro nudam: conſequenter dicit *implicitè*: *Calphurnia ſtrinxit ſe mihi promiſſione abſolutâ*, hæc ejus poſitio, ſeu articulus *implicitus*, habet tantam vim, quantam ſi *explicitè*, *expreſſéque* forent inſerta libello ea ipſa verba. Clarus textus *in Leg. 3 ff. Si cert. pet. & Leg fin. §. Lucius. ff. De legat. 2.* etenim taciti & expreſſi idem eſt judicium. Barboſa *Axiom. 218.* atqui ſi actor expreſſiſſet ea, quæ repræſento, verba, manifeſtè affirmâſſet, promiſſionem fuiſſe *abſolutam*, nudámque omni conditione de futuro, ergo illum premerent vulgata jura *Affirmanti incumbit probatio*.

k Vice verſâ, quando pars rea dicit: *Non credo*, prorſus habet ſe perinde, ac ſi formaliſſime diceret: *Nego, pernego, à me datam Matrimonii repromiſſionem abſolutam*: quæ formula, quia eſt in terminis negativa, non includens ex ſua natura ullam affirmationem, mirum non eſt, nullam quoque exigi probationem illius.

Quin imò, ſi actor volens capere Ream in verbo, & compellere ad affirmativam propoſitionem, ſeu ad dicendum expreſſè: *Promiſi quidem, ſed disertè adjeci conditionem*, interroget: Nonne perſpicuis verbis dixiſti: *Promitto tibi Matrimonium?* poterit evadere laqueum, & decipulam, quam ponit actor reſpondendo: *Nihil tibi promiſi, planè nihil*: ſubintelligendo: *Nihil abſolutè*, etenim, ut notavi ſuprà, non tenetur reſpondere niſi juxta legitimam intentionem, ſeu actoris, ſeu ipſius etiam judicis, eſtque hîc unus ex caſibus, quibus eſt mihi evidens, quidquid Laqueones contra fulminent, fas, licitúmque eſſe uti reſtrictione mentali. Nôrunt propè tyrones Juris, extare in legibus, Canonibus, ipſa ſacra, ſacratiſſima Scriptura, horum interpretibus complures centurias receptorum, uſurpatorúmque, ut jacent Axiomatum, Regularum, pronuntiatorum, vaticiniorum, & tamen hæc ipſa quantumvis, *abſolutè* admitti ſolita Axiomata &c. pati debent quandoque decem, quandoque viginti, imò plures, ut digito demonſtrare poſſem, limitationes, quid autem, amabo, aliud ſunt hæ limitationes, quàm reſtrictiones mentales? Quare harum ſobrium uſum defendo *in Alphab. Quadrupl. Part. 2. num. 623. & 629.* nec reor, contrariam eſſe probabilem, niſi ſolâ autoritate, quatenus generatim damnat omnes ejuſmodi reſervationes. Vide Guil. Le Maire *in Statera Saulis Sinnichiani ſect. 2. cap. 8. §. 1. & ſeqq.* repræſentantem verba Adriani, Malderi, Molani, Doctorum Lovanienſium, qui uſum æquivocationum, & reſtrictionum apertiſſimè admiſerunt etiam in caſibus, in quibus fortè nullus Jeſuita.

APPENDIX. III.

Iſtius Appendicis cauſam præbuit æquè recens, atque præcedens l

Caſus, cauſatus morte futuri ſoceri.

F*Robenius juvenis artifex procatur Luciliam, dicentem, ſe non alienam eſſe ab ipſo, nihil tamen velle polliceri citra expreſſum conſenſum patris, quem proinde factâ utrinque promiſſione Matrimonii ſub conditione conſenſûs paterni convenit Frobenius, refértque hoc reſponſum comiter, ac benevolè datum* Exhibe priùs coram Magiſtris de more ſpecimen tuæ artis, ubi id feceris, redi ad me, aperiam tunc abſolutè meam mentem. *Frobenius exhibet illud ſpecimen, commendatur ab omnibus Magiſtris artis, ſed priuſquam ſe ſiſtat deſignato ſocero, imò priuſquam ederet illud ſpecimen artis migrat parens Luciliæ è vita, ac ſimul perit amor Luciliæ in Frobenium, qui ab ea recuſatus movit ipſi litem coram Conſiſtorio. Quanto id Jure?*

Exiſtimavi conſultus ab una partium, aliquo apparente quidem, ſed re ipſâ nullo. Ratio eſt, quia ex una parte liquet, illam ultro, citróque promiſſionem fuiſſe propriè conditionatam, adeóque conſtituta ſponſalia propriè conditionata. Atqui promiſſio conditionata non obligat niſi impletâ conditione. Suprà *Tract. 9. Caſ. XXIII. n. 706.* non autem eſt hîc impleta, ſiquidem nullus planè conſenſus fuit datus à patre, imò expreſſè dilatus, & quidem ſub dubia ſpe, nec poteſt à quoquam hæc reſolutio in terminis propoſiti Caſûs revocari in dubium. Sed addebatur à quibuſdam, in primis patrem puellæ dixiſſe, conſenſurum ſe, ſi ſpecimen bene cederet, ſicuti re ipſâ ceſſit m

ex

ex voto, deinde eundem patrem, cùm varii gratularentur ipſi tam peritum ſuæ artis generum, non contradixiſſe, adeóque ſatis indicâſſe, ſuam conditionatam voluntatem tranſiviſſe in abſolutam, *diſſimulans* enim *pro tacente habetur.* Baldus *ad L. Suum. C. De repud. hæred.*

n Verùm illa prima replica, ſeu additio, eſto ponamus, eam probari teſtibus idoneis, attamen parum patrocinatur Frobenio, etenim promiſſio conſenſûs non eſt ipſe conſenſus, Lucilia verò *expreſſe, formaliter, reflexè* requiſivit conſenſum *poſitivum* paternum, qui tamen nunquam re ipſâ eſt ſecutus. Quod enim in altera replica dicitur de ſilentio illius, dum alii gratularentur illam affinitatem, eſt nimis exiguarum virium, nec enim inde ſequitur, patrem vel tunc conſenſiſſe, vel dediſſe tunc ſignum, & quaſi teſtimonium præbiti priùs conſenſûs. Non *primum*, ſiquidem non niſi inſulſè præſumitur præbuiſſe tunc, quem nunquam antè præbuit conſenſum, nam & nemo tunc gratulantium petebat, & ſicuti nemo generatim loquendo præſumitur jactare ſuum in talibus circumſtantiis *Leg. Cùm de indebito. 25. ff. De probat.* Tiraquellus *in Leg. Si unquam. verbo donatione num. 206. & ſeqq.* ita nec ſpeciatim libertatem conſentiendi, & non conſentiendi, libertas enim rebus omnibus favorabilior eſt *Leg. Libertas. 164. ff. De Reg. jur.*

Non *ſecundum*, quia Regulam: *Qui tacet in eo.* intelligunt omnes de conſenſu, qui tunc dari præſumitur, non qui datus fuit, niſi fortè tunc, quando fit expreſſa quæſtio de eo.

QUOMODO PROBETUR QUIS DEFLORASSE VIRGINEM, ET AD QUID OBLIGETUR TALIS?

CASUS V.

Forenſis.

SUMMARIUM.

Caſus aſſerentis, impregnationem factam à negante illam. 185.

Non eſt facilè credendum mulieri etiam juranti, ſe ab hoc, aut illo defloratam. 186.

Quomodo ergo probabit ſuum dictum? 187. & ſeqq.

Ad juramentum ſuppletorium probationis qui admittantur? 189.

Caſus puellæ falſò nominantis patrem ſuæ prolis illegitimæ. 191.

Utrùm fuerit addicenda proles illi, de quo num. 185. actum. 195.

Cauſa educationis quanti fiat à Theologis? 196.

Præſumptiones de legitimitate. 197.

Ad quid obligetur, qui impregnavit ſolutam, at ſine promiſſione Matrimonii? 198. & ſeqq.

Quid indicent vocabula? Defloratio: Seductio: Stuprum. 200. (201.

Caſus ex Iure Canonico de deflorante Virginem.

Stylus Curiæ Conſtantienſis in hac re. 209.

Præſumitur virginem, quæ deflorata eſt, fuiſſe inductam à defloratore. 210.

Ad quid teneatur violentus oppreſſor Virginis? 117.

Non teneris quidquam compenſare pro periculo damni, reipſa non ſecuti, niſi priùs interceſſerit pactum. 220.

Duo Caſus circa deflorationem 222. & 224.

Obligatio deflorantis mulierem cum promiſſione Matrimonii. 227.

Quid ſi etiam impragnavit? 229.

Caſus unius, qui plures defloravit ſub ficta promiſſione Matrimonii. 236.

Alterius, qui violenter oppreſſit conſanguineam ſub ſpe Matrimonii. 240.

Eutropia mulier ruſticana viro nupta parit infantem ſtatim poſt ſeptem menſes, & 13. dies à nuptiis. Interrogata de more, quis ſit pater illius prolis, non nominat maritum, ſed Evariſtum juvenem etiam ruri natum. Imò poſtquam è puerperio convaluit, poſtulat ab Evariſto, & compenſationem deflorationis, & ut Evariſtus prolem alat, negat utrumque hic: compenſationem quidem deflorationis, aſſerens, non Eutropiam à ſe, ſed ſe ab Eutropia inductum ad copulam illicitam: at verò alimenta recuſat ideo, quòd nequaquam ſit parens editæ ſobolis, quandoquidem hæc prodierit in lucem novem menſibus, & 14. diebus, poſtquam cognoverat matrem, quæ quidem falſò aſſerat, ſe ab ipſo imperfectâ *copulâ cognitam tanto tempore ante partum,* perfectâ *autem 14. diebus poſt, idcóque juſtè novem menſibus priùs, quàm ederet partum:* ego enim, *ajebat Evariſtus,* illâ primâ vice copulam perfeci, alterâ poſteriore ne tentavi quidem, aut tetigi. *Eutropia firmabat ſua dicta jurejurando, nec minùs ſua Evariſtus. Utri fides habenda à judice? Et quid de pretio deflorationis?* 185

Memini adhuc Anni, quo Caſus iſte fuit agitatus coram tribunali cujuſdam Diœceſis Gallicanæ, ut teſtantur mea Adverſaria: hinc appello Forenſem. Quam ſententiam tulerit D. Judex, non exprimunt in ſpecie illæ meæ chartæ, quam ferendam fuiſſe exiſtimem, aperiam modò, ſed priùs explicabo, quo pacto probetur, hanc, aut illam fuiſſe defloratam, imprægnatámque à viro, vel adoleſcente id negantibus. Deinde ad quid obligetur, qui aliquam defloravit, imprægnavitque, factâ, aut non factâ promiſſione Matrimonii, uſus reſponſionum, quas adteram, eſt frequentiſſimus, prô

dolor, & non ſemel fui ſuper talibus dubiis, ſeu hîc, ſeu alibi interpellatus.

186 Dico I. Quando mulier aſſerit, ſe cognitam fuiſſe ab hoc, aut illo, ídque firmat juramento, negat autem alter, ídque ſub jurejurando, nec proferuntur ullæ aliæ probationes, nequaquam ſtandum eſt verbis mulieris, ſicuti enim adulterium non probatur ſolâ confeſſione mulieris: *text. in cap. Significâſti. De adulter.* communiſque DD. teſte Pariſio *conſil. 137. n. 39. vol. 4.* ita neque ſimplex fornicatio.

Hinc non immeritò ſcripſi *in Theologia Iuridico-Morali*, ſeu *in Quinarii Tract. 5. cap. 32. n. 19.* errare illos judices, qui puellæ uterum gerenti, aſſerentíque, ſe à Sejo imprægnatam credunt, quantumvis perneget Sejus. Ratio autem eſt manifeſta, tum quia, generatim loquendo, aſſerenti incumbit probatio, tum quia nullus idoneus teſtis in re ſua intelligitur, *text. Leg. Nullus. ff. De teſtibus.* nec admittitur juramentum ſine aliis adminiculis, suppletorium probationis, quando agitur de probando intereſſe ſingulari, quod conſiſtit in omnibus rebus, in quibus quis habet majorem affectionem, quàm alii habeant, ut in filia alicujus. Seraphinus *De privileg. juram. privil. 33. n. 159.* habétque in præſenti materia praxis noſtri Conſiſtorii, tum quia teſtimonium viri eſt, per ſe, præferendum teſtimonio mulieris. *capit. Mulierem. 33. quæſt. 5.* nam varium, & mutabile teſtimonium ſemper fœmina producit *text. cap. Forus. §. fin. De verb. ſignif.* ad quem textum refert Gloſſa hoc Diſtichon:

Quid levius fumo? Flamen: quid flamine? Ventus.
Quid vento? Mulier: quid muliere? Nihil?

& denique, actore non probante, abſolvendus eſt reus. *Leg. 4. Cod. De edendo.*

187 Quæres igitur, *Quomodo debeat mulier probare, ſe ab hoc, aut illo defloratam?*

Reſpondeo 1. ad hanc quæſtionem, & ſimul ad pleniorem declarationem, probationémque dictorum *num. preced.* cum diſtinctione, aut enim illa mulier contendit judicio Criminali e. g. allegans, ſe fuiſſe vi oppreſſam, ideóque petens vindictam, aut decertat judicio Civili, poſtulans ſatiſfactionem, dotem, prolis alimentationem, & cætera. In primo caſu non ſufficit illius mulieris confeſſio, ſeu nominatio, quantumvis jurata, ad condemnationem nominati. Maſcard. *De probat. concluſ. 1129. n. 5. in fin.* poſt Bertazol. *conſ. 167. vol. 1.* Gravetta, Pariſius, Cephalius, alii apud Farinacium *in Praxi crimin. Lib. 1. tit. 5. quæſt. 43. num. 94.* aſſerentem ex praxi Romana, & communi Doctorum, ne quidem ad torturam ſufficere talem nominationem, niſi fulciatur aliquo indicio, tum quia offenſi dictum contra inculpatum ne dum non eſt ſufficiens ad condemnationem, ſed nec etiam facit indicium ad torturam. Expreſſè Maſcardus *cit. num. 1.* referens plurimos pro hac doctrina, tum quia dicens, ſe ab hoc, aut illo vim paſſam, oſtendit ſe hoſtem capitalem. Natta *conſil. 354. vol. 2.* hoſtis autem teſtimonio non eſt ſtandum. *Leg. 1. §. 1. ff. De quæſt.* & ibi Bartolus. Sed neque in ſecundo caſu meretur fidem. Boërius *Deciſ. 319. num 7.* poſt Jaſonem, Alexandrum, & Caſtrenſem, quos refert ipſe Boërius loquentes in ſpecie de muliere aſſerente, ſe eſſe vi cognitam. Ratio petitur ex *cit. Leg. Nullus. De teſtibus.* Hanc totam doctrinam applicabis caſui, quo adultera dicit, ſe cum hoc, aut illo patrâſſe adulterium, ejus enim confeſſio nullo modo ſufficit ad condemnationem. Farinacius *loc. cit. num. 87.* poſt Pariſ. Caſtrenſ. & Jaſonem, conſentiente, & *ex Cap. Significâſti. De adulter.* probante Barboſâ in id ipſum Capitulum. Applicabis eandem doctrinam mulieri, quæ vel eſt meretrix, vel jam ab alio fornicariè cognita, tametſi agat ſolùm civiliter. Expreſſè Antonius Faber *Cod. De probat. defin. 18.* nam meretricis teſtimonium non recipitur, utpote infamis, ſicuti, & rejicitur depoſitio jam corruptæ, cùm ſit perſona turpis. Ideóque neutra harum eſt admittenda ad juramentum, vel præſtandum, vel etiam deferendum. Faber *loc. cit.*

Reſp. 2. Si loquamur ſpeciatim de puella honeſta, eáque virgine uſque ad tempus, quo ſe fuiſſe ab hoc, aut illo abſque vi cognitam aſſerit, dictus Antonius Faber *loc. cit.* ſtatuit de ea hanc deciſionem. *Creditur virgini dicenti, &* (ut exprimit, neceſſarióque ſubaudiri debet) *juranti, ſe ab aliquo cognitam, & ex eo prægnantem eſſe,* refértque pro hac ſua tam ſicca definitione, ſeu deciſione non modo Boërium *quæſt.* ſeu *deciſ. 299. & 319.* ſed etiam teſtatur *implicitè* (liquet enim ex ejus erudita, ut ſolet, præfatione ad Lectorem, ab ipſo non niſi deciſiones, ſeu ſententias ſui Parlamenti referri) eum fuiſſe tunc ſtylum Senatûs Sabaudici. Sed pace tum hujus Curiæ, quæ, ut obſervat idem Scriptor in allegata præfatione, ſæpe mutat ſententias, tum illius graviſſimi Doctoris exiſtimo, eam reſolutionem, in hiſce terminis propoſitam, eſſe minùs probabilem oppoſitâ. Inprimis enim repugnat conſtantiſſimæ praxi non modò noſtræ Curiæ Conſtantienſis, ut jam ſuperiùs innui, ſed plurium, ſi non omnium Germanicarum Diœceſeon. Unde compertum habeo, non fuiſſe alicubi 188

Fidem habitam

Alicui, tametſi prænobili puellæ uterum gerenti, atque aſſerenti, ſe defloratam, imprægnatámque fuiſſe à quodam Titio paris nobilitatis, eſto fatente, aliquam familiaritatem interceſſiſſe ſibi cum illa puella. Sicuti & in noſtra Curia fuit itidem denegata fides affirmanti per omnia ſacra, ſe cognitam fuiſſe à quodam Lelio, tametſi hic fatebatur,

tebatur, ſe de nocte fuiſſe verſatum (*extra lectum*) *cum ipſa, atque impudicè tetigiſſe.*

Deinde nullus idoneus teſtis in propria cauſa intelligitur *Leg. Nullus. ff. De teſtib.* palàm autem eſt, eam eſſe propriam cauſam, cujus emolumentum, vel damnum ſuo nomine ad aliquem pertinet. *text. L. 1. §. In propria. ff. Quando appell. ſit*, emolumentum autem pertinet ad puellam, ſi damnetur accuſatus, debebit quippe is & ducere, ac dotare corruptam. Exod. *cap. 12.* & alere prolem. *cap. Ex literis. De converſ. infid.* E diverſo damnum adit actrix, ſi reſpuatur ejus teſtimonium, nam & carebit dote, ejúſve augmento, & cogetur ſola alere prolem, & habebitur pro perjura, & denique vocabitur non planè temere in ſuſpicionem concubitûs vel inceſtuoſi, vel adulterini, vel ſacrilegi. Accedit optima ratio, quam refert ex Baldo Boërius *quæſt.* ſeu *deciſ. 299. n. 2.* quòd ſcilicet, ſi ſtaretur tali depoſitione, daretur occaſio ignobilioribus, aut pauperioribus fallò nominandi opulentiores, nobiliores, ut hac ratione tum ipſæ, tum proles conceptæ emergerent ad opes, & honoratiorem ſtatum. Quare à Fabro diſſentit in terminis (niſi mulieri adminiculetur aliquod indicium) Riccius *in Praxi Part. 1. Reſol. 220.* & re ipſâ Boërius tum *citatâ deciſ. 299.* tum *deciſ. 319.* proinde non rectè citatus à Riccio, & Fabro pro ſententia Fabri. Conſentit nobis Alexander *conſ. 157. Lib. 5. in*

Contingentia facti.

QUo F. Hebræa dicente, ſe bis habuiſſe rem cum R. itidem Hebræo negante, reſolvit conſultus, aſſertionem, & teſtificationem Hebreæ illius non eſſe ſufficientem probationem, eò quòd dictum unius non poſſit eſſe ſufficiens probatio *Leg. Juriſjur. De teſtib. cap. Cùm à nobis. De teſt.* Conſentit quoque Menoch. *De arbitr. jud. Lib. 2. centur. 3. Caſ. 28. num. 25.* ita loquens: *Si virgo ſtuprata concipiat, & pariat, dicátque, partum eſſe alicuius certæ perſonæ, atque jurejurando illud affirmet, ille verò neget, ſe rem habuiſſe cum illa, mulier ipſa tenetur alere filium, nec ſtabitur prædictæ ejus juratæ aſſertioni.* Ita Menochius, referens pro ſua doctrina Baldum *conſil. 437. Lib. 7.* Theſaurum *in Deciſion. deciſ. 3. num. 4.* Ejuſdem mentis fuit Aymonius Cravetta *conſ. 41. num. 1. Tom. 1.* probans ex *Leg. Omnibus. Cod. De teſt.* Idem, ut alios præteream, ſentit Farinacius *cit. quæſt. 43. num. 99.* quatenus negat, dictumſtupratæ ſive ſponte, ſive per vim facere indicium ad torturam contra ſtuprantem ſine adminiculis, teſtaturque, hanc doctrinam prævalere Romæ in practica, viderique communiter receptam per Doctores. Conſentiunt, quos retuli *in Quinario Tract. 5. cap. 32. num. 17.*

Cùm igitur etiam jurata teſtificatio mulieris cujuſcunque deſtituta aliis adminiculis, ſeu indiciis nihil probet adverſùs negantem, ſe copulam habuiſſe.

Reſp. 3. Eſſe confugiendum ad alias probationes, & inprimis ad illam, quæ indicatur 189
cap. Significâſti. De adult. videlicet ad juramentum, ſed ſemiplenâ probatione veſtitum, etenim juramentum ſuppletorium probationis non eſſe aut præſtandum, aut deferendum ſine ſemiplena probatione, obſervavi ſuprà *n. 94.* ex communi DD. Hoc autem juramentum deferri potiùs debet reo, quàm actrici, quando reus ſuis præſumptionibus, aut reſponſis ita debilitat præſumptiones, & alias probationes actricis, ut videantur æquè probabiliter non habere hîc locum, quàm habere. Menoch. *De arbitr. jud. Lib. 2. Caſ. 190.* referens *num. 20.* ex Azone contra Jaſonem, eſſe reo etiam tunc deferendum juramentum, quando ipſe nihil probat, actore ſemiplenè probante, quam doctrinam ipſe Menochius intelligit eo ſolo caſu, quo qualitates, & circumſtantiæ perſonarum, atque ipſiuſmet cauſæ non ſuadent aliud, atqui conditio, ſeu qualitas ſexûs ſuadet, ut ſtetur potiùs viri, quàm fœminæ teſtimonio *cap. Forus. §. Teſtes. De verb. ſignif.* & conſequenter juramento, ſicuti & ſuadet hæc circumſtantia, & qualitas, quòd in materia, de qua nunc diſſerimus, ſupponatur, fœminam actricem eſſe infamem, utpote fornicariè cognitam, reum autem eſſe adhuc integræ famæ, ergo, reliquis paribus, debet huic potiùs, quàm alteri deferri juramentum neceſſarium, ut vocant cum Menochio *cit. Centur. 2. caſ. 192. Jureconſulti*, ſeu ſuppletorium probationis. Certè Antonius Faber, ut vidimus ſuprà, inficiatur, eſſe aut meretricis, aut jam ſemel priùs corruptæ juramentum ullo modo admittendum.

Reſp. 4. Prædictam deflorationem poſſe 190
etiam probari pluribus illorum modorum, quibus adulterium probari, oſtendi *in cit. cap. 32. ſect. 1.* non tamen omnibus, etenim ibidem *ſect. 2.* oſtendo, abſolutè non eſſe verum, quòd omnes & ſingulæ rationes, & conjecturæ, quibus probatur adulterium, probent etiam ſimplicem fornicationem. Et in ſpecie, licèt Felinus, atque alii DD. ibid. *num. 13.* à me relati pronuntient reum adulterii illum, qui reperitur in loco ſecreto oſculans, aut amplexans uxorem alienam: haud tamen eſt hæc doctrina, quam ibidem meritò rejicio, extendenda ad ſimplicem fornicationem, cùm ſit ſaltem in Germania noſtra frequentiſſimum, ut ejuſmodi actus exerceantur vel ſine ulla alia ulteriore intentione, vel ſolùm ad parandam viam ad ſponſalia.

Digitized by Google

E diverſo tametſi ibidem *num. 21.* obſervavi, ſufficiens ſignum fornicationis non haberi ex eo præciſè, quòd quis (è plebejis) ſolutus cum ſoluta ſit repertus in eodem lecto, quia tamen hoc factum gignit magnam ſuſpicionem patrati delicti, ideo, ſi illa ſoluta evadat prægnans, conjiciátque culpam, & cauſam in illum ſolutum, non damnabo judicem, qui huic adſcribet prolem, ſicut qui & illis, de quibus ibidem *num. 37.* Fatenti, ſe habuiſſe quidem copulam, ſed imperfectam, ne credat judex adverſùs aſſertionem fœminæ, hæc enim aſſertio juncta geſtationi uteri, & communiori uſui vigenti inter impuros iſtos, laſcivóſque juvenes, reddit judicem ſatis certum. Ut verò judex non facilè pronuntiet pro puellis aſſerentibus, ſe ab hoc, aut illo imprægnatas, adſcribo ſpeciem & ſolutionem hujus

Caſûs utinam rarioris!

191 E*Uphraſia concepit ex Ergaſilo, ac poſtea peccavit carnaliter cum Elpidio, quem & poſtea falſo edixit patrem prolis, quam geſtabat, & inſuper adegit judicis ſententiâ ad pendendam ſibi certam ſummam pecuniæ ratione deflorationis, quæſivit ex Confeſſario, quid agendum ſibi eſſet, reſpondit is, eſſe inter cætera totam illam ſummam reſtituendam (occultè) hæredibus Elpidii, utpote jam tunc vitâ functi; pro reſtitutione famæ non eſſe valde multùm laborandum, quandoquidem non tam falſa aſſertio imprægnationis, quàm vera fornicationis reddiderit Elpidium infamem, quæ fornicationis aſſertio, & probatio, licèt fuerit injuſta, quia tamen non apparebat, quomodo poſſet fama reſtitui ſine damno Euphraſiæ notabiliter majore, quàm fuerit Elpidii: nemo autem tenetur reſtituere famam ablatam per iniquam manifeſtationem veri criminis occulti, ſi nequeat ſine notabiliter majore ſuo damno, quàm adierit infamatus.* Petr. Navarr. *De reſtit.* Lib. 1. cap. 4. num. 405. *ideo non videri aliud neceſſarium præter pœnitentiam.*

Probatur mihi hæc reſolutio. *At quid cenſendum de illo? cujus ſententiam exhibet his*

Caſus Bavaricus.

192 E*Rneſtus cognovit carnaliter Eulogiam, poſt, & antè eandem alii. Tumet Eulogiæ uterus, timet Erneſtus, ne ab Eulogia prodatur, & genitor nominetur. Quare capeſſit fugam, in qua conſtitutus proponit rem Confeſſario. Hic reſpondet: Si conſtet tibi, alios ante te fuiſſe commixtos carnaliter cum illa lupa, non delinquis fugiendo, ſicuti neque, ſi ignores, utrùm, quis prior te cognoverit illam, modo liquidò ſcias, fuiſſe ab aliis cognitam ſub illud tempus, quo uſus fuiſti ejus corpore, quid judicandum de hoc reſponſo dato in Bavaria?*

Reſp. Quia potuit Erneſtus in utroque caſu prudenter dubitare, eſſétne illa proles concepta ex ipſo, an potiùs ex alio, idcirco non tenebatur, ſaltem ante judicis ſententiam, quidquam conferre in ſuſtentationem ſobolis clauſæ utero, excludendæque ſuo tempore: 193
etenim *in Theologia Juridico-Morali*, ſeu *Tract.* 194
5. Quinarii cap. 28. num. 48. & 53. oſtendi, veroſimilius videri, non eſſe neceſſariò alendam à te prolem illam, de qua prudenter dubitas, ſitne tua, an alterius, & ibidem *num. 91.* defendi reſponſum illius ipſius Confeſſarii, non multum diſſiti à me. Utrùm verò Erneſtus egerit prudenter, quòd ſuâ fugâ dederit occaſionem tantò firmiùs credendi Eulogiæ, ipſum fortè patrem proclamaturæ, non erat Confeſſarii judicare. Videri poteſt, quod in materia etiam venerea notavi *in Alphabeto Quadrupl. num. 474.*

Ex his autem apparet, utrùm Evariſto, de quo Caſus *num. 184.* propoſitus debuerit addici proles, quam enixa erat Eutropia, necne. Etenim illam eſſe Evariſti, probabat Eutropia eo ſolo argumento, quòd fuiſſet ab Evariſto cognita novem juſtè menſibus ante partum, negabat Evariſtus, ſe circa illud tempus habuiſſe quidquam commercii carnalis, uterque tamen præſtiterat juramentum calumniæ, utri ergo credendum? Certè reo, per ea, quæ diximus ſuprà *num. 189.* 195

Sed *fatebatur Evariſtus, ſe novem menſibus, & 14. diebus ante partum fuiſſe uſum corpore Eutropiæ?* Reſp. Quandoquidem Ariſtoteles docet, eſſe mulieres, quæ decimo menſe pariant, ut refero *in cit. cap. 28. num. 98.* ſi Eutropia fœtum effudiſſet ante Matrimonium, fuiſſet meritò adſcriptus Evariſto, at quia protulit fœtum poſt ſeptimum menſem ab inito Matrimonio, Bartolus autem, & Mynſingerus, relati à nobis *ibidem*, volunt, tales infantes haberi pro legitimis, & legitimitati favent ſingulariter jura, ac Theologi, tum propter alias cauſas, tum maximè ob meliorem educationem, quæ quidem educatio tanti fit à Theologis, ut S. Thom. *2. 2. quæſt. 154. art. 8.* ſimplicem fornicationem deteriorem furto pronuntiet, ob periculum malæ educationis, cui exponitur ſobboles concepta extra conjugium: imò Ludov. Molina *Tract. 4. Diſp. 19. num. 1.* diſertè aſſerat, eam eſſe peccatum gravius detractione, & contumeliâ, ac denique Cajetan. *in cit. art. 8. S. Thomæ*, & P. Gregorius de Valentia *Tom. 3. Diſp. 9. quæſt. 3. punct. 3.* eſſentialem malitiam fornicationis conſtituant partialiter in eo, quòd ea, *per ſe loquendo*, privet prolem 196

debitâ

debitâ educatione, inſtructionéque, idcirco
mihi videtur, Eutropiam non fuiſſe audiendam
quoad hunc articulum deflorationis compen-
ſandæ, ob doctrinam *num. 210.* adferendam.
197 Ad confirmationem illius, quod paulò an-
tè reſolvi, facit, tum quòd lex præſumat, il-
lum, qui poſt ſeptimum menſem Matrimonii
natus eſt, eſſe natum ex Matrimonio, Peckius
*in Reg. Inſpicimus. De Reg. jur. in 6. num. 15.
& 16.* tum quòd generatim ſit præſumptio ju-
ris, & de jure, quòd proles nata ex conjugata
ſit legitima. Boerius *dec. 299. num. 9.* & qui-
dem juxta Riccium *in Praxi Reſol. 243.* poſt
Baldum, atque alios, tametſi conſtet, quòd
mater fuerit cognita etiam ab alio, niſi vide-
licet probetur, maritum fuiſſe tanto tempo-
re abſentem, ut nequiverit intra tempus abſen-
tiæ, & partûs, naturaliter concipi, gignique
proles ulla ex eo. Plura hanc in rem petes *ex
cit. Theologia Iuridico-morali*, ubi *Cap. 28. Sect.
3. & 4.* tracto illam quæſtionem: *An ſcilicet a-
lendi ſint, de quibus eſt dubium, utrùm ſint fi-
lii?*

Hîc verò propono ac reſolvo ſequentem, ſi
fides danda Reo,

Caſum prope inauditum.

a ETenim Zoticus nominatur pater prolis ſuſ-
ceptæ ex ſoluta, negat autem is eſſe ſe geni-
torem, eò quòd matrem illius prolis cognove-
rit tredecim menſibus, ac duobus diebus ante-
quam mater eniteretur illum fœtum, nihilomi-
nus jurat ea, & dejerat ſe nulli alteri feciſſe po-
teſtatem ſui corporis, minatúrque delationem
ad judicem non ſine approbatione unius, alte-
riúſve haud planè imperiti, niſi Zoticus pro-
lem ſuſcipiat. Quid hîc juris in foro fori, & Po-
li?

b Eſt utique hic Caſus propè inauditus, ſi ma-
ter ex Zotico peperit illam prolem inchoato
menſe decimo quarto à conceptione, etenim
Jacobus Menochius, qui *Lib. 2. De Arbitrar.
Iudicum Centuria 1. Caſ. 89. à num. 34. uſque
ad 54.* accuratè, ac eruditè, ut aſſolet, recen-
ſitis opinionibus, experientiiſque virorum Do-
ctorum de diebus atque menſibus, quibus pro-
les in utero materno vivere poſſit, refert qui-
dem *num. 49.* Avicennam teſtari, ſe audiviſſe,
mulierem quandam uterum geſſiſſe menſes
quatuordecim, & editum puerum ſtatim ferè
emiſiſſe dentes, ſicut & L. Papyrium Prætorem
dediſſe partui menſium tredecim ceu legitimo
poſſeſſionem bonorum, & denique toti orbi
conſtat Henricum Principem Condeum fuiſſe
ab omnibus Parlamentis ſeu Supremis Curiis
Galliarum declaratum legitimum, tametſi edi-
tum in lucem decimo tertio menſe poſt obitum
c ſui, ut ferebatur, patris. Reſpondi tamen ſo-
licitè conventus, & interrogatus, Zoticum ne-
quaquam teneri credere, ſe eſſe genitorem ejuſ-
modi prolis, nec ei dubitandum de ſententia
ſibi favorabili ferenda, ſi ab illa muliere defer-
retur ad alterutrum Magiſtratum. Inprimis d
enim teſtimonium Avicennæ eſt tantùm unius,
& quidem de auditu, igitur ejus nulla ratio ha-
benda in re tanti momenti, ac repugnante judi-
cio omnium Medicorum, Philoſophorúmque.
Deinde illa duo exempla de duobus tredecim
menſium ſunt tam rara, ut nequeant prudentem
judicem movere ad ea ſequenda, niſi forte in
caſu, quo & ex ſententia ſeveriore immirerent
ſumma mala, & mater eſſet tam notæ pudici-
tiæ, támque aliena à ſecreto conſortio virorum,
ut nulla prudens ſuſpicio cadere poſſet in ta-
lem. Et ratio eſt, tum quia *rarò* & *nunquam* e
æquiparantur *Capit. Coram. De offic. judic. dele-
gati.* tum quia Caſus inſolitus, qui de mille An-
nis ſemel contingit, nullius eſt conſideratio-
nis. Bartolus in *Leg Sejo ff. De contrahen. empt.*
& una hirundo non facit ver, ut cum Ariſtote-
le argumentatur in & de raro caſu S. Antoni-
nus.

Quin imò Menochius *loc. cit. num. 52.* diſ- f
ſentit à Torniello rato, mulierem poſſe ferre
uterum per menſes decem, & propè undecim,
ac meritò diſſentit, quandoquidem Juſtinia-
nus ipſe in caſu, qui contigit, ut refertur in §.
*fin. Anthent. De reſtitut. & eâ qua parit undeci-
mo menſe.* expreſſè definiit, ſeu pronuntiavit,
partum editum undecimo menſe poſt obitum
illius, qui nominatur pater, habendum non eſſe
pro legitimo, quæ Authentica deciſio locum
habet in foro tum civili, & Canonico, tum e-
tiam conſcientiæ.

Quòd ſi Zoticus probare valeret, unum, al- g
terúmve juvenem frequentâſſe ædes illius Do-
rotheæ novem circiter menſibus ante partum,
longè æquiùs hos adigeret judex ad paterna
officia præſtanda illi illegitimo fœtui, ſiquidem
in obſcuris ſequenda ſunt veroſimiliora *Cap.
Inſpicimus. De regul. juris in ſexto*, eſt autem in-
comparabiliter veroſimilius fuiſſe illam impre-
gnatam ab alterutro illorum juvenum, quàm
à Zotico, cùm ne quidem ſit veroſimile, quòd
Zoticus eam prolem genuerit.

Dico II. Qui virginem, aut viduam ſine 198
promiſſione ulla Matrimonii cognovit carna-
liter, tenetur, & non tenetur eam ducere, vel
dotare pro ratione diverſi modi, quo obtinuit
copulam, & fori, in quo ferenda eſt ſenten-
tia.

Ad enucleatam intelligentiam hujus con- 199
cluſionis toties exercentis forum internum, &
externum, dabo hic compendium eorum, quæ
in hanc rem tradiderunt P. Ludov. Molina *cit.
Tract. 4. diſp. 104. & 106.* atque Cardinalis de
Lugo *Diſp. 12. De Juſtitia Sect. 1.* additis non-
nullis aliis, priùs tamen.

Notandum eſt 1. Doctores ſæpe in hac ma- 200
teria uti vocibus *deflorationis, ſeductionis, & ſtu-
pri*, quibus duabus poſterioribus utitur etiam
jus Canonicum. *Cap. 1. & 2. De adult.* Stupri
autem ſæpe jus Civile. Per *deflorationem* intel-

 ligi-

ligitur fornicatio cum virgine. Suprà *Tract. praeced. in 4. Append. ad num. 501. lit. u.* Nomine *ſeductionis* intelligitur tum vera deceptio, tum juxta Molinam *cit. Diſp. 104. num. 10.* Gomezium, & alios, repugnante Lugo *cit. Sect. 1. num. 2.* ſuaſiones, & preces importunæ, quæ interpretatio eſt conformis uſitato Teutonum
201 modo loquendi in hac materia. Denique nomine *ſtupri* deſignatur tum ſtuprum ſtrictiſſimè dictum, id eſt, violatio virginis violenta, tum ſtuprum ſtrictè dictum, id eſt, non violenta commixtio carnalis cum vera virgine, ſub cura parentum exiſtente, aut vidua honeſta. Molina *cit. Diſp. 104. num. 1.* poſt S. Thom. *2. 2. quaeſt. 154. art. 6.* conſentiente apertè Leg. *Inter ſtuprum. ff. De verb. ſignif.* tum latè pro qualibet ſpecie libidinis *Cap. Nemo. quaeſt. 4.*
202 Notandum 2. *In Cap. 1. De adult.* ſtatui *ex Capite 22.* Exodi in hunc modum: *Si ſeduxerit quis virginem nondum deſponſatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit uxorem; ſi autem pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere conſueverunt.* At verò *in cit. Cap. 2. De adult.* refertur, deciditúrque ſequentibus verbis hic

Caſus Felicis infelicis.

203 *PErvenit ad Nos, quòd quidam Felix virginem ſtupro decepit, quod ſi verum eſt, quantumvis eſſet de Lege pœnâ plectendus, nos aliquatenus Legis duritiem mollientes, hoc modo diſponimus: ut aut, quam ſtupravit, uxorem habeat, aut ſi renuendam putaverit, corpore realiter caſtigatus, excommunicatúſque, in Monaſterio, in quo agat pœnitentiam, retrudatur, de quo nulla ſit egrediendi ſine praeceptione facultas.*

204 Ita S. Gregorius judicavit de illo Felice; felice quidem aliquatenus, quòd relegationis, aut fuſtigationis pœnam Lege Civili, *Inſtit. De pub. jud. §. 2.* decretam evaſerit; infelice, quòd ejus turpitudo legatur, deſcribatur decurſu jam plus mille Annorum.
205 Notandum 3. Deciſionem hujus Capituli ſecundi eſſe priorem deciſione Capituli primi, quatenus iſtud afficit Chriſtianos; ut enim ſingulariter obſervat P. Molina *cit. Diſp. 104. n. 9.* primum Capitulum fuit ab Innocentio III. translatum è veteri Teſtamento in Jus Canonicum. At verò Capitulum ſecundum condidit S. Gregorius Papa longè antiquior Innocentio III. Quare fruſtra nonnulli Canoniſtæ dicunt,
206 doctrinam traditam Capitulo 1. mitigatam, reſtrictámque fuiſſe Capitulo ſecundo, rectiùs obſervaveris, à Fagnano *in cit. Cap. 2.* ex eo, & aliis juribus, copioſè demonſtrari, judices Eccleſiaſticos habere verum jus, ac poteſtatem plectendi pecuniâ, & carcere (pro ratione culpæ) etiam laicos, committentes delicta ſpectantia ad forum Eccleſiaſticum, quam doctrinam de pœna, & etiam mulcta pecuniaria tradit etiam, & ex inſtituto diſcutit Diana *Part. 10.* toto Tractatulo 8. defendens, eam mulctam eſſe applicandam non Fiſco Epiſcopali, ſed aliis piis cauſis.

Notandum 4. Litem eſſe, utrùm doctrina illo Capitulo 2. tradita obliget in conſcientia ante judicis ſententiam, an primùm poſt? Obligare ante, ſentit Navarr. *in Manuali Cap. 16. num. 16.* & alii quidam, negat Molina *citat. Diſp. 106. num. 1.* poſt Silveſtrum, & alios. Ego aſſentior Molinæ ideo, quòd utrumque Capitulum ſit lex pœnalis, ut de ſecundo fatetur ipſe Papa Gregorius, & de utroque inde probatur, quòd utrumque & ſupponat culpam, & imponat aliquid, ad quod præciſa ratio culpæ non obligat, re enim verâ ratio ſtupri non obligat ſuapte natura ſtupratorem, ut conſtupratam ducat ſimul, & dotet, ut videbimus inferiùs; multò minùs, ut Monaſterium ingrediatur, habeátque ſeipſum pro excommunicato ante ſententiam judicis. Adde, quòd ne quidem in 208
foro externo ſoleat hac ætate integre obſervari illa prima, aut ſecunda Decretalis, ſaltem caſu, quo nulla vis illata eſt puellæ; etenim Julius Clarus *in Practica crim. §. Stuprum. num. 3.* & Proſper Fagnanus *in cit. Cap. Pervenit. num. 3.* teſtantur poſt Gomezium, & Caſſan. *conſ. 40.* ſtupratorem in Hiſpania, Italia, Gallia non compelli ducere ſimul, & dotare conſtupratam, ſed vel ducere, vel certè dotare, quod ego quoque teſtor de noſtra Curia Conſtantienſi, in qua quidem non quotidie, ſicuti de Hi- 209
ſpanicis loquitur ex Gomezio Fagnanus, ſed tamen ſæpe movetur lis ſuper ſtupro, in hac enim Curia, quam ſemper moderati ſunt viri inſigni ſapientiâ, doctrináque præſtantes, uſurpatur hæc ſolennis formula. *Ducas, vel Dotes.* atque unà datur mandatum, ut impetretur à Magiſtratu ſæculari authenticum teſtimonium de quantitate dotis, quam actrix acceptura erat à parentibus, ſi non fuiſſet corrupta. Cognitâ, & quando de ſubreptione non dubitatur, approbatâ illâ taxâ decernit tribunal Eccleſiaſticum, (id eſt, Reverendiſſimus Dominus Officialis, nullus enim Aſſeſſorum habet ſuffragium deciſivum) ut reus tantundem adjiciat ad dotem, quantum exhibituri erant parentes, ſeu agnati, ut proinde puella, quæ à parentibus erat nactura 100. aureos, ſit, quando alteri nubet, habitura tum illos centum, tum alios 100. injunctos ſtupratori. Si verò nihil planè poteſt à parentibus ſperare, compellitur ſtuprator pendere undecim libras, ſeu 13. florenos.

Notandum 5. In eodem foro *externo* præ- 210
ſumi virginem, quæ conſtuprata eſt, fuiſſe ſeductam, ut loquuntur P. Molina, Cardin. de Lugo, Fagnanus, id eſt, ſuaſionibus, aut importunis precibus, ut explicat Molina *Diſput.*

104. num.

104. num. 10. non autem ſolâ ſimplici petitione inductam, ſeu *ſeductam*, & *deceptam*, ut exprimit Abbas Panormitanus *in cit. Cap. 1.* id eſt, blandis verbis, potione, promiſſionibus, aut lenociniis inductam, ut explicat Abbatem Gloſſator ipſius, ſcilicet Alexand. de Nevo. Sicuti etiam obſervant hi, & alii DD. præſumi in foro *externo*, puellam fuiſſe virginem, priuſquam faceret copiam ſui corporis ſtupratori
211 contendenti coram judice. Quare non tenetur in foro *externo*, nominatim Conſtantienſi, puella probare, ſe fuiſſe ſeductam, ſéque fuiſſe virginem, ſed ſtupratori aſſerenti, illam fuiſſe priùs corruptam, aut non illam à ſe, ſed ſe ab illa inductum in crimen ſtupri, eámve mox acquieviſſe ſuæ impuræ petitioni, incumbit onus probandi talia. Quæ ſi vera quidem ſunt, attamen probare nequeat, & ob defectum probationis condemnetur à judice ad eam vel ducendam, vel dotandam, nequit puella, ſalvâ conſcientiâ, trahere hanc ſententiam in ſuum commodum, ſed reſtituere tenetur dotem, ſi quam accepit vi illius ſententiæ nitentis falſâ præſumptione. Molina, Lugo, alii. His pro foro *externo* (pro quo plura Molina *loc. cit.* & Julius Clarus *loc. cit.*) obſervatis, notanda ſunt pro *interno* ſequentia.

212 I. Quando puella, vel vidua abſque metu, fraudéve conſenſit, vel ſeſe ſponte offerendo, vel annuendo ſimplici petitioni ſtupratòris, hic non tenetur in foro conſcientiæ ad quidquam illi præſtandum, niſi ſi quid fortè ei promiſit, & proinde non tenetur eam aut ducere, aut dotare. Molina, Lugo, alii communiter contra Medinam, ac nonnullos alios. Ratio eſt, quia volenti; aut conſentienti nulla fit injuria, ergo nec acquiritur jus quidquam exigendi.

213 II. Idem eſto judicium, quando interceſſerunt quidem preces importunæ ſtupratoris, attamen abſque metu mali alicujus intentati. Molina *cit. Diſp. 106. dub. 2.* Lugo *num. 4.* alii, contra Cajetan. Malder. alios apud Dianam *Part. 2. Tract. 2. Miſcell. Reſ. 51.* nam preces etiam importunæ, adhibitæ à non Superioribus, relinquunt perfectam libertatem, quandoquidem poſſunt facilè repelli. Unde non dubito, quin Confeſſarii ſoleant, imò etiam debeant, in praxi ſequi noſtram ſententiam.

214 III. Aliud pronuntiandum de precibus importunis Domini, ſeu Superioris, hæ enim cauſant metum reverentialem, & ſic multùm minuunt libertatem, imò continent injuriam quandam, ergo obligant, vel ad dotandam, vel ad ducendam. Lugo *loc. cit. num. 4.* ex communi, & recepta.

215 IV. In caſibus, in quibus diximus, ſtupratorem virginis ad nihil obligari huic, in iiſdem, etiam parentibus hujus ad nihil æſtimabile pecunia eſt obligatus. PP. Molina *Diſp. 106.* Leſſius *cit. Cap. 10. dub. 2.* Lugo *loc. cit.* alii contra PP. Azor, Vaſquez, & alios. Nam neque ratione infamiæ redundantis in eos ex ſtupro filiæ obligatur, infamia quippe non eſt pretio æſtimabilis, neque ratione dotis augendæ à parentibus, ſicuti enim ipſa filia non peccat contra juſtitiam prodigendo pudicitiam cum periculo conjiciendi parentes in neceſſitatem dotis augendæ caſu, quo ipſa velit poſtea nubere alteri paris ſecum conditionis, ita neque ſtuprator eſt, ut ſic, reus injuſtitiæ in parentes, eſto ſit reus injuriæ, quam compenſare tenetur petitione veniæ, aut aliâ æquivalente ratione. Imò ne quidem tunc tenetur abſolutè ad com- 216
penſationem pecuniariam, quando oppreſſit vi eorum filiam. Cardinalis de Lugo *num. 9.* contra Cordubam, ſatiſfacit enim ante judicis ſententiam, ſi vel ducat violatam iniquè, vel provideat ipſi Matrimonium honeſtum ſecundùm ejus conditionem, vel certè det neceſſarium augmentum dotis. Idem Lugo cum aliis.

V. Ita verò tenetur violentus oppreſſor, 217
vel ducere oppreſſam, vel augere dotem, ut non ſit in ejus arbitrio eligere alterutrum horum. Lugo *num. 11.* contra Covarr. *1. Part. De ſponſal. Cap. 6. §. 8.* & Molinam *cit. Diſput. 104.* quis enim dicat bubulcum, vel Therſitem ſatiſfacere obligationi ſuæ, ſi puellæ nobili, aut alteri eum ſummè averſanti ob fœditatem vultûs, aliáve grandia vitia corporis, aut animi, offerat ſe in ſocium tecti, & lecti? Ergo 218
potiùs ſtat penes oppreſſam, vel electio horum duorum pro lubitu, Azor *Tom. 3. lib. 5. cap. 5.* vel jus petendi abſolutè augmentum dotis, compenſationémque omnium damnorum ſecutorum ex oppreſſione, quod augmentum, & compenſationem ſi offerat ſtuprator, tenebitur probabiliſſimè eſſe eis contenta puella. Covarr. *loc. cit.* Lugo *num. 12.* & alii communiter, poterit autem omni jure depoſcere illum in maritum (niſi intercedat permagna inæqualitas) ſi nequeant aliâ ratione evitari gravia incommoda oppreſſæ. Lugo infrà *numero 241.*

Dixi: *Augmentum dotis*: adſtipulor enim 219
Navarro, Covarr. aliis apud, & cum Lugone *num. 13.* aſſerentibus, oppreſſorem non teneri in foro conſcientiæ, ſeu *interno* præſtare totam omnino dotem, ſed ſatiſfacere, ſi illi, quam tradet parens, ſuperaddat tantum, quantum ſat erit ad reperiendum maritum talem, qualem repeririſſet, ſi oppreſſa non fuiſſet, tunc enim adeſt æqualitas inter datum, & acceptum, conſequenter ad nullum augmentum obligabitur ille, ſi ſine tali augmento nacta eſt hæc Matrimonium ſibi conveniens, aut admiſſa in Monaſterium. Lugo *n. 16.* poſt Leſſium *loc. cit.* & alios, niſi fortè priùs conveniſſent inter eos de aliquo augmento.

Eſt quippe hîc probè obſervanda perutilis 220
ad praxin doctrina, quam poſt P. Leſſium *cit. dub. 2. num. 17.* tradunt alii, quòd, licèt tene-

ar

Digitized by Google

ar compenſare damnum à te re ipſâ ideo incurſum, quòd ego te in illius adeundi periculum iniquè conjecerim, ſi tamen ſolummodo te expoſui periculo, ita ut nil damni inde evenerit, ad nihil obligabor, niſi ad id, quod fortè tibi promiſeram pro æſtimatione periculi, cui te expoſui.

221 VI. Quòd ſi ſtuprator non habeat, unde dotem augeat, hâncque ob rem puella illum ſolicitet ad nuptias, tenebitur parere ſolicitationi, dummodo queat ſine damno notabiliter majore, quàm puella adeat ex ſtupro; ſecùs, ſi ſine notabiliter majore. Lugo *num. 18.* Leſſius infrà *num. 239.* Nam generatim loquendo, damnificator etiam injuſtus excuſatur à compenſatione damni in foro conſcientiæ, quando nequit reparare, niſi ſuo incommodo longè majore, quàm ſit id, quod intulit. Bonacina *De Reſtitutione Diſp. 1. queſt. ult. punct. 1. num. 23.*

Ex his reſpondebis ad hunc

Caſum in contraria tendentium.

222 *OLim duo violenti Virginum ſtupratores, ſed ſine promiſſione Matrimonii, acceſſerunt ad me, quorum alter deperibat defloratam ducere, at illa penitus recuſabat. E contra rio alius nolebat defloratam ducere, at illa enixè cupiebat. Interrogabant ergo quid in conſcientia faciendum?*

223 Interrogabant, inquam, P. Thomam Tamburinum, ut teſtatur ipſe *Lib. 7. in Decal. Cap. 5 §. 3. num. 28.* rectè reſolvens, utrumque ex illis duobus juvenibus obligatum fuiſſe præſtare, ſi denique petierunt puellæ, augmentum dotis, primus enim nequibat defloratam adducere ad nubendum ſibi, alter nequibat adigi ad ducendam defloratam.

224 At quî ſolvendus ſequens

Caſus jurgantium?

ASſerebat adoleſcens, à ſe vi cognitam non fuiſſe virginem: ipſa contrà, virginitatem ſuam conſtanter proclamabat. Addebat; Eſto, non fuerim virgo, at certè ſum ab omnibus putata virgo.

225 Idem Tamburinus *loc. cit. num. 30.* referens hunc Caſum reſolvit ſapienter, dicendo, puellam illam pronuntiatum iri virginem à judice, ob cauſam allatam ſuprà *num. 210.* niſi probetur, fuiſſe priùs defloratam, conſequenter debere etiam à ſtupratore haberi pro virgine, niſi ipſi conſtet privatim de contrario, ad nullam tamen reſtitutionem obligari, ſi vel puella jam erat antè corrupta, vel ſua oppreſſio fuit, neque occulta, vel publicata à ſola puella. Conſentit Lugo *n. 15.*

VII. Quæ à *n. 212.* huc uſque diximus, intelligenda ſunt de iis caſibus duntaxat, quibus defloratio contingit abſque ſpe, aut promiſſione Matrimonii, jam ergo videamus, quid oneris incumbat, quando præceſſit vera, ſictâve fides, ſpéſque Matrimonii. 226

Dico itaque III. Qui extorſit copulam, promittendo ſincerè Matrimonium virgini, aut honeſtæ viduæ, tenetur, *per ſe loquendo*, ſub mortali ducere defloratam. Si enim promiſſio Matrimonii facta *abſolutè* inducit obligationem mortalem, ut vidimus ſuprà *num. 121.* longè magis facta *hypotheticè*, & *conditionatè*, poſtquam impleta eſt conditio. 227

Si tamen ille promiſſor Matrimonii, vel jam obligatus erat voto Caſtitatis ante promiſſionem, vel illo ſe obſtrinxit poſt jam datam Matrimonii fidem, in primo caſu non tenetur, ſecundùm Navarr. Rodriquez, & alios apud Sanch. *Lib. 1. diſp. 45.* ſervare illi fidem, tenetur verò ſecundùm eundem Sanchez, Lugonem *cit. Diſp. 12 De juſt. num. 42.* alios, apud Dian. *Part. 3. Tract. 4. Reſol. 280.* ſicut & in caſu ſecundo tenetur juxta pleroſque omnes: quibus pleriſque aſſentior abſolutè, ne videar approbare victimam factam ex rapina, ſequens etiam, quoad primum punctum, ſeu caſum, ſententiam Lugonis, idcirco, quòd nequeam meâ gratuitâ promiſſione impedire jus oneroſæ, quando hanc ſecuta eſt realis exhibitio, & præſtatio alicujus rei, tunc enim cenſetur adeſſe majus, ſtrictiúſque vinculum, quàm adferat gratuita. Vide dicta *Caſu. III. numero. 100.* 228

Si tamen illa puella, aut vidua noverat, inſidiatorem ſuæ pudicitiæ eſſe obligatum voto Caſtitatis, non poterit jure poſtulare, ut hic ipſam ducat abſque diſpenſatione, ut per ſe patet, ſed neque tenebitur petere diſpenſationem, niſi ad petendam, ſe obligârit. Sanchez *Lib. 1. Diſp. 45.* Leſſius *cit. Cap. 10. dub. 4* tenebitur verò, ſi ſe obligavit, ſicut & tenetur, qui conſanguineam polluit inceſtu cum promiſſione, & Matrimonii, & diſpenſationis petendæ, ſi ſit conſanguinea in gradu, in quo facilè impetretur diſpenſatio. Sanchez *Lib. 5. Diſp. 5.* Lugo *cit. Diſp. 12. Sect. 4.* cum aliis contra alios. Vide dicta *Caſ. IV. Sect. 1. numero 164.* 229

Adde, & reſponſionem, quam infrà *num. 326.* proferam, utrùm ſcilicet is teneatur ſtare ſponſalibus initis, qui poſt horum legitimam celebrationem non modò promiſit alteri Matrimonium, ſed & imprægnavit eandem. 230

Dico IV. Qui virginem, aut viduam vitiavit fictâ promiſſione Matrimonii, tenetur eam ducere. Ita poſt S. Thom. *in 4. Diſp 48. queſt. un. art. 2. ad 4.* plerique DD. apud P. Sanchez *Lib. 1. Diſp. 10.* quos ſequitur etiam P. Lugo *De juſtit. Tom. 1. Diſp. 12. num. 20.* P.

Dica-

Digitized by Google

Dicaſtillo *De Matrim. Diſp. 1. dubit. 9.* atque alii, repugnante P. Martino Perez *De Matrim. Diſp. 2. Sect. 3.* poſt Sanctum Antoninum, Ledeſmam, Bonacinam *De Matrim. Quæſt. 1. punct. 2. num. 9.* & alios quoſdam. Ratio eſt, quia, licèt non teneatur *directè*, & *immediatè* ratione ſuæ promiſſionis, utpote quæ fuerit ficta, & non vera, quia tamen ex ſtrictè dicta juſtitia tenebatur promittere ſincerè, adeoque habere animum ſe obligandi, hunc autem animum poteſt habere etiam poſt fictam promiſſionem, ſequitur, quòd teneatur habere illam poſt eandem fictam promiſſionem, ſi tenetur habere, ergo & tenetur ducere.

231 Unde minimè dubito, quin quiſque æquus judex eſſet talem condemnaturus ad ejuſmodi nuptias, etſi ſimulator ille probaret duobus, vel tribus Teſtibus, ſe uſum eſſe merâ fictione, ſanè merentur hi ſpurci ardeliones, ut de ſua malitia non ſolùm nullum commodum reportent. *Cap. Intelligimus. De judic.* ſed incommodum hoc referant.

232 Limita 1. Niſi mulier animadverterit fictionem: tunc enim videtur noluiſſe illum ullo modo obligare. Præſumitur autem animadvertiſſe, quando ipſa eſt pauper, ille valde dives, ipſa filia agricolæ, ille nobili proſapiâ natus, ut notant citati DD. rectè addentes, hanc limitationem eſſe veram, licèt promiſſio eſſet firmata juramento, quia juramentum non extendit promiſſionem ad caſus, ad quos ea non extenderetur, ſi non ſuperveniſſet juſjurandum, ſicuti variis inſtantiis declaro *in Alphab. Quadrupl. num. 504. & ſeqq.* Addunt citati DD. idipſum, quod paulò antè pronuntiavimus, eſſe dicendum, licèt puella non notaverit fictionem, modò potuerit facilè notare: cujus additionis cauſam etſi non exprimant, puto tamen, hanc eſſe, quia, ſi potuit facilè notare, meritò ſuppoſuit fictor ille, deprehenſam eſſe ſuam fictionem, & proinde eſſe ſibi factam poteſtatem corporis, non ob promiſſionem matrimonialem, ſed ob preces, libidinem, &c.

233 Accedit Regula penultima *in 6.* ſtatuens: *Damnum, quod quis ſuâ culpâ ſentit, ſibi debet, non aliis imputare.* Vide exempla, quibus hanc Regulam explicat ipſius commentator Peckius *num. 1.*

234 Limita 2. Niſi ex tali Matrimonio oritura ſint gravia ſcandala, aut promiſſor falsò putârit, puellam, cui fictè promiſit, eſſe virginem, quod etiam nonnulli dicunt apud Lugonem *num. 33.* de vidua, quæ falsò putabatur ſervâſſe caſtè ſtatum vidualem, & ſine omni dubio ceſſat obligatio, ſi vel illa vidua, vel illa puella patiatur ſe ab alio corrumpi poſt factam promiſſionem Matrimonii, quo caſu ne quidem tenebitur quidquam his dare pro dote, ſicut nec tenetur, generatim loquendo quando hæc, aut illa reſpuit fictum promiſſorem Lugo *num. 28.* vel ideo non vult ei nubere, quia pater non vult permittere tales nuptias: Sanch. *cit. Diſp. 10. num. 15.* Lugo *num. 29.* & alii: quia nimirum promiſſor, ſeu verus, ſeu fictus non promiſit dotem, ſed Matrimonium, ſi ergo non ſtet per ipſum, quò minùs ſequatur Matrimonium, non tenetur ad dotem, tenetur autem ſine dubio ad compenſanda damna, quæ puella adiit occaſione fictionis.

Porrò quæ dixi de obligatione ducendi defloratam ſub ficta ſpe Matrimonii, id ipſum tenet etiam extra deflorationem de promittente fictè Petrus de Ledeſma apud Sanchez *Lib. 1. Diſp. 10. num. 15.* repugnantem cum aliis communiùs, quos ſequitur P. Perez *Diſp. 2. Sect. 2. num. 5.* Horum doctrinam nolim extendi ad celebrantem fictè ipſummet Matrimonium, propter cauſam adferendam *Caſ. XI. numero 411.* 235

236 Ex dictis de copula, ſeu defloratione obtenta ob promiſſionem fictam, deducitur ſolutio tum aliorum plurimorum, tum ſequentis duplicis Caſûs. Quorum primus eſt

Caſus Leſſianus.

Titius adoleſcens Antuerpienſis multas virgines paris conditionis ſub ficta promiſſione conjugii corrupit in Anglia & alibi. Quæritur, an aliquam ex iis, & quam ducere teneatur?

Ad hunc Caſum quid reſponderit P. Leſſius, referam ſuccinctiſſimè *ex ejus Auctario in 1.2. Verb. Sponſalia Caſ. 1.* omiſſis rationibus, quæ ex hactenus dictis, vel ex ejus libro peti poſſunt.

237 I. Titius tenetur ducere *primam*, ſi hæc fraudem nullo modo advertere potuit, *ſecundam*, vel *tertiam* ducere non tenetur, licèt contingat illum tranſigere cum *prima.* Quòd ſi *prima* potuit facilè advertere fraudem, tenetur ducere *ſecundam*, niſi & hæc idipſum advertere potuerit, tunc enim tenetur ducere *tertiam* &c.

238 II. Eo caſu, quo tenetur ducere *primam*, tenetur cæteris de damno, ſi quod ſecutum occaſione hujus fictæ promiſſionis, ſi nullum, non tenetur ad ullam reſtitutionem. Inter reliqua damna eſt proles nata, quam ipſe præſumet eſſe ſuam, adeóque à ſe, & matre ſimul alendam, ſi & tempus reſpondeat, & non conſtet, eam aliis corpus ſuum vulgâſſe. In dubio, an damnum ſecutum, tenetur inquirere eo modo, quo poteſt, & debet in re magni momenti.

239 III. Sunt cauſæ aliquot, quæ poſſent prædictum adoleſcentem excuſare, ne vel teneatur ducere, vel damnum compenſare 1. Si illæ virgines facilè potuerunt ſuſpicari, fraudem ſubeſſe, tunc enim nec eas ducere, nec damnum compenſare tenetur. 2. Si qua ſit hæretica, nec velit converti. 3. Si fornicata fuit ante, vel

vel poſt promiſſionem. 4. Si parens puellæ nolit eam dare. 5. Si facultates non ſuppetant ad damnum compenſandum &c. aut nequeat compenſare ſine ſuo multò majore damno. 6. Si nequeat ſine periculo mortis redire in Angliam, aut illa vocata non vellet venire Antuerpiam. Hæc & alia ſapientiſſimus P. Leſſius, cujus tamen Theologiam, ſicuti & Sanchezii, Molinæ, atque Vaſquezii, eſſe è toto mundo eliminandam, contendunt Janſeniſtæ, eorúmque fautores

Caſus ſecundus Cardinalitius.

240 *Titius nobilis adoleſcens Sejam virginem non quidem æquè nobilem, ſed tamen nobilem, ad copulam ſolicitavit, & inſinuavit, eſſe animum Matrimonii futuri, denique renitentem vi oppreſſam defloravit, non quidem multùm reſiſtentem, nec vociferantem, vocantem tamen ſervam, ut ſibi auxilium præſtaret. Ex hoc congreſſu Seja manet gravida; erat autem conjuncta Titio intra quartum gradum conſanguinitatis. Titius admiſſo hoc ſcelere, fugit, & petit, ad quid in foro conſcientiæ teneatur, cùm & ejus cognati ægrè ferant Matrimonium cum Seja, & ipſe, qui primogenitus non eſt, difficilè poſſit eam in conjugio alere, aliunde verò non habet ad eam dotandam, nec aliter poteſt damnum illatum reſarcire.*

241 Cardinalis de Lugo dedit ex ſuo Eminentiſſimo Titulo, quem ægerrimè accepit, cognomentum illi ſecundo Caſui, idcirco, quòd *in ſuis Reſponſ. Moral. Lib. 6. dub. 19.* cum ſibi propoſitum perquam copioſè, ſapienterque pertractârit, allatis, ſolutíſque ſex rationibus in favorem Titii, concludens tamen *num. 9.* illum Titium obligationem habere ad ducendam Sejam, niſi conditionis diſparitas tanta ſit, ut cum tanto diſpendio ſubeundo excuſari

242 poſſit à reſtitutione pro damno illato. Ratio eſt, quia Regula generalis eſt, quòd injuſtus damnificator debeat reſarcire totum damnum ei, qui ab ipſo injuſtè læſus fuit. Si ergo ob impotentiam Titii non eſt alia via reſarciendi Sejæ damnum, quod paſſa eſt, niſi per nuptias cum defloratore, quia alioquin innupta manere cogeretur, vel contra ſuam dignitatem indigno nubet, non apparet, cur Titius excuſandus ſit ab eo Matrimonio, quod eſt medium unicum, & neceſſarium ad reparandam injuriam graviſſimam Sejæ (per vim) illatam, & proinde obligatur petere diſpenſationem in conſanguinitate. Ita ille Cardinalis, cujus reſponſum, ſicut & exceptionem, ſeu limitationem approbavi jam ſuprà *n. 218. & 221.*

APPENDIX.

Non immeritò junges reſolutionibus, & Caſibus hactenus repræſentatis hoc loco

Caſum fugitivi.

Caji nimirum, qui profugit clàm ex arreſto indicto, propterea quòd Caja gerens uterum nominâſſet eum patrem, addendo, ut ſolent, eundem promiſiſſe ſibi Matrimonium, hancque ob cauſam fuiſſe ad tribunal Eccleſiaſticum citatum. Quærebatur igitur primò, *an hiſce ſtantibus, & addito, quòd idem Cajus jam aliàs dediſſet pœnas fornicationis commiſſæ cum alia, & Caja quoque jam priùs feciſſet naufragium virginitatis, habendus eſſet Cajus pro patre prolis, utero clauſæ?* Secundò, *an, quia Caja non habet, unde faciat ſumptus in puerperium, ſit parens Caji obligandus ad eos præſtandos?* Tertiò, *an idem Cajus adigendus ad ducendam Cajam?*

Reſpondeo 1. Fuga in talibus circumſtantiis habenda eſt pro Confeſſione imprægnationis. Etſi enim ego ipſe *in Alphabet. Quadrupl. Part. 4. num. 974.* in contingentia facti reſolverim, non habendam fuiſſe pro Confeſſione extra judiciali fugam, quam capeſſiverat juvenis, ab ipſo cacodæmone, puellam obſidente accuſatus de planè diabolico philtro, præbito eidem cætera honeſtiſſimæ, pudiciſſimæ, nec ſuppeteret ullum indicium, aliúdve teſtimonium contra ipſum, tunc enim habuit, me arbitro, locum Maſcardi *De probat. Concluſ. 818. num. 11.* doctrina, quòd ſcilicet fuga inita ex rationabili cauſa non faciat ullum indicium. Etſi, inquam, ita judico in illo nefario Caſu, aliud tamen pronuntio de Cajo fugitivo, ſiquidem ejus fuga non ſimplex, ſed ex arreſto ſuſcepta fuit, fuga autem ex arreſto æquiparatur fugæ ex carcere. Bajardus in Clari *Quæſt. 21. Pract. crim. Lib. 5. numero. 69.* rectè allegans Maſcardum *De probat. concl. 266.* atqui fuga ex carcere habetur communiter à Doctoribus pro Confeſſione delicti. Clarus *cit. Quæſt. 21. n. 25.* Quin Hiſpanica Inquiſitio confiſcavit bona Clerici aufugientis ſolo metu citationis, aut carceris, ut retuli *Tract. 2. Caſ. XIV. n. 441. in App. lit. a.*

Accedebat hiſce juramentum Cajæ, quæ tametſi non fuerit priùs honeſtioris famæ, quàm Cajus, quia tamen fuit æqualis, & nullus omnino alius vocabatur in ſuſpicionem habiti cum Caja ullius turpis commercii, hoc ipſo videri queat, eſſe Cajæ patrocinata aliqua præſumptio, qui habet autem pro ſe præſumptionem, habet & veritatem, donec illa præſumptio elidatur. Suprà *n. 84. & 73. in App.* Sed quid.

Digitized by Google

quidquid ſit de hac præſumptione, puto ob allatam *primam* rationem, Cajum poſſe prudenter haberi pro genitore conceptæ prolis, adeóque pro obligato ad præſtanda omnia officia, quæ à patre debentur matri puerperæ, atque filio, niſi probet contrarium. Hinc petitur reſponſio ad quæſtionem *ſecundo* loco propoſitam.

d Infertur enim 2. Cùm ſupponatur, Cajæ non ſuppetere, unde præſtet neceſſaria ad puerperium, recumbere in humeros parentum Caji illud onus, ſiquidem *in Quinario Tract. 5.* (ſeu *in Theologia Juridico-moral. Cap. 28. num. 23.* poſt Teſſaurum *Deciſion. 212. num. 3.* & Covarruviam *in Epitom. 4 Decret. Part. 2. cap. 8. §. 6. num. 26.* loquentem expreſſè de filiis illegitimis quoque,) ſcripſi, patrem, & , ut addunt etiam Teſſaurus *loc. cit. num. 9.* ac Laymannus *in Theologia Moral. Lib. 5. Tract. 10. Part. 3. cap. 5. num. 7.* avum paternum obligari in utroque foro præbere liberis etiam illegitimis ſui filii neceſſaria ſuſtentationi, qualia utique ſunt ea, quæ exigit puerperium, mors enim, aut fames puerperæ non poteſt non cedere in magnum corporale damnum ſobolis, nominatim illegitimæ, utpote multùm deſpicabilis in oculis hominum, atque idcirco ſolitæ deſeri, deſtituique ab omnibus.

e Ad *tertium* dubium reſpondi, ſi Cajus fuit, quemadmodum inſinuatur in ſpecie facti, citatus, & arreſtatus etiam idcirco, ut reſponderet ad accuſationem promiſſi Matrimonii, ejus fugam fuiſſe habendam pro Confeſſione, ubi enim eſt eadem ratio, ibi quoque debet eſſe eadem judicii, ſententiæque diſpoſitio, præſertim cùm de tam malo homine, qualis eſt is, qui & arguitur de duabus corruptis, & non paret legitimis citationibus, violátque indictum arreſtum, facilè præſumatur animus violandi fidem quoque de Matrimonio datam, juxta illud Farinacii *in Pract. Crim. Part. 3. quaſt. 81. num. 37.* à nobis etiam ſæpius uſurpatum: *De malo homine ſemper malum præſumitur.*

f Si verò in citatione non eſt facta mentio promiſſionis matrimonialis, ſed ſolius imprægnationis, non cenſeo fuiſſe, antequam audiretur, damnandum ad ducendam Cajam, quia ex una parte juramentum Cajæ non faciebat plenam probationem, utpote quæ & ipſa erat infamis ob uſuram corporis alteri, priuſquam Cajo, conceſſam, & proinde ejus verba ex hoc quoque capite non merebantur plenam fidem, ex altera parte fuga Caji non reddebat eum, ut ſic ſuſpectum de promiſſione, cùm præſertim eſſet notorium, Cajam abſque ulla ejuſmodi pollicitatione jam priùs obſecutam fuiſſe, ſuæ, alienæque fragilitati. Equidem ſicuti res inter alios geſta, aliis nocere non debet *Cap. Inter dilectos. De fid. inſtrum.* ita neque fuga capeſſita ob unam cauſam à judice intimatam, nocere debet ob cauſam non intimatam.

Fortè tamen eſſet reperire judicem, qui talem damnaret ad Cajam ducendam, partim g ob bonum prolis, quod ponderavimus ſuprà *num. 95. in App. lit. p.* partim, quòd Bajardus *loc. cit. num. 59.* poſt Maſcardum *De probat. in Verb. Carceratus concl. 266. num. 19.* atque alios ſcribat, ſicuti jam notavi ſuprà, fugientem è domo, quam habet ſub præcepto, teneri pœnâ, non ſolùm egredientis, ſed etiam frangentis carcerem, quæ quidem pœna inter reliquas eſt, ut feratur in talem fugitivum etiam abſentem ſententia talis, qualis ferretur in confeſſum judicialiter. Maſcardus *cit. num. 19.* referens alios. Quia tamen idem Maſcardus *cit. num. 1.* loquens de fugiente è carcere intelligit illum ſolum, qui fugit propter crimen, pro quo detinebatur, promiſſio autem matrimonialis non ſolùm non eſt crimen, verùm etiam Cajus ignorabat, ex noſtra hypotheſi, ſe detineri ob illam promiſſionem, idcirco nollem hoc argumento uti adverſùs Cajum, ut ſic conſideratum.

Hæc ſufficiunto ad illum Caſum fugitivi, h ſatis remotum à foro Theologico, nihilominus tamen arbitror, Lectores mihi benevolos, eſſe benevolo quoque animo lecturos quæſtionem, quæſtioniſque ſequentis reſolutionem, fortè etiam idcirco profuturam aliquibus Reverendorum Dominorum Parochorum, quia ſunt patres pauperum, utpote quorum curam paternam gerere debent. Concil. Trident. *Seſſ. 23. Cap. 1. De Reform.* & ideo conveniuntur conſilii cauſâ non rarò à ſuis oviculis. Eam verò reſolutionem repræſentabo, priùs præmiſſis verbis formalibus, quibus propoſita fuit in ſcripto

Illa ipſa quæſtio.

IN cauſa quadam matrimoniali deflorationis lata eſt ſententia definitiva, fundans i *ſe, ut plurimùm ſuper facto, & præſtito juramento, litis deciſorio, à qua quidem fuit primitus appellatum, ſed ob pauperiem partis appellantis deſerta eſt appellatio, & tranſiit in rem judicatam. Redit nunc illa pars condemnata, cupítque ex noviter receptis probare manifeſtè, partem adverſam falsò juràſſe, ac proinde debere caſſari ſententiam. Quæritur, quid hac in re poſſit facere judex in gratiam ſupplicantis? Super quo requiro judicium &c.*

Vides Lector, exprimi duas cauſas in favo- k rem condemnati, videlicet pauperiem, & perjurium, pauperiem partis condemnatæ, perjurium victricis, & quidem in caſu matrimoniali deflorationis, ideóque novus titulus exigit, & admittit à me manifeſtationem opinionis meæ.

l Exiſtimo autem *primò*, ſi paupertas fuit tanta, ut nequiverit illa pars habere ſumptus ad proſequendam appellationem, non ſolùm potuiſſe, ſed debuiſſe rurſum audiri poſt fatalia (ſi tamen poſt, cùm revera lapſa non fuerint, ut mox referam ex Gail) appellationis. Et quidem ſi nondum effluxit biennium vel à ſententia lata, vel à conceſſis Apoſtolis, nec judex A quo præfixit terminum certum e. g. menſem unum, aut plures juxta deciſionem *Cap. Cùm ſit Romana. De appell.* Caſus iſte non habet difficultatem, ſiquidem ipſe Pontifex in *citat. Cap.* concedit biennium, *ex neceſſaria & evidenti cauſa.* Imò etiam ſi triennium, aut plus temporis lapſum ſit, ut probo *ex Leg. Præſes Cod. De appell. & conſ.* ubi tametſi Impp. Diocletianus, & Maximianus loquantur de ſolo caſu, quo appellatio non fuit ſuo tempore *ex fatali neceſſitate*, ſeu ob mortem illius, qui Apoſtolos deferebat, introducta, nihilominus Bartolus, & Baldus in dictam legem, & rectè eos allegans Gloſſa, extendunt hanc benignam deciſionem ad omnem caſum, quo citra culpam appellantis non fuit obſervatum tempus per ſe obſervandum, vúltque Gloſſa *Verb. Præſes* hanc extenſionem haberi pro indiſputabili, & meritò, quia appellatio eſt Theriaca contra judicum venenum. Barb. *in Repert. Verb. Appellatio*, támque neceſſaria, quàm ſol mortalibus. Idem ex S. Bernardo *De conſid. Libro 3.*

m Quin imò, ſi propriè loquendum ſit, negandum eſt, appellationem illam habendam pro deſerta, aut introductam *poſt fatalia*, ſiquidem Andreas Gail *Obſervationum Lib. 1. Obſervat. 142. num. 1.* ſic loquitur: *Pauperi tam introducenda, quam proſequendæ appellationis fatalia in Camera* (Spirenſi, unâ ex ſummis Curiis Imperialibus) *non currunt, quia paupertas à tali deſertione excuſat.* Pro qua deciſione, quam *num. 2.* vocat communem, refert nominatim Baldum, Hippolytum, alios, & addit, nullam habere difficultatem, quia ceſſante morâ, ceſſat culpa, difficultas autem excuſat à mora. Gloſſ. *in Leg. Quod te. ff. Si certum petetur.* & generatim ceſſante culpâ ceſſat mora. Peckius *De Regul. jur. in 6. Regul. 25. num. 17.* addens: *Generaliter in omni materia locum eſſe debet juſtæ, & non quæſitæ excuſationi.* Quapropter negandum eſt, ſententiam primæ inſtantiæ tranſiiſſe in rem judicatam, ſiquidem res judicata eſt ea, quæ finem controverſiarum pronuntiatione judicis accipit. *Leg. 1. ff. De re jud.* & ſententia de jure nulla non tranſit in rem judicatam. Speculator *Lib. 2. Part. 3. De ſententia* §. 7. ſententia enim nulla nullum parit effectum. Riccius *in Deciſ. art. 1. deciſ. 135. num. 4. & 5.* Sententiam autem judicis A quo fuiſſe nullam, liquet inde, quòd fuerit ſubreptitia, ſententia autem per ſubreptionem obtenta eſt nulla *Cap. Sua. De off. Vicarii.* Speculator *loc. cit.* §. 5. *n.* 22. allegans plures Canones, & leges, atqui in ſpecie facti exprimitur, partem adverſam, in cujus juramento deciſorio fundabat ſe vel unicè, vel primariò judex, falſum juràſſe, conſequenter cum vero dolo impoſuiſſe judici, proindéque hunc per veram ſubreptionem protuliſſe ſententiam, igitur habenda eſt pro nulla. Conſentit Chriſtophor. Haunoldus noſter *De Juſtit. Tom. 5. Tract. 5. num. 110.* hiſce jam ſcriptis luce donatus, & legendus.

Sed eſto, ponamus, eandem ſententiam n tranſiiſſe in rem judicatam, patrocinabitur tamen actrici Abbas Panormitanus, dum *in Cap. Cùm contingat. De offic. & poteſt. Judic. delegat.* ſcribit, tunc quoque ſententiam, quæ tranſiit in rem judicatam, retractari, adeóque per ſuperiorem judicem caſſari debere, quando pars victrix fatetur, eam ſententiam fuiſſe injuſtam, ſicuti fatebitur in propoſito victrix pars ſimul & rea, ſi agnoſcat, ſe falſum juràſſe.

Porrò quia hiſce jam deſcriptis proponitur o mihi etiam ſcripto hæc

Quæſtio rari eventûs.

AN ſcilicet deferendum ſit appellationi, quam interpoſuit Sulpitius Regularis, adverſus ſententiam ſui Superioris, & Ordinarii, qua, poſt quinquennium ab edita profeſſione reclamans contra hujus validitatem, erat condemnatus ad perpetuum ſilentium, ſeu ad perſiſtendum in ordine?*

Mihi autem non eſt integrum referre, quid reſponderim, ſaltem exhibeo nomina aliquorum Doctorum, quorum lectio meomet lectori ſuggeret rationes probabiliter judicandi, in quam partem reſponderi à me debuerit, ii autem Doctores ſunt præcipuè ſequentes P. Leſſius *De Juſtit. Lib. 2. cap. 41. dub. 7. num. 65.* Bonacina *De Clauſura diſſic. 4. quæſt. 2. punct. 10.* Portel paulò pòſt citandus: Aſcanius Tamburinus *De Jure Abbat. Tom. 3. Diſp. 6. quæſt. 25.* aliquantò mitior Bonacinâ: & Barboſa *in Concil. Trid. Seſſ. 25. De Regular. Cap. 19.* apud quem reperies & plures de hac materia ſcribentes, & *num. 9.* teſtimonium, quòd Congregatio Tridentini, & Congregatio Regularium ſæpius audierint è reclamantibus illos, qui adferebant cauſam, cur ante quinquennium non oppoſuerint nullitatem Profeſſionis: ut e. g. quia fuerunt prohibiti, vel ignorabant, competere ſibi jus reclamandi. *ibid. num. 8.* ſiquidem ignoranti non currit tempus. Notabilis textus in *Leg. Quamdiu. Cod. Qui admitti ad bon. poſſeſſ. poſſ.*

Poterit, inquàm, ex horum Doctorum ſenſu p conjicere lector, quid fuerit reſpondendum ad illam quæſtionem, ſuppoſito, quòd communiter quidem liceat cuivis gravato ab inferiore judice provocare ad ſuperiorem. *Text. in Cap. Super eo. 2. De appellat.* attamen id

non

Digitized by Google

non permittatur in undecim caſibus, quos ſingulariter enumerat Vallenſis *in Paratitlis* §. 4. *De appellat.* & inter quos eſt tum appellatio à Lege, tum propria Confeſſio, qualis quidem cenſebitur eſſe in hoc Caſu, ſi fateatur Sulpitius, ſe vi, aut metu coactum perſtitiſſe integro quinquennio in Religione poſt ſolennem profeſſionem, etenim Concil. Trident. *cit. Cap.* 19. non vult audiri tales, niſi fortè adferant juſtum impedimentum reclamationis, juxta paulò antè dicta, tunc enim videretur Barboſa *cit. Cap.* 19. conceſſurus fuiſſe jus appellandi. At non concederet Laurentius Portel *in Reſponſionibus Tom.* 2. *Caſ.* 93. utpote qui aſſentitur Bonacinæ *loc. cit. quæſt.* 2. *num.* 9. teſtanti, Gregorium XIII. ad inſtantiam Congregationis Cardinalium declarâſſe, quòd non poſſit reclamari poſt quinquennium, etiamſi allegetur, vim & metum ſemper durâſſe, quia e. g. parens, ob cujus metum ediderat quis profeſſionem, mortuus fuit jam tranſactis in Religione quinque, vel ſex Annis, & applicat hanc doctrinam Caſui, qui tunc contigerat. Inſuper arguit uſurpatæ juriſdictionis Vicarium Epiſcopi, quòd excommunicaverit Prælatum reclamantis rectè fungentem officio ſuo, cùm potuerit Prælatus ſuâ ſolius auctoritate imponere ſilen-
9 tium tam ſerò reclamanti. Et quamvis, ſi illa reclamatio facta fuiſſet ante lapſum quinquennii, malè feciſſet Prælatus, ſi neglectâ Epiſcopi, aut ejus Vicarii informatione, idem ſilentium impoſuiſſet, ſiquidem Concil Trident. *loc. cit.* vult, ejuſmodi cauſam terminari judicio utriuſque, ſcilicet Epiſcopi, & Religioſi Prælati, non tamen idcirco habet Vicarius jus feriendi anathemate Prælatum: tum quia hunc non vocavit ad formandum proceſſum contra, vel pro illo reclamante: tum quia par in parem non habet poteſtatem. *Cap. Innotuit. De elect.* ſunt autem Vicarius Generalis, & Prælatus Religioſus conjudices præditi æquali juriſdictione pro tali actu: tum quia Vicarius nequit excommunicare Religioſum exemptum, qualis erat dictus Prælatus, niſi de ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ, liquet *ex Compend. privil. verb. Exemptio*, adeò, ut neque tunc liceat talem pœnam decernere in exemptum, quando præciſè ſit poteſtas compellendi ad quidpiam faciendum, debet enim tunc exemptus compelli non cenſurâ aliquâ, ſed e. g. privari poteſtate concionandi, audiendi Confeſſiones in ſua Diœceſi &c. Hæc & alia Portel, quæ memoro idcirco, quòd meminerim, contigiſſe in hac Diœceſi duos caſus, quorum reſolutionis pars peti poterat *ex loco citato* Portelli.

DUÆ PRIORES CAUSÆ DISSOLVENDI SPONSALIA.

CASUS VI.

Novi Dubii.

SUMMARIUM.

Caſus ſponſæ, nolentis dimittere ſponſum, niſi ſub pacto pecuniario. 243.
Recenſentur ſeptem cauſæ diſſolvendi ſponſalia. 246.
An, & quatenus liceat ex mutuo conſenſu ſolvere ſponſalia? 247.
Quid ſi interceſſit juramentum? 251.
Caſus perjurii divinitus puniti. 255.
An juret dicens? Sub fide mea promitto tibi Matrimonium. 257.
An conſenſus Epiſcopi requiratur ad diſſolutionem ſponſalium? 160.
Quid moris in Conſtantienſi Diœceſi? 261.
Ea diſſolutio eſt Caſus Epiſcopalis 263.
An delinquat ſponſa, non permittens ſponſo libertatem, niſi ſub pacto pecuniario? 265.
Reſolvitur caſus num. 243. *propoſitus de Simonia: An, & quomodo poſſit committi in relaxanda obligatione ſponſalitia?* 270.
Caſus inconſtantis puellæ. 271.
An. & quomodo conditio non purificata det cauſam diſſolvendi ſponſalia conditionata? 272.
An ſponſus, cognoſcens ſponſam poſt ſponſalia conditionata, præſumatur recedere à conditione? 276.

F*Amianus rogatur à Frobenia ſponſa ſua, ut* 243
ſe liberam pronuntiet à fide ſponſalitia, utpote quæ non abſolutè promiſerit ipſi Matrimonium, ſed ſub conditione materni conſenſûs. Reſpondet Famianus: Dimittam te quidem, ſed non niſi repræſentatis mihi centum aureis, quos exigo tum propter expenſas, quas tui gratiâ feci: tum quia tuus à me receſſus parit mihi aliquam infamiam, licèt non magnam: tum denique, quia falſò dicis, te mihi dediſſe fidem ſub conditione conſenſûs materni, habeo ergo in te actionem, qua ut cedam in tui gratiam, meritò exigo, conſideratis etiam duabus prioribus cauſis, à te totam illam ſummam. Quæſitum fuit, utrùm Famianus potuerit ſine peccato, ſeu injuſtitia, ſeu ſaltem ſimoniæ exigere ob allatos titulos illam ſummam pecuniariam?

Quæſitum, inquam, fuit ex me die 6. Janu- 244
arii Anno 1662. ab eo, quem debiti honoris cauſâ nomino, Nob. & Clariſſimo Viro, Joan.

Raſſler J. U. D. Conſiliario Epiſcopali, viro excellente in theoria, & praxi juridica, ſicut & pietate, cujus fructu gaudet nunc, ut ſpes eſt, in cœlis, & quæſitum idcirco, quòd, ut ajebat, alius quiſpiam non minùs ſapiens, & eruditus dubitaret aliquantum, an non involveretur aliqua ſimonia in hoc poſtulato, quæ quæſtio de ſimonia eſt nova in hac materia, ideò dat Caſui noſtro nomenclaturam *Novi* dubii. Quid reſponderim, ſcribam inferiùs *num. 268.* ſed priùs explicabo, an, & quatenus poſſint mutuo conſenſu diſſolvi ſponſalia legitimè contracta, & an cum pacto pendendi quidpiam?

245 Antequam verò explicem hanc, inter cæteras, cauſam indicatæ diremptionis, obſervo, eſſe varias omnino cauſas, ob quas fas eſt recedere à fide Matrimonii ſanctiſſimè data. Eas aliqui revocant ad decem, alii ad duodecim, ut P. Tannerus, alii ad ſedecim, aut etiam ſeptendecim, ut Angelus, & Silveſter, *Verb. Sponſalia. quæſt. 10.* Ego autem reduco ad ſeptem, ſub quibus facilè comprehendo illas 17. quas enumerat Silveſter.

246 *Prima* eſt, mutuus conſenſus. *Secunda*, non purificata conditio, ſub qua erant inita. *Tertia* diſpenſatio Pontificia. *Quarta*, privilegium ætatis. *Quinta*, ignorantia, ſeu error. *Sexta*, mutatio ſuperveniens. *Septima*, abſentia ſponſi. Duas priores explanabo hoc Caſu; *tertiam*, & *quartam Caſu VII.* tres poſteriores *Caſu VIII.*

247 Quæritur ergo I. *An, & quatenus fas ſit ex mutuo conſenſu diſſolvere ſponſalia?*

Reſp. I. *Per ſe loquendo* poſſunt & *licitè*, & *validè* dirimi mutuo conſenſu ſponſalia, legitimè priùs inita. Omnes DD. nam hic ſingulariter locum habet *prima* Regula Juris *in Quinto*: *Omnis res* (ſolubilis ſuapte naturâ) *per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur.* Videntur tamen delinquere venialiter, qui abſque rationabili cauſa remittunt ſibi mutuum jus, nam *c. Præterea 1.* ita ſtatuitur. *Hi, qui de Matrimonio contrahendo purè, & ſine omni conditione fidem dederunt, commonendi ſunt, & modis omnibus inducendi, ut præſtitam fidem obſervent.*

248 Videtur eſſe etiam hic ſenſus communis, etiam plebejorum; tractavi enim cum permultis deſponſatis: non memini ullius, qui non ſignificaverit, timeri à ſe culpam, ſi abſque cauſa rationabili recederet, etiam cum conſenſu conſortis, ut proinde Aloyſius Riccius *in Praxi aurea Tom. 1. Reſol. 218. numero 1.* cum aliis expreſſè tradat, volentes etiam juſta ex cauſa recedere à ſponſalibus, eſſe non quidem cogendos, ſed tamen monendos à judice Eccleſiaſtico, ut ſervent (ſi abſque peccato, aut impedimento majoris boni futurum ſit) fidem datam. Quæ doctrina multum roboris adfert juſtificandæ illi Conſtantienſi practicæ, de qua diſſeram infrà *numero 262.*

II. Amplianda eſt data ſuperiùs reſponſio 249
ad ſponſalia juramento confirmata. Abbas *in cit. Cap. Præterea* teſtatur, eſſe communem Canoniſtarum, teſtor & ego cum Diana *Part. 9. Tract. 7. Reſol. ult.* eſſe Theologorum, caſu, quo juramentum ſupperadditur Promiſſioni ſolùm ad præſtandam alteri parti majorem ſecuritatem, ſeu quando juramentum additur principaliter in favorem alterius partis, tunc enim clarum eſt, ſicuti poteſt altera pars cedere juri, quod acquiſivit ex promiſſione nudâ, ita poſſe cedere acquiſito ex veſtitâ juramento, nam cadente promiſſione cadit juramentum, ſiquidem non entis nulla ſunt accidentia. Barboſa *Axiom. 162.* At verò ſi juramentum illud 250
fiat ad honorem Dei principaliter ut e. g. quando quis opulentam, quam poſſet habere, puellam relinquit, ut ducat pauperem nupturientem, quæ nequit reperire virum, ac jurat, ſe ex pietate, atque ad honorem Dei illam accepturum, in hoc ſecundo caſu negant quidem probabiliſſimè poſt S. Thom. *2. 2. quæſt. 87. art. 9. ad 1.* Silveſt. *loc. cit.* Diana *loc. cit.* atque alii apud P. Sanchez *Lib. 1. Diſp. 52. num. 7.* poſſe remitti ab altera parte juramentum, attamen oppoſitum eſſe *practicè* probabile, docet idem Diana propter auctoritatem multorum, quos referunt, ſequuntúrque ipſe Diana, idem Sanchez tum *loc. cit.* tum in Summa *Lib. 3. cap. 20. num. 6.* P. Suarius *Lib. 2. De juram. Cap. 39.* Perez *De Matrim. Diſp. 3. Sect. 1.*
Dicaſtillo *De Matrimon. Diſp. 1. dubit. 34.* 251
atque alii, quibus aſſentior caſu, quo puella non firmavit Sacramento ſuam repromiſſionem, cùm enim juramentum alterius eam nullo modo obliget, quia ſcilicet illud juramentum non obligat, niſi jurantem, & non debet aliquis alterius odio prægravari, nec res inter aliquos geſta aliis nocere, *Leg. De unoquoque. ff. De re jud.* ideo ſicuti illa puella poteſt abſque peccato recedere cum permiſſu ſponſi à ſponſalibus, eique remittere omne ſuum jus, quando neutra pars juravit, ita etiam, quando tantùm ſponſus, ſiquidem in juramento promiſſorio ſubauditur hæc conditio: *Niſi ſponte remiſerit promiſſarius*, ſicuti pluribus inſtantiis elucido *in Alphab. Quadrupl. Part. 2. Caſ. XVI. num. 498. & ſeqq.* At verò, ſi etiam puella ex intuitu pietatis juravit, ſe accepturam illum in maritum, difficiliùs longè permitterem diſſolutionem mutuam, propter auctoritatem Canonum, & S. Thomæ. 252

III. Quia verò citati DD. loquuntur de juramento genericè ſumpto, idcirco nota reſolutionem, quam dedi ad ſequentem

Caſum Juramenti Execratorii.

FRacaſtorius promiſit Fabiolæ Matrimonium, addendo: Fulmine peream, ſi te non 253
duxero, *ſubdit Fabiola*: Nullam partem habeam in regno cœlorum, ſi tibi non

Digitized by Google

non nupſero. *Poſt complures menſes pœnitet Fracaſtorium juramenti, petit à Fabiola inſtanter relaxationem promiſſionis, quæſiit ex me, an poſſit, ſalvâ conſcientiâ, eam concedere? Reſpondi, poſſe.*

254 Rationem reſponſi accepi partim ex dictis in ſimillimo caſu ſuprà *Caſ. IV. Sect. 1. num. 153.* partim ex communi doctrina ſuprà allata de caſu, quo juramentum apponitur non in honorem Dei, ſed in gratiam alterius partis. Accedebat quòd Fabiola meritò timeret moleſtum Matrimonium, ſi reſpueret inſtantem poſtulationem ſponſi. Ergo aderat valde honeſta cauſa relaxandi, ergo non apparet, cur nequiverit abſque ulla noxa relaxare. Suadeo autem omnibus Confeſſariis, ut, quando non ſubeſt valde rationabilis cauſa diſſolvendi ſponſalia, firmata juramento, præſertim exe- cratorio, diſſuadeant diremptionem. Audi, mi Lector, huc ſaltem *indirectè* facientem hunc

Caſum terrificum.

255 *Fronto ſpopondit cuidam puellæ Matrimonium, ſed reſiliens à voto petit aliam uxorem. At illius parentes omnibus diris ſe devovent, ſi permittant hoc Matrimonium, poſtea tamen conſentiunt in poſtulationem filii, permittente priore ſponſâ. Nuptiis peractis, ſponſus jam à malo genio mirè, in lecto tamen, & noctu vexatur premendo, & anguſtiando pectus, vellendo crines, tundendo latera, & plagis conficiendo: adhibita ſunt remedia à Patribus N.N. ſed non ſufficiunt. Quid igitur conſilii capiendum?*

256 Sic ad me noſtrorum Diœceſanorum Decanorum non è poſtremis unus. Sanè hæc miſeranda plaga meritò injiciet terrorem, metúmque ultionis Divinæ iis, qui abſque aliquantùm gravi cauſa rumpunt, etiam ex mutuo conſenſu, fidem datam, atque jurejurando corroboratam, ſolet enim talis diremptio eſſe ſcandaloſa aliis, & injicere poſtea permoleſtos ſcrupulos ita retrocedentibus. Vide tamen infrà *numero 297.*

257 IV. Porrò communiter non cenſentur juramento firmare ſponſionem matrimonialem, qui præciſè dicunt: *Sub fide mea promitto tibi Matrimonium.* Ita expreſſè in caſu ſponſalitio reſolvit doctus Menochius *Conſil. 788. num. 5.* hæc quippe loquendi formula communiter non indicat voluntatem jurandi. Cajetanus *2. 2. quæſt. 89. art. 6.* & nos *in Alphab. Quadrupl. n. 486.*

258 Debet autem illa relaxatio promiſſionis juratæ, vel injuratæ fieri liberè, id eſt, ſine metu injuſtè incuſſo, alioqui non valeret, ut notant DD. ſuprà relati, cum Laymann. *Lib. 5. Tract. 10. Part. 1. cap. 2.* Tannero *Tom. 4. Diſp. 8. quæſt. 1. dub. 4. num. 59.* eſt quippe ſpecies quædam donationis.

Unde inferes, non eſſe tutos in conſcientia illos parentes, qui ſuis liberis Religioſum ſtatum ingreſſis non dederunt legitimam, & ideo ſolùm non dederunt, quia filii, vel loco filiorum Religio debitæ portioni ceſſerunt, ob ſolum metum vel nihil penitus acquirendi, vel incurrendi odia gravia, perſecutionéſque, incuſſum à prædictis parentibus. 259

VI. Nullo quidem jure *naturali*, aut communi *poſitivo* prohibetur, ne ſine conſenſu, aut ſcientia Epiſcopi diſſolvantur ſponſalia per mutuum conſenſum, obſervat tamen P. Laymannus *cit. Cap. 2. num. 1.* eſſe plurium Diœceſeon (ſicut nominatim eſt Mechlinienſis) morem, ut non permittatur diremptio ſponſalium publicè celebratorum, niſi cauſâ ad Epiſcopum delatâ. Quin imò accipe fundamentum praxis, quam exhibet hic 260

Caſus Conſtantienſis.

Fabritius, celebratis cum Tridberga ſponſalibus, iiſque per oppidum ſuum deinde publicatis, aliquot Annis pòſt cum bona venia Tridbergæ dat Flaviæ fidem Matrimonii, ac petit proclamationes fieri. Re delatâ ad tribunal Eccleſiaſticum, citatur Fabritius, ac mittitur ad Pœnitentiarium Diœceſanum cum patente charta, continente hanc clauſulam: Abſolvas NN. à non obſervatis ſponſalibus. 261

Fuerunt hoc vicennio, quo fungor indicato officio, ſat multi ad me ablegati à Reverendiſſimis, Sapientiſſimis Dominis, D. Ratholdo Morſtein, & D. Joſepho ab Ach, Vicariis Generalibus, ſimul, & Canonicis Cathedralibus meritiſſimis, cum ejuſmodi charta. Nititur ea praxis hoc fundamento, quòd inter caſus reſervatos hujus Diœceſis exprimatur *Part. 1. Tit. 11. num. 15. Conſtitutionum Synodalium* ſequens: *Sponſalia de futuro contrahens, nec obſervans:* Eadem praxis certò hîc Conſtantiæ extenditur ad ſponſalia, etiam non celebrata coram Parocho, modò ſint notoria, & quamvis liberrimè utriuſq; partis conſenſu diſceſſum ſit ab iis. An verò eadem praxis extendatur in locis, ab hac urbe Epiſcopali remotis, ad notoria quidem, at ſine interventu Parochi, ac Teſtium, non ſatis habeo compertum. Hoc autem ſcio, plurimos non exiſtimare, peccari à ſe mortaliter, faciendo ejuſmodi diſſolutionem, ergo certò non incurrunt caſum reſervatum per ea, quæ dixi *Tr. 7.* ſeu *in Alph. Confeſſar. Caſ. VIII.* & proinde hi poſſunt in foro *interno* abſolvi per quemvis, etenim illa reſervatio non poteſt oriri, niſi ſuppoſito, 262 263

to, quòd Synodales Conſtitutiones (conformiter doctrinæ Laymanni, & praxi Mechlinienſi, de qua *num. 260.*) ſub mortali prohibeant illam mutuam remiſſionem, ſaltem cum animo tranſeundi propriâ auctoritate ad alia ſponſalia poſt eam remiſſionem reciprocam, hanc autem mortalem prohibitionem quotus quiſque habet compertam? Ego ipſe diu, multúmque laboravi in comperiendo vero fundamento prædictæ reſervationis, nullum potui
264 reperire, niſi id, quod innui. Et fortè etiam huc reſpiciunt verba earundem Conſtitutionum *Part. 1. tit. 15. num. 4.* quæ ſunt hujuſmodi. *Qui ſemel legitimè ſponſalia contraxerunt, ad fidem ſibi invicem ſervandam, & ad Matrimonium contrahendum, niſi legitima cauſa jure definita ſubſit, non tantùm in conſcientia obligantur, verùm etiam cenſuris Eccleſiaſticis compelli poſſunt, niſi Nobis, Vicario, & Officiali noſtro ex rationabilibus cauſis aliter definiendum eſſe viſum fuerit.*

265 VII. Non delinquit communiter, qui ſponſæ petenti abſque vero jure relaxationem promiſſionis non concedit eam, niſi poſt ſtipulationem de dando reciprocè aliquo pecuniario, ſeu munere, ſeu compenſatione. Probatur ex dictis *num. 179. & ſeqq.* itémque ex doctrina, probata *n. 172.* quòd ſcilicet liceat ſponſalibus adjicere conditionem pœnalem, ſolvendam à reſiliente injuſtè, ſi quippe licet ante ſponſalia adjicere, licebit, & poſt illa dicere, *Non te dimittam volentem abſque legitima cauſa à me recedere, niſi pendas tot, vel tot*
266 *aureos.* Confirmatur inde, quia ille diſceſſus à ſponſa cenſetur communiter eſſe probroſus ſponſæ, communiter efficit, ut vel hæc non reperiat tam commodum (etiam quoad res à vulgo æſtimari pecuniâ ſolitas) Matrimonium, quàm ſi non fuiſſet ulli priùs promiſſa, adde, quòd, ſtantibus prioribus ſponſalibus, perſæpe negligatur occaſio meliorum, & quòd ſponſa cedat jure accuſandi ſponſum. Propter has & ſimiles conſiderationes cenſent communiter homines, ceſſionem factam in ſolam gratiam ſponſi (idem dic de ſponſarum) eſſe pretio æſtimabilem, ergo facta cum pacto repræſentandi pecuniam non continet, *per ſe loquendo,* peccatum. Et tunc minimè continet, quando factæ ſunt expenſæ ratione ſponſalium, ut deduces ex dictis *num. 182.*

267 VIII. At verò, ſi alteri ſponſorum ſuppetat juſta, & legitima cauſa recedendi à ſponſalibus, nequit alter quidquam exigere pro conſenſu in illum receſſum, ſicuti enim *par non eſt, ut quis rem ſuam emat.* Text. *in L. Sua 16. ff. De contr. empt.* ita neque juſta eſſe poteſt pactio pecuniaria de uſu proprii juris.

268 Ex his petenda eſt reſolutio Caſûs de noſtro Famiano, ac dicendum, illum per ſe non contraxiſſe crimen injuſtitiæ, quandoquidem nec peccavit, *per ſe loquendo,* ut liquet ex doctrina *num. 265.* probata, cùm præſertim referatur Famianus feciſſe expenſas propter Frobeniam, & ſpecificè dicatur, incurſurum fuiſſe aliquam ignominiam. Noſtra Curia repuliſſet (non ſine ſapienti ratione) petitionem ſponſi, ſi non allegâſſet, probâſſétque damnum emergens.

Et verò potuit Famianus deliquiſſe graviter, ſi ſumma, quam petebat, erat judicio viri prudentis notabiliter exceſſiva in comparatione cum ejus prætenſionibus. Quòd ſi Frobenia revera contraxerat dependenter à voluntate matris, quæ poſtea non conſenſerit, iniqua fuit poſtulatio Famiani, utpote deſtituta omni jure. 269

Simoniæ crimen quod attinet, potuit eſſe, *per ſe loquendo*, immunis ab illo Famianus, cùm, *per ſe loquendo*, non peccârit ullo modo, ut vidimus. Si tamen exegit illos centum aureos præcipuè, & *formaliter* propterea, quòd cederet jure ſuo ad connubium cum Frobenia, quod connubium eſt res ſacra, utpote Sacramentum, diceret fortaſſis Barboſa relatus *num. 181.* illam tranſactionem non caruiſſe labe Simoniacâ, ſiquidem jus ad Matrimonium eſt res quædam ſacra, at tranſactio ſuper re ſacra continet Simoniam *cap. Præterea 1. De tranſact. & ibid.* Gloſſ. Unde ead. Gloſſ. *in cap. Ex parte. eod.* communiter recepta pronuntiat: *In Matrimonio non habet tranſactio locum.* 270

Certè ſi Famianus intendiſſet *formaliter* tranſigere ſuper jure Matrimonii, tanquam Sacramenti, eſſet reus ſimoniæ, at nemo eſt, qui attendat hanc formalitatem, ſed ſolam rationem contractûs, & vinculi, quæ quidem ſecundùm ſe abſtrahit à ratione Sacramenti, ſicut calix conſecratus, conſiderari poteſt ſine conſecratione, & vendi, non ut conſecratus, ſed ut aureus, argenteus &c.

Quod autem communiter dicitur, tranſactionem ſuper cauſa matrimoniali non ſubſiſtere, intelligendum eſt de cauſa Matrimonii jam contracti, ſeu de præſenti, non de futuro, ut patet *ex cit. cap. Ex parte.* Gloſſ. & Panormitano *ibid. num. 8.*

Declarantur hactenus dicta de tranſactione, aut ſatiſfactione, proponendo, reſolvendóque ſequentem 271

Caſum inconſtantis puellæ.

Puella, inquam, Titia, quæ cùm, inſciis parentibus, dediſſet Tertullo fidem matrimonialem, poſtea cognoſcens, eos ægre ferre id conjugium (erat quippe Tertullus impar Titiæ quoad divitias) diſſolvit ſponſalia, illubente quidem Tertullo, denique tamen conſentiente, aliámque ſibi adſciſcere, parante At, dum vult cum hac alia contrahere ſponſalia, adeſt, qui nomine Titiæ, hujúſque parentum nuntiet, placere, & Titiæ, & parentibus, ut ratam habeat primam pollicitationem; quod & præſtat,

præſtat, relicto peropportuno connubio. Verùm paulò pòſt pœnitet tam ſponſam, quàm parentes facti, & ita quidem vehementer, ut Titia confirmet, ſe potius ingreſſuram Religioſum Ordinem, quàm ut nubat Tertullo. An tenebatur Tertullus Titiam pronuntiare liberam, & quidem abſque aliqua ſatisfactione pecuniaria?

Camerarius Capituli ruralis, in quo editum erat paulò antè hoc ſpecimen muliebris levitatis, vir notus ſuâ probitate, eruditionéque conſuluit me coram, indicaturus ex meo reſponſo ſponſis, quid probabiliter ſperare, timeréve poſſent, ſi cauſa deferretur ad tribunal Eccleſiaſticum. Illud meum reſponſum conſiſtebat in his articulis. 1. Tertullum non teneri dimittere Titiam liberam, priuſquam re ipſâ eſſet ingreſſa Ordinem Religioſum, nec enim aut juſtitiæ, aut charitatis propriæ, alienæve titulus ad id eum aliter compellebat. 2. Si tamen ſeriò vellet intrare ejuſmodi Ordinem, eam obligatam eſſe priùs ſatiſfacere Tertullo pro expenſis, ſi quas hic feciſſet occaſione ſecundorum jam deſtinatorum ſponſalium. Ita ſanè judicant Gutierez, ac Laymannus, referendi infrà *Caſ. IX. num. 310.* & ratio peculiaris in iſto Caſu eſt hæc, quòd palam ſit, Titiam velle ad Religionem tranſire, inductam potiùs injuſtâ averſatione Tertulli, quàm amore Religionis. Confirmatur ex dictis ſuprà *numero 180.* 3. An verò Tertullus potuerit exigere quidquam, idcirco præcisè, quòd ſecutus verba Titiæ neglexerit Matrimonium ſibi percommodum, liquet ex dictis ſuprà *Caſu IV. n. 181.* 4. Si Tertullus deferret caſum ad Tribunal Eccleſiaſticum, Titiam compulſum iri vel ad mox ingrediendam Religionem, ſiquidem cenſeretur eſſe apta, in eáque piè victura, aut ſubituram minorem excommunicationem juxta dicta *n. 125. & ſeqq.* 5. Si Titia metu cenſuræ convolaret ad Religionem, nihilominus compulſum iri à judice ad reparanda vera, & *poſitiva* damna, quorum cauſa extitiſſet Tertullo ſuâ inconſtantiâ. Ratio eſt, quia, ut paulò antè monſtratum eſt, exigebat jure Tertullus hanc reparationem, ergo judex tenebatur ad Tertulli inſtantiam demandare prædictam compenſationem, cùm & nominetur judex ex eò, quòd jus dicat populo. Silveſter *verb. Judex. num. 1.* & debeat cuique juſtum decernere, ac reddere. *cap. Form. De verb. ſignif.*

IX. Utrùm ſponſa poſſit cum præjudicio liberorum, quos ſuſcepit ex ſponſo, remittere huic ſuam obligationem, dicam *Caſu ſeq. numero 289.*

272 Quæritur II. *An, & quomodo conditio non purificata præbeat jus non ſtandi ſponſalibus?*

Reſp. Quando neuter fuit in cauſa, cur non impleretur conditio, eſt uterque liber ſuâ ſponſione S. Thom. *quæſt. 43. art. 1.* & nôrunt etiam idiotæ, ſcientes, quando inita ſunt ſponſalia ſub conditione: *Si pater conſenſerit*, cadere omnem obligationem, quamdiu non conſentit, ſed diſſentit pater. At verò, quando alteruter impedit, quò minùs impleatur conditio, tenetur, eâ etiam non impletâ, ſervare fidem. Tannerus *cit. Diſp. 8. quæſt. 1. n. 66.* nam jure non ſolùm *civili*, ſed etiam *Divino*, & *naturali* recepta eſt Regula 121. *ff. De Reg. jur.* dicens: *In Jure civili receptum eſt, quoties per eum, cujus intereſt, conditionem non impleri, ſtat, quò minùs conditio impleatur, perinde eſſe, ac ſi impleta fuiſſet*, perinde, inquam, eſt reſpectu impedientis impletionem, nam alter manet liber, donec impleatur: Imò quia conatus 273 impediendi eſt quædam renuntiatio, ac fractio fidei datæ, & acceptatæ, ideo poteſt alter dicere: *Fruſtra quis ſibi fidem poſtulat ab eo ſervari, cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat. Cap. Fruſtra. De Reg. jur. in 6.* Hiſce addo pro complemento doctrinæ breviter ſequentia ex Sanchez *Lib. 5. Diſp. 8.* & Perez *Diſp. 12. ſect. 1. & ſeqq.*

I. Quando impleta eſt conditio, ſub qua 274 erat facta promiſſio, ſponſalia ſtatim tranſeunt in pura, ſeu abſoluta, idque ſine ullo novo conſenſu. P. Perez *ſect. 1. num. 2.* Deſumitur ex *cap. un. De ſponſ. & Matrim. in 6.* à ſenſu contrario.

II. Contractus ſponſalitius ſub conditione 275 initus habet vim impediendi valorem aliorum ſponſalium, ſub conditione poſtea initorum cum alia ſponſa, quando conditio hujus poſterioris non impletur, aut quando impletur poſt impletionem conditionis prioris contractûs. Perez *num. 6.* ex communi, ſubdens contra P. Sanchez, ſi utrorumque ſponſalium conditio ſimul impleatur, valere alterutra, & quidem priora. P. Coninck *Diſp. 29. dub. 1.* At verò, ſi contraxiſti cum duabus Matrimonium conditionatum, utriuſque autem conditio ſimul purificetur, negat P. Perez *num. 12.* alterutrum perfici, cùm tamen Pontius *Lib. 3. cap. 14.* velit perfici prius, Petrus de Ledeſma poſterius.

III. Quando, poſt promiſſionem factam 276 ſub conditione honeſta, cognoſcit ſponſus carnaliter ſponſam, cenſet Menoch. *Lib. 3. præſumpt. 1. num. 80.* cum aliis, & Perez *cit. Diſp. 12. ſect. 4.* contra Sanchez *Lib. 1. Diſp. 26. num. 12.* perfici pura, abſolutáque ſponſalia, eſto necdum ſit impleta illa honeſta, aut inhoneſta conditio. Rationem hanc adfert Perez, quia credibile non eſt, mulierem, vel puellam uſuram ſui corporis conceſſuram, niſi ſub ſpe abſoluta, & determinata futuri Matrimonii, nec vir ab ea copulam exigeret, niſi ſub ea ſpe, eam nimirum in ſponſam de futuro abſolutè, & determinatè ſumendo, hícque animus prudenter oſtendatur. Ita P. Perez *num. 3.* cui & ſuffragatur ſtylus Curiæ Conſtantienſis, Auguſtanæ, atque Ratiſbonenſis, & ego aſſentior

Nn 4 lubens.

Digitized by Google

lubens. Vide dicta *Caſ. II. numero 82.* ac Menochium *loc. cit.* poſt alios ſcribentem, eſſe hanc præſumptionem juris, & de jure.

ALIÆ DUÆ CAUSÆ RESILIENDI A SPONSALIBUS.

CASUS VII.

Inconſtantis.

SUMMARIUM.

Caſus renuentis ſtare ſponſalibus, ideóque petentis diſpenſationem. 277.

An diſpenſatio habeat locum in relaxatione promiſſionis matrimonialis? 279.

An ſponſa poſſit remittere promiſſionem illi, à quo ſuſcepit plures proles? 286.

Quomodo ætas det jus recedendi à ſponſalibus? 287.

277 *Grimoaldus, dum uxorem haberet Sejam, violavit Juliam, fœminam quidem non ſibi parem, ſed tamen conditionis honeſtæ, quam iterum, mortuâ jam uxore Seja, violavit, ac demùm, ut ſe ſe à peccato abſtineret, obligavit ſe & juramento promiſit eidem Juliæ, quòd eam in uxorem accipere deberet, ſi rurſus eam carnaliter cognoſceret, ſed propoſiti parum tenax ab ea ſæpiùs copulam extorſit, deſiderabat ergo relaxationem juramenti, & promiſſionis factæ, ne ad Matrimonium cum Julia ineundum teneretur, ex qua poſt mortem uxoris quatuor filios, qui adhuc extabant, ſuſceperat.*

278 Sic omnino narrat (ſuiſne, an alienis verbis ignoro) Cardinalis de Lugo *in Reſponſ. Moral. Lib. 1. dub. 44.* quo loco etiam quærit, & etiam reſolvit, an Pontifex potuerit diſpenſare in ejuſmodi ſponſalibus? Meritò ergo

279 Quæritur I. *An, & quis præditus ſit poteſtate diſpenſandi in ſponſalibus legitimis?* Cui quæſtioni ſubjungam infrà aliam, quomodo ætas præbeat jus reſiliendi à ſponſalibus?

280 Porrò prior illa quæſtio proponitur pro ſolo caſu, in quo ſponſalia adhuc valent, & proinde altera pars nec remittit jus, quod habet in alteram, ſubeſt tamen aliqua cauſa, quæ ſuadeat diremptionem, etenim nequit quiſquam abſque rationabili cauſa auferre alteri jus ſuū. Hoc ſuppoſito

281 Reſp. I. Epiſcopus nequit diſpenſare in hac materia. Sanchez *Lib. 1. Diſp. 61. n. 3.* nam generatim Epiſcopus nequit diſpenſare in caſu, quo jus eſt acquiſitum alicui tertio, talis enim poteſtas eſt penes ſolum ſupremum Principem: & nominatim quoad præſentem materiam videtur hæc actio prohibita Epiſcopo, *Cap. Ex litteris. 2. De ſponſ. & Matrim.*

Reſp. II. Quando ſponſalia ſunt firmata juramento, nequit etiam Papa diſpenſare ſine cauſa graviſſima, & concernente bonum publicum. P. Sanchez *Lib. 3. ſummæ cap. 21. n. 2.* Lugo *cit. dub. 44. num. 3* nam jus acquiſitum alteri, firmatúmque juramento, nequit etiam à ſupremo Principe, niſi ob graviſſimam, bonóque publico neceſſariam cauſam auferri. At 282
verò ſi ea non ſint jurejurando roborata, ſcribit rotundè Sanchez *cit. Diſp. 61. num. 2.* non eſſe dubium, quin poſſit idem Pontifex diſpenſare *ex cauſa juſta*, eò quòd poſſit etiam ex cauſa *juſta* diſpenſare in Matrimonio rato, cui locutioni ſubſcribo, ſi illa cauſa ſit non utcunque juſta, ſed admodum juſta, & gravis, nam neque tunc debet abſque gravi admodū, juſtáque cauſa ſupremus Princeps tollere alteri, præſertim laico, ſuum indubitatum jus, quando eſt deſtitutum robore juramenti. Ex- 283
primit autem Perez, quem retuli in *Tract. 9. Caſ. XXII. num. 108.* eſſe ſatis juſtam cauſam diſpenſandi, ſi timeatur, priorem ſponſam futuram eſſe cauſam peccati ſponſo, aut ſi ex Matrimonio cum altera ſperetur publica pax, aut extinctio, vel impeditio gravium diſcordiarum. Vide *Caſ. ſeq. num. 289.* cauſas, quas referam ex Menochio. 284

Ex his liquet, Cardinalem de Lugo *cit. dub. 44.* rectè reſpondiſſe, non potuiſſe facilè ſperari, fore ut Summus Pontifex concederet illi Grimoaldo relaxationem ſui juramenti, etenim deerat cauſa graviſſima, & concernens bonum publicum. 285

At *potuiſſétne illa Julia remittere Grimoaldo jus, quod habebat in illum?* Reſp. Meritò indicat idem Cardinalis *num. 4.* ſibi videri, non potuiſſe abſque læſione, vel juſtitiæ, vel charitatis, vel pietatis erga tot liberos, utpote, qui eſſent manſuri illegitimi, caritur íque neceſſariis ad congruam ſuſtentationem, addo ego, & ad educationem. Planè in eam cecidiſſet illud Pauli Apoſtoli *1. ad Tim. 1. Qui ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, eſt infideli deterior.* Si tamen meritò timuiſſet magnas moleſtias, crucéſque ſibi perpetim à Grimoaldo inferendas tempore Matrimonii ita coacti, haud exiſtimo, habendam tunc fuiſſe rationem liberorum, quia charitas incipit à ſe ipſa. *Cap. 3. De authorit. & uſu Pallii,* & malum matris redundâſſet in liberos. 286

Quæritur II. *Quomodo ætas ſubminiſtret jus diſſolvendi ſponſalia vera?* 287

Reſp. Subſtantialem reſolutionem hujus quæſtionis contineri ſequenti Reſcripto Alexandrino: *De illis, qui infrà Annos aptos Matrimonio ſponſalia contrahunt, ſivè uterque, ſive alter reclamet, antequam ad Annos Matrimoniis aptos pervenerint, & poſtulent ſeparari, non ſunt ullatenus audiendi, ſi verò tunc alteruter iſtorum, cùm ad Annos pubertatis pervenerit, reclamaverit, nec in alterum voluerit conſentire, judicio Eccleſiæ poterunt ab invicem ſeparari.*

Alexan-

Digitized by Google

288 Alexander III. ut refertur *cap. De illis. 1. De ſponſal. impub.* ita reſpondit, cujus verba, cùm ſint clariſſima, cùm etiam rariſſimè fiat hac ætate, ut pueri, aut puellæ deſponſentur ante pubertatis Annos, ſicuti jam obſervavi ſuprà *Caſ. III. num. 114.* ubi tractavi de ætate habili ad ſponſalia, non eſt, cur diutiùs immorer huic præſenti materiæ. Si fortè occurrat aliquis circa hanc caſus, poterunt conſuli Silv. *verb. ſponſalia quæſt. 3.* Thom. Sanchez *Lib. 1. De Matrim. Diſp. 51.* Baſil. Pontius *De Matrim. Lib. 12. cap. 9.* Martin. Perez *De Matrim. Diſp. 9. ſect. 2.* Dicaſtillo *De Matrim. Diſp. 1. dub. 33.* Bonacin. *De Matrim. quæſt. 1. punct. 6.* & univerſim omnes, qui explicant cauſas, ob quas permiſſum eſt recedere à ſponſalibus, etiam juratis; his & illis junge S. Thom. *in Suppl. quæſt. 43. art. 2.*

TRES ULTIMÆ CAUSÆ DISSOLVENDI SPONSALIA.

CASUS VIII.

Probè Cribratus.

SUMMARIUM.

Caſus allegantis varias cauſas pro receſſu à ſponſalibus. 289.

An, & quomodo ignorantia ſubminiſtret cauſam recedendi à promiſſione? 292.

Traditur generalis Regula de ignorantia circumſtantiarum ſupervenientium ſponſalibus. 293.

Et alia de ignorantia circumſtantiarum, jam præſentium tempore promiſſionis 295.

An eæ Regulæ habeant locum in ſponſalibus, etiam juratis? 296.

Quæ vis juramenti? 297.

An eædem Regulæ habeant locum ubique? 302.

Enumerantur varii Caſus, quibus licet recedere à fide data propter ignorantiam circumſtantiarum, jam præſentium tempore promiſſionis. 303.

Specialiter, quando ignorabantur mores, aut morbi ſponſi. 303. & 304.

An hæreſis? 306.

Aut fornicatio ſponſæ? 307.

Aut ſterilitas? 308.

Aut ortus ex patre ſpurio? 309.

Quomodo mutatio ſuperveniens ſponſalibus irritet illa? 310.

Speciatim, quando poſt ea emittitur votum Religionis, aut Caſtitatis in ſæculo? 312. & ſeqq.

Caſus ſponſæ confugientis ad Monaſterium, & Abbatiſſæ nolentis eam reddere ſponſo, ideòque excommunicata ab Epiſcopo. 317.

Votum Ordinis ſacri ſuſcipiendi an irritet ſponſalia? 319.

Quid ſi ſponſa ſit violata? 320.

Matrimonium attentatum cum altera, quomodo ſolvat ſponſalia? 324.

Quomodo ſponſalia itidem cum alia? 325.

Quid ſi hæc poſterior evaſit gravida? an prior cedet ſuo jure? Ibid.

Declaratur Caſu recenti. 326.

Fornicatio ſuperveniens quomodo det cauſam divortii? 327. & ſeqq.

Quomodo contradictio parentum? 330.

Declaratur Caſu novo. 332.

Quid ſi ſponſa ſit impragnata? 335.

Quid ſi alteruter fiat deformis? 336.

Quid ſi valde vitioſus? 337.

Quid ſi ſummè abhorrens ab altero? Ibid.

Quid ſi promiſſa dos non præſtetur? 339.

Aut aliunde ſuperveniat paupertas? Ibid.

Aut vice verſâ magnæ opes? 340.

Caſus erroris in antiquitate Nobilitatis. 343.

Quomodo ſponſi diuturna abſentia ſolvat ſponſalia? 349. & ſeqq.

Quomodo recuſatio contrahendi præſcripto tempore? 357.

Curioſa quæſtio de probatione, an ſponſa ſit quadratura genio ſponſi. 359.

Caſus complectens varia. 360.

Hildebrandus ſpopondit fide datâ Helenæ Matrimonium, at cùm nollet ipſe ſtare promiſſis, velletque Auditor Generalis Legati Bononienſis compellere ad fidem ſervandam, Jacobus Menochius ſuſcepit ejus patrocinium, ſuique patrocinii produxit has cauſas 1. Quòd Hildebrandus ſummopere abhorreret Helenam. 2. Quòd Helena eſſet vilis admodum conditionis, pauper, & ætatis provectæ, è diverſo Hildebrandus honeſta ex familia, & bonis ortus parentibus, ſatis dives, & juvenis admodum. 3. Quòd Helena fuerit ante ſponſalia, & fortè poſt illa, concubina alterius. 4. Quòd nulla ſubeſſet ſpes procreandæ prolis, eò quòd illa Helena eſſet jam grandæva, & jam millies debuiſſet operam dediſſe actui conjugali, & tamen nunquam filios concepiſſet. 5. Quòd parens Hildebrandi nollet conſentire in eas nuptias. Singulas harum cauſarum exiſtimavit Menochius eſſe ſufficientes ad dirimenda ſponſalia, etſi fuiſſent jurata, ac proinde potuiſſe Pontificem diſpenſare, licèt adfuiſſet ſola ultima ex his quinque cauſis. 289

Qui perlegerit totum conſilium DCC. LXXXVI. cum duplica Jacobi Menochii *Lib. 8. conſiliorum*, teſtabitur, ſcripſiſſe illum non ſine acri hinc inde facta ventilatione, atque, ut ita loquar, cribratione, quæ hîc retuli, utrùm autem rectè hæc omnia, docebunt, quæ proferam in hoc Capite, ſeu Caſu, in quo ſunt enodandæ tres quæſtiones. 1. *An, & quomodo ignorantia diſſolvat ſponſalia? 2. An, & quomodo* 290

Digitized by Google

modo mutatio ſuperveniens ſponſalibus legitimis, nominatim quando ſupervenit votum, aut Matrimonium cum alia, aliúdve impedimentum. aut fornicatio ſpiritualis, vel carnalis, aut deformitas magna, aut metus gravium diſcordiarum, aut diſſenſus paternus, aut generatim talis mutatio, quæ ſi fuiſſet præviſa, ſponſalia non fuiſſent celebrata. Adjiciemus huic *ſecunda* cauſæ, complexuræ tam multas, ac varias particulares, *tertiam* diverſam, ſcilicet quando ſponſus abſque conſenſu ſponſæ abivit peregre, ad quam cauſam refertur illa, quando eſt Matrimonio ineundo præfixus terminus, & tamen non fuit obſervatus ab alterutra parte.

291 Explicationi harum cauſarum ſubjiciemus haſce quæſtiones. 1. *An, quando ob ignorantiam, aut ſupervenientem mutationem, licet recedere, liceat idcirco, quòd ſponſalia fuerint per ſe irrita?* 2. *An, quando ſit diſſolutio juſta de cauſa, oporteat, eam fieri coram Magiſtratu Eccleſiaſtico?* 3. *An cognoſcens carnaliter ſponſam, laborantem vitio ſufficiente ad reſiliendum, cenſeatur cedere jure ſuo?* 4. *An laborans occulto defectu poſſit nihilominus alteram partem urgere ad Matrimonium?* Sed hæc *quarta* quæſtio diſſolvetur *Caſ. ſeq.*

292 Dico jam I. Ignorantia circumſtantiarum ſufficiens ad dirimendum Matrimonium ipſũ, ſine dubio ſufficit ad diſſolvenda ſponſalia. Ita omnes, quia nimirum longè faciliùs diſſolvuntur ſponſalia de futuro, quàm Matrimonium de præſenti: hujus enim vinculum eſt fortius, & ſacratius, quàm illius, ſequuntúrque multò graviora incommoda ex diſſolutione Matrimonii *De præſenti*, quàm *De futuro*.

293 Porrò quænam ignorantia, ſeu error ſufficiat dirimendo, ſeu annullando Matrimonio, explicavi diſtinctè *in Prima parte hujus Alphabeti*, ſeu *Tract. præced. Caſ.4* At quæ ſit ſufficiens ad recedendum à ſponſalibus, declarat hæc generalis Regula: *Qualibet cauſa de novo ſuperveniens ſponſalibus, vel etiam primùm poſt cognita ab altera contrahentium, ob quam quis meritò, prudentis approbatione, ſi à principio extitiſſet, aut cognita fuiſſet, ab hujuſmodi ſponſalibus contrahendis abſtinuiſſet, ſufficit ad diſſolvenda ſponſalia.* Sic loquitur P Adamus Tanner. *Tom.4. Diſp. 8. quæſt. 1. n.69.* cum P. Sanchez *Lib.1. De Matrim. Diſp.62. & 63.* P. Co-
294 ninck *Diſp.23 dub.8.* P. Laym. *Lib.5 Tract.10. Part. 1. cap. 1. num. 18. & 19.* atque alii communiter. In qua Regula continentur duæ doctrinæ. *Inprimis* juſtam cauſam recedendi à ſponſalibus eſſe, ſi poſt illa contracta aliquid adveniat, quod ſi alter eventurum ſciviſſet, nequaquam contraxiſſet. Hæc doctrina declarabitur *Concluſione ſequenti*, quia ſpectat ad alteram è tribus cauſis ſuprà indicatis.

295 *Altera* doctrina, quam exhibet Regula Tanneriana, eſt hæc, quòd ſcilicet etiam tunc liceat reſilire à ſponſalibus, quando aliquid adeſſet quidem jam illo ipſo tempore, quo contrahebantur ſponſalia, at ita ignorabatur, ut ſi non fuiſſet ignoratum, nequaquam fuiſſet promiſſum Matrimonium. Ratio autem hujus *ſecunda* doctrinæ eſt, quia in jure paria ſunt *non eſſe, & non apparere. Leg. Duo ſunt. ff. De teſtam. tutel.* item *aliquid ſupervenire, & præcedere, ſed ignorari*, ut *ex Leg. 77. ff. De Contr. empt.* obſervat inter alios P. Leſſius *De juſtit. Lib.2. cap. 42. dub.7.* Atqui, quando ſupervenit mutatio, quam indicavimus, poſſunt dirimi ſponſalia, quia in omni promiſſione ſubintelligitur hæc conditio: *Si res permanſerint in eodem ſtatu.* Silveſter *verb. juramentum 3. q. 1.* receptus communi calculo.

Eſtque hæc tota doctrina vera, licèt ſponſa- 296
lia ſint corroborata juramento. Sanchez *cit. Lib. 1. Diſp.67.* Filliucius *Tract. 10. Part. 1. n. 298.* atque alii, tum quia juramento promiſſorio ſemper ineſt conditio: *Si res in eodem ſtatu permanſerint. cap. Quemadmodum 23. De*
jurejur. Gloſſ. & Abb. *ibid.* tum quia eſt magna 297
ſimplicitas illorum, qui exiſtimant, promiſſionem juramento veſtitam obligare per ſe, ſeu ratione per ſe juramenti in pluribus caſibus, quàm ſi eſſet nuda, & non veſtita juramento, etenim juſjurandum ad nullos planè caſus, ad nullas circumſtantias extendit, *per ſe loquendo*, promiſſionem nudam, niſi ad illas ipſas, ad quas ſeſe expotrigeret illa promiſſio, ſi foret deſtituta omni juramento, ſed tantùm facit, ut homo etiam ob reverentiam juramenti, adeóque ob metum contrahendi perjurii ultra infidelitatem, promittat ſyncerè, & promiſſionem obſervet tantò fideliùs, ac ſanctiùs in iis ipſis circumſtantiis, & caſibus, in quibus obſervare teneretur, licèt non cogitâſſet de juramento ullo; quia nimirum jurata promiſſio habet eaſdem tacitas conditiones, quas injurata habet, vel ex intentione promittentis, vel ex diſpoſitione Legis, vel ex conſuetudine. Vide P. Suarez *De juram. Lib. 2. cap. 32. num. 3.* P. Sanchez *Lib.3. mor. cap. 17. num. 13.* P. Laymann. *Lib.4. Tract.3. cap.9. num.6.* P. Leſſium *cit. cap.42. num.22.* atque ea, quæ hanc in rem loco proprio, id eſt *in Alphab. Quadrupl. Part. 2. Caſ. 16. num. 504.* profero, & declaro.

Dixi *per ſe loquendo*. Nam tunc *per accidens* 298
extenditur ad plures circumſtantias, aut caſus, quando exigitur idcirco, ut excludantur una, aut plures è conditionibus, & limitationibus, quæ cæteroquin ſubintelligi deberent. Scio, hanc doctrinam viſum iri peregrinam, aut paradoxam nonnullis meorum Lectorum, eſt tamen veriſſima, & probata à DD. quos nominavi, aliiſque communiter.

Quapropter, quando ſponſus e. g. dicit: 299
Fateor quidem, me ſanctè, & quidem ſub juramento, promiſiſſe Matrimonium huic Berthæ, at nequaquam putabam, eſſe adeò inopem, uti nunc deprehendo, ſi autem id habuiſſem compertum, nemo me adduxiſſet ad dandam ipſi fidem matrimonialem; quando, inquam, ſpon-

Digitized by Google

ſponſus ita loquitur ſyncerè, non tenetur in conſcientia ducere Bertham, ita enim deducitur apertè ex Regula Tanneriana, & explicatione, ampliationéque illius.

300 At *Bertha citat illum ad judicem*? Reſp. Judex debebit huic ſponſo fidem adhibere, non modò, ſi probet teſtibus, ſe ante promiſſionem dixiſſe, illam Bertham eſſe admodum opulentam, hánceque opulentiam eſſe cauſam, cur eam præferat aliis, ſed etiam, quando ipſe judex, conſideratis omnibus circumſtantiis, exiſtimabit, illum, ſi compertam habuiſſet eam paupertatem, nequaquam fuiſſe conſenſurum in connubium. Ita docet P. Sanchez *Lib. 1. De Matrim. Diſp. 62.* cum multis, eúmque ſe-

301 cutus P. Filliuc *num. 292.* Ratio hujus doctrinæ eſſe poteſt hæc, quòd ſcilicet Matrimonia debeant eſſe libera, ſiquidem coacta ſolent ſortiri exitus infelices, ut probavimus ſuprà *num. 128.* & inculcant omnes DD. ut quid ergo judex compellet in ejuſmodi caſu ad Matrimonium? cùm non poſſit non timere varia mala. Eandem doctrinam declaro nunc quinque caſibus particularibus.

302 Priùs tamen obſervo, (quod præteritum video à meis DD.) neutri doctrinæ allatæ Regulæ locum eſſe, ſaltem in foro *externo*, ubi uſu receptum eſt, ut allegata mutatio, aut ignorantia hujus, aut illius qualitatis, eventûs &c. non admittatur, niſi fuerit in contractu ſponſalitio facta expreſſa illius mentio, quandoquidem poteſt judex meritò de quibuſdam, etiam reddentibus notabiliter difficiliorem contractum, dicere: *Omiſſum in contractibus habetur pro omiſſo. Leg. Veteribus. ff. De pact.* & ibi notata per DD. præſertim quando orirentur ingentes inimicitiæ, ſi daretur locus tali allegationi, ad cujus tamen elucidationem per quinque caſus, ut dixi nunc, præſtandam transeo.

303 *Primus* caſus eſt, quando poſt ſponſalia deprehenditur, ſponſum eſſe valde aſperum, & ſævum, ut proinde meritò timeatur, ne valde aſpere tractet uxorem. Tannerus *cit. quæſt. 1. num. 66.* Et quia ratione, atque autoritate probavi *in Accuſatione Canonica Ebrioſi*, ſeu *Theol. Juridico-Morali cap. 44.* uxori ſuppetere juſtam cauſam divortium à marito faciendi, quando ſemel verberata injurioſè ab illo timet prudenter, ne adhuc ſemel, iterúmve converberetur ab eodem, conſequenter poterit ſponſa mittere ſponſo nuntium, ſi quid ejuſmodi timeat jam ab illo, cùm priùs exiſtimârit, nihil ejuſmodi formidandum. Nam cui licet, quod eſt plus, licet utique, quod eſt minus. *Reg. 53. in 6.* Et quia *ibid. num. 14.* retuli PP. Henriquezium, Sanchez, Regin. Laymannum, & Filliucium, ratos, eſſe ad ſævitiam divortio ſufficientem revocandam moleſtam cohabitationem, diſcordias, jurgia frequentia, graviáque inter conjuges, liquet, quid ex horum ſententia ſit in hac materia dicendum.

304 *Secundus* caſus eſt deformitas, & infirmitas, ut ſunt lepra, morbus Gallicus, ſeu Neapolitanus, ut nuncupat Filliucius, item epilepſia, phrenesis, & ſimiles morbi graves, & humidi, qui certo tempore ſolent redire. Tannerus *num. 63.* Et quæ mulier non dicet, ſe graviter deceptam, ſi intelligat, ſponſum eſſe chiragricum, podagricum? Et addit P. Tambur. *Tract. 3. De Matrim. cap. 5. §. 8.* ex Pontio *Lib. 12. cap. 17.* etiam ſuſpicionem cujuſcunque infirmitatis gravis, incurabilis, huc etiam referri, & nominatim oris graveolentiam incurabilem, eſt enim nimis oneroſa illius tolerantia perpetua. P. Sanch. *Lib. 1. Diſp. 57.* Vide S. Thom. *quæſt. 43. art. 3. ad 3.*

Et perpende ſolutionem hujuſce

Omnino novæ Quæſtionis:

An ſcilicet paſſio herniaca ſponſum affligens, & ſponſam latens, tribuat cognita jus reſiliendi?

Ego quippe conventus à parente ſponſæ, obtendentis hoc vitium ſponſi, reſpondi, ſi id vitium probetur, adeſſe illud jus: etenim ſponſus ille nequibat ſe, ſuóſque alere, niſi labore ruſticano, qui cùm exigat corpus robuſtum, inque omnes partes verſatile, & par magnis oneribus ferendis, ſuſtollendis, hæ autem qualitates deſint herniacis, minimè dubitandum eſt, quin altera noſtra doctrina, ejuſdémque probatio adducta *num. 295.* patrocinetur ſponſæ tam miſerabilis ſponſi. Aliud, ob contrariam rationem, pronuntiâſſem, ſi ſponſus ille fuiſſet mercator, nobilis, aut etiam artifex artis ſedentariæ. Aliud quoque judicavi ſemel in caſu concernente mulierem herniacam (ſeu potiùs bubonocelæ obnoxiam) ſanguine nobilem, nec enim illud vitium eſt magnæ conſiderationis in mulieribus pleriſque. 305

Tertius Caſus eſt fornicatio ſpiritualis, aut corporalis, ut loquuntur authores, vocantes hæreſin fornicationem *ſpiritualem*, quæ cùm ſit millecuplo turpior, quàm corporalis, ideo quando ſponſa intelliget, ſponſum eſſe Lutheranum, Zwinglianum &c. non tantùm, non tenebitur ei ſervare fidem, ſed ne licebit quidem, *per ſe loquendo*, ut liquet ex dictis *Tract. præced. Caſu XI.* & in ſpecie facti de ſponſalibus Catholici cum hæretica Cretenſi reſolvit P. Paulus Comitolus *Reſp. Lib. 1. quæſt. 117.* 306

Jam ad fornicationem carnalem, quod attinet, omnes DD. ferè, præter Navarr. *Lib. 4. conſ. 2. De divort.* malè citantem pro ſe Abbatem, liberant obligatione ducendi illam, quæ putabatur virgo, & tamen non erat, eò quòd communiter ſponſi reſpuant illas, quas nôrunt, aut etiam ſuſpicantur eſſe corruptas, quod ipſum intellige de vidua, quæ in ſtatu viduali erat fornicata. Sanch. *Lib. 1. Diſp. 63.* Tamburinus *Tract. 3. De Matrim. cap. 5. §. 9.* Quia 307

verò

Digitized by Google

verò mulieres non ſolent ita horrere viros,qui cum aliqua alia fuêre carnaliter commixti ſemel,iterúmve, nec horum incontinentia gignit ullo modo tantam infamiam, ſeu probrum, quantam mulierum, idcirco fornicatio ſponſi præcedens ſponſalia, etſi ignorata, non præbet communiter juſtam cauſam quærendi alium ſponſum. Dico *communiter*,ſi enim fuiſſet ille ſponſus multùm addictus huic vitio, aut multis commixtus, eámque ob rem fieret ſuæ ſponſæ valde vilis, aut ſuſpectus de non ſervanda fide conjugali, jure diceretur illi: *Res tuas tibi habe*. Vide Sanchez *Diſp. 63.* ac Tamburinum *cit.* §. *9.* Quid verò ſentiendum, quando poſt ſponſalia quidpiam ſimile, vel affine contingit, dicam *num. 328.*

308 *Quartus* caſus eſt ſterilitas, ita ut ſponſus non teneatur ducere, quam falſò putabat eſſe fœcundam. Menochius *cit. conſ. 786. num. 12.* eò quòd Matrimonium inſtitutum ſit præcipuè ob generationem prolis. Verùm hæc ſterilitas vix poſt ſponſalia cognoſcetur, niſi cognoſcatur, vel ſponſam ſæpe cum alio concubuiſſe ſine impragnatione, vel eſſe majorem quadragenariâ. Cauſam adferam infrà *num. 334.*

309 Vicem *quinti* Caſûs, quo fas eſt non ſervare fidem datam, occupabit

Hoc factum ſingulare.

H*Oratius opificio N. cognoſcit, ſponſam ſuam eſſe quidem legitimam, attamen natam patre ſpurio, quam proinde ſi ducat uxorem, non erit ipſi per Statuta patria fas, exercere ſuum opificium; deinde licèt eſſet id ipſi fas, attamen parens non concederet ipſi officinam, quam habet. Qua de cauſa ſuperior Eccleſiaſticus pronuntiavit illum liberum ab impetitione ſponſæ. Quæritur, an jure?*

Qui ita pronuntiavit, ex me poſtmodum quæſiit, quid mihi videretur de hac ſeu judiciali, ſeu extrajudiciali ſententia? Reſpondi, videri omnino Juri conformem, quandoquidem quilibet opifex eſt ita animo comparatus, ut nolit habere uxorem illam,cujus copulatio eſt adeò damnoſa. Quia tamen plurimis in locis nihil prorſus officit libero ſuæ artis exercitio illegitimitas ſoceri, idcirco in iis non habet locum ea ſententia. At: *Quid ſi meritò timeat talis ſponſus, ne filiis, qui naſcentur è filia ſpurii, exprobrentur vitioſi natales? Quid ſi propter hos ipſos natales ſint quaſi irregulares reſpectu quorundam officiorum civilium?* Reſp. Metum exprobrationis ejuſmodi non cenſeri inter plebejos eſſe tanti, ut propterea liceat reſcindere datam fidem. At illa, ut ita vocem, irregularitas, & inhabilitas ſi ſit reſpectu plurium officiorum, ſanè continet malum notabile, magnóque pretio æſtimabile, ſecùs, ſi tantùm reſpectu unius, alteriúſve; cùm præſertim ſit longè incertiſſimum, utrùm, etſi ducatur ejuſmodi uxor, naſcituri ſint ex conjugio filii, & quidem tales, qui ſint unquam adſpiraturi ad talia officia, opificiáve; poſſunt tamen facillimè jungi huic certè non minimo errori una, alteráve circumſtantia, quæ meritò inducant judicem, ad pronuntiandum pro decepto. Sicut & certum periculum non acquirendi officinam paternam, quæ tamen certò ſperabatur à ſponſo, dediſſet huic ſufficientem cauſam reſiliendi, ſi quiſque prudens judicaturus eſſet, eum non fore daturum fidem conjugalem, niſi ſperâſſet illam tabernam, ob Regulam adferendam *num. ſeq.*

Dico II. Quoties in ſponſalibus ſuperaccidit aliquid, quod eorum executionem reddit notabiliter difficiliorem, quodque, ſi initio fuiſſet, cordatum (ſeu prudentem) hominem ſimilis conditionis ab illis avertiſſet, toties ceſſat obligatio illius, cui difficilius redditum eſt Matrimonium. Ita loquitur poſt P. Ægidium Coninck *Tom. 2. in 3. Part. Diſp. 23. dub. 8. num. 65.* Thom. Tamburinus *Tract. 3. De Matrim. cap. 5.* §. *8. num. 1.* P. Dicaſtillo *Diſp. 1. dub. 11.* atque alii plures. Atque hanc Regulam admitti debere in ſponſalibus, etſi non admittatur in aliis contractibus oneroſis, rectè docet eum, & apud Tamburin. *loc. cit.* Averſa; nam & promiſſio Matrimonii, utpote vinculi indiſſolubilis, requirit majorem libertatem, quàm alii contractus, & quiſque contrahens ſponſalia, cenſetur ſecundùm comunem aliorum ſuæ conditionis hominum intentionem contrahere, niſi de contrario conſtet, & conſequenter *tacitè* excipere illum caſum, quem communiter omnes, qui ejus ſunt conditionis, prævîſum omnino exciperent. Ita Coninck *loc. cit.* concordat Regula tradita ex Tannero ſuprà *num. 293.* In idem recidit illa breviſſima, quam ex Silveſtro, Armilla, Angelo, Soto, Antonino, Majore, Henriquez, & Sanchez proponit idem Coninck *num. 64.* his verbis: *Una pars poteſt reſilire à ſponſalibus, quoties aliquid ſupervenit, quod ei contractum Matrimonii reddit notabiliter difficiliorem*, adeóque omnis mutatio ſuperveniens ſimul, & reddens Matrimonium notabiliter difficilius, quàm erat ante illam mutationem, dat parti illi, cui eſt redditum difficilius, poteſtatem tranſeundi ad aliud conjugium. 310

Elucido hanc Regulam *practicam* variis eventibus particularibus, & individualibus. 311

Primus eventus eſt, quando ſponſus, vel ſponſa emittit votum Religionis, aut etiam Caſtitatis, tunc enim poteſt altera pars reſilire ab illo. Sanch. *Lib. 1. Diſp. 46. & 47.* ex communi, nec enim ullus vellet contrahere cum puella, quam prævideret emiſſuram ejuſmodi votum, ut declaro ſequentibus §§. I. Votum Caſtitatis, & Religionis ingrediendæ, non ſolùm reddit invalida ſponſalia, quæ poſt illud ſunt edita, niſi fortè ſponſa ſit impregnata, ut 312

ut explicavi ſuprà *Caſ. III. num. 100.* ſed etiam diſſolvit illa, poſt quæ emiſſum alterutrum ex his votis. *Prima* pars de voto Caſtitatis in ſæculo traditur à S. Thom. *in ſupplem. quæſt. 53. art. 1. ad 1.* diſſentiente probabiliſſimè Sanchez *Lib. 1. Diſp. 46.* Laymanno *Lib. 5. Tract. 10 Part. 1. cap. 1.* & multis aliis, damnantibus peccati mortalis hoc votum. Sed probatur ſententia S. Thomæ, nam & ſponſalia, velut ſimplex promiſſio, videntur debere cedere etiam promiſſioni ſimplici de meliore bono, communiter incompoſſibili cum Matrimonio, & videtur in promiſſione Matrimonii ſubintelligi hæc conditio: *Niſi elegero vitam perfectiorem.* Diana *Part. 9. Tract. 7. Reſolut. 75. in fin.*

313 Unde Leſſius conſultus, utrùm aliqua certa virgo poſſet emiſſione voti ſimplicis ſe ſolvere obligatione ſponſalium ſimplicium de futuro, reſpondit his verbis: *Cenſeo ſecurè permitti poſſe illi virgini, ut votum Caſtitatis in ſæculo manens emittat, & ſic ſe ſe ab obligatione ſponſalium ſimplicium liberet.* Hoc reſponſum extat in ejus *Auctario verb. ſponſalia. Caſu 6.* citàtque pro illa Joan. Andream, Angelum, Richardum, Silveſt. *verb. Sponſalia. quæſt. 10.* Dominic. Sotum. Illud certius, quod fatetur ipſe Sanchez *cit. Diſp. 46. num. 5.* ac Silveſt. *loc. cit. quæſt. 6.* ſcilicet illam partem, quæ vovit, cenſeri renuntiare ſponſalibus, & proinde liberum eſſe alteri parti nubere, cui velit in Domino. Addit Tamburin. *cit. §. 4.* judicem non teneri credere dicenti, ſe emiſiſſe votum.

314 *Altera* pars de voto ingrediendi Religionem, eſt omnium, deſumitúrque *ex cap. Commiſſum. De ſponſ.* quia dubium non eſt, quin promiſſio Matrimonii *tacitè* involvat exceptionem: *Niſi elegero ſtatum perfectiorem.*

315 At: *Quid ſi ſponſalia fuerunt juramento confirmata?* Reſpondet rectè Sanch. *cit. Diſp. 46.* Palaus *cit. Diſp. 1. punct 18.* Eſcobar *Theol. Moral. Lib. 24. dub. 55.* Covarruv. Gutierez, & alii apud illos, contra Rebellum, Ledeſmam, & alios, non teneri contrahere. Ratio eſt, quia, ut dixi ſuprà *num. 297.* juramentum ſequitur conditionem promiſſionis, cui adjicitur, nec extendit illam. Imò nec *licitè* contrahet, *per ſe loquendo*, eſto habeat animum non conſummandi, ſed paulò pòſt nuptias velit ingredi Religionem, intactâ uxore. Ita citati contra Cajetan. Ledeſmam. Rodriquez, & fuſè Texedam apud Dianam *Part. 9. Tract. 7. Reſ. 75.* quia & ſe exponeret periculo commixtionis carnalis, & cauſaret magna incommoda ſponſæ, ut bene perpendit Palaus.

Nec obſtat Capitulum *Commiſſum. De ſponſal.* ubi reſpondet Pontifex, tutius eſſe, ſi talis contrahat, nam loquitur de illo, qui adhuc dubitat, utrùm ediderit tale votum, ut patet ex illis verbis: *Si elegerit.*

316 Hinc deduces veritatem reſolutionis, quam ad ſequentem Caſum dedit

D. Franciſcus de Arauxo.

Monica poſt fidem matrimonialem datam honeſto juveni confugit ad Monaſterium Ordinis S. Claræ, quàm cùm repetenti ſponſo tradere nollet Abbatiſſa, Epiſcopus ad inſtantiam ſponſi minatus eſt ipſi excommunicationem. Quæritur an: & quo jure?

Reſpondet Arauxus *De Eccleſiaſt. Statu Tr. 1. quæſt. 1.* Epiſcopum ex duplici capite non potuiſſe jure minitari anathema illi Abbatiſſæ, vel, ut vocamus in his partibus, Matri; ſeu Monica illa renuerit exire è Monaſterio, ſeu fuerit illic detenta vi. Si enim nolit exire, cenſetur retractâſſe voluntatem nubendi, ac promiſſionem, inquit Arauxus, ergo neque ipſa, neque Abbatiſſa plecti poteſt ullâ pœnâ. Si verò vi detineatur in Monaſterio, peccat quidem graviter Abbatiſſa, non tamen idcirco poteſt excommunicari ab Epiſcopo, hic enim nequit adverſùs exemptos, quales etiam ſunt (*per ſe loquendo*) Moniales Ordinum Mendicantium, cenſuris procedere, niſi in tribus caſibus indicatis à Concil. Trident. *Seſſ. 21.* Decreto *De vitand. & obſervand. in celebrat. Miſſæ Seſſ. 25. De Regul. cap. 5.* & *ead. Seſſ. cap. 16.* quos inter caſus non numeratur violenta detentio ſponſæ, vel conjugatæ, licèt autem *in cit. Seſſ. 25. cap. 17.* permittatur Epiſcopo, ut ſuſpendat (ab officio) Abbatiſſam, quæ ad Habitum, & Profeſſionem admittit puellam ſine prævia conſultatione Epiſcopi, non tamen concedit jus excommunicandi, nec permittit ſuſpendi, niſi quando puella eſt abſque prævio examine Epiſcopi admiſſa, vel ad Habitum, vel ad Profeſſionem, ut liquet ex Declaratione Cardinal. apud Gallemart *in cit. cap. 17.* atqui neutrum adhuc fecerat illa Mater, & Superior.

Ita ferè Arauxus, qui, licèt videatur indicare, puellam illam fuiſſe promiſſione ſuâ abſolutam eo ipſo, quòd decreverit non exire ex illo Monaſterio, potuit autem nolle exire, etiamſi non habuerit animum profitendi, attamen vel intelligendus eſt loqui de decreto profitendi, vel deſerendus eſt, nec enim ullus, quod ſciam, Theologus hactenus docuit, propoſitum permanendi, etiam totâ vitâ, in Monaſterio, ſufficere ad liberationem à promiſſione matrimoniali, imò nec liberat animus profitendi, ſed ſolùm ſuſpendit uſum juris competentis ſponſo, donec emittatur deſtinata Profeſſio, ut ſuperiùs notavi ex P. Tamburino, certè nullo jure cautum eſt, ut ſola ſuſceptio Habitûs diſſolvat utrinque ſponſalia, alioqui fortè ſæpe contingeret, ut puella indueret ad tempus Habitum, eóque depoſito, nuberet alteri magis placenti. 317

II. Prædicta poteſtas ſubeundi Ordinem Religioſum, etiam poſt ſponſalia, etiam nullo juramento firmata, intelligitur caſu, quo ſponſa non fuit ſub ſpe Matrimonii deflorata. 318

Digitized by Google

P. Sanchez *Lib. De Matrim. Diſp. 44. n. 8.* non videtur quippe poſſe ſuæ obligationi, atque deſloratæ honori aliter ſatisfacere, quàm ſervando fidem.

319 III. Votum ſuſcipiendi ſacros Ordines, dirimit ſponſalia juxta probabiliorem ſententiam Soti *De juſtit. Lib. 5. quæſt. 1. art. 3.* Henriq. *Lib. 11. c. 14. n. 4.* Bonacin. *quæſt. 1. De Matr. punct. 5. num. 20* Dicaſtilli *Diſp. 478.* & aliorum contra Paludanum, Sanchez *Diſp. 47.* Filliuc. *cit Tract. 10. Part. 2. num. 287.* & alios, eò quòd ſtatus Clericalis ſit perfectior conjugali, & proinde ejus electio excipiatur *tacitè*, dum ſpondetur Matrimonium. Unde à fortiori id virium habet ipſa actualis ſuſceptio Subdiaconatûs, Sanch. Filliuc. Bonac. *ll. cc.* & alii communiter, pronuntiante Perez *Diſp. 9. ſect. 7. n. 3.* hoc eſſe certum contra Paludan. & Tannerum, referentem pro ſe malè Sanchezium. Ratio eſt, quia votum illi Ordini adjunctum diſſolvit Matrimonium ratum, quid ni & ſponſalia actu contracta? Perez *loc. cit.* Quare ante non multos Annos ſuaſi puellæ, qua inconſulta ſponſus ſuſceperat Subdiaconatum, ne intentaret ei litem, probabiliſſimè enim caſuram cauſâ.

320 At *quid ſi evaſiſſet vel prægnans, vel infamis?* Reſp. Paludanus, Majolus, Lopez apud Tanner. *l. cit.* juberent deponi togam Clericalem, & contrahi Matrimonium. Juberem & ego, ſi non timerem valde malum exitum talis copulationis: peccari mortaliter à ſuſcipiente Subdiaconatum ſine conſenſu ſponſæ, cenſet Perez *loc. cit.* cum aliis contra alios rectiùs negantes, ſi ea non ſit violata.

321 IV. E diverſo certum eſt, quòd ſuſceptio Ordinum Minorum non diſſolvat ſponſalia ex parte ſponſi, qui ſponſâ inſciâ, vel invitâ illos ſuſcepit, at verò diſſolvit ex parte ſponſæ, ut tanquam indubitatum tenet P. Tanner. *num. 53.* cùm tamen P. Sanch. *Diſp. 47. num. 1.* tradat, contrarium eſſe certum, ſed non aſſentior, re enim verâ videtur ſponſus remittere ſponſæ jus ſuum in illam, quando ſe curat attonderi in Clericum, ſicut ſuprà conceſſimus de voto ſuſcipiendi Ordines Sacros. Adde, quòd comuniter nollent, ſaltem in Germania, puellæ contrahere cum illo, quem ſcirent tranſlatum iri in claſſem Clericorum.

322 V. Generatim loquendo tenetur vovens, quando ex voti executione ſecutum eſt aliquod damnum ſponſæ, reſarcire illud, etenim nequit ſuum bonum ſpirituale non neceſſarium, proſequi cum vero, & reali damno innocentis. P. Laym. *cit. Tract. 10. cap. 2. num. 8.* negante P. Palao *punct. 33.* cum aliis contra eundem Laymannum, eſſe ab illo vovente reſarciendas expenſas, quas altera pars fecit ratione ſponſalium, aut futuri, ut putabat, Matrimonii. Vide infrà *num. 380.*

323 Atque adde, ſi ſponſus ingreſſus Novitiatum Ordinis Religioſi redeat ad ſæculum, non obligari ſponſam illum accipere, at verò ſi ipſa velit, poterit compellere ad fidem ſervandam. Tamburinus *cit. cap. 5. § 2.*

Secundus eventus, eſt Matrimonium initum 324
cum altera, ſeu *validè*, ut per ſe patet, ſeu *invalidè*, nam & frangenti fidem, fides frangatur eidem, & nemo daret fidem Matrimonii illi, quem, vel quam prævideret, eſſe datâ, acceptâque fide tentaturum adeò efficaciter alias nuptias. Ergo ſi ſponſus Berthæ ineat etiam invalidum (e. g. quia adeſt Impedimentum Affinitatis) Matrimonium cum Cæcilia, non tenebitur Bertha recipere reſipiſcentem, ſicuti neque, ſi non Matrimonium, ſed ſola ſponſalia celebrâſſet cum qualicunque. Quòd ſi ſponſus perfidus celebrâſſet validum Matrimonium cum alia, hac mortuâ poſſet Bertha illum jure repetere, ſecundùm Palaum *De ſponſalib. Diſp. 1. punct. 21.* Tamburinum *cit. cap. 5. §. 5. num. 6.* non poſſet judice Sanchez *Diſp. 48.* Tannero *num. 57.* & aliis, eò quòd ſponſalia ſemel extincta non reviviſcant.

At jure repeteret ſponſa ſponſum, qui iniquè 325
dedit alteri fidem Matrimonii, hæc enim fides illum non obligat. Si tamen hæc ſecunda ſponſa, ignara priorum ſponſalium, feciſſet copiam ſui corporis tali ſponſo, vel aliud grave damnum ipſi impenderet, teneretur prior ſponſa, ſi abſque notabili incommodo poſſet, non quidem ſtricto jure, ſed tamen ex quadam æquitate cedere jure ſuo, ut docet Sanch. *Diſp. 49.* poſt Henriquez, addens, poſſe à judice compelli ad hanc ceſſionem. Vide Palaum *punct. 22.* & Tamburinum *§. 5. num. 7. & ſeqq.* atque adde, ſi ſecundæ ſponſæ violatio eſt occulta, non videri ambigendum de ſervanda priore, cùm hæc nullo planè titulo obligetur ad renuntiandum tunc ſuo juri, cùm & violatio occulta (ſpontanea) non ſit adeò grave malum, & hoc ipſum malum nequeat tolli per ceſſionem.

At quid ſi contigiſſet id, de quo quidam 326
Theologiæ Profeſſor

Sequentibus verbis.

Hodie reſolvendum pro Epiſcopali Conſiſtorio habeo hunc Caſum: Didacus promiſit duabus paris conditionis Matrimonium, Berthæ primò, deinde Juliæ, quam etiam ſub ſpe Matrimonii imprægnavit, nunc utraque vult ducere Didacum, Didacus non vult, niſi priorem. Quæritur, an poſſit, imò an debeat ducere Juliam? Ego cogito reſolutionem facere pro Julia in favorem prolis, an rectè? NB. nulla pro Bertha ſtat ratio, niſi quòd ſit prior.

Sic ille, cui reſpondi: *Rectiſſimè*, quandoquidem bonum prolis maximi ſit à Jure, atque Doctoribus, ut oſtendi ſuprà *num. 196.* Non tamen tanti, quin priori ſponſæ ſervandum ſit

ſuum

Digitized by Google

ſuum jus illæſum, ſi fortè & ipſa fuit deflorata, & ſingulariſſimè, certiſſiméque, ſi imprægnata quoque, etenim ſaltem in pari cauſa veritatem obtinet tum Regula *54. in 6.* Qui prior eſt tempore, potior eſt jure, tum ad literam illa gnome Baldi ad *Leg. Si plures. Cod. De condit. inſert. Qui habet primum eſſe, habere debet primum frui, & gaudere* : atqui proles priùs imprægnatæ habet priùs eſſe.

327 *Tertius* eventus, eſt ſuperveniens Impedimentum matrimoniale, ut ſi ſponſus fornicatus eſt cum ſuæ ſponſæ conſanguinea in ſecundo gradu, quod Impedimentum qui poſuit libere, tenetur procurare ſuis expenſis diſpenſationem. Tambur. *cit. cap. 5. §. 7. num. 5.* contra Averſam, & quidem licèt opus foret maximis expenſis, ſi credimus eidem Tamburino poſt Palaum *punct. 26.* contra Sanchez, Coninck, Filliucium, & Hurtadum *De Matrim. Diſp. 2. diff. 12.* quibus tamen aſſentitur, & quidem meritò, P. Tamburinus caſu, quo ſponſus ignorabat, cauſari à ſe impedimentum.

328 *Quartus* eventus, eſt ſuperveniens fornicatio alterutrius, etenim innocens pars jure reſilit à nocente, ut fatentur omnes poſt S. Thom. *1. 2. quæſt. 43 art. 3.* adeò ut Sanch. *Diſp. 55.* Tanner. *cit. quæſt. 1. n. 55.* ac plures alii contra alios extendant hanc doctrinam ad ſponſam, quæ fuit ab alio oppreſſa violenter, quod utique eſt verum, ſi non tantùm oppreſſa, ſed imprægnata fuit, ſatis quoque probabile, ſi fuit ſponte ab alio paſſa amplexus, oſcula, aut tactus impudicos, ut notant citati cum Tamburino *cit cap 5. §. 6.* etenim talis & egit contra fidem datam, & fecit ſe viliorem, imò ſuſ-
329 pectam de actu adhuc turpiore. Extendit Menochius *conſil. 786. num. 25.* ad caſum, quo eſt ſola præſumptio patratæ fornicationis, ut ſi ſponſa frequenter domum illius, cum quo ſciebat ſponſus eam peccâſſe ante ſponſalia.

330 *Quintus* eventus, eſt contradictio parentum. Hanc cauſam *abſolutè*, ſeu ſine addito, & ſine exceptione ponit Menoch. *cit. conſ. 786. num. 16. & 26.* contendens, Hildebrandum, de quo *num. 289.* potuiſſe ob ſolum diſſenſum paternum reſilire à ſponſalibus cum Helena, eò quòd hic diſſenſus ſufficiat ad diſſolvendum Matri-
331 monium ratum. Ego tamen non admitto hanc doctrinam ita ſiccè propoſitam, quia nixam falſâ omnino ratione, ut videbimus *Caſ. XVIII.* admitto tamen cum additione, quam ex Sanchez, Leſſio, & aliis expreſſi, & explicavi *Caſ. III. num. 306.* ſi videlicet hunc diſſenſum ſecutura ſint gravia incommoda, ut ſunt verbera, diminutio hæreditatis, perpetua, aut valde diuturna offenſa parentum, ſicuti reſpondi duabus horis (adeóque ſeptimo Novembris, Anno 1664.) priùs, quàm hæc ultima verba ſcriberem pro prima editione, me enim convenerat tunc quidam perquam ſedulus Parochus, & quæſiverat, quid reſpondendum ad hunc

Caſum Noviſſimum?

Hirtacus, & Hecuba parochiani mei, inquiebat ille D. Curio, *inſciis parentibus Hecubæ, & ſolùm per nuntios contraxère clàm ſponſalia, non dubitantes, quin parentes Hecubæ eſſent vel negaturi conſenſum re intellectâ, vel difficulter daturi, eò quòd Hirtacus nequaquam opibus æquet Hecubam. Et verò jam conſtanter negant, perquam indignè ferentes, & minantes inſuper filiæ peſſimam tractationem; quare pœnitet Hecubam, quam etiam dimittit Hirtacus, ſed inprimis ſine facultate Magiſtratûs Eccleſiaſtici, deinde cum ſpe extorquendi à parentibus Hecubæ pecunias in compenſationem, quòd poſt ſponſalia, inita cum ipſa, neglexerit honeſtum admodum Matrimonium, cui par non ſit fortè reperturus. Habeo quidem hîc ſcripto expreſſam, conceſſámque à Reverendiſſimo D. Vicario Generali facultatem abſolvendi à non ſervatis ſponſalibus, cùm ſit notorium, illos mutuo conſenſu receſſiſſe ab iis, at ambigo, an teneear abſterrere Hirtacum à conſilio exigendi illam compenſationem.* Ita ille ſtudioſus ſui officii Paſtor. 332

Habes, mi Lector, confirmationem illius conſuetudinis Conſtantienſis, de qua ſuprà *num 262. & ſeq.* habe & reſponſum meum, ſcilicet Hirtacum non poſſe jure exigere quidquam ratione ſui damni incurſi; nam *Legis auxilio dignus non eſt, qui ſe ultro in neceſſitatem conjecit.* textus elegans *in Leg. Si fidejuſſor. §. Si neceſſ. ff. Qui ſatiſd. cog.* non ignorabat Hirtacus periculum diſſenſûs paterni, & malorum non contemnendorum, & conſequenter pœnitentiæ ex parte puellæ. 333

Adde, quòd, quando pars *licitè*, ſeu ſine culpa (ex probatorum opinione Doctorum) recedit à ſponſalibus, non teneatur probabiliter ad expenſas, quas altera pars fecit in nuptias. Infrà *num. 381.* cur ad compenſandum hoc quaſi lucrum ceſſans? Atqui *licitè*, ex nobilium Scriptorum ſenſu, reſiliebat Hecuba, nec enim tenebatur fidem ſervare cum tanto ſuo periculo. Menochius fusè *conſ. 69.* etenim ex obſtinata contradictione parentum facilè oriuntur incommoda gravia. P. Tambur. *cit. cap. 5. §. 8. num. 7.* Denique fruſtra Legis auxilium implorat, qui committit in Legem *cap. Bonæ. 23. De elect.* egerat autem, & commiſerat in Legem Diœceſanam Hirtacus, hæc enim vetat, aut diſſuadet ſponſalia clandeſtina. Suprà *num. 16.* 334

At, *quid ſi ſponſus ſpe Matrimonii imprægnet ſponſam, & parens minetur ſponſo exhæreditationem, ſi ducat?* Reſpondet Beja *in Reſponſis ſuis. Part. 1. Caſ. 18* expreſſè, talem non poſſe à 335

Digitized by Google

Confeſſario abſolvi, ſi non ducat, eſto pater ſit ita obduratus, ut nullo modo velit concedére conſenſum, ſed minas executurus ſit. At P. Sanchez relatus *Caſ. III. num. 107.* diceret, teneri deſerere illam etiam imprægnatam, ſi ultra exhæredationem ſecutura ſit perpetua offenſa patris, graves inimicitiæ &c.

336 *Sextus* eventus, eſt vitium corporis superveniens, de quo ſuprà *num. 306.* Adde notabilem deformitatem quæ supervenit ſponſæ. P. Palaus *De ſponſal. Diſp. 1. punct. 27.* P. Caſpar Hurtadus *Diſp. 2. diffic. 13.* etenim pulchritudo permagni ſit in materia Matrimonii, ergo repelletur ſponſa, cui naſus eſt abſciſſus, aut erutus oculus unus. S. Thom. *quæſt. 43. art. 3. ad 3.* Tanner *Diſp. 8. quæſt. 1. num. 63.* Adde & caſum, quo ſponſus proſcribitur patriâ, ſeu bannitur. Navarr. *De ſponſal. conſ. 9.*

337 *Septimus* eventus, eſt ex parte animi, ut ſi ſponſus poſt ſponſalia evadat aleator, aut ebrioſus, ipſe, aut ſponſa notentur gravi infamiâ, oriatur inter ipſoſmet ſponſos gravis inimicitia, quam non vult, aut non poteſt emendare pars, quæ cauſam dedit. Tamburinus *loc. cit.* §. *8. num. 7.* addens his inimicitias inter parentes, de quibus nos ſuprà *num. 306.*

Addo rurſum caſum, quo unus ſponſorum ita incipit abhorrere ab altero, ut ſeriò dicat, ſe malle quidlibet pati, quàm huic Matrimonio jungi, tunc enim eſſe abſtinendum à coactione, decidit Sacra Congregatio Concilii apud Dianam *Part. 11. Tract. 2 Reſol. 70.* ſub finem, ubi etiam obſervat ex Sanchez, & Jordano, quando judex debet abſtinere à coactione ob ſcandali timorem, non eſſe neceſſe, ut id ipſi juridicè conſtet, ſed ſufficere circumſtantias extrajudiciales. Vide plura ſuprà *numero 128.*

Ad infamiam, de qua Tamburinus, refer hunc

Caſum brevem, & notandum.

SPonſa A. repellit ſponſum B. idcirco, quòd hujus pater poſt ſponſalia convictus, & punitus fuerit ob adulterium, an meritò repellit?

Reſpondi, fervente lite, repelli meritò, ſi adulterium parit illic locorum notabilem infamiam, immeritò, ſi non notabilem, ſicut de Gallia teſtatur Faber.

338 *Octavus* eventus, eſt ex parte fortunarum, ut ſi aut ſponſa non adferat dotem ab ipſa, vel alio promiſſam, aut non promiſerit dotem expreſſè quidem, attamen eam non exhibeat, vel cùm poſſit, vel cùm nequeat ob paupertatem poſt ſponſalia enatam. PP. Sanchez *Lib. 1. Diſp. 59.* Palaus *loc. cit. punct. 28.* Tambur. *cit.* §. *9.* contra nonnullos diſſentientes in ultimo puncto, ſed malè, conſtat enim, ſemper in pactione nuptiali includi promiſſionem dotis, quando quis accipit ſponſam, ignorans eſſe pauperem.

Huc refer caſum, quo alterutra pars eſt exhæredanda, nam ſponſus exhæredandæ poteſt meritò objicere nimiam mutationem, Tambur. *loc. cit. num. 10.* poſt Pontium. Et quidni ipſamet pars exhæredanda dicat, eſſe nimis ſibi difficile nubere illi, cui ipſa nihil adferat? timere enim ſe non inaniter, ſe à marito tractatum iri *ſerviliter.* Quòd ſi utraque pars vel ſit poſt ſponſalia lapſa, vel probabiliter metuat, ſe lapſuram in paupertatem, licebit utrique recedere à fide data, quia paupertas ſuperveniens utrique, reddit contractum matrimonialem difficiliorem, quàm ſi tantùm alterutra pars redacta eſſet ad incitas. Tamb. *loc. cit. n. 11.* poſt Bonacin. contra Rebellum, & Pontium. 339

At, *quid ſi ſponſo poſt ſponſalia obtingat ingens, & improviſa hæreditas, an licitè quæret parem ſibi opibus, relictâ ſponſâ multùm jam impari?* Reſp. Licebit *abſolutè* quærere juxta Hurtadum *Diſp. 2. De Matrim. diff. 25.* Ochagaviam, Leandrum, & Trulleuck apud Eſcob. *Lib. 24. dub. 70.* *Abſolutè* non licebit judicio Palai *cit. punct. 28.* poſt Sanch. Coninck, & Gutierez, licebit ſub diſtinctione, ſi non accepit illam ob ſpecioſitatem, ſecùs, ſi præcipuè propter formæ præſtantiam. Perez *Diſp. 9. ſect. 11.* Circa has ſententias interponat judicium ſuum me ſapientior. 340

Nonus eventus eſt, quem non exprimunt alii, quòd ſcilicet fiat quandoque, ut concurrant plures cauſæ diſſolutionis, quarum ſingulæ etſi non ſint ſufficientes, univerſæ tamen ſufficiunt, quia ſcilicet faciunt ſimul ſumptæ notabiliter difficiliorem contractum matrimonialem. Ratio eſt, quia *ſingula, quæ non proſunt, multa collecta juvant.* Tuſchus *lit. S. concluſ. 7.* Barboſa *Axiom. 19.* alii ex *Leg. Spadonem. ff. Qui jura. ff. De excuſat. tut.* 341

Ex his omnibus apparet 1. Quid cenſendum ſit de reſolutione, quam Menochius dedit ad Caſum *num. 289.* propoſitum. Eſt enim clarum, illas quinque cauſas, quas ex ipſo retulimus, ſimul ſumptas præbuiſſe Hildebrando juſtiſſimam cauſam recedendi à ſponſalibus. An verò ſingulæ ſuffecerint, docent hactenus diſputata. Vilem conditionem, & turpem vitam Helenæ ſuæ, ſi non habuit cognitam, priuſquam ſe obligaret illi, meritò attulit pro cauſa divortii: immeritò, ſi habuit (& quis dubitet?) perſpectam. Apparet 2. Quid pronuntiandum de hoc 342

Caſu Canonico.

HEnricus nobilis adoleſcens deſponſavit Hedwigem etiam nobilem, ſed recedere vult. 1. Quia Hedwigis eſt adultior, quàm ipſe putârat. 2. Quia non eſt ejus nobilitatis, quæ exigitur pro Canonicatibus in Franconia, 343

conia, & Rhenano Tractu. 3. Quia frater Henricus peragre fert hac ſponſalia. Quid juris?

344 Interrogatus literis, procul hinc datis à quodam Dominico Canonico Franconiæ, certa de cauſa non reſpondi, nunc autem reſpondeo: Si Hedwigis exceſſit Annos, quibus mulieres ſunt adhuc idoneæ concipiendis liberis (Annum ætatis quinquageſimum ſtatuit Ariſtoteles, quadrageſimum, vel quadrageſimum quintum rectiùs Albertus Magnus, apud Tiraquel. *in Leg. connub. Leg. 6. gl. 1. Part. 6.*) meritò peti divortium ob rationem allatam ſuprà *num. 309.* Si non exceſſit, non videtur meritò allegari hic errorem in ætate, ſi enim eſt 10. aut 12. Annis adultior Henrico, utique ipſe non ignoravit, ſi tantùm tribus, quatuórve, non videtur hac ætate eſſe notabilis error, licèt enim juxta Ariſtotelem, Albertum M. & alios apud Tiraquel. *loc cit.* valde conveniret ſuſceptioni prolis ſanæ, & robuſtæ, ut ſponſus ſponſam ſuperaret ætate Annorum decem, vel quindecim, id tamen jam ſaltem inter plebejos non attenditur.

345 Nobilitatem pro Canonicatu (hinc noſtro Caſui nomen (*Canonici*) quod attinet, ſi ille Henricus natus eſt in uno illorum Epiſcopatuum, in quibus exigitur, ut prenſans Canonicatum probet, deducátque ſuam nobilitatem per ſedecim gradus ex linea paterna, & per totìdem ex materna, vel per 8. ex hac, & etiam 8. ex illa ejus autem ſponſæ deſint tres, quatuórve gradus, videtur ſanè non exiguus defectus, ſecùs, ſi tantùm unus.

346 Denique licèt indignatio, etiam magna, fratris non det per ſe cauſam ſufficientem divortii, ſi tamen omnis propemodum fortuna Henrici dependeret à benevolentia fratris, certè efficeretur Matrimonium cum Hedwige multò difficilius, quàm ſi duceret gratam fratri. Ergo apparet, poſſe facilè fieri, ut conjunctio harum ſingularum cauſarum præbeat jus quærendi aliam ſponſam, etſi fortè non ſufficiant ſingulæ, juxta dicta ſuprà *num. 341.*

347 Quia tamen diremptio ſponſalium inter perſonas nobili genere natas parere ſolet magna jurgia, inimicitias, pericula cædium, niſi allegetur, & clarè probetur cauſa per ipſam praxin approbata, ideo recurrendum hìc erit ad exceptionem, quam à generali Regula, cui innituntur reſponſiones in decurſu allatæ feci ſuprà *num. 302.*

348 Vides quidem, mi Lector, hunc Caſum pertinere potiùs ad cauſas præcedentes ſponſalia, quàm ad ſequentes, attamen etiam ideo hìc propono, ut memineris, cauſas, quæ ex deſcriptis hactenus poterant præcedere ſponſalia, revera impedituras fuiſſe horum vim, ſi præceſſiſſent, ac ſimul ita ignoratæ fuiſſent, ut ignorantia fuerit cauſa contrahendi, hanc enim conditionem meritò exprimunt Doctores ſuprà citati.

Dico III. Poſtrema cauſa ſufficiens ad diſſolvenda ſponſalia eſt diſceſſus ſponſi ad loca diſſita, de quo notant DD. ſequentia. 349

I. In Cap. *De illis. De ſponſal. & Matrim.* Alexander III. ita reſcribit Panormitano Archiepiſcopo. *De illis autem, qui præſtito juramento promittunt, ſe aliquas mulieres ducturos, & poſtea eis incognitis dimittunt terram, ſe ad partes alias transferentes, hoc tibi volumus innoteſcere, quòd liberum erit mulieribus ipſis (ſi non eſt ampliùs in facto proceſſum) ad alia ſe vota transferre, receptâ tamen de perjurio pœnitentiâ, ſi per eas ſteterit, quò minùs fuerit Matrimonium conſummatum.*

II. Quod hìc ſtatuitur de ſponſalibus juratis, eſt ob paritatem rationis dicendum etiam de non juratis, & pronuntiandum de ſponſa peregre profecta, quod de ſponſo; limitandum tamen utrumque ad caſum, quo una pars abſque licentia alterius aliò migravit, ùt paulò pòſt explicabo. 350

III. Quando ſponſus ob rationabilem quidem cauſam, non tamen neceſſariam, diſceſſit, inſciâ, vel invitâ ſponſâ, aliò, intra tamen fines provinciæ, expectandus eſt biennio: aut triennio, ſi extra provinciam. *Leg. 2. Cod. De ſponſ.* & *Leg. 2. Cod. De repud. & jud.* juxta explicationem, & conciliationem allatam à Covarr. *De Matr. Part. 1. cap. 5. n. 7.* exiſtimantibus Silveſt. *verb. Sponſalia. q. 10.* Laym. *Lib. 5. Tract. 10. Part. 1. cap. 2. num. 14* contra Henriq. *Lib. 12. cap. 4.* Sanchez *Lib. 1. Diſp. 54.* Palaum *Diſp. 1. De ſponſ. punct. 23.* & alios, has Leges, utpote æquitati valde conſonas, obligare etiam in foro conſcientiæ, nec eſſe revocatas per deciſionem *Cap. De illis* ſuprà deſcripti. Sed revera illud Capitulum nihil dicit de biennio, aut triennio. Si tamen ponamus, illas Leges civiles adhuc ſubſiſtere, poterit nihilominus judex ex rationabili cauſa arctare, vel prorogare tempus præſcriptum. Layman. *loc. cit.* Tanner. *cit. Diſp. 15. quæſt. 1. num. 63.* 351

IV. Si verò ſponſus aliò, itidem inſciâ, vel invitâ ſponſâ, migravit ob cauſam neceſſariam, erit exſpectandus, juxta *Leg. Sæpe. ff. De ſponſ.* donec ceſſet juſtum impedimentum. Layman. *loc. cit. num. 13.* poſt Silveſt. & Henric. Caniſium, excipiens duntaxat caſum, quo ſponſa laborat periculo incontinentiæ, vel adſit alia neceſſitas nubendi. Ego cum Sanchez, Palao, & aliis apud ipſos, abſolutè nego neceſſitatem tam diuturnæ expectationis, quia Pontifex *cit. cap. De illis* reſcribit illimitatè, ſponſis liberum eſſe tranſire ad alia vota. Itaque in hoc, & ſuperiore caſu poterit iniri aliud Matrimonium, non expectato tanto tempore. 352

V. Ut autem prudenter tranſeat, non expectatâ tantâ intercapedine, ad alia vota, debet eſſe certa, non eſſe ſponſum de proximo venturum, alioquin deberet præſtolari ſponſum. Abbas *in cit. cap. De illis.* Palaus *loc. cit. num. 3.* poſt Henriquez, Gutierez, Sanchez. 353

 Quòd

Digitized by Google

Quòd ſi fit loco propinquo, debet monere ſponſum, ut certo tempore adſit pro contrahendis nuptiis, ſi autem detineatur juſto impedimento, penes judicem Eccleſiaſticum erit, inſpectâ qualitate ſponſæ, periculo incontinentiæ, aliiſque circumſtantiis, judicare, utrùm adſit ſufficiens cauſa diſſolvendi ſponſalia, nec enim in re tanti momenti debet ſponſa aſſumere partes judicis. Palaus *loc. cit.* poſt Gutierez, Sanchez, & Covarr. *cit. Part. 1. cap. 5. num. 7.* & nominatim in hac Diœceſi ob cauſam allatam *num. 262.*

354 VI. Nomine cauſarum juſtarum, non tamen neceſſariarum, intelligunt hîc Doctores, quando quis operam dat literis, exercet opificium, mercaturam &c. Sicut dicitur abeſſe quis ob cauſam neceſſariam, quando ob ægritudinem propriam, ob mortem parentum, ob grave negotium abeſt. Palaus *loc. cit. numero 2.*

VII. Quando autem ſponſus cum ſponſæ conſenſu profectus eſt aliò, ſtandum eſt termino à ſponſa præfixo, quem ſi tranſgrediatur ſponſus, erit locus reſponſionibus hactenus allatis. Palaus *ibidem*, & alii poſt S. Thom. *quæſt. 43. art. 3. ad 2.*

355 VIII. Sumus autem hactenus locuti de ſolo caſu, quo ſponſus aliò profectus eſt animo manendi illic ſolùm inſtar peregrini, ſi enim eſt illuc profectus, ut ibidem figeret domicilium, & re ipſâ fixit, non tenetur ſponſa illum expectare vel uno momento. Sanchez *cit. Diſp. 54. num. 14.* dicens, hoc eſſe certum, conſentientibus, quos hactenus citavi, Recentioribus. Ratio eſt, quia figens alibi domicilium ſine conſenſu ſponſæ, videtur planè renuntiâſſe ſponſalibus, nec enim eum latet, ſponſam non teneri ſequi ſuum ſponſum, niſi inter eos priùs convenerit. Palaus *loc. cit. num. 1.* poſt Sanchez, atque alios. Quamquam Leſſius *verb. Sponſalia Caſ. 1. num. 7.* inter reliquas cauſas, cur juvenis Antuerpienſis, qui ſub ſpe Matrimonii multas virgines corruperat, non fuerit obligatus ullam ex illis ducere, adfert *num. 7.* hanc, ſi nulla illarum puellarum vellet venire Antuerpiam, eò quòd teneatur ſequi ſponſum (volentem, ut interpretor, habitare in propria patria) niſi in contractu contrarium ſit expreſſum, & huc faciunt ea, quæ adferam *Caſ. XXII. num. 755.*

356 IX. Quæ hactenus dicta ſunt de ſponſi abſentia, tenenda ſunt & de ſponſæ, ob paritatem rationis, imò magis, quando abeſt, vel abiit ſponſa, eſt enim more receptum, ut haud paulò difficiliùs excuſetur (quando non adeſt cauſa apertè neceſſaria) abſentia ſponſæ, quàm ſponſi.

357 X. Huc refer communem doctrinam, quòd, quando in contractu ſponſalitio eſt ab utraque parte conventum de certo tempore celebrandi nuptias, poſſit una pars recedere à ſponſalibus, ſi altera nolit, præſente jam illo termino, contrahere *Cap. Sicut. De ſponſal.* Laym. *cit. cap. 1. num. 16. & 17.* pluribus hoc explicans poſt Sanchez *Diſp. 53* ſubdens nihilominus, partem, quæ poſuit impedimentum, quò minùs præfixo termino fieret matrimonialis copulatio, non tantùm peccâſſe mortaliter, ſed etiam teneri, ſi altera velit, etiam poſt lapſum termini conſentire in nuptias, ita ut in hoc etiam caſu, ſicut in pluribus aliis, claudicet contractus matrimonialis, dum ſcilicet obligat unam partem, alteram relinquit liberam. Vide Perez *Diſp. 9. ſect. 9. & 10.*

XI. Si autem nullus terminus eſt nuptiis præfixus, incumbit utrique parti obligatio contrahendi illo tempore, quo altera pars rationabiliter exigit. Sanchez *Diſp. 28.* ex communi. Certè *in Leg. 14 ff. De Reg. jur.* dicitur: *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur.* Expedit autem, ut Parochi, & Confeſſarii moneant ſponſos, ut ne diu differant Matrimonium, quando timetur, ne fortè interea conveniant, & illicita tractent, ut declaravit ſacra Congregatio apud Gallemart in Trident. *Seſſ. 24. cap. 1. De Refor. Matrim.* Et prô dolor! nimis ſæpe committunt multa illicita, ergo ſæpe inculcanda illa doctrina, ut jam monui ſuperiùs. 358

Prolixam diſſertationem de cauſis diſſolvendi Sponſalia rata concludo reſolutione inprimis 359

Hujus peregrinæ quæſtionis.

An nimirum congeries tot cauſarum ſufficientium ad diremptionem contractûs Matrimonii de futuro non præbeat juſtam excuſationem Congenſibus Chriſtianis, qui, ut refero* Tract. 6. ſeu *in Alphab. Confir. Caſ. VIII. num. 210. *per aliquot Annos utuntur eodem tecto, lecto, menſâ cum ſponſis, ut experimento longo, multiplicique diſcant, num ſit è re ſua, honoréque Divino futurum Matrimonium de præſenti.*

Reſp. Me jam ibidem, atque *in Tract. preced. Caſ. XVII. num. 449.* improbâſſe illud carnale tyrocinium, quandoquidem nullo prorſus caſu permiſſa eſt fornicatio, qualis utique eſt commixtio carnalis inter nullo veri Matrimonii nexu copulatos. Ibidem refero ſapientiſſimum, ſimul & piiſſimum Archiducis Leopoldi Gulielmi judicium de aliquantùm ſimili probatione. Videntur tamen excuſari poſſe illi, qui loco mihi noto ſuam deſignatam nurum admittunt ad ſuam domum, ut in ea per aliquot menſes ante nuptias commoretur inſtar filiæ familias, & conſequenter converſetur cum ſponſo inſtar ſororis; licèt enim talis converſatio præbeat occaſionem gravium tentationum, & quandoque cauſam efficacem actionum permiſſarum ſolis conjugibus, attamen,

Digitized by Google

men, ubi mos ille admittendi in ædes invaluit, non eſt habendus pro omnino deteſtabili, nec neganda abſolutio ſponſæ cogitanti (cum firmo propoſito vivendi caſtè) accommodare ſe illi conſuetudini, cùm enim ea cohabitatio non ſit proxima, ſed tantùm remota occaſio peccandi, remotæ autem occaſioni, & periculo ſit fas multis de cauſis ſeſe exponere, non videtur negandum, quin etiam hîc permiſſum id ſit.

Concludo deinde eandem tractationem de ſeptem, aut etiam ſeptendecim cauſis recedendi à Sponſalibus, reſponſo ad quæſtionem triplicem motam ratione hujus

Caſus mixtæ materiæ.

360 *Elpidius promittit, ſecutâ repromiſſione, datóque annulo, Matrimonium Luciæ opulentiori ſe, idque ſine Teſtibus, poſtmodum juſta de cauſa migrat aliò, emanétque quinquennium, nec interim quidquam de ſe nuntiat Luciæ, etſi non niſi ſpatio ſex horarum diſtans, & binis, quas certò accepit, literis monitus à Lucia, ut denique veniret, atque ſtaret promiſſis. Tandem tranſiens, ut perſæpe aliàs, durante hoc quinquennio, per locum, ubi Lucia habitabat, venit ad ipſam, at non ultro, ſed non niſi bis, térve vocatus) jubetur ab hac accedere parentes Luciæ, at non modo non paret, verùm etiam ab eadem annulum, quem in ordine ad Matrimonium dederat, recipit, promittens tamen, fore, ut intra quatuor hebdomadas patrem Luciæ adeat, ſed, eo non ſtante promiſſis, Lucia ſeu ſe repudiatam reputans, ſeu diuturnam pertæſa expectationem conjungit ſe Lucilio, concedítque uſuram corporis, atque jam gravida accedit Parochum, gnarum priorum ſponſalium, cum duobus Teſtibus, qui & ſuâ præſentiâ confirmat hæc poſteriora ſponſalia. Quæritur jam 1. Utrùm Lucia non habuerit ſufficientem deſerendi Elpidii cauſam propter cauſas indicatas & nominatim propter ſuam imprægnationem? 2. An Lucia, & Lucilius non teneantur hanc rem deferre ad Dominum Officialem, cùm diſſolutio ſponſalium facta abſque præſcitu Ordinarii annumeretur Caſibus reſervatis in hac Diœceſi? Ut vidimus ſuprà* num. 262. 3. *Utrùm Parochus, ratificans ſuâ præſentiâ hunc poſteriorem contractum, non incurrerit excommunicationem latæ ſententiæ in quoſcunque Clericos, qui ſe matrimonialibus cauſis controverſis immiſcuerint, aut declarârint, ut loquuntur Conſtitutiones Synodales* Part. 1. Tit. 16. numero 45.

Ad has tres quæſtiones rogatus literis reſponſum, partim reſpondi, partim reſpondeo 361 inprimis, Luciam habuiſſe juſtam cauſam deſerendi Elpidii, ſéque transferendi ad alia vota, ut loquar cum Alex. *III. Cap. De illis. De ſponſ.* etenim tam diuturna emanſio, atque ſilentium, tam frequens per locum domicilii Luciæ, ne quidem ſalutatæ, tranſitus, receptio inſuper annuli, & denique non ſervata fides de conveniendo patre Luciæ, efficiunt, ut & meritò judicet Lucia, ſe naſo trahi ab Elpidio, & non teneatur diutius hunc præſtolari juxta ea, quæ ſuprà *num. 349. & ſeqq.* retulimus, diximúſque de diuturna ſponſi abſentia. Cenſet quidem is, qui meum conſilium expetiit, eſſe minimè dubitandum, quin imprægnatio Luciæ præſtet huic ſufficientem cauſam deſtituendi Elpidium, quod ego quidem cenſeo eſſe verum, ſi ſubſit verum periculum, ne aut propter ſuam laſciviam poſtea tractetur peſſimè ab Elpidio, aut proles, quam utero gerit, non bene educetur. Si verò non timeat, niſi frequentem exprobrationem ſuæ impudicitiæ, profecturam partim ab Elpidio, partim quandoque à vicinis, tunc ſanè memor eſſe debet *penultima Regula in Sexto: Damnum, quod quis ſuâ culpâ ſentit, ſibi debet imputare.* & non propter hujus metum negare alteri jus ſuum. Unde P. Sanchez *Lib. 1. Diſp. 55. num. 6.* cum plurimis tenet, ſponſo ſuppetere quidem jus deſtituendi ſponſam fornicatam poſt ſponſalia, hanc tamen teneri adhærere ſponſo, ſi is velit. Sanè quod favore alicujus introductum eſt, non debet in ejus ſeu incommodum, ſeu diſplicentiam detorqueri *Leg. Nulla Cod. De Leg.* eſt autem favore innocentis ſponſi introducta, conceſſáque poteſtas dicendi ſponſæ ab alio imprægnatæ: *Res tuas tibi habe.* ergo, *per ſe loquendo*, tenetur hæc integre ſubdere ſe voluntati ſponſi.

Ad *alteram* quæſtionem ex propoſitis *num. 360.* reſpondeo inprimis, non eſſe Luciæ, multò minùs Lucilio recurrendum pro abſolutione 362 caſûs reſervati ad Ordinarium, etenim plerique omnes caſus Epiſcopales in hac Diœceſi reſervantur ſolùm, quando ſunt notorii, ut obſervo in *Tract. 7.* ſeu *Alphab. Confeſſarior. Caſ. VIII. num. 397.* diſſolutio autem priorum ſponſalium non eſt notoria, quandoquidem & priorum nemo conſcius erat, niſi parentes Luciæ, ac Parochus, ergo ea non erat notoria, nec fiebat notoria præciſè ex hoc, quòd poſteriora celebrarentur coram Parocho, atque Teſtibus, etſi enim ponamus, hoc ſufficere ad notorietatem ipſorum, tamen ſolùm ſequitur, illum contractum fuiſſe notorium in ratione ſponſalium alia dirimentium. Lucilium nullo modo tangebat ratio reſervationis, delinquunt enim in Conſtitutiones illi ſoli, qui non obſervant fidem datam, non autem, qui aliquando cooperantur huic non obſervationi. Nihilominus tamen obligabatur Lucia ſub mortali, non

Digitized by Google

promittere Matrimonium Lucilio, niſi re delatâ ad D. Ordinarium, quandoquidem etiam juſta ex cauſa reſiliens propriâ authoritate à legitimis quoque ſponſalibus, tenetur in hac Diœceſi mortalis delicti. Suprà *num. 262.* conſequenter peccat lethaliter tam promittendo Matrimonium, quàm reipſa contrahendo, leges enim prohibitivæ principaliùs vetant actûs conſummationem, quàm inchoationem, *Text. expr. in Cap. Hac autem. De Pœnit. diſt. 1.* Navarrus *De ſent. excomm. conſil. 19.* bene explicans hoc Axioma.

363 Ad *tertiam* quæſtionem: An Parochus aſſiſtens illis ſponſalibus illicitis ſubjaceat anathemati, de quo ſuprà, meritò dubitari poteſt, cùm ex una parte certum ſit, quòd ſe immiſcuerit cauſæ matrimoniali, nam & ex ſtylo Curiæ noſtræ conſtat, nomine cauſæ matrimonialis, ſaltem in hac particulari materia, intelligi etiam cauſam ſponſaliorum, & ſine dubio ille ſe immiſceat cauſæ ſponſalitiæ, qui ſuâ præſentiâ ſtudioſè requiſitâ dat, ſeu dare conatur robur, atque firmitatem ſponſioni, ut patet ex inſtantiis, quas Decius, Peckius, Streinius adferunt, dum explicant illam decimam nonam Regulam in ſexto: *Non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, ſe immiſcet.* & certè ad eum non pertinebant, abſque ſpeciali licentia Ordinarii, hæc ſecunda ſponſalia. Ex altera tamen parte haud ſine cauſa ambigitur, utrùm per cauſas matrimoniales controverſas, de quibus loquitur Conſtitutio Synodalis, intelligantur ſolùm illæ controverſiæ, de quibus actu litigant, ſeu diſſident partes adverſæ? An verò illæ omnes, de quibus, ſeu quarum occaſione vel eſt jam mota, vel etiam moveri poteſt? Ratio dubitandi eſt, quia Leges pœnales, qualis eſt conſtitutio deſignans excommunicationem latæ ſententiæ, ſunt ſtrictè interpretandæ *Cap. Odia. De Reg. jur. in 6.* & interpretatione legum pœnæ molliendæ ſunt potiùs, quàm aſperandæ *Leg. Interpretatione. ff. De pœn.* E diverſo conſtitutio loquitur indiſtinctè, ergo nec nos diſtinguere debemus.

Ego, ſalvo meliori judicio, cenſeo, illud Decretum Synodale eſſe quidem intelligendum ſecundo ſenſu, at diſtinguendum modum ſeſe immiſcendi, puto quippe, inhiberi illam ſolam immixtionem, ut ita loquar, quæ fit quaſi auctoritate publicâ, non quæ privatâ: ſiquidem illa ipſa ſanctio, quæ tam graviter plectit immiſcentem ſe cauſis Matrimonialibus controverſis, extendit ſuam ſeveritatem etiam ad declarantes Matrimonialium cauſarum dubia, & controverſias, declarant autem innoxiè, imò & ſanctè Confeſſarii intra, extráque Confeſſionem, aliique Sacerdotes eruditi, oſtendendo, hanc, aut illam cauſam eſſe, aut non eſſe ſufficientem reſcindendis pactis matrimonialibus: hoc aut illud impedimentum meritò vel immeritò allegari &c. Sicut igitur nemo, ut reor, ſubjiciet hos pœnæ excommunicationis, ita neque immiſcentes ſe, authoritate planè privatâ, cauſis matrimonialibus controverſis. Confirmor in hac explicatione inde, quòd ſciam, aliquos Parochos hujus ipſius Diœceſis fuiſſe ſolitos ad ſe vocare, & quaſi ad ſe citare litigantes in cauſis Matrimonialibus, & adhibito uno, alteróve aſſeſſore examen inſtituere, ac denique ferre, inſtar judicis publicâ auctoritate inſtructi, ſententiam quaſi definitivam, dicendo: *Jure agis: jure non agis.* Fuerint & hæc, aut horum ſimilia factitata olim diverſis locis hujus vaſtiſſimæ Diœceſis, quæ dederint propè neceſſariam cauſam ſanctionis, quam explicamus, & quam omnino cenſemus, loqui de iſto ſolo modo definiendi, declarandíque.

364 Quia igitur Parochus aſſiſtens ſponſalibus tunc ſingulariter præſtat, ut publica perſona, ſuam præſentiam, quando ſingulariter eligitur, ſicut electus fuit Parochus Luciæ, & Lucilii, dici poteſt immiſcuiſſe ſe cauſæ matrimoniali authoritate publicâ, & conſequenter effectum eſſe reum excommunicationis, & beneficii privationis, quam præter anathema minantur expreſſè Conſtitutiones, niſi eum excuſet ratio, quòd non potuerit in circumſtantiis ſuprà relatis probabiliter timeri ulla lis ex parte prioris ſponſi, & conſequenter cauſa Luciæ non fuerit propriè controverſa. Conſtitutio autem, loquens de cauſis controverſis, debeat abſque dubio intelligi propriè, adeóque de illis cauſis, quæ ſunt actu, vel in proxima potentia controverſæ, ſeu litigioſæ. Vide plura *Tract. præced. Caſ. VII. num. 165.*

CIRCUMSTANTIÆ DISSOLVENDORUM SPONSALIUM.

CASUS IX.

Brevis, & Longus.

SUMMARIUM.

Caſus ſponſæ impregnatæ ab alio, & dubitantis, an licitè pareat ſponſo urgenti nuptias, ignaro tamen impregnationis. 365.

Quos defectus occultos teneatur detegere eos ignoranti? Ibid.

Quos non tenetur? 370.

Reſolutio Caſûs n. 365. propoſiti. 374.

Quid ſi immineat mors ex manifeſtatione, & ex non manifeſtatione ingens damnum temporale? 375.

An, & quatenus liceat propriâ authoritate diſſolvere ſponſalia, alterâ parte invitâ? 376. & *ſeqq.*

An reſiliens ex juſta cauſa reparabit alteri expenſas? 380.

Quomodo ignorantia faciat, ut ſponſalia fuerint ab initio irrita? 382.

An

Digitized by Google

An cognoſcens ſponſam amittat jus diſſolvendi ſponſalia, quod cæteroquin ipſi competebat? 384.

365 **I**Sabella corrupta à Januario, at poſtmodum deſponſata Juvenali, animadvertit ſe concepiſſe, urget Juvenalis nuptias, dubitat Iſabella, an licitè pareat. Quid reſpondebit Confeſſarius?*

Hunc caſum tanquam minimè fictum propoſuit mihi die 21. Septembr. Anno 1656. quidam Confeſſarius, brevem quidem verbis, at longum latis rebus, ſi luberet proferre, quæ in partem utramque adduci poſſent, non tamen adducam, ſed breviter expediam hanc generalem quæſtionem: *An ſponſus, vel ſponſa laborantes aliquo defectu, quem ſi notum haberet altera pars, nequaquam contraheret, teneatur illum manifeſtare, aut non manifeſtato contrahere?* Huic primæ quæſtioni ſubjungam ſecundam: *An ſponſalia poſſint ob cauſas ſuperiore toto Caſu, ſeu Capite explicatas diſſolvi propriâ auctoritate, & qua probatione præcedente?* Et tertiam: *An juſtè reſiliens à ſponſalibus teneatur compenſare alteri parti omnia damna?* Et quartam: *An ſponſalia, contracta cum ignorantia, vel mutatione ſuprà explicatis, valeant ab initio, necne?* Et quintam: *An ſponſus, conſcius cauſæ ſufficientis ad diſſolutionem, amittat jus diſſolutionis, ſi carnaliter ſponſam cognoſcat?*

366 Quæritur ergo I. *Utrùm ſponſus, vel ſponſa laborantes defectu, qui cognitus averteret compartem à ſponſalibus, vel Matrimonio, poſſit, eo tacito, contrahere, aut etiam compellere ignorantem, ut ſtet fide datâ?*

Reſp. I. Quando defectus repugnat ſubſtantiæ Matrimonii, vel continet aliud impedimentum dirimens, utique eſt manifeſtandus.

367 Reſp. II. Similiter manifeſtandus eſt defectus, qui noxius futurus eſt alteri, & generatim, qui eſt Matrimonium redditurus notabiliter difficilius. Ita ſentiunt Patres Coninck *Diſp. 23. num. 10.* Perez *Diſp. 10. Sect. 2. n. 9.* Palaus *Diſp. 1. punct. 30. num. 5.* poſt Pontium, Turrianum, & alios, diſſentientibus apertè Patribus Hurtado *Diſp. 2. diffic. 17. num. 82.* Dicaſtillo *Diſp. 1. dub. 42. num. 640.* & Eſcobar *Theol. Moral. Lib. 24. dub. 86.* poſt Sanch. *Lib. 3. diſp. 68.* Loquuntur autem Doctores utriuſque partis de defectu, tam qui jam aderat ante ſponſalia, quàm qui primùm ſupervenit, & ponunt pro exemplis lepram, paralyſin, morbum Gallicum, aut alium contagioſum, item mores perditos ſine animo corrigendi, infamiam ex genere, vel ex delicto provenientem, quæ honeſtam familiam deturpare poſſit. Palaus *loc. cit. num. 2.* Conſequenter his malis annumerabunt ſterilitatem, imò & imprægnationem provenientem ex copula habita cum non ſponſo.

368 Probatur autem noſtra reſponſio inprimis de manifeſtatione facienda ante ſponſalia. 1. Quia certum eſt ex dictis *Caſu præced. num. 310. & ſeq.* ſponſum, re cognitâ, meritò diſſoluturum ſponſalia, & quidem ut fert humana fragilitas, cum maxima exacerbatione, aliiſque non levibus peccatis, quæ ſanè imputantur tam fraudulentæ ſponſæ. 2. Quia contra juſtitiam delinquit, qui mercem, aut inutilem, aut verè noxiam, aut multùm vitioſam vendit ignoranti hæc vitia, ut de lignis putridis traditur *Leg. Julianus. 13. ff. De action. empt. & Leg. 1. ff. De ædil. edict.*

Probatur eadem reſponſio, loquendo de manifeſtatione ante ipſummet contractum matrimonialem, ſi fortè poſt ſponſalia evenerunt illa gravia incommoda; certum enim eſt, ſi deprehendantur, ut ſolent, ea vitia, Matrimonium ſortiturum infauſtos exitus, qui meritò imputabuntur doloſiſſimæ ſponſæ. Accedit ratio *ſecunda* pro præcedente reſponſione. 369

Reſp. III. At verò non adeſt obligatio detegendi, ſeu ante, ſeu poſt ſponſalia, defectus non noxios, nec facientes Matrimonium notabiliter difficilius, eſto reddant minùs commodum, minùs appetibile. Ita omnes, quos retuli pro, & contra ſuperiorem reſponſionem. Ratio eſt, quia & videtur ita uſu communiſſimo receptum, & etiam in contractu emptionis non conſuevêre aperiri leviores defectus mercis, & denique debet ſibi imputare altera pars, quòd non inſtituerit priùs accuratiorem inquiſitionem, cùm ſcriptum ſit: *Omnis malitia nequitia mulieris. Eccl. 25.* 370

Hujus generis vitia ſunt fornicatio etiam ſponſæ antecedens, aut ſequens ſponſalia, mores multùm vitioſi, at juncti magno propoſito corrigendi, deformitas etiam notabilis, ignobilitas, paupertas, infamia quædam, cùm contrarium crederetur. Hæc omnia exempla ponit Palaus *loc. cit. num. 1.* cum Perez addens *num. 2.* poſt Sanch. Coninck, Pontium, & Turrianum, quando manifeſtatio aliquorum ex his pariet infamiam, ut fornicatio præcedens, non ſolùm non adeſſe obligationem manifeſtandi ultro, ſed etiam partem interrogatam de illo poſſe diſſimulare æquivocando, & dicendo. *e.g. Omnino ſum adhuc virgo*, ſubaudi: *Juxta communem opinionem.* ut exprimit P. Dicaſtillo, venialiter autem duntaxat peccaret, ſi abſque æquivocatione, & proinde cum propriè dicto mendacio diceret ſe virginem, quia tale mendacium non eſſet pernicioſum. P. Perez *num. 7.* Quando tamen meritò timet ſponſa e. g. ne poſt Matrimonium palàm fiat ſuum vitium, & idcirco exoriatur contumax odium, & peſſima tractatio ipſius, tenetur ſaltem ex charitate, vel pandere illud vitium, vel declinare Matrimonium. Perez *loc. cit. n. 5.* poſt Navarrum. 371

IV. Sponſus, vel ſponſa laborans uno, aut pluribus defectibus, in proxima reſponſione indi- 372

indicatis, poteſt, *per ſe loquendo*, abſque peccato, alteram partem ignaram eorum compellere ad ſtandum datâ fide, atque contrahendas nuptias. Ita omnes ſuprà citati, extendente Dicaſtillo *num. 643.* & Eſcobar *loc. cit.* hanc doctrinam ad vitia indicata *Reſp. 1.* ſed hac extenſione à nobis conſequenter negatâ, probatur hæc quarta reſponſio inde, quòd pars vitioſa contraxerit ſponſalia ſine ullo peccato injuſtitiæ in ſponſum, ergo acquiſivit jus ad Matrimonium, ergo jure coget ſponſum, ut ſervet fidem, quandoquidem ſupponitur, illum non moveri juſtâ ratione ad reſiliendum.

373 Excipe, niſi ſponſa revera finxiſſet ſe virginem, divitem &c. & hac fictione induxiſſet *poſitivè* ſponſum ad dandam fidem matrimonialem. Nam deinde cogendo ad Matrimonium continuaret injuriam. P. Palaus *n. 8.*

374 Ex his deduces, nos illo die XXI. Septembris meritò reſpondiſſe, Iſabellam, de qua *n. 364.* non potuiſſe, ſalvâ juſtitiâ, acquieſcere petitioni Juvenalis, poſtulantis nuptias ipſius, etenim tales nuptiæ futuræ erant Juvenali non ſolùm minùs commodæ, ſed verè noxiæ, propter puerperium, lactationem, & educationem prolis, ut nihil dicam de hæreditate. Nec eſt paritas inter talem ſponſum de futuro cum uxore de præſenti, quæ, durante Matrimonio, eſt imprægnata ab adultero, & quæ tamen non tenetur manifeſtare ſuum ſcelus, licèt prævideat, ſuum ſpurium potiturum omnibus privilegiis filii legitimi, & fortè etiam primogeniti, etenim talis adultera non cooperatur *poſitivè* ad illa damna, ſed ſolùm *negativè*, tacendo ſcilicet, quando non tenetur loqui, at Iſabella facit *poſitivè* injuriam Juvenali, dando ipſi mercem ſummopere vitioſam, & noxiam. Hæc ratio probat, idipſum dicendum, ſi Iſabella fuiſſet imprægnata primùm poſt ſponſalia.

375 Sed *mactabitur à patre, vel ſponſo, ſi reſciant fornicationem.* Reſp. Saltem in hoc periculo darem locum doctrinæ Hurtadi, atque aliorum, contra noſtram *ſecundam* reſponſionem nominatorum, etenim videtur lex naturalis, & jus conſervandi vitam permittere hîc, & nunc diſſimulationem.

His omnibus addo, juſtam à ſponſalibus recedendi cauſam non eſſe, quòd ea ſint quidem contracta per procuratorem, habentem expreſſam facultatem contrahendi nomine alterius, at nondum notificata principali. Certum enim eſt, totam rationem contractûs adfuiſſe, quamprimum procurator promiſit, & promiſſionem acceptavit eo modo, quo habebat in mandatis, tunc namque propriiſſimè habuit locum illa Regula Juris: Quod quis facit per alium, per ſe feciſſe cenſetur. *Cap. Poteſt quis, De Reg. Iur. in 6.* & DD. *ibid.* relati à Peckio, ergo notificatio illa nullo modo fuit neceſſaria ad valorem, omnimodámque obligationem, atque ita reſpondi nuper in contingentia facti, cujus cauſâ ad me excurrerat vir Clariſſimus.

Quæritur. II. *An, quando adeſt juſta cauſa* 376 *diſſolvendi ſponſalia, poſſit ea diſſolutio fieri propriâ authoritate?*

Suppoſitis iis, quæ *Caſ. VI. n. 260.* dixi de eventu, quo ex mutuo conſenſu, ſeu merè beneplacito utriuſque partis fit relaxatio fidei datæ, reſpondeo, &

Dico I. Per ſe loquendo, valet propriâ 377 authoritate fieri illa diſſolutio, quando conſtat, adeſſe cauſam ſufficientem. Sanchez *Lib. 1. De Matrim. Diſp. 71.* ex communi, nec enim ulla lex univerſalis (ſtylum Conſtantienſem propoſui *num. 262.*) mandat interponi autho- 378 ritatem judicis. Cenſetur autem ſatis conſtare, quando vel altera pars fatetur ſuum defectum. Sanchez *Diſp. 72.* vel unus Teſtis etiam non juratus, fide tamen dignus, vel fama fert, intercedere hanc, aut illam cauſam, quæ ex ſuprà dictis eſt ſufficiens. Sanchez *Diſp. 73.* Palaus *Diſp. 1. punct. 32. num. 8. in fin.* dicens, hoc eſſe certum, & *numero 5.* extendens ad Sponſalia, etiam jurata. At ob ſolum dubium, aut ſuſpicionem, non licet recedere, quia in dubio favet poſſeſſio alteri parti. Vide tamen, quod ex Pontio retuli *numero 305.*

II. Judex nequit, alterâ parte invitâ, diſſolvere ſponſalia propter unius ſolius teſtimonium, aut famam, quando illa diſſolutio petitur ob cauſam diverſam ab Impedimento dirimente, vel impediente. Sanchez *Diſp. 71. n. 7.* & Palaus *loc. cit.* contra Paludanum, quia in cauſis præjudicantibus juri acquiſito ab altero, quod poſſis in actum redigi ſine peccato, non ſtatur in foro *externo* teſtimonio unius. *Cap. Ex quodam. Cap. Veniens. De teſt.*

III. Quando cauſa, ob quam alterutra 379 pars vult recedere, conjuncta eſt cum infamia alterius, tenetur, quoad poteſt, ſeceſſionem ita facere, ut maneat alterius illæſa fama, imperat enim id ſaltem charitas Chriſtiana. Si autem nequeat vel ob contumaciam compartis, vel alia de cauſa obtinere aliter ſuum jus, quàm *directè*, vel *indirectè* pandendo alienum probrum, *licitè* pandet. Sanchez *Diſp. 70.* & alii communiter, ſicuti enim poſſum occultum crimen falſi teſtis in lucem proferre, quando id neceſſarium eſt ad me innocentem tuendum. Sotus *Lib. 5. De juſtit. quæſt. 7. art. 3.* communiter receptus, ita & ſponſus ſponſæ, ſponſa ſponſi.

Quæritur III. *An reſiliens juſto titulo à* 380 *ſponſalibus, obligetur alteri parti ad reparanda damna, & expenſas aditas, & factas ratione ſponſalium?*

Reſp. Quando altera pars dedit cauſam culpabilem, ut e. g. per fornicationem, perfidiam &c. utique debet ipſamet ferre ſua damna per *Cap. Damnum, De Reg. Iur. in 6.* quod eti-

Digitized by Google

etiam puto admittendum ab omnibus in caſu, quo illa altera pars etiam inculpabiliter dedit cauſam diſſolutioni, ut ſi eſt facta valde pauper, valde deformis &c. At verò quando ipſa nec culpabiliter, nec inculpabiliter dedit cauſam, ut cùm e. g. ejus ſponſus emittit votum Religionis, diſſentiunt authores: nam Gutierez apud P. Sanchez *Lib. 5. Diſp 5. num. 32.* affirmat, ſicuti & P. Layman. *Lib. 5. Tract. 2. cap. 2. num. 9.* ſponſo incumbere onus reparandi damna, quæ adiit ſponſa. At negat apertè Pater Sanchez *loc. cit. num. 33.* junct. *n. 32.* quem
381 ſequitur P. Palaus. *Diſp. 1. punct. 33.* Utraque ſententia eſt probabilis, exprimente tamen Sanchez *num. 34.* licèt quando ſponſa per ſuam fornicationem efficit, ut ſponſus nequeat illam ſine probro accipere, obligata ſit refundere expenſas factas à ſponſo, hunc tamen non teneri factas à ſponſa reſtaurare, ſi ipſa velit eum deſerere ob fornicationem commiſſam ab ipſo, quia ſponſi fornicatio non ſolet eſſe probroſa ſponſæ, ergo recedet à ſponſo tali, non ex neceſſitate aliqua morali, ſed prorſus ſponte. Vide etiam, quod retuli ex Tannero ſuprà *n. 129.* & ex Palao *n. 322.*

382 Quæritur IV. *An, quando ante ſponſalia aderat circumſtantia, quam ſi ſciviſſet, altera pars non contraxiſſet, & quæ poſtea cognita dabit ipſi juſtam cauſam reſiliendi, fuerint ſponſalia ab initio planè invalida, an verò valida, ſaltem ex parte laborantis illâ ignorantiâ.*

Hæc quæſtio non eſt otioſa, ſi enim dicas, fuiſſe ab initio planè invalida, negabis conſequenter, fuiſſe ex illis ortum Impedimentum Publicæ Honeſtatis propter autoritatem Trident. Concil. deſcriptam à me *Primâ Parte hujus Alphabeti*, ſeu *Tract. praced. Caſ. XV. n. 365.* At ortum fuiſſe concedes, ſi valuerunt ab initio. Et verò valuiſſe, tradit ex profeſſo Perez *Diſp. 10. Sect. 1.* atque Dicaſtillo *Diſp. 1. dubit. 40. n. 610.* cùm neque jure naturæ, neque civili, aut canonico pronuntietur talis contractus invalidus.

383 *At qui ſponſalia contrahunt, contrahunt illa ſub conditione*: Si me non latet, aut ſuperventurum ſit aliquid, quod faciet contractum matrimonialem notabiliter difficiliorem. *Aut* (*quod perinde eſt*) cujus notitiam ſi haberem, non contraherem, *atqui contractus initus ſub conditione non valet, conditione non purificatâ.*

Reſp. Optimè negari à Dicaſtillo, ſponſalia fieri propriè conditionalia ex eo capite, quod hîc innuitur. Nam *tacita* conditio: *Si res in eodem ſtatu permaneant*; ſeu: *ſi res ita ſe habent, ut mihi nunc apparent*, non eſt propriè conditio; alioquin omnia vota, & plurimi contractus, qui ex omnium opinione ſunt propriè abſoluti, deberent vocari propriè conditionati, ergo illud *Si*, indicat non tam conditionem propriè dictam, & deſcriptam à nobis ſuprà *Caſ. IV. n. 144.* quàm conventionem inter partes, quæ *tacitè* paciſcuntur, ut, ſi superveniat notabilis mutatio, quæ uni parti ſit multùm gravis, licitum ſit ipſi aut recedere ab abſoluta promiſſione, aut in ea permanere. Junge his dicta *Tract. 9. n. 150.* de conditione *tacitè*, & *de jure* ſubintellectâ.

Quæritur V. *An ſponſus, conſcius cauſæ ſufficientis ad diſſolutionem ſponſalium, amittat jus reſiliendi, ſi carnaliter cognoſcat ſponſam?* 384

Reſp. *Affirmativè*, tum in *externo* foro, ut perſe liquet, & tradunt rectè Sanch. *Lib. 1. diſp. 66.* Coninck *Diſp. 23 dub. 10.* Hurtadus *Diſp. 31. diff. 16.* tum etiam in *interno*, ſi cognovit animo perficiendi ſponſalia, ſecùs, ſi ſine tali animo. Hurtadus *ibidem.*

QUID SIT MATRIMONIUM? QUID RATUM? QUID CONSUMMATUM?

CASUS X.

Prope Metaphyſicus.

SUMMARIUM.

Caſus propè Metaphyſicus de ipſo contractu Matrimonii. 385.
Definitio Matrimonii. 387.
Quando baptizatus cum non baptizata contrahit, neuter recipit Sacramentum. 390.
Materia & forma hujus Sacramenti. 399. & ſeqq.
Caſus Parochi malè interrogantis copulandos, & ideo dantis occaſionem quærendi divortii. 394.
Miniſter Matrimonii quis? 396.
Matrimonium Virginis Matris quomodo verum? 397.
Cur Caſus n. 385. propoſitus vocetur prope Metaphyſicus? 399.
Diviſio Matrimonii duplex. 401.
Ad Matrimonium Conſummatum requiritur copula perfecta. 403.
Error putantis, ſi ante celebrationem Matrimonii cognoſcatur ſponſa, cenſeri Conſummatum Matrimonium. 404.
Matrimonium per procuratorem quibus verbis contrahatur? 405.
Quo ritu honeſto repræſentetur ejus conſummatio per procuratorem? Ibid.
An, & quatenus Matrimonium omnino ſoluti ſit aliquando in præcepto? 406.
An valeat votum de nubendo? 407.

Kilianus, & Kunegundis contrahunt coram Parocho, & Teſtibus Matrimonium de præſenti. Kilianus prior expreſſit conſenſum verbis, Kunegundis, prout moris eſt, rogatur, & reſpondet Ego etiam accipio Kilianum in maritum. *Kilianus immediatè* 385

rè poſt prolata hac verba à Kunegunde non acceptat ejus conſenſum, imò poſitivè non vult acceptare. Quærebatur, an hic diſſenſus, eo temporis momento ſuperveniens, impedire potuerit valorem Matrimonii?

386 Quærebatur, ajo, ex Eminentiſſimo Cardinale de Lugo, ut refert ipſus verbis huc tranſlatis *in Reſp. Moral. Lib. 1. dub. 42.* dicens, hunc caſum videri potiùs *Metaphyſicum*, quàm *Moralem* Proferam *num 399.* rationem, ubi protulero definitionem Matrimonii, inſtitutionémque. Poſtmodum explicabo, quid ſit Matrimonium *Ratum*: quid *Conſummatum*, indicatis utriuſque proprietatibus.

387 Dico I. Matrimonium eſt maris, & fœminæ conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem retinens. Sic definitur *Cap. Illud. De præſumpt.* & à S. Thom. *in ſupplem Quæſt. 44. art. 3.* exprimente P. Martino Perez *De Matrim. Diſp. 20. Sect. 1.* hanc ſolam definitionem Matrimonii eſſe Metaphyſicam: *Matrimonium eſt Sacramentum novæ legis in ordine ad prolis genrationem*, addente Bonacinâ *De Matrim. quæſt. 2. punct. 1.* hanc fuſiorem, & clariorem deſcriptionem: *Matrimonium eſt legitimus, & indiſſolubilis contractus inter virum, & fæminam, quo traditur, & acceptatur mutua corporis poteſtas, & confertur gratia ſanctificans.*

388 Qua ultimâ particulâ innuitur id, quod in Concil. Trident. *Seſſ. 7. Can. 1.* definitur, Matrimonium eſſe unum è ſeptem Sacramentis Eccleſiæ, inſtitutum quidem à Deo autore naturæ in *Cap. 1. Geneſ.* at à Chriſto elevatum ad rationem Sacramenti. *Matth. 19.* & ita quidem, ut certum ſit, illud, quod inter duos baptizatos præſentes *validè* initur, eſſe, per ſe loquendo, Sacramentum, quia ſaltem initum ab his ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, imò temeritatis damnandus eſſet, qui hoc tempore negaret, Matrimonium per procuratores contractum gaudere verâ ratione Sacramenti. P. Tannerus *Tom. 4. Diſp. 8. quæſt. 2. num. 46.*

389 Sicut nec dubium eſt, quin Matrimonium hæreticorum ſit, *per ſe loquendo*, Sacramentum, at *per accidens* fieri poteſt, ut non ſit inter hos, ſi videlicet expreſſè dicant, ſe velle quidem conjungi matrimonialiter, at nolle quidquam habere de Sacramento, ſicuti cum pleriſque contra P. Sanchez, & alios, fusè declaravi *in præced. Tract. Caſ. XI. Sect. 2.* quod ipſum dicendum eſt conſequenter de duobus Catholicis, volentibus impiè, & ſceleratè ſeparare rationem Sacramenti à ratione Matrimonii.

390 Quòd ſi unus conjugum ſit baptizatus, alter non baptizatus, ut in primitiva Eccleſia ſæpe factum, & fortè hodiéque factitatur in novo orbe, communis ſententia, teſte Tannero *num. 41.* docet, rationem Sacramenti deficere etiam reſpectu baptizati, ſicut abſque omni dubio deficit reſpectu mariti & uxoris, ſi uterque ſit ſcienter, aut ignoranter expers regenerationis ſpiritualis, ut primùm verò hi duo tinguntur aquâ luſtricâ, Matrimonium illorum tranſit, etiam abſque novo conſenſu, in Sacramentum, ut fert communior ſenſus Theologorum apud Tannerum *loc. citat. numero 51.*

Dico II. Materia hujus Sacramenti *proxima* eſt traditio corporum mutua in ordine 391
ad generationem prolis, forma verò eſt acceptatio illius traditionis, manifeſtata aliquo ſigno externo, miniſter propriè uterque ſponſus. Bonacina *cit. quæſt. 2. punct. 4.* ex communi:
Dico: *Aliquo ſigno*, ſicut enim ſuprà *Caſu II.* 392
probavimus, ſponſalia non fieri, niſi promiſſio manifeſtetur aliquo ſigno ſeu *verbali*, ſeu *reali*, ſufficere autem, ſeu *reale* ſit, ſeu *verbale*, ita etiam cenſendum eſt de Matrimonio. Quænam autem ſint uſitatiores formulæ verborum, indicantes conſenſum in ipſummet Matrimonium, expreſſi ſuprà *n. 51.*

His & aliis explanandis non immoror, 393
quandoquidem hac ætate non tolerantur à quoquam ſigna ambigua, & litibus obnoxia. Exprimuntur etiam in Ritualibus, ſeu Obſequialibus verba indicantia conſenſum, & quidem in noſtro Conſtantienſi non præſcribuntur pro ipſis conjungendis, niſi hæc duo verba: Ja Herr: *Ita Domine*, nam ſacerdos aſſiſtens quærit primò ex ſponſo: *Utrùm hanc præſentem N. velit liberè, juxta inſtitutionem Chriſti, accipere in uxorem?* deinde ex ſponſa: *An præſentem N. itidem libere velit accipere in maritum?* ſingulis ad ſibi propoſitam quæſtionem ſubdentibus: *Ita Domine*, eloquitur ſacerdos hæc formalia: *Matrimonium per vos contractum, ſecundùm ordinem ſanctæ matris Eccleſiæ ego authoritate, quâ in hac parte fungor, ratifico, confirmo, & benedico in nomine P. & F. & Sp. S. Amen.* Eædem interrogationes, eædem reſponſiones præſcribuntur in Rtiuali Mechlinienſi, ſacerdote poſt duos precatorios verſiculos duntaxat conjungente manus amborum, involvente eos ſtolâ, & cum ſigno crucis dicente: *In nomine P. & F. & Sp. S.*

At: Quid ſi Parochus interrogando, & 394
ſponſi reſpondendo errent, eo modo, quem exprimit ſequens

Caſus Verus, Novus, Ridiculus?

ETiam *aliquod negotiolum Reverentiæ Veſtræ ex aliena regione* (ſcilicet Coronæ Gallicæ) *perſcribo, quod me aliquo modo perplexum habet. Forma contrahendi apud nos Matrimonii eſt hæc*: Joannes accipis Joannam in uxorem? *ſi accipis, dic*: Ita Domine.

nc. *Nuper quidam Parochus in ſimili negotio putabat, ſe ſic interrogâſſe*: Joannes accipis Joannam in maritum? *ſi accipis, dic*: Ita. *Nunc hi conjuges propter continuas rixas quærunt divortium? Joanna verò ab aliquo ruſtico de hoc errore certior facta dicit, ſe omnino non teneri Matrimonio, eò quòd non ſit hac promiſſione in uxorem, ſed in maritum, acceptata à Joanne. Quid hîc agendum? Dixi ego, valere Matrimonium.* 1. *Quòd ipſi, hoc errore non animadverſo, libere intenderint contrahere, atque hæc utriuſque voluntas ſufficiat.* 2. *Quòd hæc forma non ſit neceſſaria, cùm ſæpe alius nomine alterius in diſſito loco contrahat, qui utique hac formâ non utatur, nec uti poſſit.* 3. *Poſſe aliquo alio ſigno externo hanc voluntatem contrahendi exprimi, aliàs nec mutus cum muta, aut ſurdaſter cum ſurdaſtra contrahere poſſet. Cuperem tamen intelligere paucis judicium Reverentiæ Veſtræ.* N. 14. *Junii*, 1667.

Ex hiſce literis patet veritas triplicis tituli, quo notavi hunc Caſum, patet & veritas reſponſi dati ab illo Religioſo Sacerdote. Quibus addo, tametſi aliorum Sacramentorum valor periclitetur, ſi in forma committatur error ſimilis expreſſo hîc, nec enim ſubſiſtet aut Baptiſmus, ſi dicas per errorem: *Baptizo te in nomine Matris*: aut Conſecratio, ſi dicas: *Hoc eſt corpus tuum.* Attamen ejuſmodi linguæ aberratio non officit valori Matrimonii, utpote fundati in natura contractûs, in contractu autem voluntas, non autem verba dominantur. *Leg. In conditionibus. Cod. De condit. & demonſtrat.* quia ſcilicet in contractibus voluntas facto magis, quàm verbis declaratur. *Leg. Reprehendenda. & ibi* Gloſſ. *Cod. De inſtit. & ſubſtit.* Singulariter quando factum eſt determinatum ad quid certum præſumendum. Barboſa *Axiom. 230, num. 4.* Et planè huc eximiè facit, quod ſcripſit Papinianus *Leg. Cùm Pater. §. donationis. ff. De Leg. 2.* relatus: *Non quæritur, cum quo de ſupremis quis loquatur, ſed in quem voluntatis intentio dirigatur.* Denique iſta præſumptio, quòd actus ſic dicatur geſtus, ut valeat, & nullitas removeatur, ſuperat omnes alias præſumptiones, inquit Rolandus à Valle *conſil. 61. num. 27.* poſt Decium, & Abbat. Atqui ex una parte certum eſt, Matrimonium rectiſſimè dividi in Matrimonium verum & præſumptum. Infrà *num. 401.* ex altera autem parte nequit adferri ullum (ultra clara verba) ſignum, ex quo validiùs præſumatur veritas illius Matrimonii, quàm ſit ea, quæ ante, in, & poſt comparitionem in facie Eccleſiæ, fecit, dixit Joanna, adeò ut, licèt jurejurando affirmaret, ſe, cùm Joannes ita reſponderet, habuiſſe reflexam voluntatem non conſentiendi in ejus verba qualitercunque ab ipſo intellecta, non tamen foret admittenda ad ullam probationem ſuæ aſſertionis juratæ, quia probatio nulla admittitur adverſùs præſumptiones juris, & de jure. Ewerhardus *l. c. n. 19.* aliique DD. omnes, utique autem actus tam ſolennis gignere videtur præſumptionem juris, & de jure. Cæterùm, quod in ſecundo argumento conſulentis tangitur de verbis, quibus utitur Procurator matrimonialis, videbimus infrà *n. 405.*

Ex dictis patet I. ſingulos ſponſos non quidem plùs dicere, quàm: *Accipio te in meam uxorem: accipio te in meum maritum.* attamen hoc ipſo ſingulos, cùm hæc verba proferunt, ſignificare, acceptari à ſe alterius conſenſum in Matrimonium. Etenim, ut ſuprà dixi, Matrimonii materia proxima eſt traditio corporum, forma eſt ipſamet acceptatio conſenſûs alieni, vel jam præſtiti à ſponſo, ut fit, quando ſponſa loquitur poſterior, vel jamjam præſtandi, ſcilicet à ſponſa, quando, ut fieri amat, ſponſus loquitur prior. Vide Cardin. de Lugo *cit. dub. 42. n. 2.* 395

Patet 2. Materiam *remotam*, ſeu *remotiſſimam* hujus Sacramenti rectè vocari ipſa corpora contrahentium. P. Coninck *Tom. 2 in 3 Part. quæſt. 6 art. 5. n. 28.* miniſtros verò inadæquatos ſingulos contrahentes, quandoquidem generatim ille ſolus dicitur propriè miniſter alicujus Sacramenti, qui materiam proximè, formámque applicat ſubjecto Sacramenti, applicant autem proximè traditionem, acceptationémque corporum ſoli conjuges per ſuum conſenſum mutuum, remotè verò Sacerdos aſſiſtens, quatenus confirmat, ratámque habet illam traditionem, acceptationémque; ratam, inquam, habet, at non neceſſariò; ſubſiſteret quippe Sacramentum, tametſi Sacerdos aſſiſtens vel nullum verbum loqueretur, vel etiam *poſitivè* contradiceret, ſicuti *Tract. præced. n. 506.* declaravi Caſu planè inexſpectato. Nihilominus tamen ſolet Sacerdos aſſiſtens nuncupari miniſter, ſcilicet ſecundarius, aut accidentalis. 396

Patet 3. Conjugium Beatiſſimæ Virginis cum S. Joſepho habuiſſe rationem verè, propriéque dicti Matrimonii, eſſéque hoc certum de fide, tradit P. Suarez *Tom. 2. in 3. Part. Diſp. 7. Sect. 1.* Ratio eſt, quia, licèt Sancta Virgo Virginum nunquam conſenſerit *directè*, & *ſimpliciter*, in *actualem* uſum conjugii, utpote & voto caſtitatis obſtricta, & divinitus edocta, ſuam virginitatem ſartam tectam conſervatum iri, attamen tradidit ſuo digniſſimo ſponſo poteſtatem *radicalem*, ſeu *quoad actum primum*, atque confuſè in actum conjugalem, & hoc jam ſufficiebat ad rationem Matrimonii, tametſi abfuerit obligatio *actualis* in copulam, ut cæteros inter declarat poſt Suarez *l. c.* P. Martinus Perez *De Matrim. Diſp. 13. Sect. 8.* infrà *n. 467.* 397

Digitized by Google

398 Patet 4. meritò à Bonacina *cit. quæſt. 2. punct. 1.* & aliis rectè ſcribi, conjugium idcirco potiſſimùm nuncupari *Matrimonium*, quòd connubium celebret mulier eo fine, ut fiat mater: cur autem potiùs à matre, quàm à patre, ſortiatur nomen, tradit S. Thomas *in ſupplem. quæſt. 44. art. 2.*

399 Patet 5. Caſum de noſtris Kiliano, & Kunegunde meritò à nobis vocari *prope Metaphyſicum*, etenim, quando Kilianus dixit Kunegundi: *Accipio te in meam.* Subintellexit neceſſariò, ſe ſimul acceptare conſenſum, ſi quem datura eſſet Kunegundis, nequit enim Matrimonium conſiſtere ſine tali acceptatione, ut liquet ex dictis *n. 391. & 395.* ergo quamprimùm Kunegundis ſubdidit: *Et ego te in virum.* Fuit purificata conditio, ſub qua Kilianus ſe obligavit Kunegundi: ergo ipſe fruſtra diceret poſtea: *Non accepto tuum conſenſum.* Si tamen poneremus caſum, quo verba Kunegundis pervenirent tam tardè ad aures Kiliani, ut, antequam jam prolata ferirent aures Kiliani, ipſe
400 diceret: *Non accepto tuum conſenſum.* haud valeret Matrimonium, quia Kilianus potuit revocare priorem voluntatem tamdiu, quamdiu ipſi non manifeſtaretur conſenſus ſponſæ, at hæc ſunt ſummè extraordinaria, & vix poſſibilia, tranſeamus ergo ad poſſibilia.

401 Dico III. Matrimonium rectè dividitur à Theologis, & Canoniſtis in *Verum*, & *Præſumptum*, *Ratum*, & *Conſummatum*: verum, cui nihil eſſentialium, ſeu ſubſtantialium deeſt. Menochius *Conſil. 199. n. 1.* & Mozzius *De Contr. Tit. De Matrim. n. 5.* opponentes uterque Matrimonio vero *Putativum*, quando reputantur conjuges, qui in veritate eſſe non poſſunt. Mozzius *n. 6.* & ferè Menoch. *n. 35.* ſicut & idem Menochius cum Mozzio illud Matrimonium pro præſumpto habet, pro cujus exiſtentia vera militant tales præſumptiones, ſeu conjecturæ, ut juxta Regulas juris habeatur pro vero, eſto fortè fallant tunc Regulæ. Sed & Mozzius *n. 6.* reflexè, & rectè obſervat, ſicut datur Matrimonium præſumptum, ita etiam dari ſponſalia præſumpta At Matrimonium ratum eſt id, quod nulla copula carnalis comitata, aut ſecuta eſt, conſummatum, quod aliqua comitata,
402 aut conſecuta eſt. Dico: *Comitata*, aut *ſecuta*, nam in locis, quibus ſubſiſtunt Matrimonia clandeſtina, quando ſponſus cum ſponſa de futuro habet primâ vice affectu maritali copulam, per hanc, tanquam per ſignum conſenſûs matrimonialis, perficitur contractus Matrimonialis: ſicuti apud nos perficitur per verba: *Accipio te in uxorem*, etenim in illis locis copula affectu maritali præſtita obtinet locum, & vim verborum, ergo rectiùs dicitur comitari, quàm ſequi Matrimonium. Nomine autem *copulæ* intelligitur perfecta. Sanchez *Lib. 2. De Matrim. Diſp. 21.* ex communi, adeòque omnis illa & ſola, quæ eſt ſufficiens ad affinitatem contrahendam cum conſanguineis uxoris; quænam autem ſit ſufficiens, explicavi *Tract. præced. Caſ. XVI. n. 390.* Lege Dianam *Part. 5. Tract. 13. Reſol. 54.* plurium Medicorum, aliorúmque Recentiorum autoritate probantem, ad Matrimonium Conſummatum (utitur enim expreſſè hoc adjectivo) exigi, ut etiam fœmina ſeminet.

Quòd ſi uxor neget, maritum fuiſſe ſecum 403
carnaliter commixtum, aſſerat autem vir, ſtandum eſſe viri teſtimonio, definitur expreſſè *in Cap. Continebatur. De deſp. impub.* niſi fortè mulier probet rationibus contrarium. Barb. *in cit. Cap. Continebatur* poſt Tiraquell. & Maſc. *De probat. concl. 312. n. 25.* ſicut vice verſâ uxori dicenti ſe cognitam à viro creditur contra virum negantem. Palaus *Part. 4. Tr. 28. diſp. 4. p. 13. n. 7.*

Patet hinc 1. Matrimonium ratum eſſe 404
propriè, eſſentialitérque dictum Matrimonium, nihilque differre à conſummato, niſi quòd conſummatum repræſentet perfectiùs unionem Divinæ perſonæ cum humana natura, & Eccleſia, & involvat, ſeu includat effectum Matrimonii, ſcilicet commixtionem carnalem & denique ſit indiſſolubile quoad vinculum, cùm tamen Matrimonium ratum poſſit diſſolvi, ut explicabitur *Caſ. XVIII.*

Patet 2. Erràſſe illum Pariſienſem, ut mihi ſcriptum, Doctorem, qui conſultus reſpondit, quando ſponſus cognovit carnaliter ſponſam ſine affectu maritali, in locis quoque, in quibus receptum eſt Concil. Trident. ſi poſtea contrahant coram Parocho, ac Teſtibus, jam hoc ipſo habendum eſſe illud Matrimonium pro conſummato, etſi nulla prorſus copula ſequatur. Etenim hoc reſponſum nullâ prorſus ratione, nullo jure, nullâ autoritate conſtat, ſed potiùs adverſantur omnes, qui adferunt diſcrimen inter Matrimonium Ratum, & Conſummatum, loqui autem in re tanta ſine autoritate legum, erubeſcendum eſt. *Authen. De Triente & ſemiſſe. § Conſideremus. Collat. 3.*

Patet 3. Matrimonium *validè*, *licitéque* 405
iniri tum per literas: tum per procurationem, ut demonſtrant, explicántque P. Sanchez *De Matrim. Lib. 2. Diſp. 12.* P. Martinus Perez *De Matrim. Diſp. 15.* P. Dicaſtillo *De Matrim. Diſp. 2. dub. 15.* patétque ex recentibus exemplis maximorum Germaniæ Principum. Porrò nominati Doctores explanant, quo pacto formandæ ſint literæ utriuſque partis, quando ipſiſmet immediatè literis exprimitur conſenſus neceſſarius de præſenti, ſicuti & obſervat Dicaſtillo *num. 146.* illum, qui tanquam procurator ducit quampiam, debere exprimere hæc, aut ſimilia verba: *Ego nomine Petri e. g. contraho tecum Matrimonium.* vel: *Nomine Petri te in ejus uxorem accipio.* Conſequenter ſponſa reſpondere debet: *Et ego tecum tanquam procuratore Petri contraho Matrimonium.* Unde Perez *Diſp. 19. dub. 12.* rectè docet, ſexuum diverſitatem nullo modo eſſe neceſſariò attendendam in procuratoribus, ac proinde poſſe mulierem cum alia muliere contrahere Matrimonium

nium

nium nomine viri. Adde, (quod ſine dubio plerique ignorant, ſicut & ignorabam adhuc tunc, cùm donavi *primâ* luce hunc Tractatum) eſſe moris in Germania, ut Matrimonio rato per procuratorem celebrato addatur pro cæremonia utili ad aliqua jura, ab eodem procuratore aliquid adumbrans conſummationem Matrimonii, ut videlicet præſentibus aliis, decumbant in eodem lecto nova conjux, ac procurator, illa integre veſtita, hic non modò veſtitus, ſed etiam cataphractus, adeóque totum corpus ferro tectus, quo ſi collimavit is, qui (ejus ſanctam Innocentiam ridentibus nonnullis) dixit, Principem, quem novi, conſummâſſe Matrimonium per procuratorem, non riſu, ſed approbatione digna fuit ejus phraſis.

APPENDIX I. FLANDRO-HISPANICA.

a Cæterùm illum morem adumbrandi Matrimonii conſummati per procuratorem, eſſe uſitatum non ſolis Germanis, ſed aliis quoque principibus, teſtatur viſus à me poſt hæc jam typo vulgata Jacobus Maſenius noſter, qui *in Anima Hiſtoriæ Lib. 7. num. 101.* ad Annum Chriſti 1554. deſcribens legationem, quam Philippus II. Hiſpaniarum Rex deſtinavit in Angliam ad Mariam Reginam, ſibi deſtinatam conjugem, ſic loquitur. *Lamoralis Egmundii Comes è Belgio Philippi nomine profectus, illius in deſponſatione Mariæ vices obiit, ac de more Principum concubuit, donec Philippus Princeps octoginta triremium, & quadraginta onerariarum navium claſſe Hamtonium Angliæ portum 19. Junii teneret.* Ita Maſenius majorem habens rationem latinè ſcribentium, quàm Theologorum Moralium circa verbum *concumbendi*, idque etiam memoro idcirco, quòd ſciam, nonneminem, & fortè plures cohorruiſſe, dum hæc legerunt in illo latinitatis Magiſtro.

APPENDIX. II. RARI FACTI.

b AT fuitne approbanda oppoſitio, quam adverſùs Matrimonium de futuro per procuratorem celebratum fecit

Nobilis Virgo?

QUæ quidem illud contraxit, more conſueto, per procuratorem, ſed neſcio qua de cauſa ducta pœnitudine contractûs petiit reſcindi ea ſingulariter de cauſa, quòd in procuratorem adhibitus fuiſſet Clericus in Majoribus conſtitutus, fuítne aliquid à judice deferendùm ejuſmodi oppoſitioni, & exceptioni?

c Quod narro, tam verum, quàm rarum eſt. Interrogatus ab una partium intereſſatarum reſpondi, exceptionem illam non facere dictæ virgini jus reſiliendi ab eo contractu, tametſi fuiſſet taliter contractum etiam de præſenti. Nitebar hoc fundamento, quòd illud Matrimonium non reddiderit invalidum ſuſceptus unus, aut fortè tres è Majoribus Ordinibus, niſi aut jus commune improbet, tanquam irritam ejuſmodi procurationem, aut obſtet inhabilitas ad Matrimonium cum parte, ad quam quis mittitur. *Primi* fit nulla, in ullo Jure, mentio: *ſecundum* ideo nihil movet, quòd & conjugatus, ut demonſtrat communis inter magnos Principes conſuetudo, perſæpe, & mulier quoque, ut paulò antè expreſſimus, poſſit ad aliam mulierem fungi ejuſmodi officio.

At replicat illa virgo, *dictum Clericum procuratorem eſſe inſuper ſuum conſanguineum.* Reſpondeo, etiamſi eſſet frater, nihil obſtaret, quia nullum jus aut naturale, aut poſitivum irritat ejuſmodi actum exercitum à fratre.

Quid ſi autem mulier virum conſtituat in tali negotio procuratorem ſuum? Reſpondeo cum Hoſtienſi *in Summa Lib. 4. De ſponſal. §. qualiter num. 7.* licèt fortè ſecundùm jus civile talis procuratio futura eſſet inutilis, jure tamen Canonico valere, & hoc ipſo valere, quòd non prohibeat, cùm omnia ſint licita, quæ nullâ Lege prohibentur, quo etiam loco proponit idem Hoſtienſis hanc brevem formulam procuratoris ad mulierem. *Dominus meus ſalutat te, & mediante, me accipit te in ſuam*, mulier autem reſpondet: *Et ego te mediante recipio Dominum tuum in meum, ſeu conſentio his, quæ mihi denuntiâſti.* Hîc decisa (verum à fortiori) obtinent in Matrimonio de futuro.

Porrò quia in Caſu hoc *Decimo* diſſeruimus 406 de natura, ſeu eſſentia Matrimonii, non importunè ſequemur exemplum Patris Sanch. P. Perez, & nonnullorum aliorum, qui tractationi matrimoniali inſeruerunt hanc, Confeſſariis cognitu neceſſariam quæſtionem: *Virùm videlicet Matrimonium ſit aliquando in præcepto?* Ubi ſupponitur inprimis, eſſe in præcepto ſaltem tunc, quando fuit legitimè promiſſum alteri, nec ſuppetit cauſa ſufficiens diſſolutioni promiſſionis, deinde verò minimè eſſe in præcepto reſpectu plerorumque hominum, ſicuti adverſùs laſcivum Lutherum demonſtrant Controverſiarum Tractatores, imò nec eſſe in præcepto reſpectu illius, qui id vovit propter gratiam Sacramentalem duntaxat, tunc enim non eſt de meliore bono, eſt quippe pleriſque valentibus vivere caſtè melius, caſtitatem integram ſervare, quàm rei conjugali operam dare. Hoc ſuppoſito, quæritur nunc: *Virùm Matrimonium ſit in præcepto, quando quis id vovit, ut vitaret peccata incontinentiæ?*

Ad hanc quæſtionem reſpondeo ultra paucula indicata *Caſ. 1. n. 42.*

I. Qui omnibus expenſis judicat, Matrimonium eſſe remedium ſibi, *moraliter loquendo, ſimpliciter* neceſſarium ad ſervandam continentiam, tenetur ſtare voto, ſi quod edidit, de Matrimonio ineundo, ſitque ſui arbitrii. Ita omnes, teſte Perez. *Diſp. 3. Matrim. Sect. 2.* quia ſcilicet tali homini eſt utilius ad ſalutem ducere uxorem, quàm non ducere, eò quòd non nubendo exponat ſe manifeſto periculo damnationis, éſtque etiam idipſum Deo gratius, eò quòd, ut Deo aliquid gratius fiat, non refert, quid in genere, & ſecundùm ſe conſideratum præſtantius ſit, ſed quid hîc, & nunc, viſis omnibus circumſtantiis, præſtet, & excellat. Ita Perez, declarans exemplo illius, qui ſolutus Matrimonio, & longo tempore expertus eſt ſuam fragilitatem, vel longam conſuetudinem cum concubina, à qua dimoveri videtur ipſi *moraliter* impoſſibile. At quid dicet P. Perez de illo, qui obſtrictus voto Caſtitatis, aut ſimplici, aut ſolenni, ſentit eandem *moralem* continendi impoſſibilitatem, quam ſolutus tali voto? Dicétne eſſe gratius Deo, ut nubat, quàm ut non nubat? Equidem ex una parte certum eſt, talem æquè ſe exponere periculo damnationis ob impuritatem non nubendo, quàm ſi non eſſet ligatus voto, ex altera autem parte communiter Theologi pernegant, talibus eſſe licitum, nedum neceſſarium, primam fidem irritam facere *1. Timoth. 5.* An dicemus cum Valentia *Tom. 5. Diſp. 6. quæſt. 6. punct. 2.* & Sanch. *Lib. 4. Moral. Cap. 8. num. 10.* eſſe quidem tali homini, ut privato, melius, ducere uxorem, quàm non ducere, at non eſſe ei, ut eſt membrum Eccleſiæ, melius? Sed contra. Talis nihilominus æquè exponitur periculo *morali* æternæ damnationis, atque ſolutus voto, in hoc autem periculo *morali* fundatur aut facultas, aut etiam neceſſitas, honeſtáſque nuptiarum. Quid ſi ergo talis ob crimina, quæ patravit, non utique ut membrum Eccleſiæ, utpote quæ tota pulchra eſt, nec macula in ea. *Cantic. 1.* ſed ut privatus, privetur regno cœleſti? An hoc potietur ut membrum Eccleſiæ? ſed magnum chaos, quod firmatum eſt inter hos, & illos. *Luca 16.* facit tam ingentem diſtinctionem realem, ut non relinquat locum illi formali. An igitur reſpondebimus, caſum, quem ponit P. Perez, eſſe merè ſpeculativum? nec enim exiſtere quemquam, cui Matrimonium ſit, omnibus conſideratis, ſimpliciter neceſſarium ad ſervandam Caſtitatem. Hoc omnino certum eſt, ſi loquamur de ligatis voto Caſtitatis, præſertim ſolenni, alioquin Eccleſia non poſſet eos tam conſtanter arcere à nuptiis. Deinde neque de quocunque alio id aſſeri poteſt: tum quia libertas à voto, ſicuti non auget per ſe difficultatem vincendi tentationes, ita neque voti vinculum eam per ſe minuit: tum quia nemo dixerit, cuiquam conjugato, cui nec patet, nec per omnem vitam patebit ob incarcerationem, locorum diſtantiam &c. acceſſus ad uxorem, eſſe ſimpliciter neceſſarium aliam ſuperinducere, tum denique, quia omnes communiter Doctores contra Ledeſmam apud Sanch. *loc. cit.* & contra Homobonum apud Dianam *Part. 4. Tract. 4. Reſ. 102.* fatentur, ſubſiſtere votum Caſtitatis, quod etiam poſt cognitam ſuam fragilitatem emiſit ille miſerandus homo. Itaque reſponſionem, quam dedi ex Perez ſuperiùs, volo intelligi in ſenſu compoſito, adeóque de illo ſolo, qui, & quatenus judicat (tametſi falsò) Matrimonium eſſe ſibi ſimpliciter neceſſarium, hic quippe tenetur obſequi conſcientiæ ſuæ erroneæ, juxta ea, quæ de neceſſitate eam ſequendi tradunt enucleatores materiæ de conſcientia. Conſequenter dicendum eſt cum Coninck *in 3. Part. Diſp. 22. num. 61.* Laymanno *Lib. 4. Theolog. Moral. Tract. 4. cap. 2. num. 12.* & aliis pluribus, nulli eſſe abſolutè, ſeu ſimpliciter melius ducere uxorem, quàm non ducere, ſed ſolùm ex hypotheſi, quòd nolit adhibere alia efficacia media ſervandæ Caſtitatis, quæ cum Divina gratia adhibere poteſt.

II. Validum eſt votum nubendi, quando, 407
viſis omnibus circumſtantiis, cenſetur medium utilius ipſi homini ad vitandam incontinentiam. Perez *loc. cit. num. 9.* poſt P. Suarez, Sanch. & alios. Patet ex dictis *num. præced.* & ratio eſt, quia tunc non impeditur majus bonum. Et ſine dubio rectè faciunt Confeſſarii, qui Matrimonium ſuadent demerſis in ſterquilinium veneris, ſi quidem ſint ſui juris, uti certè non ſunt ii, qui ſe caſtraverunt propter regnum Cœlorum *Math. 19.* Et verò ipſe non ſemel ſuaſi talibus conjugium, non reperi autem, cui poſſem imperare, partim, quia opponebantur impedimenta, partim, quia jam hæc, jam illa conſideratio perſuadebat, abeſſe abſolutam nubendi neceſſitatem.

Plura de nonnullis dictis hoc, & *præcedent. num.* ſcripſi poſt hæc pridem typo excuſa *in Alphabet. Quadrupl. Part. 1. Caſ. VIII. n. 270. & ſeqq.*

DE MATRIMONIO FICTO.

CASUS XI.

Confeſſarii æquo rigidioris.

SUMMARIUM.

Caſus de Matrimonio ficto. 408.
Matrimonium fictum quod? 410.
An, & quatenus obliget? 411. & ſeqq.
An, depoſitâ fictione, ſit renovandus coram Parocho contractus? 414.
Declaratur caſu Pontificio 418.
Et reſolutione Caſûs n. 408. propoſiti. 420.

Et

Et plurium aliorum, 422. & ſeqq.
Et ſingulariter aliquo novo. 427.
Quomodo probetur, interceſſiſſe fictionem? 430. & ſeqq.

408 *Laurentia mulier nulliter ex parte conſenſûs inivit Matrimonium, poſt multum verò temporis copulam cum viro habuit, & intra ſe etiam animum habuit perficiendi Matrimonium: poſt paucos verò dies ampliùs cum viro commiſceri noluit. Sed cùm ea mulier poſtea verè cum alio contraxiſſet, cùm confiteretur, ſcivit ex illa Confeſſarius, quòd tempore Matrimonii in illud poſtea, ut dictum eſt, conſenſit, & cum viro copulam affectu maritali habuit, unde noluit Confeſſarius illam abſolvere. Quæſierat à me tunc, quid faciendum?*

409 A me, inquit Diana *Part. 5. Tract. 13. Reſ. 87.* in qua, quid reſponderit, promam *numero 420.* ubi expediero breviter has quæſtiones. 1. *Quid ſit Matrimonium fictum? 2. Quas vires habeat? 3. An aliquando licitum? 4. Quomodo iterandum.*

410 Quæritur ergo I. *Quid ſit Matrimonium fictum, an omnes vires habeat, & an aliquando licitum?*

Reſp. I. Matrimonium Fictum eſt idem, propriè loquendo, quod ſimulatum, quando ſcilicet ſimulat quis, aut quæ, ſeu videri vult præſtare verum conſenſum in Matrimonium, & tamen re ipſâ non conſentit, ſed diſſentit, & abhorret.

411 II. Ejuſmodi Matrimonium non eſt quidem verè Matrimonium *Cap. Tua. De ſponſ.* etenim Matrimonium ſolo conſenſu contrahitur *Text. Cap. Cùm locum. De ſponſ. & Matrim.* à contractu autem ficto abeſt conſenſus, attamen obligat, *per ſe loquendo*, ſimulatorem, ut mutet fictionem, & ſeriò, ſinceréque conſentiat. Diana *Part. 3. Tract. 4. Reſol. 247.* poſt Baſil. Pont. *Lib. 2. De Matrim. Cap. 5.* habentem pro improbabili contrariam opinionem P. Sanchezii *Lib. 2. Diſp. 21.* & Mart. Ledeſmæ, quibus favet P. Laymann. *Lib 5. Tract. 10. Part. 2. cap. 6.* Ratio eſt, quia, qui ficto animo init Matrimonium, tenetur ex juſtitia inire ſine ſimulatione, quandoquidem altera pars concedit ipſi jus in ſuum corpus per contractum: *Do, ut des.* Ergo quamdiu non conſentit ſeriò, tamdiu continuat peccatum injuſtitiæ, igitur tenetur ex juſtitia deponere fictionem, *per ſe loquendo*, ſicuti ſuprà *num. 230.* diximus de illo, qui ſub ficta ſpe Matrimonii aliquam defloravit, ergo non rectè ſentiunt Laymannus, & alii cum Sanchez, ſolùm tunc adeſſe obligationem deponendi fictionem, quando nequit aliter occurri malis, quæ impendent uxori, ſi diſſolvatur Matrimonium. Et verò non excuſarem judicem, qui in praxi diſſentiret à noſtra ſententia, ſaltem caſu, quo uxor eſt invita.

Excipe cum Laymanno *loc. cit. num. 1.* & 412 aliis è noſtra reſponſione quatuor caſus. 1. Si uxor falsò venditabat ſe pro virgine. 2. Si ex tali Matrimonio timeantur infortunati exitus. 3. Si deceptor ſit multò eminentioris ſtatûs, quàm decepta, dummodo ſpe Matrimonii copula non interceſſerit. 4. Si deceptor iniit validè aliud Matrimonium. Addo ego quintam: ſi fictè conſenſit ob metum gravem. Li- 413 cèt enim talis peccet ob ſimulationem, quandoquidem omnis propriè dicta ſimulatio eſt mendacium reale, ſi tamen metus fuit injuſtus, non tantùm poterit ſimulator uti privilegio metum paſſi, de quo nos fusè *in Tract. præcedent. Caſ. XII.* ſed etiam erit in fictè contrahendo reus ſolius delicti venialis. Sanchez *Lib. 4. Diſput. 26. num 2.* contra alios, nam talis metus fictionem excuſat à vera in alteram injuria, excuſat & à ſacrilegio, ut oſtendi *Tract. præced. n. 257.* & videri etiam poteſt Cardin. de Lugo *De pœnit. Diſp. 14. n. 16.*

Quæritur II. *An, quando ſimulator ſecu-* 414 *tus doctrinam num. 411. traditam deponit fictionem, atque ſincerè contrahit cum ſua putatitia conjuge, debeat inprimis petere novum conſenſum ab illa, deinde contrahere coram Parocho, & Teſtibus?*

Reſp. I. Debet, *per ſe loquendo*, petere novum conſenſum, quia non ſufficit primus: nam uxor non dedit ipſi poteſtatem proprii corporis, niſi cum, & ſub conditione, ſi ipſe etiam daret, ſi tamen petendo novum conſenſum timerentur grandia mala, poſſe diſſimulari, retuli ex Sanchez, Bonacina, & Palao, *in Theol. Jurid. Moral. Cap. 37. n. 135.* quibus adde Leſſium *in Auct. Verb. Matrimonium Caſ. 3.* perbene diſſerentem.

Reſp. II. In *Tract. præcedente Caſ. XVIII.* 415 *num. 500.* ſecutus fui doctrinam generatim docentium, licèt conſultiſſimum ſit, ut Parochus, & Teſtes interſint revalidationi, id tamen non eſſe *abſolutè* neceſſarium, cùm ita declaraverit, teſte Navarro, S. Pius V. atque ita tradant communiùs DD. cum Navarro *in Enchir. Cap. 22. num. 70.* Sanchez *Lib. 2. Diſp. 22.* Palao *Diſp. 3. De Matrim. punct. 7. §. 2.* Perez *De Matrim. Diſp. 39. Sect. 5.* qui duo poſteriores autores citant, præter alios à Sanchez nominatos, pro nobis Riccium, Reginaldum, Laymannum, Barboſam, Hurtadum, Coninck, Rebellum, loquentes in ſpecie de noſtro caſu, quo ſcilicet Matrimonium fuit nullum, ob defectum conſenſûs, ſicut & generaliter, quando ex quocunque capite fuit invalidus ille contractus, id ipſum ſentiunt tum hîc nominati, tum apud eoſdem Navarr. Franc. Leo, Ledeſma, alii. Ratio præter autoritatem S. Pii V. & ea, 416 quæ in ſimili adferam *num. 454.* eſt hæc, quia ſcilicet Conc. Trid. *Seſſ. 24. Cap. 1. De Reform. Matrim.* exigens præſentiam Parochi, ſatis in

procemio oſtendit, illa ſola Matrimonia clandeſtina à ſe irritari, quæ & erant antiquo jure prohibita, & dant occaſionem deſerendi legitimam uxorem, atqui lex antiqua nunquam prohibuit illa, quæ coram Parocho facta conſolidantur privatim, ob defectum occultum, neque hæc dant occaſionem deſerendi priorem uxorem, quandoquidem ſimulator æquè tenetur in foro externo, atque ſi ab initio conſenſiſſet ſeriò, nam ne quidem juranti credendum eſt in foro *externo* adverſùs ea, quæ antè aſſeveravit. *Text. Cap. Per tuas. De probat.* & hîc alleganti ſuam fictionem non habetur ulla fides, niſi clariſſimis indiciis demonſtret, ſe ſimulatè egiſſe. P. Laymannus *De Matrimon. Part. 2. cap. 6.*

417 Licèt ergo P. Comitolus *Lib. 2. Reſponſ. Moral. quæſt. 120.* & apud Perez *loc. cit. Sect. 4.* Pontius *Lib. 5. cap. 6.* fortiter, multúmque probabiliter, poſt Gutierez, & alios, teneant, eſſentialiter hîc quoque requiri præſentiam Parochi, Teſtiúmque, id tamen meritò negamus. Quid ergo pronuntiandum de hoc

Caſu ferè Authentico?

418 *Lollia primaria fœmina cum viro primario nubit, animo à connubio diſſentiens, multos Annos in Matrimonio manent. Tanti flagitii conſcia crimen, cùm de peccatis confitetur, aperit, ego conſultus literas dedi ad P. Stephanum Tuccium Romanæ Pœnitentiariæ Rectorem, qui conſuluit Clementem VIII. à quo hoc tulit reſponſum, atque ad me Venetias miſit: Pontifex reſpondit, eſſe neceſſarium conſenſum utriuſque coram Teſtibus, & Parocho, admonito priore marito de Matrimonii nullitate, ſed ad vitandum ſcandalum diſpenſat, ut inter ſe ſecretò contrahant, renovato conſenſu, cum legitimitate prolis.*

419 Voco hunc Caſum *ferè* Authenticum, quia vix poteſt prudenter negari fides P. Paulo Comitolo *loc cit.* ita ſcribenti de illo, de ſe, déque P. Tuccio. Et certè oraculum tanti Pontificis foret apud me præ omnibus rationibus, atque autoritatibus Doctorum, niſi B. Pius V. teſte Navarro *cit. n. 70.* prorſus contrarium declaràſſet. Quare dicendum eſt, Clementem VIII. reſpondiſſe non ex cathedra, ſed ut privatum Doctorem, certè deeſt illi Reſponſo Clementis publicatio, ergo nos non ligat ſtrictiùs, quàm autoritas ejuſdem merè privata. Palaus *cit. §. 3. n. 5.* Et infrà *n. 454.* referam ejuſdem Pontificis Declarationem, non conſiſtentem cum hac.

420 Ex his petenda eſt ratio, cur Confeſſarium Laurentiæ appellaverim *n. 408.* æquo rigidiorem, poterat enim, ut rectè reſolvit Diana, ſequi minùs probabilem opinionem Comitoli, Pontii, & aliorum ſuprà *n. 417.* indicatorum, quòd ſcilicet conſenſus, quem poſtea præbuit Laurentia per copulam carnalem, non ſuffecerit ad revalidationem Matrimonii, utpote ſine præſentia Parochi, & Teſtium præbitus, imò quia Confeſſarius tenetur ſequi ſententiam pœnitentis probabilem, ut tradidimus *in Alphabeto Confeſſariorum Caſ. IV.* graviter deliquit in ſuo reſponſo, cùm præſertim non videatur Laurentia aut voluiſſe, aut ſine ingentiſſimis malis potuiſſe redire ad priorem maritum.

Fuit tamen excuſatus coram Deo, ſi fortè 421
nihil ſcivit de ſententia Comitoli, habens in memoria ſolam opinionem Navarri: cujus excuſationis neceſſitatem ut effugiat Confeſſarius, meminerit moniti, à me alibi traditi ex P. Leſſio, videlicet plurimùm expedire, aut etiam neceſſarium eſſe ad perfectè fungendum officio Confeſſarii, ut hic noverit, utrùm propoſitio contraria illi, qua ipſe eſt imbutus, reputetur pro probabili, necne. Porrò modos renovandi conſenſum, vel impetrandi propono *in Quinario Tract. 5. cap. 37. n. 134.*

Deducitur præterea ex dictis hactenus reſolutio ſequentium caſuum breviter indicata.

Primus eſt, qui refertur *Cap. Tua nos. De* 422
ſponſal. ubi *quidam finxit, ſe eſſe, & vocari Joannem, tantùm ut poſſet potiri copulâ alicujus mulieris, quæ nolebat ei carnaliter commiſceri, niſi eam ſibi deſponſaret, quam etiam fictè deſponſavit. Reſpondit enim Pontifex, ex tali facto conjugium non poſſe judicari, cùm defuerit conſenſus, ſine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale.*

Secundus eſt cujuſdam N. *qui per P. ſuum* 423
procuratorem contraxit fictè cum aliqua, & deinde aliam duxit, conſummavitque Matrimonium: Etenim Navarr. *Lib. 4. De ſponſal. conſ. 2.* rectè reſpondit, Matrimonium ſecundum valuiſſe in foro quidem *interno*, at *in externo* non habitum iri pro valido, ſed primum, eò quòd ſuam fictionem probare nequeat. Quare ad effugiendas pœnas decretas in contrahentes cum duabus uxoribus, accedendos ipſi fuiſſe Illuſtriſſimos Inquiſitores Urbis Romanæ, quibus ſi candidè confiteretur delictum, clementer caſtigatum iri ab illis, cùm ejus flagitium nondum eſſet deductum ad forum civile.

Tertius eſt, quem refert Diana *Part. 3. Tract.* 424
4. Reſ. 292. de quodam, *qui primùm poſt decem menſes à fictè inito Matrimonio conſenſit verè, at neſciâ, neque de novo conſentiente uxore. Reſpondit enim, nec novum illum conſenſum uxoris nec præſentiam Parochi fuiſſe neceſſariam.* Ego reſpondiſſem, fuiſſe tentandam impetrationem illius conſenſûs, ſi ſine gravi incommodo haberi poterat, vel confitendo ſuam fictionem, vel ſaltem dicendo: *Nonne me ita amas, ut, ſi nondum mea uxor eſſes, jam fieri velles?* Vide dicta *in noſtra Theolog. Jurid. Moral. cit. Cap. 37. n. 134.*

Quar-

Digitized by Google

425 *Quartus* illius Confeſſarii, qui putatitio marito mulieris, quæ ei fictè nupſerat, dixit (permittente ipſâ) fallò: *Matrimonium inter te, & tuam uxorem, fuit hactenus nullum, quia tua uxor erat initio Matrimonii ligata voto* (loquebatur hîc contra mentem Confeſſarius) *ſimplici caſtitatis Matrimonium dirimentis, nunc autem obtinuit diſpenſationem, ergo valebit Matrimonium, ſi renovetur ab utroque.*

426 Ideo autem finxit illud votum, quia ſi ſciviſſet maritus, uxorem fictè contraxiſſe, forſan tractâſſet illam peſſimè. Reſpondit P. Comitolus *Lib. 1. Reſponſ. Moral. quæſt. 121.* rectè, *inprimis* Confeſſarium fallò ſuppoſuiſſe, quòd votum ſimplex Caſtitatis in ſæculo dirimat Matrimonium. 2. Valuiſſe illud Matrimonium, poſtquam maritus, audito Confeſſario, & fide habitâ ejus verbis, renovavit conſenſum priſtinum, eò quòd error, quem ingerebat falſa narratio Confeſſarii, non fuerit cauſa renovationis, renovavit enim propter plures proles, quas ſuſceperat ex illo Bertha, & quia divortium excitâſſet diſcordias magnas inter nobiliſſimas familias, & denique, cùm id, quod pro Impedimento obtendebatur, eſſet occultiſſimum, ejus allegatio non induxiſſet judicem ad dirimendum contractum ſolenniter initum.

Locum Caſûs *quinti*, huc apprimè facientis, obtinebit ſequens

Caſus Intactus.

427 **L***Inus mentitus non ſemel nomen, cognomen, patriam aliam à ſua, ducit ſolenniter Liviam, ſed ſublato clam hujus peculio ſtatim tertio à nuptiis die valedicit Liviæ his verbis*: Pro certo habe, me jam eſſe ultimò viſum à te, nec ampliùs à te videndum. *Quatuor hebdomadis poſt diſceſſum incidit alibi in eum civis Liviæ, & ita commodè, ut impediverit alias nuptias, quas Linus jamjam parabat cum alia. Quin fama fert, eundem Linum jam bis, térve iniiſſe ſolenniter Matrimonium cum aliis, quas etiam nequiſſimè paulo poſt illum contractum deſeruerit. Jam fluxére Anni undecim, ex quo ita turpiter impoſuit Liviæ, vivátne adhuc, an jam vixerit, reſcire nequit ipſa: petit tamen nubere alteri, tum quia eſt veroſimile, Linum non eſſe ampliùs ſuperſtitem, tum vel maximè ideo, quòd tot fraudes Lini, ac circumſtantiæ nuptiarum cum Livia, diſceſſúſque ab ea ſuppeditent magnam præſumptionem, quòd planè non niſi fictè contraxerit cum ipſa, ut videlicet haberet acceſſum ad ejus peculium, idque harpagaret. Quæritur igitur, an ſpes ſit, fore, ut Reverendiſſimus D. Vicarius Generalis, intellectis hiſce rationibus, permiſſurus ſit tranſitum ad ſecunda vota?*

Eſt hoc compendium literarum ad me ea ſuper quæſtione die 9. Jan. Anno 1662. ab uno, è noſtris Diœceſanis Parochis, Theologiæ, Canonúmque perquam perito, & in cura Paſtorali valde ſtrenuo ad me exaratarum. 428

Reſpondi ego, vix videri quidquam impetratum iri, ſicut re ipſâ nihil obtentum fuit. Nam ad credulitatem de obitu Lini quod attinet, non ſuppetit ullo modo ea certitudo *moralis* de illo obitu, quam exigi pro tranſitu ad ſecundas nuptias, demonſtravi *in Tract. præced. Caſ. XIV.* & quam poſtea requiſivit Clemens X. *in Inſtructione* poſitâ in fine hujus Tractatûs. 429

Quod ſpectat verò ad fictionem, eſt tam vehemens, & juridica præſumptio, eam abfuiſſe ab illo actu ſolenni, ut debeat id Matrimonium haberi indubitanter pro ſyncerè celebrato, etenim contra contractum ſolennem ſecundùm formam juris initum nullæ valent præſumptiones, quantumvis ſint multæ, & magnæ, inquit Leſſius, in Caſu matrimoniali, etiam allegatæ ſimulationis, quem ex hoc autore non extra propoſitum deſcripſi *in citat. Tract. præced. Caſ. XVIII. num. 344.* certè præſumitur talis animus, qualia ſunt verba. Rom. *Conſil. 96. num. 4.* & ſtandum eſt pro ſinceritate illius actûs, donec *indiciis clariſſimis* probetur fictio. Laymannus *Lib. 5. cit. Tract. 10. Part. 2. cap. 6. num. 3.* Atqui indicia (ſi tamen indicia dici merentur) fictionis, quæ proponuntur, non ſunt utique clariſſima Facit huc textus *cap. Per tuas* deſcriptus ſuprà *n. 416.* 430

Adde, quòd, ſi ille Linus poſt deſertam Liviam contraxiſſet cum alia, nullus judex politicus, aut Eccleſiaſticus fuiſſet illi alleganti præteritam ſimulationem habiturus fidem, ſed ſupplicio capitis, aut alio graviſſimo luiſſet temeritatem in contrahendo ſecundo Matrimonio. Accedebat, quòd Linus probabiliſſimè (negâſſet enim ipſa, ſi verum non eſſet) copulam habuerit cum Livia, unde rurſum ſuppetit argumentum ad probandam ſynceritatem in contrahendo, nam jura præſumunt factum affectu maritali. 431

Objicies: *De homine malo ſemper malum præſumitur, ſaltem in eodem genere mali.* Farinac. *in pract. crimin. Part. 3. quæſt. 81. num. 37.* & DD. *in cap. Semel malus. De Reg. jur. in 6.* atqui Linus egit perfidè, ſeu fictè cum duabus, aut tribus aliis, ergo eſt præſumptio, quòd etiam cum Livia egerit meram ſimulatorem, & ſycophantam. 432

Reſp. Non fuit probatum *juridicè*, quòd re ipſa contraxerit ſeu *fictè*, ſeu *verè* cum ulla alia: etenim nullus teſtis idoneus habebatur, qui deponeret, illum aut tentâſſe, aut re ipſâ contraxiſſe alia matrimonia. Nam civis Liviæ erat ſolùm teſtis (iſque non juratus) de audi- 433

Digitized by Google

tu, & quidem non contracti, ſed ſolùm attentati alterius connubii, ſola autem fama teſtabatur de initis aliis duobus. Sed inprimis nec legitimè probabatur ea fama, nec fuiſſet ſufficiens ad probandum tantum ſcelus, licèt de ea legitimè conſtitiſſet, ſola enim fama nunquam plenè probat.

434 Confirmo dicta reſolutione, quam Leſſius *in Auctario*, Verbo *Matrimonium caſ.4.* dedit ad ſequentem

Caſum quintuplicis dubii.

Cajus negat, ſe verè conſenſiſſe in Matrimonium cum Agnete, ſéque affectu maritali cum ea conſummâſſe. Quare relictâ Agnete, ducit Bertham, Agnes verò ducit Titium. Quæritur 1. An Agnes poſſit petere, & reddere debitum Titio? 2. An Cajus poſſit petere, & reddere debitum Berthæ? 3. An Cajus, ſi verè, & à parte rei ſibi conſcius ſit, ſe fictè cum Agnete contraxiſſe, poſſit manere cum Bertha? 4. An Cajus teneatur redire ad Agnetem, ſi illa, dimiſſo Titio, eum repetat? Et 5. An aliquid Cajus debeat Titio, ſi ei aliquid damni ex contractu cum Agnete obvenerit?

435 Reſpondet P. Leſſius ad 1. non videri dubitandum, quin hoc Matrimonium Caji cum Agnete ſit cenſendum omnino validum in utroque foro, neque poſſe cadere in illud ullam diſpenſationem, qua ſeparentur vinculo, cùm ſit conſummatum, neque Agnetem meritò dubitare poſſe, quin verè conſenſerit, & affectu maritali conſummârit, etiamſi publicè duxerit Bertham.

Ad 2. Non poſſe reddere debitum Berthæ, cùm *moraliter* certum ſit, prius Matrimonium eſſe validum.

436 Ad 3. Si tamen ſciret, ſe fictè contraxiſſe, & non ratificâſſe per copulam priùs Matrimonium, poſſe tutâ conſcientiâ remanere cum Bertha, Agnetem verò debere nihilominus diſcedere à Titio, eò quòd *moraliter* ſit certa de valore prioris conjugii, proinde Titium debere conſequenter recedere ab Agnete, ſi intelligat, eam fuiſſe nuptam Cajo, nihil alleganti, quàm fictionem.

437 Ad 4. Cajum teneri redire ad Agnetem, ſi hæc illum repetat, aut certè debere reſarcire ipſi damna, quæ fortè adiit ratione præteritæ fictionis.

438 Ad 5. At verò eundem Cajum non eſſe titulo juſtitiæ obſtrictum Titio, cùm neque vi, neque fraude, aut conſilio, induxerit ad accipiendam Agnetem.

Ita ferè Oraculum Belgicum, cui adæquatè ſubſcribo, ſi ponamus, Cajum non fuiſſe certum, quòd affectu fornicario cognoverit Agnetem, ſi enim eſt certus tum de ſua fictione in principio: tum de iſto affectu nequaquam maritali, ſed ſolùm fornicario, conſequenter eſt certus de nullitate contractûs primi, certus de valore ſecundi, & idcirco non deberet, nec poſſet admittere Agnetem ad conſortium maritale.

At *Judex Eccleſiaſticus, compertâ hac diremptione, urget illum cenſuris, ut redeat ad Agnetem?* Reſpondet S. Thomas *in Supplem. quæſt. 45. a. 4. ad 3. Debet potiùs excommunicationem ſuſtinere, quàm ad primam uxorem accedat, vel debet in alias regiones externas fugere.* Vide etiam Laym. *cit. cap. 6 num. 3.* 439

Quæres autem, *quibus rationibus, argumentis, indiciis &c. probari queat, aliquem ſolùm fictè conſenſiſſe?* 440

Reſp. à P. Thoma Sanchez *De Matrim. Lib. 2. Diſp. 45.* referri, & ſimul approbari ſequentia.

I. Sola aſſertio viri affirmantis, ſe ſolùm fictè conſenſiſſe, etſi juramento firmata, per ſe non ſufficit ad credendum ipſi. Sanchez cum aliis, *num. 3.* jámque probavimus ſuprà *num. 430.* 441

II. Ea certitudo requiritur, & ſatis eſt, ut poſſit credere mulier, & aliud inire Matrimonium, quæ virum prudentem certum *moraliter* redderet de ficto conſenſu. Idem *num. 4.* poſt Navarrum, Silveſt. alios.

III. Unde infert *num. 6.* eſſe ſufficientem conjecturam, ſi vir ſtatim, ut protulit formam matrimonialem, aſſerat, ſe non ſeriò protuliſſe, & vel maximè, ſi poſt hanc aſſertionem ita propè factam mox ineat aliud Matrimonium, ut ſubdit *num. 7.* poſt Navarr. *cap. 22. Enchir. num. 76.* Roſellam, & alios: aut ſi vir ſit longè diſparis conditionis, ut prudentis judicio vix credi poſſit, eum illam duxiſſe, tunc enim creditur ipſi aſſerenti fictionem. Sanch. *n. 8.* aut ſi poſt intervallum temporis ſimiliter aſſerat, ſe ſimulâſſe, idque jurejurando, & ſit vir honſtæ vitæ, atque vel aliam ducat, vel Ordinem Religioſum, aut Subdiaconatum ſuſcipiat. Sanchez *num. 9.* poſt Navarr. *loc. cit.* & alios, aut ſi mulier bonæ famæ neget, ſe præſtitiſſe verum conſenſum, veriſimilibus conjecturis metum patris comprobans. Sanchez *num. 10.* poſt Dom. Sotum, aut ſi uterque fateatur, ſe fictè conſenſiſſe. Sanch. *num. 15.* poſt Palud. 442

Hæc omnia, etſi non nego eſſe probabilia propter autoritatem, non tamen admittuntur vel à Leſſio negante, dandum eſſe locum præſumptionibus, quantumvis multis, & magnis adverſùs valorem ſolennis contractûs. Suprà *num. 430.* vel à Laym. *loc. cit.* requirente *clariſſima indicia.* 443

Quia verò neque Sanch. neque alii conjecturis, aut indiciis fictionis huc facientibus annumerant ſuſpicionem de uno, alteróve Matrimonio priùs, aut poſtea fictè inito, eam ob 444

rem

rem Caſum *num. 417.* allatum meritò nuncupavi *Intactum.*

445 His pro complemento adde breviter hæc duo. I. Licèt ponamus, certitudinem moralem de ſimulatione haberi ex factis relatis à Sanchez non tamen ideo fas eſt propriâ autoritate diſſolvere primum Matrimonium, & tranſire ad alterum, etenim periculum manifeſtum publici ſcandali id vetat. Sanchez *loc. cit. num. 13.*

446 II. Quando ſponſus, *e.g.* ante ipſum contractum matrimonialem proteſtatus eſt, nolle ſe per quæcunque verba à ſe dicenda contrahere, poteſtque duobus Teſtibus probari hæc proteſtatio, tum eſt credendum ſponſo poſtea aſſerenti, ſe ſimulatè egiſſe in ipſo contractu matrimoniali. Joan. Andreas, & alii apud Sanch. *num. 17.* repugnantem *num. 19.* Ratio eſt, quia tunc habetur moralis certitudo de fictione.

Quin addo III. ob affinitatem materiæ reſolutionem, quam hiſce lectis dedit ſedulus quidam Parochus ſui Capituli Ruralis Camerarius ad hunc

Caſum duplicis quaſi fictionis.

Cum videlicet Bertha ligata Matrimonio, quod cenſebat eſſe legitimum, nihilominus nupſit alteri. At poſtmodum intellexit eadem, ſuum primum maritum fuiſſe obligatum alteri legitima conjugi, tunc cùm copulabantur; hanc autem interea eſſe mortuam. Sciſcitabatur ergo ex illo Parocho, quid ſibi faciendum eſſet, cùm nequiret ſine maximo incommodo diſſolvere hoc ſecundum Matrimonium, & efflictim amaretur à ſuo putatitio marito, & tamen unus, altérve Confeſſarius imperaret divortium.

Reſpondit is, ſufficere, dummodo ratificationem impetraret, vel ratificaret ipſa eo modo, quem indicavi ſuperiùs *num. 514. & ſeq.* quia non poterat aliter ſine ſuo magno probro.

Sed ecce Caſum priori conſimilem, & ſimiliter ſcripto propoſitum. *Cùm videlicet Caja ſoluta omni lege Matrimonii nupſit Gandolfo ignorans, hunc eſſe jam devinctum alteri legitima uxori, permanente autem hac ignorantia, nihilominus pertaſa Matrimonii putatitii profugit ab hoc, & nuptias celebravit cum Titio viduo ſimiliter ignorante ſuperſtitem eſſe Gandolfum. At paulò pòſt cognoſcit Caja, & Gandolfum habuiſſe tunc, cùm celebrârunt in facie Eccleſiæ nuptias, aliam uxorem: & hanc interea certò certiſſimò extinctam. Quid agendum fuit Caja, quæ & nequiret ſine probro, gravique pœna recedere à Titio, & ab hoc ipſo Titio efflictim amabatur?*

Quidam itidem Parochus, lectis iis, quæ in hoc *XI. cap.* ſeu Caſu partim inſertivè, partim relativè dixi, reſpondit denique Cajæ, illam ſatiſfacturam ſuæ conſcientiæ, ſi occaſione quæſita, vel ultro data diceret ſuo Titio: *Nunquid ita me amas, ut non modò nunquam me deſerere velis, ſed etiam ducturus eſſes, ſi me nôſſes, ut nôſti, & alia uxore careres?* Quæſiit poſtmodum ex me ille D. Camerarius, quid cenſerem de hoc ſuo reſponſo? Reſpondi & illud mihi probari, & operæ pretium futurum, ſi perſuadeat nonnullis è ſuis Capitularibus, ut loco otii vitia foventis legant, perlegant, tam varios practicos eventus, quos propono in hoc & ſuperioribus Tractatibus.

MATRIMONII CONDITIONATI RATIO.

CASUS XII.

Planè Novæ Quæſtionis.

SUMMARIUM.

Caſus Matrimonii conditionati non bene reſolutus, 447.

Conditio propriè quid ſit? 449.

Nullum Matrimonium eſt propriè conditionatum. 451.

Copula ſecuta Matrimonium non eſt ſignum receſſus à conditione præcedente illud. 452.

An Parochus teneatur intereſſe purificationi conditionis de futuro, ſub qua fuit coram ipſo celebratum Matrimonium? 453.

An conditio non purificata ſuſpendat, aut potiùs irritet Matrimonium? 457.

Quatenus conditio turpis, aut impoſſibilis adjecta Matrimonio habeatur pro non adjecta? 462. & ſeqq.

Sitne turpis hæc conditio teſtamentaria? Lego filiæ meæ mille aureos, ſi nupſerit, ducentos, ſi non nupſerit? 469.

Et illa: Lego meo filio quinque millia, ſi manſerit in ſæculo, bis mille duntaxat, ſi fuerit ingreſſus Religionem? 470.

Aſſiſtens contractui matrimoniali ne permittat adjici ei conditionem. 473.

Macrobius dicit Marcellæ: Si ſis virgo, te ducam uxorem, ſi verò non ſis virgo, Matrimonium noſtrum nullum eſto. 447 *Poſt vero contractum, & conſummatum Matrimonium undecunque deprehendit Macrobius, Marcellam non fuiſſe virginem. Quæritur nunc, utrùm iſte error qualitatis per modum conditionis appoſitus ſit Impedimentum dirimens? Fuit mihi hac de re acris diſputatio cum uno, ex R.V. nuper diſcipulis, nunc ſacerdote, qui faſſus eſt eſſe Impedimentum tantùm dirimens Matrimonii Rati, non autem Conſummati, opinans, eſſe Impedi-*

pedimenta dirimentia Rati, non autem Conſummati Matrimonii. Rogo itaque Reverentiam Veſtram, dignetur mihi perſcribere ſuum de hac diſtinctione animi ſenſum &c.

448 His, pluribúſque aliis verbis fuit ad me 15. Octobris. Anno 1662. à quodam Parochiali Cooperatore exarata hæc controverſia, cujus occaſione exhibebo hîc, aut remiſſivè indicabo, quæ de conditionibus Matrimonio adjectis veroſimiliùs tradunt DD.

Suppono autem ex alibi dictis breviter ſeqq.

449 I. Nomine *Conditionis* hîc intelligitur circumſtantia, ſeu qualitas, aut accidens, quibus contractus, ſeu diſpoſitio ſuſpenditur, donec aliud in futurum eveniat. Suprà *numero 145.* Suſpenditur, inquam, vel quoad ſuum eſſe, ut fit in contractu ſub conditione de futuro, vel quoad uſum, ut fit in contractu ſub conditione de præſenti, aut præterito. Licèt enim Matrimonium ſub hujuſmodi conditione initum revera perfectum jam ſit, ſi tum adſit, aut adfuerit conditio, ſub qua eſt initum, non tamen eſt permiſſus ejus uſus, donec aliquid in futurum eveniat, donec, inquam, cognoſcatur adeſſe, ſeu adfuiſſe illa conditio: Illud enim verbum *eveniat*, quo in deſcriptione Conditionis utitur P. Ferdinand. Rebellus *cit. num. 145.* à nobis relatus, debet reſpectu conditionum de præſenti, aut præterito ſic intelligi, alioqui definitio non reciprocaretur cum ſuo definito. Quæ ſint autem conditiones de præſenti, præterito, aut futuro, explicavi ſuprà *num. 146.* ſicuti & quæ turpes, repugnantéſve bonis moribus aut impoſſibiles.

450 II. Licèt multi Theologi dicant, has, aut illas conditiones de futuro adjici Matrimonio, hæc tamen locutio eſt impropria, propria autem, qua dicuntur adjici ipſi conſenſui in Matrimonium. Rationem attuli *Parte I. hujus Alphab.* ſeu *Tract. praeced. Caſ. V. num. 137.* cum Sanchez *Lib. 5. Diſp. 1. num. 5.* addens tamen, me etiam communiter uſurum illâ impropriâ phraſi.

451 III. Ibidem *num. 138.* probavi, licèt jura non vetent, ne adjiciantur Matrimonio conditiones de futuro honeſtæ, attamen ejuſmodi adjectionem non eſſe à Parocho permittendam, niſi ob valde gravem, & ſpecialem cauſam. Certè illa adjectio eſt inuſitatiſſima, eámque ob rem ero brevis in diſſertatione de hac materia, quia ſector Practica, quibus dirigendis inſerviet memoria Caſûs cujuſdam

452 Coſmi, qui, ut retuli *in Tract. praecedente Caſ. V. num. 140.* poſt multiplex commercium carnale habitum cum Anna, quam duxerat ſub conditione, ſi eſſet legitima, deprehendit, eſſe illegitimam, ob cujus conditionis defectum Fagnanus, ut ibidem retuli, meritò judicavit, id conjugium fuiſſe ab initio nullum, fuiſſe quoque nullum, etiam poſt conſummationem, uti ſubdit *num. 22.* eò quòd non cenſeatur quis per hunc actum recedere à conditione de præterito, vel de præſenti, ſed ſolùm de futuro, ſiquidem conditio de præterito non eſt propriè conditio, ideóque actus non manet in ſuſpenſo, additque hic Doctor, hanc reſolutionem eſſe omnium, omnium, inquam, ſuppoſito, ut ſupponitur in ſpecie facti, quòd Coſmus ante ipſam conſummationem ignoraverit adhuc illud vitium natalium, ſi enim ejus notitiam fuiſſet nactus poſt ipſum quidem contractum in facie Eccleſiæ celebratum, at verò antequàm fierent una caro per conſummationem, tum ſicut generalis doctrina fert, eum, qui ſponſalia contrahit ſub conditione de præterito, aut præſenti, recedere tunc ab hac, quando intellecto, eam non adeſſe, vel actu cognoſcit carnaliter ſponſam, ut vult P. Sanchez *Lib. 1. De Matrim. Diſp. 26. num. 12.* vel parat ſe ad cognoſcendam, ut mavult, & rectiùs quidem P. Martin. Perez *De Matr. Diſp. 12. ſect. 4. n. 13.* ita fortè nonnemo cenſebit, Coſmum fuiſſe cenſendum receſſiſſe à conditione de legitimitate, ſi illegitimitatem comperit ante conſummationem, quòd ego quidem arbitror eſſe probabile, non tamen inde ſequitur, fuiſſe Matrimonium revera confectum, niſi huc transferamus, ſicut omnino transferri poteſt, ſententiam, quam ſuprà *Caſ. XI. num. 415.* ſecuti ſumus, quòd ſcilicet, generatim loquendo, quando contractus matrimonialis celebratus coram Parocho, & Teſtibus, fuit ex quocunque capite invalidus, revalidari queat abſque præſentia Parochi, dummodo Impedimentum ſit ſublatum, quia tamen hæc opinio, quam paulò pòſt applicabimus Matrimonio inito ſub conditione, etiam de præterito, non eſt certa, idcirco ſuppeditat nobis præſens Caſus, quem Coſmus minimè exſpectabat, novam cauſam negandi, eſſe à Parocho copulandos, qui non niſi ſub conditione contrahere volunt, quia tamen nihilominus fieri poteſt, ut ſponſi vel coram Parocho, vel ſeorſim exprimant hanc, aut illam conditionem, ſub qua intendunt contrahere, ideo

Quæritur I. *Utrùm, quando contractui matrimoniali apponitur aliqua de futuro conditio honeſta coram Parocho, & Teſtibus, e. g. iſta*: Accipio te ex nunc in uxorem, ſi pater tuus procul diſtans conſenſerit poſt reditum. *Quæritur, inquam, utrùm, quando impletur, ſeu implebitur illa conditio, oporteat elicere novum conſenſum, & quidem coram Parocho, & Teſtibus?* 453

Reſpondeo cum communiore Canoniſtarum contra communiorem Theologorum apud, & cum Sanchez *Lib. 5. Diſp. 8. quæſt. 1. negativè.* 454
Ratio potiſſima eſt, quia ita declarârunt authenticè B. pius V. & Clemens VIII. teſte locupletiſſimo Proſpero Fagnano *in Cap. Super eo, De condit. appoſ.* ubi ad longum refert illas Declarationes, ac teſtatur *num. 3.* ita ſervari in Curia Romana, in qua eſt verſatiſſimus, ut proinde meritò ſequantur hanc ſententiam

poſt

Digitized by Google

poſt Sanchez è recentioribus Theologis Lugo *De pœnit. Diſp. 13. ſect. 5.* Caſp. Hurtad. *Diſp. 7. diff. 3.* Perez fuſè *Diſp. 16. ſect. 13.* Dicaſtillo *Diſp. 5. dub. 6. num. 69.* Et verò non exigi tunc præſentiam Parochi, deduces ex ratione, qua *Caſ. præced. num. 415.* oſtendi, Parochum non neceſſariò intereſſe revalidationi ficti Matrimo-
455 nii. Conſenſum quoque novum haud eſſe neceſſarium, probatur recepto Axiomate, quòd conſenſus conditionatus, poſitâ conditione, transeat in abſolutum. *L. Potior. 11. ff. Qui potior in pign. &c. hab. L. Hac venditio. ff. De contr. empt. ibi*: Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cùm impleta fuerit conditio. Ergo cùm dicis: *Te jam accipio in uxorem, ſi pater conſenſerit*, eſt perinde, ac ſi dicas. *Jam revera habeo conſenſum, ac voluntatem habendi te in uxorem, at nolo, ut effectus hujus conſenſûs exiſtat, priuſquam tuus pater annuerit; volo autem jam, & omnino conſentio, ut, quamprimum ipſe conſenſerit, ſis abſolutè mea uxor.*

456 Addit Sanchez *loc. cit. num. 24.* contra Coninck, Bonacin. *quæſt. 2. punct. 10. n. 22.* Hurtadum *cit. Diſp. 7. diff. 8.* Perez *loc. cit. ſect. 14.* non eſſe neceſſe, ut, quando illa conditio impletur, adſit Parochus, & Teſtes, aut his ſignificetur; qua de re fuſiſſimè P. Dicaſt. *loc. citat. toto. dub. 10.* inclinans in ſententiam Sanchezianam. Id ipſum negabit P. Sanchez de Matrimonio inito ſub conditione de præſenti, aut præterito, negabit, inquam, eſſe neceſſe, ut, quando cognoſcitur adeſſe, moneatur Parochus, & Teſtes.

457 Quæritur II. *An, quando honeſta conditio, ſub qua eſt contractum Matrimonium, non purificatur, dirimat, ſeu ſuſpendat Matrimonium duntaxat Ratum, an etiam Conſummatum?*

Hanc quæſtionem appellavi ſuprà *planè novam.* Omnes enim, quos legi, docent *ex Leg. Ita ſtipulatus. ff. De verb. oblig. abſolutè*, & ſine ulla diſtinctione inter Ratum, & Conſummatum, non impleri contractum matrimonialem, ſed permanere ſuſpenſum, donec impleatur conditio appoſita conſenſui in Matrimonium, & ita dicendum eſt re ipſâ. Ideoque ſi Macrobius noſter permanſit conſtanter in voluntate non habendi Marcellam pro uxore, ſi deprehenderetur non eſſe virgo, ſanè licèt ante illam deprehenſionem decies fuiſſet commixtus carnaliter cum ea, nullum ſeu Ratum, ſeu Conſummatum extitiſſet Matrimonium, ſed poſt illas tot copulas potuiſſet repudiare Marcellam, poſito, quòd poſt eas cognoviſſet,
458 certò fuiſſe ab alio corruptam. In dubio autem præſumendum eſt, illum, qui ante adventum conditionis cognoſcit carnaliter ſponſam, accedere affectu maritali, & non fornicario, adeóque recedere à conditione, ſeu velle, eam haberi pro non appoſita, eò quòd debeat de illa potiùs bonum, quàm malum præſumi. *Leg. Meritò. ff. Pro ſocio.* & conſequenter cognoſcere ſponſam affectu conjugali potiùs, quàm furtivo. Et hoc ſenſu poſſet utcunque ſuſtineri illa locutio, quòd ſcilicet defectus conditionis diremerit Matrimonium Ratum, quia nunquam extitit Ratum, non tamen diremerit, ſed potiùs ſuſpenderit Conſummatum.

Hic autem ipſe caſus confirmat doctrinam 459
ſuprà repetitam de non permittendo, ut Matrimonium ineatur ſub conditione, præſertim de futuro.

Foret quidem conforme doctrinæ P. Hurta- 460
di, & aliorum ſuprà *num. 456.* requirentium informationem Parochi, & Teſtium, de adventu, & impletione conditionis factâ, ſi ſponſi ante conſummationem Matrimonii aperirent iis, ſe nolle præſtolari impletionem conditionis. P. Sanch. tamen relatus ibidem negabit conſequenter neceſſitatem hujus informationis.

Porrò occaſione illius ſpecialis conditionis: 461
Si es virgo, quam exprimit noſter Caſus, obſervo, rectè à Sanch. *cit. Lib. 5. Diſp. 16.* doceri, illam conditionem: *Si te reperero virginem*, poſſe duplici modo intelligi. Primò: *ſi poſt diligentem inquiſitionem, aut factam à matronis inſpectionem cognovero, te eſſe virginem.* Secundò: *ſi in primo tecum concubitu deprehendero, te virginem eſſe. Primo* ſenſu licita eſt ea conditio, & proinde virginitatis defectus impedit valorem Matrimonii. *Altero* modo eſt turpis, quandoquidem allicit ſponſam ad faciendam poteſtatem ſui corporis, priuſquam ſit verum Matrimonium, ergo habetur pro non adjecta, ob rationem mox adferendam.

Quæritur enim III. *Utrùm conditio turpis,* 462
aut impoſſibilis adjecta contractui matrimoniali habeatur pro non adjecta, id eſt, perinde valeat contractus, ac ſi non eſſet appoſita, eſto re ipſâ non mandetur executioni?

Reſp. Hanc quæſtionem definiri à Gregor. IX. *in cap. fin. De condit. appoſ.* hiſce verbis: *Si conditiones contra ſubſtantiam conjugii inſerantur, puta, ſi alter dicat alteri*: Contraham tecum, ſi generationem prolis evites, vel: Donec inveniam aliam honore, vel facultatibus ditiorem, aut ſi pro quæſtu adulterandam te tradas: *matrimonialis contractus, quantumcunque favorabilis, caret effectu, licèt aliæ conditiones appoſitæ in Matrimonio, ſi turpes, aut impoſſibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.* Hactenus Pontifex.

Dicuntur illæ priores conditiones tres eſſe 463
contra ſubſtantiam Matrimonii, quia repugnant ejus naturæ, & fini, etenim prolis generatio, & educatio, perpetuitas conjugii, & fides conjugalis poſſunt ſpectari dupliciter. 1. Quoad obligationem. 2. Quoad actum. Sumpta quoad obligationem vel conſtituunt ipſum Matrimonium, vel ſunt proprietates inſeparabiles, ut proinde ſit impoſſibile, ſubſiſtere Matrimonium ſine obligatione *radicali* horum trium bonorum, conſequenter, qui dicit:

Digitized by Google

cit: *Duco te, ſi dederis te pro quæſtu adulterandam*, revera non contrahit, quia vult, uxorem non eſſe obligatam ſervare fidem conjugalem. At verò illa eadem tria bona ſunt utique quoad actum *ſecundum* ſeparabilia, nimíſque ſæpe ſeparantur à Matrimonio, nec obſunt ejus valori, ſicuti nec obeſt, ſi ineas Matrimonium cum expreſſa intentione adulterandi, aliámve ducendi, vivente primâ, ſecùs, ſi hanc tuam peſſimam intentionem deducas in pactum.

464 Itaque, ſi quis ſeriò adjiciat conſenſui matrimoniali unam ex illis tribus prioribus conditionibus, non ſubſiſtit connubium, licèt conſummetur poſt purificatam inquinatiſſimam illam conditionem. At verò ſi apponatur alia turpis conditio de futuro, cenſetur, illâ etiam non impletâ, perfici Matrimonium, quia jura in dubio præſumunt, fuiſſe adjectam non ſeriò, ſed joco; ſi tamen omnino conſtaret, fuiſſe appoſitas ſeriò, tunc non ſubſiſteret Matrimonium, niſi poſt impletionem earundem, nec enim poteſt Eccleſia efficere, ut ullum Matrimonium ſubſiſtat ſine vero aſſenſu, ſeu conſenſu. Perez *Diſp. 16. ſect. 3. num. 11.* ex communi, qualis quidem non adeſt, quando non elicitur, niſi cum & ſub conditione qualitatis à parte rei non exiſtentis.

Sed & Fagnanus *in cap. Si conditiones. num. 4. De condit. appoſ.* obſervat, quando una pars, alterâ vel tacente, vel contradicente, apponit conditionem contrariam ſubſtantiæ, valere Matrimonium, ſubſecutâ copulâ, eò quòd præſumatur, quòd illa prior pars voluerit exercere copulam legitimam, non autem fornicariam, ideóque receſſiſſe ab illa turpi conditione. An verò cenſenda ſit eſſe aut Matrimonio, aut honeſtati repugnans conditio, quam nonnulli elocantes ſuas filias quandoq; adjiciunt, cùm dicunt: *Colloco tibi meam filiam in Matrimonium, & ſimul hoc prædium, hanc arcem tranſcribo eâ conditione, ut ad me, meóſque filios redeant, ſi ex conjugio veſtro naſcatur maſculus*, viderint, qui tribunalibus præſident. Certè tametſi non videtur eſſe turpis, attamen adjicienda non eſt ſine cauſa graviſſima, propter metum ingentium diſcordiarum, quæ facillimè inter illuſtres familias emergere poſſunt occaſione hujus adjectionis.

465 Quod dixi de appoſitione turpium, dic & de impoſſibilium, cum hoc tamen diſcrimine, quòd conditiones, quæ ſciuntur eſſe impoſſibiles, non conſueverint apponi ſeriò, ſed joco, & quidem tali joco, quo oſtenditur animus alienus à contractu. Qui animus alienus, ſi verè adfuit, impedit contractum, quia Matrimonium ſolo contrahentium conſenſu perficitur. *Cap. Cùm loco. De ſponſ.* in dubio tamen præſumit jus, non fuiſſe illo joco indicatum animum alienum, ſed ſerio conſenſui ſuperadditum per facetiam, ac proinde nil obſtare, ut ſic, valori Matrimonii. Utrùm verò hæc de ipſomet Matrimonio doctrina extendenda ſit ad ſponſalia veſtita turpi conditione, dixi ſuprà *Caſu IV. num. 149. & ſeq.*

Hiſce de conditionibus turpibus, & impoſ- 466
ſibilibus, repugnantibúſve ſubſtantiæ Matrimonii, ſubjungo ex P. Perez *Diſp. 16.* ſequentia.

I. Ad conditiones repugnantes ſubſtantiæ Matrimonii reducitur conditio de procuranda ſterilitate: nunquam immittendo ſemine in vas fœmineum: procurando abortu, quia hæ omnes conditiones ſunt de evitanda generatione prolis *poſitivè*, at verò, quia conditio de nunquam reddendo, vel petendo debito conjugali repugnat ſolùm *negativè*, generationi prolis, ideo non vitiatur Matrimonium, etſi dicas: *Contraho tecum, ſi priùs te voto Caſtitatis adſtrinxeris, ut nunquam a me petas, neque reddas debitum.* Perez *loc. cit. ſect. 7.* quem etiam quoad hoc ultimum punctum ſequitur Dicaſtillo *Diſp. 5. num. 12.* poſt Paludan. Vaſq. Coninck, Pontium, Hurtad. alios apud ipſum. At diſſentit Sanchez *Lib. 5. Diſp. 10.* poſt Sotum, Henriq. alios permultos.

Equidem ſententia Pereziana facillimè, & 467
ad captum cujuſque explicat, quo pacto ſancta Virgo virginum, etſi voto Caſtitatis obſtricta, & alieniſſima ab omni cogitatione de uſu Matrimonii, potuerit nihilominus effici veriſſima ſponſa & uxor virginei ſponſi, virginei mariti. Vide dicta ſuprà *n. 397.* Ego hîc nihil definio.

II. Quando mas dicit fœminæ: *Contraho* 468
tecum, ſi mihi mille aureos attuleris, non eſt pactio, ſeu conditio turpis. Perez *ſect. 10.* poſt Sanchez *Lib. 1 Diſp. 33.* nam poteſt hæc ſumma exigi nomine dotis, aut pro ætatis, vel generis compenſatione. Unde *Cap. De illis. 3. De condit.* approbatur pactum, quo quis juratus dixerat fœminæ: *Accipiam te in meam, ſi tantum mihi donaveris.*

III. Quando Teſtator ſcribit: *Lego mille* 469
aureos Titiæ, ſi nupſerit: ducentos, ſi non nupſerit. habetur hæc conditio à Perez *cit. ſect. 10. num. 14. & 16.* pro non turpi. At ego cum Bartolo *in Leg. 2 ff. De iis, quæ pœn. cauſ relinq. num. 1.* ac plurimis aliis, quà Jureconſultis, quà Theologis, cenſeo eſſe turpem, quia & eſt expreſſè contra Deciſionem *Authent. De ſanctiſſ. Epiſc. §. Et hoc præſenti.* & revocat à ſequendis conſiliis Chriſti.

Unde propter has, aliáſque plures cauſas 470
ego unis literis Viennâ Auſtriæ ter rogatus meam ſententiam de hoc teſtamento: *Inſtituo meum filium A. hæredem decem millium ducatorum, ſi tamen fuerit profeſſus vitam Religioſam, volo illum eſſe contentum duobus millibus*, reſpondi, ejuſmodi teſtamentum non ſubſiſtere, ſed revera deberi illos decies mille Ducatos, ſeu Zichinos filio, tametſi vota ſolennia edat in Ordine capaci bonorum immobilium. Videri poteſt à curioſo Lectore Rolandus à Valle *Lib. 3. conſil. 35* per totum pulchre tractans hoc thema cum Michaële Beja in Caſibus. *Part. 1, caſ. 44. & in Append. Caſ. 66.*

IV. Con-

Digitized by Google

471 IV. Conditio illa: *Si Papa diſpenſaverit.* non eſt turpis, aut impoſſibilis. Perez *cit. Diſp. 16. ſect. 2.* at quo ſenſu, intelliges ex iis, quæ circa hanc conditionem, ſponſalibus ſæpe adjici ſolitam dixi ſuprà *Caſu IV. num. 160.* ſicuti & ibidem *num. 167.* explicavi ſenſum illius clauſulæ: *Si patri placuerit*, ſeu: Si *pater conſenſerit.*

472 V. Sicuti, qui ſub conditione de futuro duxit aliquam, injuſtè quidem, *validè* tamen ante eventum illius conditionis, contrahit indiſſolubiliter cum altera, ita, quando duas duxit ſub ejuſmodi conditione, valebit Matrimonium illius, cujus conditio eſt priùs completa. Sanch. *Lib. 5. Diſp. 8.* Dicaſtillo *cit. Diſp. 5. dub. 8.*

473 Plura de conditionibus conſenſui in Matrimonium ipſum adjectis non diſſero, quia, ſicuti jam monui ſuprà, nec ſolent hac ætate adjici, nec ullo modo debent tolerare aſſiſtentes Matrimonio, niſi in caſu neceſſitatis, ut probavi *Tract. præced. num. 158.* in quo eventu ſi exoriatur aliquod dubium, facilè id reſolvetur ex hactenus dictis. Et utique dicetur talibus conjugibus, peccaturos eſſe mortaliſſimè, ſi copulæ conjugali vacent, priuſquam ipſis conſtiterit, impletam eſſe conditionem, niſi fortè velint, ut ſuus conſenſus non pendeat ullo modo impoſterum ab exiſtentia illius. Sicuti & ſuperiùs *cit Caſu IV. ſect. 2. num. 164.* declaravi, uter conjugum teneatur operam dare, ut impleatur conditio diſpenſationis, ſub qua eſt fortè initus ille contractus. Denique his omnibus utiliter addes ea, quæ ſatis rara tradit P. Haunoldus noſter *De juſtitia Tract. 6. cap. 6. controverſ. 3.* ſingulariter *num. 350. & ſeqq.*

DENUNTIATIONUM MATRIMONIALIUM RATIO.

CASUS XIII.

Militaris.

SUMMARIUM.

Caſus militis volentis, ſi denuntiationes fiant, dimittere ſponſam impragnatam à ſe. 474.

Matrimonium dicitur quatuor modis clandeſtinum. 476.

474 *Neſtor miles juvenculam quandam poſt fornicationes in uxorem cupit ducere, imò & de facto cum ea ſponſalia jurat; deinde accedit Parochum puella, coram illo Matrimonium cupiens contrahere, ſed ſine denuntiationibus, ſibi enim ad caſtra redeundum citò eſſe aſſerit, vultque deſerere puellam potiùs, quàm expectare tempus denuntiationum. Quærebatur, an Parochus poſſet aſſiſtere talium Matrimonio, ut conſuleretur puellæ, quæ relinquenda eſt ab illo, vel in fornicationis ſtatu cum illo permanſura? Reſpondi, potuiſſe &c.*

Reſpondit omnino Marchantius, ſicut teſtatur *in Reſolut. Paſtoral. Tract. 8. cap. 1. num. 2.* 475 ſcribens, Caſum illum contigiſſe paucis diebus, antequam ſcripto mandaret. Rationem ejus reſponſi referam inferiùs, at præmiſſis tum aliis, tum hoc

Notando, quòd ſcilicet Matrimonium dicatur *clandeſtinum* quadrupliciter. 1. Si fiat 476 inſciis parentibus. 2. Si ſine Parocho, & Teſtibus. 3. Si ſine denuntiationibus. 4. Si ſine benedictionibus. P. Tannerus *Tom. 4. Diſp. 8. quæſt. 3. num. 103.* ex communi Theologorum, & Juriſperitorum. De *primo* modo clandeſtinitatis diſſerui *Caſu III. num. 110.* ubi notavi, errare Jure-conſultos nonnullos ratos Matrimonium initum, inſciis parentibus, eſſe irritum. De *ſecundo* modo eſt diſtinctè actum *Tr. præced. Caſu XVIII.* per totum, ergo reſtant explicandi *tertius*, & *quartus* modi. Quorum *tertius*, etſi potuit explicari ſtatim poſt diſſertationem de ſponſalibus, hic tamen non incongruè pertractatur, quia & denuntiationes debent quandoque fieri poſt jam contractum Matrimonium, & harum omiſſio efficit ſpeciem quandam accidentalem Matrimonii, ſcilicet clandeſtinum. Dividam autem enucleatam explicationem in tres Sectiones, quarum *Primâ* proponetur neceſſitas, & diſpenſatio denuntiationum: *Secundâ*, quis, ubi, quando eas facere debeat: *Tertiâ* obligatio manifeſtandi Impedimenta. Explanatio Benedictionum vindicat ſibi peculiarem Caſum, ſeu Caput adeóque proximum,

SECTIO I.

Neceſſitas, & diſpenſatio Denuntiationum.

Præmitto reſolutionibus trium ſequentium Sectionum Formalia Tridentini Concilii.

SUMMARIUM.

Textus Tridentinus de denuntiationibus? 477.

Confutatur latè Menochius contendens, denuntiationes eſſe nunc de ſubſtantia Matrimonii? 478.

Referuntur duodecim cauſæ diſpenſandi in denuntiationibus? 481. & ſeqq.

An, & quatenus Parochus diſpenſet in iis? 492.

Non peccavit Parochus, de quo eſt num. 474. actum? 496.

Digitized by Google

Quatenus peccet Parochus, omittens ſine cauſa unam, aut plures? 497.
Quam pœnam incurrat? 499.
Pœna conjugum omittentium denuntiationes. 500.
Qui Prælati diſpenſent in denuntiationibus? 503. *& ſeqq.*
Quid ſi ſponſi ſpectent ad diverſas Diœceſes? 505.
Quid ſi ſponſi vixère diu in occulto concubinatu, habiti tamen pro conjugibus? 506.
Appendix Apologetica pro licita omiſſione denuntiationum? 509.
Res conſilii *ſæpe* licitè *præferuntur rebus* præcepti. *Ibid. lit. f.*

477 *PRæcepit ſacra Synodus, ut impoſterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus feſtivis, in Eccleſia inter Miſſarum ſolennia, publicè denuntientur, inter quos Matrimonium ſit contrahendum.*

Quibus denuntiationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur Impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur: Quòd ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, Matrimonium malitioſè impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denuntiationes, tunc vel una tantùm denuntiatio fiat, vel ſaltem, Parocho, & duobus, vel tribus Teſtibus præſentibus, Matrimonium celebretur. Deinde ante illius conſummationem denuntiationes in Eccleſia fiant, ut, ſi aliqua ſubſint Impedimenta, faciliùs detegantur, niſi Ordinarius ipſe expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes omittantur, quod illius prudentiæ, & judicio ſancta Synodus relinquit.

Hactenus verba Tridentini Decreti *Seſſ. 24. cap. 1. De Reform. Matrimonii*, ad cujus *practicam* elucidationem

478 Quæritur I. *Quænam ſcienda ſint de denuntiationum neceſſitate?*

Reſp. Sequentia. I. Illæ ternæ denuntiationes nequeunt extra caſus, & cauſas referendas *num. 480. & ſeqq.* omitti abſque peccato gravi. Infrà *num. 497.*

At: *Earum omiſſio illicita officitne valori Matrimonii?* Officere, docet conſtanter doctiſſimus Jacobus Menochius, tum *conſil. 69. num. 70.* tum vel maximè conſilio *398. num. 14.* ubi reſolvit hunc

Caſum inter Dianoram, & Antoninum.

479 *QUi omiſſis, abſque legitima cauſa, denuntiationibus contraxerunt Matrimonium coram Parocho loci ruralis, in quo ſolebant non niſi aliquot menſibus commorari per annum, conſultus enim de valore hujus Matrimonii coram Rota Romana diſceptati reſpondit, non ſubſiſtere, tum propter defectum denuntiationum, tum propter abſentiam legitimi Parochi.*

Et verò hanc *ſecundam* cauſam quod attinet, ſolidiſſimum eſt reſponſum hujus Jureconſulti, ac meritò in ſententia definitiva Rotæ Romanæ ſtabilitum, ut videre eſt apud eundem *cit. conſil. 398. num. 54.* at verò, licèt Dominicus Bonſius, ac Cephalius apud eundem Menochium *num. 1. & 19.* reprobârint illud ipſum Matrimonium, etiam inducti primâ ratione Menochii, proindéque ſibi penitus perſuadeant hi tres DD. denuntiationes eſſe de ſubſtantia Matrimonii æquè, ac eſt Parochi præſentia, idque probet Bonſius eâdem fundamentali ratione, quâ Menochius, attamen inprimis certum eſt, hiſce Doctoribus repugnare tum omnes Theologos hujus ævi, quantùm poſſum obſervare ex iis, quos habeo, tum alios communiter Canoniſtas, ut videre eſt apud Barboſam *loc. cit. num. 28.* atque Sanchez *cit. Lib. 3. Diſp. 6.* quorum opinionem quia non ſemel ſecuta eſt Rota Romana, ut Diana teſtatur in ultimo fol. *Partis Decimæ*, imò & ipſa Congregatio Concilii, ut apud eundem itidem teſtatur graviſſimus Cardinalis Bellarminus, atque Gallemart *in cit. 1. cap.* Concilii, nec adfert Menochius, aut Bonſius argumenta, quæ non viderint, ponderârintque cum Joanne Gutierez *Pract. Quæſt. Lib. 2. quæſt. 5.* & Alexandro Trentacinquio *variar. Reſol. Lib. 3. Reſol. 1. De Matrim.* tot juris periti, qui poſt Menochium ſcripſerunt, ab eòque ſe diſſentire profeſſi ſunt, & inſuper Sanchez *cit. Diſp. 6. num. 4.* ſufficientiſſimè reſpondet ad ea, ideo non auſim probabilitatis *practicæ* calculo decorare opinationem trium illorum Doctorum. Accedit, quòd & ipſemet Menochius, atque alii plures fateantur, ſententias patrocinantes valori Matrimonii eſſe præferendas adverſantibus, & Leges correctivæ juris antiqui, irritativǽque debeant, quoad fieri poteſt, ſtrictè intelligi, denuntiationes verò ante Tridentinum Concilium nullo modo erant de ratione Matrimonii, ſicuti liquet *ex Cap. Cùm inhibitio. De clandeſt. Deſponſ.* Cur dicamus, eſſe poſt Tridentinum? præſertim cùm hæc Synodus tam diſertè, expreſſéque demat robur nuptiis celebratis ſine Parocho, ac Teſtibus, nihil planè, planè nihil expreſſè dicat de validitate, vel invaliditate contractarum ſine denuntiationibus?

Hæc ideo ſcribo ita reflexè, quia ſi verè eſſet probabilis doctrina Menochii, perſæpe diſſolvi poſſent Matrimonia, quæ hactenus pro indubitanter validis habita ſunt à privatis, publicíſque perſonis, ut quando (quod non rarò fit) eſt una omiſſa abſque rationabili cauſa, aut quando ipſemet Parochus ſecutus authori-

Digitized by Google

thoritatem nonnullorum Doctorum, referendorum infrà *num.492.&493.* vel VicariusGeneralis adhærens communi contra ipſummet Menochium, atque alios quoſdam infrà *num. 503.* diſpenſârunt in una, vel altera, aut omnibus, aut denique quando eæ ſunt peractæ diebus aut non feſtivis, aut non continuis, ut frequentiſſimè uſuvenit. Profectò ſi ejuſmodi Matrimonia evadant poſtmodum valde infauſta, pernicioſáque ipſis, & aliis, reperietur facilè Theologus, aut Juris peritus, qui perſuadeat Epiſcopo diſſolutionem. Quidni enim ſit fas, ob tam gravem cauſam pronuntiare ex probabili opinione contra valorem? Confirmatur inde communis ſententia, contra ſingularem Menochii, quòd ſit planè inſolitum, ſi non inauditum, quòd Eccleſia, vel Chriſtus Dominus permittant tam multiplices ob cauſas agi contra ſubſtantialia alicujus Sacramenti, quàm eadem Eccleſia permittit agi contra præceptum de denuntiationibus, quia videlicet eſſentialia entium etiam moralium, utpote imitantium naturalia, debent eſſe aut planè immutabilia, aut certè non facilè mutabilia, igitur non eſt veroſimile, quòd denuntiationes ſint de eſſentia contractûs matrimonialis. Eam ob rem meritò ſcribit Trentacinquius *loc. cit. n. 1.* non eſſe recedendum à noſtra doctrina, & Gutierez *loc. cit. num. 13.* eſſe cavendum ab opinione Menochii, utpote repugnante & praxi, & variis declarationibus, ut addit Trentacinquius, & ipſimet Concilio Tridentino, longè aliter loquenti de neceſſitate Parochi ac Teſtium, quàm de denuntiationum, ut notat Gutierez, tametſi uterque meritò tradat, tale Matrimonium eſſe propriè clandeſtinum, juxta *Cap. Cùm inhibitio. De cland. Deſponſ.* quamvis non quoad omnes effectus, eſto quoad pœnas clandeſtinitatis, qua de re vide etiam Henricum Wangnereck noſtrum *in cap. Tametſi. De clandeſt. deſponſ.*

His omnibus de hoc argumento lectis, & expenſis, reſolvit Curia Epiſcopalis N. non potuiſſe acquieſci petitioni Illuſtrium perſonarum poſtulantium, ut declararetur invalidũ, nullúmque Matrimonium, quod eorum quidam agnatus inierat cum fœmina multò inferioris conditionis, idque omiſſis, abſque licentia Ordinarii, omnibus denuntiationibus; etenim fuit judicatum, nihil probabilitatis practicæ tribuendum eſſe opinioni trium nominatorum jureconſultorum.

480 II. Poſſunt autem dictæ proclamationes omitti inprimis ob cauſam expreſſam verbis deſcriptis ex Concilio Tridentino, quando ſcilicet probabilis, ſeu prudens ſuſpicio eſt, Matrimonium malitioſè impediri poſſe. Impeditur autem malitioſè, ſi vel parentes impedituri ſunt in caſibus, quibus non habent jus impediendi, juxta dicta *Caſ. III. n. 105. & ſeqq.* vel alius ſit fallò objecturus, ſeu denuntiaturus aliquod Impedimentum, ſicuti indicat Barboſa *in cit. cap. 1. Concil. Trident. lit. y.*

III. Imò juſtam rationem omittendi ſub- 481
miniſtrant duodecim cauſæ ſequentes, quas ex Theologis & Juriſperitis collegit P. Sanchez *Lib. 3. Diſp. 9.*

1. Notabilis contrahentium pudor, ſeu verecundia, ob nimiam diſparitatem ætatis, conditionisve: ut ſi nobilis cum ignobili, dives cum paupere, ſenex cum juvene contrahere velit, inquit Navarr. *in Enchir. cap. 22. n. 70.* cum multis apud Sanchez *loc. cit. num. 3.* approbantem, & *n. ſequenti* ſubdentem cum Palud. & aliis hanc cauſam: *Quando utrique ſunt ſenes, pudétque eos, publicari Matrimonium.* At Tannerus *loc. cit. num. 129.* non admittit hanc cauſam, eò quòd non debeat denuntiationum pudere illos, quos non pudet conjungi matrimonialiter, & una vivere. At multa non deberent fieri, quæ fiunt.

2. Quando legitimè copulandi ſunt duo 482
concubinarii, qui vulgò habebantur veri conjuges. Sanch. *num. 5.* Nam hîc verecundia, & infamia concurrunt. Duos Caſus huc apprimè facientes retuli *in Tract. præced. Caſ. XVIII. num. 528. & 530.*

3. Quando Magnates volunt contrahere. 483
Sanch. *num. 6.* cum Palud. S. Anton. aliis, eò quòd tales ſint valde noti, & proinde, ſi eſſent impliciti Impedimento, non eſſet occultum. Unde infert Sanchez, generatim poſſe remitti denuntiationes, quoties non ſubeſt timor ullius Impedimenti.

4. Quando, denuntiationibus præmiſſis, 484
non poſſent benedici nuptiæ ob vicinitatem temporis, quo nefas eſt eas benedicere, ſatius enim eſt, omitti denuntiationes, quàm vel differri nuptias, cum periculo fornicationis, vel has celebrari ſine benedictionibus. Sanch. *n. 8.* poſt Henriq. & Rodriq. atque Marchantius relatus *Tract. 9. num. 17.* cum Mechlinienſi, & Leodienſi Diœceſibus. Quam doctrinam latè adverſus Stephanum à S. Paulo defendo, & explico *in Appendice* ad calcem hujus Sectionis.

5. Quando Matrimonium eſt publicè con- 485
tractum, ſed invalidè ob Impedimentum, quando enim revalidatur, nequaquam erunt repetendæ denuntiationes.

6. Quando timetur, ne conſanguinei impe- 486
diant Matrimonium. Navarr. *loc cit.* ſi videlicet injuſtè ſint impedituri, ut rectè limitat Sanch. *num. 10.* ad mentem Concil. Trident. ſuprà expreſſam. Si caſus eveniat, conſulatur Sanch. *loc. cit.* copioſè diſſerens, & enucleans hanc cauſam.

7. Quando parentes, vel tutor volunt, ut 487
virgo nubat indigno. Sanchez *num. 15.*

8. Quando ſponſo, aut ſponſæ valde expedit Matrimonium, timetur tamen, ne impediatur, ut quia ſponſa incipit aſpergi aliqua infamiâ, quæ creſcet, & repelletur ipſa, niſi ſtatim nubat. Sanchez *num. 14 & 15.*

9. Si repentinus caſus offerret rationem 488
contrahendi Matrimonium, ut ſi concubinarii

Digitized by Google

immineret pœna à judice; ad hanc quippe evadendam conducet, ut conjungantur, antequam plectantur, poterunt enim dicere, ſe eſſe veros conjuges. Sanchez *numero 16.* poſt Lopez.

489 10. Ob periculum animæ, ſi duo ſunt concubinarii, velintque in bono ſtatu vivere, adeóque contrahere; at ſi denuntiationes præmittantur, periculum eſt, ne rurſum commiſceantur carnaliter. Sanchez *num. 17.*

11. Ad vitanda ſcandala ob aliquam factionem, quæ vitari poſſint, ſtatim inito Matrimonio. Sanchez *num. 18.* poſt Barth. Ledeſmam.

490 12. Dum conſtitutus in articulo mortis vult ducere concubinam, ut legitimetur proles ſuſcepta. Sanchez *num. 19.* ex communi. Eſt enim hæc graviſſima cauſa. Imò etſi non ſit proles ſuſcepta, ſi tamen valde amet concubinam, ut decedat in amore potiùs conjugali, quàm fornicario, remittentur prudenter publicationes. Sanch. *num. 19.* poſt Navarr. Lopez.

491 Adde his cauſam *decimam tertiam*, quando ſcilicet conjungendi ſunt homines vagi, atque ignoti, ſicuti ſatis innuit Sanchez *cit. Lib. 3. Diſp. 15. num. 2.* Nam fruſtra denuntiantur tales, utpote quorum conditio ſit ignota hominibus loci, in quo volunt copulari.

492 IV. Communis quidem doctrina contra nonnullos fert, teſtibus Tannero *cit. quæſt. 3. num. 132.* atque Dicaſtillo *Diſp. 3. dub. 25. num. 263.* Parochos in nullo horum caſuum poſſe quidquam mutare, vel diſpenſare, & Conſtitutiones Synodales hujus Conſtantienſ. Diœceſ. *Part. 1. tit. 16. num. 8* ſic loquuntur. *In his denuntiationibus faciendis extra caſum malitioſæ impeditionis, Parochi, ſine Epiſcopi, vel Vicarii Generalis licentia expreſſa, non diſpenſent.* Sed inprimis Sotus, Lopez, Ledeſma uterque apud Sanch. *cit. Lib. 3. Diſp. 10. num. 26.* generatim dicunt, quando eſt juſta cauſa diſpenſandi, & tamen vel nequit adiri Epiſcopus, vel aditus negat irrationabiliter (at quis Parochum conſtituit judicem ſui Epiſcopi?) diſpenſationem, poſſe à Parocho omitti proclamationes.

493 Deinde rectiùs idem P. Sanchez *n. 27.* pronuntiat id ipſum caſu, quo Epiſopus tenetur diſpenſare, & tamen adiri nequit, ut quando bonum prolis, declinatio infamiæ, periculum inſtans peccati, juxta ſuperiùs dicta, diſpenſationem meretur, aut quando ſponſus eſt abiturus, deſerturúſque ſponſam, niſi ſtatim celebrentur nuptiæ. Barboſa *De Paroch. Part. 2. cap. 21. num. 25* cum Marchantio *loc. cit.* poſt Henriquez Reginal. Poſſevinum, alios apud ipſum, tametſi idem Barboſa *eod. n. 25.* Perez *De Matr. Diſp. 43 ſect. 3.* & plures alii nolunt admittere caſum malitioſæ impeditionis, quem tamen caſum admittunt expreſſè, & providè noſtræ Synodales Conſtitutiones, & idem Barboſa *in cit. Concil. Trident. num. 44.* quando Epiſcopus nequit adiri. Sicuti & praxis videtur admittere caſum concubinarii volentis in agone ducere concubinam. Certè admittit meritò, & expreſſè P. Laym. *Lib. 5. Tract. 10. Part. 2. cap. 4. num. 10.* ſicut & Barboſa *cit. numero 44.*

Ego cenſeo, eſſe in his omnibus caſibus ſtan- 494
dum conſuetudine cujuſque Diœceſis publicâ, & notoriâ, quando autem de ea nihil conſtat, poſſe in caſibus, quos dixi admitti à Sanchez Barboſa, ac Laymanno, Parochum procedere ſine denuntiationibus, non quidem diſpenſando, nec enim id juris permittunt ipſi authores citati, ſed declarando, Leges Canonicas de proclamationibus hîc & nunc non obligare, modò obſerventur hæc duo: *Primum*, ut Parochus ſit *moraliter* certus, nullum ſubeſſe Impedimentum, ideóque ſuaſit Marchantius *in Caſu Militari* ſuprà deſcripto, ut Parochus exigeret juramentum à ſponſis illis. *Alterum*, ut, 495
ſi poſſint poſt contractum matrimonialem, ante hujus conſummationem, utiliter fieri illæ proclamationes, non ſolùm fiant, ſed moneantur conjuges, ne utantur Matrimonio ante illas; patet quippe ex verbis Tridentini Concilii, eſſe ſupplendas poſt contractum, ſi nequivère præmitti.

Ex his deduces, Marchantium ſuprà *num.* 496
475. rectè pronuntiâſſe, Parochum, qui omiſit denuntiationes ante copulationem militis, dantis nomenclaturam noſtro Caſui Militari, haud peccâſſe, cùm & nequierit facilè adiri Epiſcopus, & imminerent peccata ex dilatione Matrimonii, & denique jurârint ſponſi, ſe carere omni Impedimento. Quo quidem juramento ſtare non debet Parochus, quando non eſt periculum in mora, aut ſubeſt ſuſpicio de perjurio, cùm ſcriptum ſit: *Nullus idoneus Teſtis in re ſua intelligitur. Text. Leg. Nullus. ff. De Teſtibus.*

Appendix Militaris

PRopoſui ſuprà *num. 474.* Caſum Militarem, propono nunc iſtam ex objecto

Quæſtionem Militarem

AN tolerandus mos, quo denuntiationes matri- a
moniales omittuntur in caſtris, aut ſtativis militaribus.

Scio eas fuiſſe proxima hyeme omiſſas alicubi ſolùm idcirco, quòd unus ex omnino primariis Officialibus bellicis aſſereret, belli omitti conſuêſſe. Ac reſpondeo, quandoquidem denuntiationes ſunt ſolùm juris poſitivi, huic autem derogari poteſt per longam conſuetudinem rationabili fundamento nixam, videri, poſſe locum dari huic ſpeciali conſuetudini, dummodo ipſæ partes jurent, nullum ſubeſſe impedimentum, præſertim ligaminis, aut fidei jam obligatæ alteri, ac præterea duo

teſtes,

Digitized by Google

teſtes, qui ſponſorum ſtatum nôrint, etiam deponant, à ſe nullum obicem ſciri. Quòd ſi nemo eos nôrit, tali caſu fruſtra eſſent futuræ denuntiationes, lex autem non obligat ad actum inutilem. Equidem hic mos ita inolevit, ut fuerit cauſa hujus

Inſoliti Caſus

b *Quo ſcilicet multorum ſtipendiorum Tribunus ſolutus jam juramento militari, ac domum reverſus, voluit in arce ſua cum Illuſtri, ipſe etiam Illuſtris, perſonâ abſque ullis denuntiationibus coram Parocho & teſtibus jam advocatis contrahere, cauſante autem Parocho denuntiationum neceſſitatem, miratus eſt ille Tribunus, ratus, illud quaſi privilegium militare favere militibus etiam poſt militiam. An revera favet?*

Reſpondeo: Minimè, conſuetudo enim juri contraria eſt ſtrictè interpretanda, neque de loco in locum, de ſtatu in ſtatum extendenda, & ceſſante cauſa, ceſſat effectus, cauſa verò cur in militia id permittatur, eſt, quia plerumque fruſtra eſſent illæ proclamationes, cùm plerumque nemo teſtari queat, hunc aut illum militem eſſe, vel non eſſe huic, aut illi impedimento obnoxium.

c Sed ecce: hiſce jam ab amanuenſi deſcriptis accipio literas à tribus Parochis Diœceſanis, meum judicium ſuper hac re matrimoniali requirentibus, ob tres caſus recentiſſimè oblatos ipſis, quorum alter diſertè teſtatur, quemdam P. Franciſcanum ſtrictioris obſervantiæ, fungentem officio Capellani Caſtrenſis, teſtatum fuiſſe, vigere, de qua diſſeritur, conſuetudinem, nec poſſe aliter fieri. Alter, iſque pereruditus, qui poſt longam deliberationem aſtitit tali Matrimonio, addit hæc formalia: *Dominus Officialis hujus urbis ſæcularis aſſeruit mihi: ſimiles acceleratas nuptias inter milites paſſim celebratas, ac receptas, imò eo ipſo die celebrari ſimiles in urbeculâ vicina, cujus Parochus eſt vir doctus, ſenex, longóque uſu verſatus, ac exercitus.*

Ita ille. Cujus teſtimonio, & relationi ſubnecto recentiores literas unius è noſtris Patribus, mihi probè noti, ínque caſtris ipſis plus triennio ſtrenuam, multúmque ab imis, & ſummis commendatam operam navantis militiæ Allatiam, Sueviámque tenenti, iis literis ad meam de argumento præſenti interrogationem 27. Septemb. hujus currentis Anni. 1675.

Hiſce Formalibus.

d „Quod attinet Matrimonia celebrata abſque denuntiationibus. Reſpondeo denuntiationes eo ordine, quo deſcribuntur à Tridentino, & fieri ſolent ternis vicibus in parochiis, non ſervari quoad milites in campo, ſed neque ſervari poſſunt; unde Capellanus legionis, ſive proprius ſive alienus ſit, accurato ſolùm utitur examine, actu tamen copulans præfatur ad adſtantes, ſe loco trinæ illius denuntiationis hac una ſupplere, ut ſiquis inter Neoſponſos noverit impedimentum quodpiam, dicat. Accidit autem inde, quòd frequentiſſimè contingat diebus Dominicis & feſtis fieri itinera, unde impoſſibile ſit ad divina colligere populum, & ſponſos denuntiare, ſed & tempore divinorum unus ſubinde, altérve Officialis ſolùm præſens eſt, gregariis vel vigilias vel aliud agentibus, unde poſſet contingere, ut intra dimidium annum non denuntiarentur trinis vicibus. Accedit, quòd legiones quædam Capellanum habeant, quædam non, & ſint ab invicem dependentes, quando ergo Capellanus alienus apud ſponſi, vel ſponſæ legionem denuntiabit? apud propriam autem legionem ſe habent per modum vagabundorum, & peregrinorum.

„Denique ubi ordo divini officii per ſe nequit ſervari, nequeunt etiam ſervari denuntiationes conſuetæ. Dixi ſuprà in *campo*, fortè in hibernis & urbibus, quando milites facilè congregantur, aliter agendum & diſcurrendum foret, quamvis neque tunc regulariter procedi poſſet cum militibus, tum quia nonnunquam ſubitaneus & inſperatus fit motus, (qualis erat Anno proximè elapſo in Suevia,) qui interrumpat denuntiationes, unde Parochus loci, dum proprius Capellanus, legionis deeſt, videtur tum agere debere, quod actu poſſibile ſit, una tantummodo facta denuntiatione in Parochia ſua vel nulla, non enim conſultum eſt, incopulatos dimittere, adeóque vix dari poteſt Regula certa, & ordinaria de militibus, cùm pro tempore, pro denuntiationibus requiſito, præſumi nequeat, & cæteroquin in certis caſibus denuntiationes excludantur. Frequenter habent Colonelli Capellanum, qui ſolumodo Colonello ſuo inſervit legendo Miſſam, & nullam exerceat curam paſtoralem erga legionem.„ e

Hactenus literæ, quibus nihil addo, quàm quòd exiſtimem, eſſe quidem diligentem operam dandam, ut, quoad fieri poteſt, obſervetur integrè Concilii Tridentini Sanctio, nec introducatur ulla in oppoſitum conſuetudo, ubi autem invaluit longævæ contraria, pro ratis habeantur Matrimonia juxta illam contracta, & referam me primum nuper interrogatum fuiſſe, an Parochus loci, in quo ſtativa habebat miles, validè aut licitè copulârit ſuam parochianam cum milite gregario abſque conſenſu Vice-Parochi, Capellani, inquam, ejus legionis. f

Reſpondi autem I. Utique validè, ſufficit enim ad valorem copulationis præſentia Parochi alterutrius Parochorum, ut docet uſus quotidianus, & notat Barboſa *De Paroch. cap. 21. n.45.* addens etiam valere, ſi Parochus mulieris aſſiſtat in Parochia viri, quamvis invito Parocho viri, refértque plurimos autores, quamquam

Digitized by Google

ſine dubio talis Parochus ſit prævaricator Canonis vetantis, ne quis alienæ parochiæ fines invadat. 2. Licitè quoque id officii præſtitit per ſe loquendo, utebatur enim ſuo vero jure, nec reor, eſſe conſuetudine inductum, ut quando legitimus Parochus unum è ſuis parochianis vult copulare cum alieno, faciat hujus alieni Parochum certiorem de ſuo propoſito, niſi quando, & quatenus id neceſſarium eſt ad cognoſcendum an hic alienus ſit liber impedimento Matrimonii vel abſolutè, vel cum tali, quamquam aberat hæc neceſſitas, ſi ſtetur lege Inſtructionis Clementinæ, de qua toties memini hactenus, & ſæpius meminero; ſiquidem ea ſtatuens de Matrimoniis vagorum, (his accenſentur milites caſtra ſequentes, ut etiam obſervat ille Pater Caſtrenſis, cujus literas hic exhibui) ſic loquitur §. 17. *Fides, aliáque documenta, quæ producuntur de partibus* (id eſt ex ſolo patrio aſpirantium ad Matrimonium) *non admittantur, niſi ſint munita ſigillo & legalitate Epiſcopi.* Verùm hæc Sanctio non eſt uſu recepta in hac Diœceſi, ſicut nec in ulla, ut reor, Germanica, ſiquidem eæ ſunt communiter tam amplæ, ut non abſque grandi moleſtia Ordinariorum, & fortè non minore ipſorummet ſponſorum obſervari poſſit hæc formalitas, ſufficiet ergo teſtimonium Parochi.

497 V. Parochus, omittens omnes prædictas denuntiationes abſque cauſa juſta, peccat graviter. RD. apud Barboſam *in cit. Cap. Trident. num. 28.* ſicut & ipſi contrahentes, & contractui intereſſentes. Barb. *De poteſt Epiſc. alleg. 32. num. 3.* cum aliis. Imò mortaliter. Sanch. *cit. Lib. 3. Diſp. 5.* ex communi contra Sotum, etenim idem Concilium Trident. *Seſſ 24. cap. 5.* conjuges, qui eas omiſerunt, vocat *temerarios contemptores*, & gravi pœnâ plectitur Parochus talis, ut paulò pòſt videbimus, & denique Sanchez *loc. cit. Diſput. 11.* Bonacina *quæſt. 2. punct. 6. num. 8.* Dicaſtillo *dub. 217.* & plures alii apud hos, contra Rodriquez & alios, damnant de mortali tales conjuges, quoties ante denuntiationes utuntur copulâ conjugali,
498 ſed & Taunerus *Diſp. 8. quæſt. 3. num. 24.* Perez *cit. Diſp. 43. ſect. 1. num. 7.* poſt Coninck *Diſp. 27. dub. 5. num. 51.* ac Pontium *Lib. 5. cap. 30.* damnant etiam mortalis Parochum, qui vel unicam negligit abſque neceſſitate aliqua. At P. Sanch. *cit. Diſp. 5. n. 7.* & P. Caſparus Hurtadus *Diſp. 5. diff. 18. num. 59.* ſolius venialis, quando eſt certus de abſentia omnis Impedimenti, grave veniale agnoſcit P. Dicaſtillo *Diſput. 9. num. 314.* Non verterem vitio Epiſcopo, qui talem graviter puniret, utpote agentem contra praxin communem, cùm præſertim hac ratione aperiatur delicatioribus via ad omittendam jam hanc, jam illam, attamen recentiſſimus Scriptor Stephanus à S. Paulo *in Theolog. Moral. Tract. 5. Diſp. 8. dub. 5.* habet opinionem Hurtadi pro probabili.

VI. Porrò *in cap. final. De clandeſt. Deſponſ.* 499
fertur ſententia ſuſpenſionis (ab officio, non autem à Beneficio) triennalis in Sacerdotem (non verò Diaconum) ſæcularem, aut Regularem (ſublata pœna excommunicationis lata in Regulares *in Clement. De privil.* ſic declarante Congreg. apud Gallemart. *in cit. cap. 1. Trident. n. 16.*) qui abſque denuntiationibus conjungit aliquos, quæ ſuſpenſio eſt ſententiæ ferendæ, non autem latæ, ut patet ex litera, à qua tamen pœna excuſantur non ſolùm, ſi conjungant juſta ex cauſa ſecundùm dicta ſuperiùs, ſed etiam quando id faciunt ex ignorantia, etiam craſſa, dummodo non ſit ita craſſa, ut ingens ſit temeritas. Ita Perez *Diſp. 43. ſect. 21.*

At verò ſi ſponſi indebitè negligant procu- 500
rationem denuntiationum, impetrando ſcilicet ob allegationem falſæ cauſæ remiſſionem earundem, jubetur *cit. cap. fin. De clandeſt. Deſponſ.* ut condigna pœnitentia eis injungatur, & ſicut ſuprà notavi, peccant mortaliter cognoſcendo ſe carnaliter.

Inſuper, ſi fortè laborent occulto Impedi- 501
mento dirimente, proles nata ex tali conjugio habetur pro illegitima. *cit. cap. fin.* cùm tamen fuerit habenda pro legitima, ſi non fuiſſent omiſſæ proclamationes. *Cap. Cùm inter & Cap. Ex tenore 14. Qui filii ſint legit.* Item cum talibus non diſpenſabit Pontifex, cognito Impedimento. Trident. Concil. *cit. Seſſ. 24. cap. 1. De Reform. Matrim. Non enim, inquit Synodus, dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facilè experiatur, cujus ſalubria præcepta temere contempſit.* Vide Palaum *Diſp. 2. punct. 13. §. ult.*

Et generatim pœnas in contrahentes clan- 502
deſtinè incurri à contrahentibus coram Parocho quidem, & Teſtibus, attamen abſque denuntiationibus, tradunt apud Barboſ. *in cap. 1. Trident. Concil. Seſſ. 24. De Reform. Matr.* Henriquez, Coninck, alii contra Molin. Hurtad. & alios, eò quòd tale Matrimonium habeatur pro verè clandeſtino, *cap. fin. §. Si quis verò, De clandeſt. Deſponſ.* Palaus *Diſp. 2. punct. 23. §. 6. num. 1.* De his pœnis nos *in Tract. præcedente. Caſu XVIII. num. 503.*

Quæritur II. *Quiſnam diſpenſet in Denun-* 503
tiationibus?

Reſp. Synodus Tridentina verbis ſuprà deſcriptis expreſſè permittit prudentiæ, & judicio Ordinarii, utrùm denuntiationes omittendæ ſint, necne. Nomine Ordinarii intelligitur 1. Epiſcopus, ut per ſe patet. 2. Saltem in Germania noſtra nomine Ordinarii venit hìc quoque, ſicuti ſæpiſſime aliàs, Vicarius Epiſcopi in Spiritualibus Generalis. Certè inter cæteras facultates, quibus gaudent Reverendiſſimi Domini Vicarii Conſtantienſes, exprimitur: *In denuntiationibus matrimonialibus diſpenſandi.* Imò in toto orbe debet hæc interpretatio habere locum. Barboſa *De poteſt. Epiſc. allegat. 32. num. 29.* cum plurimis Theologis, & Canoni-

Digitized by Google

nonistis contra Menoch. *De arbitr. Caſ. 453.* & alios. Ratio eſt, quia Vicarius talis eſt propriè Ordinarius. *Gloſſ. Verb. Generaliter in Cap. Romano. De appellat. in 6.* Unde *quoties aliquid Epiſcopo conceditur, perſona Vicarii eâdem diſpoſitione comprehenſa videtur.* P. Sanch. *Lib. 3. Diſp. 7. num. 10. & Diſp. 29. n. 15. & 16.* fusè. Quare ſicuti Epiſcopus poteſt facultatem diſpenſandi delegare alteri. Barboſa *loc. cit. n. 367.* ita etiam Vicarius, non tamen generaliter, ſed tantùm ſpecialiter. Barboſa *loc. cit. n. 30.*

504 3. Abbates quoque præditi poteſtate Epiſcopali, ut e. g. Reverendiſſimi, & Illuſtriſſimi Domini Abbates Sanctgallenſes, & Einſidlenſes, pollent hîc eâdem poteſtate, qua Epiſcopi. Barb. *citat. alleg. 32. numero 31.* extendens *numero 32.* cum aliis contra alios ad Abbates Commendatarios, ſi juriſdictio Epiſcopalis ſit annexa illorum Abbatiis. Aliud ſentiendum de Archiepiſcopo reſpectu Diœceſeon ſubjectarum ejus Suffraganeis. Barboſa *numero 34.* Declaratio, quam adverſùs Abbates, de quibus Barboſa, refert Gallemart *in citat. Cap. 1.* Tridentini *numero 9.* non videtur uſu recepta.

505 4. Sicuti autem non delinquunt hi, ſi diſpenſent ex quacunque cauſa juſta. Menochius, Riccius, Henriq. Rodriq. alii cum, & apud Sanch. *Lib. 3. Diſp. 8.* & Barb. *in cit. Cap. 1. Trid. n. 59.* ita remittendo ſine juſta cauſa, peccant mortaliter. Riccius, Spin. Suarez apud Barboſam *n. 60.* etenim Synod. Trident. non ſubjicit hanc rem eorum mero beneplacito, ſed *prudentia, & judicio,* ut liquet ex litera. Tredecim juſtas retuli ſuprà *n. 481.* quas neceſſe non eſt, ut Ordinarius cognoſcat judicialiter, ſufficit, ſi extrajudicialiter cognitas habeat. Sanchez *cit. dub. 8. n. 8.* cum aliis, & ipſamet praxi.

5. Quando contrahentes ſpectant ad duas diverſas Diœceſes, diſpenſat uterque, & ita quidem, ut ſi ſolùm unus diſpenſet, valeat ejus gratia pro utraque Diœceſi, adeóque vi hujus poſſit contrahi in Diœceſi alterius. Sanchez *Diſp. 7. numero 7.* Bonacina *Quæſt 2. De Matrim. punct. 6.* Hurtadus *Diſp. 5. diff. 19. numero 64.* etenim propriè dicetur diſpenſâſſe Ordinarius.

6. Epiſcopus non tenetur ſemper diſpenſare, quando *licitè* poteſt, ſed ſolùm, quando id exigit neceſſitas publica, vel privata, ob vitandum aliquod incommodum animæ, corporis, aut fortunarum. Tannerus *numero 130.* & alii.

7. Parocho non competere jure communi poteſtatem diſpenſandi propriè, jam monui ſuperiùs.

506 Ex his concludo, quid agendum fuerit in hoc

Caſu recentiſſimè propoſito.

In illo etiam hæreo: Par unum conjugum fictitiorum, qui tamen paſſim pro legitimis habebantur, vixerunt in concubinatu. Num petet Confeſſarius poteſtatem clandeſtinè illos, vel quibuſcunque Teſtibus advocatis, ſine denuntiationibus, copulandi? Sed hoc, & alia intelligam ex Alphabeto Matrimoniali.

Ita ad me inter reliqua ſcripſit è Bavaria 507
propè extrema 13 Novemb. Anno 1664. P. Adam Schiffer? vir Religioſâ ſapientiâ clarus, cui illo ipſo die, quo hæc exaro, reſcripſi, eſſe omnino reperturum *in Prima Parte hujus Alph.* ſeu *Tract. præcedenti Caſ. XVIII. num. 528.* Caſum omnino ſimilem huic, unà cum meo judicio de illo, & eventu ſecuto, interim ſi redeat pœnitens, debere cum ipſius facultate ſupplicari Domino Ordinario, ut, factâ diſpenſatione circa denuntiationes, det poteſtatem Confeſſario conjungendi eos coram duobus Teſtibus, nam, ut ſine Teſtibus conjungantur *validè,* fieri non poſſe ob rationes allatas in eodem *Caſu XVIII. n. 477.*

In iiſdem literis quærebatur, utrùm labo- 508
rantes Impedimento occulto, debeant ad Ordinarium ablegari, aut illorum loco à Confeſſario per literas conveniri, & diſpenſatio poſtulari? *Et quid ſi hic diſtet hinc remotiſſimè? Quid ſi obnoxii Impedimento, ipſummet nec convenire velint, nec poſſint?*

Reſpondi, quando adſunt conditiones, cum quibus poſſe Ordinarium diſpenſare in Impedimentis etiam dirimentibus, dixi *in Tract. præced. Caſ. XXI. num. 567. & ſeqq.* eſſe utique conveniendum, niſi ſit facilior recurſus ad alium, in quacunque Diœceſi habitent illi. Si verò deſit prima conditio, ſcilicet urgens neceſſitas, eſſe deſperandum de diſpenſatione, nam Sacra Pœnitentiaria Romana non diſpenſat, niſi ubi adeſt neceſſitas ob ſcandala, aut ruinam ſpiritualem, ut apparet ex communi Brevi, quod refero, ac minutim explico *in Theolog. Jurid. Moral. Cap. 37. Sect. 5.* Ad Datariam verò ſpectant ſoli Caſus notorii, eſt autem in iis literis quæſtio de ſolis caſibus occultis. Si deeſt altera conditio, ſcilicet impoſſibilitas quædam accedendi Sedem Apoſtolicam, aut delegatâ poteſtate præditum, utique accedendus eſt. Tertia, ſcilicet ut ſit occultum, ſupponitur in quæſtione adeſſe. Si quarta deſit, nimirum bona fides, habendus recurſus ad Pœnitentiariam, ut liquet ex Brevi communi, de quo paulò antè.

Quia verò pœnitentes habent communiter 509
juſtiſſimas cauſas, cur ipſimet non petant, ſeu ab Ordinario, ſeu à Papa diſpenſationem, ideo charitas Chriſtiana, & paterna ſuadet, perſuadétque, ut Confeſſarius ipſe, tacitis tacendis, poſtulet, ſicuti in ſimili tradit P. Quintannadvennas *Singul. Tract. 9. ſing. 11. n. 9.* & ego

Digitized by Google

ego hujus rei practicam exhibeo in *cit. Cap. 37. Sect. 5. ſubſect. 7. n. 281.*

APPENDIX APOLOGETICA ad Num. 484.

a VIdiſti, Lector, fuiſſe à me recenſitas ex Sanchez, atque aliis tredecim cauſas, ob quas poſſint abſque peccato omitti denuntiationes, intérque has tredecim cauſas poſitam *n. 484.* ex eodem Sanchez, Henriquez, & Rodriquez, iſtam tanquam ſatiùs præferendam, quando videlicet, ſi præmittantur denuntiationes, non poterunt ob vicinitatem Adventûs, vel Quadrageſimæ benedici nuptiæ, quæ doctrina ita movit ſtomachum P. Stephano à S. Paulo Carmelitæ, ut *in ſua Theol. Moral. Tract. 5. Diſp. 8. dub. 6. num. 54. edit. 3.* ſuſceperit eam oppugnandam diſcurſu, quem texuit triplici aberratione à vero, clauſit amariſſimâ cenſurâ, ſic enim ſcribit: *Sed quomodo hoc* (quod dixi de denuntiationibus *licitè*, aut ſatiùs omittendis ob benedictiones) *convenit cum eo, quod habet ille autor Caſ. 14. num. 561. ubi dicit, nec venialiter per ſe loquendo peccant conjuges non petentes ullam benedictionem, certè Synodus Tridentina, & Conſtitutiones Synodales noſtra utuntur ſolo verbo hortandi, non præcipiendi, unde exprimit Navarrus, poſſe abſque ullo peccato omitti. Dixerat autem* Caſ. 13. num. 497. *meritò: Parochus omittens omnes denuntiationes abſque juſta cauſa, peccat graviter, imò mortaliter. Etenim* Concilium Tridentinum Seſſ. 24. Cap. 5. *conjuges, qui eas omiſerunt, appellat temerarios contemptores, &c. Sed & Tannerus, ac Perez, poſt Coninck, & Pontium damnant mortalis Parochum, qui vel unicam negligit abſque neceſſitate. Quorum ſententia ita fixè inhæret, ut in fine* num. 498. *cum admiratione de me dicat: attamen recentiſſimus Scriptor Pater Stephanus à S. Paulo* in Theol. Moral. Tract. 5. Diſput. 8. dub. 5. *habet opinionem Hurtadi pro probabili, nempe eſſe ſolùm peccatum veniale, ſi Parochus omnes denuntiationes omittat, quando eſt certus de abſentia omnis impedimenti. Jam peto, quomodo his à ſe poſitis poſſit Gobat* Caſ. 13. num. 484. cit. *prudenter, aut conſequenter dicere: ſatius eſt, omitti omnes denuntiationes, quàm nuptias celebrari ſine benedictionibus. An ſatius eſt, omitti ea, quæ ſub gravi, imò ſub mortali peccato præcipiuntur obſervari, quàm ea, quæ ſine ullo peccato licitè omittuntur? An ſatius, inquam, eſt, omittere ea, quorum omiſſores à Tridentino vocantur Temerarii contemptores, quàm ea, ad quæ idem Tridentinum ſolùm hortatur, & non præcipit? Certè vel errat Tridentinum, vel Gobat, quin potiùs neceſſariò errat Gobat in uno, aut altero loco. Scio quidem, hunc Autorem* num. 562. *dicere, in locis, in quibus benedictiones ſolent adhiberi, cenſeo non poſſe ſine ſcandalo præteriri, ſed hæc nihil ad rem noſtram, in qua agitur de omittendis benedictionibus eo tempore, quo nefas eſt nuptias benedicere, ut loquitur ipſe Gobat.*

Hactenus criminatio P. Stephani in editione tam Anni 1664. quàm correctâ Anno 1669. b nihilo humanior eâ, contra quam me defendi *in prima Appendice*, ſeu *Tract. 1.* poſt *num. 102.* hactenus & poſtulatio, qua petit edoceri, quomodo *prudenter*, & *conſequenter* ſim locutus in locis, ex me fideliter ſimul, & non fideliter deſcriptis. Dico: *non fideliter*, utpote cum triplici aberratione à verò. 1. Quia ſcribit, me inhærere ſententiæ Tanneri, & aliorum, damnantium de mortali Parochum, qui vel unicâ denuntiationem omittit abſque cauſâ juſta. 2. Quia addit, me huic ipſi ſententiæ inhærere *fixè*. 3. Quia aſſerit, me ea, quæ de ipſo ſcribo *num. 498.* ſcribere *cum admiratione*. Horum trium nihil eſt veritati conſonum. Non *primum*, nec *ſecundum*, quia inaudita eſt in ſcholis hæc argumentandi ratio: Hic, aut ille Scriptor faſſus, peccari lethifere ab omittente omnes denuntiationes: totam Tertiam: totam Miſſam, addit ſimpliciſſimè: *Sed, & aliquorum judicio peccat mortaliter omittens unam denuntiationem: Tertia mediam, Miſſa quartam partes*, ergo idem Scriptor adhæret, & quidem fixè his aliquibus. Non *tertium*, quia etiam inauditum eſt in foris, & ſcholis hoc enthymema: Hic, aut ille Scriptor tenet, hanc, aut illam actionem eſſe juxta aliquos mortaliter malam, addens ſimpliciſſimè, ſeu ſine alio verbulo, ſignóve, hunc tamen, aut illum Doctorem (Stephanum à Sancto Paulo) habere eam pro ſolùm venialiter mala, ergo non ſimpliciter, ſed cum admiratione refert hunc iſtius unius Doctoris diſſenſum ab aliis.

Hanc Logicam, imò & Grammaticalem imperitiam vident, ridéntque omnes. Ego ajo, in primis Patrem Stephanum fuiſſe argumentaturum conſequenter ad ſuum, aliorúmque ſapientum genium, ſi intuliſſet: Ergo Gobat fixè adhæret mihi Stephano, habenti pro duntaxat veniali talem omiſſionem. Ratio quippe, ob quam plures DD. ajunt, hunc aut illum autorem adhærere huic, aut illi opinioni, eſt non rarò hæc ſola, quòd eam opinionem referat poſteriore loco, nec apertè refutet. Atqui ego ſententiam P. Stephani de veniali refero etiam poſteriore loco, nec refuto ullo modo.

Ajo deinde, me re ipſâ, & meritò mirari c illam ejus admirationem, quam exprimit *citat. Tract. 5. diſp. 4. dub. 13. num. 77.* his verbis: *Gobat aſſerit, bene refutari à Tamburino Palaum, damnantem de veniali illum, qui celebrat, Matutino nondum dicto, quo à ſe dicto* in Alphab. Sacrific. num. 388. *miror, eum immediatè ſubjungere ſequentem monitionem: Verùm ne ſequere hanc ſententiam ſine rationabili cauſa.* Ita Stephanus, planè mirandus, quòd miretur, d diſſuaderi à me. Religioſo præſertim homine, ſectationem (abſque rationabili cauſa) ſententiæ, & privantis diſpoſitione ad celebrandum cum majore devotione, minoréque peri-

Digitized by Google

periculo errandi, & habitæ à plurimis graviſſimis Theologis (eſto minùs probabiliter) pro venialiter, imò mortaliter illicita.

Sed hiſce parergis, ad quæ me compulit Stephanus, non ulteriùs preſſis, ne ſanguinem exprimam, venio ad caput accuſationis, criminationiſque, quo ſcribit, vel Concilium Tridentinum, vel me errare, imò me *neceſſariò* errare. Cur ita? quia ex una parte ſcribo, benedictiones poſſe *per ſe loquendo* omitti ſine peccato ullo, denuntiationes autem non poſſe abſque cauſa omnes omitti ſine peccato mortali, ex altera autem parte nihilominus cenſeo, eſſe, in caſu, quo ſunt neceſſariò omittendæ vel Benedictiones, vel denuntiationes, ſatius omittere has, quàm illas; hanc iſtarum propoſitionum combinationem cenſet Stephanus eſſe imperceptibilem, atque ſanctioni Tridentinæ irrefragibiliter contrariam.

e Verùm priuſquam Pater Stephanus ſcriberet, me *neceſſariò* errare alterutro loco, debebat expendere gravitatem eorum Theologorum, qui ante me fecerant (& quibus poteſt addi Hauckius *in Epinom. Verb. Denuntiationes n. 7.*) illam combinationem, hos ego non nomino Patri Stephano, quia memorem monere nolo. Debebat quoque conſiderare falſitatem fundamenti, quo nititur ejus imaginatio de incompoſſibilitate illarum duarum propoſitionum. Etenim illud fundamentum eſt neceſſariò vel hoc: *Nunquam licet actiones illas, quæ non niſi juſta de cauſa omitti poſſunt abſque mortali, omittere idcirco, ut obeantur alia, non præcepta, eſto ſint pernutiles, & religioſa, atque in conſilio.* Vel hoc: *Nunquam ſatius eſt, actiones illas priores omittere, quam his, ob incompoſſibilitatem omiſſis, poſteriores obire.* Atqui neutrum horum fundamentorum ſubſiſtit. Non *primum*, quia conſtat, ſæpe licere præceptorum humanorum etiam ad mortale obligantium obſervationem omittere ob cauſas ſub præceptum non cadentes, ut nôrunt omnes, quorum memoriæ inhærent cauſæ, ob quas *licitè* non obſerventur, quandoque leges de jejunio, Sacro audiendo, Breviario, vel abſolutè, vel ſine immutatione recitando. Non etiam ſubſiſtit *alterum* fundamentum, etenim etiam quandoque ſatiùs omittuntur hæc ipſa præcepta, ob actiones non præceptas, quàm obſerventur, ſi nequeant obſervari abſque jactura alicujus boni Spiritualis, aut etiam temporalis. Nam, ut aliis enumerandis ſuperſedeam, ſatius eſt, omittere feſto die Sacrum, quàm non vacare aliquibus ex iis operibus Charitatis, quæ recenſeo *in Alphabet. De Sacro audiendo, ſeu Tract. 5. Exper. Theol. Caſ. XX. Sect. 4.* & *licitè* præferri auditioni Sacri probo autoritatibus, rationibúſque ſufficientibus. Idem dic de nonnullis ex illis rationibus, quarum intuitu poſſe, vel omitti totum officium Canonicum, vel commutari unum in aliud, oſtendo in eodem *Tract. 5. Caſ. XXIII. ſection. 5.* & *in Triga Horaria* annexa eidem Tractatui *quinto Diſp. 3. num. 911. & ſeqq.*

Declaro autem hic tribus inſtantiis, ſuppeditatis à P. Bonagratia *in ſummula verb. Conſtitutiones num. 105. edit 3.* & ab ipſo P. Stephano *Tract. 5. Diſp. 4. num. 103.* f Nam prior expreſsè ſcribit, Religioſos commorantes in oppido, in quo Clerus ſervat unà cum Lutheranis conficientibus potiorem partem populi, vetus Calendarium, *laudabiliùs* agere (etſi non teneantur) accommodando ſe etiam veteri Calendario, quàm novo, verba ejus retuli ſuprà *Tr. 5. in Append. ad num. 101.* Poſterior autem, ſeu ipſuſmet P. Stephanus *loc. cit* excuſat à Sacro audiendo illos indiſcriminatim, qui aſſiſtunt infirmo, ſi alioquin timeatur detrimentum, vel incommodum infirmi.

Et utique perſæpe evenit, ut tales aſſiſtentes g non tantùm non peccent negligendo Sacrum, ſub mortali ex ſe præceptum, ſed etiam meliùs agant negligendo, eſto, non adſit ulla obligatio, ſed ſolùm ſuaſio ad præferendum Sacro miniſterium charitatis. Vide dicta *cit. Tract. 5. num. 502 & 503.* Idem Stephanus *n. 120.* deſcripſerat, atque *tacitè* approbârat mea verba, quibus excuſo à peccato adverſùs præceptum Eccleſiæ herum, qui quandoque ex charitate, aut *carnalitate*, per Annum domi remanet die feſto, ut faciat famulo copiam Sacri audiendi. Qui caſus facillimè veſtietur talibus circumſtantiis, ut herus non modò nullam pœnam in foro Dei, ſed potiùs laudem mereatur mittendo, ex mera charitate, pro ſe famulum ad Miſſam, eſto etiam in illis ipſis circumſtantiis poſſet eum non mittere ſalvâ conſcientiâ.

Hæ tres inſtantiæ junctæ iis, quæ ſcripſi ſu- h prà *Tract. 5. Caſ. XX. num. 515. & ſeqq.* manifeſtè evertunt fundamentum impugnationis, criminationiſque Stephanianæ. Eſt enim certum ex una parte, quòd Regulares teneantur æquè ſub mortali ſtare novo Calendario circa jejuniorum, feſtorúmque obſervationem: obligetur quoque vicinus infirmi, & herus alicujus vernæ æquè intereſſe rei divinæ quovis die Solis, ac tenetur Parochus denuntiationes præmittere copulationi matrimoniali, certum quoque eſt ex altera parte, eſſe ſolius *conſilii* in quibuſdam circumſtantiis approbandis ab ipſomet P. Stephano, inſervire ægro, cuſtodire domum, in bonum ſpirituale famuli, & tamen non defuturos doctiſſimos, piiſſimos (quibus lubens accenſeo P. Stephanum) Theologos, qui ſint intra, & extra confeſſionale pronuntiaturi, conſultiùs, rectiúſque agi, ſi in illis ipſis circumſtantiis ſectatio meri *conſilii* præferatur obſervationi *præcepti*, ergo nullo modo repugnat rationi dicere, rem ſolius *conſilii* quandoque, imò ſæpe, ac ſingulariter tunc ſæpe, quando res ſolius *conſilii* eſt ex objecto ſancta, res autem *præcepti* ex objecto indifferens, rectiùs ſuſcipi cum jactura actionis ſub mer-

Digitized by Google

mortali *præcepta*, quàm non ſuſcipi, ergo non ſubſiſtit hæc ratiocinatio: *Denuntiationes* (ex objecto indifferentes) *ſunt per ſe loquendo ſub mortali facienda*, *Benedictiones autem* (ex objecto ſanctæ) *ſunt ſolius conſilii, per ſe itidem loquendo, ergo dicendum eſt*, illum neceſſariò errare, adeóque nullâ probabili ratione excuſari poſſe, qui ſcribit, *ſatius eſſe ſine denuntiationibus contrahere, quando hæ, vel illæ ſunt neceſſariò omittendæ.*

i Denique ſi attentè legantur ſancti Auguſtini Epiſtolæ, (118. ad Januar. & ſingulariter 88. ad Caſul.) apparebit, laudari ab eo, & apud ipſummet à Sancto Ambroſio plerumque eos, qui ex ſe obligati aliquâ Lege ſub gravi peccato ad abſtinentiam, aut ſimilia adſtringente, ſequuntur conſuetudines locorum, in quibus ad tempus ſubſiſtunt, contrarias conſuetudinibus ſui territorii, eſto revera poſſent abſque peccato non ſequi Igitur hæc generalis propoſitio, in quam denique reſolvitur argumentatio Stephani: *Res ſolius conſilii non præferuntur laudabiliter rebus præcepti*, non eſt tam certa, ſimul & univerſalis, excluſiváque omnis limitationis, & exceptionis, ut qui in aliquo particulari caſu facit, præſertim nixus authoritate ſufficiente, nec futili, ſed probabili ratione, exceptionem, mox ſit pronuntiandus eò rem deduxiſſe, ut oporteat vel ipſum, vel ſacroſanctam, & univerſalem ſynodum erroris inexcuſabilis arceſſere.

k Benedictiones nuptiales tanti ſiunt ab Eccleſia, & à Doctoribus, ut Eccleſia non permittat ullatenus eas impertiri, aut ab alieno parocho, aut tempore interdicto, aut reſpectu viduorum, viduarúmque, Doctorum autem aliqui mortalem noxam conſtituunt in earum omiſſione, alii in congreſſu conjugali ante earum receptionem, ut refero infrà *Caſ. XIV.* denique non immeritò piæ animæ plurimùm tribuant precibus Eccleſiæ, conſtituentibus eas benedictiones, è diverſo autem admittuntur partim à probatis ſcriptoribus, partim à ſacris legibus multiplices cauſæ, ob quas ſit fas omittere omnes denuntiationes. Quid ergo eſt opus tam inofficioſa reprehenſione illius, qui magnâ fultus authoritate, expreſſit caſum, in quo judicet, rectiùs omitti denuntiationes, ut locus ſit benedictionibus, quàm benedictiones in eo eventu, in quo nequeant conſiſtere cum denuntiationibus? Suppono autem expreſſè *ſeq. numero 494.* in caſu, quo ita omittuntur denuntiationes, parochum eſſe *moraliter* certum de abſentia impedimenti.

l Et quia P. Stephanus avet cognoſcere, quàm prudenter, & conſequenter loquar, dico, non poſſe me aut imprudentiæ, aut inconſequentiæ argui, ſi meam illam doctrinam de omiſſione denuntiationum, propter benedictiones, exprimam hiſce verbis clarioribus, re autem verâ concordantibus cum intentione, qua priora ſcripſi: *Parochus, vel Epiſcopus Satius agit, omittendo, ſeu omitti permittendo, quàm urgendo denuntiationes, quando Sponſi ducti cauſis ex ſe piis, & rationabilibus, inſtant pro benedictionibus, eo tempore impertiendis, quo nequeunt impertiri, niſi omittantur denuntiationes perſonarum, de quarum habilitate ad contrahendum non adeſt ullum morale dubium.*

Hanc meorum verborum explicationem do, & facilè divinâſſet P. Stephanus, ſi mea verba legiſſet apud Urbanum, aut Franciſcum Bonæ Spei, & fraternè potiùs, Religioſéque excuſâſſet, quàm inevitabilis erroris contra Tridentinam Synodum, ac ſubinde contra fidem arguiſſet.

SECTIO II.

Denuntiationes à quo; ubi; quando faciendæ?

Caſus Irrefragabilis.

SUMMARIUM.

Caſus Matrimonii contracti coram Parocho aliquo modo alieno. 510.
A quo facienda denuntiationes? 511.
Declaratur Caſu authentico. 512.
Quid ſi ſponſi ſpectent ad diverſas parochias? 514.
Quid ſi alienus Parochus faciat proclamationes? 517.
Quando ſint eæ peragendæ? Ibid.
Quid hic intelligatur per feſtos dies continuos? 518.
Quomodo Conſtantiæ fiant proclamationes? 525.
Communiter ultima plebejorum proclamatio fit ipſo die nuptiarum. 526.

MAtrimonium contractum poſt quartum 510
habitationis menſem à muliere coram Parocho oppidi, ad quod à civitate, in qua habitabat, ad ſcandala ſubmovenda juſſu Principis ſæcularis tranſlata fuerat, ſub præcepto illinc non diſcedendi, donec aliud ſtatutum non eſſet, validum fuiſſe, decidit Congregatio Concil. Trid. teſte Barboſâ *in cit.* 1. *Cap. Trident. num.* 11. & fuſiùs *in citat. allegat* 32. *num.* 63. monente, hanc deciſionem eſſe in praxi ſequendam reſpectu omnium habitantium, ſeu habitare cogitantium, aut coactorum in aliquo loco per majorem Anni partem.

Quæritur ergo: *A quo, quando, ubi ſint facienda denuntiationes?* 511

Reſp. A proprio ſponſorum Parocho. Patet ex verbis Concilii ſuprà *num.* 477. deſcriptis, nomine *proprii Parochi* intelligendo hìc, *per ſe loquendo*, illum, qui eſt proprius in ipſa-

met

Digitized by Google

met copulatione, de quo *Tract. præced. Caſu XVIII.* ideo hunc *Irrefragabilem* Caſum, agendo *directè* de copulatione, pono iſto loco, cui ſubjicio alium

Caſum ejuſdem authoritatis.

512 **E***Adem Congregatio decidit, validum fuiſſe Matrimonium juvenis cum meretrice, qui dubitaverat illud in propria civitate contrahere, adhibendo ſolennitates Concilii Tridentini, eò quòd parentes de facili impedimentum facturi erant, & propterea Romam venerant, & coram Teſtibus, & Parocho in Parochiâ, in qua aliquantulum permorati erant, Matrimonium contraxerunt per verba de præſenti.* Sic loquitur Barboſa *loc. cit. num.* 12.

513 In his, & ſimilibus caſibus denuntiationes, factæ in loco contracti Matrimonii, ſufficiebant juxta expreſſam doctrinam Baſilii Pontii *Lib. 5. cap. 30.* apud Dianam *Part. 3. Tract. 4. Reſol. 238.* ratum cum Sanchez *Lib. 3. Diſp. 6.* Gutierez, Barboſa, & aliis communiter, faciendas fuiſſe in Parochia, in qua diutius habitârant, ſeu in qua vero ſimiliùs eſt, ſciri Impedimenta. Barboſa *cit. alleg. 32 num. 11.* loquens de illo, qui habet plura domicilia, ſeu plures Parochias. Vide Dicaſtillum *dubit. 25. numero 218.*

514 Unde quando ſponſi habitant in diverſis Parochiis, promulgandi ſunt, *per ſe loquendo*, in utraque Parochia. Henriq. *Lib. 11. cap. 7. num. 1.* Coninck *Diſp. 27. dub. 5.* Sanch. *cit. Diſp. 6. num. 6.* & Declaratio Congregat. apud Gallemart *in cit. Cap. 1.* quò ſcilicet certiùs deprehendantur Impedimenta. Attamen non eſt damnanda conſuetudo quarundam Diœceſeon, in quibus denuntiationes fiunt duntaxat in Parochia unius ſponſi, in qua ſunt nuptiæ celebrandæ, inquit ſemper moderatus P. Laymannus *cit. Tract. 10. Part. 2. cap. 4. n. 10.* abſque cauſa rejectus à Stephano à S. Paulo

515 *cit. dub. 6. num. 54.* Et verò in hac noſtra Diœceſi non ſolùm ita ſactitatur, ſed etiam *poſitivè* permittitur à Conſtit. Synod. *Tit. 16. num. 8.* quando non poſſunt commodè fieri utrobique, ſicut & Sanch. Dicaſtillo *ll. cc.* notant, non eſſe attendendam modernam, ut loquuntur, habitationem, id eſt, quando ſponſus ex oppido A. fit civis oppidi B. ac poſt tres, vel quatuor menſes commorationis in oppido B. vult contrahere, non eſt ſecundùm hos authores denuntiandus in oppido B. ſed in oppido A. vel in oppido G. in quo nati ejus majores. At quis hoc obſervat? ſaltem quando oppidum B. eſt valde remotum ab oppido A? Optandum, ut ſaltem id fiat, quod Clemens X. ſtatuit §. *ultim.* Inſtructionis deſcribendæ poſt XXIII. Caſum hujus Tractatûs.

Reſp. II. Quòd ſi quis Sacerdos, abſque facultate ſaltem *tacita* Parochi, ſecundùm dicta, proprii, proclamationes faceret, faceret nihil, quia contra expreſſam literam Tridentini. 516

Reſp. III. Eædem proclamationes fieri debent tribus continuis diebus feſtivis, ut loquitur Synodus Trident. ſuprà *num. 477.* Per dies *feſtivos* poſſe intelligi omnes, quibus ſolet convenire in Eccleſia multitudo magna populi, cenſet Sanch. *Lib. 2. Diſp. 6. num. 10.* Layman. *cit. Cap. 4. num. 10.* Barb. *in cit. Cap. 1. Trident. num. 24.* contra Zerolam, Riccium, & alios, ſtatuentes hîc noxam lethalem, ſed immeritò, nam Concilium videtur ſpectare id ſolùm, ut publicatio illa fiat coram populo copioſo, hac enim ratione obtinetur finis præcepti. Nolim tamen ulli Parocho eſſe author introducendi novum morem. 517

At per dies *continuos* intelliguntur in primis illi, inter quos non interponuntur alii multi dies feſti. Sanchez *cit. Diſp. 6.* Reginal. Bonac. Barb. *loc. cit.* ne ſcilicet, ſi multi interſerantur, populus oblitus primarum, differat nimis diu delationem, ſeu accuſationem, ut vocant Jura. Unde addit idem Barb. *ibid. num. 21.* poſt Rebell. & Bonac. *quæſt. 4. punct. 6.* ſi ſponſi velint conjungi quatuor menſibus poſt ultimam denuntiationem, eſſe repetendas priores. Rituale Romanum, ſi non infrà duos menſes, & teſtatur Marchant. *cit. Tract. 8. Cap. 1. num. 3.* Sponſos in Leodienſi Diœceſi jurare, ſe intra 40. dies poſt ultimam denuntiationem contracturos. 518

Intelliguntur 3. Ita continui, ut tamen unus non ſuccedat immediatè alteri. P. Coninck *Diſp. 18. num. 47.* Riccius, Ugolinus, Fernandez apud Barboſam *loc. cit.* exprimentibus Sanch. *Lib. 3. Diſp. 6. num. 9.* ac Laymanno *cit. num. 10.* ſaltem duorum dierum intervallum intercedere debere inter unam, aut alteram denuntiationem. Dic tu, ſufficere, ſi unus interjiciatur, imò cum P. Caſp. Hurtado *Diſp. 5. diff. 18.* Marchantio *in Reſol paſtor. Tract. 8. cap. 1.* P Dicaſtillo *cit. Diſp. 3. dub. 25. num. 216.* hoc non eſſe in præcepto, ergo ſpectanda ſola conſuetudo cujuſque loci, quæ & in pluribus permittit tres dies immediatos, teſte Dicaſtillo *num. 217.* & facilè etiam excuſabit ab omni peccato, ſi ob cauſam aliquo modo rationabilem, vel inadvertentiam tranſiliatur unus dies feſtus. P. Tannerus *loc. cit. num. 124.* Marchant. *loc. cit. num 4.* ſicut & à mortali, modò non diu intermittantur. Marchant. *ibid.* 519

Reſp. IV. Denuntiandi ſunt ſponſi in Eccleſia, & quidem inter miſſarum ſolennia, ut loquuntur ſuprà PP. Tridentini, notante tamen Barboſâ *in cit. Cap. 1. Trid. num. 24.* poſt Regin. Bonac. Pontium, alios, validè fieri extra Eccleſiam, extráque miſſarum ſolennia, modò adſit magnus populi concurſus, & locus 520

aptus

aptus ſit, ut ad multorum notitiam perveniat.

521 Imò PP. Sanchez *cit. Diſp. 6. num. 9.* & Dicaſtillo *num. 219. abſolutè* negant, intervenire peccatum, ſi extra Eccleſiam, extráque Miſſam fiant cum circumſtantia paulò ante indicata.

522 Ego cum Marchantio *loc. cit. num. 5.* non improbo morem locorum, quibus nonnunquam proclamationes peraguntur poſt concionem habitam, jam finitâ Miſſâ, aut in Veſperis, ad quas major pars populi concurrit, maximè ſi omiſſæ inadvertenter fuêre in Miſſa, aut quia nondum fuerat inſinuata voluntas contrahentium, vel alia de cauſa. An verò eodem die, quo tertia denuntiatio fit, jungi poſſint Matrimonio, vide conſuetudinem. Alicubi id prohibetur, alibi, proclamatis bannis in Miſſa, non fit ſcrupulus, ſi in Veſperis conjungantur. Ita Marchant. *cit. Tract. 5.*

523 Eſt autem habendus ſcrupulus, ſi, ob certam cauſam factâ unicâ proclamatione, conjungantur ipſo die illius proclamationis, tunc enim non relinquitur ſat temporis, ut poſſint opponi Impedimenta. Sanch. *loc. cit. num. 8.* & Dicaſt. *cit. num. 217.* volentes, ut ne quidem poſtridie illius unicæ fiat copulatio. Domini Parochi oſtendant ſe magnanimos, nec facilè cedant importunæ feſtinationi.

524 Quæres fortè, *quid hîc Conſtantiæ, metropoli, inquam, longè, latéque patentiſſima Diœceſis, ſoleat factitari circa pleraque puncta ſuperiùs explicata?*

Reſp. Sequentia I. Quando ſponſi ſpectant ad duas è ſeptem Parochiis hujus civitatis, edicta, ſeu proclamationes peraguntur in illa ſola Parochia, intra cujus ambitum conſtituerunt ſponſi ſuum domicilium. At verò quando altera pars ſpectat ad Parochiam ſitam extra urbem, nequidem denuntiantur hîc, niſi à ſuo Parocho teſtimonium adferat, quo probet, ſe nulli alteri eſſe promiſſam, & ſaltem, quando ſpectat ad locum vicinum, ut eſt Uberlinga, denuntiantur utrobique.

525 II. Fiunt autem proclamationes etiam duobus diebus continuis, & immediatis, ſi petant ſponſi, ſicut & tres peraguntur intra octiduum, ſi in hebdomade incidat feſtum, quod etiam tranſilitur, ſi dilationem aliquam poſtulent iidem. Imò quando eſt ipſis commodum, ut nuptiæ celebrentur intra octo dies à primo banno, ut vocat Marchantius, attamen hebdomas eſt vacua feſto, publicantur feriâ quintâ ii, qui pertinent ad Parochiam Collegiatam S. Stephani, utpote ad quam ſolent piæ mentes hebdomadatim illo die confluere ad proceſſionem, qua circumfertur Corpus Chriſti Sacratiſſimum.

526 III. Eſt communiſſimum, ut copulatio plebejorum fiat illâ ipſâ Dominicâ, qua ultimum edictum. Hæc quidem ita obſervantur in præcipua Parochia hujus urbis, an verò in locis hinc remotis, ignoro.

SECTIO III.

Obligatio denuntiandi Impedimenta.

Caſus non omnibus facilis ſolutionis.

SUMMARIUM.

Caſus habentis ſub ſecreto cognitum Impedimentum, & dubitantis, an teneatur denuntiare? 527.
Obligatio denuntiandi. 529.
Quando ceſſet? Ibid.
Ceſſabat in Caſu n. 523. propoſito. Ibid.
Sicut & in Caſu tragico, qui contigit. 538.
Quid agendum Parocho comperienti aliquod Impedimentum? 539.
Caſus de nolente manifeſtare Impedimentum? 540.
Caſus denuntiantis ex ſolo auditu cognationem. 541.
Caſus denuntiantium primùm poſt mortem mulieris denuntianda. 543.
Et alterius denuntiantis tum primùm, cùm jam jam erant copulandi ſponſi. 545.
An Epiſcopus potuerit tunc diſpenſare in impedimento? Ibid.
An mortaliter peccaret differens denuntiationem in illum articulum? Ibid.
Caſus aperientis Confeſſario Impedimentum impotentiæ cum propoſito vivendi inſtar fratris, & ſororis. 546.
Refutatur Pontius, ratus dari inter impotentes verum Matrimonium, in ordine ad caſtè vivendum. 547.
Caſus de Magiſtratu civili impediente denuntiationes. 548.
An Epiſcopus fuerit obligatus ſtare ſententiâ illius Magiſtratûs. Ibid.
Reſolvuntur nova dubia circa denuntiationes juniorum opificum. Ibid. *in App. I.*
Aliud ſingulare dubium. ibid. *App. II.*
Rurſum aliud novum in App. III.

Nymphodora dicit Confeſſario: Nonna deſponſata eſt Nicephoro, factáque prima proclamatio. Nigellia, juncta Nonnæ ſecundo gradu cognationis, eſt mihi certam ob cauſam faſſa, eſſe ſe carnaliter cognitam à Nicephoro, non ignaro cognationis, faſſa autem eſt mihi ſub ſummo, ut par eſt, ſecreto. Jam ſciſcitor, an nihilominus obliger parere Parocho, præcipienti manifeſtationem cognitorum Impedimentorum? Reſpondet Confeſſarius: Teneris. *Quid ſentiendum de hoc reſponſo?* 527

Jam pridem è vivis exceſſit Confeſſarius ille. 528

ille, de cujus reſponſo feram ſententiam, ubi reſpondero ad ſequentem quæſtionem.

529 Quæritur enim I. *Quænam in particulari ſcienda ſint de obligatione pandendi Impedimenta, incumbente tum ipſiſmet ſponſis, tum aliis conſciis, tum Parocho?*

Reſp. Seqq. I. Conſcius Impedimenti tenetur, *per ſe loquendo*, ſub mortali manifeſtare. Ita omnes tum propter Divinum mandatum de impediendo peccato proximi, quale quidem eſt, quando contrahitur Matrimonium cum qualicunque Impedimento, ut oſtendimus *Tr. præced. Caſu 1. n. 58.* tum propter reverentiam Sacramenti: tum denique propter præceptum Superioris Eccleſiaſtici.

530 II. Sponſus laborans Impedimento qualicunque, tenetur vel illud aperire, vel non inire Matrimonium, ſi quidem interrogetur à Parocho, an laboret Impedimento. Ita communiter DD. teſte P. Perez *Diſp. 43. Sect. 7.* poſt Sanch. *Lib. 3. Diſp. 14* & alios. Ratio eſt, quia licèt interrogatus non teneatur reſpondere, quando eſſet ob ſuam veram reſponſionem puniendus. Silv. *Verb. Inquiſitus 1. quæſt. 4.* & alii, eò quòd nimis difficile foret, ſe ipſum accuſare, attamen, quando interrogatio fit ſolùm in ordine ad peccatum evitandum, ſicut in præſenti materiâ, adeſt obligatio reſpondendi ſincerè. Sicuti & tenetur ſincerè reſpondere irregularis, petens ſuſcipi ad Ordines. P. Perez *cit. Diſp. 41. Sect. 7.*

531 III. Similiter tenetur, *per ſe loquendo*, quiſque ultro, & non interrogatus detegere ſuum Impedimentum, eſto conjunctum cum ſua infamia, aut certè deſiſtere à propoſito contrahendi. Perez *ibid* atque Stephanus à S. Paulo *in Theol. Moral. Tract. 5. Diſp. 8. dub. 5. num. 55.* ex communi.

532 IV. Alius, qui novit Impedimentum, tenetur manifeſtare, non ſolùm, quando ſponſi volunt malitioſè contrahere, ut omnes fatentur, ſed etiam, quando & ignorant Impedimentum, & non ſubeſt periculum, ne poſtea pandatur. Ita P. Dicaſt. *Diſp. 3. dub. 28. n. 291.* contra Pontium, & Perez *Diſp. 43. Sect. 6.* Ratio eſt, quia etiam materialis irreverentia Sacramenti, & materiale peccatum proximi eſt impediendum, cùm commodè poteſt: quamquam, quia, quando Impedimentum eſt dirimens, reverà nullum fit Sacramentum, & conſequenter nec admittitur irreverentia etiam materialis, ideo perquam probabiliter negabis cum Pontio, Barboſa *De offic. & pot. Epiſc. allegat. 32. num. 26.* & P. Burghaber *Centuriâ 2. Caſ. 78.* adeſſe in prædictis circumſtantiis obligationem manifeſtandi. In caſu autem, quo vel malitioſè illud diſſimulant ſponſi, vel probabiliter patefiet poſt nuptias Impedimentum, debet omnino hoc deferri ad Parochum, etſi fortè priùs fuiſſet præſtitum juramentum de non pandendo, hoc quippe non obligat cum tanto incommodo animæ, aliorúmque bonorum. Vide Burghaber *loco citato.*

533 V. Non ſolùm hæc poſterior, ſed etiam ad initium numeri *præcedentis* allata doctrina intelligitur, etſi Impedimentum proveniat ex delicto gravi, ſitque notum uni ſoli, dummodo poſſit hic detegere utiliter, & ſine gravi incommodo, & ſcandalo aliorum. Palaus *cit. punct. 13. §. 6.* Dicaſtillo *loc. cit. num. 290.* poſt Sanchez, Coninck, alios contra Pontium, Gabrielem, alios, quibus quoad Impedimentum ignotum ipſiſmet ſponſis aſſentitur Franciſcus Bonæ Spei apud Stephanum *loc. cit.*

534 Ratio petitur ex dictis, & confirmatur inde, quia in foro etiam *externo* ſtatur teſtimonio unius teſtis jurati, quando agitur de impediendo peccato alterius. *Cap Super eo, 12. De teſtib. & Cap. Præterea 12. De ſponſ.* eſto non ſtetur, quando agitur *directè* de punitione, aut verò jure auferendo alteri, aut defectu diſtincto ab Impedimento. Dicaſt. *num 29.* ſicuti nec ſufficit unus, etſi juratus, ad diſſolvendum Matrimonium. *Cap. Licèt ex quadam. De conſanguin.* quia Matrimonium eſt res graviſſima, & valde favorabilis ejus valor. Vide, quod *n. 92.* retuli ex Covarr. Dixi: *Teſtis jurati*, nam non jurato non habetur, etiam in ſponſalibus, fides. Sanch. *Lib. 1. Diſp. 71. n. 10.* cum communi, diſſerens ibi fuſè de his Teſtibus.

535 VI. Nec *abſolutè* opus eſt, ut ſit Teſtis de viſu, ſatis utcunque eſt, ſi ſit de auditu, ſi videlicet audivit ex perſonis fide dignis. Infrà *n. 541.* licèt non ſit ſtandum unius de audiſu teſtimonio, & depoſitione, niſi teſtetur de conſanguinitate. *Cap. Ex quadam. De Teſtib* & Sanchez *num. 11.* attamen poterit judex illam perſonam fide dignam citare, & examinare. Dicaſtillo *n. 300.* poſt Sanch. Gutierez, Bonac. alios, præmittens *n. 293.* poſt Sanch. *num. 17.* latè, ſufficere etiam famam, id eſt, acclamationem, ſeu opinionem majoris partis viciniæ, non verò rumorem, id eſt, opinionem minoris partis manifeſtatam, ſubdens quoque *num 300.* non adeſſe obligationem quidquam dicendi, quando vel Teſtis neſcit, ex quo audiverit, vel ſcit, ſe audiviſſe ex perſona exiguæ fidei, narrante Impedimentum probroſum.

536 VII. Teſtis volens manifeſtare Impedimentum conjunctum cum infamia, debet, ſervato ordine charitatis, priùs monere obnoxium illi Impedimento, ut deſiſtat à cogitato Matrimonio, alioqui ſe ſuæ conſcientiæ ſatiſfacturum in eo deferendo: huic monitioni repetitæ coram aliquo alio bono viro, bona fœmina, præſertim parentibus &c. ſi nil det ille reus, ſervabitur præceptum Chriſti: *Dic Eccleſiæ.* Vide Sanch. *Lib. 3. Diſp. 13. n. 7.* Et quidem debet dicere Eccleſiæ, etiamſi illud Impedimentum infamatorium cognoverit ſub ſecreto, juraveritque, ſe non manifeſtaturum. Sanch. *cit. Diſp. 13. n. 6.* Perez *cit. Diſp. 43. Sect. 6.*

Digitized by Google

num. 8. Dicaſtillo *num. 299.* plus enim deferendum eſt præcepto Superioris, & reverentiæ Sacramenti, ac ſaluti animæ, quàm tali juramento.

537 VIII. Obligatio pandendi alienum Impedimentum ceſſat, quando ex revelatione imminet grave malum revelanti. Dicaſt. *num. 302.* nam non tenemur cum gravi noſtro incommodo promovere correctionem noſtri proximi, aut quando timetur grave ſcandalum ex revelatione. Sanch. *loc. cit. num. 9.* Idem cenſeo dicendum, quando imminet inde alteri innocenti grave damnum in honore, fortunis, vita, nam neque charitatis lex, neque reverentia debita Sacramento, neque obedientia erga Superiorem aſtringit ad tale incommodum, quandoquidem non ſunt facienda mala, ut veniant bona. *Rom. 3.*

Hanc doctrinam ferè prætereunt paſſim in hac particulari materia denuntiationum autores. At volui exprimere, ex hac enim deducitur, Confeſſarium Nymphodoræ, de quo ſuprà, erràſſe in ſuo reſponſo, graviſſimè namque peccâſſet ipſa, ſi manifeſtâſſet crimen Nigelliæ, utpote quæ planè fuerit innocens in ordine ad illud Matrimonium, quare nec ipſa tenebatur *directè*, aut *indirecte* revelare ſuum lapſum, at tenebatur Nigelliam ſub alio prætextu dehortari ab illo Matrimonio, ſi aliunde habebat Nigellia juſtam cauſam recedendi, ſecùs, ſi non juſtam.

Unde conjicies, quid fuerit reſpondendum ad hunc

Caſum prorſus Tragicum.

538 *Nicoſia nobilis Vidua dementata turpi filii proprii amore collocat ſe in ſtrato abſentis ancillæ, cum qua conſueverat filius, atque ab eodem filio paulò pòſt ſuperveniente, ignaro autem deteſtabilis doli impregnatur, eòque peregre profecto, parit clam omnibus filiam, adeò venuſtam, atque ſcitam, ut filius poſt complures Annos domum reverſus, eam viſam, atque matri pro honoraria puella famulantem petat in uxorem, quam & denique, etſi peragre, concedit mater. Quæritur, utrùm, quia infelix illa mulier nequit aliâ ratione impedire inceſtiſſimas nuptias, quàm prodendo ſuum crimen infandum, debuerit nihilominus pandere?*

Novi, qua in regione contigerit id nefas, memor ſum & illius, qui certò contigiſſe aſſeveravit mihi, atque alteri inſuper. Sunt nonnulli, qui, cùm exiſtiment, Impedimentum eſſe etiam cum periculo mortis aperiendum, fortè pronuntiaturi eſſent, incubuiſſe illi Nicoſiæ obligationem mortalem impediendi per denuntiationem, ſi non ſuppetebat aliud efficax remedium, id connubium. At ſine dubio errarent tales, eſt quippe inauditum, quòd Lex humana (naturalis de fraterna correctione certò huc ſe non extendit) comprehendat tam tragicos, cruentos, pudendos caſus.

Quæritur III. *Quid agendum Parocho, comperienti aliquod Impedimentum?* 539

Reſp. Eſſe à me ad hanc quæſtionem reſponſum *in Theol. Jurid. Moral. Cap. 37. Sect. 2.* & *in Tract. precedent. Caſu XX. num. 553. & ſeqq.* Quòd ſi Epiſcopus ſolus, etiam extra Confeſſionem, novit Impedimentum, nequit prohibere Matrimonium, eſt enim ipſe judex, judex autem non debet procedere ex ſcientia privata. Perez *Diſp. 43. Sect. 8.* at Parochus non eſt judex, idcirco meritò negat ſuam aſſiſtentiam illi, quem etiam omnino ſolus extra Confeſſionem novit eſſe impeditum.

Ex his omnibus deduces ſolutionem horum VI. Caſuum. 540

Primus eſt, qui habetur, *Cap. Præterea 2. De ſponſalib.* De muliere ſponſa, *quam repudiabat ſponſus, eò quòd hujus conſanguineus ſecum eam deliquiſſe proponeret, quod tamen publicè fateri nollet, propter metum, & potentiam mulieris*, reſcripſit enim Alex. III. his verbis: *Taliter reſpondemus, ut Matrimonium ipſum fieri (niſi juramentum* ipſius Teſtis, ut contra Gloſſ. tenet Barboſa in hoc Cap. *interveniſſet) diſtrictè prohibeas, ne deterius inde contingat.*

Secundus eſt: *Volentibus duobus, viro ſcilicet, & muliere contrahere Matrimonium, dum fierent admonitiones in Eccleſia, mulier quædam declaravit, & teſtificata eſt, intercedere inter eos Impedimentum, quia, ut ab una ex ſuis majoribus audierat, quarto conſanguinitatis gradu ſibi invicem attinebant. Quæritur, an iſtud ſit impedimentum, ita ut contrahere non valeant?* 541

Conſultus Navarrus *De conſanguin. & affin. conſ. 2.* Reſpondit, iſtud teſtimonium non fuiſſe ſufficiens ad impediendum Matrimonium: tum quia erat tantùm unica Teſtis: tum quia erat Teſtis de auditu; tum quia audiverat tantùm ab uno, non autem à pluribus: tum quia non juraverat. At *prima*, & *ſecunda* ratio Navarri nobis non *abſolutè* probatur ob dicta *num. 533.* & *num. 535.* ſed probatur *quarta*, ſicut & *tertia*, nam teſtans ex auditu de conſanguinitate non auditur, quando audivit ex uno ſolo è majoribus, ſed quando à duobus, vel pluribus. Navarr. *ibidem*, & Sanchez *cit. num. 11.* & ſic intellige, quod ſuprà *num. 534.* & *Tract. præced. num. 553.* retuli de teſtimonio unius ex auditu in ſola materia conſanguinitatis. 542

Tertius eſt, qui contigit in hac Diœceſi ſub Annum 1636. *quando proclamationibus factis intra octiduum, ſcilicet ipſâ die Dominicâ initiante hebdomadem, deinde feriâ ſextâ pòſt, ac tertia Dominicâ finiente eandem hebdomadem, qua etiam fuit facta copulatio matrimonialis, at biduo pòſt, mor-* 543

mortuâ uxore, cognati repetierunt ad ſex millia aureorum Ducatorum, quæ uxor reliquerat marito. Repetierunt autem cauſati, Matrimonium fuiſſe nullum ob Impedimentum conſanguinitatis, detectum poſtea à Teſtibus. Quærebatur autem, utrùm ſtandum eſſet teſtimonio denuntiantium tunc illud Impedimentum? etenim ex una parte objiciebatur, eſſe ſtatutum in Conſtitut. Synodal. *Part. 1. Tit. 16. num. 7.* conformiter *Cap. 1. De ſponſal. ut poſt Matrimonium in conſpectu Eccleſiæ celebratum non audiantur, qui tempore denuntiationum præſentes fuerunt, & Impedimentum reticuerunt*, ex altera autem parte, quòd denuntiationes, & copulatio eſſent nimis propere (ſpectato more illius peculiaris diſtrictûs, viget enim non ubique idem in hac ipſa Diœceſi mos) factæ, ideóque præſumptio eſſet de mala fide ſponſorum. Cauſâ coram judice, (qui inclinabat in ſententiam de nullitate Matrimonii, ob allegatum Impedimentum,) ventilatâ, convenerunt partes inter ſe amicabiliter. Ego cenſeo, teſtes fuiſſe adhuc audiendos, quia nullo jure præcipitur, ut teſtes deponant ante ultimam proclamationem: ſufficit, ſi ante copulationem, quia igitur illa copulatio facta fuit præfeſtinè, ut cenſuit ſpectatiſſimus vir, qui hunc Caſum ſcriptum ad me miſit, & fortè præter morem illius diſtrictûs ipſo die ultimæ denuntiationis, habuêre juſtiſſimam cauſam dicendi, ſe fuiſſe feſtinatione præverſos.

544 *Quartus* eſt, *qui pridem evenit in hac urbe, cùm detectum fuit Impedimentum Cognationis, vel Affinitatis illo ipſo tempore, quo ſponſi deducebantur ſolenni pompâ ad ædem ſacram copulandi, nam cenſentibus nonnullis, poſſe à Reverendiſſimo D. Vicario Generali permitti copulationem, cum mandato tamen abſtinendi ab uſu conjugali, donec eſſet impetrata diſpenſatio, meritò negavit eam licentiam, quam tamen fuiſſe in alia famoſa urbe hujus Diœceſis conceſſam à Vicario, ut vocant, Foraneo, ſeu Commiſſario Epiſcopali, idque approbantibus viris doctis, inaudii, ex quodam id aſſeveranciſſimè narrante.*

Sed, ſalvo horum judicio, ſentio cum illo ſapientiſſimo D. Vicario Generali. Nullus enim DD explicantium Caſus, quibus fas eſt, cum diſpenſatione Epiſcopali, inire Matrimonium impeditis dirimente Impedimento admittit, aut *expreſſe*, aut *tacitè* caſum, quo non imminet majus incommodum, quàm illis ſponſis, qui poterant nihilominus cum hoſpitibus invitatis hilares veſci paratis epulis, & ſuo tempore contrahere ſine alia pompa. Quòd ſi ille denuntiator diſtuliſſet deditâ operâ ſuam manifeſtationem uſque ad illam horam, fuiſſet, me judice, reus noxæ lethalis adverſùs charitatem.

A P P E N D I X.

545 SEd fortè erit, qui neget, illum, Vicarium Generalem ritè, rectéque feciſſe, dum obdenuntiationem ab uno unico factam in eo articulo, in quo ſponſi erant jamjam ſolenniter copulandi, inhibuit copulationem. Ratio id negandi poteſt deſumi ex verbis Henrici Zoeſii Paratitlis *in Decretales Lib. 4. Tract. 18.* ubi *n. 12.* ſic ſcribit: *Accuſatio, & teſtimonia* (Impedimentorum) *perſonaliter fieri, & proferri de conſanguinitate, intra tempus denuntiationum, quæ in Eccleſia fiunt, poſtea comparens non auditur, niſi accuſare volens probaverit, tunc ſibi de Matrimonio contrahendo non conſtitiſſe, &c.* Atqui in caſu, quem retulimus, erat jam elapſum tempus denuntiationum. Confirmatur inde, quia accuſator Matrimonii, id eſt, opponens aliquid contra valorem Matrimonii, debet prodire in publicum, quando banna ſecundùm conſuetudinem in Eccleſiis eduntur. *Text. cit. Cap. fin. Qui Matrim. accuſ. poſſ.* ſeu, ut loquitur Vallenſis *cit. Tit. IV. num. 1.* tempore denuntiationis à Sacerdote factæ. Atqui jam erant ſecundùm conſuetudinem Conſtantienſem edita banna, quando ille, qui manifeſtavit Impedimentum occultum, prodiit in publicum. Reſpondeo tamen, potuiſſe, & debuiſſe audiri illum denuntiatorem, etiam non probantem, ſe abfuiſſe tempore denuntiationum, ſenſus enim Capituli finalis, quod deſcripſi, per tempus, *quo ſolent edi banna*, non intelligit illum ipſum articulum, quo publicè, & in facie Eccleſiæ fiunt proclamationes, uſus enim communis, optimúſque interpres illius Decretalis demonſtrat, raro expedire, ut tunc quis in publicum prodeat, quando ſub Miſſarum ſolenniis nominantur ſponſi. Igitur per tempora, quibus eduntur banna, intelligitur totum illud, quod à prima proclamatione uſque ad ipſam *excluſivè* copulationem intercedit. Unde Pontifex Innocent. III à quo prodiit Reſcriptum illius Decretalis, loquitur expreſſè de caſu, quo aliquis poſt contractum Matrimonium appareret accuſator. At quando non agit partes accuſatoris, ſed ſolùm denuntiatoris ad impediendum peccatum, poteſt juxta Gloſſ. *in Cap. Tua. De cognat. ſpirit.* admitti quovis tempore, etiam poſt Matrimonium contractum, certè poteſt, & debet in hoc caſu ſemper admitti ante contractum. ut jam dixi *num. 544.* ubi locutus ſum de caſu extraordinario, quo etiam poſt Matrimonium admittendi ſunt, ſervato videlicet jure *Capituli fin.* ſuprà citati. Nihilominus obſervavi ſuprà, illum denuntiatorem non leviter adverſùs Charitatem peccâſſe, ſi deditâ operâ denuntiationem diſtulit uſque ad illud tempus.

Quintus eſt *vidui, & viduæ, quorum ille ha-* 546
bet, ut putatur, ex maleficio impotentiam abſolutam, & reſpectivam, iſti ſuæ ſponſæ bene notam. Paratæ autem cum illo cōhabitare, fratris, ac ſororis more. Nuper Caſus ille contigit. Sponſi, jam peractis trinis denuntiationibus, ipſóque feſto nuptiali jamjam imminente, cum Confeſſario a-

peruerunt. Quæſitum fuit, cùm non eſſet modus honeſtè Matrimonium differendi, & impediendi, ſed neque ex cohabitatione periculum, quod uterque eſſet provectæ ſatis ætatis, an poſſent quaſi contrahere, ficto, vel conditionato conſenſu: Quid ad hoc Reverentia Veſtra?

Sic ad me 6. Jan. Anno 1665. ſcripſit inter cætera vir perdoctus. Cui breviter reſpondi 1. Non potuiſſe conjungi fictè, propriè loquendo, cùm fictio propriè ſit mendacium reale, ut pluribus declaro *in Quinario Tract. 5. cap. 50. num 64.* & *Cap. 51. num. 39.* 2. Non apparere mihi honeſtam, aut utilem conditionem, ſub qua potuerint quaſi contrahere, cùm utique nequeant ſub conditione diſpenſationis. 3. Ergo confugiendum fuiſſe ad æquivocationes, aut tacitas mentis reſervationes, ita, ut quando interrogati à Parocho aſſiſtente: *Accipis hanc in tuam? Accipis hunc in tuum?* reſponderent: *Ita Domine* intelligerent: *Accipio in meum apparenter.* Vel: *in meum perpetuum contubernalem.* At verò ejuſmodi ſeu æquivocationem, ſeu reſervationem inprimis certò rejectum iri à permultis negantibus cum Cardinale de Lugo *Diſp. 4. De fide.* ullas reſtrictiones mentales eſſe licitas. Deinde videri mihi, non fuiſſe licitas in illo caſu; etenim mala, quæ poterant hi ſponſi timere, recedendo à promiſſione illicita, haudquaquam tribuebant jus tam inſolitis æquivocationibus, aut reſtrictionibus utendi, cum tam evidenti, (quidquid ii dicant, aut promittant) periculo committendi plurimas ſpurcitias, contractu ſolenni, atque ex inſtitutione Eccleſiæ Sacramentali. Adde, quòd debeat eſſe idem judicium in foro *interno*, quod in *externo*, quando *externum* non nititur (ſicuti hîc non nititur) falsâ præſumptione, ut nôrunt omnes ex Sanchez & aliis, atqui certum eſt, nullum Pontificem, aut Epiſcopum permiſſurum, ſi reſciret, vel id genus æquivocationis, vel poteſtatem ſeſe ſub ſpecie veri Matrimonii obligandi ſolenniter ad perpetuam cohabitationem more fratris, ac ſororis; etſi quippe Eccleſia permittat, ut, quando bonâ fide (quæ his duobus defuit) contraxerunt, ac poſtea primùm deprehenſum eſt Impedimentum impotentiæ, cohabitent illo modo, ſi abſit periculum peccandi, nunquam tamen permittit Eccleſia fieri talem copulationem ſeu impotentium, ſeu alio Impedimento dirimente (niſi fortè in caſu injuſti metûs) laborantium. Cùm hoc reſponſum recitâſſem cuidam Decretorum Doctori uſu peritiſſimo, cenſuit, non eſſe ab eo recedendum. Confirmatur ex iis, quæ *in Alphabet. Quadr. Part. 2. Caſ. 18. num. 603. & ſeqq.* ſcripſi ex inſtituto de licito, & illicito uſu æquivocationum, & reſtrictionum mentalium, ex quibus patebit, nos minimè patrocinari ſimilibus ſubtilitatibus in caſibus affinitatem habentibus cum præſenti.

547 Supponit autem hæc reſolutio, veram non eſſe opinionem Pontii apud Dianam *Part. 4. Tract. 2. Reſ. 75.* contendentis, *impotentes eum impotentia perpetua, & cognita poſſe inire verum Matrimonium in ordine ad caſtè vivendum.* Etenim Dicaſtillo *Diſp. 7. De Matrim. dub. 43. n. 40.* contrariam vocat omnino veram, Sanch. *Lib. 7. diſp. 79. num. 2.* veriſſimam, Tannerus *Diſp. 9. quæſt. 4. num. 136* certam, Perez *Diſp. 37. Sect. 4.* cum Vaſquez talem, in quam conſpirent omnes Scholaſtici, inde inferens, *non poſſe* admitti à ſe Pontianam, utpote repugnantem ſenſui *totius Scholæ.* Id ipſum ego pronuntio, maximè propter Breve Sixti V. contra Matrimonium ſpadonum, de quo memini *Tract præced. Caſ. XVII. num. 416.* & propter ſpeciem facti ibidem *num. 419.* ubi etiam refero ex Diana illam opinationem Pontii, cujus fundamenta præter Dicaſtillum, & Perez evertit P. Caſpar Hurtadus *De Matrim. Diſp 22. diffic. 4.* An autem Diana meritò vocet illam *ſatis probabilem*, judicent alii, ego ſaltem ante factum non ſequerer eam, reſpondendo. Equidem *inhabilis ad ſolvendum eſt inhabilis ad promittendum. Leg. Oratio. ff. De ſponſal.* Matrimonium autem *eſſentialiter* includit promiſſionem, obligationémque, ſaltem radicalem ad copulam. Suprà *Caſu X. num. 391. & 397.*

Sextus Caſus, *eſt Sabina vidua, quæ multis Annis poſt mortem mariti cognoſcitur carnaliter, & petitur à Sulpitio in uxorem. At Magiſtratus Urbicus impedit denuntiationes, cauſatus, eam, vivente marito, fuiſſe turpiter converſatam cum patruele Sulpitii, ideóque mulctatam magno ære, ſub alio quidem prætextu vero, at non commerito tantam pœnam, quæ tamen pœna fuerit ita præter morem exaggerata propter adulterium, ſaltem præſumptive commiſſum cum dicto patruele Sulpitii, tametſi de illo adulterio ne quidem interrogata, nedum accuſata unquam fuerit illa Sabina. Quærebatur 1. Eſſétne conſultum, ut Sabina peteret a Sede Apoſtolica diſpenſationem? 2. Utrùm Ordinarius poſſet, aut etiam teneretur, ob Magiſtratûs ſuſpiciones de adulterio, atque oppoſitionem adverſùs denuntiationes, inhibere Parocho, ne faceret proclamationes conſuetas?* 548

Duo, aut tres viri valde ſpectati expetierunt meum de hoc perplexo facto judicium, tacito ſtudioſè nomine Urbis. Quibus reſpondi 1. Haudquaquam eſſe Sabinæ conſultum, ut peteret diſpenſationem, cùm enim ipſa pernegaret, ſe quidquam unquam carnalis commercii habuiſſe cum patruele Sulpitii, petendo diſpenſationem ſuppeditaret Magiſtratui probationem adulterii, ſcilicet propriam Confeſſionem, quæ Confeſſio tametſi, ut ſic, eſſet extrajudicialis, & proinde non ſufficeret ad condemnationem. Abbas *in Cap. Ad hoc. De Simon.* cum aliis contra alios apud Maſcardum *De prob. concl. 350.* reddit tamen ita ſuſpectam, ut poſſit exinde torqueri. Maſcardus *ibid n.*

21 ex communi. Adde, quòd Sedi Apoſtolicæ illudere non oporteat *Text. Cap. Bonæ. De poſtul. prælat.* illuderet autem Sabina Sedi Apoſtolicæ tum mentiendo: tum petendo gratiam, qua nullo modo indiget. 2. Ordinarius non tenetur ſtare aut ſententiâ, aut ſuſpicionibus Magiſtratûs civilis. Non ſententiâ, utpote quæ lata ſit parte nec accuſatâ, nec citatâ, nec auditâ, nec notoriè infami, & ne intimatâ quidem ipſi parti, àc proinde contra omnem juris ordinem, conſequenter laborans vitio nullitatis *Leg. Prolatam Cod. De ſentent. & interloc. omn. judic.* Gloſſa *fin. in Clement. Sæpe. De verb. ſignificat.* Non ſuſpicionibus: tum quia eas ſuſpiciones eſſe leves, non violentas, liquet facto Magiſtratûs, qui cùm nixus ſuſpicionibus infamaverit Sabinam de inceſtu meditato, & adulterio patrato, nec ignoret, quæ pœnæ ſint Decretæ in adulteros, atque inceſtuoſos, longè rigidiùs procedere deberet adverſùs Sabinam, quàm proceſſit, ſi violentæ ſuſpiciones, aut indicia ſemiplenam probationem facientia ſuppeterent ipſis: & verò cùm alleganti Impedimentum matrimoniale non credatur, niſi juranti, ſe ſcire. Sanchez *De Matrim. Lib. 1. diſp. 11.* aut probanti per famam *juxta Cap. Super eo. De conſanguin. & affinit.* & generatim Superior non debeat impedire ſponſos, niſi ipſi conſtet de Impedimento *Cap. fin. De clandeſt. deſponſat.* adeóque niſi conſtet per Teſtes, aut inſtrumenta, aut aliam idoneam probationem. P. Perez *De Matrim. Diſp. 43. Sect. 3. num. 1.* fit, ut Ordinarius non modò non teneatur ſtare illius ſuſpicionibus, aut ſententiâ Magiſtratûs, ſed etiam obligetur eâ non ſtare: tum quia ſtando ageret contra *citatum* Canonem finalem, utentem verbo, *Conſtiterit*, requirentémque probationem. Abbas *in cit. Cap. final.* tum quia prorſus indebitè augeret ſuſpicionem adulterii, & inceſtûs. Imò judicavi, videri mihi monendum ab Ordinario illum Magiſtratum, ut hic potiùs cogitet de pœnitentia, ob tam informem procedendi modum, agendâ, quàm ut ſuo quaſi calculo firmaret factum, & concluderet. Nec obeſt, quòd jam fortè ſit Sabina effecta publicè infamis propter ſententiam, proteſtationémque Magiſtratûs, fama autem publica ſufficiat utique ad impediendum Matrimonium, *Text. Cap. Suprà. De conſang. & affinit.* nam reſpondetur, quòd & ſententia nulla nullum producat effectum. Tuſchus *lit. S. concluſ. 154.* & fama, ſeu infamia ortum habens à ſola parte adverſaria non ſit ullius roboris, cùm &, ut aliquid probet, debeat ortum habere à fide dignis *Cap. Qualiter & quando. 2. De accuſat.* non igitur ab adverſariis, & non debeat eſſe loco accuſatoris, & denuntiatoris, ſed ſolius Teſtis. Abbas *in cit. Cap Qualiter, & quando n. 27.* Adde, quòd fama orta poſt accuſationem non adminiculetur. Delrius *Diſquiſ. Magicar. Lib. 5. Sect. 3.* An autem fama ante accuſationem orta ſit ſufficiens ad indicendam Sabinæ purgationem Canonicam, videndus eſt Abbas *loc. cit. num. 28.*

APPENDIX I.
ad Num. 548.

VIdebar quidem mihi attuliſſe hac, & priore Sectione ſat multa particularia, circa a modos, locáque denuntiationum, at plura ſuggeſſit quidam Canonicus Cathedralis Friſinganus, & ſimul Rector Eccleſiæ Parochialis in celebri oppido N. N. vir apprimè doctus, qui lecto hoc Volumine dedit ad me 23. Sept. Anno 1669. literas, quas, omiſſâ præfatione nimis officioſâ, pauculíſque aliis,

Transfero in hunc locum.

PErlectis variis, inquit, Caſibus in Theologia Experimentali reſtat, quod ſæpius mihi in praxi occurrit circa denuntiationes Sponſalium, ab opificibus ſervis contractorum, quibus poſt tyrocinium vagatis diu, multúmque per varia loca, ubi locaverant ſuam operam, offertur tandem alicubi e. g. Waſſerburgi Matrimonium, urbe valde remotâ à ſolo natali. Quæro, ubi tales denuntiationes fieri debeant, an in Parochia, ubi nati ſunt, vel ubi (e. g. Waſſerburgi) Matrimonium contrahere cogitant? Non enim obligandos puto, ut in illo, vel pluribus locis, ubi intermedio tempore ſuas operas locaverunt, proclamentur, id enim valdè inconveniens foret, eſto fortè integrum Annum commorati eſſent in uno ex illis locis peregrinis.

Neque videntur denuntiari debere in Natali parochia, ubi artem addidicerunt, cui enim ibi notum erit, eos longo tempore jam abſentes, impedimento nullo laborare? cùm facilè evenire potuerit, ut tempore peregrinationis diuturnæ contraxerint aliquod, & quàm moleſtum iis accidet, ſi à patriis laribus longè diſſiti, adigerentur vel domum ire ob denuntiationes, vel inde petere teſtimonium? Neque videtur ſatiſfieri Tridentino, ut ſolummodo denuntientur, ubi contrahere cogitant, ut cives fiant, ut tamen aliqui ſentiunt, qui tamen commorationem in uno loco trium, vel quatuor menſium ſupponunt, cùm tamen nec dum cognitum ſit num alibi deſponſati, vel aliter impediti ſint?

Sed quid ſi unico tantùm menſe, vel duabus hebdomadis hic morati ſunt, nec Matrimonium differre volunt, aut poſſunt. Tales enim, ſi ſolùm in illo loco, ubi contrahere volunt, denuntientur, haud ſatiſfacere Tri-

dentino puto. Quia enim hi brevem moram in una parochia traxerunt, ignoti ſunt, ignotáque eorum impedimenta ſecundùm Sanchez Lib. 3. De Matrim. Diſp. 6. numero 6.

Simile dubium occurrit, ſi v. g. filia Waſſerburgenſis tres, vel quatuor Annos Landiſhuti operas ſuas locavit, & durante ſervitio cum cive Waſſerburgenſi ſponſalia de futuro contraxit, intra menſem Matrimonium initura, an non pariter Landiſhuti, ubi tam longâ commoratione parochiam adepta cenſetur, & facilè ibi impedimentum contraxiſſe timeri poteſt, vigore Tridentini denuntiari debeat? Quæſo &c.

b Hactenus verba, dubia, rationes illius Reverendiſſimi Domini, & ad quæ reſpondi paucis, quia ſapienti pauca.

Et I. Quidem illos primos ſponſos eſſe *per ſe loquendo* denuntiandos in utraque Parochia, ſicuti retuli in hoc *Caſu XIII. n. 514. ex Congreg. Trident. apud Gallemart.*

Secundò tamen, quia videtur nuſquam eſſe locus huic declarationi, quando parochia unius eſt, ut eſſe ſupponit quæſtio, valde diſſita, ideo ſtandum eſt conſuetudine cujuſvis Diœceſis receptâ, etenim & hîc quoque longævi uſûs non eſt levis autoritas, & credendum non eſt Dominos Ordinarios eſſe in re tanti momenti adeò incurios, & deſides, ut permittant invaleſcere conſuetudinem, qua ob denuntiationes non factas in utraque parochia, foveantur pericula contrahendi ſæpiſſimè *illicitè, invalidéque.*

Tertiò, quia verò fieri poteſt, ut ſingulæ ex praxibus indicatis in Epiſtola, obſerventur in variis Diœceſibus, ideo nullam earum improbo in concreto, ſed cenſeo, ſtari poſſe iis, ſi ipſis faveat longus uſus, proindéque & Conſtantiæ illam, quam refero *num. 524.* Et verè quando tres, vel quatuor menſes habitârunt in loco, in quo contrahere volunt, ſatis credibile eſt, vigere pluribus in locis conſuetudinem permittentem denuntiari in eo ipſo loco, & non requirentem fieri in ſolo Natali, modò ex eo ſolo Natali adferantur literæ Parochi, negantis, eſſe ſibi, aliiſve, quos privatim interrogârit, notum ullum impedimentum, ut patet à fortiori ex deciſione Congreg. relata ſuprà *n. 512.* at verò quando tantùm tres, quatuórve hebdomadas egerunt in uno loco, nollem eos conjungi ſine denuntiationibus factis in patria, aut loco, ubi valde ſunt noti, niſi ſint ex gr. milites, qui mox debeant è ſtativis ad caſtra proficiſci, atque jurent, ſe immunes omni impedimento.

c Ad dubium de puella Waſſerburgenſi, quæ quadriennium habitavit Landiſhuti, videtur ea ſatisfactura obligationi Tridentini, moríque recepto pluribus locis, ſi Landiſhuti denuntietur, ob cauſam expreſſam in literis, ita tamen intellectam, ut ea commoratio prorſus ſolitariè ſpectata non effecerit illam puellam propriè, & in rigore parochianam Landiſhutanam, alioqui ſtudioſi literarum habitantes in uno loco ſexennium, octennium &c. eſſent veri parochiani illius loci, ſed ſolùm idcirco dicuntur latè parochiani, ſeu adepti illic parochiam, quòd acquiſierint jus accipiendi à parocho ea Sacramenta, quæ veri incolæ, veri parochiani. Huc faciunt dicta ſuprà *numero 510.* Addidi in illo meo reſponſo, quod & nunc repeto, gravem errorem irrepſiſſe priore editione in ſuperiorem *n. 515.* quem proinde correxi in *tertia*, *quarta* & hac *quinta*, & potiſſimùm *tertiâ*, & correxi juxta *primam*, à qua, ſicut & in multis aliis, quod dolens moneo, me inſcio diſceſſit per nimiam inadvertentiam *ſecunda*, effecitque non rarò ſenſum ineptum ſimul & falſum.

Denique pro ſecuro proceſſu circa objecta ſuperiorum quæſtionum obſervetur, quoad fieri poteſt, illa Bulla, & Inſtructio S. D. N. Clementis X. cujus & mentionem feci jam aliquoties, & notitiam conſecutus jam datis, ſcriptíſque his reſponſionibus, obſervetur, inquam, ſingulariter circa articulum *ſeptimum*, in quo tanguntur nonnulla de teſtibus non ſatis congruentia hiſce reſponſis. Item circa articulum *poſtremum* ita ſonantem: *Ordinarii præcipiant omnibus, & ſingulis Parochis in eorum Diœceſibus exiſtentibus, ut pro Matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Eccleſiis, niſi certiorato Ordinario, à quo, vel ejus Generali Vicario priùs teneantur Autenticam reportare, quòd pro tali Matrimonio fuerunt examinati in eorum Tribunali, qui probant ſtatum liberum contrahere volentium.* Ita Inſtructio, quæ cùm adverſetur conſuetudini indicatæ à nobis *lit. b. & c.* eam ob rem habenda eſt inpoſterum ratio Inſtructionis, non meæ reſponſionis. Dictam Inſtructionem reperies deſcriptam integre in fine hujus X. *Tractatûs.* d

APPENDIX. II.

HAnc Appendicem, & Caſum *Septimum* hujus Sectionis *Tertiæ* efficiunt, & ſubminiſtrant humaniſſimæ literæ, quas ad me exaravit proximo Septembris eximius Sacræ Theologiæ Profeſſor in S. Blaſii Monaſterio antiquiſſimo ſimul, & florentiſſimo, & quibus enixè deſiderabat cognoſcere, quid mihi videretur de reſolutione, quam ipſe dederat ad ſatis perplexum Caſum Matrimonialem, involventem materiam de Denuntiationibus. Quia verò mihi meritò probatum fuit ejus reſponſum, utpote firmis nixum fundamenis, cen- a

Digitized by Google

cenſui, eſſe illud una cum ſpecie facti ad pluriũ utilitatem huc transferendum verbatim. Sic ergo ſcribit eruditus ille Sancti Benedicti filius.

b „ *Titius affectat nuptias cum Titia, ſed quò minùs libere, & ſine ſcrupulo ejus intentioni ſatisfaciat Parochus per ſuam aſſiſtentiam, in cauſa eſt ſuſpicio intercedentis Conſanguinitatis in ſecundo gradu. Nam Titius habuit avum Sempronium, qui dicitur ex concubitu fornicario cum quadam Maria, vaga muliere ſuſcepiſſe Mævium patrem Naturalem Titiæ ex legitimo thoro: dicitur, inquam, & à nemine quidem alio, quàm ab ipſomet Mævio, affirmante, ſe aliquando à Maria ſua matre audiiſſe, Sempronium eſſe ſuum genitorem, & pro genitore fuiſſe nominatum baptizatori, notatùmque in libro baptizatorum. Præter hanc unam unius Mævii aſſertionem nil penitus conſtat, quæ ſi vera eſſet, Titius, & Titia deſcenderent ab uno avo, & in ſecundo gradu forent conſanguinei, ut conſtat: ſed notandum. 1. Quòd Maria fuerit meretricula, & varios viros intra breve tempus ad concubitum admiſerit. 2. Quòd Sempronius conſtanter negaverit, ullum ſibi fuiſſe cum Maria commercium, ſufficiens ad aliquam generationem. 3. Quòd quidam Udalricus concubitum cum Maria palàm ſit faſſus, & Mævium ſibi admodum vultu, & moribus ſimilem, aliquoties pro filio agnoverit, promiſeritque, pro alimentis certum illi legatum facere. 4. Quòd in libro Baptiſmali Sempronii nomen non reperiatur notatum, fortè quòd folia ſint elacerata. 5. Quòd teſtes idonei deponant, Sempronium contra Mariam olim per judicialem ſententiam fuiſſe abſolutum, & exinde Mariam à Sempronio nihil unquam prætendiſſe, nec pro genitore Mævii deinceps evulgâſſe. Iſta ſunt circumſtantiæ totius Caſûs, juxta quas duo potiſſimùm quæruntur.* Primum, *utrùm conſideratis præcedentibus circumſtantiis, inter Titium, & Titiam poſſit jure, & de jure præſumi Conſanguinitas?* Secundum, *ſi præſumi non poſſit, an libere, & ſine diſpenſatione conditionali, ſeu ad melius eſſe pro utroque foro poſſint contrahere, & admitti ad Matrimonium?*

c „ Quid, ſalvo prudentiorum judicio, reſponderim, Reverentiæ Veſtræ paucis aperio. Ad *primam* quæſtionem reſpondi *negative*, varias quidem ob cauſas, ſed ob duas potiſſimùm, *prima*, quòd meretriculæ plures viros intra paucos dies admittenti, & unum præ aliis pro genitore ſpuriæ prolis denominanti fides prudenter haberi nec poſſit, nec debeat: reſponſum firmavi autoritatibus, & rationibus variis, illis ut plurimùm, quas Adm. Rever. Veſtra Paternitas affert *in Theolog. Jurid. Moral. cap. 31.* & alibi, inſinuátque *in Alphab. Baptizat. Caſ. IV. num. 163.*

d „ *Secunda*, quòd fundamentum Conſanguinitatis, quæ credi poſſet intercedere reſpectu Titii, & Titiæ, nulli probabili rationi, ſed meræ conjecturæ, & ſuſpicioni innitatur, ob quod non ſit poſitivum dubium de dicta Conſanguinitate, ſed mera incertitudo, & poſſibilitas: Ut quid ergo poſſit de jure præſumi? Certè unumquemque eſſe liberum ad contrahendum cum quavis non impedita à jure, vel natura, vel contra quam non pugnet præſumptio juris, dictat ratio, & probat abunde Thomas Sanchez *Lib. 8. De Matrim Diſp 6* cum Tambur. *Lib. 8. De Sacram. Tract. 1 cap. 5.* aliiſque paſſim cum Paternitate veſtra *in 1 Part. Alphab. Matrim. num. 681* docentibus, in dubio de exiſtentia Impedimenti dirimentis, quando juris præſumptio pro illo non facit, nullâ opus eſſe diſpenſatione.

Unde ad *ſecundam*. Quæſtionem dicendum putavi, Titium ad ducendam Titiam nullâ indigere diſpenſatione, nec Parochum poſſe jure illi denegare ſuam præſentiam, ſi aliud no emergat, quia contra ipſas nullum Impedimentum dirimens poteſt probari, vel de jure præſumi. Reſponſioni favent omnes præmemorati.

e Scio, pauciora ſufficere ad Impediendum, quàm ad diſſolvendum Matrimonium, ſed utique illa quæcunque pauca debent eſſe ſaltem fundata inprobabili ratione, aut præſumptione rationabili, quam in caſu præſenti non video, ſiquidem totum ſuſpicationis fundamentum nititur dicto unius Teſtis de auditu, & quidem ex una meretricula, à cujus infamatione ſeſe Sempronius prædictus liberavit, partim per ſententiam judicialem, partim per conſtantem negationem concubitûs fornicarii, uti teſtantur viri fide digni.

Scio itidem, credendum eſſe uni Teſti propriam turpitudinem allegantì per *Cap. Per tu. De ſponſal.* nego autem, credendum eſſe matri, mulieri vagi concubitûs certum genitorem nominanti, quando ipſa incerta eſt, ex quo conceperit, inſuper in judicio de facta nominatione reprehenſa, & impoſterum ſilere juſſa, uti eveniſſe præfatæ Mariæ memini.

Sed ne ſenſui meo temerariè blandirer, admodum Rever. Paternitati Veſtræ, tam ad inſtantiam ipſius Titii, de quo controverſia agitur, quàm propriâ meâ inclinatione, judicium, & utriuſque quæſtionis reſolutionem confidenter, & enixè peto, ſimúlque moneo, Titium à Titia in dies urgeri ad Matrimonium procurandum, quia ab ipſo jam carnaliter cognita, éſtque periculum imprægnationis, & ulterioris fornicationis, ut propterea Titius reſponſum ab Adm. Reverenda P. Veſtra vehementer exoptet. Exſpectabo igitur hoc Beneficii, charitatiſque genus, & interim Opt. Numen obteſtabor, ut Adm. Reverendam Patern. Veſtram diutiſſimè ſervet incolumem.

Dabam in Monaſterio S. Blaſii 7. Septembris. 1668.

Hactenus epiſtola, ad cujus ſtabilimentum, quod neceſſariò adderem, non habebam, cùm una fundamentalis ratio niteretur *implicitè text. Cap. In præſentia. De Renunc.* ſtatuente, ut pro ſententia judicis ſtetur, donec ali-

aliquid contra ipſum legitimè probetur, & addi poterat, non credi uni teſti de auditu etiam in cauſa conſanguinitatis, ſi audivit ſolùm ex uno. Suprà *num. 542.* Monui tamen, ſi lis eſt recèns orta, Parochum non poſſe aſſiſtere illi Matrimonio propter inhibitionem Conſtitutionum Synodalium Conſtantienſium, propoſitam *Tract. 9. num. 165.* cauſam ergo deferendam ad Conſiſtorium.

APPENDIX III.
ad eundem. num. 548.

a Quidam è noſtræ Curiæ DD. Conſiſtorialibus dedit mihi cauſam attexendæ hujus Appendicis, conſulens me ſuper hoc *Octavo*, & ad forum Eccleſiaſticum jam deducto

Caſu mihi ipſi novo.

Nebridio, & Nicoliâ Sponſis jam ſemel publicè denuntiatis, adeſt Numidius Septuagenarius, formátque coram Parocho duplicem narrationem, ſeu deſcriptionem conſanguinitatis inter hoſce Sponſos talem, ut ex una clarum evadat, eſſe junctos quarto, ex altera ſolùm quinto gradu. Aſſerit autem jurejurando, ſe olim ex fide perquam dignis didiciſſe alterutram (quoad communem ſtipitem) deſcriptionem, at non meminiſſe, utram intellexerit, adeòque dubitare, fuerítne Nicoliæ ex illa aliorum bonorum virorum relatione abavus, an atavus (juxta nomenclaturam à nobis propoſitam Tract. præced. num. 155.) *horum Sponſorum, cùm fuerit certò vel Abavus, vel Atavus. Quærebatur igitur, poſſéntne Nebridius, & Nicolia jungi matrimonialiter abſque diſpenſatione?*

b Ratio aſſerendi petebatur ex eo, quòd ego *cit. Tract. præced. num. 62. & 681.* aſſentiar tenentibus, in dubiò ſublítne aliquod impedimentum, poſſe, poſt fruſtra adhibitam veritatis inquiſitionem, procedi ad Matrimonium.

Nihilominus tamen de hoc mihi ipſi, qui tot in ſpecie legi, audivi, *novo* Caſu reſpondi, petendam eſſe Pontificiam (cùm factum ſit publicum) diſpenſationem.

Ducebar I. Quòd de ſimilibus ferendum ſit ſimile judicium, illi autem, qui dubitant, ſíntne juncti quarto, an quinto gradu Cognationis, ſunt ſimiles ambigentibus, jámne inchoârint Annum ætatis XXV. An verò ſolùm XXIV. atqui tales arcentur à Sacerdotio, ut ex communi ſcripſi *Tract. 8. num. 530.*

c Ducebar II. Illâ ipſâ ratione, quam allegato *num. 530.* inſinuavi de factis probandis, non præſumendis *Leg. 1. Cod. De probat.* propagatio autem alicujus ſtirpis uſque ad quintum, octavum, decimum &c. gradum eſt utique factum, ſeu aliquid facti, ergo ſi non probetur, eſt perinde, ac ſi nihil de illo ſciatur.

Ducebar III. Quòd ſimiliter mutatio *ſimpliciter* ſumpta non ſit in dubio præſumenda, ſed probanda. Maſcard. *De probat. concluſ. 1082.* ſiquidem & illa eſt quid facti, ergo nec præſumenda eſt mutatio *ſecundùm quid*, ſeu major, ſed probanda. Atqui quantò ſit major receſſus à communi ſtipite conſanguinitatis, tantò ſit mutatio major, utpote major diſſolutio unitatis, & vinculi intercedentis inter ſtipitem, & primum deſcendentem.

d Hinc utebar conſequenter, (& conformiter limitationi expreſſæ *cit. num 651.*) hoc juris principio: *In dubio debet illud præſumi, pro quo ſtat Regula Iuris.* DD. cum Barboſa *Axiomat. 192. num. 2.* qui enim habet Regulam pro ſe, habet quoque fundatam in Jure intentionem, *cap. Ad decimas. in fin. De reſtit. Spoliat. in 6.* atqui produxi duas Regulas pro quarto gradu, ſeu excluſione quinti. Vide Caſum propè ſimilem *Tract. præced. num. 167. Caſ. VII.*

Porrò illum Senem Numidium tametſi denuntiantem ex ſolo auditu fuiſſe audiendum, liquet ex dictis in hoc ipſo *Caſu XIII. num. 535.* ubi dixi, teſtem de auditu eſſe idoneum in cauſa conſanguinitatis, ſi audivit à pluribus, cujus quidem conſanguinitatis aſſertionem reddebat utcunque veroſimilem etiam cognomen, quo eodem potiebatur Nebridius, & Nicolia.

e Nec obſtat, quòd Juriſtæ negent fidem teſti titubanti, Numidius autem videatur titubare, hoc ipſo quòd non *abſolutè*, ſed *disjunctivè* loquatur, & deponat. Etenim ejuſmodi disjunctivam non eſſe argumentum titubationis, dixi in ſimili ſuprà *Tract. 9. Caſ. XIII. num. 533.* His & aliis perpenſis fuit injunctum partibus, ut ſi copulari vellent, ſupplicarent ſuæ Sanctitati (vel Illuſtriſſ. Domino Nuntio, ſi ſint pauperes) pro gratia diſpenſationis, non ſimpliciter, ſed ad cautelam, ut parceretur majoribus ſumptibus.

f At ſciſcitabitur fortè curioſus Lector, *quid faciendum, ſi Numidius ſtruxiſſet duplex ſchema affinitatis, unum directæ, alterum indirectæ, jurans, illos Sponſos jungi alterutro, adeòque vel Abavum Nebridii fuiſſe germanum Abavi Nicoliæ, vel hunc germanum habuiſſe uxorem, cujus frater fuerit Abavus ejuſdem Nicoliæ inſignitus eodem cognomine, quo Abavus Nebridii?*

g Reſp. Tunc fortè habuiſſet locum noſtra generalis doctrina de non curando impedimento dubio. Etenim affirmanti affinitatem *directam* incumbit probatio, qua deficiente remanet ſola *indirecta*, cujus ratio nulla eſt habenda ex dictis *Tract. præced. Caſu XVI. num. 397.* Verùm quia affinitas *indirecta* eſt ſolùm impropriè dicta affinitas, eáque rariſſimè nominatur, aut agnoſcitur inter plebejos, quando extenditur ad quintum gradum, idcirco præſumenda eſſet propriè dicta, nam pro hac

præ-

Digitized by Google

præſumptione ſtant in dubio ſaltem duæ Regulæ, ſcilicet *à proprietate verborum, & à communiter contingentibus.*

DE BENEDICTIONIBUS MATRIMONIALIBUS.

CASUS XIV.

Excitatorius.

SUMMARIUM.

Caſus Parochi conjungentis, & benedicentis in aliena Parochia? 549.
Diſcutitur ratio licentiæ tacitæ. 550. *& ſeqq.*
Decretum Tridentinum de Benedictionibus nuptialibus. 559.
Sintne ea in præcepto? 560.
Quid de ſecundis nuptiis? 563.
Decretum Conſtantienſe de Confeſſione præmittenda nuptiis? 568.
Caſus volentium haberi pro illegitimis natos ex Matrimonio non benedicto. 569.
Regina Hiſpaniæ mirum dictum de ſuis Conſiliariis. 570.
Caſus litigioſus inter duos Parochos, ratione Benedictionum. 571.
Quid intelligatur per Faciem Eccleſiæ? 575.

549 O*Laus Parochus convenit cum ſponſis de certa die copulationis, ſed ante hanc peregre abiit trans Danubium. Dicto die adſunt ſponſi cum hoſpitibus invitatis, ruſticis, & nonnullis aliis, ignari itineris à Parocho ſuſcepti. Abeſt Parochus, neque poteſt propter repentinam aquarum eluvionem adeſſe. Sponſi accedunt vicinum Parochum quendam, orántque, ut Matrimonio aſſiſtat, ſed id ille recuſavit, quòd licentiam à proprio Parocho non haberet. Conventus ergo alius, etiam vicinus, qui ſine mora aſtitit, & ſponſos copulavit, atque benedixit. Quæritur, an validè? maximè, ſi iſte alioquin, abſente Parocho, ſolitus non ſit in eo loco vices ſupplere, & Sacramenta adminiſtrare. An non etiam talis cenſeri poteſt habere in dato caſu licentiam tacitam, & præſumptam, non de futura ratihabitione, ſed de præſenti?*

Hæc deſcripſi ex literis ad me à profundè docto Profeſſore Theologiæ Moralis, ac deinde ſacrorum Canonum, datis, poſtquam jam erat à deputatis Cenſoribus approbatus *Tract. præcedens*, ſeu *Nonus*, in cujus *Caſ. XVIII.* abſque dubio expreſſiſſem hunc Caſum *Excitatorium*, ſi habuiſſem tunc ejus notitiam. Solutionem, quam iteratis literis expetiit ille P. Theologus, hîc dabo. Et ne integre extra rhombum, expreſſi impertitionem Benedictionis nuptialis, de qua tamen haud fecit mentionem is, qui dictas literas dedit, jungendam iis, quæ copiosè, ac diſtinctè tradidi illic de præſentia Parochi proprii, neceſſaria ad valorem Matrimonii.

Appello autem *Excitatorium*, quia me, & fortè aliquem alium rerum Moralium Tractatorem excitabit ad exprimenda in libris quælibet particularia alicujus conſiderationis, quæ lecta, audita, & cogitata fuêre. Hæſi ipſe anceps ſatis diu, quid reſponderem quoad *primam* partem, ſeu copulationem ipſam, quantò magis alius? Si quis fortè reperiatur, uſu, & ſtudio minùs peritus, quàm ego.

Quæritur ergo I. *Utrùm Parochus ille alienus verè habuerit* tacitam, & huc ſufficientem *de præſenti licentiam copulandi illos conjuges?* 550

Reſp. Conſideratis præcisè circumſtantiis, quæ exprimuntur in ſpecie facti, probabiliter vel penitus non adfuit licentia *tacita* Parochi, vel ſi adfuit, tum adfuit modo inutili, & conſequenter Parochus ille alienus *invalidè* copulavit tales ſponſos, ut liquet ex Trident. *Seſſ. 24. De Reform. Matrim. cap. 1.* Penitus non adfuiſſe, probatur inde, quòd nec in narratione exprimatur, nec adferatur ulla circumſtantia, ex qua judicare quis poſſit, conceſſam fuiſſe re ipsâ, plus enim non colligitur inde, quàm quòd propriùs Parochus ita fuerit comparatus, ut certò dediſſet alieno licentiam, ſi in mentem veniſſet, ejuſmodi verò diſpoſitio non continet licentiam *tacitam*, hæc quippe pendet ab aliquo actu *poſitivo* concedentis. Expreſſè P. Suarez *Tom. 4. in 3. Part. Diſp. 27. ſect. 4. n. 16. & 17.* & liquet ex Doctoribus, quos mox referam pro *tacita* licentia in hac ſpeciali materia, & retuli *Tract. 7. Caſ. III. num. 90.* in materia abſolutionis Sacramentalis.

Quid *ſi autem non modò cogitâſſet, ſed etiam dixiſſet Parochus apud ſe: O utinam illi ſponſi ita ſapiant! ut accedant quemcunque Parochum, aut Sacerdotem, quàm mihi gratum foret?* Reſp. Tunc quidem data fuiſſet *tacitè* licentia, ſed modo inutili, & inefficaci, ut enim efficaciter concedam, etiam *tacitè*, talem licentiam, debeo meam concedendi voluntatem exprimere ſigno P. Sanch. *Lib. 3. Diſp. 36. num. 8.* clariſſimè ad propoſitum. P. Coninck *Diſp. 27. dub. 3. num. 31.* P. Reginaldus *Lib. 1. num. 90.* P. Suarez *De pœnit. Diſp. 26. ſect. 1. num. 16.* dicens hoc eſſe *certum.* P. Palaus *De Matrim. Diſp. 2. punct. 13. §. 12.* poſt P. Hurtadum *Diſp. 5. diff. 13.* & alios. Nam licèt licentia paſſiva aſſiſtendi Matrimonio non ſit propriè juriſdictio, eſt tamen quaſi juriſdictio, & quoad neceſſitatem externæ manifeſtationis æquiparatur ejus conceſſio conceſſioni juriſdictionis. Sanch. *ibidem.* 551

Adde, quòd, licèt Parochus dixiſſet verbi idipſum, quòd animo, attamen ne tunc quidem fuiſſet quidquam effectum; etenim debuit manifeſtare hunc animum alteri mediatè, vel imme- 552

immediatè Sanchez & Palaus *ll. cc.* Barboſa *De Parocho Part.2. cap.22. num.75.* Coninck *loc. cit. num.92.*

553 Adeò ut, ſi ipſe rogatus expediſſet curſorem ad illum ipſum Parochum, qui refertur eos conjunxiſſe, ille autem curſor perveniſſet ad eos primùm poſt jam peractam copulationem, debuerit ille connubialis contractus repeti ex ſententia Hurtadi, & Pontii apud Palaum *loc. cit. num.5* rectiùs diſſentientem cum Sanchez, Coninck, Barboſa *loc. cit.* nam *Tract. præced. Caſ. XXIII. num.669.* diximus, diſpenſationem habere ſuam vim, mox ut Papa dixit: *Diſpenſamus.* At verò ſi ſponte miſiſſet Parochus talem curſorem, ejus ſerus adventus obfuiſſet valori, ſiquidem licentia motu proprio conceſſa nil operatur, niſi poſt notitiam conceſſionis. Barboſa referens Declarationem Congreg. P. Coninck *cit. num.32.* P. Perez *De Matr. Diſp.41. ſect.2. num.2.* ſcribens, hoc eſſe certum.

554 Confirmantur hæc omnia reſponſa tum autoritate Stephani à S. Paulo *in Theolog. Moral. Tract.5. Diſp.8. dub.3.* deſcribentis ex me Caſum de Olao, approbantiſque meas reſponſiones, tum iis, quæ de actuali conceſſione licentiæ tradidi *in Alphab. Confeſſarior. Caſ. III. n. 87. & ſeq.* ac tradunt Cardin. De Lugo *Diſp.19. De pœnit. ſect.2. num.23.* & P. Dicaſtillo etiam *De pœnit. Diſp.10. dub.7. num.176.* expreſſè *n. 167.* æquiparans, & meritò quidem quoad hoc, *tacitam* aſſiſtendi cum *tacita* abſolvendi licentia, ſicut ergo ad hanc non ſufficit, quòd certò danda fuiſſet, ſi de ea cogitatum eſſet, ita neque hîc, ſed exigitur ea, quam dixi.

555 Hinc reſcripſi illi P. Theologo, videri mihi, per principia intrinſeca (nam ſpectatis, ut par eſt, extrinſecis, mitiùs locutus ſum *in Alphab. Confeſſar. Caſu III.*) illud Matrimonium eſſe iterandum coram proprio Parocho, vel coram alio de licentia ipſius, & ratio hujus reſcripti eſt adhuc alia, ut ſcilicet occurratur ingentibus malis, quæ evenire poſſunt, ſi illi putatitii conjuges intelligant poſt aliquos Annos, eorum conjugium eſſe probabiliſſimè in-
556 validum. Sed inſtabat ille nunc Theologicâ laureâ inſignitus Profeſſor Sacrorum Canonum, hoc modo: Quævis ſigna clarè exprimentia voluntatem merè *internam* dandæ licentiæ ſufficiunt. Coninck *loc. cit. num. 29.* atqui illa voluntas Parochi fuit ſufficienter intimata per illas ipſas circumſtantias, ex quibus prudenter judicari poteſt, quòd Parochus hîc, & nunc velit per alium fieri, quod ipſe debet, & vult, ſed ex evidenti cauſa non poteſt per ſe facere: etenim & vicini Parochi Theologiæ, & Sacrorum Canonum non omnino imperiti, ipſeque Parochus poſtea domum reverſus habuère illas circumſtantias, quæ in ſpecie facti exprimuntur, pro ſufficienter declarantibus conceſſionem *tacitam* licentiæ, quare nihil cogitandum videtur de revalidando illo Matrimonio, cùm ſit omnino probabile, eſſe, fuiſſéque validum, ſequens autem opinionem probabilem validè aſſiſtat Matrimonio. Bonacina *De Matr. quæſt. 2. punct.8. num.27.* Ita ferè ille Doctor diverſis ad me Epiſtolis, quibus evicit, ut omnino nunc judicem, eſſe verè probabile, adfuiſſe in illo particulari eventu ſigna externa, quæ, ſpectato etiam ingenio, & more agendi illius Parochi, cuivis ſufficerent, & quia erat cum ſuis qualitatibus huc facientibus notus ſpontaneo Vicario, aliiſque vicinis, prudentem injicerent opinionem de licentia iſtius, ac proinde nec habendam ſolicitudinem de ratificatione, juxta ea, quæ ipſe dicam infrà *Caſ. XXI. n.738.*

At verò quia ille idem Profeſſor quærit ge- 557
neratim, utrùm proprio Parocho, ob intervenientem caſum, abſente ad diem dictum copulationi, poſſit alius vicinus ſacerdos ſponſos *validè* copulare? Reſpondeo, non poſſe generatim id aſſeri, quandoquidem non ſolùm nequit generatim aſſeri, intervenire tacitum abſentis conſenſum, cùm revera ſit plures reperire, qui nolint tunc vel à quoquam, vel certè non à quolibet obiri ſuas vices, & non expediat exiſtere illam generalem licentiam, ſed neque licèt fortè exiſtat in pleriſque, ſit tamen ea manifeſtata, aut ullo Eccleſiaſtici Magiſtratûs Decreto, aut notoriâ generali conſuetudine, aut ipſâ per ſe abſentia Parochi junctâ dicto diei copulationis. Poſſet tamen haud rarò deſumi ſufficiens exterior voluntatis *internæ* conjectura ex indole Parochi, verbis quibuſdam ejuſdem, atque ex Leſſii doctrinâ adductâ ſuprà *Tract.7. Caſ. III. num.95.* ſingularis voluntas gratificandi ſponſis &c. & tunc haberet locum doctrina Patris Coninck ſuprà relati, cùm ſit certum, nullo modo exigi verba formalia licentiam exprimentia, ſed horum vicem ſupplere poſſe reales, & poſitivas, imò etiam negativas circumſtantias, ſicut, in ſpecie loquendo, alienus Parochus, de quo ſuprà, ſufficiens habuiſſet ſignum pronæ voluntatis, ſi aliàs fuiſſet ſolitus obire vices abſentis. Et licèt non fuerit locutus, ponamúſque, abfuiſſe re ipſâ *tacitam* licentiam, haud tamen incurriſſet pœnam ſuſpenſionis, ſtatutam à Synodo Trident. *Seſſ.24. cap.1. De Refor. Matrim.* Etenim ea Synodus loquitur diſertè de illo ſolo, qui *auſus fuerit* conjungere alienos ſine licentia proprii Parochi, quæ clauſula denotat temeritatem. Barboſa *in hunc locum Tridentini num.159.* poſt Sanchez, & Gutierez, abfuit autem temeritas ab eo, de quo diſſerui copioſiùs, quàm hic locus exigat, jungi tamen poterunt hæc facilè iis, quæ *in Tract. præced. Caſ. XVIII.* ſcripſi ex inſtituto de facultate proprii Parochi neceſſaria.

Quæritur autem ulteriùs II. *An æque fuiſ-* 558
ſet excuſandus, ſi fortè copulationi junxiſſet benedictionem? Reſp. Non æquè facilè. Rationem hujus reſponſionis, & plurium ſecuturarum reſolutionum petes ex ſequenti

Decreto

Digitized by Google

Decreto Concilii Tridentini.

559 *Eadem ſancta Synodus hortatur, ut conjuges ante benedictionem ſacerdotalem in templo ſuſcipiendam in eadem domo non cohabitent, ſtatuítque, benedictionem à proprio Parocho fieri, neque à quoquam niſi ab ipſo Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi poſſe, quacunque conſuetudine etiam immemorabili, quæ potiùs corruptela dicenda eſt, vel privilegio non obſtante. Quòd ſi quis Parochus, vel alius Sacerdos, ſive Regularis, ſive ſæcularis ſit, etiamſi id ſibi ex privilegio, vel immemorabili conſuetudine licere contendat, alterius Parochiæ ſponſos ſine illorum Parochi licentia Matrimonio conjungere, aut benedicere auſus fuerit, ut ipſo jure tamdiu ſuſpenſus maneat, quamdiu ab Ordinario Parochi qui Matrimonio intereſſe debebat, ſeu à quo benedictio ſuſcipienda erat, abſolvatur.* Hactenus Sancta Synodus *Seſſ. 24. cap 1. De Reform. Matrim.*

Ex his verbis infero ſeqq.

560 I. Parochus, qui copulavit Parochianos Olai, ſi eos etiam benedixiſſet, excuſandus fuiſſet difficiliùs, quàm quòd copulârit, non ſolùm, quia ut ſic peccâſſet bis, ſed vel maximè, quia minùs probabiliter ſupponere potuit, potiri ſe tacitâ poteſtate benedicendi, quàm ſolùm copulandi, nam, & primùm deſcripta verba Tridentini Concilii valde diſtinctè, emphaticéque interdicunt alieno benedictionem alienorum, & poterat ea benedictio reſervari proprio Parocho, ſine ullo incommodo notabili ſponſorum, & denique non deliquiſſent conjuges illi, ſi in tali circumſtantia temporis, & loci deprehenſi ſuperſediſſent omni petitione, receptionéque benedictionis. Etenim

561 II. Nec venialiter, *per ſe loquendo*, peccant conjuges, non petentes ullam benedictionem. Navarrus *in Manuali cap. 22. num. 83.* cum pluribus, Tannero *Diſp. 18. quæſt. 3. num. 135.* poſt Cajet. & alios conſtituente hîc peccatum veniale, Ochagaviâ mortale apud Barboſam *in*
562 *cit. cap. 1. Trident. Concil. num. 150.* Sed certè Synodus Tridentina, & Conſtitutiones Synodales noſtræ utuntur ſolo verbo *hortandi*, non *præcipiendi*, unde exprimit Navarrus, poſſe abſque ullo peccato omitti etiam in locis, in quibus ſolent adhiberi. Ego cenſeo, in talibus locis non poſſe ſine ſcandalo prætermitti, ac proinde fortiter pugnandum pro illarum retentione. Eſſe de eſſentia Matrimonii, malè ſuppoſuit quidem J. C. apud Thom. Grammat. *conſ. 168.* de quo infrà. Eſſe mortale, uti Matrimonio ante benedictionem perceptam, cenſent Averſa, & Leander apud P. Thom. Tamburin. *Tract. 6. De Matrim. cap. 3. §. 1.* ego cum hoc dico, & palàm ſcribo: *Niſi clarè conſtent gravia onera, nolo ea fidelibus imponere*, poſſunt ex benedictiones penitus omitti, *per ſe loquendo*, ſine gravi noxa, ergo & integre poſtponi conſummationi matrimoniali, ſicut & præferri poſſe Denuntiationibus, latè confirmavi *Caſ. XIII. ſect. 1. in Append. Apologetica* adverſùs P. Stephanum à S. Paulo.

III. Secundæ nuptiæ prohibentur benedici, *cap. 1.* & *cap. Vir. De ſec. nupt.* idque eſt verum, licèt vel ſolus vir, vel ſola mulier tranſeat ad ſecundas nuptias. *Text. expr. in cit. cap. Vir.* verum quoque, licèt priùs Matrimonium fuiſſet invalidum. Navarr. *loc. cit.* & alii apud Barboſam *num. 152.* Obtinet tamen generalis conſuetudo Diœceſeon, teſte Barboſa *loc. cit. n. 531.* & aliis, ut, ſi viduus ducat virginem, repetatur ſolennis benedictio, contradicente tamen expreſſè Obſequiali Conſtantienſi *fol. 285.* ob expreſſam authoritatem *cit. cap. Vir.* interim exprimente Navarro *cit. cap. 22. num. 83.* poſſe conſuetudine introduci, ut etiam, quando mas virgo ducit viduam jam antè benedictam, benedicatur uterque, licèt in Romano, & Mechlinienſi Rituali expreſſè contrarium ſtatuatur, fortè ideo, quòd in Miſſa de ſponſo & ſponſa, prima, & principalis, valdéque energetica Oratio, ſeu Collecta dirigatur ad ſolam uxorem, & generatim conſuetudine receptum eſt, ut, ſi alter contrahentium non accepit ante benedictionem, uterque benedicatur, inquit Henriq. *Lib. 11. cap. 16.* qui ignoravit præſcriptum Ritualis Romani, Mechlinienſis, Conſtant. Jura quoque permittunt, & requirunt, ut, quando uterque jam fuit in alio conjugio, attamen neuter benedictus, benedicatur uterque. Navarr. Henriquez alii At Obſequiale, ſeu Rituale Conſtantienſe ſolùm permittit cum Hoſtienſi, qui *ibid.* citatur, interim præferens opinionem contrariam Hoſtienſis ſententiæ. 563 564 565

IV. Nomine *proprii* Parochi intelligitur hîc ille, qui habet juriſdictionem in conjuges. Barboſa *loc. cit. num. 154.* adeóque ſufficit Parochus utriuſlibet ſponſorum. Barboſ. *ibidem.* poſt Sanchez *Lib. 7. Diſp. 82.* Bonacin. & alios, contra Cavalcanum, & Cevall. volentes, ut benedictio fiat à Parocho mulieris. 566

V. Benedictiones nuptiarum eſſe in Adventu, ac Quadrageſima interdictis, conſtat ex Trident. Concil. *Seſſ. 24. cap 10.* & quidem eſſe magis interdictas, quàm ipſammet copulationem, patet ex dictis *in præced. Alphabet.* ſeu *Tract. Caſ. II. num. 71.* ubi oſtendimus, ipſummet contractum matrimonialem eſſe ſine benedictione licitum eo tempore. 567

VI. Synodus Tridentin. *loc. cit.* hortatur, Conſtantienſis *cit. Part. 1. Tit. 16. num. 10.* ſeriò mandat, ut novi conjuges, non introducantur, niſi priùs ad minùs per Confeſſionem Sacra- 568

Digitized by Google

cramentalem à peccatis ſuis expiati fuerint. Quare delinquunt mortaliter Conſtantienſes, non obſecundantes huic mandato, cùm & ſit ſerium, & de re gravi. Nec dubium, quin delinquant lethaliſſimè, ſi conſtituti in ſtatu peccati mortalis ſuſcipiant Sacramentum Matrimonii, ergo jure Divino tenentur ſaltem elicere contritionem.

569 Ex his deduc ſolutionem horum duorum Caſuum.

Primus eſt hic: *Quidam Fabritius nomine celebravit nuptias ſine ullis benedictionibus: ſuſcepit deinde liberos, quos proximi agnati voluêre excludere hæreditate, tanquam illegitimos, eò quòd Matrimonium paternum caruerit omni benedictione Sacerdotali, an jure id tentârunt?*

570 Eliſabetha Regina Hiſpaniæ aliquando dixit, ſe nunquam conſuluiſſe Medicum, Juriſperitum, nec Theologum, qui ei non reſpondiſſet, quod fieri ipſa optabat, ut refert P. Ludov. Molina *Tract. 3. Diſp. 23. num. 4.* Vulgo etiam fertur, nullam cauſam eſſe ita iniquam, ut non reperiat Advocatum, vel patronum, & invenêre unum Jureconſultum illi agnati, ſicuti teſtatur Thomas Grammaticus *conſ. 168.* addens, ſe audacter diſſentire ab eo, quin eſt audaciſſimè diſſentiendum, quia nullâ prorſus ratione probari poteſt, benedictionem nuptiarum ſpectare ad rationem harum, ſicut ſpectat e. g. præſentia Teſtium, etſi quippe Matrimonium tale vocetur etiam clandeſtinum. *Suprà num. 476* non tamen omnia quocunque modo clandeſtina irritantur à Concil. Tridentin ſed ea ſola, quæ ſunt, ob Parochi, & Teſtium abſentiam, clandeſtina, ut liquet, ex ipſamet litera Concilii *cit. cap. 1. De Reform. Matrim.*

571 *Secundus* eſt. *Parochus S. Marci Venetiis copulavit Matrimonio Nivardum è Parochia S. Luciæ, & Nicoſtratam è ſuamet Parochia. Peractis nuptiis, at dilatâ aliquantiſper benedictione migravit Nicoſtrata in ædes mariti: Nihilominus prætendit Parochus S. Marci jus exequendi dilatas benedictiones an jure?*

572 Id factum Venetiis, teſtatur Proſper Fagnanus *in cit. cap. Vir. De ſec. nupt.* & reſpondet *negativè*, etſi id fuerit ex immemoriali conſuetudine fundata in eo, quòd Venetiis ſoleant nuptiæ contrahi coram Parocho ſponſæ, non autem ſponſi, quando hic ſubeſt alii Parocho. Ratio, cur neget, eſt, quia Trident. Concil. ut vidimus ſuprà, expreſſè reprobat etiam immemorialem conſuetudinem benedicendi alienos
573 parochianos. Ego, tametſi agnoſcens cum Fagnano, & P. Thoma Tambur. *Tract. 6. De Matrim. cap. 4 §. 3.* id non eſſe licitum, per ſe loquendo, attamen non poſſum inducere in animum, ut improbem hunc morem in ea urbe, utpote quæ abundet longè ſapientiſſimis viris, legúmque ſcientiſſimis, & quæ id faciat in oculis Illuſtriſſimorum Dominorum Nuntiorum Apoſtolicorum, ergo jure id facit, unde unde jus illud promanet;

VII. Peccari ſolùm venialiter, ſi ſponſi be- 574
nedicantur tempore vetito, aut ſi ſponſa ſolenniter deducatur, poſſéque ex gravi, licèt rara, cauſa diſpenſari hac in re ab Epiſcopo, tradit Tamburinus *cit. cap. 4. §. 5.* Tu conſidera.

Quæritur III. *Quid intelligatur per* Faciem 575
Eccleſiæ, *cùm in Trident. Concil. cit. cap. 1. dicitur, Matrimonium eſſe celebrandum* in facie Eccleſiæ?

Reſp. *Facies Eccleſiæ alibi dicitur janua Eccleſiæ, ut in Luſitania, alibi ipſa Eccleſia, ut in Belgio, alibi præſentia multorum, ut in Hiſpaniâ, & videtur Matrimonium ſatis contrahi in Facie Eccleſiæ, ſi, trinâ denuntiatione præmiſſâ, contrahatur coram Parocho, vel ejus locum tenente, & duobus, vel tribus Teſtibus.* Hæc verba leges in Navarro *cap. 22. num. 70.*

DE PETITIONE DEBITI CONJUGALIS.

CASUS XV.

Non obvius.

SUMMARIUM.

Caſus petentis, & reddentis imperfectè debitum conjugale, ne multiplicaretur proles. 576.
Votum Caſtitatis quatenus obſit petitioni? 579.
Finis, ob quem licèt petere debitum. 580.
Quatenus vel excommunicatio, vel modus concumbendi impediat debitum? 583. & 584.
Doctrina pro Confeſſariis junioribus? 585.
Nonnulla circa circumſtantias debiti? 586. & ſeqq.
Et effuſionem ſeminis? 590.
Singulariter, quando vir eſt ferè impotens. 591.
Aut quando copula eſt fornicaria? 593.
Reſolvitur caſus num. 576. propoſitus. 597. & ſeqq.
An adulter habeat jus petendi debiti? 600.
Quid cenſendum de inceſtuoſo, qui poſt Matrimonium peccavit cum conſanguinea uxoris? 601. & ſeqq.
Quis diſpenſet circa hoc Impedimentum petendi debiti? 604.
Cognatio Spiritualis quatenus privet jure debiti? 605.
Solvuntur duæ quæſtiones Theologi, & Medici? 606.

P*Olygonus optimæ conſcientiæ vir, ob mul-* 576
titudinem prolium; & periculum ex frequenti partu uxori ſuæ dilectiſſimæ imminens, in conjugali actu ſemen ſuum retinere laborat, ne ſimultanea fiat effuſio, nam ſibi firmiter perſuadet (*licèt meâ opinione vanè*) *hoc modo vel nullam, vel non tam certam*

fore

fore conceptionem, & generationem. Quæritur, num ſemen retinendo, ſimultaneam effuſionem, & conſequenter prolis conceptionem (tanquam ultimatum finem) impediendo (ut ſibi imaginatur) peccet, necne vel ſi dictum ob finem in actu conjugali animum ad alia convertat, ut natura non concitetur ad ſeminationem? & ſic generatio non ſequatur? Mallet mori, quàm Deum offendere, generationem tamen impedire cogitat, ſed modo, ut ait, licito. Rogo R. V. ut ſolutionem animo ſyncerisſimo petitam tradat nuntio N. &c.

Exſcripſi hæc verba omnia (excepto nomine Polygoni) ex literis ad me 7. Martii 1658. perſcriptis ab admodum Reverendo Patre NN.
577 Ordinis Seraphici famoſo concionatore. Reſponſi à me tunc dati non omnino probè memini, non obliviſcar tamen *num. 597.* exprimere dandum, ubi propoſuero pluſcula de petitione debiti conjugalis, ejúſque circumſtantiis, at pleraque verbatim exſcripta *ex Lib. 9. De Matrim.* Patris Thomæ Sanchez, verbatim qu dem, quia juſta de cauſa malo hîc uti ſermone alieno, quàm meo, exſcripta verò, & tranſlata ideo, quòd ſæpius, quàm vellem, cognoverim ex quæſtionibus propoſitis mihi intra, & extra ſedem confeſſionalem, verbo & ſcripto, quantopere neceſſarium ſit, habere in memoria, quidnam viri ſapientes judicent, eſſe in hac tam lubrica ſimul & viſcoſa mate-
578 ria licitum, aut illicitum. Et præſertim debent hæc cognita eſſe illis, qui excipiunt Confeſſiones in locis valde frequenti peregrinorum accurſu celebratis, ut ſunt Sacella B. Virginis Oettinganæ in Bavaria, B. Virg. Cellenſis in Stiria, B. Virg. Einſidlenſ. in Helvetia &c. plurimi enim deditâ operâ per aliquot Annos differunt ad hæc loca quæſtiones hujus, & conſimilis furfuris, rati, ſe certius inde reſponſum relaturos, quàm olim Græci Delphis. Igitur præmiſſo illo Pauli Apoſtoli ad Titum *cap. 1.* Axiomate: *Omnia munda mundis*, referam compendioſiſſimè (omiſſis ferè rationibus, ne ſim nimis prolixus, additis tamen nonnullorum, qui poſt Sanchez ſcripſerunt, nominibus) ex P. Sanchez viro planè (ut liquet ex P. Alegambe *in Bibliotheca Societ. Verb. Thomas Sanchez*) virgineo *loc. cit. & ſeqq.*

579 I. Maritus, cui petere eſt interdictum, cùm tamen reddere teneatur, ut contingit, quando voto Caſtitatis alligatus, aut poſt Matrimonium contraxit Affinitatem cum uxoris cognata, vel conſanguinea, poteſt quandoque inſinuare ſe uxori, & offerre ad uſum conjugalem, petereque d bitum, non in gratiam ſui, nempe ut ſuo appetitui morem gerat, ſed gratiâ uxori complacendi, & non reddendi ei Matrimonium grave & oneroſum, idque, quoties videbitur viro honeſtum, niſi fortè uxor ipſa viro conceſſerit licentiam vov ndæ Caſtitatis Sanchez *cit. Lib. 9. Diſp. 7.* aliud ſtatuens de uxore obſtricta voto Caſtitatis, aut impedimento Affinitatis, eò quòd viri ſoleant ſine rubore exigere debitum: ergo quando uxor ſe inſinuat, facit id non in mariti, ſed in ſui gratiam, & ſubdens *num. 11.* quando uterque promiſit, ſe non petiturum debitum poſſe nihilominus ambos commiſceri, quando quilibet ſentiret, alium indigere, ut propter incontinentiæ periculum. Vide plura *Caſ. ſeq. num. 626.*

II. Actus conjugalis licitus eſt, quando exercetur gratiâ vel prolis ſuſcipiendæ, vel ſervandæ fidei conjugalis, & quamvis exigens malo fine peccet, non tamen ideo peccat reddens; nunquam autem actus conjugalis redditur ex circumſtantia (intellige finis) vitioſus mortaliter, niſi quando ipſe finis eſt mortalis. *Diſp. 8. num. 8.* adeóque non eſt mortalis, quando exercetur cum expreſſo deſiderio, ut proles non naſcatur, ſi conjuges nil efficiant, quod prolis conceptioni obſtet. Ibid. *num. 10.* at eſt venialis, ſi exerceatur ſolùm ad expreſſe ſignificandam unionem Verbi Divini cum carne humana. *Ibid. num. 14.* 580

III. Nec venialiter peccas petendo debitum duntaxat in remedium fornicationis, quando, adhibitis aliis remediis, nequis vitare incontinentiam. Imò probabiliter, licèt poſſis effugere aliis remediis. *Diſp. 9.* quod utrumque dic de utente duntaxat ad tuendam, reſtaurandámve ſanitatem, quando adeſt, vel non adeſt aliud medium. *Diſp. 10.* Sicut vice verſâ eſt culpa, ut habet communiſſimus ſenſus Sanctorum, & ſapientum, exigere debitum ob ſolam voluptatem. At non niſi venialis, ut longè communior ſententia fert contra nonnullos. *Diſp. 11.* E diverſo eſt per ſe immunis omnis culpæ, qui petit quocunque die feſto, etſi contrarium ſentiant aliqui de omnibus, alii de ſolenniſſimis, ſicut aliqui aſſerunt ſingulariter de die percipiendæ Communionis, aliis negantibus, at ſuadentibus omnibus ſapientibus, ut tunc abſtineatur, niſi aliqua honeſta ratio aliud exigat. *Diſp. 12. & 13.* Vide etiam, ſi placet, quæ *in Alphab. Communic. Caſu XX. num. 253. & ſeqq.* protuli contra Joannem Sanch. minimè audiendum circa hoc ſecundum punctum, ſeu de die Communionis. 581 582

IV. Non ſolùm tenetur conjux, non excommunicatus, reddere debitum excommunicato, ſed etiam hic *licitè* petit à non excommunicato, quia excommunicatio non tollit uſum, & officia conjugalia. *per ſe loquendo. Diſput. 14.* at peccat graviter quivis conjux petendo in loco ſacro, niſi diuturna illic commoratio ſit neceſſaria. *Diſp. 11.* 583

V. Licèt modus concumbendi naturalis ſit, ut mulier ſuccuba, vir incubus ſit. hac enim ratione faciliùs concipitur, retinetúrque ſemen virile in vaſe fœmineo, non tamen pec- 584

Digitized by Google

catur, *per ſe loquendo*, mortaliter, ſi mulier ſit incuba, aut ſi conjuges conjungantur vel ſedendo, aut ſtando, vel etiam à latere, vel denique præpoſterè (qui modus eſt pejor tribus prioribus (pecudum more) niſi tali concumbendi modo efficiatur, ut ſemen receptum intra vas fœmineum minimè retineatur, ſed foras expellatur ratione horum modorum extraordinariorum *Diſp. 19.* cum multis contra multos, ſtatuentes *abſolutè* noxam lethalem in mutatione ſitûs naturalis, excuſans meritò etiam à veniali, ubi non captandæ voluptatis gratiâ, ſed aliquâ juſtâ cauſâ intercedente, & addens cum aliis contra alios, teneri uxorem parêre marito talia exigenti, ſi is in exigendo aut non peccet, aut non niſi venialiter: vice verſâ eſſe potiùs mortem ſubeundam, quàm parendum, quando eſt periculum probabile effundendi ſemen extra fas fœmineum.

585 Noto autem ad inſtructionem juniorum Confeſſariorum, ſupponi ab omnibus ſcribentibus de hac materia, conformationem corporis fœminei eſſe ejuſmodi, ut vir congrediens à tergo poſſit non modò attingere, communiter loquendo, naturale vas fœmineũ, ſed etiam penetrare, ac totum ſemen immittere in illud, quare quando viri confitentur, ſe ita congreſſos cum uxoribus, non eſt communiter opus quærere, utrùm effuderint ſemen extra vas fœmineum, ſed potiùs eis dicendum eſt, ut abſtineant à tali concubitu, exprimendo cauſam, quòd nimirum multi quidem ſapientes illum damnent peccati mortalis, tametſi alii ſapientes ſentiant clementiùs. Addi etiam quandoque poteſt, ut parcant conſcientiæ, & pudori uxoris, quæ fortè credit, contineri hîc crimen lethale, & tamen fortaſſis præ verecundia non confitebitur.

586 VI. Tametſi Navarrus *De pænit. & remiſſ. Conſ. 7.* ſatis apertè excuſat à mortali maritum, qui volens legitimè copulari uxori, quò ſe excitet, vel majoris voluptatis captandæ gratiâ inchoat cum ea copulam Sodomiticam, non animo illic conſummandi (foret enim tunc apertiſſimè culpa lethalis) ſed conſummandi in vaſe naturali, viri tamen doctiſſimi à me, inquit P. Sanchez, conſulti cenſent, & meritò quidem, eſſe culpam lethalem inchoatæ Sodomiæ. *Diſp. 17. num. 5.* Quòd ſi vir in ſuperficie duntaxat vaſis præpoſteri uxoris refricaret ſua verenda, vel in os ejus intromitteret, ceſſante omni pollutionis periculo, non crederem, eſſe lethale. *Ibid.*

587 VII. Similiter eſt culpa lethalis, ſi conjux in actu conjugali delectetur in alterius viri, vel fœminæ cogitatione carnaliter dilectorum, quia eſt delectatio moroſa in objecto mortaliter malo. At ſi delectatio in nulla re turpi eſſet, ſed in ſola pulchritudine viri, aut fœminæ, ut poſſet in cogitatione arboris pulchræ delectari, ut vel ſic ad actum conjugalem excitetur, non video lethalem culpam, non tamen hoc alicui permittendum, ſed diſſuadendum ratione periculi. *Cit. Diſp. 17. num. 6.* Hanc utramque doctrinam Sanchezii uſurpavi die 27. Febr. Anno 1660. interrogatus à viro gravi, & habente juſtam cauſam cognoſcendi, quid hîc videatur ſentiendum ex ſenſu ſapientum.

VIII. Sanum eſt conſilium, ſi conjuges 588
curent, ut ſemen utriuſque effundatur ſimul, quare conjugi tardiori ad ſeminandum conſulendum eſt, ut ante concubitum tactibus Venerem excitet, ut vel ſic poſſit in ipſo concubitu ſimul effundere ſemen, non tamen eſt neceſſe, utrumque ſimul ſeminare, quare, dum vir ſemen effundit, minimè tenetur fœminæ ſeminationem expectare. Hinc minimè culpæ lethalis reus eſt vir, tactibus incitans venerem, ſciens ſe ob id præmaturiùs fœminâ ſeminare, eique etiam fas eſt copulam continuare, quoad uxor etiam ſeminet. *Citat. Diſp. 17. num. 7.*
8. 9. 10. 11. ſubdens *num. 12.* hæc verba: *Ubi* 589
vir, ſemine intra vas emiſſo, membrum virile extraxit, licèt fœmina, quæ nondum effudit, tactibus ſe excitare, donec & ipſa ſeminet, quia illa provocatio eſt actûs conjugalis perfectio, & conſummatio. Confirmatur, quia aliàs maximo, ac evidentiſſimo periculo admittendi peccata mortalia fœmina eſſet expoſita. Ita Sanchez quam ejus doctrinam eſſe deletam in ejus poſterioribus editionibus, nec ampliùs impreſſam inveniri, niſi in *prima* editione Veneta, teſtatur ex Diana *Part. 11. Tract. 1. Reſol. 21.* Stephan. à S. Paulo *in ſua Theolog. Moral. Tract. 5. Diſp. 8. dub. 15.* excuſa Antuerpiæ Anno 1664. (omittit hanc teſtificationem in editione Anni 1669. Colonienſi) quo ad finem properante, hæc verba deſcripſi pro *prima* impreſſione. Sed certè poterat hic Doctor, utpote qui tot luſtris vixit, ſuámque Theologiam ſcripſit in Belgio, nôſſe, illam ipſam doctrinam hodiéque reperiri impreſſam in edit. Antuerpienſi apud Martin. Nutium, Anno 1607. adeóque poſt Venetam. A qua licèt ipſe diſſentiat cum Diana, aſſerátque, diſſentire omnes communiter, eidem tamen opinioni Sanchezianæ ſubſcribunt expreſſè Bonacina *De Matrim. quæſt. 4. punct. 6. num. 14.* Perez *Diſp 48. ſect. 8.* teſtans, huic doctrinæ adhærere Baſil. Pont. *Lib. 10. cap. 11.* Dicaſtillo *Diſp. 9. dub. 7. ſect. 51.* fruſtra tamen citans pro ea Henriquezium. Eandem ſecutus eſt ipſe Diana *Part. 2. Tract. 17. Reſol. 38.* teſtans, ita ſentire Zanardum, Homobonum, & Leſſium *Lib. 4. cap. 3. dub. 14. num. 94. in edit. Anno 1618.* Pro eadem refert idem Diana *Part. 10. Tract. 13. Reſol. 42.* Baucium, Leandrum, & Martinum à S. Joſephò citantem plures alios.

Pro eadem ſtant quoque tum Petrus Marchantius *in Reſol. Paſtoral. Tract. 1. cap. 6. num. 21.* tum apud Angelum Mariam Verricelli *De Apoſtol. Miſſion. Tit. 10. quæſt. 303. num. 12.* Fagundez *in Decal. Lib. 6. cap. 3.* atque Trullenck etiam

Digitized by Google

etiam *in Decal. Lib. 6. dub. 5.* oppoſitam, vocantem ſolummodo probabiliorem, ergo noſtram habet pro probabili, ut ſexcenties argumentatur amicus Verricelli Diana, atque ipſemet Verricelli.

Eandem defendit *problematicè* Filliuc. *Tract. 10. Part. 1, cap. 9. num. 350.* Quo igitur jure ſcribit Stephanus, contrariam opinionem eſſe omnium communiter? Certè de ea nihil habent Tannerus, Layman. Hurtad. Henriquez, Eſcobar, Coninck, non perfunctorii Tractatores debiti conjugalis, nihil de ea Summiſtæ, quare meritò dubito, utrùm Stephanus valeat nominare pro ſua ſententia, tot, quot ego pro Sancheziana, quam tametſi Filliuc. *loc. cit.* ſcribit, eſſe potiùs ſervandam in ſinu Doctoris, quàm paſſim aperiendam, judicavi tamen tam hanc ſpecialem, quàm, alias in hoc, & duobus ſequentibus Caſibus expreſſas, exprimendáſque doctrinas, convenienter, & conſultò à me typo publicari, tum propter cauſas, quas P. Perez *Diſp. 49. num. 11.* profert contra Baſil. Pontium, ſugillatorem Sanchezii, tum quia non ſemel expertus ſum, illam fuiſſe mihi neceſſariam reſpectu pœnitentium, tum quia ſine dubio experiuntur & illi, quorum cauſâ ſcripſi ſuprà, à me etſi ægre ſuſceptum hunc laborem colligendi talia.

APPENDIX RARI QUÆSITI.

AT non immeritò ſciſcitabêre, quid reſpondendum fuerit ad Caſum, quem ſibi propoſitum in ſacro Tribunali fuiſſe, ſcribit mihi die 27. Octobris, inſignis Canonicus Eccleſiæ cujuſdam Collegiatæ, expoſtulans meum deſuper judicium, eſt autem ille Caſus & Quæſtio

Hujuſmodi.

Potamiena nequit ex concubitu cum marito etſi ſeminante decidere ſemen, cùm propè nihil delectationis ſentiat ipſa, idque admiratus maritus, poſtquam ex ſua parte complevit copulam, proritat in uxore venerem, excitátque ad fundendum quoque ſemen. An id licitè, *an peccat vir id faciendo, uxor idipſum permittendo?*

Reſpondi, Doctores, quos pro opinione Patris Sanchez retuli paulò antè, utique excuſaturos ab omni, vel certè à gravi culpa utrumque. Cùm enim uxor *licitè* ipſamet exercere poſſit ejuſmodi actionem, cùm deinde tactus impudici inter conjuges non modò non contineant ullam per ſe ſaltem gravem culpam, quando abeſt periculum illicitæ effuſionis ſeminis. Infrà *num. 656.* effuſio autem ſeminis fœminei vacet culpâ, quando fit ad complementum copulæ: cùm præterea ſemen fœmineum ſit vel neceſſarium ſecundùm aliquos, vel ſecundùm omnes valde proficuum ad perfectæ prolis generationem, maritus autem & uxor meritò deſiderent ſobolem perfectam, non video, cur ſuppoſitâ veritate ſententiæ Sanchezianæ, ſit movendus gravis ſcrupulus illis conjugibus. Et ſanè cùm ſecundùm omnes liceat marito ſuis (ſ. h.) viribus procurare talem ſeminationem, non apparet, cur ei ſit vetitus ille uſus digitorum, ſi non ſufficiat vas virile.

IX. Voluntaria ſeminis effuſio extra vas, 590
aut is modus congrediendi, ex quo illa ſequitur, eſt manifeſtum mortale crimen contra naturam. P. Sanchez *Diſp. 17. num. 13.* Et hoc quidem accipiendum eſt, ſive in toto actu conjugali, ſive in parte, aut in illius fine, eorum ſemen, aut pars illius extra vas fundatur. *num. 14.* qui tamen *Diſp. 16. num. 5.* præmiſerat, approbante deinde P. Perez *loc. cit. ſect. 7. num. 12.* ex aliqua ſeminis effuſione extra vas non concludi, variationem ſitûs debiti eſſe mortalem, quia ſolet matrix aliquando parum ſeminis retinere, quod ad generationem ſufficiens ſit, expulſo reliquo. At diſſentit Dicaſtillo *loc. cit. num. 65.* notante tamen eodem Perez, fore mortale, ſi ob peculiarem corporis diſpoſitionem, aut morbum fieri ſoleat, ut uno ex illis innaturalibus modis concumbendi effundatur ſemen, aut ſi eâ intentione congrederentur ita conjuges, ut proles non conciperetur, quia ſicut mortale eſt actu impedire (per concubitum innaturalem) *poſitivè* generationem, ita & mortale, velle illam *poſitivè* impedire: idem Perez *num. 13.* notante Dicaſtillo *num. 66.* deliberatam extra vas debitum effuſionem etiam minimam ſeminis eſſe crimen mortale.

X. Quando vir poſt Matrimonium in eam 591
impotentiam incidit, ut intra vas fœmineum ſeminare nequeat, vel uxor ita arcta effecta, ut ſemen recipere nequeat, ita ut de poteſtate ſeminandi intra vas fœmineum deſperatum ſit, nequaquam licitus eſt conjugalis acceſſus, his tamen conjugibus liciti ſunt tactus, ſi pollutionis periculum abſit, ſicut & ubi eſt probabilis ſpes ſeminandi intra vas, licitum eſt ad id conari, quamvis *per accidens*, & *præter intentionem* ſemen effundatur extra vas, perinde ut ſenibus, habentibus aliquam ſpem intra ſeminandi, aut aliquando, licèt vix intra ſeminent, licebit copulâ uti cum periculo pollutionis. Et quamvis, ubi non conſtat, impotentiam eſſe perpetuam, ſibi vir perſuadeat, fore, ut illâ vice, qua congredietur, intra vas, non poſſit ſeminare, poteſt, depoſitâ conſcientiâ, accedere ad uxorem. Sanchez *cit. Diſp. 17. numero 22. & 23.* addens *num. 26.* admitti ab omnibus judicium Cajetani, qui, ut refert idem Sanchez *cit. num. 22.* cenſuit, quendam maritum, qui toto ſexennio nequiverat ſeminare intra vas, at elapſo ſexennio potuerat, non deliquiſſe illis ſex Annis ſæpiſſime conando habere

Digitized by Google

bere perfectam (ſicuti priùs habuerat) copulam, & ideo non deliquiſſe, quòd ſemper probabiliter ſperaret, ſe habiturum illam, at ſi, omnibus conſideratis, propriè dubitâſſet, exiſtimat Sanchez, non niſi per triennium futurum fuiſſe licitum illum conatum: ſicut eſt tanto, & non majore tempore licitus iis, qui cum impotentia ſibi non cognita iniêre Matrimonium.

592 XI. Si nondum uxor ſeminavit, nec ſeminandi in ipſa, nec in viro extra vas periculum ſubſit, nec ipſa diſſentiat, minimè eſt lethale crimen, virum ante ſeminis proprii emiſſionem ſe retrahere. Sanch. *Diſp 19. num. 3.* cum communiore contra Silveſt. Henriquez alios, quia vaſis illa fœminei penetratio abſque ſeminatione reputatur inſtar tactuum partium venerearum, qui inter conjuges, ceſſante pollutionis periculo, permiſſi ſunt. Si autem fœmina ſeminavit, vel ad id excitata ſit, ita ut probabile periculum ſeminandi adſit, lethaliter delinquit maritus, datâ operâ à copula deſiſtens ante proprii ſeminis effuſionem. *Ibid. num. 4.* cum communi contra aliquos innominatos. Non crederem autem mortale, ſi è contra accidat, ſed ſolùm veniale, nempe ſi, viro ſeminante, fœmina ante proprii ſeminis effuſionem deſiſtat à copula, vel datâ operâ nitatur non ſeminare, quia ejus ſemen non deſideratur ad generationem. *Ibid. num. 5.* conſentiente Perez *Diſp 49. ſect. 8.* Dicaſtillo *citat. dub. 9 ſect. 7.* Eſcobar *in Theolog Moral. Lib. 25.*
593 *ſect. 2. dub. 22. 24. 25.* Sicut probabilius eſt, illum, qui cœpit cum aliqua fornicari, non ſolùm *licitè* deſiſtere ab illo actu, antequam ſemen effundat, eſto mulier, cum qua peccat, jam ſeminârit, ſeu ſeminatura ſit, ſed etiam teneri ſub nova culpa, exprimenda in confeſſione, ſi non intelligatur in copula, deſiſtere, antequam ipſe ſemen emittat. Sanchez *ibid.* contra nonnullos viros doctos.

594 XII. Nullum incontinentiæ periculum præponderare poteſt periculo abortûs veriſimili, ita ut concubitus, eo exiſtente, licitus reddatur. Sanchez *Diſp. 22. num. 1.* Quando autem ſit ejuſmodi periculum, vide Bonacin. *quæſt. 4. punct. 6. num. 12.*

595 XIII. Eſt ut plurimùm culpa venialis petere debitum, uxore menſtruis laborante, at non mortalis, quamvis conjuges credant, fore, ut monſtrum gignatur. Sanchez *Diſp. 21. num. 8.* cum aliis contra Bonacinam, & alios, nec venialis autem eſt petere, dum durat adhuc immundities ex partu. *Diſp. 22. n. 11.* cum aliis contra alios, aut quando vir eſt amens. At peccat vir compos mentis petens ab uxore amente, quia probabiliſſimum ſubeſt periculum, fore, ut mulier inſaniæ furore correpta fœtum in utero necet. *Diſp. 23. num. 7. & 8.*

596 Hactenus audivimus Patrem Thom. Sanchezium, virum planè virgineum, ut conſtat ex Catalogo P. Petri Ribadeneiræ, atque Bibliothecâ P. Philippi Alegambe, loquentem de petitione debiti conjugalis, quæ omnia ſunt ita munita rationibus, & autoritatibus, ut Confeſſarius poſſit, in neceſſitate, abſque ſcrupulo ea ſequi in dirigendis conſcientiis, nunc videamus, quid ex his reſpondendum ſit ad Caſum noſtri Polygoni, ſeu, ut loquitur Gellius, Proletarii, à generatione prolium multarum.

Et quidem *primam* quæſtionem illius Caſûs 597
quod attinet, quatenus nimirum ſcribitur Polygonus ideo impediviſſe ſimultaneam effuſionem ſeminis, ut hâc ratione evitaret, ſeu impediret generationem prolis, probabiliter non deliquit, nam non ſolùm non adeſt præceptum procurandi illam ſimultaneam ſeminationem, ſuprà *num. 588.* ſed etiam immunis culpæ lethalis eſt vir, tactibus irritans venerem, ſciens ſe ſic effecturum, ut ſeminet priùs, quàm mulier, ſuprà *cit. num. 588.* Et uxor non peccat graviter, licèt deditâ operâ impediat propriam ſeminationem, etiam poſtquam vir ſeminavit, ſuprà *num. 592.* Ergo licèt vir ideo præveniat, ut impediat generationem, non tamen peccabit mortaliter, nam & non tenetur adhibere certius medium generationis, & in hoc genere certior Regula non eſt, quàm hæc: *Solus ille modus concumbendi cum uxore in vaſe naturali eſt peccatum mortale, qui aptus eſt impedire generationem, vel cauſat effuſionem ſeminis extra vas naturale.* Sic loquitur P. Perez *cit. Diſp 49. ſect. 7. num 9.* Atqui communior, probabiliórque opinio fert, generationem non impediri ſucceſſivâ ſeminatione. Unde P. Eſcobar *cit. Lib. 25. dub. 22. num. 68.* ſtatuit hanc concluſionem: *Non eſt culpa lethalis, conſultè à ſimultanea ſeminis profluxione abſtinere.*

Ad *alteram* partem, ſeu quæſtionem ejuſ- 598
dem partis reſpondeo cum diſtinctione: Aut ſciebat Polygonus, non eſſe *morale* periculum, ne ſua uxor ſeminaret, aut meritò timebat eſſe periculum? Si *primum*, potuit proprii ſeminis effuſionem impedire avertendo phantaſiam aliorſum, etenim fas eſt viro deſiſtere, ante omnem ſeminationem à jam inchoato actu conjugali, ſi abſit periculum ſecuturæ pollutionis in alterutro. Suprà *num. 588. Si ſecundum*, ergo graviter deliquit retinendo propter contrariam doctrinam ibidem traditam.

Plura ad petitionem debiti ſpectantia intel- 599
ligentur ex *Caſ. ſeq. & XVII.* Interim nota ex Perez *Diſp. 50. ſect. 1.* licèt neuter conjux teneatur, *per ſe loquendo*, unquam petere, attamen maritum peccare contra juſtitiam, ſi non petat tunc, cùm advertit, uxorem non audere ex verecundia petere, cùm tamen ſit ipſa in periculo incontinentiæ, ſicut &, teſte eodem Perez *num. 6. & 7.* peccat mortaliter, quando uxor non petit quidem *tacitè*, attamen ſi maritus non petat, cadet ipſa in peccatum turpitudinis, quod etiam idem Perez vice verſa dicit de uxore.

Quæri-

Digitized by Google

600 Quæritur II. *An adulter habeat jus exigendi debiti conjugalis?* Reſp. Si ejus adulterium eſt uxori notum, & hæc ſit innocens, poteſt quidem maritus eam rogare, non tamen exigere, quia adulterium privavit eum jure exigendi, niſi fortè & ipſa uxor in eodem genere deliquiſſet, nam duo adulteria mutuâ compenſatione tolluntur. Si verò uxor ſit ignara delicti, poteſt exigere, nam jure exigendi non privatur, niſi per voluntatem, & quaſi ſententiam uxoris, quæ hîc obtinet quaſi locum judicis. Vide Layman. *Tract. 10. Part. 3. cap. 5.* Palaum *Diſp. 3. punct. 5. §. 10.*

601 Quæritur III. *Quid cenſendum de inceſtuoſo, qui poſt Matrimonium peccavit cum conſanguinea uxoris?*

Reſp. Licèt omnes ii vocentur *Inceſtuoſi*, qui cum propriis cognatis, & affinibus uſque ad quartum gradum *incluſivè* perfectam copulam contra prohibitionem Eccleſiæ habuerunt, attamen aſſentior Patri Sanchezio *Lib. 9. Diſp. 27. num. 14.* cum multis contra alios tradenti, illum ſolùm inceſtuoſum privari jure petendi debitum, qui habuit perfectam copulam cum conſanguinea ſuæ uxoris, & quidem intra ſecundum gradum. Itaque jure petendi debitum non privatur is, qui cum propria cognata rem habuit, ut contra Angelum, & alios rectè tradit idem Sanchez, per talem enim copulam non contrahitur affinitas, neque is, qui cum affine propriæ uxoris peccavit carnaliter, ut contra Emmanuelem Rodriquez rectè docet idem Sanchez, etenim talis inceſtus eſt impropriiſſimè inceſtus, ſiquidem ejuſmodi affinitas eſt reſpectu adulteri nimis impropriè dicta affinitas, ut oſtendimus *Tract. 9. Caſ. XVI.* Neque is, qui ſolùm imperfectam copulam à nobis ibidem *Caſu XVI. num. 390.* deſcriptam habuit cum certa conſanguinea uxoris, ut nominatim & diſtinctè explicat P. Quintanadvennas *Singularium Tract. 9. Singul. 6.* Neque denique is, qui cognovit uxoris conſanguineam in tertio, vel quarto gradu, ut adverſùs multos cum multis, imò cum communi Recentiorum rectè idem Sanchez *num. 14.* Ratio eſt, quia Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini ita declaravit, habétque certiſſimò hodierna praxis.

602 At verò, qui commixtus fuit poſt nuptias (nam commixtio præcedens inducit Impedimentum dirimens, ut per ſe conſtat) carnaliter cum cognata propriæ conjugis in primo, vel ſecundo gradu, privavit ſe jure petendi debiti, non tantùm ideo, quòd commiſerit adulterium, ſed ſingulariter ideo, quòd evaſerit ſuæ uxoris affinis in eo gradu, qui ex inſtitutione Eccleſiæ ſufficiens eſt ad privationem debiti. Idem omnino dic de uxore peccante carnaliter cum mariti conſanguineo in primo, vel ſecundo gradu.

603 Excipe tamen cum Sanchez *Diſp. 31. num. 4.* Bonacina *quæſt. 4. punct. 2.* illam, quæ, aut qui cum ignorantia *juris*, vel *facti*, patravit illud ſcelus. *Facti*, ſi ignoravit, committi à ſe inceſtum, quia neſciebat perſonam, cum qua peccabat, eſſe tam propinquo gradu copulatam ſuæ conjugi, *Juris*, quia eum latebat, talem inceſtum eſſe vetitum peculiari pœnâ Eccleſiæ. Sanchez *Diſp 32.* Bonacina *loc. cit.* Perez *Diſp. 32. ſect. 5.* Quintanadvennas *Singul. Tract. 9. Sing. 6.* aut etiam vetitum ſub pœna privationis juris ad debitum Sanchez *loc. cit. num. 49.* Pontius, Diana, Portel, Palaus, alii apud, & cum Quintanadvennas *loc. cit.* contra Perez *loc. cit.* Etenim hæc privatio eſt gravis pœna, ergo non incurritur ab ignorante, eſſe ſtatutam. Eandem pœnam non incurri tamdiu, quamdiu eſt occultus, & incognitus ille inceſtus conjugi autumant Abbas, Sotus, Sa, Silveſter apud Sanchez *Diſp. 15.* quorum opinio eſt quidem probabilis, & tuta in praxi propter tantam autoritatem, oppoſita tamen, ſicut communior, ita & probabilior. Iſta certa, quòd teneatur uxori petenti reddere debitum, etſi tantùm *interpretativè* petenti. Tanner. *Diſp. 8. quæſt. 3. num. 57.* Cenſetur autem petere *interpretativè*, quando libenter uteretur Matrimonio, ſed præ verecundia non audet.

Cæterùm omnes Ordines Mendicantes, eo- 604
rúmque privilegiis fruentes, ſicut & Sacerdotes ſæculares, habentes ſpecialem ab Epiſcopo poteſtatem, diſpenſant cum talibus, at è noſtro Ordine ſolùm illi, qui à ſuis Superioribus acceperunt poteſtatem peculiarem. Vide Quintanadvennas *cit. Tract. 9. Sing. 11.* obſervantem, quandoquidem Regulares pollent hac facultate, etiam extra Sacramentum pœnitentiæ, poſſe eos diſpenſare etiam cum abſentibus, & proinde ſi Parochus ſcribat tali Religioſo: *Peto à R. V. ut diſpenſet cum NN* (tacito proprio nomine) *in debiti petitione*, erit res ſalva, cùm Confeſſarius reſcripſerit: *Diſpenſo*, dummodo ſubſit cauſa rationabilis, quæ vix poteſt deeſſe.

Quæritur IV. *An, & quomodo Cognatio Spi-* 605
ritualis privet jure debiti?

Reſp. Quando quis ſeu citra, ſeu propter neceſſitatem baptizat prolem ſibi, ſuæque uxori communem, contrahit quidem Cognationem Spiritualem, ut tradidi ex communi *in Alphab. Baptizant. Caſu XVII. num. 578.* eſt tamen probabile, quòd non privetur idcirco jure petendi debitum, licèt quippe opinio affirmans privari, ſit longè communior, ut videre eſt apud Sanchez *Lib. 9. Diſp. 26.* negantem tamen defendit totis viribus Perez *Diſp. 29. ſect. 6.* poſt Durand. Cajet. Suar. Coninck, Hurtad. quos & citat, ſequitúrque Dicaſtillo *Diſp. 9. De Matrim. dub. 8. num. 9.*

Audi, mi Lector: Etſi ego carerem poteſtate diſpenſandi, ſequerer tamen hanc ſententiam in praxi, quia ſi eſt ulla materia, in qua oporteat, vel certè liceat habere in manibus, & uſu Clypeum Clementium Judicum eſt materia

Digitized by Google

teria de conjugalis debiti petitione, ac redditione, miſeranda enim carnalitas, & laſcivia gentis humanæ cogit Confeſſarium confugere ad ſententias mitiores. Illud certum, quod ignorans legem privantem jure petendi non privetur hoc jure. Layman. *Tract. 10. Part. 4. cap. 8. num. 8.* & quòd Epiſcopus abſolutè diſpenſare queat in hoc impedimento. Sanchez *Lib. 8. Diſp. 12.* interea tamen negans *Diſp. 16.* ejuſdem libri cum aliis contra Rodriquez Regularibus hanc poteſtatem.

606 Quæritur V. *Quomodo ratione voti Caſtitatis reddatur illicita petitio debiti conjugalis?*

Reſp. Me id explicaturum *Caſu ſequenti*, ſicut & *Caſu* ſeu *Capite ſequenti* dicam, utrùm in dubio ſit fas petere debitum, hîc autem reſpondeo ad duas quæſtiones

Theologi, & Medici.

THeologi fuit nuper hæc: *An videlicet Evnuchus, qui poterat penetrare vas, non autem immittere prolificum ſemen, fuerit ſpoliatus jure petendi debiti, quod acquiſierat, quando adhuc integer iniit conjugium?*

Reſpondi, ac reſpondeo, id quidem negari à Petro de Ledeſma apud Patrem Sanch. *Lib. 7. De Matrim. Diſp. 102. num. 6.* item à P. Dicaſtillo *De Matrim. Diſp. 7. dub. 46. num. 481.* at rectiùs aſſeri ab eodem Sanch. *loc. cit.* Perez *Diſp. 37 ſect. 10. num. 4.* atque ante hos à Cardin. Toleto *in Summa Lib. 7. cap. 16. num. 4.* ubi & loquitur in ſpecie de Eunuchis, qui tales evaſerunt poſt Matrimonium, & citat etiam pro ſe Cajetanum, atque Navarrum. Ratio eſt hæc, quòd Matrimonii *ſecundarius* finis ſit, ſedare fluctus concupiſcentiæ, uti ſedantur tam in viro, quàm in muliere per talem copulationem. Ergo eſt tali Evnucho fas & reddere, & etiam petere, ne alioquin auferamus decrepitis jus exigendi debiti: haud tamen hinc inferas, eſſe his caſtratis fas contrahere nuptias. Cauſam unam vide ſuprà *num. 574.* & cum altera cauſa Caſum novum *Tract. præced. num. 419.*

607 Medici non tam quæſtio, quàm aſſertio hæc erat, *quòd videlicet, quando vir propter accidentariam indiſpoſitionem habet ſemen ita corruptum, ut nequeat ex ea concipi proles, illicitè petat debitum, quod quidem ipſe ita perſuaſum habebat, ut etiam affirmaret, noxam incurri mortalem eâ petitione.* Verùm nequit ſuſtineri hæc cenſura, niſi & negemus reſponſionem, jam primùm datam de Eunucho, & dicamus, ſterilitatem eſſe Impedimentum dirimens, & omnes viros, ac fœminas, quæ petunt, vel reddunt debitum in ea ætate, vel diſpoſitione (ut quando mulier jam gerit uterum) in qua nequit ex eorum congreſſu ob ſeminis prolifici defectum procreari ſoboles, reos fieri gehennæ, quoties copulantur carnaliter, quod ſanè eſt tam *ſpeculativè*, quàm *practicè* improbabile.

DE REDDITIONE DEBITI CONJUGALIS.

CASUS XVI.

Bonæ animæ.

SUMMARIUM.

Caſus voventis non reddere primo triduo nuptiarum. 608.
Quanta ſit obligatio reddendi debiti conjugalis? (609.
Datur circa hoc dubium Regula. 611.
Declaratur caſu uxoris capitoſæ. 612.
Doctrina benigna refertur. 614.
Quandonam conjux cenſeatur petere debitum irrationabiliter? 615.
Quid de Hectico? 616.
Quid de Leproſo? 617.
Quid de emittente ſemen noxium uxori? 646. in Append.
Quid de petente tempore menſtrui? 620.
Aut negantis ideo, quia jam eſt gravatus multâ prole. 623.
Quatenus votum Caſtitatis excuſet à redditione debiti? 626.
Solvitur Caſus num. 608. propoſitus? 629.
Quis diſpenſet in voto conjugum? 630.
Praxis Societatis Jeſu? 632.
Regula, quandonam illicitè *petenti reddatur, aut negetur licitè? 633.*
Quid aget conjux conſcius Impedimenti dirimentis? 636. & ſeqq.
Quid dubitans de hac re? 644.
An proles concepta, lite pendente de valore Matrimonii, ſit legitima? 645.

QUinctia *poſt magnam inclinationem ad Caſtitatem perpetuam, nihilominus nupſit, ſed edito voto abſtinendi primo triduo à copula conjugali ad honorem Dei, & ut Matrimonium tantò feliciùs ſuccederet, antè tamen quàm nuptui daretur, quæſiit ex ſuo Confeſſario, utrúmne obligaretur hoc voto, Confeſſarius tametſi vir apprimè doctus, attamen, dilato reſponſo abſoluto, conſuluit me, quid videtur fuiſſe ipſi à me reſpondendum?* 608

Quid reſponderim, non gravabor edicere hoc loco, ſeu *num. 629.* unde patebit, quid judicârim fuiſſe reſpondendum. 609

Quæritur autem priùs I. *Quanta ſit obligatio reddendi debiti conjugalis?*

Reſp. Eſt ex ſuo genere mortalis, ut docent omnes ex illo textu Apoſtoli *1. Corinth. 7. Vxori vir debitum reddat, ſimiliter autem & uxor viro*, ac proinde mortaliter delinquit uxor,

uxor, negando debitum, non tantùm tunc, cùm eſt in cauſa, ut maritus fornicetur cum alia, ſed etiam, quando nullum aut malum, aut incommodum timetur, modò maritus videatur petere ſeriò, & modò non adſit aliqua rationabilis cauſa excuſans uxorem, ut paulò pòſt videbimus. Quare non eſt dubium, quin uxor offendat mortaliter inſtitutorem Matrimonii Deum, quando ex indignatione, invidia, contemptu mariti negat ipſi uſum ſui corporis, vel non acquieſcit, niſi poſt rixas, non niſi rarò,
610 vel cum magna difficultate. P. Tanner. *Tom. 4. Diſp. 8. quæſt. 6. num. 25.* teſtans, omnes ita ſentire. Longè tamen frequentiùs peccant mariti, ſi negent uxoribus illud commercium maritale, cùm enim pleræque præ verecundia non audeant expreſſè, aut inſtanter petere, cenſendi ſunt mariti plerumque offendere Deum mortaliter, quando uxoribus ſeſe inſinuantibus nolunt obſequi, niſi experti ſint, eas eſſe præter morem inverecundas hac in re. Fateor tamen, rectè à P. Laymanno *Tract. 10. Part. 3. cap. 1. num. 1.* tradi, eſſe vel nullam, vel exiguam culpam, tergiverſatione aliqua, aut precibus avertere petentem, ſi hic videatur non admodùm ægre laturus, aut latura.

611 Et proinde poteſt univerſim cum Laymanno tradi hæc Regula: *Conjux conjugi tenetur debitum reddere, quando illud ſeriò, & inſtanter, & rationabiliter petit:* adeò ut vel ſemel negare in his tribus circumſtantiis ſimul ſumptis ſit peccatum mortale, teſte Tannero *cit. quæſt. 6. num. 26.* & probante Dicaſtillo *Diſp. 9. dub. 17. num. 203. & 204.* contra Sanchez *Lib. 9. diſp. 2. num. 11.* dicentem, ſi maritus ſolitus petere rarò, adeóque tantùm quater in menſe, petat uno aliquo menſe quinquies, negationem in hac quinta petitione excuſandam à mortali ob parvitatem materiæ, quæ etiam in hac materia, ſicut in pluribus aliis, locum habeat. Sed quidquid ſit de hac re, ſapienter monet Layman. *loc. cit.* conjuges eſſe à Confeſſario quandoque commonefaciendos de obligatione redditionis, imò ſi abſque juſta cauſa detrectent reddere, negandam eſſe iis abſolutionem, docet hic

Caſus Capitoſæ Uxoris.

612 QUem unus noſtrorum Spectabilium Dominorum Decanorum Ruralium ad me ſcriptum his verbis miſit. *Quirinus viduus duxit cum diſpenſatione affinem ſuam, qua cum genuit aliquot proles, timens verò copiam liberorum, petit ab illa, ut caſtitatem voveat, & abſtinentiam à copula. Renuit illa, nec multò pòſt incidit maritus in Zelotypiam contra tori conſortem, quaſi ſocerum magis amaret. Quo cognito, uxor aliàs honeſta facit divortium à toro, & nunc vult libenter abſtinere à copula, quam vir nunc magis, quàm aliàs unquam affectat. At illa renuit omni modo, & hoc divortium jam duravit biennium, ſed me inſcio. Curam & laborem in ſecreto non ſemel adhibui ad reconciliationem, at videtur fruſtra. Quid agendum?*

Ita ille, qui utpote vir perdoctus facilè vidit, negandam fuiſſe illi capitoſæ mulieri abſolutionem, niſi rediret ad torum maritalem, vidit quoque, non debuiſſe à ſe, citra expreſſam licentiam Quirini, rem hanc deferri ad tribunal Eccleſiaſticum, ad quod tamen deferre tenebatur Quirinus, ſi ea ſeparatio fuit illi, futuráque erat cauſa incontinentiæ, quia incontinens conjux tenetur adhibere media neceſſaria ſuperandæ incontinentiæ, quale tunc fuit copula conjugalis, non obtinenda, niſi invocato brachio Magiſtratûs legitimi: potuêre tamen etiam in tali caſu occurrere tantæ difficultates circa delationem ad tribunal, executionémque ſententiæ ab eo ferendæ, ut non fuerit obligatus ad hoc remedium incontinentiæ comparandum. An verò ſæcularis judex potuerit conveniri, colliges ex dicendis infrà *numero 754.* 613

Cæterùm P. Perez *De Matrim. Diſp. 10. Sect. 2.* eſt circa obligationem reddendi admodùm benignus, dum *practicè* ſic ſcribit: *Eſt ſolùm veniale, quando non ſemel, ſed unâ, aut alterâ vice negatur, & quando negatur exigenti remiſſè, & quando non tam negatur redditio, quàm pro parvo tempore differtur, ut quando exigenti manè redditur nocte, & quando exigenti nocte redditur manè, excuſatur quoque conjux à culpa gravi, non reddens quando alter petit copulam non tanquam debitum, ſed tantùm benevolè, & amicè, ut res alias debitas* (nota pro alia praxi hoc comparationis membrum) *ſolemus ab amicis petere non animo obligandi.* Ita Perez. Multò ergo minùs peccatur, quando negatur petenti, exigenti irrationabiliter. 614

Quæritur autem II. *Quandonam cenſendus ſit maritus petere irrationabiliter?* 615

Reſp. I. Quando petit in ebrietate, phreneſi, aut amentia. DD. communiter, tunc enim petit, ut beſtia, non ut homo. Erit autem reddendi obligatio, ſi, ex defectu redditionis, ſe polluturus ſit, quia ratio exigit, ut valde egenti debitum ſibi reddatur. Ita Perez *cit. Diſp. 50. Sect. 4. n. 7.*

II. Quando reddendo debitum timetur rationabiliter grave damnum corporis, ut ſi petens laboret peſte, nam conjuges non intendunt ſe ſe obligare ad hunc caſum. Lege, ſi placet, quod *in Theologia Juridico-Morali Cap. 34. n. 70.* retuli de miſeranda peſte in Gallia, incitante furioſiſſimè honeſtiſſimas mulieres ad libidinem. Et generatim non tenetur reddere laboranti leprâ, morbo Gallico, alióve con-

Digitized by Google

tagio, ſi ex Medicorum judicio periculum contagionis adſit. Ita expreſſè P. Palaus *Diſp. 3. De Sponſal. punct. 4. §. 10. num. 4.* poſt Laymannum, Coninck, Pontium, Hurtadum, quos etiam pro his exemplis citat, addente Laymanno *Part. 3. cap. 1. num. 5.* exemplum laborantis febri hecticâ, itémque hanc doctrinam generalem, quòd ne quidem liceat reddere cum tali periculo, niſi cauſa rationabilis adſit, e. g. periculum incontinentiæ inpetente, in quo quidem periculo reddit *licitè* altera pars, at minimè tenetur ad id, ut nemo obligatur exponere ſe periculo gravis damni corporalis ad impediendum peccatum alienum, quam totam doctrinam habet quoque Palaus, & Perez, habent & alii citati à Layman. Sed circa hæc vide plura *citato Cap. 34.* & nominatim *numero 78.* quando maritus contraxit morbum ex intemperantia, aliáque culpa. Vide etiam *ibid. Cap. 37. n. 8. & 9.*

617 Loquens autem in ſpecie de leproſo P. Laymannus *loc. cit.* obſervat, non eſſe mulieribus communiter timendam contagionem ex infrequenti congreſſu cum leproſo, & proinde eas teneri aliquando acquieſcere his petentibus, ut etiam traditur *in Cap. 2. De conjug. leproſorum*, ubi Pontifex reſcribit, Apoſtolum præcepiſſe redditionem debiti, non excepto caſu lepræ, niſi fortè conſuetudo loci prohibeat ſanis frequentem acceſſum ad leproſos, aut niſi conjux leprâ, quæ Leonina dicitur, laboret, aut denique niſi uxor ita abhorreat à tali congreſſu, ut ſit illi quaſi impoſſibilis. Laym. *ibid.* Quòd ſi nupſiſſet conſcia leproſo, vel alteri laboranti contagioſo morbo, non poſſet opponere exceptionem debiti non reddendi, aut non cohabitandi, inquit Laym. *cit. num. 6.* poſt Sanchez *cit. Diſp. 14 num. 12.* Sed ſi non poteſt quis ſe obligare ad redditionem tam periculoſam, cùm nemo ſit dominus ſui corporis, ut notant DD. ſuprà citati, non video, ad quid conducat illa præcognitio, præſertim caſu, quo leproſus non verſatur in periculo incontinentiæ. Vide plura hanc in rem *in Theolog. Jurid. Morali Cap. 34. n. 57. & ſeqq.*

618 III. Ad periculum corporis excuſans à redditione reduc cum Layman. *ibidem*, quando mulier ita eſt infirmæ complexionis, ut ſine maximo incommodo non poſſit reddere, aut quando ipſa vel à Medicis, vel ab experientia didicit, ſibi imminere probabiliter periculum mortis ex redditione debiti. Non tamen licet ſumere pharmacum, ad impediendam conceptionem prolis, etſi tantùm ideo ſumatur, ut uxor marito poſſit reddere ſine ſuo tanto incommodo debitum, ut omnes tradunt cum Laymanno. Ad idem periculum corporis vel maximè ſpectat, quando ſemen viri futurum eſt noxium uxori, de quo vide Appendicem *in fine hujus XVI. Caſûs.*

619 IV. Petitur debitum etiam tunc irrationabiliter, adeóque negatur rationabiliter, quando periculum eſt, ne proles, concepta jam in utero, necetur per copulam conjugalem. Sanchez *citat. Lib. 9. Diſp. 24.* Quamvis autem mater nôrit, ſe ſolere edere proles mortuas, non eſt tamen ideo ipſi vetitus uſus conjugalis, multò minùs, quando timetur, ne proles naſcatur leproſa, alióve modo vitioſa, præſertim ſi ob tale periculum eſſet diu cavenda copula. P. Sanchez *ibid.* quia ex una parte conjuges utuntur jure ſuo: ex altera melius eſt proli ſine Baptiſmo, aut ſanitate, membrorúmve integritate naſci, quàm omnino non eſſe, ut ex S. Auguſtino *Lib. 5. contra Julian.* docet S. Thom. *1. 2. quæſt. 83. art. 1. ad 1.* Si autem malum imminens proli poſſet devitari per non diuturnam abſtinentiam uſûs conjugalis, idque malum foret grave: tum differenda eſſet petitio.

Unde multi cum S. Bonavent. apud Sanchez *Diſp. 21. num. 2.* de mortali damnant uſum conjugalem factum ſine juſta cauſa, tempore menſtrui, idcirco, quòd ſoleant tunc concipi proles miſerrimæ, quod etſi rarò fiat, teſte Sanchez, attamen Bonacina *Quæſt. 4. punct. 6. num. 10.* poſt Silveſt. Henriquez, & Rebell. contra Sanchez, Coninck, & alios ſic ſcribit: *Uxor peccat venialiter reddendo tempore menſtrui, niſi adſit juſta cauſa reddendi tunc temporis, quia non eſt obligatio reddendi, quando adeſt turpitudo tenens ſe ex parte actûs, & faciens illum illicitum.* 620

Dixi *præcedente num. 619.* non eſſe legitimis conjugibus copulam conjugalem ex eo capite interdictam, quòd ſoleant gignere prolem leproſam. At quid reſpondendum ad hoc noviſſimum

Quæſitum Magiſtratûs ſæcularis.

Habentis in ſuo territorio leprodochium, cujus duo incolæ cælibes ſuſceperunt ex congreſſu fornicario prolem. Quæritur enim 1. An ſit permittendum eis Matrimonium, cùm ſit periculum, ne ex eo progignantur multæ proles, quæ ali non poterunt, ſeu à parentibus, ſeu ex cenſibus ordinariiſve eleëmoſynis. 2. An illa proles jam edita debeat à matre lactari, an potiùs quærenda nutrix? 3. Qua pœna animadvertendum in reos fornicatores?

Reſp. Ad I. Non ſolùm non poſſe illis negari facultatem ineundi Matrimonii, ſed poſitivè permittendum, partim ob grande periculum, ne prius delictum pluribus cumulent, partim ob meliorem educationem prolis, cujus haberi maximam à Theologis rationem jam crebriùs monui, partim etiam ob legitimitatem illius ejuſdem prolis, cujus legitimitatis tametſi non eſt tanta ratio habenda reſpectu talium, quanta aliorum, quos illegitimitas poterit in adulta ætate impedire ab honeſtis, honorificiſque matrimoniis, officiis, dignitatibus &c. nihilo-

Digitized by Google

nihilominus tamen, quia etiam miſerrimæ ſortis hominibus perdurum eſt in quolibet magno, parvo jurgio appellari illegitimum ſeu nothum, ſpurium, & ex iſta tam frequenti compellatione poſſunt exoriri mala non mediocria, eam ob rem judicavi, & nunc quoque judico, eſſe hac etiam de cauſa libenter impertiendam facultatem contrahendi in facie Eccleſiæ. Aciculæ punctio leve malum eſt, intolerabile ſi perpetua, inquit non nemo ſapientum.

Reſp. ad II. Tametſi moraliter certum eſt, lactationem præſtitam à matre leproſa inſtillaturam ipſi proli morbum; etſi ſana prodiiſſet ex utero, quia tamen ſæpiſſime, ſi non omnino ſemper fit, ut ex utroque leproſo parente concipiatur; pariatúrque proles etiam infecta, ſiquidem Medicorum dogma eſt, lepram eſſe vitium hæreditarium, & idcirco hæreditarium, quòd, tametſi non ſit vitium valetudinis, ſed coloris, ut obſervat ipſe S. Auguſt. *Lib. 2. Queſtion. Evangelic. Cap. 4.* proxima ſeminis materia ſit ſanguis, ſicut lepræ, ſeu morbi elephantiaci ſedes eſt etiam ſanguis juxta illud S. Gregor. in Evangel. *Lepra ſanguinis eſt vitium.* Accedit quòd vix, aut ne vix quidem ulla honeſta mulier ſit tali fœtui præbitura ſugendam mammillam, & ſi qua vellet, non permitteret conjux metu contagii, naturaliſque horroris, qui horror eſt aptus, natus gignere morbos.

Si annui reditus leprodochii non ſufficiunt unà cum eleemoſynis ordinariis ultro oblatis, vel conquiſitis alendo tanto numero, non auſim magiſtratum ſæcularem obligare, ut ex ſuo ærario ſubminiſtret neceſſaria ſed potiùs eſt juxta Decretum Sacri *Conc. Trident. Seſſ. 22. cap. 8. De Reformat.* cauſa deferenda ad Epiſcopum, qui unà cum ſæculari magiſtratu ſtatuet, quid tunc faciendum.

Reſp ad III. Afflicto non eſſe afflictionem addendam, meriti quidem illi ſunt caſtigationem, in ære habent nihil, in cute luunt ſatis, ſupérque. Si tamen hæc impunitas tractura eſſet alios ad quid ſimile, aut etiam gravius patrandum, eſſet forſan è re, ſi juberentur per aliquot menſes, vel Annum eſſe in menſa contenti ſolo, eóque dimenſo pane, ac juſculo, ſeu, ut vocamus, offâ abſque omni alio edulio, etiam feſtis diebus.

621 V. Tunc etiam petitur irrationabiliter, & negatur rationabiliter, quando nimis ſæpe petitur, ut notant paſſim DD. in hac materia, intelligendi non de illa ſola nimia frequentia, quæ parit aliquod notabile damnum, ſed de illa, quæ vacat tali notabili incommodo, nullus enim vir putat, ſe obligatum reddere uxori ſalaciſſimæ, petenti diu, noctúque ex mera laſcivia, ergò nulla uxor eſt ad id obligata viro, certum enim eſt, ex omnium ſententia, quòd vir, & mulier ſint pares in jure petendi *Cap.*
622 *fin. 32. quæſt. 7. At quandonam cenſetur nimis ſæpe, adeóque irrationabiliter peti?* Reſp. Non definiri à meis DD. & quis definiat? cùm hæc nimietas dependeat à variis circumſtantiis ætatis, virium corporis, moleſtiæ peculiaris, quam adfert mariti petulantia in ipſo actu conjugali, fœtor oris è pridiana, & prope quotidiana crapula ortus. Generatim tamen videtur nimis frequenter peti, quando maritus, non contentus nocturnâ redditione, petit etiam diurnam, ídque quaſi ex conſuetudine, ſecùs, ſi perrarò diurnam, & ita reſpondi aliquoties.

Quæritur III. *An juſtam cauſam negandi* 623
debitum ſubminiſtret metus, ne proles multiplicetur?

Reſp. Licèt metus ipſius præciſè multitudinis non excuſet. Sanchez *Diſp. 25.* cum aliis communiter contra nonnullos, quando tamen eſt periculum, ne nimiùm multiplicata ali nequeat, negari poteſt debitum. Sanchez, Bonacina, Laymannus, alii, ſi videlicet non immineat periculum vel incontinentiæ, vel ne parentes ſuperſtites nequeant prolem alere, ſi enim primùm poſt mortem parentum eſſent liberi redigendi ad mendicitatem, haud eſſet tanta eorum habenda ratio. Sanchez, & Bonacina. Imò Laymannus excuſationem non admitteret propter paupertatem, niſi vel ipſa mater, vel liberi, viventibus parentibus, eſſent deducendi ad extremam paupertatem, *quæ rara eſt inter Chriſtianos*, inquit hic autor, quem ego conſuevi ſequi in fôro pœnitentiali, etiam
propter hanc rationem. Aut enim uxor diu negabit 624
ob illud periculum paupertatis non extremæ, aut non diu, ſi diu, exponet maritum ingenti diſcrimini incontinentiæ, & ſic delinquet mortaliter ex ſententia omnium, aut non diu, ergo fruſtra, quando enim tandem conſentiet marito, concipiet probabiliſſimè, cùm ſupponatur uterque, aut ſaltem vir habere ſemen valde prolificum, quod proinde tantò avidiùs rapiet matrix, quantò diutius caruit illo, quaſi alimento. Quare non memini, me 625
unquam impertiiſſe abſolutionem præſeferenti animum negantis, ob metum difficultatis in prole nutrienda, marito inſtanter, & ſeriò petituro. Conſentit mihi me citans Stephanus à S. Paulo *Diſp. 8. num. 94.* Porrò quia ex dictis conſtat, tantam eſſe obligationem reddendi debiti conjugalis ideo notant DD. hactenus citati, nominatim Sanchez *cit. Lib. 9. diſp. 3.* Coninck *Diſp. 34.* Dicaſtillo *cit. Diſp. 9. dub. 17.* peccare contra juſtitiam conjugem, qui ad reddendum debitum reddit ſe impotentem jejuniis, pollutionibus voluntariis, aut qui longam peregrinationem exequi vult abſque conſenſu alterius, & ſi huic immineat periculum incontinentiæ.

Quæritur IV. *An, & quomodo votum Ca-* 626
ſtitatis excuſet à redditione debiti?

Reſp. Hanc quæſtionem, multis particularibus difficultatibus implicitam, reſolvi diſtinctè ſimul, & breviſſimè à Tannero *cit. quæſt.*

n. 6.

„ 6. *num. 53.* his verbis: Si conjuges poſt contractum Matrimonium ex mutuo conſenſu Caſtitatem voverunt, tunc non ſolùm *licitè* petere neuter poteſt, ut omnes docent, ſed neque reddere, ut ex probabiliore tenet Sotus. 2. Quòd ſi alter conjugum ante Matrimonium Caſtitatem voverit, tunc etſi in contrahendo peccaverit, nec debitum exigere poſſit ex communi S. Thom. niſi cum eo diſpenſatum (ut poteſt etiam ab Epiſcopo, & Confeſſariis Ordinum Mendicantium) fuerit, ſed reddere tamen tenebitur, etiam tantùm *interpretativè* petenti, cùm ei, quamvis *illicitè* petenti (niſi fortè vir ſacris initiatus ſit) viciſſim ab altera reddendum ſit, ut contra Navarr. & alios docet Henriquez. 3. Eandem vim habet votum Caſtitatis poſt Matrimonium ab uno conjugum, conſenſu alterius editum, ſed abſque conſenſu alterius conjugis factum non privat jure reddendi, imò
627 „nec petendi. 4. Quòd ſi poſt Matrimonium voverint non petere debitum, ſi quidem, abſque mutuo conſenſu id fecerint, neuter videtur obligatus juxta Sanct. Auguſt. ſi verò ex mutuo conſenſu, tunc poſſunt *licitè* copulari, ſed non petendo, ut probabiliter docent Sanch. Veracrucius, alii, quod verum cenſeo, quando non *abſolutè* conſenſerunt, ſed *explicitè*, vel *implicitè* voluerunt eſſe ſibi integrum jus revocandi facultatem vovendi alteri conceſſam. Neque verò diſpenſatio voti Caſtitatis poſt conſummatum Matrimonium à conjuge editi eſt reſervata Pontifici, quamquam ab altero conjuge, cujus facultate votum editum erat, non poſſit irritari, niſi hoc jus ſibi reſervaverit. 5. Quòd ſi conjux ante Matrimonium fecerat votum Religionis ingrediendæ, aut ſuſcipiendi Sacerdotii, peccavit quidem, *per ſe loquendo*, mortaliter, ineundo Matrimonium, attamen poſtquam ſemel illud conſummavit, poteſt *licitè* petere, reddereque debitum.

628 Hactenus Tannerus ſubdens *num. 56.* cum multis contra multos, ne tunc quidem peccare, quando primâ vice conſummat Matrimonium, quod quidem credibilius eſt, ſi conſummet poſt primum bimeſtre, quàm ſi antè, nam ante exactum primum bimeſtre habet certò jus ingrediendi Monaſterii, ut declarabimus *Caſu XVIII.*

629 Ex quibus deduces, an Quinctia, de qua *n. 608.* potuerit primo triduo nuptiarum petere, aut alteri reddere debitum, certum quippe eſt ex doctrina S. Thom ſuprà *num. 626.* non potuiſſe petere. Deinde judico, nec potuiſſe reddere primâ vice, quia quamdiu intra primum bimeſtre Matrimonium manet duntaxat ratum, tamdiu habet utraque pars jus transeundi ad Religionem, nec poteſt una alteram jure compellere ad copulam, ut videbimus *Caſu XVIII.* cùm ergo maritus non habuerit primâ nocte nuptiarum jus exigendi, ſed ſolùm rogandi copulam, potueritque Quinctia optimâ conſcientiâ negare, non apparet, cur non fuerit obligata negare. Si tamen ſe integre reſolvit, quòd nollet mutare ſtatum, non habebit juſtam cauſam negandi juxta autores referendos *n. 688.*

Quia tamen non debemus cuiquam laqueum injicere, quando poſſumus cum ratione abſtinere hac injectione, idcirco obſervo ex Stephano à S. Paulo *in Theol. Moral. Tract. 5. diſp. 8. dub. 7. num. 62.* doctrinam, quam de redditione illicita primâ vice tradidimus, fuiſſe quidem communem Doctorum ætate S. Thomæ, at verò poſteriores Theologi tanto numero apud Dianam *Part. 11. Tract. 5. Reſol. 40.* *abſolutè* aſtruunt licentiam liberè reddendi, ut cenſeam, tali mulieri, & viro conſtitutis in periculo peccandi mortaliter reddendo, ſuggerendum à Confeſſario, quòd ſit perquam credibile, nullam culpam ab iis admiſſum iri *abſolutè* reddendo, atque ita etiam ſentit ipſe Diana, non diſſentiente Stephano.

Porrò circa diſpenſationem, de qua Tannerus, & alii omnes tractantes materiam debiti conjugalis, notat appoſitè P. Quintañadveñas *Singularium Tract. 9. Sing. 2 num. 2.* quemlibet Confeſſarium *abſolutè* commutare poſſe (tempore Jubilei) votum Caſtitatis emiſſum à conjuge ſine conſenſu alterius, imò & cum conſenſu, & etiam, quando uterque ſeorſim continentiam vovit, habitâ ab altero licentiâ, non tamen per modum contractûs, & reciprocæ conventionis. At verò quando uterque (ſubdit idem autor *num. 3.*) continentiam vovit perfectam, & abſolutam per modum mutuæ conventionis, cùm hoc votum ſit abſolutæ Caſtitatis, nequit per Epiſcopum diſpenſari, aut per Confeſſarium Jubilei commutari; citat tamen pro oppoſita ſententia Majorem, Hieronymum Rodriquez, & Pontium, addens *n. 4.* cum Sa, Eman. Rodriq. & aliis contra Sanchez *Lib. 8. Diſp. 11.* & alios, Epiſcopum poſſe diſpenſare quoad petitionem debiti, cùm talis diſpenſatio ſit tantùm quoad partialem Caſtitatem. Verùm ſi poteſt Epiſcopus hîc 630
diſpenſare, poteſt & Confeſſarius Jubilei, aut Ordinis Mendicantium commutare, per ea, quæ ego *in Tractatu De Jubileo Quintuplici Cap. 14. num. 321.* ſcripſi cum Sanchez *Lib. 4. De voto Cap. 40. num. 3. & 44.* & *Lib. 8. De Matrim. Diſp. 9.* Quo quidem poſtremo loco latiſſimè. nec ſine fructu (quidquid faſtidiat Pontius *Lib. 8. cap. 9. num. 2.*) differit de tota hac voti materia.

Idem Quintañadveñas *loc. cit. num. 6. & ſeqq.* atque *Singul. 4.* aſſerit, probátque, Regulares Mendicantes non ſolùm ex privilegiis vivæ vocis oraculo conceſſis, ſed verè bullatis habere jus diſpenſandi in omnibus, in quibus Epiſcopi diſpenſant. Noſtra tamen Societas non concedit hanc facultatem omnibus ſuis Sacerdotibus excipientibus Confeſſiones, ſed tantùm 632

tùm iis, qui à Provincialibus habuerint commiſſionem, ut liquet ex noſtro Compendio *V. Diſpenſatio* §. 9.

633 Quæritur V. *Quænam ſint Regulæ, ex quibus cognoſci poſſit, quandonam conjux teneatur, aut non teneatur reddere debitum petenti illicitè?*

Reſp. A Laymanno *Lib. 5. Tract. 10. Part. 3. cap. 1. num. 7.* atque aliis tradi haſce Regulas duas. *Prima*, quando conjux ita *illicitè* petit, ut peccatum, cum quo petit, proveniat ſolùm ex circumſtantia aliqua ſe tenente ex parte ipſiuſmet petentis, tunc tenetur uxor reddere, niſi fortè ſit privatus jure petendi, ſicut per dicta ſuprà *num. 600. & 601.* privatur adulter, vel inceſtuoſus. Ratio eſt, quia licèt conjux peccet in tali circumſtantia, hæc tamen circumſtantia non tollit jus in re, aut ad rem.

634 *Altera* Regula. Nequit ordinariè conjux reddere debitum alteri petenti *illicitè*, quando culpa, cum qua petit, ſe tenet, & provenit ex circumſtantia actûs conjugalis, quia tunc eſt cooperatio ad peccatum. Dico: *ordinariè*, quandoque enim etiam in tali caſu adeſt vel obligatio, vel certè licentia reddendi, quando ſcilicet ille actus conjugalis ſit ſolùm cum peccato veniali, nam tunc communiter adeſt cauſa excuſans ab omni culpa reddentem, nimirum metus diſplicendi marito, aut jurgiorum,
635 aut aliorum malorum. Quare ſecundùm hanc Regulam dicendum eſt, non delinquere uxorem, etſi reddat debitum marito petenti (abſque juſta cauſa) congredi alio ſitu, quàm ſit naturalis, juxta dicta *num. 584.* Quia autem Bonacina relatus *num. 620.* inficiatur, uxorem teneri reddere debitum, licèt ipſe petat cum culpa ſolùm veniali actûs, ideo conſequenter negat, teneri reddere tempore menſtrui. Caveat Confeſſarius, ne ſcrupulum injiciat nobilibus, aut valde ingenuis matronis, quando non parent maritis exigentibus ex mera petulantia à ſtantibus, &c.

636 Quæritur VI. *Quomodo conjuges teneantur ſe gerere circa redditionem, aut etiam petitionem debiti, quando vel ſciunt, Matrimonium non ſubſiſtere, vel dubitant de valore illius?*

Reſp. I. Quando uterque novit, Matrimonium eſſe nullum, evidens eſt, utrumque mortaliter delinquere tam petendo, quàm reddendo, quia evidens eſt, eſſe meram fornicationem, quæ eſt ita *intrinſecè* mala, ut ne quidem certa mortis formido eam excuſet.

637 II. Quando unus conjugum ſibi ſinceriſſimè, ac penitus perſuadet, Matrimonium eſſe validum, alteri autem *planè* & *phyſicè* conſtat de contrario, quia liquidò novit, intervenire Impedimentum dirimens, multi quidem graves viri olim pronuntiârunt à culpa immunem hunc, ſi reddat ob metum mortis, alii, ſi ob mandatum Magiſtratûs Eccleſiaſtici, ignorantis illud Impedimentum, tunc enim judicem Eccleſiaſticum diſpenſare ex commiſſa poteſtate, ſi ſit juris *Eccleſiaſtici*, Sanchez tamen *Lib. 2. Diſp. 39. num. 50.* rotundè ſcribit, *primam* ſententiam eſſe falſiſſimam, quia contrarium definitur *Cap. Inquiſitioni. De ſent. excomm.* ubi dicitur: *Debet potiùs ſententiam excommunicationis humiliter ſuſtinere, quàm per commercium carnale peccatum operari mortale.* Certè non poteſt prudenter negari, quin tunc admittatur *propriè*, & *Theologicè* dicta fornicatio. Notent verò hanc doctrinam Parochi, etenim primùm hoc Anno 1675. me convenit inſignis Parochus, aliquantulum dubitans de ejus veritate, idcirco ſolùm, quòd ejus vicini Parochi contenderent in caſu, qui contigerat, poſſe, & debere reddi debitum conjugale.

Alteram quoque ſententiam, ait meritò 638
Sanchez, ſibi non placere, nullus quippe Epiſcopus fatebitur, ſe in tali caſu diſpenſare, ſeu propriâ, ſeu probabiliter præſumptâ autoritate Pontificis. Ergo dicimus cum Sanch. *loc. cit.* Bonacina *quæſt. 4. punct. 4. num. 17.* Tannero *num. 34.* Perez *Diſp. 35. Sect. 1. num. 5.* Palao *punct. 4. §. 9.* Dicaſtillo *Diſp. 9. dub. 24.* & omnibus Recentioribus, teſte Palao, etiam eſſe in tali cauſa potiùs omnia perferenda, quàm reddendum debitum. Rectè enim aſſerit Perez, 639
eſſe *in cit. Cap. Inquiſitioni* definitum, quòd illa redditio ſit *intrinſecè*, ſempérque illicita. At *Epiſcopus mandat ſub excommunicatione tali conjugi, ut cohabitet alteri, reddátque debitum?* Reſpondet Palaus: Ergò vel arripiat fugam, vel tollat Impedimentum, ſi tolli poteſt (ut quando fictè conſenſit) vel petat diſpenſationem (ſi ſit Impedimentum juris *humani*) etiam ab Epiſcopo. Suprà *Tract. 9. num. 576. & ſeqq.* Vide etiam *in Quinario Tract. 5. cap. 38. n. 110. & ſeqq.*

III. Prior doctrina noſtra eſt vera, licèt il- 640
le conjux, qui compellitur ad reddendum debitum, non ſit *phyſicè*, ſed tantùm *moraliter* certus. Perez, & Dicaſtillo *ll. cc.* notanter, duntaxat illum eſſe *moraliter* certum, qui eſt probabiliter certus, abſque eo, quòd oppoſitæ parti inſit probabilitas, ſeu quando cenſeretur imprudenter agere, ſi judicaret, contrario ineſſe probabilitatem, ut e. g. ſi tres Teſtes omni exceptione majores, & habentes notiſſimam totam parentelam, jurati dixerunt uxori, illam eſſe junctam quarto gradu, & nullus alius audet contrarium aſſerere. Ratio eſt, quia cùm talis nequeat dubitare, quin Matrimonium ſit nullum, conſequenter dubitare non poteſt, quin redditio ſit illicita.

APPENDIX NYDERIANA.

Doctrinæ traditæ *num. 637.* & explicatæ tribus proximis §§ etiam ſubſcribit. Clariſſimus D. Ludovicus Engel, Profeſſor SS. Canonum in Salisburgenſi Univerſitate, in calce

quin-

quinta Partis Manualis Parochorum, valde concinnè conſcripti, tam alienus à Baſilii Pontii in noſtrum P. Thomam Sanchez antipathia, ut propter ſolam auctoritatem ejuſdem Sanchezii, habentis pro *falſiſſima*, & *in fide periculoſa* opinionem contrariam, nolit pro hîc & nunc diſcedere à Sancheziana, cujus occaſione proponit *fol. 506.* ex Nyderi *Formicario Lib. 3. cap. 3.* ac fusè, doctéque diſcutit in utramque partem hunc

Caſum tripliciter ſingularem.

b *Quinctilla mulieris videlicet, quæ* primò *nupſerat jam conjugato, ſed ignara impedimenti; quo cognito contraxit cum alio clandeſtinè, conſummavítque Matrimonium, cujus tamen diſſolutionem obtinuit à judice Eccleſiaſtico, falsò jurans, ſe non fuiſſe ab illo ſuo viro cognitam; etenim ætate Nyderi, qui floruit tempore Concilii Baſileenſis Matrimonia clandeſtina poterant dirimi, dummodo carnalis non interceſſiſſet copula, ſecùs ſi interceſſiſſet. Facto divortio ſolenni, copulata fuit tertio marito ignaro perjurii, & conſequenter* invalidè, *à quo tamen cùm recedere non poſſet abſque periculo ingentis infamiæ, aut etiam mortis, timeret autem, ut par erat, pœnas inferni, exoneravit ſuam conſcientiam apud Doctiſſimum Nyderum, qui denique poſt alia remedia fruſtra excogitata approbavit id, quod illa ipſa mulier, divinitus, judice Nydero, edocta ſuggeſſerat, ut nimirum ipſa quidem maneret in illo Matrimonio propter metum talium malorum, at marito petituro debitum ipſa fingeret*, ſe per hujuſmodi obedientiam contrahere lethalem infirmitatem, *& ne id mendacium eſſet, ad animæ infirmitatem hoc mente tenus apud ſe retorqueret, ex qua infirmitate animæ ſcilicet per mortale crimen quiſque nedum animæ, ſed etiam corporis perpetuam mortem ſubit. Ita fecit, ut cogitavit, & divinâ arridentiâ vir priùs incontinens fœminæ compati cœpit, eámque tantummodo ut ſororem (multis Annis) habuit.*

c Ita loquitur, teſtatúrque Nyder, exprimens valde ſingularem: tum 1. malitiam in perjurio: tum 2. argutiam in æquivocando mulieris, cui duplici ſingularitati nihil valituræ ad declinandos turpes tactus, accedit *tertia* comitans reſolutionem, quam de hoc ipſo Caſu excogitavit P. Engel *art. 7.* illius Quæſtionis, ubi enim oſtendit, quàm periculoſa fuerit illa æquivocatio, & quàm inefficacia ſint aliqua media, quæ à quibuſdam ſuggeruntur iis, qui contraverunt malâ fide cum parte ignara impedimenti dirimentis, ita, ſed trepidè ob latentem fortaſſe facti circumſtantiam, reſolvit: Putâſſem, maritum putatitium datâ bonâ opportunitate per Confeſſarium, vel alios viros idoneos fuiſſe de nullitate Matrimonii certiorandum, & diſponendum (qui utique jam ſine uſu Matrimonii conſtitutus facilè conſenſiſſet) ut pateretur negotium ad Conſiſtorium Eccleſiaſticum tanquam Caſum occultum deferri, à quo potuiſſet proferri divortii ſententia *ex cauſa impedimenti occulti ſibi cogniti, & coram ſe legitimè probati*, & mulieri ob præcedens perjurium aliqua occulta pœnitentia dictari, ſicut apud nos (id eſt in Auſtria inferiore, ut interpretor, nam in fronte primi libelli vocat ſe Conſiſtorialem Epiſcopi Viennenſis) ſæpe deferuntur caſus occulti matrimoniales ad Conſiſtorium, qui ulteriùs non propalantur, quemadmodum SS. Canones non tantùm ad forum *externum*, ſed principaliter ad *internum* ordinantur *Cap. Novit. De Judic.* ita etiam judex Eccleſiaſticus in quantum fieri poteſt, fori *interni* conſiderationem habere debet.

Hactenus ſingulare judicium P. Engel, fortaſſis faciliùs applicandum aliis etiam occultum impedimentum continentibus, quàm illi individuo, cui idem Doctor meritò ſubnectit hanc objectionem, quomodo videlicet potuerit Quinctilla probare coram Conſiſtorio impedimentum *ligaminis*, cùm ipſi tanquam perjuræ, & propriam turpitudinem alleganti non fuiſſet habenda fides *arg. Cap. Sicut nobis. 9. De Teſtib.* & in ordine ad ſeparationem Matrimonii jam contracti requiratur plena probatio? d

Reſpondet autem, ſibi videri ſufficientem eſſe potuiſſe probationem ex his concurrentibus. 1. Ex depoſitione veri mariti priùs habita. 2. Ex depoſitione nova ipſius fœminæ. 3. Ex depoſitione Confeſſarii cum licentia revelandi ſigilli ſibi à pœnitente facta. 4. Ex circumſtantiis, & diſpoſitione fœminæ lacrymantis, pœnitentis, fugam periculoſam re ipſâ meditantis, à conjugii uſu, cum maximo incommodo, abſtinentis &c. Quòd autem ex vehementibus præſumptionibus (præſertim in cauſis non capitalibus, & ubi non agitur de ablatione vitæ, aut membri (ſumi poſſit plena probatio, & exemplo Salomonis 3. *Reg. Cap. 3.* aliquando definitiva ſententia, notatur communiter per *Text.* & DD. *in Cap. Adferte. De præſumpt.* circa textum quidem in dicto *Cap. Sicut nobis* inſignis eſt diſputatio, cui depoſitioni credendum ſit, ſi teſtis juratus poſtea dicat, ſe perjurium commiſiſſe. Probabilius eſt, judicem id ex circumſtantiis, & præſumptionibus concurrentibus arbitrari debere. Fachin. *Lib. 9. controv. Cap. 84.* Rota apud Farinac. *in deciſ. crimin. & teſtium deciſ. 119. & 163.* e

Ob-

Digitized by Google

Obtentâ hac divortii ſententiâ, fuiſſet diſ„ponendus verus maritus (cui jam erat cogni„tum antea mulieris delictum) ut ſimulato „quaſi novo affectu, & diſſimulato priore clan„deſtino contractu eam publicè in ſuam uxo„rem reciperet; quod ſi noluiſſet, mulier de„buiſſet in Monaſterio, vel alio loco ſibi non „periculoſo degere. Si Caſus de præſenti fie„ret, & circumſtantiæ temporis, loci, & per„ſonarum cognitæ, forſan melius conſilium „incideret, interim hæc diſcurſûs gratiâ libuit „inſerere. Hactenus verba illius inſignis Canoniſtæ, ac ſimul Theologi, idcirco à me pluris facta, quòd reſolutiones purè Canoniſtarum forum conſcientiæ concernentes, ſoleam poſtponere (cæteris paribus) judicio eorum, qui ſimul excellunt ſcientiâ Theologicâ. Quamquam habendo totam hanc doctrinam pro ſagaci, & veroſimili, nolo eſſe revocatum quidquam eorum, quæ adverſantia uni, alterique ex hic aſſertis fortaſſe tradidi hoc, & ſuperiore Tractatu.

641 IV. Conjux, qui opinatur Matrimonium eſſe nullum, tenetur reddere (non obſtante eâ opinione) conjugi, qui bonâ fide contraxit, & bonâ fide petit, donec ita certus ſit de nullitate, ut parùm, aut nil dubii remaneat. Dicaſtillo *loc. cit. n. 171.* Nam *cit. Cap. Inquiſitioni* expreſſè dicit Pontifex. *Si habet conſcientiam de credulitate probabili* (abſentis Impedimenti) *& diſcreta, quamvis non evidenti, & manifeſta, reddere debet.*

642 V. Si conjux putat probabile, quòd ſit Impedimentum, propterea quòd exiſtimet probabiliter, e. g. priorem maritum eſſe adhuc ſuperſtitem, & ſimul etiam probabiliter credat, non ſubeſſe Impedimentum, poteſt petere, & reddere: Sanch. *Diſp. 44.* Perez *Sect. 4.* & Dicaſtillo *loc. cit. num. 174.* Quia non apparet ratio, cur ex probabili opinione *ſpeculativa* de nullitate Impedimenti nequeat inferre probabilem *practicam* de licita redditione, & petitione. At verò qui habet probabilem opinionem de nullitate Matrimonii, tunc ſolùm tenetur reddere, ſine jure viciſſim petendi, quando habet ita probabilem opinionem nullitatis, ut tantùm ſit formido, vel dubium valoris. P.
643 Sanchez *loc. cit.* & P. Dicaſtillo *num. 175.* Unde quando unicus Teſtis etiam juratus dicit tali uxori: *Meiſmet oculis vidi tuum priorem maritum abhinc tribus menſibus non integris* non tenetur idcirco uxor penitus abſtinere à petitione, tenetur tamen *abſolutè* reddere petenti: Non tenetur, inquam, abſtinere penitus à petitione, ſed ſolùm eo tempore, quo inquirit, an verum dixerit ille Teſtis, ſi enim, factâ diligentiâ, nequeat aliunde, quàm ex tali Teſte quidquam comperire de vita illius conjugis, *licitè* petet debitum. Sanchez *Lib. 2. Diſp. 45.* Dicaſtillo *num. 181.*

644 VI. Quando Matrimonio inito malâ fide ſupervenit dubium de valore, is qui malâ fide contraxit, nequit, ſtante dubio, petere, at tenetur reddere non dubitanti, neuter *licitè* petit, aut reddit; ſi uterque malâ fide inchoavit. P. Sanchez *cit. Lib. 2. Diſp. 42.* Bonacina *quæſt. 4. punct. 4. n. 11.* alii paſſim, nam poſſeſſio inchoata malâ fide non tribuit ullum jus dubio; tametſi talem poſſe reddere cenſet P. Henriquez. Dicitur autem ab autoribus ille quoque contraxiſſe malâ fide, qui contraxit dubius de Impedimento, quod quidem puto eſſe verum duntaxat caſu, quo talis non præmiſit diligentiam pro comperienda veritate, ſi enim inquiſivit, nec potuit quidquam comperire, poterit deponere dubium *practicum*, & bonâ fide contrahere, ſeu renovare contractum, ſaltem ſi ſponſæ aperuit ſuum dubium juxta dicta *Tract. 9. Caſ. I. n. 62.*

VII. Qui verò bonâ fide contraxit, poteſt, 645
ſuperveniente dubio de valore, poſt adhibitam veritatis inquiſitionem non tantùm reddere, ut fatentur DD. ſed etiam petere. P. Coninck *Diſp. 32. num. 105.* Bonac. *loc. cit.* & alii contra P. Tannerum *n. 36.* Quia in omnibus contractibus, ille, qui bonâ fide cœpit poſſidere, utitur liberrimè re ſic poſſideri cœptâ, ſi, ortò dubio, nequeat deprehendere, non eſſe ſuam. Quòd ſi talis necdum præmiſit diligentiam pro inveſtiganda veritate, non tenetur alter certus de valore reddere ipſi. P. Sanchez *Diſp. 44. num. 50.* Bonac. *n. 8.* debet autem etiam ante præmiſſam diligentiam reddere petenti, non dubitanti de valore, ſaltem poſt conſummatum Matrimonium, nam ante primum bimeſtre, ſi non ſit conſummatum, non adeſt talis obligatio, Bonacina *n. 9.*

Obſervavi autem *in Alphabeto Ordinis Caſu XI. n. 438.* quando concipitur proles, lite circa valorem Matrimonii bonâ fide initi pendente, eam eſſe pro legitima habendam; tametſi fortaſſe poſtmodum fiat manifeſtum, illas nuptias fuiſſe à parte rei illicitas, irritáſque, Autoribus, quos pro hac doctrina refert, ſequitúrque Diana *Part. 10. Tract. 11. Reſ. 42.* junge Aloyſium Riccium *in Praxi Tom. 1. Reſ. 230.*

Cæterùm rectè obſervat Tanner. *num. 37.* 646
nunquam ſine rationabili, & ſufficiente cauſa eſſe de valore Matrimonii bonâ fide contracti dubitandum. Itaque licèt vir dicat, ſe fictè conſenſiſſe, aut Impedimento laborare, non tenetur tamen uxor ei habere fidem. Sanchez *Lib. 2. Diſp. 46.* Bonacina *num. 10.* Dicaſtillo *num. 120.* diſtinctè ex Sanchez referens, quando poſſit credi aſſerenti, ſe fictè contraxiſſe: qua de re nos ſuprà *Caſu XI. numero 440. & ſeqq.*

APPENDIX I.

Deciſioni de licito uſu Conjugii, etiam tunc, cùm ſemen non eſt prolificum, jungo reſolutionem hujus

Propè heſternæ quæſtionis.

LOtharius, *Maritus Helenæ non modò non habet ſemen prolificum, ſed fundit adeò corruptum, ut judicio Medici poſſit multùm obeſſe valetudini Helenæ. Quæ proinde quærit* primò, *utrùm teneatur reddere marito debitum conjugale?* Secundò, *utrùm ſi reddat, non liceat receptum ſemen effundere è matrice, ne noceat?*

b Reſolutionem hujus utriuſque quæſtionis petiit ex me non nemo, haud obſcurè innuens, eſſe, qui, vel quæ ſtare velit meo judicio.

Reſpondi ad *primam* quæſtionem, ſi prudens, uſúque peritus Medicus aſſerat, ſeminis retentionem fore valde noxiam uxori, ita ut allatura ſit vel mortem, vel morbum gravem, continuúmque, deſinere obligationem reddendi debiti.

c Rationes, & autoritates deſumpſi ex dictis *in Quinario, Tract. 5. cap. 34. ſect. 4.* breviterque repeto *ſeq. Caſ. XVII.* & nominatim non tenetur Helena reddere tunc, ſi maritus illam corruptionem ex intemperantia, ebrioſitatéque, ſicuti exprimo *cit. Sect. 4. numero 76. & ſeqq.*

d Nec obeſt, licèt maritus dicat, ſe verſari in periculo incontinentiæ, nec enim uxor ſe obligavit ad hoc periculum tollendum cum periculo ſuæ vitæ. Sanchez, Bonac. & alii relati à me *cit. Sect. 4. num. 65.* Quòd ſi illa Helena eſſet gravata multâ prole, maritus autem parùm omnino curaret œconomiam, ſed totum onus recumberet in Helenam, tunc foret adhuc magis excuſanda negando. Imò licèt *ibid. num. 68.* dixerim, uxorem merituram cœlum, ſi cum periculo propriæ vitæ reddat debitum petenti ob verum periculum incontinentiæ, dubito tamen, an hæc doctrina ſit vera, ſi mors, aut infirmitas, quam prudenter timet Helena ex congreſſu, redundatura ſit in ingens incommodum liberorum, quorum educationi neceſſaria ſit vita, & valetudo matris. Imò depoſito dubio cenſeo, redditionem fore tunc illicitam, nec enim fas eſt matri, reddere ſe per aliquod opus ex ſe bonum, haud tamen imperatum, ineptam ad exhibenda filiis ea officia, ad quæ leges divinæ, & humanæ obligant.

e Ad *ſecundum* reſpondeo, illam effuſionem ſeminis, præſertim inutilis, factam ex intentione indicata, permiſſum iri à P. Fagundez, hic enim *in Decalogum Tom. 2. lib. 6. art. 3. num. 50.* apud Dianam *Part. 10. Tract. 14. Reſ. 55.* ſic loquitur: *Uxor, vel quæcunque alia fœmina, ſtatim poſt copulam ſe invertens, ut ſemen emittat, ne concipiat, peccatum lethiferum admittit, niſi aliqua cauſa rationabilis excuſet, v. g. periculum mortis in partu, aut labor magnus, & magnum detrimentum in illo retinendo.* Ita Fagundez, quaſi in terminis reſolvens Caſum mihi, & à me propoſitum. Non tamen auſus ſui ſtare hac doctrinâ, quam multis reprobat apud Dian. Leander *De Sacram. Tom. 2. Tract. 6. diſp. 25. quæſt. 45.* atque ipſe Diana, nixus eâ ratione, quòd nunquam liceat impedire generationem.

f At hæc ratio, nec eſt univerſim vera, cùm utique ille maritus impediat generationem, qui ante deciſionem ſeminis abrumpit cœptam copulam, & tamen is non peccat, judice *ibid.* Dianâ, ſi & uxor non eſt ſeminatura, & ipſe extra vas non effuſurus ſemen, nec huc facit illa eadem ratio, quia in noſtro caſu non impeditur generatio, cùm ſupponatur ſemen viri eſſe prorſus ſterile, ſto tamen ipſâ reſolutione Dianæ, quæ eſt etiam Silveſtri, Henriquez, & Sanchezii *Lib. 9. Diſp. 20. num. 3.* citantis pro contrario Angelum, ideo autem ſto, quòd in re tanti momenti, in qua etiam ſubeſt periculum pollutionis ex parte mulieris, non audeo ſine majore autoritate recedere à communi Regula, de non effundendo deditâ operâ proprio, alienóve ſemine, alioquin non video, cur culpanda eſſet pudiciſſima virgo, quæ per vim barbaricam oppreſſa, effunderet infuſum iniquiſſimè ſemen, idque faceret, ne gravida evaderet: non enim video, cur non æquè liceat *directè* impedire probroſiſſimam ſimul & iniquâ vi cauſatam conceptionem, ac *directè* ejicere tale ſemen. Exiſtimat quidem P. Sanchez *De Matrim. Lib. 2. Diſp. 22. num. 17.* fas eſſe taliter oppreſſæ puellæ ejicere ſemen *immediatè* (non autem paulò pòſt) ut eſt receptum, at neque hoc auſim ſcribere abſque plurium ſuffragio.

APPENDIX II.

a ITa, ut nunc vidiſti primùm, lector, ſentiebam de Patris Sanchezii ſententia, circa effuſionem ſeminis emiſſi per vim injuſtam in vas muliebre. At jam non dubitarem hanc ejus doctrinam ſequi conſulendo, quandoquidem nunc primùm reperi duos auctores claſſicos, ſubſcribentes Sanchezianæ, ſcilicet Jacobum Marchantium *in Reſolut. Paſtoral. Tract. 1. cap. 6. num. 21.* & Dianam *Part. 10. Tract. 5. Reſolut. 31.* admetior verba Marchantii. „Certum eſt, quòd mulier à proprio viro agnita, nunquam poſſit voluntariè ſemen expellere, ob ullam cauſam. Similiter nec mulier, quæ conſentit in virum non ſuum, nec puella ad tuendum honorem ſuum, eſt enim novum peccatum mortale poſt voluntariam copulam, impedire generationem, aut fruſtrare ſemen fine ſuo. At quando eſt oppreſſio violenta à non ſuo, non ſolùm poteſt extrahere opprimentis ſe virilia, licèt ſemen ſit effundendum, ſed etiam mox à coitu poteſt ſemen expellere, quia hoc eſt ſe defendere contra invaſorem

„ ſorem injuſtum, quæ invaſio, & injuſtitia adhuc nunc cenſetur *moraliter* perdurare in ſemine illius, qui oppreſſit. Nec hic caſus eſt extraordinarius hoc ærumnoſo tempore, in quo milites in quaſcunque mulieres obvias vim libidinis exerunt. Ita Marchantius de ſui temporis militibus, ita ego de multis hujus ipſius noſtri. Unde inferes, quid licitum fuerit tum in hoc

Execrandiſſimo flagitio,

b *Quo hoc ipſo Anno 1674. quidam ſpurciſſimus eques gente N. in Provincia N. iter habens cum aliquot commilitonibus, incidit in Virginem, cum ſuo fratre ſacerdote parocho recipientem ſe ad tutiora; ut arbitrabatur exſcendit ex equo, humi ſtravit, ac violavit miſeram, nequicquam invocantem auxilium aliorum nequicquam deprecante tantum nefas fratre, ut mihimet ex ore illius ſacerdotis vicini ſui alius fide digniſſimus parochus expreſſis nominibus gentis, loci, Principis ſub ſignis habentis tam ſcelerata capita, recenſuit non penitus oblito prorſus conſimilis ſtupri, mille patibula commeriti, patratique in Palatinatu N. ſub Annum hujus ſaculi 1634.* tum in hac

Horrenda vaſtatione Romana.

c *Quando videlicet exercitus Caroli V. abſentis conflatus ex Italis, Hiſpanis, Germanis, Duce Borbenio, Pontifice Clemente VII. Anno 1527. poſt vi captam Romam non ſolum in mortales, atque ædes ſacras ſævìit crudelius, quam Gothi, Vandalique (teſte, poſt Laurent Surium* in Hiſtor. ſui tempor. *Jacobo Maſenio in præſtanti libro, cui titulus:* Anima Hiſtoriæ Lib. 2. num. 18.) *verum etiam virginum juxta ac matronarum, quamvis* juratam Deo hominibúſque pudicitiam expugnarunt, *ut ſcribit idem præſtans Hiſtoriographus.*

Siquidem liquet ex doctrina Sanchezii, & Marchantii, fuiſſe fas tum illis conjugatis: tum vel maximè Virginibus Deo ſacratis, mox ut receperunt ſemen, illud expellere, vel, ut loquitur poſt Bordonum Diana *loc. cit.* digitis ejicere. Quod verò ex fide digno intellexi, ita fuiſſe in Diœceſi mihi nota reſolutum (ad tuendum honorem Monaſterii) quod ſcilicet licuerit præbito pharmaco expellere ſemen, minimè eſt probandum: tum quia in caſu illius Sanctimonialis non vi, ſed ſolis precibus erat virginitas erepta, etenim illa miſera creatura conſenſerat in copulam: tum quia non è veſtigio, ſed notabili tempore poſt receptum, & jam in quieta quaſi poſſeſſione conſtitutum ſemen expulerat, in quo caſu rectiſſime negat Sánchez, licitam eſſe illam effuſionem.

ACTIONES VENEREÆ LICITÆ CONJUGIBUS.

CASUS XVII.

Innocentis animæ.

SUMMARIUM.

Caſus nova nupta interrogantis Confeſſarium, quomodo conjuges poſſint peccare contra Caſtitatem? 647.
Quomodo ſe debuit gerere ille Confeſſarius? 648.
An conjuges licitè *ſe oblectent cogitatione copulæ? 653.*
Qui mutui tactus, aſpectus, verba permittantur conjugibus? 655.
Qui ſui ipſius? 659.
Qui, quando ſubeſt periculum pollutionis? 665.
Declaratur caſu juvencula nupta vetulo? 668.
Quæ actiones venereæ permittantur ſponſis de futuro? 670.
Singulariter, quando ſubeſt periculum pollutionis? 672.
Refertur ſententia circa oſcula, damnata ab Alexandro VII. Ibid.
An Clericus oſculans virginem præſumatur facere ex libidine? 673.
Declaratur Caſu Neapolitano? Ibid.
Quid viduis liceat circa delectationes? 675.

Roſina virgo educata in omni pudicitia, dixit Confeſſario: Cras nuptui dabor ex voluntate parentum, cum potius vellem vitam ducere cælibem. Audivi ſemel iterúmque concionatorem dicentem, ſæpe turpiſſima, graviſſimáque crimina carnalia committi inter ipſoſmet conjuges, hæret quoque mea memoria terrifica hiſtoria de matre, quæ in forma porci flammas ejaculantis apparuit poſt mortem propriæ filiæ lamentans, ſe idcirco addictam flammis æternis, quod cum ejus, filia inquam, patre indignas turpitudines exercuiſſet in thalamo conjugali, ego planè ignoro, quibus modis poſſint conjugati inter ſe peccare. Quare rogo R. V. ut me doceat, quo pacto poſſit in hoc genere contrahi peccatum; malo ſanè mori, quàm Deum offendere ullâ impuritate. 647

Fui ipſe non ſemel pulſatus hac ipſiſſimâ quæſtione, ſæpius utique multi alii. Duo exempla 648

Tt 4 pla

pla tam feliciter ignorantium has carnalitates
exhibui *Tract. præced. Caſ. IV. num. 128.* quid
ad præſentem quæſtionem reſpondendum cen-
ſeam, accipe.

I. Si ejuſmodi puella habeat matrem ſuper-
ſtitem, bonis verbis jubeatur genitricem inter-
rogare potiùs, quàm Confeſſarium, id quippe
eſt convenientius, decentiúſque.

649 II. Si careat matre, aut præ verecundia
non audeat interrogare, dicatur ei, ut ſuo ma-
rito tanquam capiti obediat, etiam in illis re-
bus. Si hic fortè petat aliquid, de quo ipſa du-
bitet, an ſit licitum, deprecetur verecundè, ſi
deprecando nil efficiat, idcirco, quòd maritus
afferat, ſe jam nôſſe, quid permittant leges
connubiales, tunc obediat, certa, ſe non of-
fenſuram Deum, dum in dubio paret marito,
tanquam ſuperiori, proximâ deinde occaſione
quærat ipſa ex Confeſſario, utrùm illud, in
quo obedivit, licitum ſit conjugibus, necne?
Aſſentitur mihi *citato* Stephanus *ultimo folio ſuæ
Theol. Moralis.*

650 III. Poterit pro re nata ſuggeri tali, ut
ſequatur exemplum nonnullarum, quæ, præ-
ſertim, quando nubunt viduis, dicunt his pri-
mâ vice petentibus debitum: *Meum corpus eſt
in tua poteſtate, quis uſus ſit licitus, vel illicitus,
planè ignoro, rogo te, ſic utaris, ut poſſis in illo ju-
dicii reddere Deo rationem.*

651 IV. Monendæ ſunt utique tales, ut ſem-
per cum verecundia præſtent hæc carnalia,
nunquam ſe effundant, excludendo Deum ex
ſuo corde. Poterit etiam eis dici ſine abſurdo,
non diuturnum tactum, & aſpectum mutuum
partium verecundarum carere gravi culpâ,
abſtinendum tamen, quoad ſalvo amore, &
pace conjugali poteſt. Ut ad alia particularia
deſcendat Confeſſarius, non reor conſultum,
niſi interrogetur ſingulariter de illis, ſi interro-
getur, reſpondebit ſecundùm ſeveriores, aut
mitiores (prout ſaluti interrogantis utilius fo-
re *in actu ſecundo* judicabit) ſententias referen-
das in decurſu.

652 Hiſce circa illum Caſum notatis, propo-
nam actiones, quas conjugati vel timent, vel
ſolent exercere, ſeu inter ſe mutuò, ſeu ſeor-
ſim. Et propter connexionem materiæ diſſe-
ram etiam de iiſdem actionibus exercitis tum à
ſponſis de futuro: tum à viduis. Sequar au-
tem ordinem, & plerumque verba, quibus P. P.
Sanchez *Lib. 9. Diſ. 45.* & Perez *Diſ. 54.* exe-
cuti ſunt hanc materiam, quatenus tangit con-
jugatos.

Quæritur I. *An liceat conjugibus moroſè de-
lectari, ſecluſo periculo pollutionis, in copula cogi-
tata tanquam præſenti?*

653 Reſp. I. Non eſſe culpam lethalem in con-
jugatis delectationem moroſam. Perez *loc. cit.
Sect. 1.* poſt Sanchez *Diſp. 44. num. 3.* quia ta-
lis eſt delectatio, quale eſt objectum, ſed co-
pula, de qua eſt, tanquam objecto, delectatio
inter conjuges, eſt licita. Intelligitur autem
hîc nomine *delectationis moroſæ* actus voluntatis
approbantis voluptatem in parte genitali or-
tam ex cogitatione actûs conjugalis liciti. 2.
Neque eſt mortalis in viro, ſecluſo pollutionis
periculo, quando eſt abſens uxor, & è contra.
P. Perez *num. 5.* poſt Sanch. Vaſq. Coninck,
Navarr. *in Man. Diſp. 15. num. 22.* & ferè Di-
caſtillo *Diſp. 6. dub. 16. num. 191.* quia illa vo-
luptas venerea non quæritur extra Matrimoni-
um. 3. Idem eſt dicendum, tametſi ex ea dele- 654
ctatione conſurgat (ut ferè ſolet) membri pu-
dendi commotio, & alteratio abſque periculo
pollutionis. Sanch. Perez. *num. 9.* quia Matri-
monium excuſans à mortali delectationem
ſenſitivæ partis, excuſat quoque commotionem
illam connaturaliter ex ipſa conſurgentem. P.
Vaſquez *Tom. 2. Diſp. 113. num. 2. & 3.*

Quæritur II. *An tactus, aſpectus, & ver- 655
ba turpia inter conjuges licita ſint, ſecluſo pollu-
tionis periculo?*

Reſp. I. Quando proprii corporis tactus,
etiamſi ſint in partibus inhoneſtis, fiunt ad co-
pulam conjugalem, in quam ſuapte naturâ or-
dinantur, perficiendam, liciti ſunt. Perez *Sect.
2. num. 3.* cum omnibus, quia licitum eſt ju-
vare naturam ad actum rationi conſonum, me-
diis ſuâ naturâ ordinatis ad illum.

2. Si illi tactus referantur ad majorem vo-
luptatem in ipſa copula captandam, eſt venia-
lis culpa, at non mortalis. Sanch. *n. 9.* cum
communi contra nonnullos ſtatuentes hîc no-
xam lethalem, nam referuntur ad actum ſolùm
venialiter malum.

3. *Procul dubio dicendum eſt, ſolam eſſe cul- 656
pam venialem, tactus inter conjuges ob ſolam vo-
luptatem in ipſis captandam, abſque animo perve-
niendi ad copulam.* P. Sanchez ita loquens *n. 12.*
cum permultis, quos citat ipſe, ſequunturq; cum
Perez, ac Dicaſtillo *Diſp. 9. dub. 18. n. 187.* Recen-
tiores apud Dianam *Part. 4. Tract. 4. Reſ. 221.* ita
ſcribentem: *Væ, væ conjugatis! ſi vera eſſet opinio
Paludani, Silveſt. Rodriquezii, docentium, eſſe
mortale, ſi conjuges inter ſe tangant, & oſculentur
pudenda propter ſolam voluptatem.* Ratio eſt, quia
illa voluptas quæritur in actu ſuapte natura or-
dinato ad licitum Matrimonii actum. Limita: 657
niſi illi tactus ſint ita turpes, ut ſint quaſi incho-
ata pollutio, & conjuges exiſtant tali loco, ut
nequeant copulari, ſed conſequenter ſecutura
ſit vera alterutrius pollutio. Infrà *n. 666.*

4. Eſt etiam tunc culpa venialis ſolùm, quan- 658
do conjux ſe ipſum tangit propter voluptatem
captandam abſque periculo pollutionis (quia
ſcilicet habet uxorem ad latus) & ſine imagina-
tione alienarum perſonarum. Sanch. *n. 6.* Perez
n. 6. Vaſq. *in 1. 2. To. 1 d. 113. c. 2.* Palaus *Part. 1 Tr.
2. d. 2. p. 10. §. 2. n. 16.* & apud P. Dicaſtill. *l. c. n. 188.*
Ochagavia, quibus Joannes Sanch. *in Sel. Diſp.
21. n. 16.* jungit Patrem Salas, Morteſinum, &
Armillam *verb. Impudicitia* diſſentiens ipſe cum
Diana *Part. 3. Tr. 4 Reſ. 2.* malè citante pro ſe Vaſ-
quezium, ſicut & Palaus malè pro nobis Co-
ninck

Digitized by Google

ninck *Diſp. 14. num. 113.* nam P. Vaſq. eſt apertè pro nobis, P. Coninck nihil habet de tali tactu. Ratio autem noſtræ opinionis eſt, quia revera talis tactus eſt de ſe indifferens ad actum conjugalem, & fornicarium, ergo ſi exerceatur ab habente jus, & proximam potentiam ad copulam, meritò dicetur referri ad copulam illam.

659 5. P. Dicaſtillo *loc. cit. num. 189.* vocat *falſiſſimam* ſententiam docentium, carere culpâ lethali conjugem, qui etiam, abſente uxore à domo, tangit libidinosè ſe ipſum. Ab eadem opinione diſſentiunt apertè Vaſquez, Joann. Sanch. & Diana *ll. cc.* at illam tuentur expreſsè P. Palaus *loc. cit. implicitè* P. Thom. Sanch & P. Perez *loc. cit.* quatenus abſolutè à mortali excuſant in conjuge tactum proprium libidi-
660 noſum, abſque periculo pollutionis. Quidquid ſit de veritate *ſpeculativa* horum DD. judico ego, aut nihil, aut parum probabilitatis *practicæ* ineſſe ſententiæ Patris Palai, viri cæteroquin perdocti, & non nimis laxi, eò quòd incipiens exercere talem tactum cum intentione delectationis venereæ exponat ſe nimio periculo effundendi ſemen, cùm ergo non adſit ipſi tunc copia illud effundendi in vas à natura ordinatum, exponit ſe manifeſto periculo pollutionis propriè dictæ, ſecùs de illo, qui id facit habens uxorem ad ſuum latus, aut non procul. Et ſic ſolutum videtur argumentum, quo Joann. Sanchez triumphat ex P. Laymann. *loc. cit.* Equidem valde timeo, ne pauciſſimi ſint, qui non fateantur, ſe ferè ſemper pollui, quando etiam ſine intentione pollutionis cœperunt ſeſe tangere ob voluptatem veneream, abſente uxore.

661 6. Hactenus dicta de tactibus impudicis, ſeu ſui ipſius, ſeu uxoris intellige cum omnibus DD. de aſpectu, & verbis turpibus, niſi quòd aſpectus, & præſertim verba non ſint tam irritativa ad profuſionem ſeminis, quàm tactus, ergo poſſunt admitti in pluribus caſibus, quàm tactus, ſicut & id, de quo ſequens

Caſus Dianæus.

662 *Quidam inchoabat copulam cum uxore, & poſtea ob morbi periculum ex ejus conſenſu ſe retrahebat, verùm, ex hoc aliquando ſequabatur pollutio. Quæſitum à me fuit, an talis actus eſſet licitus? Reſpondi affirmativè.* Sic ſcribit Diana *Part. 6. Tract. 6. Reſol. 37.*

663 Quæritur III. *An liceant delectationes moroſæ, & tactus conjugatis, quando ob aliquod impedimentum eis non licet actum conjugalem exercere?*

Reſp. 1. Quoties copula interdicitur conjugibus ob circumſtantiam *extrinſecam*, quæ per ſe neutrum conjugem arcet ab uſu Matrimonii, ut propter notabile ſanitatis, vel abortûs periculum, certum eſt, prædictos actus, ſecluſo pollutionis periculo, non eſſe mortaliter malos. Perez *Sect. 3. num. 2. 2.* Idem dic, quando eſt interdicta copula ratione alicujus Eccleſiæ præcepti, ut interdicitur conjugi propter affinitatem iniquè contractam cum altero conjuge debiti petitio. Idem *num. 5.* At conjugi nullo modo eſt licita delectatio moroſa, quando ei ratione voti interdicitur petitio debiti. Perez *num. 4.* Sanchez & Coninck, quia vovens abſolutè caſtitatem, tenetur, quantùm poteſt, abſtinere ab omnibus illis, quæ caſtitati adverſantur. Quòd ſi conjux ſolùm voviſſet, ſe non petiturum debitum, illi liceret delectatio venerea, & tactus. Idem *num. 7.* quia ejuſmodi votum eſſet ſolùm de petitione 664 debiti. 3. Quoties conjugi interdicitur debiti petitio, quia eſt dubius de valore Matrimonii, eſt mortalis delectatio venerea. Idem *num. 8.* quia Matrimonium, quod ſolum poteſt eam cohoneſtare, eſt dubium.

Quæritur IV. *An delectationes moroſæ, ta-* 665 *ctus, aſpectus, verba turpia inter conjugatos, reddantur illicita ratione pollutionis præviſæ inter conjuges?*

Reſp. 1. Non eſt mortale in conjugatis per tactus, quos unus exercet erga alterum tori conſortem, aſpectus, verba turpia, ac delectationem veneream ex copula cogitata conſurgentem, dare cauſam commotionibus membrorum propriorum, vel illius, qui tangitur, aſpicitur, &c. deſervientium generationi, & incidere in diſtillationes præviſas. Sanchez *cit. Diſp. 45. num. 42.* Perez *cit. Diſp. 54. Sect. 5. num. 1.* quia illa delectatio moroſa inter conjugatos caret culpâ lethali, ut dictum ſuprà. At eſt mortalis illa delectatio moroſa, etiam in conjugato, quando prævidetur pollutio inde ſecutura. Perez *num. 3.* cum Sanch. quia eſt res valde provocans ad pollutionem & exercita abſque urgente cauſa, inquit Perez. Idem dic de aſpectibus, tactibus valde turpibus, habentibus periculum adjunctum pollutionis.

2. Conjugi reddenti non ſunt mortales 666 tactus impudici, quamvis adſit periculum pollutionis in ipſo reddente, nam reddit ob cauſam urgentem, quia tenetur parere petenti illos. Ita P. Sanchez *loc. cit. num. 35.* & P. Perez *loc. cit. num. 4.* excipientes tactus illos, qui ita ad pollutionem tendunt, ut ſint quaſi pollutio inchoata, & tamen conjuges in eo loco exiſtant, in quo habere copulam nequeant, præviſo pollutionis periculo, declarante Sanchez duobus exemplis illos tactus. Quæ quidem exceptio non ſolùm eſt neceſſaria, verùm etiam ipſa doctrina, ex qua fit illa exceptio, difficilis mihi videtur, nec eam probo caſu, quo ille tactus petitur ex ſola voluptate, imò P. Palaus *De ſponſ. Diſp. 3. punct. 4. §. 2.* eam negat etiam caſu, quo ille tactus petitur ad mutuum indicandum, fovendúmque amorem, ut loqui-

Digitized by Google

667 tur Perez cum Sanch. Aſſentior tamen his duobus authoribus caſu, quo ad illum finem petit conjux, vel impotens, ut mox declarabo Caſu minimè ficto, vel aliquantùm ſuſpectus uxori de exiguo in ipſam amore, & vice verſâ. 3. quippe non ſunt in conjuge petente ſemper mortales illi tactus cum præviſo periculo pollutionis in ſe, vel in altero conjuge, quando nec ea eſt intenta, nec eſt periculum conſenſûs *directi* in eam, ſed ſunt ex communi omnium mortalia, quando cum tali periculo exercentur abſque legitima cauſa, legitimam autem cauſam cenſent Sanchez, & Perez, eſſe manifeſtationem, conſervationémque mutui amoris. At cavendum, ne hic prætextus ſit falſus, & ex his petenda reſolutio ad ſequentem

Caſum Imparis conjugii.

668 *Radegundis maritata juvenis, Jovialis genii, & calidi, maritum habet jam jam ſeptuagenarium, & aliquot ex ipſo liberorum patrem, attamen jam ſenio confectum, & impotentem. Radegundis urgetur ſtimulis gravibus, maritus illam amat, & quia non poteſt aliter, rem agit tactibus. Radegundis etiam amat maritum, patitur, polluitur ſemel, bis, ter. Anxia rogat opem: hinc Deum, & peccata timet, illinc maritum amat, carnis ſtimulos patitur peracres. Quæritur, an nihil, & quid remedii ſuperſit?*

669 Eſt hic unus è quatuor Caſibus, de quibus me unis literis conſulendum duxit vir gravis, & doctus è quadam Italica provincia, Annis abhinc non paucis. Reſpondi ex jamjam dictis, cùm illi tactus videantur factitari ordinariè ſine pollutione, tametſi hæc quandoque ſequatur præter *directam* utriuſque intentionem, cùm deinde appareat, fieri non ex mera libidine, ſed ad teſtandum, fovendum amorem conjugalem, qui cæteroqui facilè frigeſcit in tam impari connubio, ideo ex ſententia Sanchezii, & Filliucii non videri delinquere mortaliter illis tactibus. Confirmo autoritate Dianæ, qui abſolutè, & ſine limitatione reſpondit conſultus, non peccare conjuges, qui in ſignum amoris conjugalis ſe amplectuntur, quamvis prævideatur ſecutura pollutio, quia affectus conjugalis eſt ſufficiens cauſa talem actum exercendi. Sic teſtatur ipſe *Part. 6. Tract. 6. Reſp. 37.* ſubdens: *Neque peccarent conjuges in actu conjugali, quamvis ex imbecillitate naturæ, vel alia de cauſa præter intentionem effluat aliquid ſeminis extra vas naturale.* Porrò Caſus noſtræ Radegundis confirmat judicium Ovidii Naſonis:

Siqua voles aptè nubere, nube pari.

His adde, non permitti ab eodem Diana *Part. 11. Tract. 8. Reſ 35.* cùm tamen alii apud ipſum permittant *Part. 10. Tract. 11. Reſ. 61.* ut conjuges aſpiciant, tempore congreſſûs, icones affabre pictas eâ intentione, ut illarum aſpectu magis excitentur ad venerem, ſubeſt enim magnum periculum, ne, intuendo illas, imaginentur ſibi alienas perſonas, ſéque oblectent copulâ cum iis, repræſentatâ per imaginationem. Notatis hiſce

670 Quæritur V. *An ſponſis propriè dictis, ſeu de futuro liciti ſint tactus, oſcula, delectationes venereæ &c?*

Reſp. 1. Oſcula, amplexus, & tactus omnes ſunt iſtis æquè ſub mortali vetiti, ac ſi non eſſent ſponſi. Pedraza, & alii nonnulli apud P. Sanch. *Lib. 9. Diſp. 46. num. 47.* negantem meritò *num. 48.* cum plurimis, eſſe eis vetitos ſub peccato mortali, eſto fortè ſub veniali, tactus, amplexus, oſcula non impudica, eò quòd, cùm habeant ſponſi jus quoddam remotum ad copulam, hi autem tactus ſint etiam remota diſpoſitio ad copulam, ratio naturalis non vetet ſub mortali, ſicut nec lex Divina.

671 II. Certum eſt apud omnes DD. oſcula, tactus, amplexus non impudicos *licitè* fieri inter ſponſos, quando fiunt ſecundùm conſuetudinem patriæ in ſignum benevolentiæ, ad conciliandum, & fovendum mutuum amorem in ordine ad Matrimonium. Ita loquitur P. Perez *Diſp. 8. Sect. 6. num. 4.*

Et quidem ſunt ob finem prædictum liciti hi actus, licèt adſit periculum pollutionis, modò non ſit periculum conſenſûs in veneream delectationem. Idem *num. 5.* conſtituente hîc peccatum mortale Sanchezio *loc. cit. num. 50.* cum aliis: ſicut & ſunt mortales, quando fiunt ob delectationem veneream, & libidinoſam, eſto tunc abſit periculum pollutionis. Perez *ibid. num. 6.* cum Rebello *Lib. 9. quæſt. 19.* & Hurtado *Diſp. 10. diffic. 10. num. 49.* contra Cajet. Navarr. Lopez, Ledeſmam utrumque, & Sanch. *loc. cit. num. 49.* utentem quidem nomine delectationis *ſenſitivæ*, ſed per hanc certò intelligit *veneream*, ut patet ex *num. 5.* & authoribus, quos pro ſe citat. Ratio noſtra eſt, quia talis delectatio eſt nimis propinqua diſpoſitio ad approbandam pollutionem.

672 Fateor tamen, non raro fieri, ut Confeſſarius cogatur in praxi ſupponere ſententiam Patris Perezii, niſi velit tales ſponſos dimittere ſine abſolutione, utpote quibus ægre perſuadebit, aut illos amplexus, oſcula &c. eſſe mortalia, aut ut agnoſcentes eſſe mortalia, forment propoſitum ſe emendandi. Ego non ſemel adactus fui in has anguſtias. Nullo autem modo eſt hæc doctrina practicanda cum ſponſis, qui contraxerunt ſponſalia ſub conditione, quæ aut nondum advenit, aut nondum ſcitur adveniſſe, nam in his, non autem in aliis vera eſt illa doctrina generalis Martini Perez *loc. citat. num. 8. Sponſalia præciſè ſpectata, non excuſant à mor-*

Digitized by Google

à mortali, aut veniali oſcula, amplexus, aut tactus, qui in ipſis, ſi ſoluti eſſent, forent mortales, aut veniales.

Et verò inter ſententias ab Alexandro VII. vetitas die 18. Martii Anno 1666. locum quadrageſimum obtinet hæc: *Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſûs ulterioris, & pollutionis.* Quo Decreto inhibitorio, utrùm per delectationem carnalem & ſenſibilem intelligatur illa duntaxat, quæ communiſſimè oritur in partibus generationi deſtinatis, quando oſcula exercentur inter perſonas diverſi ſexûs, validæque complexionis, an verò etiam illa, quæ ſentitur duntaxat in labiis, & genis, non eſt hujus loci decernere, ſolùm dico: Si damnatur duntaxat illa *prima* ſententia, quæ fuit nonnullorum antiquorum Theologorum, tum ſuam adhuc probabilitatem retinet opinio ſat multorum, qui ejuſmodi oſcula excuſârunt à mortali, *per ſe loquendo*, at omni probabilitate deſtitutam eſſe jam illam ipſam opinionem, ſi Pontifex ſuâ cenſurâ deſignavit voluptatem ſolitam in partes honeſtas dimanare ex mollitie, temperamento, proportione partium, quæ tanguntur oſculando.

673 Equidem in foro *externo* præſumi, oſcula ſaltem à Clericis præbita puellis, quas valde amant, proficiſci ex amore venereo, deduces non irrationabiliter ex deciſione 155. Curiæ Neopolitanæ, cujus Riccius meminit *tertiâ parte* ejuſdem Curiæ deciſionum

Hiſce verbis.

IN Terra Procita noſtræ Archiepiſcopalis Diœceſis, quidam Clericus nimio amore, quo ardebat ductus, quandam puellam dictæ terræ deoſculatus fuit. Captâ igitur diligenti informatione, & cùm diu in fortiis noſtræ Curiæ detineretur, fuit tandem pro cauſa expeditione dubitatum: an incurrat pœnam ordinariam? & fuit unanimiter dictum, quòd oſculans mulierem nimio amore ductus non incidit in pœnam; quando enim amore captus oſculatur mulierem, quam ſummè diligit, & amat, non eſt puniendus pœnâ ordinariâ pragmaticæ. Et ſic Domini concluſerunt, ne detur occaſio delinquendi, cùm in totum abſolvuntur ii, qui amore occæcati delicta committunt, quòd dictus Clericus puniretur mitiore pœnâ arbitrio judicis.

Hæc & plura Riccius de eo delicto; atque pœna mitigata ab illa ſapientiſſima Curia, cujus judicio ſicut ſto, quatenus judicat, pœnâ aliqua dignos Clericos, petentes oſculis perſonas alterius ſexûs, ita ignoro, utrùm amoris vehementia, quæ induxit Clericum ad actum ſuo ſtatui tam probroſum, non ſit Præſides Eccleſiarum Teutonicarum inductura potiùs ad exaggerandam, quàm minuendam pœnam, amor enim cæcus prodit animum diuturnis, laſcivíſque deſideriis plenum, ac prurientem in turpiora, quàm ſint oſcula, aut etiam ſuavia.

III. Delectatio venerea partium inferiorum, quam admittit ſponſus ortam ex imaginatione copulæ futuræ cum conjuge, eſt crimen lethale. Ita communiter DD. cum Perez *Diſp. 45.* quia fertur in copulam præſentem. Imò eſt mortalis voluptas, quæ in voluntate ſola ſentitur, & approbatur, quando ſcilicet ſponſus gaudet, ſe fruiturum brevi commercio carnali cum hac ſua ſponſa, inquiunt Palaus *Part. 1. Tract. 2. punct. 19 §. 2. num. 7.* & Dicaſtillo *Diſp. 9. dub. 22. num. 298.* At hoc eſt nimis durum, nec verum, ut rectiùs Sanchez *Lib. 1. Moral. cap. 2. num 34.* Lugo *De pœnit. Diſp. 10. ſect. 6. §. 4. num. 156.* quia voluntas ſequitur intellectum repræſentantem futura, quæ erunt licita. 674

Quæritur VI. *Quid in hoc genere tactuum, delectationúmque liceat viduis?* 675

Reſp. Tametſi certum eſt, eos eſſe reos gehennæ, quando ſe ipſos tangunt impudicè, vel aſpiciunt ad excitandam voluptatem veneream, attamen non delinquunt graviter, quando, recurrente memoriâ voluptatis, quam perceperunt in actu conjugali, gaudent in voluntate, ſe fuiſſe illâ perfruitos, atque optant, viveret adhuc conſors thori, ut porrò poſſent carnaliter commiſceri. Lugo & Sanch. *ll. cc.* contra Palaum, & Dicaſtill. *ll. cc.* audiendos tamen caſu, quo ejuſmodi recordatio, vel deſiderium excitat in illis, ut fieri amat, commotionem carnalem cum periculo approbandi hanc, ſeu habendi complacentiam in illa. Ita plerique Recentiores, atque alii cum Diana *Part. 3. Tract. 5. Reſol. 2.* contra Victoriam, Medinam, Zumel, Herreram, Silveſt. & Cajetan. apud Dianam *loc. cit.* ac Tannetum *Tom. 2. Diſp. 4. quæſt. 8. num. 139.* & denique contra Valentiam expreſſè *Tom. 2. Diſp. 6. quæſt. 4. p. 4.* qui tamen rectè addit, ſuam ſententiam eſſe periculoſam.

DE INDISSOLUBILITATE MATRIMONII.

CASUS XVIII.

Incredibilis multis.

SUMMARIUM.

Caſus Matrimonii Rati inter plebeios, & tamen diſſoluti? 676.

Diſſolutio quoad vinculum, & quoad torum quæ 680.

Unde proveniat, indiſſolubilitas Matrimonii? 682.
Conſummatum eſt penitus apud Chriſtianos indiſſolubile quoad vinculum? 684.
Ratum eſt ſolubile in duobus Caſibus? 685.
Vota ſimplicia Societatis Ieſu non dirimunt ex ſe Matrimonium Ratum? 687.
Quomodo dirimat votum Profeſſionis Religioſæ? 688.
Non eſt dubitandum, quin Papa poſſit dirimere ratum. 691.

676 *Symphorianus opifex duxit Symphoroſam, etiam plebejo ſanguine creatam, in uxorem, cum qua ſupervixit integro Anno, uſus communi menſâ, & lecto. Poſt Annum ea uxor cum officiali militari aufugit, atque militiæ duos liberos ex eo ſuſcepit. Liberatus hic juramento militari redierat in patriam, cupiebátque cum Symphoroſa copulari, non invito vero marito, ſi ſeparari poſſent. Ergo ab N N. piæ memoriæ proponuntur Romæ momenta, cur Matrimonium non cenſeatur conſummatum. 1. Quòd illo cohabitationis tempore ſæpe auditi ſint in lecto rixari, & colluctari. 2. Quòd vicinis, eo Anno durante, dixerit mulier, maritum ſibi non tanti eſſe, ut permitteret eripi ſibi ab eo virginitatem. 3. Omnes tres parati ſunt juramento confirmare maritus quidem & uxor, quòd ille ſæpius voluerit, & attentârit conſummare Matrimonium, ſed ſemper habuerit inobedientem, miles autem, quòd eam reperiſſet virginem.*

677 *His Romæ propoſitis, reſcriptum eſt ad Officialem N. & mandatum, quatenus de his ſe informaret, & ſi ita eſſet, declararet, & diſpenſaret, qui proinde cauſam Ingolſtadium miſit conſultandam, & quamvis deinde executio Bullæ ad me miſſæ à Reverendiſſ. D. Officiali facta non ſit, fortè quia judicabat, preces veritate non niti, certum tamen eſt, diſpenſationem datam fuiſſe in eo Matrimonio juxta relationem conjugum Romæ factam, qua quidem diſpenſatio data fuit ob cohabitationem illorum conjugum admodum diſcordem, ex qua timebatur malus exitus.*

678 Nunquid mecum cenſes, mi Lector, eſſe, aut fore multis incredibile, quod Innocentius X. non ſanè facillimus in concedendis circa tanti momenti Leges diſpenſationibus, fecerit hanc gratiam extraordinariam duobus infimæ plebis capitibus? Habeo tamen adhuc penes me chirographa duorum inſignium Theologiæ, & Canonum Profeſſorum, quorum alter *primam*, alter *ſecundam* partem hujus Caſûs ad me perſcripſit illis conceptiſſimis verbis, quæ hîc legiſti, uterque eorum non modò habuit Bullam illam in manibus, ſed requiſitus fuit ab Officiali N. ut conſilio, aut ope concurreret ad legitimam, quatenus fieri poſſet, executionem.

Quæritur autem *ratione hujus, & plurium ſi-* 679
milium diſpenſationum, veréne polleat Pontifex Romanus poteſtate dirimendi Matrimonia legitima? 2. An non aliâ ratione, quàm diſpenſatione ſolvi poſſit vinculum conjugale?

Eſt verò reſponſionibus ſecuturis præmit- 680
tendum, eſſe duplicem modum dirimendi, ſeu diſſolvendi Matrimonium: primum *quoad vinculum*: alterum *quoad torum*. Quoad *vinculum*, quando nexus, obligatióque inter conjuges ita *radicaliter* tollitur, ut revera deſinant eſſe conjuges, non ſecùs, ac deſinunt, quando alter, aut uterque tollitur è vivis, & proinde ſicuti, ſi uterque mortuus revocaretur ad vitam, poſſet uterque revolare ad aliud connubium, ita etiam, quando generatim dicitur, Matrimonium dirimi, ſeu diſſolvi *quoad vinculum*, intelligitur, conjuges reſtitui in eam, qua ante nuptias gaudebant, libertatem, ut poſſint, ſi nil aliud obſit, validè tranſire ad alia vota, etſi conſors tori ſit adhuc in vivis. At 681
diſſolutio *quoad torum* eſt, quando, manente, perſeverante vero conjugio, habet alteruter conjux verum jus negandi in perpetuum debitum, cæteráque officia conjugalia, ſicuti fieri ob adulterium, oſtendemus *Caſ. XX.* ut proinde non ſit hîc opus probare, Matrimonium eſſe diſſolubile *quoad torum*. At de diſſolubilitate, vel indiſſolubilitate *quoad vinculum*.

Dico I. Matrimonium habet aliquam in- 682
diſſolubilitatem. Eſt de fide: Nam *Matth. 19.* dicitur: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Loquitur autem ibi Dominus de conjunctione, & ſeparatione matrimoniali. Utrùm verò illa indiſſolubilitas proveniat ex jure naturæ præciſè conſiderato, ut volunt Sotus, Vaſquez, Pontius, Dicaſtillo *Diſp. 2. dub. 28.* & alii apud Perez *Diſp. 20. ſect. 2.* An verò formaliter ex inſtitutione Divina, ut cenſet idem P. Martinus Perez *ibid.* poſt Sanchez, alios: An tertiò inter baptizatos oriatur à ratione Sacramenti, ſicuti tenent Innocent. Gregorius Lopez, alii plurez apud Sanch. *Lib. 2. Diſp. 13. num. 7.* An quartò ex jure Eccleſiaſtico, ut viſum eſt Gloſſæ *cap. Ex publico. De converſ. conjug.* Joanni Andreæ *ibid.* & aliis Canoniſtis cum Medina Theologo, quemadmodum *ibid.* refert P. San- 683
chez, non eſt mei inſtituti diſcutere, licèt arrideat opinio Sanchezii, & Perez dicentis, fundamentum quidem hujus indiſſolubilitatis haberi in natura hujus contractus, ſpectatâ ſcilicet in ordine ad rectam prolis educationem, *formaliter* tamen à Deo, vel quatenus voluit per Matrimonium conſummatum ſignificari unionem Divinæ perſonæ cum carne humana, ut placet Sanchezio *cit. num. 7.* vel quatenus Deus tanquam propriè Dominus noſtrorum cor-

cor-

Digitized by Google

corporum, dedit homini poteſtatem copulandi ſe indiſſolubiliter alteri, cùm cæteroqui non haberet jus faciendi tam arctam obligationem, imò dederit ipſi ſub hac conditione jus copulæ, & conjunctionis, ut proinde ſicut contra jus naturæ peccat, qui re alienâ utitur aliter, quàm ſit ipſi permiſſum à vero Domino, ita etiam is, qui diſſolvit Matrimonium, ut ratiocinatur Perez. Et fuit quidem hæc lex lata in conjugio Proto-parentis noſtri. An verò valeat Matrimonium hæreticorum contrahentium diſſolubiliter, dicam *ſeq. Caſ. XIX.*

684 Dico II. Matrimonium Chriſtianorum Conſummatum eſt ita indiſſolubile quoad vinculum, ut nullâ, niſi *immediatè* Divinâ poteſtate poſſit tolli hoc vinculum. Ita omnes Catholici contra petulcos hæreticos, de quibus *cit. Caſ. XIX.* definitúrque in Concil. Trident. *Seſſ.24. Can.7.* ac deſumitur ex Lucæ 16. *Omnis, qui dimittit uxorem ſuam, & aliam ducit, mœchatur.*

685 Dico III. Matrimonium Ratum eſt per Profeſſionem Religioſam diſſolubile, quoad vinculum. Ita definitur in Concil. Tridentino *cit. Seſſ.24. can.6.* tenéntque omnes Catholici, cum quibus proinde dicimus, ſi quis legitimo connubio junctus Matrimonium non conſummavit (quando cenſeatur eſſe Conſummatum, explicavi *in Tract. præcedente Caſ. XVI.*) illum poſſe ingredi Religionem, in eâque profiteri, factâ autem profeſſione penitus extingui vinculum conjugale, ita ut pars, quæ in ſæculo permanſit, habeat jus contrahendi aliud Matrimonium carnale illo ipſo horæ quadrante, quo altera init ſpirituale per vota ſolennia Re-

686 ligionis. Hanc doctrinam à Synodo Tridentina expreſſè definitam, & duobus Caſibus, ſeu exemplis declaratam in jure Canonico *cap. Ex publico, & cap. Ex parte De converſ. conjug.* deſumimus Catholici ex perpetua traditione Eccleſiæ, quam traditionem demonſtrat Cardin. Bellarminus, P. Valentia, alii Scholaſtici, & Controverſiſtæ. Ratio autem generalis, cur Matrimonio Rato tribuatur aliqua diſſolubilitas, non item Conſummato, eſt, ut obſervat P. Sanchez *Lib. 2. Diſp. 13. num. 1. & 7.* quia Matrimonium Ratum ſignificat duntaxat Verbi Divini unionem cum anima per gratiam, Conſummatum verò unionem ejuſdem Verbi cum natura aſſumpta; nam per ſolum Matrimonium Conſummatum fit vir, & mulier caro una, *cap.2. De converſ. conjug.* quia verò unio per gratiam eſt diſſolubilis, unio cum natura humana eſt indiſſolubilis, non eſt mirum, quòd Matrimonio Rato competat jure Divino diſſolubilitas, quæ non competit Conſummato. Eſt autem doctrina de diſſolutione per Profeſſionem intelligenda, ut ſequitur.

687 I. Privilegium iſtud à Chriſto conceſſum Profeſſioni Religioſæ non extenditur ad illos Soc. Jeſu Religioſos, qui emiſerunt ſola vota ſimplicia, ut cum communi noſtrorum Doctorum Suarii, Vaſquezii, Sanchez, Hurtadi ſenſu contra Baſilium Pontium demonſtrat P. Martinus Perez *cit. Diſp.20. ſect.4.* ſicuti neque per votum ſolenne Caſtitatis, quod emittitur in ſuſceptione Subdiaconatûs, multò minùs per aliud ſimplex.

II. Si quis conjugum cogitet ingredi Religionem, relinquitur ipſi bimeſtre ſpatium ad deliberandum, ita ut primis duobus menſibus non teneatur reddere debitum, ut DD. tradunt communiter *ex Cap. Ex publico. De converſ. conjug.* in quo Capitulo refertur Caſus conjugatæ, nolentis redire ad maritum, eò quòd diceret, incognitam ſe adhuc eſſe à ſuo marito, & velle tranſire ad Religionem. Si verò non cogitet mutare ſtatum, multi contra multos tradunt, teneri primo bimeſtri reddere debitum. Autores pro, & contra referunt Sanchez *loc. cit. Diſp.24.* Coninck *Diſp.26. dub. 5.* Laymann. *De Matr. Tract. 10. Part.3. cap.6. num.3.* utrique ita probabiliter, ut Quinctia, de qua *Caſ. XVI. num. 648.* non niſi probabiliter fuerit obligata negare debitum illo primo triduo ſui voti. 688

III. Si ultra bimeſtre permanſit incognita viro ſuo, poterit adhuc ingredi Religionem, ſic enim clarè traditur in *cit. cap. Ex publico. De converſ. conjug.* idque verum eſt, licèt poſt illud bimeſtre exactum negaverit illicitè marito debitum. Sanchez *loc. cit. num.27.* Laym. *loc. cit.* & alii, apud quos poteris, ſi neceſſitas occurrerit, legere, an Epiſcopus poſſit producere, ſeu prorogare illos duos menſes, aut etiam abbreviare, item quot diebus conſtare debeant illi menſes, & an, ſi maritus per vim opprimat uxorem primis duobus menſibus, poſſit tamen diſſolvi Matrimonium per ingreſſum Religionis, quod quidem communiſſimè negant Recentiores apud P. Tannerum *Tom.4. Diſp 8. quæſt.5. num. 58.* contra Durandum, & alios improbabiliter affirmantes. 689

IV. Errares utique, ſi cum nonnemine olim in contingentia facti conſulto cenſeres, per copulam, quæ cum ſponſa interceſſit ante Matrimonium de præſenti, conſummari Ratum Matrimonium ſubſequens, & proinde auferri jus tranſeundi ad Religionem, ſicuti jam notavi ſuprà *num. 406.* & poſt illic ſcripta reperi, haberi à noſtro Martino Perez *cit. Diſp.20. ſect. 6. num. 1.* doctrinam illi nonnemini contrariam pro certa, ac perbene probari. 690

Dico IV. Matrimonium Ratum poteſt etiam quoad vinculum diſſolvi autoritate Pontificis. Ita contra Palud. Sotum, Victoriam, Covarr. Pontium, Mæratium, alios apud Sanchez *cit. Diſp. 24.* & Dianam *Part. 8. Tract. 1. Reſol.62.* & rurſum eâdem *Part. 8. Tract.3. Reſol.97.* tenent Sanchez, Diana, Perez, Dicaſtillo, Tambur. Tanner. Laymann. ac plures alii, ſcribentes de præſenti materia. Nec puto, poſſe jam abſque contumelia Sedis Apoſtolicæ defendi opinionem Pontii, poſtquam ſcilicet 691

& Dia-

Digitized by Google

& Diana *loc. cit.* nominavit ſeptem Summos Pontifices, qui cum facilè triginta ita diſpenſàrunt, & noviſſimè Innocentius X. poſt tam longas, acreſque inter Theologos concertationes de hac poteſtate, fuit eâ uſus erga vulgarem opificem, nullius prorſus gratiâ ſuffultum, & quidem abſque cauſa bonum publicum concernente, ut fideliſſimè retuli ſuprà. Rationes pro hac veriſſima, tametſi difficili, ut fateor ipſe, ſententia lege ſingulariter apud Dianam, & Perez, ſat bene reſpondentes ad contraria fundamenta, quæ etiam me traherent in hanc oppoſitam, niſi retinerent facta, imò publica judicia tot ſapientiſſimorum, doctiſſimorúmque Pontificum.

692 Porrò cauſæ diſpenſandi, quas Diana *loc. cit. Reſ. 63.* ex Ochagavia refert, ſunt hæ quinque. 1. Notabilis in qualitate diſparitas. 2. Metus magni ſcandali, magnarum rixarum inter ſponſos, aut conſanguineos eorum. 3. Lepra, aut aliud grave malum ſuperveniens, ratione cujus nunquam poſſit ſponſus ad ſponſam accedere. 4. Impotentia ſuperveniens Matrimonio Rato. 5. Ut vir maximè conveniens bono publico eligatur in Epiſcopum. *Secunda* ex allatis cauſis habuit locum in noſtro, multis *Incredibili*, Caſu. Vide etiam doctum Menochium *Conſil. 786. num. 12. 16. & 26.* ubi tradit, ob nimiam diſparitatem conjugum, & (magnam) repugnantiam patris poſſe fieri tale divortium, & ſuaſit, ut re ipſâ fieret cum aliquo propter haſce duas cauſas. Vide quoque Caſum, quem ex Navarro retuli *Tract. præced. Caſ. IV. num. 119. & 120.*

693 Non poſſum facere, quin ad eripiendum meo Lectori ſcrupulum obſervem, illam ſententiam Salvatoris: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* intelligendam eſſe in ſuo rigore de ſolo Matrimonio Conſummato, ſicuti à fortiori eam interpretatur Alexand. III. *citat. Cap. Ex publico §. fin.* Vide infrà *num. 728.*

His adde, quòd Epiſcopus non poſſit in ullo caſu dirimere Matrimonium Ratum. Perez *Diſp. 29. ſect. 8.* Diana *cit. Tract. 1. Reſ. 64.* contra Bauny.

694 Dico V. Sunt variæ cauſæ, ob quas permittitur divortium, ſeu diſſolutio Matrimonii quoad torum, has explanabo *Caſ. XX.* Priùs autem reſolvo ſequentem Quæſtionem.

AN MATRIMONIA HÆRETICORUM NOSTRÆ ÆTATIS SINT DISSOLUBILIA?

CASUS XIX.

Helveto-Hæretici.

SUMMARIUM.

Caſus Neophyti permiſſi ducere aliam, vivente primâ uxore Hæreticâ? 695.
Defenditur illa permiſſio? 698.
Matrimonia Hæreticorum non ſunt à toto genere diſſolubilia? 699.
Reſolutio practica in contrarium data à quodam Theologo? 703.
Refutatur ea reſolutio? 706.
Adfertur ſententia judicialis contra illam? 708.
Rurſum alio caſu roboratur? 709.
Refertur varia doctrina Habſenſis de diſſolutione talium Matrimoniorum? 710.
Una confirmatur Reſcripto authentico? Ibid.
An ſeparanda Matrimonia, ab Hæreticis inita cum Impedimento? 711.
Reſpondetur novæ objectioni factæ contra doctrinam autoris? Ibid.
Refertur Caſus recentiſſimus? 712.

Tobias Helvetius in Hæreſi Zwingliano-Calviniſtica natus infimo loco, educatúſque, ſociavit ſibi conjugio Suſannam eodem fermento coinquinatam cum qua & vixit aliquot Annis poſt conſummatum Matrimonium. Deinde, patrato non illo quidem magno, admodum tamen probroſo id loci delicto, metu pœnæ profugit è patria ad vicinum locum Catholicum. quod ubi reſciit Suſanna, rem detulit ad Conſiſtorium, Prædicantium, à quo etiam impetravit jus transeundi ad ſecundas nuptias, repudiato ſuo Tobiâ, qui paulò pòſt amplexus Catholicam Religionem, Parocho fideliter edocto de priore uxore adhuc vivente, maritale fœdus iniit cum virgine Catholica coram illo Parocho loci, viro non ſolùm perdocto, ſed qui inſuper conſuluerat alios viros ſapientes. Cùm autem ex hoc loco migrâſſet in aliud territorium vicinum Helvetiæ, jâmque habitâſſet cum altera uxore Annos 20. ſuſceptis ex eâ quinque liberis, compererunt ejus vicini, eſſe adhuc ſuperſtitem uxorem primam. Quare actum fuit cum Reverendiſſ. Domino Vicario Generali Reverendiſſ. & Illuſtriſſ. Epiſcopi Conſtant. ut dirimeret hoc alterum conjugium, utpote invalidum ratione polygamiæ. Ego rogatus ſententiam judicavi, nullo modo dirimendum, ſicuti re ipſâ fuit is relictus in ſuo illo ſecundo conjugio. Quæri poteſt, an idcirco, quòd exiſtimarem, Matrimonia Hæreticorum eſſe diſſolubilia? An verò aliam ob cauſam? 695

Res ita ſe habet, ut narro, tranſactáque Anno 1661. menſe Octobri. At meum reſponſum nitebatur hac fundamentali ratione, quòd judicialis ſententiæ tanta ſit authoritas, ut ſemper pro judice præſumi debeat, donec contra ipſum aliquid legitimè comprobetur. *Text. cap. In præſentia. De renuntiat.* adeò ut ſecundus 696

dus Confeſſarius præſumere debeat, (ſi nihil grave in contrarium occurrat) priorem eſſe rectè functum ſuo officio reſpectu pœnitentis confeſſi utrique. P. Martinus Fornar. *Tract. 1. cap. 2. num. 4.* Atqui in primis judex Eccleſiaſticus ejus loci, in quo contractus ille matrimonialis fuit initus, tulit ſententiam de licito tranſitu ad ſecunda vota, eámque ante ipſas nuptias approbârunt duo, aut tres viri ſapien-
697 tes. Contra hanc verò ſententiam nihil legitimè probatum fuit à denuntiatoribus Tobiæ, nam ſolùm proponebant factum, quod nemo inficiabatur, ſcilicet vivere adhuc priorem conjugem, hæc autem allegatio nil legitimè probat contra illam ſententiam, etenim potuit utique fieri, ut illud Matrimonium fuerit nullum, aut irritabile ex alio capite, quàm ex ratione generalis diſſolubilitatis inter conjuges hæreticos, potuit namque interceſſiſſe Impedimentum Affinitatis, aut Cognationis carnalis, vel ſpiritualis, quæ Impedimenta non curant hæretici in iis gradibus, in quibus Catholici, cùm tamen oſtenderim *in Tract. preced. num. 50.* eſſe quàm maximè curanda. Potuit quoque interveniſſe metus, aut fictio, & denique expreſſa conditio, ut ſi contingeret unus è caſibus, quibus Tigurini, qui tenent principatum inter Zwinglianos, permittunt divortia, & libellum repudii, eſſet ſibi jus divortii. Nemo non videt, quin facilè aliquid horum potuerit interveniſſe, cùm ſint tam frequentia inter id genus homines, ergo vera allegatio prioris Matrimonii nullo modò legitimè probabat, erráſſe judicem, dum pronuntiavit, liberum eſſe Tobiæ, quærere legitimam conjugem, quandoquidem prior non fuerit legitima.

698 Nec ullo modo tenebatur ſecundus judex perveſtigare ex Tobia cauſam factæ diremptionis, ſed ſupponere poterat, priorem judicem functum eſſe & fideliter, & juſtè ſuo officio, cùm præſertim Tobias eſſet in ſui Matrimonii poſſeſſione, vel quaſi, Annos jam 20. quam fide optimâ orſus erat, quanta verò ſit vis, quanta quaſi privilegia poſſeſſionis generatim, & ſpeciatim matrimonialis, nemo peritus Juris, aut Theologiæ ignorat. Fuit hæc, ut dixi, vera ratio, quæ mihi perſuaſit ſententiam, in quam tunc deſcendi. At occaſione illius Caſûs

699 Quæritur: *An Matrimonia modernorum Acatholicorum ſint à toto genere, & proinde per ſe loquendo habenda pro diſſolubilibus?*

Ad quam quæſtionem ab omnibus Scriptoribus, quoad dubitandi fundamentum, diſſimulatam, à pluribus Theologiæ Profeſſoribus, è diverſis locis, mihi ſcripto propoſitam reſpondeo *negativè.*

700 Reſponſionem probo *inprimis* inde, quòd certum ſit, hæreſin, *per ſe loquendo*, nihil obeſſe valori Matrimonii, ſicut oſtendi *Tractat. preced. num. 226.* ex ſententia omnium Catholicorum, atqui omne baptizatorum validum Matrimonium eſt indiſſolubile, ſaltem ſi ſit Conſummatum. Suprà *n. 684.* Probo deinde hac ratione, quia ſi Matrimonia modernorum hæreticorum ſunt ſolubilia, tunc ſunt tantùm contractus civiles, ut placuit nonnulli, de quo paulò pòſt, atqui non videtur hoc poſſe dici, quia Matrimonium inter Baptizatos eſt, *per ſe loquendo*, Sacramentum. Suprà *n. 389.* ratio autem Sacramenti tollit illam, ut ita dicam, civilitatem, inducens ſacrationem, & indiſſolubilitatem, utpote ſignificans æternam filii Dei conjunctionem cum carne humana, & Eccleſia. *Cap. Cùm ſocietas 27. quæſt. 2.*

Probo 3. Quia omnes Epiſcopi, Parochi, 701
Confeſſarii, Superiores laici Catholicarum mulierum nuptarum alicui Lutherano, Zwingliano &c. habent talia Matrimonia pro veris, & legitimis, ut manifeſtè patet ex eo, quòd & eorum liberos habeant in profanis, ſacríſque rebus pro indubitanter legitimis, & impertiantur ejuſmodi nuptis varia Sacramenta in tali connubio; atqui nequirent illa Matrimonia eſſe legitima, ſi forent ſolubilia. Certum enim videtur, Catholicam mulierem velle nubere ritu Catholico, ſeu uſitato inter Catholicos, qui eſt nubere cum intentione ſuſcipiendi Sacramenti, & cum perpetuitate juxta *cap. fin. De condit. appoſ.* Si ejus conjux hæreticus illam ſibi copulat cum hac intentione, conſtantiſſimum eſt, contractum eſſe indiſſolubilem, ſi cum contraria, tum non ſubſiſtit Matrimonium, ſed eſt merus concubinatus, ſicuti demonſtravi *Tract. preced. Caſ. XI. num. 238.* quia ſcilicet hic contractus nequit claudicare, claudicaret autem deformiſſimè, ſi mariti intentio diſſentiat ab uxoris. Probo 4. Commu- 702
ni ſenſu Doctorum, quorum nullus planè, quem impreſſum, aut citatum legerim, hactenus dubitare auſus eſt de indiſſolubilitate Matrimoniorum inter hæreticos, generatim loquendo, omnes enim damnant illam diſſolvendi rationem, veluti invalidam. Vide Cardinalem Bellarm. *Lib. 1. De Matrim. cap. 16. & 17.* loquentem ex mente Eccleſiæ totius.

Nihilominus tamen probabile, & prope cer- 703
tum viſum eſt nonnemini, Matrimonia hæreticorum hujus temporis inter ſeipſos invicem, aut quando altera pars eſt ſincerè Catholica, etſi valida ſint, eſſe tamen diſſolubilia. Audi, Lector, reſolutionem, quam quidam Theologiæ, Canonúmque Profeſſor jam vitâ functus dedit ad ſequentem

Caſum Lutherano-Catholicum.

Theodorus homo Orthodoxus duxit mu- 704
lierem Lutheranam, quæ non modò detrectat ſequi ipſum, ad locum catholicum migrare volentem, ſed etiam conatur illum pertrahere ad hæreticum locum, cum illius periculo,

culo, aut magno gravamine. Ab ipſo Magiſtratu civili facilè huic ſubveniri poteſt, ſi, cauſis ritè cognitis, ejuſmodi Matrimonium inſtar alterius merè civilis contractûs reſcindatur. Etſi tutiſſimum ſit propter ſententiæ hujus in praxi, his in partibus, novitatem, & ignorantiam, Eccleſiaſticum judicem accedere, ut ejus autoritate, facultate, & declaratione admiratio, & ſcandalum puſillorum tollatur.

705 *Porrò Matrimonia talia, hæreticorum, inquam, eſſe contractus civiles, adeóque diſſolubiles, probatur hoc irrefragabili*, inquit ille Doctor, *argumento, quòd radix indiſſolubilitatis ſit ratio Sacramenti, hæc autèm deficit Matrimoniis Hæreticorum inter ſe, vel cum Catholicis, eò quòd rationem Sacramenti nec credant nec intendant, Tridentinum autem Concilium ad valorem Sacramenti requirit Miniſtri intentionem conficiendi illud*, ex quo infert denique, *Hæreticorum Matrimonium eſſe æquè diſſolubile, atque ex multorum opinione, fuit olim infidelium, abſoluteque ad id ſufficere autoritatem Magiſtratûs Civilis.*

706 Verùm ego *cit. Tract. præced. Caſ. XI. num. 237.* clarè oſtendo, fundamentum hujus reſolutionis nullo modo eſſe irrefragabile. 1. Quia plurimi DD. rationem inſolubilitatis petunt aliunde, quàm à ratione Sacramenti. Suprà *num. 682* Unde gnariſſimus diſſidiorum circa res morales, P. Sanch. *loc. cit. Diſp. 1. num. 9.* pronuntiat, eſſe inter Doctores certum, & in *Cap. gaudemus de divortiis*, definitum, quòd poſt legem Evangelicam ne quidem ipſis Judæis, aut aliis infidelibus ſit permiſſum repudium. 2. Quia, licèt hæretici non credant, Matrimonium ſuum eſſe Sacramentum, non tamen ſequitur, eos nec conficere, nec recipere Sacramentum, quando copulantur matrimonialiter, ſicut nullo modo ſequitur, nec conferri, nec recipi Sacramentum Baptiſmi ab eo, qui non credit, Baptiſmum eſſe Sacramentis annumerandum. 3. Quia plurimi Acatholici ſunt tantùm *materialiter* Hæretici, ac proinde ita animo comparati, ut, ſi eſſet ipſis evidenter credibile, contractum matrimonialem eſſe à Salvatore evectum ad rationem Sacramenti, & quidem cum indiſſolubilitate, forent & hoc credituri, & contracturi conformiter inſtitutioni Chriſti. Hæc ſanè generalis comparatio, diſpoſitióque animi, atque intentio debet prævalere privato errori eorundem, ſicuti obſervo *in cit. Caſ XI. n. 234. & 235.* Et his jam duplici prælo mandatis video hoc ipſum obſervatum à P. Chriſtoph. Haunoldo de juſtit. commut. *Tract. 6. cap. 1, num. 59.* loquente de Abyſſinis ratis, contrahi à ſe Matrimonium diſſolubile.

Cùm igitur everſum ſit fundamentum illius reſponſi, ſeu reſolutionis, patet, hanc quoque corruere, licèt autem eandem habuerim aliquando pro probabili, re tamen penitiùs expenſâ non auſim jam eam locare in cenſu probabilium. 1. Quia hactenus eſt inaudita in Eccleſia Dei, unde compertiſſimum mihi eſt, multis ſapientiſſimis viris pœnitus improbari. 2. Quia hactenus omnes noſtræ Germaniæ, Galliæque Epiſcopi, Parochi, Confeſſarii, & Magiſtratus Politici cum Eccleſiaſticis, ipſique Papæ diſpenſantes cum variis Principibus, & Illuſtribus viris, habuêre generatim pro indiſſolubilibus ea ſaltem connubia, quæ una pars ſincerè Catholica iniit cum altera Acatholica; re enim vera ſi ſunt ſolubilia, hoc ipſo ſunt meri concubinatus, ut declaravi tum ſuprà *num. 701.* tum *in cit. Caſ. XI. n. 238.* eſſe autem generatim meros concubinatus nemo eſt hactenus auſus dicere, & fortè nec cogitare, qui autem contra omnes loquitur, non bene loquitur, inquit Baldus alibi à me laudatus. Dico: *Generatim.* Si quis enim Hæreticus contrahat cum ita expreſſa intentione, ſeu non recipiendi Sacramenti, ſeu faciendi divortii in caſibus inter Hæreticos permiſſis, ut velit *abſolutè*, ut hæc intentio ingrediatur rationem contractûs, tanquam conditio ſine qua non; nequaquam ſubſiſtet hic contractus; quandoquidem talis intentio, & repugnat ſubſtantiæ Matrimonii. *Cap. fin. De condit. appoſ.* & eſt penitus contraria intentioni ſincerè Catholicæ ſponſæ. At quotuſquiſque eſt præditus tam perverſa voluntate? Equidem Dom. Reding *Tom. 5. De Sacrament. quæſt. 5. art. 2. Controverſ. 2. num. 11. junct num. 9.* loquens de hac materia, rotundè ſcribit poſt Cardinalem de Lugo, in dubio, utrùm hæreticus habeat intentionem efficacem faciendi Sacramentum, eſſe præſumendum habuiſſe. Cui Illuſtriſſimo teſti idcirco etiam major eſt fides habenda, quòd ipſi jam à pluribus Annis *offenſivè & defenſivè* decertanti cum vicinis Acatholicis, notior ſit genius horum, quàm multis aliis ſcriptoribus 3. Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. Can. 5. & 7. De Sacram. Matrim.* erroris damnat docentes, Matrimonium diſſolvi poſſe ob moleſtam habitationem, abſentiam conjugis, & adulterium, quas ipſas diſſolutionis cauſas adferunt Hæretici, ut videre eſt apud Cardin. Bellarm. *De Matrim. Lib. 1. cap. 15.* & Florim. Remundum *De ort. & progreſſ. hæreſ. Lib. 8. cap. 13. num. 4. & 5.* Sanè ſi hæc Synodus rejicit caſus in quibus Hæretici conſtituunt diſſolubilitatem, hoc ipſo eliminat integrè eandem diſſolubilitatem. 4. Subruta eſt baſis contrariæ opinionis, ut liquet ex adductis ſuperiùs, unde ergo reſtat ipſi aliqua probabilitas? Dicta confirmo 707

Hæc

Digitized by Google

Hac judiciali ſententiâ Magiſtratûs Politici.

708 *Thomas Zwinglianus, amplexus Religionem Orthodoxam, duxit, ſuperſtite, ac repudiata, quam in Zwinglianiſmo ſibi copulârat, uxore, Catholicam. Id ubi reſciit Magiſtratus Politicus mandavit eum in vincula rapi, tulitque in eum ſententiam capitis, mandandam executioni, niſi vel effracto carcere, vel deluſo cuſtode profugiſſet Thomas.*

Hanc ſententiam tulit Annô 1661. per ſuum Conſilium Aulicum Sereniſſimus, & Reverendiſſimus Epiſcopus Friſingenſis Albertus Sigiſmundus adverſus illum Thomam, qui ad ſecundum connubium convolaverat in Toparchia, ſita intra fines hujus Conſtant. Diœceſis, atque pertinente ad Præpoſituram noſtræ Cathedralis Eccleſiæ, gaudentem tanto Præpoſito, quantus eſt ille Sereniſſimus Dux utriuſque Bavariæ, & Epiſcopus. Nec dubito, quin alii Principes Catholici eſſent, ſi non integrè, ſaltem ex parte repetituri hoc exemplum ſeveritatis, ſi repeteretur illa polygamia. Ex his apparet, quid reſpondendum ad

Hunc Caſum Recentiſſimum.

709 *Virgo Catholica contrahit more, & ritu Hæretico Matrimonium cum Hæretico. Verùm quia ab eodem cœnam Hæreticam adire, preces Hæreticas &c. recitare compellitur, eum deſerit, cúmque audiat maritum illum Hæreticum aliam uxorem duxiſſe ipſa quoque viro Catholico nubit, rata, diſſolutum prius Matrimonium, utpote ritu Hæreticô, id eſt, diſſolubiliter contractum: Quæritur, an validè ſecundo contraxerit?*

Primùm eo Annô, quo adornabam *ſecundam* editionem hujus Alphabeti, ſcilicet 1668. fuit è longinquo perſcriptus ad me hiſce verbis præſens Caſus, ad quem idcirco non reſpondi, quòd eſſem hîc aperturus meam mentem. Patet quippe ex dictis, ſecundum Matrimonium fuiſſe invalidum: tum quia non eſt credibile, quòd mulier illa voluerit contrahere more Hæretico, cùm ſcribatur fuiſſe tam conſtans in avita Religione: tum quia ſuprà oſtenſum eſt, morem & ritum Hæreticum contrahendi communiter nihil obeſſe indiſſolubilitati.

710 Concluſionem de hac ipſa indiſſolubilitate ſtatutam à nobis, ſine expreſſa cujuſquam Doctoris authoritate, ſuo poſtmodum calculo confirmavit P. Bonagratia Habſenſis, in Diſceptatione *De Matrimoniis Hæreticorum* annexa *primæ*, non autem *ſecundæ* editioni *Summulæ Selectarum Quæſtionum Regularium*, cùm enim perlegiſſet, quæ hoc loco vulgaveram typo; ſtatuit in eo opuſculo tres reſolutiones huc apprimè facientes. 1. Matrimonia legitimè ſecundùm loci; ubi contrahuntur, Leges, & conſuetudines inita, etſi ſint fortè contractus merè civiles, eſſe æquè atque Catholicorum indiſſolubilia, ſi quidem ſint validè, & ſine Impedimento dirimente contracta. 2. Si tamen interceſſit Impedimentum dirimens, eſto ſint ex tolerantia Eccleſiæ honeſta (*id eſt, ut interpretor, non infamia, non probroſa*) connubia, contractúſque merè civiles, poſſe, imò, quando tales conjuges convertuntur ad fidem Orthodoxam, debere, *per ſe loquendo*, (niſi impetretur diſpenſatio) diſſolvi. 3. Poſſe quidem rationem Sacramenti per abſolutam intentionem contrahentium ſeparari à ratione veri Matrimonii, ſed inprimis tale Matrimonium fore contractum merè civilem (*indiſſolubilem tamen, ut deduco ego ex prima ejus reſolutione*, habendum, deinde intentionem *expreſſam* & *formalem* faciendi illam ſeparationem non eſſe niſi perverſorum, ut proinde præſumi ſemper debeat, Matrimonium etiam inter Hæreticos initum eſſe legitimum, eſſéque Sacramentum.

Primam & tertiam reſolutionem ex his tradidimus in decurſu, quas confirmo, ſaltem pro noſtra Conſtantienſi Diœceſi;

APPENDICE AUTHENTICI RESCRIPTI.

Cum enim novem hebdomadis priùs, quàm conſcriberem pro ſecunda editione (ſcribebam autem 25. Novembris, Anno 1667.) hanc Appendicem, rogatus literis à perdocto Parochô, ut reſcriberem, qui conſulendum cenſerem mulieri, volenti ob cauſas apud acatholicos uſu quotidiano probatas (quas & exprimebat) *facere divortium à marito Hæretico, & nubere alteri, à quò impregnata erat, reverſáque ad gremium Eccleſiæ? Ipſaſmet literas miſi* Reverendiſſimo Dominô Joſepho ab Ach Vicario Generali, & Officiali ſimul, qui lectis ſubſcripſit hæc verba: *Ego ex officio non poſſum conſenſum dare ad tale Matrimonium, quia ſcio, eſſe hactenus in hac Diœceſi obſervatum, ut non concedatur ad fidem converſis tranſitus ad ſecundas nuptias, quas ſi permitteremus, incideremus in difficultates infinitas.* Porrò illud prius conjugium non laborabat ullô Impedimento dirimente.

Secundam Reſolutionem Patris Habſenſis quod attinet, eam, quatenus loquitur de ſeparatione, declaravi Caſu ſingulari *in Tract. præced. num. 1. & ſeqq.* & nominatim *num. 58.* ubi tamen exprimo, poſſe ex gravi cauſa permitti continuationem talis conjugii, qualis eſt: tum quando invincibiliter ignorant ii conjuges, Matrimonium eſſe invalidum, ſi autem monerentur; ſequeretur eorum ſpiritualis ruina: tum quando non ignorant quidem 711

Vu ſen-

Digitized by Google

ſenſum communiorem Theologorum de invaliditate horum contractuum, nihilominus tamen ſunt ab aliquibus docti, etiam eſſe Theologos Orthodoxos, qui habeant illos pro legitimis, ob rationes, quas contra meammet ſententiam produxi *cit. Caſ. I.* tunc enim ſi peragrè diſcedant ab invicem, poterit Ordinarius procedere, ſi ſit in mora periculum, juxta concluſionem *quartam*, quam poſui *cit Caſ. I. num. 52.* extra verò periculum in mora, petenda eſt diſpenſatio Papalis juxta dicta *cit. num. 58.* Quatenus verò idem R. P. ſcribit, hæc ipſa conjugia eſſe ex Eccleſiæ tolerantia honeſtos contractus civiles, inprimis intelligo hîc honeſtatem præciſè, prout opponitur infamiæ, quandoquidem certum eſt, eſſe coram Deo meros concubinatus, ſi ſupponamus, ut ipſe quoque P. Hablenſis ſupponit in hac ipſa *tertia* reſolutione, permanere in iis vim *intrinſecam* Impedimentorum dirimentium. Deinde illam ipſam honeſtatem politicam facilè concedo talibus Matrimoniis in foro civili Imperii Romani, non autem in foro Pontificio ut ſatis oſtendi *in Tractatu* proximè *præcedenti Caſ. 1. & 11.* ſed & magnopere dubito, an omnia Capitula Cathedralia Germaniæ habeant illos contractus quoad omnia pro honeſtis. Denique ſi P. Bonagratia illam ſuam honeſtatem extendat ad Matrimonia apoſtatarum à Religioſo, Clericalive ſtatu (& verò nuſquam expreſſè excipit hæc) tunc omnino diſſentio ab ipſo propter indicatam rationem *cit. Caſ. 1. num. 41. & 42.* Prorſus nulla ratio prudens ſuadet, ut in ullo foro Catholico deferatur quidquam ejuſmodi inceſtuoſis nuptiis.

His ſubjungo reſponſum ad objectionem, quam Vir Doctus literis ad me datis fecit adverſùs argumentationem à me factam ſuprà *num. 701.* ſic ſcribens: Si poteſt Hæreticus ſeparare rationem Sacramenti à ratione contractûs conjugalis, ut admittitur *in prima Part. Alphabet. Matrimon. Caſ. XI. num. 229.* quomodo cohabitatio Catholicæ cum Hæretico eſt fornicaria magis, quàm Matrimonium antiquæ Legis, vel non Baptizatorum?

Reſpondeo, eſt ideo magis fornicaria, quia diverſitas, aut potiùs contrarietas intentionum tollit naturam contractûs etiam civilis, qui cùm pendeat *eſſentialiter* à conſenſu: in Matrimoniis enim (etiam quatenus ſunt contractus civiles) contrahendis non juris effectus, ſed animi deſtinatio attenditur. *Text. in Cap. Nuper. De bigam.* diſſentiant autem illi, de quibus in prædicta argumentatione: dum videlicet Hæreticus præfractè vult contrahere merè civiliter, ſed Catholica piè, reſolutè, conſtanter intendit contrahere non merè civiliter, ſed ſacramentaliter, ideo deficit tunc eſſentia contractûs.

712 Quæ hactenus ſcripſi, erant jam jam mittenda ad locum deſtinatum eis revidendis, emendandis, cùm repetitis literis exaratis menſe Januario, ac Februario recens inchoati Anni 1668. redditis rogor, ut ad magnam nonneminis inſtantiam perſcribam, quid mihi videatur de ſequenti

Caſu Neophytæ.

Anna Hæreticis parentibus orta, importunis, quia ſæpe repetitis, & inculcatis eorundem ſuorum parentum precibus, & verbis etiam aſperis, graviterque minacibus, quibus ad Matrimonium cum Jacobo homine lurido itidem Hæretico contrahendum urgebatur, tandem ceſſit, eidémque juncta eſt, ſed animo ſemper diſſentiente etiam tunc, cùm re ipſa ante altare conjungebatur, adeò, ut ſicut tunc, ita & poſtea animo ita comparata fuerit, ut mori potiùs mallet, quàm in obtruſum Matrimonium conſentire. Unde etiam fugam in longinquas terras ſemper meditabatur, ſed quia commodam illius occaſionem nunquam nanciſci potuit, viro quidem per tres cum dimidio Annos cohabitavit, corporis tamen ſui uſum eidem nunquam permiſit, neque ullam unquam conjugalis affectûs, aut amoris ſignum illi oſtendit, ſed animum ab ipſo prorſus alienum, & averſum, ut unicè ſemper ſtuduerit ejus conſortium declinare. In majorem iſtorum fidem ipſa Anna ab aliquot Annis jam Catholica, & à viro propter adulterium ab ipſo notoriè commiſſum ſeparata, Matrimonio authoritate Conſiſtorii Putatitii etiam omnino diſſoluto, à nemine coacta, aut fraude inducta, ſui bene compos, præſente ſuo Confeſſario viro gravi, & Religioſo, Deum claris verbis in teſtem vocavit, & inſtanter rogavit, ut ſe, terrâ dehiſcente, permitteret vivam abſorberi, & in æternæ damnationis barathrum illo ipſo momento detruderet, ſi vel unum aliquid eorum, quæ narrata ſunt, veritati non eſſet conſentaneum, ſecluſâ omni reſtrictione mentali, & quocunque alio ſenſu, quem ſubeſſe fortè ſuſpicari quis poſſet. Et ut hæc denuo conſtarent, firmiter duos in Cœlum digitos ſuſtulit, Divinúmque teſtimonium iteratò invocavit, præſente eodem ſuo Confeſſario.

Ad hunc Caſum ſic explicatum quidam ſic reſpondit.

Hoc Matrimonium in foro conſcientiæ nullum eſſe, mihi extra controverſiam eſt. Quid verò de eodem in foro externo ſentiendum ſit, haud æquè expeditum eſt decernere. Equidem ſi metus allegatus ſufficienter per Teſtes probari poſſet, non eſt dubium, quin etiam Judex declaraturus eſſet,

eſſet; id eſſe nullum: preces enim importunas præſertim cum metu reverentiali conjunctas ad Matrimonii nullitatem ſufficere docent Sanch. Lib. 4. De Matrim. Diſp. 6. num. 7. *& alii communiter. Et Matrimonium nullum eſſe, ſi deſit internus conſenſus, eſt juris naturalis, & per ſe notum. Sed quia metus ille per Teſtes probari nequit (cùm præter inferentem nemo alius præſens fuerit) remanet quæſtio, & difficultas, an ad internum illum, & poſitivum diſſenſum probandum, atque adeò ad declarandam Matrimonii nullitatem Judici ſufficiat ſolum partis juramentum, ipſi Judici præſtandum? Et videtur ſufficere: Ea enim, quæ in ſolo animo latent, cùm directè probari nequeant, per juramentum probari, docent Maſcardus de probat.* Concluſ. 45. num. 48. & Concluſ. 49. num. 5. *Menochius de arbitr. jud.* Lib. 2. Caſu 186. num. 5. *Barboſa in cap. Significâſti.* De homic. vol. num. 4. *Pax Jordan.* Lib. 14. Tit. 17. num. 289. *Sanch.* De Matrim. Lib. 1. Diſp. 62. num. 6. & Lib. 3. Diſp. 15. num. 22. *& alii apud ipſos, traditque Gloſſa communiter recepta* in dict. Cap. *in verb.* Si ita eſt. *Et id quidem non tantùm in negotiis parvi, ſed etiam magni momenti. Maſcard.* cit. Concluſ. 94. n. 19. *præſertim, quando aliter v.g. per conjecturas probari non poſſunt, juxta eundem Maſcard.* num. 32. *eſt enim probatio hæc privilegiata quædam probatio, ac proinde locus illi eſt, cùm omnes aliæ deficiunt. Menoch.* loc. cit num. 7. *ubi ait, ita omnes ſentire* in cap. 1. De probat.

Reverentiam Veſtram etiam nomine illius rogo, qui Caſum tradidit, quàm maximè, ut dignetur, cùm proximè commodum fuerit, ſuum in hoc puncto judicium aperire, & perſcribere: me, & proponentem Reverentia Veſtra ſibi valde obligabit.

Sed quid? Si etiam diceretur 1. Matrimonium prædictum, cùm ſit celebratum in loco, in quo eſt receptum Concilium Trident. etiam ex illo capite non fuiſſe validum, quòd non ſit celebratum coram legitimo Parocho, neque enim Miniſtri Acatholici cenſentur eſſe legitimi Paſtores. Vel 2. Ex eo, quòd in Matrimonio Hæreticorum interveniat conſenſus, qui ſit contra ſubſtantiam Sacramenti Matrimonii, hoc enim cùm ſit indiſſolubile, requirit utique conſenſum, qui feratur in perpetuam utriuſque conjugis conjunctionem: qualis certè non eſt, quem ſolent hodie præſtare Hæretici: illi enim ex modo contrahendi tacitè incluſam habent hanc conditionem: Si commiſeris adulterium &c. qui conſenſus nullo modo tendit in perpetuitatem conſenſûs, eam autem conditionem in Matrimonio Hæreticorum includi, colligo ex eo, quòd, commiſſo adulterio, conjuges à ſe invicem ſeparentur, datâ parti innocenti poteſtate aliud Matrimonium contrahendi.

413 Hactenus ſpecies facti, & fundamenta faciendi. Ad quæ reſpondi: Matrimonium illud eſſe quidem diſſolubile ex capite, ſeu titulo, qui indicatur *ſecundo* loco earum literarum, non autem ex alterutro duorum reliquorum titulorum. Nam primum titulum, adeóque metum, & ſingulariter diſſenſum quod attinet, tametſi abſque dubio præberet ex ſe juſtiſſimam diremptionis cauſam, ſi probaretur legitimè interveniſſe, quemadmodum liquet ex diſputatis *Tractat. Præcedent. Caſu XII. toto*, nequaquam tamen legitimè probatur, aut probari poteſt juramento Annæ. Quamvis enim metus non ſolùm faciliùs vitiet Matrimonium, quàm cæteros contractus. Menoch. *Conſil. 2. num. 233.* ex communi, ſed etiam admittantur ad ejus integram probationem teſtes pauciores, quàm ad aliorum multorum, Menochius relatus à me *citat. Caſu XII. in fin. num. 267.* nullus tamen, ut reor, Doctorum credet, ſufficienter, poſt jam contractum Matrimonium, probari ſeu illum metum, ſeu diſſenſum internum, teſtimonio etiam jurato illius Annæ. Ratio eſt, quia juramento ſuppletorio probationum non eſt in foro *externo* locus, ſeu in cauſa ſtrictè matrimoniali. Suprà *num. 76.* ex ſenſu omnium, ſeu ubi deeſt ſemiplena probatio. Suprà *Caſ. II. num. 93.* Sed neque ſtatur juramento, quando magnæ præſumptiones ſunt in contrarium. Maſcard. *De probat. Concluſ. 94. num. 20.* & Menochius *cit. num. 7.* ex communi, actûs autem ſolennitas fundat unam è præcipuis præſumptionibus conſenſûs interioris, & liberi, adeò ut contra actum veſtitum ſolennitate nulla quantumvis magna præſumptio ſit admittenda ex opinione Leſſii relati *Tract. præced. num. 344.* loquentis de allegante fictionem, quam etiam allegat Anna. Et verò idem Maſcardus, qui in literis allegatur, *Concluſ. 34. num. 28.* cum aliis contra Ruinium apertè negat, animum probari juramento tunc, cùm agitur de re magni præjudicii, nec arbitror, quemquam, etiam ex Doctoribus nominatis in ſpecie facti diſſentire (deficiente ſemiplenâ probatione) quoad cauſas criminales, & criminalibus indubitanter æquiparatas, ſicut æquiparantur matrimoniales ſtrictè dictæ. Gaill *Lib. 2. obſervat. 94. n. 1.* Sed eſto, probaret Anna, adfuiſſe metum ſufficientem ex ſe ad petendam ſeparationem omnimodam, vim tamen ejus, ſicut & fictionis, omnem elideret cohabitatio triennalis, cùm ſcriptum ſit *Cap. Ad id. De ſponſal. Mora tanti temporis* (id eſt, ſequi Anni) *hujuſmodi* (*per Teſtes*, & longè magis per proprium juramentum) *probationem* (metûs allegati) *excludit.* Quæ deciſio (caſu, quo non probatur, non potuiſſe capeſſi fugam, juxta ea, quæ poſt Sanchez notat Wangnereck *in cit. cap. Ad id*) locum habet in vera ſententia tenente, contractum à principio irritum revalidari per mutuum conſenſum abſque præſentia Parochi, & Teſtium elicitum. Suprà *num. 415.* Et quis audiat Monialem etiam ante primum quinquennium jurare (ſine omni alia probatione) paratam, ſe fictè voviſſe. Verè eſt in utroque Jure, & Theologia paradoxum dicere, ſtan-

dum juramento ſolo in propria cauſa graviſſima, & præjudiciali alicui tertio, aut Communitati.

Tertium diſſolvendi illius Matrimonii titulum quod ſpectat, ſcilicet allegationem adulterii notorii patrati à marito Annæ, etiam probare nequeo: tum quia in ſpecie facti non exprimitur eſſe probatum, foret autem alienum à plurimis deciſionibus Juris utriuſque ſub Titulo: *De Teſtibus*, ſi crederetur illi Annæ teſtanti, & in propria cauſa, & contra inauditum, eúmque gravis criminis inſimulatum: tum quia licèt demus, fuiſſe, eſſéque certum, & notorium id crimen, haud tamen erit idcirco fas dirimere conjugium, ſi juri dirimendi nihil aliud patrocinetur, quàm conſuetudo notoria, qua ſolent Hæretici ſeparationem facere ob adulterium, ſicuti conſtat ex dictis, probatis ſuprà *num. 706. & ſeqq.* Equidem neque Epiſcopi, neque Confeſſarii tolerarent, abſolveréntve Catholicas mulieres copulatas Acatholicis, ſi hi contraherent ſub conditione diſſolubilitatis ex cauſa adulterii, tunc enim Matrimonium claudicaret, cùm certum ſit, tales puellas velle contrahere ritu Catholico, proindéque indiſſolubiliter.

Ergo, ut ſolidè conſulatur ſaluti præfatæ Annæ, conſtitutæ in magno diſcrimine, ſi non permittatur convolatio ad alia vota, eſt ipſi applicanda doctrina, quam firmavi *in Tractat. praeced. Caſ. XVIII. num. 461. & ſeqq.* autoritate partim irrefragabili, partim aliunde magna, quòd ſcilicet irrita planè in foro Eccleſiæ, Romanæ ſint Matrimonia, quæ in locis etiam Hæreticis, in quibus eſt publicatum Decretum Tridentinum, ineuntur in præſentia quidem Heterodoxi Paſtoris, at non in Orthodoxi. Eam doctrinam non everteret conſuetudo, ſiqua allegetur, cùm eſſe caſſâ nuce viliorem, niſi à Pontifice approbetur, demonſtrârim *Tract. praeced. Caſ. VI.* approbatam autem eſſe ab ullo Pontifice, nec ego credo, nec Theologi Romani, nec ii, quos nominavi eodem *Tract. num. 463.*

Ita ego reſponderam quidem: At cùm replicatum fuiſſet, judicem Eccleſiaſticum videri non eſſe ſtaturum remedio petito ex abſentia legitimi Parochi, ideo autem non ſtaturum, quòd timeret gravia incommoda exoritura, ſi Acatholici illi cognoſcerent, haberi à nobis pro irritis connubia, quæ eo in loco eſſent celebrata coram ſuis Miniſtris, reſcripſi inprimis, non eſſe neceſſe, ut judex manifeſtet cauſam ſuæ permiſſionis, ſi nemo ſeſe opponat, ſicuti ex narratis deduco, non ſubeſſe periculum oppoſitionis.

Deinde addidi, non videri credibile, quin maritus pro excuſatione ſui adulterii allegârit conſtantem Annæ pertinaciam in negatione debiti conjugalis, ſi quidem ipſa verè fuit ita pertinax, aut conſtans. Si allegavit, emanâſſe utique in vulgus hanc pertinaciam tam diuturnam, nec enim facta adeò rara, & inuſitata, præſertim inter Lutheranos, imbutos eo ſui Magiſtri laſcivo dogmate, quòd commixtio carnalis ſit puberibus æquè neceſſaria, ac cibus, & potus, conſueverunt ſepeliri in loco Conſiſtorii. Si emanavit in vulgus, poſſe eam emanationem, adeóque famam probari Teſtibus etiam Catholicis, diſſimulanter inquirentibus in illam. Probatâ hac famâ, & inſuper inſpectâ ab honeſtis matronis Annâ, exhibitiſque ſignis virginitatis juxta Canones ſub *Tit. De frig. & malef.* poſſe tunc eſſe locum juramento ſuppletorio, cùm & fama orta ex prædicta allegatione coram Tribunali, & virginitatis integritas videantur æquivalere probationi ſemiplenæ, aut plus, quàm ſemiplenæ, certè ſi hæc omnia ſic probata proponantur Summo Pontifici, videri æquè diſpenſaturum in eo Matrimonio, atque diſpenſavit Innocentius X. cum inito inter Symphorianum, & Symphoroſam, de quo & quibus ſuprà *num. 676. & ſeqq.* Porrò verba, & locum, quibus, & quo Lutherus expreſſit illam Epicuream ſententiam, & dogma, notavi *in Alphab. Quadrupl. Part. 1. Caſ. 6. n. 222.*

APPENDIX COMPLETIVA.

Doctrina de indiſſolubilitate Matrimoniorum Catholicos inter, acatholicóſque initorum ſuperiùs defenſa, manebit incompleta, niſi explicuero, quid à Confeſſario, aut Parocho ſit ſuadendum, aut mandandum conjugibus ſimilibus illius, de quo literæ 26. Decembris 1674. datæ ad me ex

Illuſtriſſimo Monaſterio.

Etenim quidam Valerius Catholicus duxit Valeriam Acatholicam in loco prorſus Acatholico, coram miniſtro Heterodoxo, at pauculis menſibus poſt nuptias, comperto illam eſſe impragnatam ab alio juſſit eam habere ſibi res ſuas, ab eáque diſceſſit ad militiam. Valeria amiſſâ ſpe reconciliationis, ſecutáque illaudatos mores patriæ nupſit alteri. Duxit & Valerius, eo intellecto, Veronicam, ignaram prioris Matrimonii, ratus id ſibi fas eſſe, verùm ſuſceptis compluribus liberis aperit Veronicæ ſuam fraudem, aperit & Parocho, qui unà cum Religioſo viro ſacrorum Canonum peritiſſimo, (poſtea evecto ad Abbatialem Infulam Illuſtriſſimi Monaſterii Campidunenſis,) quæſivit literis ex me, quid Valerio reſpondendum ſit, num ſtatim unà cùm Veronica privandus ſit jure petendi & reddendi debiti conjugalis? Item quid circa validitatem utriuſque, contractûs ſit practicè *ſuadendum, ſi de facto adhuc viveret Valeria? 2. Si interea obiiſſet morte naturali?* Ita literæ.

Reſp.

b Reſp. I. Eſſe *practicè loquendo* ſecundum Matrimonium pronuntiandum nullum, ſi Valeria ſit adhuc ſuperſtes, etenim prius conjugium fuiſſe validum & indiſſolubile, ſatis ſuperque monſtravi *ſuperioribus* §§. nec ullam *practicam* probabilitatem contrariæ ſententiæ gignit authoritas illius Doctoris, de quo ſuprà *num. 704.* etſi enim Fagnanus *in cap. Verum. De cognat. Spirit.* Alviſet *in Murenulis*, ſeu *De Privileg. Regularium ſect. 4. dub. 3.* atque alii plures, quos ipſe refero *in Quinario Tract. 1. ſect. 13. num. 195.* doceant, opinionem unius Claſſici, qualis equidem eſt ille, de quo ſuprà, Doctoris pro valore Matrimonii præferendam eſſe comuni contra valorem pugnanti, non tamen præferenda eſt communi perſuaſioni omnium omnino Præſulum, Parochorũ, Confeſſariorum, & ipſorum ſummorum Pontificum.

c Poſſim ego nominare aliquot Principes, aliquot Illuſtriſſimos Comites, qui cum diſpenſatione Pontificia copulârunt ſibi uxores heterodoxas, & ad ultimum uſque agonem pertinaces in ſuis erroribus. Certè voluerunt Pontifices, à talibus Principibus, & Comitibus contrahi ritu Catholico, atque indiſſolubiliter, ſuppoſuerúntque, illas hæreticas ſponſas contrahere ea quoque ratione, alioqui fuiſſent talia conjugia illicita, & invalida, ut demonſtravi ſuprà. Et quia in omnibus Tribunalibus Politicis, & Eccleſiaſticis habiti ſunt illorum Principum liberi pro indubitanter legitimis ſucceſſoribus, hæredibúſque parentum, connubia quoque pro legitimis & conſequenter indiſſolubilibus, manifeſtum eſt, noſtram doctrinam eſſe conformem omnium privatarum, & publicarum perſonarum perſuaſioni.

d Reſp. II. Vivente Valeriâ eſſe interdictos Valerio, & Veronicæ omnes actus, qui ſolis veris conjugibus liciti ſunt. Patet ex priore reſponſione, unde quia lectus communis proximam præbet occaſionem ejuſmodi illicitorum actuum, facienda eſt mox ſeparatio *tori*, ſeu *lecti*, *tecti* autem fieri nondum debet, tum propter Veronicam ab initio deceptam, tum propter liberos jam ſuſceptos, aliáque maxima incommoda, quæ orirentur ex ſeparatione cohabitationis integra & repentina. Et quamvis fortè contingat, ut poſt ſeparationem à ſolo lecto, ſemel iterúmve ex fragilitate humana exerceant poſtea actus conjugales, non tamen debent confeſtim diſcedere ab invicem. Si enim tam raro tranſgrediantur ſuum propoſitum, ſignum eſt, illam cohabitationem eſſe accenſendam occaſionibus remotis, non autem proximis, juxta ea, quæ dixi *Tract. 7. Caſ. XVI. num. 525.*

e Reſp. III. Ubi compertum fuerit, Valeriam exceſſiſſe è vivis, poterunt Valerius & Veronica fieri veri conjuges ſine ulla diſpenſatione. Cùm enim ſupponatur in contingentia facti, Veronicam ignaram prioris conjugii iniviſſe Matrimonium (etſi invalidum) cum Valerio, eámque feciſſe huic poteſtatem ſui corporis, non fuit ortum inde impedimentum criminis: ſiquidem *Tract. præced. Caſ. X. num. 193.* tradidi ex recepta ſententia, ut adulterium, conjugiúmve creet impedimentum criminis, debere utrique parti conſtare de conjugio. Ex quo ulteriùs infertur, liberos, durante illâ ignorantiâ Veronicæ, ſuſceptos accenſendos eſſe legitimis per ea, quæ tradidi ex communi *in Quinario Tract. 5.* ſeu *in Theologia Juridico-Morali cap. 27. num. 247.* Fient autem veri conjuges per ſolam renovationem conſenſûs conjugalis, quem ſupponuntur habuiſſe, & demonſtrâſſe, quando in facie Eccleſiæ copulati fuerunt, nec *abſolutè* exigi præſentiam Parochi, deducitur ex dictis *hoc Tract. 10. Caſ. XI. num. 414.* & *in Quinario cit. Tract. 5. cap. 31. num. 135.*

Addebat ille Religioſus (poſtea Reveren- f
diſſimus Abbas,) de quo ſuprà, hanc quæſtionem: *Quid videlicet faciendum in foro Eccleſiaſtico, & Civili reſpectu Valerii & Veronicæ?*

Reſpondi 1. Si Valeria ſit adhuc ſuperſtes, debere etiam in foro *externo* ſeparari, ut ſine omni dubio ſepararentur in Conſiſtorio Conſtantienſi. Nulla pœna poteſt jure irrogari Veronicæ, quia ubi abeſt culpa, locum non habet pœna, Valerium quod attinet, cùm etiam in literis ad me datis exprimatur, eſſe opificem, adeóque rudem hominem, potuit facilè in eum cadere aliquis error, ut cenſeret, licitum eſſe tranſitum ad illas ſecundas nuptias, certè non videtur in eum animadvertendum tam ſeverè, quàm in illos bigamos, qui in facie Eccleſiæ coram legitimo Parocho contraxerunt cum ſuæ fidei conſorte, eáque vivâ copulant ſibi aliam, per ea, quæ adfert Tiraquellus *Tract. De pœnis tempor. Cauſa 10. & 11.*

Deſtinaveram nihil prorſus addere tam raro g
à practicis Theologis *practicè* ventilatæ controverſiæ de firmitate Matrimoniorum inter ſponſos duplicis Religionis ineundorum, cùm die 12. April. Anno 1676. Atque adeò jam liberatis prelo quarto primis hujus libri foliis, me convenit P. N. Ordinis Seraphici ſacerdos, atque rogatu alterius expetiit meum judicium de hoc

Valde urgente, & perplexo Caſu.

THarſilla Virgo proba, fervénſque Religio- h
nis Catholicæ zelo ſolicitatur à Tiburtio juvene cætera honeſto, at Acatholico ad nuptias, denique condicit Tharſilla, ſed expreſſa hac conditione: Si fias Catholicus. *Promittit hic, & ne ob deſertum Lutherum adeat diſcrimen fortunarum, ducit coram Miniſtro*

Lutherano Pſeudoparocho ſuo Tharſillam, & ei cohabitat abjurato Lutheraniſmo. Verùm poſt biennium redit ille ad vomitum, ideóque deſeritur à Tharſilla. Deſertus copulat ſibi aliam, ſed heterodoxam, quo audito, Tharſilla quoque adſpirat ad alia vota. De hoc animi decreto interrogatus vir doctus & gravis negat, poſſe copulari abſque Pontificia ſeu diſpenſatione, ſeu declaratione, nihilominus Parochus probè doctus de toto negotio aſſiſtit Matrimonio, an licitè, *an* validè?

i Reſp. I. Illicitè, etenim vel debebat abſolutè negare ſuam aſſiſtentiam, vel, quod conſultiùs, & ſynodalibus Conſtitutionibus conforme, rem deferre, curarévé deferri ad Curiam Epiſcopalem.

k Reſp. II. Validè, & invalidè juxta duplicem hypotheſin. Aut enim Tiburtius cognito nequire ſe potiri tali conjugio, niſi abjurato Lutheraniſmo, eum coram Tharſilla abjuravit, priuſquam copularentur, aut primùm pòſt, ſi antè, tunc aſtitit invalidè, quia fuerat à Tiburtio tempori impleta conditio, adeóque Matrimonium non fuit conditionatum, ſed abſolutum per ea, quæ ſcripſi ſuprà *Caſ. 12.* ergo indiſſolubile, ergo incompoſſibile cum ſecundo. Nec indiſſolubilitati officiebat vel aſſiſtentia Miniſtri alieni ab Orthodoxia, ut declaratum *Tract. 9. Caſ. 18.* vel (quod etiam objiciebatur) Tiburtii ſacrilegus tranſitus ad alia vota juxta morem patriæ, ut declaravimus hoc toto *Caſ. XIX.* Validè autem (ſi renuntiatum fuit Luthero primùm poſt copulationem) ex ſententia communiore Theologorum, quam retuli, at non ſecutus fui in hoc eodem *Caſu XIX. num. 454.* etenim aut non fuit conſenſus renovatus factâ jam primâ copulatione, & abnegatione Lutheraniſmi, aut ſi renovatus, id contigit non præſente ullo Parocho, igitur invalidum fuit illud primum conjugium, ergo valida copulatio ſecundi juxta illam communiorem ſententiam.

l Quapropter exiſtimo, eſſe à Judice Eccleſiaſtico, hujúſve delegato quærendum ex Tharſilla 1. An ſine arbitris peracta fuerit illa promiſſio conditionalis. 2. An ipſa præſtiterit abſolutum conſenſum ſtatim poſtquam Tiburtius ſeriò promiſit, ſe amplexurum fidem orthodoxam. An verò tempore copulationis ſubintellexerit formaliter, aut virtualiter hanc conditionem: *Accipio te in meum, ſi proximè te revera declaraveris Catholicum.* Si fateatur ſe præſtitiſſe illum abſolutum conſenſum, non erit cogitandum de ratificatione hujus ſecundi conjugii, erit autem, ſi negat. Et vero ſiqui teſtes haberi queant idonei, erit ſtandum eorum depoſitione concordi, ſi nequeant, cùm ſpecies facti edicat eſſe probam mulierem, ſuſcepta jam ſit, vel eſſe perhibeatur ſuſcepta gemina proles, & de plebeja facilè præſumatur, quòd ignorârit peccari adjiciendo talem de futuro conditionem, & denique bona fide egerit cum ſuo Parocho, ideóque faveat ipſi privilegium bonæ fidei poſſeſſoris, poterit, mea opinione, Judex permittere poſt juramentum conjunctionem communis tecti & lecti, & cæterorum jurium matrimonialium, ſingulariter autem poterit Confeſſarius hæc ipſa utrique ſponſo permittere; etenim bonæ fidei poſſeſſor poteſt orto, & nondum depulſo dubio de proprietate rei ita poſſeſſæ, continuare uſum talis rei, quamdiu verſatur in ſincera inquiſitione veritatis. Infrà *num. 645.*

AN, ET QUOT MODIS DISSOLVATUR QUOAD TORUM CONTRACTUS MATRIMONIALIS?

CASUS XX.

Amoris Paradoxi, & Barbarici.

SUMMARIUM.

Caſus ſuum amorem conjugalem teſtantis inhumanâ verberatione uxoris? 714.

Deſcriptio Legati? Ibid.

Sævitia quatenus Matrimonium dirimat quoad torum? 716.

Malum grave quod dicatur? 717.

Caſus mulieris lepidè ulciſcentis ſævitiam mariti Podagrici? 720.

Quatenus adulterium præbeat jus ſecedendi à toro? 722.

Caſus mariti facti Religioſi ob adulterium uxoris? 724.

Caſus juvenis etiam intrantis Religionem, relictâ, quam impregnaverat, puellâ? 727.

Peccatur contra pietatem Paternam deſerendo propriam prolem? 728.

Quomodo hæreſis det jus divortii quoad torum? 729.

Quomodo ſcelerata vita unius conjugum? 730.

In Curia Neapolitana ebrietas viri dat jus divortii? 731.

An occulta impregnatio antecedens nuptias det cauſam divortio? 731. in Append. lit. b. & c.

U*Mbertus cognomento Jordanus, gente* 714
Alemannus, faber ferrarius eſt Moſcoviæ, qui duxit uxorem Ruthenam. Ea cùm apud maritum aliquamdiu eſſet, hunc ex occaſione quadam amicè ſic alloquitur: Cur me, conjux chariſſime, non amas? *Reſpondet maritus:* Ego verò te vehementer amo. Nondum, *inquit*, habeo ſigna amoris. *Quærebat igitur maritus, qualia ſigna vellet? Cui uxor:* Nunquam, *ait*, me verberâſti. Mihi ſanè, *inquit maritus*, verbe-

ra

ra non videbantur eſſe ſigna amoris, ſed tamen nec hac parte deero, *atque ita non multò pòſt crudeliſſimè verberavit; faſſúſque mihi eſt, longè majore amore ſe à ſua uxore poſthac obſervatum fuiſſe, quam rem ſæpius exercuit, nobíſque tunc Moſcoviæ exiſtentibus, cervicem illi tandem, & crura præcidit.*

715 Inter deſcriptiones Legati, quas leges apud Carol. Paſchalium, eſt hæc: *Legatus eſt perſona publica ad &c. & explorandum Reipublicæ cauſâ miſſa.* Nil attinet ſcire, quid ſentiam de hoc elogio, tametſi fatear, complures Legatos extitiſſe exploratores laudatiſſimos, utpote qui explorârint genium, & ingenium hominum, locorúmque ſuæ Legationis, atque monumentis conſignârint magna cum utilitate, jucunditatéque Lectorum. Hos inter fuit D. Sigiſmundus Liber Baro de Herberſtayn, non ſemel à Maxim. I. & Ferdin. itidem I. Imperatoribus in Moſcoviam delegatus, qui poſtmodum conſcripſit ſtylo ſat commodo commentarium rerum Moſcoviticarum, in cujus *fol. 64. ſub §. Ratio contrahendi Matrimonium*, reperire eſt, quæ huc produxi omnia, præter nomen Umberti: ſicut & apud Laur. Surium *in Hiſtor. ad Annum Chriſti 1501.* ut poſtmodum Legi. Idcirco autem huc retuli factum iſtud *barbaricum*, quia ſum expoſiturus breviter cauſas, ob quas permiſſum eſt divortium *quoad torum*, vel *habitationem*, quas inter eſt *inprimis* ſævitia conjugis, *deinde* adulterium carnale, *tertiò* adulterium ſpirituale, *quartò* damna imminentia animæ, vel corpori, ex cohabitatione, vel commixtione carnali, de his omnibus *in Theologia Juridico-Morali*, obtinente quintum locum *in Quinario*, ſcripſi idcirco, quòd illic induoam uxorem poſcentem divortium *quoad torum*, propter cauſas hîc indicatas, repræſentabo nunc duntaxat compendiolum jam indicatorum, illic diffuſiùs explanatorum.

716 Quæritur ergo I. *Quid nomine ſævitiæ intelligatur in præſenti materia, & an tribuat jus divertendi?* divertendi, inquam, non quoad vinculum, nec enim ulla ſævitia ſolvit illud, quamvis poſſit utique ſubminiſtrare Pontifici ſufficientem rationem penitus diſſolvendi Matrimonium Ratum juxta dicta *num. 692.*

Reſp. I. Nomine *ſævitiæ* intelligitur hîc omnis illa, & ſola aſperitas unius conjugum, ex qua alteri conjugum imminet probabile periculum gravis mali corporalis. P. Sanchez *Lib. 10. De Matrim. Diſp. 18.* & alii communiter. Per *grave malum* deſignatur illud, quod reſpectu patientis eſt grave, habito reſpectu ad communem conſuetudinem. Etenim colaphis quandoque cædere uxorem ruſticanam, aut plebejam, non habetur apud Germanos pro gravi malo, habetur autem, ſi Nobilis conjux, & præſertim ſi Baroniſſa, aut Comitiſſa experiatur à ſuo conjuge ejuſmodi ſalutationes. Et quæ apud Gallos, atque etiam Germanos ponuntur in malis gravibus, habentur magnam partem à multis Polonis, & Moſcovitis pro ſignis amoris, ut liquet ex genio illius Ruthenæ, ſeu Moſcoviticæ, de qua noſter Caſus planè Barbaricus.

717 II. Generatim autem vocant Theologi hoc loco illud omne, & ſolum malum grave, cujus metus cadit in virum conſtantem, ut ſunt occiſio, mutilatio, effoſſio oculi, tam gravis cruciatus corporis, ut notabiliter excedat modum verberandi jure permiſſum viro in uxorem etiam delinquentem, & quidem licèt tantùm ſemel timeatur eventurum hoc malum, & quidem etſi ſolùm à parentibus mariti, ſi hic negligat ea impedire. Hæc mala quando ſunt integrè præterita, ſeu quando non ſubeſt probabile periculum, ne rurſum inferantur, haud præbent cauſam divertendi, ſecùs, ſi ſubſit prudens periculum, quod periculum conjici poteſt partim ex minis ſolitis mandari executioni, partim ex ingenio feroci mariti.

718 III. Quando eſt periculum in mora, poteſt uxor propriâ authoritate profugere à marito, ſi autem non ſit periculum in mora, eſt implorandum auxilium Magiſtratûs Eccleſiaſtici, qui, factâ ſufficienti probationi diſcriminis, permittet uxorem ſeorſim à marito vivere, donec is præſtet cautionem. Hæc omnia, & ſingula declaro pluribus, & probo rationibus, authoritatibúſque DD. *in cit. Lib. ſeu Tract. 5. Tomi 2. Cap. 34. Sect. 1. 2. 3.*

719 Ex quibus deduces, ſi quæ Germana mulier probabiliter timeret, ſe ita crudeliter tractatum iri (etiam excluſo periculo abſciſſionis pedum, & cervicis) à ſuo marito opifice, vel agricola, ſicuti Umbertus noſter ſuam habuit; habituram juſtam cauſam deſerendi illum, deſerendi, inquam, ſolùm, quamdiu durat id periculum, ſicuti ibidem oſtendo.

Deduces II. Quid judicandum de hoc

Caſu Ridendo, an Laudando?

720 *Verena perſæpe indigniſſimis modis habita à marito, ut tandem hunc etiam invitum cicutaret, decumbentis ex podagra pedes, manúſque tamdiu cecidit bacillo donec maritus per omnia ſancta juraret, ſe æternùm abſtenturum manus ab illa. An peccavit Verena? An ſi maritus meritò formidâſſet inpoſterum quid ejuſmodi, habuiſſet jus ſeparandi ſe à ſua?*

721 Multi omnino Anni tranſierunt, ex quo tempore hi duo migrârunt ad alteram vitam, uterque mihi probè noti. Reſpondeo autem ad *primam* quæſtionem, ſi uxor illa nequit aliâ ratione præſtare ſibi ſecuritatem à ferocia mariti,

Digitized by Google

feciſſe jure, quod fecit, etenim non modò vim vi repellere licet. *Cap. Si verò. De ſent. excomm.* ſed etiam quandoque (citra occiſionem, mutilationem, &c.) prævenire, quidni ergo in tali caſu? Ad *alteram* dico, ſi prudenter potuit timere inpoſterum eam ſanè cruciabilem ſimul, & probroſam moleſtiam illatum iri ſibi innocenti ab uxore, utique licebat implorare opem Magiſtratûs Eccleſiaſtici, ſi autem ſolùm timuit, ne ſi ipſemet rediret ad ingenium, rurſum experiretur tam immites manus conjugis, dixiſſet: *Damnum quod quis ſuâ culpâ ſentit, ſibi debet, non aliis imputare.*

722 Quæritur II. *An, & quomodo adulterium faciat jus divortii?*

Reſp. A me *in citato libro Theologiæ Jurid. Moral. Cap. 32. Sect. 4.* aſſeri, declarari, probari ſequentia de hoc argumento.

I. Non ſolùm marito fas eſt dimittere uxorem fornicationis commiſſæ causâ. *Matth. 19.* ſed etiam uxori diſcedere à marito adultero. *Cap. Intelleximus. De adult. & ſtupr.* quia eſt par inter eos cauſa: *Cap. fin. 32. quæſt. 7.* eſtque hoc divortium ex ſe perpetuum, ita ut pars innocens non teneatur reconciliari nocenti, etſi tantùm ſemel lapſo, & integerrimè emendato, niſi pars tunc innocens incipiat fieri quoque nocens, ſcilicet etiam per adulterium, tunc enim redire teneri, cenſent plurimi contra plurimos apud P. Sanchez *loc. cit. Diſp. 9. quæſt. 3.*

II. Si verò condonavit innocens nocenti culpam admiſſam, nequit uti jure divortii, & cenſetur condonâſſe, quando, cognito crimine, admittit nihilominus ad amplexus conjugales.

723 III. Dimiſſio, aut repudiatio illa eſt tam *quoad cohabitationem*, quàm *quoad torum*, & quando crimen eſt notorium, fieri valet propriâ autoritate, quando non notorium, ſed tamen probabile, implorandus eſt judex non Civilis, ſed Eccleſiaſticus, qui, *per ſe loquendo*, debet adhibere, quam poteſt induſtriam, ad reconciliandos animos, ſi illa reconciliatio profutura videatur.

724 IV. Quia, ut dixi, divortium iſtud eſt de ſe perpetuum, idcirco conjux innocens potitur jure ſuſcipiendi Ordinis Sacri, aut profitendi in Ordine Religioſo, etſi pars adultera Superos, Superâſque imploret in contrarium.

Verum quidem eſt, non conſueviſſe in Italia, Hiſpania, Gallia, tam facilè permitti, aut uſurpari jus divortii ob adulterium viri, quàm ob uxoris, id enim non tam facilè permittitur, partim quia facto divortio longè plura alia paterentur à viro, quàm à muliere adultera, partim quia turpitudo uxoris redundat iis locis, in quaſi incomparabiliter majus probrum utriuſque familiæ, quàm ipſe quoque concubinatus mariti, adeò ut, omiſſis aliis innumeris exemplis planè tragicis, ille Comes, de quo Cardinalis Pallavicinus in ſapientiſſimè conſcripta Hiſtoria Concilii Trid. *Part. 2. lib. 14. cap. 15.* dementatus, ſeu efferatus communi opinione ſummi probri redundantis in familiam, & genus adulteræ, propriam ſororem ſeptem jam menſes uterum geſtantem ex concubitu adulterino interfecerit una cum fœtu, inductus à Duce N. marito adulteræ, *tametſi hic Dux illud ſibi dedecus priùs ab uxore promeruerit, introductis ad conjugalem uſque torum meretricibus*, ut loquar cum eodem Cardinali.

Sanè ſi Chriſtianorum hoſtis Ulpianus ſententiam de hoc ejuſmodi plùs quàm barbarico facinore fuiſſet olim rogatus, reſpondiſſet id ipſum, quod ex eo refertur L. Si uxor §. Judex ff. Ad L. Jul. De adulter. hiſce Chriſtiano digniſſimis verbis: Judex adulterii ante oculos habere debet, & inquirere, an maritus pudicè vivens mulieri quoque bonos mores colendi autor fuerit. Periniquum enim videtur eſſe, ut pudicitiam ab uxore vir exigat, quam ipſe non exhibeat.

V. Ex his petes reſponſionem ad ſequentem

Caſum Æquum, & Iniquum.

Vellejus adulterium ab uxore ſua commiſſum eſſe cognoſcens, ac falſis Teſtibus Matrimonium ſolutum eſſe comprobans, Religionem ingreſſus eſt, ſolennémque Profeſſionem fecit, poſtea Sacerdos factus celebravit, & Confeſſoris munus cum licentia obivit. Hic igitur à me interrogavit, an graviter peccârit, validáne fuerit Profeſſio, ac utrùm cenſuram aliquam incurrerit, vel poſſit proſequi in Miſſis celebrandis, & Confeſſionibus audiendis? 725

Ita de ſe, déque illo Vellejo ſcribit P. Quintannadvennas *Singul. Tract. 9. Singul. 13.* ac 726 reſpondet, illum habuiſſe quidem jus ingrediendi Religionem, at graviſſimè deliquiſſe ſubornando falſos teſtes, & decipiendo Superiores illius Ordinis, Profeſſionem valuiſſe, niſi fortè in eo Ordine eſſet aliquod Statutum, non ſolùm prohibens, ſed etiam irritans talem Profeſſionem, nullas pœnas Canonicas incurriſſe, ac poſſe ſine nova licentia pergere in munere Confeſſarii, & Sacerdotis, modò ſit abſolutus ſingulariter crimine, quòd induxerit Teſtes, ad teſtandum falſum. Qua in re commiſit iniquitatem in Deum, licèt ingreſſus in Religionem fuerit de ſe juſtus, & æquus. Hic Caſus Hiſpanicus dat occaſionem proponendi

Hunc Teutonicum.

Vitus, impregnatâ Verenâ, ingreditur 727 *Novitiatum Religioſum cum bona venia Verenæ pollicitæ, ſe nutrituram prolem, & ne-*

Digitized by Google

nemini mortalium manifeſtaturam patrem, ſicuti neque Vitus quidquam de illa imprægnatione aperuit Prælato Ordinis, ad quem fuit admiſſus. Quæſitum fuit ex me, an peccârit Vitus hoc ſuo ſilentio?

728 Reſpondi ego jam ante plures Annos, peccâſſe utique mortaliter, decepit enim in re gravi illum Prælatum, qui tam ſcabioſam, aut certè vitioſam, Ordiníque periculoſam ovem non admiſiſſet in ſuas caulas, ſi habuiſſet compertum vitium.

Peccavit quoque in pietatem paternam, deſerendo ſuam propriam prolem, conſtat enim ex communi doctrina S. Thomæ *2. 2. queſt. 189. art. 6. in corp.* nefas eſſe alicui filios habenti ingredi Religionem, *non proviſo, qualiter educari poſſint*: at non videbatur debitè proſpectum per ſolam matrem: quid ſi enim poſt paucos Annos fuiſſet evocata ex hoc mundo? Denique cùm ingenium muliebre ſit adeò varium, & inconſtans, an non meritò timendum, ne ſub partum interrogata juſſu Magiſtratûs, ut fieri amat, imò à Parocho, ut fieri debet, de vero patre, ipſa nominaret verum, cum magno dedecore, & incommodo Monaſterii, quod erat ingreſſus? Addidi, Profeſſionem futuram quidem validam, ſed, propter probabile periculum non exiguarum moleſtiarum impendentium Ordini, fore illicitam, & ſacrilegam.

Porrò quando Salvator *Matth. 19.* vetat dimitti uxorem, niſi propter fornicationem, loquitur ſolùm de dimiſſione *quoad torum*, pro qua admittit ſolum adulterium, quia loquitur de ſola cauſa proveniente ex ratione contractûs matrimonialis propria, qualis eſt ſolum adulterium, nam contractus matrimonialis ex ſe habet, ut frangenti fidem non ſervetur fides; aliæ autem cauſæ diſſolvendi *quoad torum*, oriuntur aliunde, quàm ex ipſamet, ſeu propria ratione contractûs iſtius. Vide Cardinal. Bellarminum *Lib. 1. De Matrim. Cap. 14.* & adde illi doctrinæ communi hunc

Caſum non Communem.

a *JUlia impetrat ſententiâ judicis divortium à Julio marito, ídque partim ob allegatam ſævitiam, partim ob aliam cauſam, & quidem cum addito, ut Julia ei pendat annuatim quadraginta florenos, quos cùm non penderet, accuſata à Julio objecit hanc exceptionem, quòd ſcilicet Julius patrâſſet adulterium ante latam illam ſententiam, at ignoratum à ſe hactenus, igitur jure negari à ſe illam penſionem annuam, cùm habuerit novum titulum ad faciendum divortium. Quæritur ergo, an judex teneatur Julium compellere ad petendam decretam à ſe, vel anteceſſore annuam præſtationem.*

Reſp. Breviter: aut effluxit integrum metaphyſicè quinquennium à die patrati adulterii, uſque ad diem, quo hanc litem movit Julia, aut non effluxit? Si effluxit, ſilentium imponendum eſt Juliæ. Si non effluxit, ferenda in ejus favorem ſententia. Ratio *primæ* partis eſt, quia *Leg. Mariti 29. ff. Ad Leg. Jul. De adult.* ita ſtatuitur, & etiam his verbis explicatur: *Quinquennium autem ex eo die accipiendum eſt, ex quo quid admiſſum eſt, & ad eum diem, quo quis poſtulatus eſt, & non ad eum, quo judicium de adulteriis exercetur.* Unde rectè ſcribit P. Leſſius *Lib. 2. De juſtit. Cap. 6. num. 36.* Actio ad accuſandum adulterium ad pœnam criminalem, aut civilem perit lapſu quinquennii, rectéque adducit legem *Adulterium. Cod. ad Leg. Jul. De adult.* Nec patrocinatur actrici ignorantia patrati jam pridem criminis, etenim in materia præſcriptionis non admittitur hæc exceptio. Certè leges, quas citavi, atque Bartolus & Gloſſa tacent hanc exceptionem. b

Altera pars de ſententia ferenda in favorem Juliæ eſt, quòd, licèt nequeat judex revocare ſententiam de quadraginta florenis annuis repræſentandis, ſiquidem actio ſemel extincta non reviviſcit ex ſolo caſu ſuperveniente *Leg. 98. §. 8. ff. De ſolut.* P. Sanchez *Lib. 10. De Matrim. Diſp. 9.* attamen quia hac ætate videtur pœna adulterii eſſe arbitraria, poterit judex aliquantum mitigare jus exigendi annuam penſionem, non verò tollere totum, partim quia conſuetudo non videtur permittere tantam mulctam, ſaltem in plebeis, partim quia ſi ſævitia mariti juncta aliis cauſis præbuit jus petendi, impetrandíque divortii quoad torum, difficile ſit capere, quo pacto potuerit mulier condemnari ad tantam mulctam, eſt id, inquam, captu difficile, non tamen *moraliter* impoſſibile, potuit quippe fieri, ut ipſamet dederit etiam ejuſmodi cauſam ad ferendam illam ſententiam, ut prudens judex habuerit illam magis ream, quàm maritum, diremerit autem ob juſtum metum graviorum malorum. c

Quæritur III. *Quomodo hæreſis, & alia incommoda animi, corporíſque faciant poteſtatem deſerendi conjugem?* 729

Reſp. I. Generatim fas eſt uxori diſcedere à marito, quando cohabitatio cum hoc eſt ſine propria culpa periculoſa ſuæ ſaluti, ſcriptum quippe eſt *Matth. 5. Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum*, adeóque ſi maritus poſt Matrimonium lapſus in hæreſin, aut ante Matrimonium eâ corruptus conetur pertrahere conjugem in eam damnationem, timeátque veroſimiliter conjux, ne diutiùs convivendo tandem & ipſa imbibat virus, omni jure

re

Digitized by Google

re dicet marito: *Res tuas tibi habe*, quod etiam jure dicet marito, ſi ante nuptias Catholicus, evadat poſt illas hæreticus ſine ſpe converſionis, eſto ex commoratione cum eo non immineat piæ uxori periculum apoſtaſiæ. Hæc, & alia huc facientia minutè propono, ac probo *in Theol. Jurid. Moral. Cap. 33. Sect. 1.* Quo loco *num. 30.* inſuper probo, quando uxor notat, afflari à patre communibus liberis peſtem hæreticam, teneri cum his fugere ex illa Sodoma, & ſalvare animam ſuam, ſuorúmque, & *num. 40.* ediſſero, quid hîc liceat uxori, ſpeciatim quando ab hæretico conjuge adigitur ad edendas carnes diebus vetitis, aut negligendam Miſſam.

Et Anno 1661. Menſe Auguſto conſultus reſpondi, Bertham N. quæ profugerat à marito hæretico, à quo fuerat pertracta ad hæreſin, non eſſe compellendam redire ad ipſum, niſi præſtitâ cautione de illa relinquenda in ſua pleniſſima libertate, & niſi ipſa omnino conſtituerit non redire ad vomitum, & nequaquam decere, ut Ordinarius etiam *indirectè* approbet morem illius loci, quo fit, ut hoc ipſo, quòd aliqua nubat Acatholico, debeat ſequi hujus ſectam, ſicut & Catholici, quando eam ducit Orthodoxus.

730 II. Tametſi ſcelerata vita unius conjugum non ſoleat præbere alteri, *per ſe loquendo*, poteſtatem faciendæ ſeceſſionis, ſi tamen maritus nequit flagitioſam uxorem aliter ad frugem reducere, quàm deſerendo illam ad tempus, jure deſeret, quod etiam nonnulli pronuntiant de uxore, habente valde ſceleſtum virum, nec aliter emendabilem, quàm per ſubtractionem ſuæ præſentiæ. In *cit. Cap. 33. num. 39. & 40.* Sicuti *num. 69. & ſeqq.* declaro, an quando uxori obtigit maritus valde ebrioſus, & ratione ebrietatis, aliorúmque inde ſecutorum malorum præbet uxori cauſam *in actu ſecundo* efficacem per ſe blaſphemandi, omnes cacodæmones imprecandi, poſſit, aut etiam teneatur quærere alios lares, & *num. 77.* ediſſero illam *practicam* quæſtionem, an ſi uxor videat, ſe tentatis omnibus mediis emendationis nil proficere, ſed ſuccumbere tentationibus, quas mariti improbitas ſuggerit, & prudenter ipſa unà cum Confeſſario judicat, ſe porrò identidem ſuccubituram, teneatur in conſcientia ab eo recedere, eſto ob hunc receſſum aditura ſit diſcrimen maximorum malorum.

731 III. Id *eodem Libro Cap. 34. totâ Sectione quartâ* explano, quatenus conjux conjugem deſerere poſſit *quoad torum*, vel *cohabitationem*, quando alter conjux laborat morbo contagioſo, orto ex ebrietate, aut aliunde, vel morbo adferente magnum horrorem. Ibidem *numero 78.*

Addo illic dictis, fuiſſe à Curia Archiepiſcopali Neapolitana, ut conſentiens refert Riccius in Deciſionibus illius Curiæ *Part. 2. Deciſ. 165.* pronuntiatum, ebrietatem viri præbere uxori juſtam cauſam divortii *quoad torum*, eò quòd ebrius furioſo comparetur, ut probo ipſemet *cit. Lib. Cap. 19. num. 59.* Verùm nullum Septentrionalium terrarum tribunal ſtabit hoc judicio: tum quia alioqui non eſſet finis divortiorum: tum vel maximè, quia plerique è Germanis mero, zythóve madidis, ſunt minimè (niſi irritentur injuſtè, vel imprudenter) furioſi, etſi mente capti. Idem Scriptor ibid. *Deciſ. 65.* teſtatur è diverſo, eſſe more receptum, ut non permittatur tori ſeparatio ob allegationem morbi Gallici, adferens hanc quoque rationem: *Quia hodie*, inquit, *eſt faciliima medela, quæ occurri poteſt præfato morbo.* At noſtri Germani Medici paſſim tantam ignorant facilitatem, an quia rariſſimi è ſanguine Teutonico per gratiam Divinam, & Caſtimoniæ ſtudium, corripiuntur hac probroſâ lue? Separationem à *tecto*, non tamen *à lecto*, prohiberem uxori talis hominis. Hecticam & Phthiſin annumerat cauſis ſeparationis idem Riccius *variar. Reſol. Part. 1. Reſ. 219.* at non exiſtimo, eſſe id receptum in noſtris regionibus, quamvis non dubitem, quin, ubi periculum ex frequenti congreſſu imminet, poſſit negari debitum petenti crebrò. Subdit, me conſentiente, ibidem Riccius, quando maritus uxorem falsò accuſat adulterii, poſſe hanc ab eo divertere, eò quòd adulterium ſit crimen capitale, ſicut & poteſt eum propriâ authoritate deſerere, ſi ſit ipſe notorius adulter. Idem *ibid.*

APPENDIX.

Attuli quidem hoc *Caſu*, ſeu *Capite XX.* varias cauſas, quæ ſunt verè, vel apparenter ſufficientes diſſolvendo, *quoad torum*, Matrimonio, ſed adfero nunc aliam, quam ſuggerit ſequens

Caſus ſeptuplicis quæſtionis.

Cum enim Sempronius, quarto poſt nuptias menſe deprehendiſſet uxorem Corneliam, quam rebatur fuiſſe Virginem uſque ad conſummationem Matrimonii, eſſe jamjam enixuram prolem furto genitam, repulit eam à ſe cum prole, ac petiit 1. *Penitus dirimi Matrimonium, utpote contractum ex errore.* 2. *Saltem concedi perpetuum divortium* quoad torum, *&* tectum. 3. *Addici ſibi dotem, cum veſtibus, &, ut loquuntur literæ, adhærentiis.* 4. *Fuit quæſitum, an, quoniam, cum permiſſu parochi, jam ſunt, quoad ſententia definitiva feratur, ſeparati cohabitatione, licitè ita maneant, uſque dum Dominus Ordinarius aliquid decernat?* 5. *Rurſum quæſitum, ad quid ſtuprator teneatur, cùm proles jam ſit mortua, & ipſe non promiſe-*

Digitized by Google

rit Corneliæ Matrimonium? 6. An, & cui teneatur reſtituere expenſas jam factas? 7. Cui, & contra quem incumbat actio?

Ad haſce ſeptem quæſtiones, quarum tamen ſola *prima*, & *ſecunda* eſt propriè, directéque hujus loci, reſpondeo breviter eo ordine, quo hîc propoſui, non quo fuêre propoſitæ, &c.

b Dico I. Error, qui hîc intervenit, non dirimit Matrimonium, quoad vinculum; etenim non eſt error circa ſubſtantiam, ſed ſolùm circa qualitatem, non redundantem in ſubſtantiam.

Nec obeſt, quòd Sempronius non fuiſſet ullo modo ducturus illam Bertham, ſi vel ſuſpicatus fuiſſet, eſſe gravidam, ſiquidem infiniti alii errant etiam circa qualitates tales, quas ſi ſcirent abeſſe, vel adeſſe, certè abſtinerent tali conjugio, non tamen idcirco *invalidè* contrahunt, quia ſcilicet ii, qui errant in ſola qualitate, & conditione accidentali, ſolent dicere *implicitè*: Poteſt quidem fieri, ut revera adſit, ſeu abſit hæc, aut illa conditio, quam ita deſidero, aut deteſtor, ut ſi nôſſem adeſſe, ſeu abeſſe, ego æternùm abſtinerem hoc Matrimonio, quia tamen nequeo devenire in notitiam, nec vel Eccleſia, vel ratio boni publici permittit, ut contraham ſub conditione talis, aut talis qualitatis, alioqui innumera Matrimonia diſſolverentur cum ingenti damno privato, & publico, *idcirco volo abſolutè jacere aleam, exedámque offam, quàm mihi intrivero.* Ob hunc diſcurſum, fundatum in Regulâ *quinta*, quam ſtatui *Tract. præced. Caſ. IV. num. 117.* quem cenſeo à nemine negatum iri.

c Dico II. Non potuit Sempronius petere divortium perpetuum, quoad torum, & tectum. Patet ex iis, quæ hoc *Caſ. XX.* dixi ex Catholicorum communi conſenſu de cauſis divortii imperfecti, ſeu quoad lectum, & tectum, & nominatim ex dicendis *n. 752.*

d Dico III. Nec potuit idem Sempronius vindicare ſibi aut proprietatem dotis, aut alia paraphernalia. Ratio eſt, quia quod lex non dicit, nec nos dicere debemus, nulla autem lex Canonica, aut Civilis facit poteſtatem talia ſibi vindicandi propter fornicationem ante Matrimonium patratam, etſi permittat ob patratam conſtante Matrimonio, ut declaro *in Quinario*, ſeu *altero Volumine meorum Tractatuum Tract. 5. cap. 40.* Non tamen tenebatur *per ſe loquendo* reſtituere dotem, utpote cujus uſumfructum obtinuerat per legitimum Matrimonium juxta dicta *in eod. Tract. 5. cap. 24.* tenebatur autem *per accidens*, ſi videlicet feciſſet authoritate propriâ (judex non potuit ullam præſtare, ut dicam paulò pòſt) divortium; etſi quippe, quando divortium fit ob culpam uxoris, dotem ipſa amittat, ut explico *eod. Cap. 40.* attamen neque jure ipſo eam amittit, ſed ſolùm poſt judicis ſententiam, ut ibidem noto. Neque poteſt dici, quòd in hoc caſu divortium fiat culpâ uxoris, ſed culpâ ſolius mariti, utpote illicitè recedentis ab uxore, nec enim vel aliqua infamia, vel aliqua irriſio, quæ poſt publicatam uxoris incontinentiam aſperſit Sempronium, præbet jus perpetuæ ſeparationis. Veſtes uxoris, & alia paraphernalia nulla lex addicit marito propter ullam ex cauſis, aut circumſtantiis indicatis in hoc Caſu.

Dico IV. Quandoquidem & Parocho non e competit ulla juriſdictio in foro *externo*. Suprà *Tract. 5. num. 449.* & nominatim Diœceſanæ Conſtitutiones vetant, ne ſe immiſceat matrimonialibus cauſis. Suprà *in hoc Tract. 10. num. 363.* fit, ut permiſſio ſeparationis nihil proſit, nihil obſit juri ſeu uxoris, ſeu mariti, per ſe loquendo, etenim ſententia nulla nullum producit effectum. Tuſchus *lit. S. concluſ. 154.*

Quia tamen ſumma injuria, qua Cornelia ſuum Sempronium affecit, adferendo ipſi fœtum alienum, ac penitus improviſum, non videtur poſſe rationabiliter multùm ægre ferre ipſa, ſi Sempronius tantiſper ei neget (extra magnam neceſſitatem) officia conjugalia; quoad & Sempronius aliquantiſper parentaverit ſuo juſtiſſimo dolori, & Cornelia ſatiſfecerit pro injuria; niſi fortè citra omnem ulteriorem culpam Corneliæ differretur ad longum tempus judicialis ſententia.

Dico V. Stuprator Corneliæ nihil *per ſe* f *loquendo* debet Corneliæ, quæ ſupponitur conſenſiſſe libere in copulam. Rationem hujus reſponſi dedi ſupra *Caſ. 5. num. 212.* ubi etiam *num. 213.* oſtendi, talem non obligari ad quidquam pretiò æſtimabile dandum parentibus Corneliæ. At verò tenetur ad veniæ petitionem, ſi hanc illi parentes exigant, pro gravi injuriâ, qua ſunt ab eo affecti, præſertim ſi fortè in ipſis ædibus paternis contigiſſet illud ſtuprum. Quòd ſi factæ ſunt expenſæ in puerperium, baptiſmum, ſepulturam prolis defunctæ, ſtare debebit ſtuprator ſententiâ judicis, eum fortè condemnaturi ad omnes. Licèt enim literæ indicent, illum idcirco non duxiſſe Corneliam, quòd hæc Sempronio poſtea, inſcio ſtupratore, promiſiſſet Matrimonium, ſtuprator autem timeret aliquod grave malum, ſi impediviſſet id conjugium, hæc tamen conſideratio non eximit patrem à debito naturali erga filium, aut filiam, & conſtat ex dicendis infrà *Caſ. XXIII.* patrem teneri facere omnes expenſas in liberos, excepto lacte pro primo triennio, quare ſi parentes Semproniæ, vel ipſa Sempronia expendit quidpiam in uſus neceſſarios, refundet hiſce ſtuprator. Et ſic eſt ſatiſfactum *ſextæ* quoque quæſtioni.

Ad *ſeptimam* reſpondeo, competere patri g Semproniæ actionem in ſtupratorem, & quidem nomine tum proprio, tum filiæ.

Pro-

Digitized by Google

Proprio, quia actio nihil eſt aliud, quàm jus, quod ſibi debeatur, judicio proſequendi *Leg. Nihil aliud, ff. De oblig. & action.* eſt autem parens Corneliæ, ut dixi ſuprà, affectus grandi injuriâ à violatore ſuæ filiæ, cujus reparationem petendi jus habet.

h Poſſet quoque agere nomine filiæ, ſi fraude illam circumveniſſet ſtuprator, aut promiſiſſet quidpiam, quod ſervare, ſeu præſtare detrectat, etenim poteſt quiſque eſſe non ſolùm actor, ſed etiam accuſator in ſuorum quoque cauſa, ſeu quando ſuam, ſuorúmve injuriam proſequitur, *Leg. Si tamen, ff. De accuſat. & L. De crimine. C. De his, qui accuſar. non poſſunt.* atqui filiam etiam nuptui datam numerat pater inter ſua. Gloſſ. *in Leg. Quia. ff. Sol. Matrim.* Adhæc quia in hac Diœceſi ſtylus Curiæ notiſſimus habet, ut ſtuprator virginis, etiam quæ ſponte conſenſit, teneatur eam vel dotare, vel ducere, dotare, inquam, adjiciendo doti paternæ tantundem, quantum pater dat, ſicuti refero *hoc Tract. X. Caſ. V. num. 209.* clarum eſt, potuiſſe ſtupratorem adigi ad dotandam, ſi eam volentem non voluiſſet ducere, at quia Cornelia prætulit alium, videtur amiſiſſe jus petendi augmentum dotis. Etſi enim, quando aliqua virgo fuit oppreſſa violenter, ſit in ejus, non autem in oppreſſoris arbitrio exigere vel dotem, vel conjunctionem conjugalem. Suprà *cit. Caſ. V. num. 217.* quia tamen ſupponitur in ſpecie facti ſtetiſſe non penes ſtupratorem, ſed penes Corneliam, cur eam non duceret, & ipſa ſponte conſenſerat in copulam, idcirco dicerent Covarruvias, & Molina relati à me in allegato *num. 217.* cùm ſaltem in caſu, quo vis, aut fraus non interveniſſet, electio copulationis, aut dotationis ſit in arbitrio ſtupratoris, privaverit autem Cornelia illum invitum hoc electionis jure, eum non poſſe adigi ad quidquam dandum pro dote: tum quia in alternativis debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri *Reg. 70. in 6.* implevit autem ſtuprator quoad potuit alteram conditionem. Unde videtur apprimè huc facere illa altera Regula juris *in 6.* quæ ait. *Cùm non ſtat per eum, ad quem pertinet, quò minùs conditio impleatur, haberi perinde debet, ac ſi ea impleta fuiſſet*, quam Regulam explicat ad propoſitum noſtrum Petrus Peckius, atqui ſi ſtuprator impleviſſet conditionem de ducenda Cornelia, non fuiſſet obligatus præſtare ullum dotis augmentum.

i Nihilominus intelligo, fuiſſe condemnatum ad aliquod augmentum, non tamen ad tantum, ad quantum fuiſſet judicis ſententiâ adactus, ſi detrectâſſet ducere Corneliam. Fortè fuerit idcirco lata hæc ſententia, quòd licet generatim ſit in alternativis electio debitoris, ab hac tamen Regula excipiatur caſus, quo alternativorum electio remanet penes judicem. Joan. Streinius *in cit. Reg. 70. limit. 2.* videtur autem eſſe penes judicem, condemnare pro ratione circumſtantiarum ad ducendam, vel ſi aliud videatur, ad potiùs dotandam.

k Quæres autem: *An non etiam actio ſaltem injuriarum, aut doli competat Sempronio, utpote quem ita turpiter, ignominioſéque decepit Cornelia*, & quæ tenebatur, vel *abſolutè* reſpuere Matrimonium cum Sempronio, vel ei manifeſtare ſuum vitium, ſicuti in ſpecie facti me reſpondiſſe, refero in hoc ipſo *Tract. X. n. 374. juncto num. 364.*

Reſp. Quandoquidem injuria, fraúſque Corneliæ non feruntur attuliſſe Sempronio ullum damnum pretio æſtimabile, nequivit exigere à Cornelia compenſationem pecuniariam. Num autem ſit in tribunalibus ſacris, aut profanis uſitatum, ut maritus intendat actionem criminalem; eique accuſationi deferatur ob ejuſmodi præciſè injuriam, ignoro, éſtque mihi veroſimilius, non vigere talem praxin, ergo debebit Sempronius eſſe contentus humili petitione veniæ, quam & impertiri debebit, niſi velit, ut fiat ſibi in peccatum Oratio Dominica de dimittendis peccatis.

Nec integrè purgat dolum Corneliæ, quòd primùm poſt ſponſalia de futuro, adeóque poſt promiſſionem matrimonialem factam Sempronio, animadverterit ſe eſſe prægnantem, *actualis* autem copulatio fuerit diſpenſationis retardatione dilata ad quatuor menſes, ſicuti mihi ſcripſit conſulens, etenim etiam in hac ipſa circumſtantia obligatam fuiſſe manifeſtare ſuam turpitudinem, caſu, quo non poterat aliter impedire Matrimonium, oſtendo *citat. Caſu IX. num. 369.* ubi tamen *num. 375.* excipio caſum, quo Corneliæ impendiſſet periculum mortis à patre, vel ſponſo, ſi prodidiſſet ſuum lapſum.

AN, ET QUATENUS PROBABILITAS OPINIONUM CONDUCAT AD VALOREM MATRIMONII, EX SE CÆTEROQUIN INVALIDI?

CASUS XXI.

Materiæ Indiſcuſſæ.

SUMMARIUM.

Caſus Matrimonio aſſiſtentis ex opinione ſolùm probabili. 732.

Utrùm valeat Matrimonium, cui aſſiſtit Parochus ſolùm probabili juriſdictione præditus? 734.

Parochus intruſus an validè *aſſiſtat, ſi probabiliter habeatur pro non intruſo?* 740.

Reſolvitur Caſus num. 732. *propoſitus.* 741.

An ſubſiſtat Matrimonium initum cum Impedimento, quod probabiliter judicabatur non adeſſe? 744.

Quid

Digitized by Google

Quid ſi adſit ignorantia ſolius facti? 746.
Quid ſi tota Communitas falſò credat, Tridentinum non fuiſſe illic promulgatum, & idcirco celebret clandeſtina Matrimonia? 748.
Quid ſi Teſtis erat ſurdus, & tamen putabatur eſſe bene auritus? 749.

732 *Xaverius Sacerdos inſtituitur in pago A. Parochus à Religioſo Prælato B. minimè dubitante, potiri ſe vero jure inſtituendi, deſtituendíque Parochos illius, aliorúmque plurium, at ignaro Ordinario loci, atque prætendente illud ipſum jus, qui proinde, compertâ illâ inſtitutione, citat Xaverium ad ſuum tribunal, declarat illum ſuſpenſum ob copulationem matrimonialem ſponſorum, in quos nullam haberet juriſdictionem, eáque Matrimonia declarat irrita. Quæritur, an, & quo jure?*

733 Memini id factum in quodam Epiſcopatu Gallicano, quod factum præbet mihi anſam pertractandi ſequentes de vi, in materia ma-
734 trimoniali, probabilitatis quæſtiones. 1. An, quandò Matrimonium eſt initum cum vero Impedimento, quod vel communi errore putabatur non ſubeſſe, vel ſciebatur quidem ſubeſſe, at probabilis opinio DD. negabat, eſſe verum Impedimentum. Quæritur, inquam, *an, ſi Impedimentum illud detegatur per Teſtes, vel Eccleſia Decretum declarantis, reverà fuiſſe Impedimentum, quod pro tali non habebatur, Matrimonia inita cum ejuſmodi errore debeant neceſſariò repeti?* ſicuti *Tract. præced. Caſu XI. num. 358.* notavi, fuiſſe à S. D. N. Alexandro VII. declaratum, quòd Impedimentum Publicæ Honeſtatis nequaquam tollatur per diſſolutionem ſponſalium factam mutuo conſenſu, & in citato *Tract. Caſ. XVIII. num. 481.* exhibui Reſcriptum Urbani VIII. contrarium planè probabiliſſimæ olim opinioni cenſentium, valere Matrimonium, quod contrahebant in loco, nihil ſciente de Decreto Trident. Concil. circa præſentiam Parochi, ſponſi illuc deditâ operâ profecti ex ſua Parochia ſubjecta
735 illi Decreto. 2. Quæri poteſt. *An valeat Matrimonium contractum bonâ fide in loco, ubi fuit revera publicatum Tridentinum, at erat communis perſuaſio, non eſſe publicatum?* 3. *Quid ſi alter Teſtis Matrimonii ſit planè ſurdus, & proinde non intelligat, quid faciant ſponſi contrahentes, cùm tamen exiſtimatus fuerit eſſe probè auritus?* 4. Accedit quæſtio breviter à P. Sanchez *Lib. 3. Diſp. 22. num. ult.* diffuſè à P. Perez *Diſp. 46. Sect. 5.* expedita de errore vario circa juriſdictionem Sacerdotis aſſiſtentis, quam utpote faciliorem, quia jam ab aliis ventilatam, proponam, & exponam *primo* loco.

736 Quæritur ergo I. *An Sacerdos ex opinione probabili quamvis falſa præditus conditionibus neceſſariis ad validè aſſiſtendum, ſeu habens titulum coloratum, & qui eſt intruſus, ſolo errore communi validè aſſiſtat Matrimonio, & ad id licentiam conferat Eccleſia?*

Reſp. I. Si ſint diverſæ opiniones, an a- » 737
liquis ſit legitimus miniſter Matrimonii, aut »
Confeſſionis, vel licentia illi conceſſa ſit legi- »
tima, vel Privilegium Bullæ revocatum ſit, »
vel extendatur ad illum Caſum, & opinio af- »
firmans, non eſſe legitimum miniſtrum, aut »
licentiam non eſſe ſufficientem, aut Privilegi- »
um eſſe revocatum, vel minimè extendi ad il- »
lum Caſum, ſit coram Deo vera, dum tamen »
veritas illa latet, & ex probabili ſapientum o- »
pinione reputatur probabilis opinio oppoſita, »
Confeſſiones factæ, & Matrimonia celebrata »
coram tali miniſtro, vel virtute talis licentiæ, »
aut Privilegii valent: quia eſt communis er- »
ror, titulúſque præſumptus, collatus à legiti- »
mo Superiore, & defectum illum juriſdictio- »
nis miniſtri, aut licentiæ poteſt jus humanum »
ſupplere, in quo valida eſſe geſta ratione »
communis erroris, diximus *n. 27. & ſeqq.*

Sunt hæc omnia verba formalia P. Thomæ Sanch. *loc. cit.* qui dum ſe refert ad *num. 27.* illius *22. Diſp.* innuit fundamentum ſuæ reſolutionis, hoc ſcilicet, quòd jus Pontificium *Cap. Infamis 3. quæſt. 7.* & Civile *Leg. Barbarius Philippus. ff. De offic. prætorum* ob bonum publicum decreverit, valida eſſe in utroque foro, quæ judex carens legitimo titulo, habénſque ſolum putatitium, ex communi errore, quo creditur habere validum titulum, geſſit, ſupplente jure defectum talis judicii, conferendo ei quodammodo *actualem* juriſdictionem ad ſingulos ejus actus, dummodo materia ſubjecta ſit poteſtati humanæ Principum. 738

Licèt verò Parochus aſſiſtens nullo modo ſit judex, neque ejus aſſiſtentia ſit propriè actus 739 juriſdictionis, illam tamen diſpoſitionem juris Pontificii, atque Cæſarei, extendunt ad hanc aſſiſtentiam expreſſè Sanch. *loc. cit.* Perez *cit. Sect. 5. num. 1.* Hurtad. *Diſp. 5. diff. 8. num. 29.* Dicaſtil. *Diſp. 3. dub. 10. num. 87.* Pontius *De Matrim. Lib. 5. cap. 39.* apud Perez, atque alii plures, extenditque hanc doctrinam Sanch. *loc. cit.* contra Medinam ad illum, cui 740 verus Parochus tantùm ſimulatè commiſit facultatem aſſiſtendi, ſicut & Pontius fuſè apud Perez *loc. cit.* contra Sanch. & eundem Perez, communémque aliorum extendit ad intruſum, id eſt, illum, qui fuit Parochus conſtitutus ab aliquo, qui communi errore habebatur pro vero Superiore, ſeu habente jus ad conſtituendum, inſtituendum, deſtituendúmve Parochum. Quæ extenſio utraque quia ſecundùm illos autores habet vel maximè locum in Confeſſario putatitio, idcirco fuſiorem de hac re ſermonem præmiſimus *in Alphabeto Confeſſariorum Caſ. III. num. 106. & ſeqq.* ac ſingulatiter *in Appendice ad numerum 111.*

Interim patet, Dominum Ordinarium Xa- 741

vetii, de quo præſens Caſus, jure feciſſe pronuntiando, Matrimonia, quibus aſtitit Xaverius, fuiſſe à parte rei invalida, ſuppoſito, de quo non diſputo, quòd Prælatus Religioſus caruerit verâ poteſtate inſtituendi, ſuppoſitâ quoque communi ſententiâ, quòd intruſo non faveat ullo pacto deciſio Legis *Barbarius* rela-
742 ta ſuperiùs. Quia tamen opinio Pontii de valore actuum etiam ab intruſo geſtorum non eſt improbabilis, ut vidimus *in cit. Caſ. III. Alphabeti Confeſſariorum.* Quia deinde forſan probabiliſſimum erat, eam poteſtatem inſtituendi fuiſſe penes illum Prælatum, ſententia autem Ordinarii, utpote in propria cauſa, nullo modo tollit probabilitatem opinionis communis de vera poteſtate competente illi Prælato, cùm præſertim potuerit hic appellare ad
743 Superiorem, idcirco nec puto, fuiſſe mandatum, ut illa Matrimonia revalidarentur, quandoquidem in dubio, an valeat aliquod Matrimonium bonâ fide initum, pronuntiandum eſt *practicè* pro valore, id eſt, poteſt quidem dici, dubium eſſe, an valeat, probabiliſſimum eſſe, quòd non valeat, attamen relinquendum eſt in ſuo eſſe, ſeu poſſunt, debéntque perinde inſtitui omnes actiones pendentes à valore, ac ſi liquidò ſciretur, eſſe validum, ſicut in ſpecie de debito conjugali Matrimonii dubii dixi ſuprà *num. 646.* & generatim de dubio Matrimonio habendo *practicè* pro valido tradidi ſuprà *Caſ. II. num. 75.*

744 Quæritur II. *An ſubſiſtat Matrimonium initum cum Impedimento, quod probabilis opinio DD. defendebat, tunc non eſſe revera Impedimentum, at poſtea declaravit Pontifex, erràſſe illos DD.* Exempla tradidi *num. 734.* & jam reſpondi *Tract. præcedent. Caſ. XV. num. 377.* ſubſiſtere, nec eſſe poſt eam Declarationem revalidanda, quæ ante eam erant ex tali opinione contracta. Rationem attuli *ex cit. Leg. Barbarius*, eſt enim præſumendum, quòd Pontifex poteſtatem validè aſſiſtendi extendat æquè ad talia Matrimonia, atque extendit ad caſus indicatos à Sanch. verbis *num. 737.* de-
745 ſcriptis. Adde, quòd illa tot inſignium DD. opinio, tametſi falſa, ſit tamen teſtis, legem ſtatuentem Impedimentum non fuiſſe receptam in eo rigore, quem poſtmodum declaravit Pontifex. Si non fuit recepta in eo rigore, ergo non obligavit à parte rei. *Cap. 3. diſt. 4. Leg. De quibus. ff. De legibus.*

746 Quæritur III. *Quid verò ſentiendum, quando non aderat quidem ignorantia* juris, *ut in præcedenti Quæſito, ſed ignorantia* facti *poſitiva, quando nimirum, re maturè expenſâ, creditum fuit à ſponſis, eorúmque cognatis, & cognationis notitiam habentibus, non intercedere Impedimentum Cognationis, Affinitatis, & tamen poſtea deprehenditur contrarium?*

747 Reſp. Omnes, quos Legi, adſtipulantur praxi quotidianæ, ut videlicet, cognito Impedimento, petatur diſpenſatio. Ratio, cur ſit petenda, eſt: tum quia uſus, & communis opinio ſatis declarat, legem *Barbarius* non habere hîc ullum locum: tum quia, ut error ſuffragetur valori actûs, non debet eſſe paucarum perſonarum, ſed totius Communitatis, ut videre eſt apud DD. declarantes rationem erroris communis, at ſolùm paucæ perſonæ, non autem tota Communitas judicat, Impedimentum abeſſe.

Quæritur IV. *An, quando tota Commu-* 748
nitas putat falſò, Tridentinum de clandeſtinitate non fuiſſe in ſua Parochia promulgatum, ſubſiſtant illic Matrimonia clandeſtina?

Reſp. Me in re mihi magnopere dubia inclinare in partem *affirmativam*, eò quòd error communis circa Impedimentum juris *humani*, quo laborat miniſter Sacramenti, tribuat titulum, ſeu poteſtatem *validè* conficiendi hîc & nunc Sacramentum, ſicuti didicimus ſuprà ex Sanch. & Perez, pluribúſque declaravimus *in Alphabet. Confeſſarior. Caſ. III.* Atqui ipſimet ſponſi ſunt miniſtri hujus Sacramenti. Suprà *num. 396.* & laborant errore communi. Magnas gratias agam meo Lectori, ſi me edocuerit, quid ſibi videatur de hoc puncto. Novi, contrarium rectè doceri à P. Sanch. *Lib. 3. Diſp. 17. num. 10.* caſu, quo pauculi ignorant, & ſic contrahunt, quòd ſi illi ignorantiæ jungatur conſuetudo contraria Decreto Tridentino, erit locus doctrinæ ex Patre Palao relatæ *Tract. præced. Caſ. XVIII. num. 485.*

Quæritur V. *De Teſte ſurdo, qui habeba-* 749
tur pro minimè ſurdo.

Reſp. Iſte error eſt etiam privatus, non totius Communitatis. Ergo ſi ille ſurdus nequit ex viſu judicare, quid agatur, efficiet, ut Matrimonium non valeat, juxta dicta de Teſtibus matrimonialibus *Part. 1. hujus Alphab. Caſ. XVII. num. 502.*

DE COHABITATIONE CONJUGUM.

CASUS XXII.

Quadruplicis quæſtionis.

SUMMARIUM.

Caſus quadruplicis quæſtionis. 750.
Reſolvitur ille ex Navarro. 752.
Tenentur Conjuges cohabitare. 753.
Et quidem uxor potiùs viro, quàm vir uxori. 755.
Tenetur tamen quandoque vir ſequi domicilium uxoris. 756.
In quo inter ſe differant quoad jus domicilii ſequendi? 757.
Maritus illicitè ſuſcipit, invitâ uxore, longum iter. 760.

Obli-

Digitized by Google

Obligatio cohabitationis complectitur tria officia. 763.

Caſus mariti habitantis in eadem Urbe, non autem eadem domo cum uxore. 764.

750 N. *Poſtquam primâ nocte reperiſſet uxorem, ei traditam ut virginem, fuiſſe prius corruptam, per triduum abſtinuit ab uxore, quæ ſibi timens clàm ad patrem reverſa eſt, & vir alio migravit, & in patriam ob dedecus non vult ad illam reverti, nec mulier ob timorem fortè audebit ipſum ſequi.*

Quæritur I. *An credens ducere virginem in uxorem ducendo corruptam poſſit eam dimittere? 2. An maritus ſic dimiſſus teneatur uxorem requirere, & repetere? 3. An timor occidendi eam, ſi cohabitet illi, excuſet virum, ne ſecum vivere teneatur? 4. Cùm ejuſmodi uxor virum, ob timorem, ne ab eo occidatur, extra patriam ſequi recuſet, & maritus indecorum reputet, cum ea in patria habitare, & ipſa nec virum, nec debitum petat, ſed taceat, adhuc teneatur maritus ad eam redire, & debitum ſolvere?*

751 Inter conſilia conſultiſſimi Navarri *Lib. 4. De divort. conſ. 2.* reperire eſt omnia hæc verba cum litera N. quæ, ut liquet legenti, tangunt *directè* neceſſitatem cohabitandi impoſitam maritis. De qua quæritur. 1. *Quo jure ſit ſancita? 2. Utrùm uxor marito, an hic illi cohabitare teneatur? 3. Quæ cauſa tollant neceſſitatem cohabitandi?* Has tres quæſtiones exſolvam, ubi breviſſimè retulero reſponſa, quæ Navar. dedit ad propoſita ſibi quatuor dubia.

752 Ad 1. Nullo jure ſanciri, ut fornicatio ante nuptias det cauſam juſtam faciendi cum uxore divortium *quoad cohabitationem*. Ad 2. omnino teneri requirere, & repetere, eò quòd debitor teneatur requirere ſuum creditorem, eíque ſatiſfacere. Ad 3. Virum teneri cohibere iram, & proinde, licèt timeat, ne redditus uxori perimat poſtea ipſam irâ percitus, nihilominus debere redire ad illam, & vivere cum ea. Ad 4. Si uxor verè timet illud malum, haud obligari accedere maritum, ſecùs, ſi ſit mera imaginatio. Dedecus, quod maritus timet, nullam planè juſtam cauſam non redeundi ſubminiſtrare, ſicut nec tibi duello decertandi, quando tibi provocato erit probroſum non comparere. Ita ferè Navarr. Ac ego

753 Dico jam I. Obligatio cohabitandi incumbit conjugibus ex jure Naturæ, Divino, Eccleſiaſtico, & Civili. Certè ſcriptum eſt. *Geneſis 1. Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum: Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi, & Cap. 1. De conjug. lepros.* dicitur: *Cùm vir & mulier ſint una caro, non debet alter ſine altero diutius eſſe.* Debent ergo habitare unà: tum propter generationem, honeſtámque educationem prolis: tum propter periculum incontinentiæ: tum quia vir eſt caput mulieris ad *Epheſ. 5.* hæcque ab illo eſt regenda. Unde P. Ferdinand. de 754
Caſtro Palao *De ſponſal. Diſp. 3 punct. 5. §. 1.* ſic loquitur: *Certum eſt, conjuges obligatos eſſe jure naturali, & Divino ſimul habitare in eadem domo, ad eandem menſam accubare, & in eodem lecto jacere, quòd ſi quis conjugum nolit hæc tria præſtare, poteſt à judice Eccleſiaſtico compelli cenſuris, & invocato auxilio brachii ſæcularis. Cap Literas. De Reſtit. ſpol.* Covarr. *in Epitome Part. 2. cap. 7.* imò etiam à judice ſæculari, quando non eſt lis de valore Matrimonii, debet adigi ad iſta. Palaus *ibid.* poſt Gloſſ. & memini ego fuiſſe olim à Senatu Friburgenſi in Helvetia cum viro primario factitatum. Nihilominus tamen poſſunt conjuges ex mutuo conſenſu, ac juſta cauſa cedere huic obligationi, ſi non ſubſit periculum incontinentiæ, quod quia rariſſimè abeſt à juvenibus, ideo non debet judex permittere, ut ſeparatim vivant, P. Palaus *num. 2.*

Dico II. Tenetur, *per ſe loquendo*, potiùs 755
uxor cohabitare viro, quàm hic illi: id eſt, viri, non autem uxoris eſt conſtituere domicilium, ſeu locum, ubi habitent, ac ſimul vivant. Ita omnes, quia, ut dixi, vir eſt caput mulieris. Ac proinde uxor tenetur ſequi maritum mutantem domicilium, ſeu ex neceſſitate, ut per ſe notum eſt, ſeu etiam ex quacunque cauſa non turpi, modò illa mutatio non accidat uxori graviter incommoda, vel non ſit aliter conventum in pactis dotalibus, ſeu contractu ante nuptias. Ita communis D. D. apud Sanchez *Lib. 1. De Matrim. Diſp. 41.* contra Halenſ. & alios nonnullos. Ratio petitur ex dictis, & uſu prorſus quotidiano. Quòd ſi cautum eſt in contractu ſponſalitio, ut uxor relinqueretur apud propinquos, aut in certa urbe, relinquenda eſt, ac marito illic habitandum cum ipſa. P. Sanchez *loc. cit.* P. Laymann. *Lib. 5. Part. 3. cap. 2.* & alii omnes, niſi ſtatus rerum notabiliter mutetur.

Quin maritus obligatur ſequi uxorem, 756
quando hæc mutat domicilium ex gravi cauſa. Sanchez, Laymannus, alii communiter, nam vir, & mulier ſunt pares in mutuis obſequiis. Quare quando alteruter conjunx cogitur ob morbum, hoſtilem inſectationem, exilium, migrare è patria, debet ipſi alter adhærere, ut de morbo, & conſequenter de inſectatione hoſtili fatentur omnes; de exilio non quidem omnes, & meritò non omnes in eo caſu, in quo exilium meritus eſt ille conjunx ſuis nefariis actionibus, & inſuper exilium eſt ſimile illi, de quo toties nequicquam lamentatur Ovidius Naſo *De Triſtibus. & De Ponto*, nam promittentes Matrimonium non cogitant ſeſe aſtringere ad tam dura.

In hoc ergo differunt quoad jus conjugale 757
maritus, & uxor, quòd ſit penes maritum deligere

Digitized by Google

gere domicilium pro ſuo non turpi lubitu, teneatúrque uxor illum ſequi, at uxorem non teneatur ſequi maritus, niſi neceſſitas exigat mutationem domicilii. Et, ut diſtinctiùs loquamur, notandum eſt, domicilium ſolere mutari duplici modo. *Primo*, quando illud ita transfertur aliò, ut non cogitetur de eo repetendo, ut cùm transfers tuas fortunas è tuo oppido in aliud, fiſque civis hujus, renuntians juri, quod
758 tibi competebat in prius domicilium. *Altero* modo, quando commigratur in aliud oppidum, habitandi illic quidem gratiâ, at non niſi per aliquot menſes, Annos, &c. ut faciunt multi miniſtri Principum, & illi maximè, qui mittuntur ad gubernationem quadriennem, &c. alicujus Præfecturæ, Toparchiæ, Provinciæ, &c. Quando primo modo fit mutatio, concors eſt ſententia D.D. quòd uxor teneatur ſequi maritum, niſi aliter ſit, ut dixi ſuprà, proviſum in promiſſione matrimoniali, in ſecundo autem caſu non adeſt ſecundùm multos D.D. apud Sanch. hujuſmodi obligatio, at ſecundùm illum adeſt, modò vir faciat ex juſta cauſa mutationem, ut quando nequit ſe com-
759 modè alere domi, ſeu in priore domicilio. Et ratio eſt: tum quia videtur ita ferre uſus communis: tum quia nequit negari marito, utpote capiti familiæ poteſtas faciendi hanc mutationem, ergo nec poteſtas cogendi uxorem ad ſibi adhærendum, per *cit. Cap. 1. De conjug. lepro.* Unde quando Helvetii proficiſcuntur in Italiam, aut Galliam, ut ſint vel in præſidio alicujus loci, vel ad cuſtodiam corporis, poſſent, ut faciunt aliqui, imperare uxoribus iter in Galliam, Italiam, &c. tametſi creberrimè non faciant, ſicut nec rectè imperarent, ſi profecturi eſſent ad bellum.

760 Quòd ſi maritus ſuſcipiat peregrinationem multarum dierum, vel hebdomadarum, meritò negat P. Laymannus, poſſe uxorem adigi, ut ſit appendix tanti itineris. Imò nec *licitè* talem peregrinationem (ſecùs de parva) ſuſcipit, ſine conſenſu uxoris. Laymann. *ibid.* ex communi, excipiendo hinc votum peregrinationis Jeroſolymitanæ propter expreſſam deciſionem *Cap. Ex multa. De vot. & voti redempt.* quam habere locum etiam, quando periculum incontinentiæ imminet inde uxori, tradit ex aliis P. Gretſerus noſter *Tom. 3. De Cruce Lib. 2.*
761 *cap. 3.* contra S. Thom. *quodlib. 4. num. 1.* Nec diſſentit Gretſetus ab Hoſtienſi, Abbate, & Navar. *in Man. Cap. 12. num. 62.* pronuntiantibus, etiam uxori fas eſſe illius peregrinationis voto ſe obſtringere, invito marito, ſed certè hac ætate non eſt admittenda hæc doctrina, quam nemo audet extendere ad aliam peregrinationem longam, cùm ne quidem brevem permittat Laymannus, & alii D.D. eſt quippe difficile viro permittere, ut ſine ſuo comita-
762 tu abeat, difficile quoque eam comitari. Eſt autem ſermo de peregrinatione duorum, aut trium dierum, ſi enim manè abiens reditura ſit veſperi, nec ejus opera futura interim neceſſaria domi, quis dicat, eſſe, per ſe loquendo, neceſſarium conſenſum mariti? Maritum hinc inde vagantem non tenetur ſequi uxor, niſi ante Matrimonium ſciverit, eſſe aſſuetum ejuſmodi inconſtantiæ.

Dico III. Quandoquidem obligatio co- 763
habitationis complectitur tria officia. 1. Habitandi in eadem domo. 2. Accumbendi eidem menſæ. 3. Cubandi in eodem lecto, ut vidimus ſuprà *num. 754.* poſſunt ſuppetere cauſæ, quæ eximant obligatione ſolùm unius, aut duorum, ex his officiis. Et quidem ſævitia, atque adulterium, de quibus *Caſu XX.* liberant his tribus officiis, adulterium quidem *abſolutè*, ſævitia autem ſolo caſu, quo nullum ex his præſtari poteſt ſine probabili periculo malorum indicatorum *num. 717.* ſi enim poſſit aliquid præſtari ſine periculo gravis corporalis mali, oportet præſtare, ſicuti & illud, quod ſine periculo contagionis, quando contagioſo morbo laborat alter, juxta dicta *num. 616.* & quod ſine periculo perverſionis, de quo *num. 729.* Cætera pete ex dictis. *Caſ. XVI.* de cauſis excuſantibus à redditione debiti. *Caſu XX.* de cauſis diſſolvendi Matrimonii *quoad torum.* Et nota hunc

Caſum ex parte imitandum.

YSon, homo non multùm laudatus à fide 764
conjugali, copulatus autem uxori jam vetulæ, & multò adultiori, quàm ipſe, cohabitat in eadem quidem urbe, in qua uxor, ſed in alia ſat remota domo, non ſine famulitio utriuſque ſexûs, monetur à Magiſtratu, ut ſuam uxorem ad ſe vocet, jubeátque eam ſibi cohabitare, ut factitant reliqui mariti. Reſpondet, ſuas fores patere uxori, uxoris domum ſibi. An ſufficiebat hoc reſponſum?

Reſp. Potuêre intervenire circumſtantiæ, 765
ut ſatiſfecerit, at, *per ſe loquendo*, minimè ſufficiens fuit hoc reſponſum, ut deduces ex doctrina, quam P. Palaus relatus *num. 754.* meritò vocat certam. Ergo imitandum factum Magiſtratûs ſæcularis, qui, Eccleſiaſtico non fungente ſuo officio, fecit illam monitionem, quamquam, & *per ſe loquendo*, potuerat eam facere, ut dictum *ibid.* At non modò non imitandum factum illius Yſonis, ſed nec eſt, *per ſe loquendo*, tam facilè cedendum ejuſmodi reſponſis: tum propter præceptum Divinum *Geneſ. 2. Homo adhærebit uxori ſuæ*; tum quia generatim ſunt de furtivis amoribus ſuſpecti, qui habentes uxoras ſanas mente, & corpore, conſtituunt ſibi peculiare tectum, & lectum.

OFFI-

OFFICIA VARIA CONJUGUM.

CASUS XXIII.

Militibus Familiaris.

SUMMARIUM.

Caſus ſectantis militiam, & deſerentis uxorem cum multis prolibus. 766.
Quid uxori debeat maritus? 767.
Qualiter caſtigabit? 770.
Caſus mariti praeferocis. 772.
Caſus uxoris merobibulae. 774.
Officia parentis in filios, & filias. 776.
Singulariter quoad alimenta. 778.
Et quoad educationem. 779.
Officia uxoris in maritum. 780.
Quae in communes liberos? 782.
Quae liberorum in parentes? 785.
Ad utrum conjugem ſpectet adminiſtratio familiae? 788.
Item bonorum? 790.
Quas alienationes poſſit uxor facere? 793.
An etiam in recreationes? 798.
Caſus uxoris dantis ſorori egenti è bonis communibus paulatim tam multum, ut perveniat ad notabilem quantitatem. 801.
Bulla Clement. X. circa examen teſtium Matrimonialium. In calce hujus Caſûs.

766 *Zabulonites opifex, parens quinque liberorum adhuc impuberum, dum ſcribitur miles pro Principe Catholico contra alium Catholicum, dat nomen militiae, atque abit, uxore lamentante, capillos vellente, liberis ejulantibus ad matris imitationem. Dum verſatur in praeſidio militari, ſtipendio fideliter perſoluto abutitur in luſus, & compotationes, egentibus interim domi, ac famem patientibus uxore, & filiis. Quaeritur, an, & quantum contra officium conjugale delinquat hic Zabulonites?*

767 Vivebat Romae celebris voce, & libris concionator, qui 9. Octobr. An. 1664. inde his verbis ad me ſcripſit: *Cùm his diebus revoluerem R.V. libros, deſiderium mihi venit videndi Theologiam Militarem, ſcriptam methodo Alphabeticâ, cùmque non putem, ullum autorem hanc materiam ex inſtituto tractâſſe, quae alioqui tam practica, & neceſſaria eſt, judicavi hoc R.V. inſinuandum, certus ſum, Confeſſariis tam campeſtrenſibus, quàm civitatenſibus fore gratiſſimum, &c.*

768 Hae literae praebuerunt mihi occaſionem proponendi Caſum praeſentem, qui ſine dubio obtinuiſſet non poſtremum locum *in Alphabeto Militari*, ſi id temporis allubitum fuiſſet, animum transferre in conſcriptionem ejuſmodi argumenti, quem tametſi tranſtuli paulò antequam daretur initium Einſidlenſi Editioni, attamen nunc non duco eſſe hoc loco movendum. Circa illum moveri poſſunt hae duae quaeſtiones. Prima: *An, & quàm graviter peccent, qui ejus fortunae, ac ſortis homines invitant ad dandum nomen militiae, ſicut & illi, qui eos ſcribunt?* Secunda, *an tribunus, aut ſupremus Praefectus militiae non teneatur eos remittere domum?* At hîc ſolùm ſciſcitor, ut dixi, an ejuſmodi parentes non exerrent ab officio, & obligatione erga conjuges, & liberos? Reſolutio quaeſtionis petetur ex iis, quae dicam in decurſu, enarraturus varias obligationes, quae ultra debitum conjugale, & cohabitationem, de quibus ſuprà, intercedunt inter virum, & uxorem, interque horum liberos.

Quaeritur I. *Quidnam uxori debeat maritus?* 769

Reſp. Debet ei I. Suſtentationem, adeóque victum, & veſtitum juxta ſuum ſtatum, ſicuti declaro *in Theolog. Jurid. Moral. Cap. 28. Sect. 1.* Et quidem ſive dotatam duxerit, ſive indotatam, ſi tamen non ſit praeſtita dos, quae promiſſa erat, ceſſat haec obligatio, ut *ibid.* probo *num. 4.* qua permanente ſi maritus non ſubminiſtret neceſſaria, haud peccat uxor ſurripiendo clàm.

Debet ei II. Caſtigationem neceſſariam ad emendationem morum perverſorum, maritus enim eſt caput uxoris. *Ad Epheſ. Cap. 5.* & debet ei uxor ſubdita eſſe, ſicut domino *Ibid. verſ. 23.* Eſt autem capitis, & domini corripere illos, quorum eſt dominus, & caput. Poteſt autem illa caſtigatio fieri tum verbis: tum etiam verberibus, quando verba non ſufficiunt. 770

Verba autem illa etſi poſſint quandoque continere convitium *materiale*, non tamen debent continere *formale*, neque pariens infamiam, & abſque dubio delinquunt mortaliter, qui uxores identidem appellant ſagas, meretrices, adulteras, & ſingulariter quando ex vindicta jaciunt ejuſmodi verba. Haec, & alia huc facientia declaro pluribus, & probo *in Theolog. Jurid. Moral. Cap. 29. Sect. 1.* tenente *Quintum locum in meo Quinario*, qui Quinarius jam coeperat experiri Monachii tertium prelum tunc, cùm typos Einſidlenſes experiebatur, hic ipſe *XXIII. Caſus.* Porrò in allegato loco Quinarii etiam oſtendo, eſſe quidem marito permiſſam verberationem uxoris: tum ad ejus neceſſariam emendationem: tum etiam quandoque, ſed in rariſſimo caſu, ad praeciſam punitionem patrati delicti, illam tamen verberationem debere eſſe & raram, & moderatam, adeóque non ſimilem illi, quam exhibet hic 771

Caſus Mariti præferocis.

772 *QUi cùm uxorem perhoneſto loco natam, jam pridem verò unà cum marito elatam, & in proſcenium productam ſuprà* num. 720. *ita crudeliter verberâſſet, ut toto vultu liveret, aliquot diebus poſt coëgit illam in propriis ædibus ſecum ſaltare coram hoſpitibus, quos ad lautum prandium invitârat, atque adhuc inſultans miſeræ, oſtentavit eam ipſis:* Hæc ſanè non inficiabitur, ſe eſſe meam uxorem, etenim illam ſat probè ſignavi.

773 Obſervo tamen *cit. Cap. 29. num. 18.* non videri objurgatione dignos maritos, qui plebejas (etenim inter has, & nobiles facio diſcrimen cum P. Palao) uxores merobibulas, ſeu ebrioſas, aut ſectantes conſortia ſuſpecta, poſt gravem increpationem bis, térve fruſtra factam, ita caſtigant fuſte, vel pugnis, ut ſenſus doloris duret ad quatuor, aut quinque dies.

At quid videtur fuiſſe reſpondendum ad hunc

Caſum Merobibæ intolerandæ?

774 *QUæ cùm prope quotidie non ſolùm vinum oleret, ſed eo improbè maderet, atque rei domeſticæ adferret ſuâ vinolentiâ cladem non contemnendam, haud tamen emendaret ſe poſt objurgationes, & verbera non perfunctoriè, nec ſemel inflicta, quæſiit ex me ejus maritus, an ſibi fas eſſet, ei tollere appetentiam vini, præbito certo quodam pharmaco, minimè noxio valetudini?*

775 Et verò permiſiſſet Fornerus, quem refero *in citat. Lib. cap. 30. num. 8.* Sed ſicuti ego nolui tunc, & rurſum in alio ſimili Caſu ferre de ejuſmodi quæſtione ſententiam *definitivam*, ita etiam reſpondi illi miſero marito, me non poſſe ipſi eſſe autorem ejuſmodi actionis, interrogaret, ſi vellet, alium peritiorem me, ſentio ego quidem non improbabile, id licere, attamen in praxi nolo ſequi hunc meum ſenſum.

776 Quæritur II. *Quæ ſint officia patris in filios, ac filias?*

Reſp. I. Tenetur filios alere, abſolutè loquendo, *Leg. Si quis. à liberis* per totam. *ff. De cognoſcend. & alend. liber.* & ratio naturalis dictat id faciendum, quæ quidem ante primum triennium non exerit adæquatè ſuas vires, ſiquidem primo triennio tenetur mater alere ſuos liberos, *Cap. Ex literis. De converſ. infid.* Nomine *alimentorum* intelligendo aliud reſpectu patris, aliud reſpectu matris, etenim reſpectu matris intelligitur ſolum lac, plus enim, quàm lac non tenetur filio exhibere, ut proinde ad reliquas expenſas obligetur pater *primariò*, at mater ſolùm *ſecundariò*, ſeu in defectu patris. Hoc ipſo autem, quòd pater teneatur alere fili- 777
um, tenetur tum omnia ad vitam hîc, & nunc ſuſtentandam neceſſaria ſuppeditare: tum etiam in iis artibus, & facultatibus inſtruere, ut poſſit ſe ipſum adultus exhibere, ſicut crebrò loquitur Ulpianus *in cit. Leg. Si quis à liberis*, id eſt, alere, quod qua ratione intelligendum ſit de filiis quoque illegitimis, vide in dicta noſtra *Theolog. Jurid. Moral. Cap. 28.* ubi *Sect. 2.* explico, probóque indicata hîc, atque inſuper ediſſero, quatenus ſit fas, filios exponere ad januas hoſpitalium, aut divitum, item quatenus pater poſſit repetere expenſas, quas fecit in filium pro ſtudiis: item an avus nepotes, frater fratrem egentem alere teneatur, & ex illic probatis infero, eſſe à Confeſſariis graviter increpandos patres, qui ſua bona ita dilapidant, ut poſt mortem non ſuperſit, quo filii ſe alant, filiæ dotem adferre queant.

Unde ſubinferes, mortaliſſimè deliquiſſe 778
Zabulonitem, de quo ſuprà *num. 766.* non ſolùm, dum nullam ſtipendiorum partem miſit (ſi potuit) uxori, ſed etiam dum nomen dedit militiæ, deſtituens uxorem, ac tot infantes, ſi quidem manens domi poterat ſuo labore parare ſibi, iiſque victum. *Eod. Cap. 28. Sect. 3. & 4.* explico, an alendi ii, de quibus eſt dubium, an ſint filii, exponens argumenta, ex quibus tolli, aut non tolli poſſit tale dubium.

Reſp. II. Idem pater debet filiis, ultra ſu- 779
ſtentationem, educationem in bonis moribus, ac proinde in Religione Orthodoxa, & conſequenter correctionem, caſtigationémque neceſſariam juxta illud *ad Epheſ. 6. Vos Patres educate illos* (filios) *in diſciplina, & correptione Domini*, quæ quidem correptio, & caſtigatio quanta, & qualis permiſſa ſit, tam quoad verba, quàm quoad verbera, videre licebit in jam toties *citat. Lib. Theolog. Iurid. Moral. Cap. 29. Sect. 2.* tenente quintum locum in Quinario, ſeu *Tom. 2.* In qua etiam exhibeo octo Aphoriſmos, ſeu Regulas, ex propria experientia collectas, quas ſi Confeſſarius habeat in memoria, judicabit prudenter de maledictionibus, quibus parentes conſueverunt ſuos filios aut mariti uxores petere.

Quæritur III. *Quæ ſint officia Uxoris in ma-* 780
ritum, & in filios?

Reſp. I. Debet marito veram obedientiam, eſt enim vir caput uxoris. *1. Cor. 11. & C. hæc imago 33. quæſt. 5.* debétque hæc eſſe illi ſubdita, ſicut domino *Epheſ. 5.* adeóque peccat mortaliter negligendo, aut ſpernendo ejus imperia juſta, ſpeciatim verò quatenus negando debitum conjugale, dixi *Caſ. XVI. numero 609. & ſeqq.* ſicuti *Caſu XXII.* quatenus teneatur ei parere quoad mutationem domicilii.

II. De-

Digitized by Google

781 II. Debet quoque illum indigentem alere, ſi ipſe ſemet nequeat ob morbum, lepram, exilium, ad quod miſſus eſt ob debita. P. Sanchez *Lib. 9. Diſp. 4. Quid enim tam humanum eſt, quàm fortuitis caſibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem fieri?* textus elegans *in Leg. Si cùm dotem. 52. ff. Solut. Matrim.*

782 III. Eadem uxor tenetur ſuo lacte alere communes liberos, quamdiu ſugunt, adeòque triennio, ſicut ſe feciſſe teſtatur omnibus Amazonibus fortior mater ſeptem Machabæorum *Lib. 2. cap. 7. verſ. 27.* Sicut & ego teſtor, menſe Octobri Anni 1673. habuiſſe me longum colloquium cum

Homine Suevo.

Qui oriundus è parochia Seyttingenſi hujus Diœceſis, probè barbatus, atque perrobuſtus mihi coram duobus aliis aſſeverantiſſimè dixit, ſe ipſis quinque Annis etſi bene valentem ſuxiſſe ubera matris, & quidem ultimo Anno abſque arbitris, eò quòd puderet facere coram aliis.

Imò filios patre deſtitutos, ut & ab eo neglectos, ſi hi nequeant ſibi parare alimenta, ratio naturalis imperat matri, ut nutriat; quamquam P. Laymannus *Lib. 5. Tract. 10. Part. 3. cap. 5. num. 7.* & Antonius Teſſaurus *deciſ. 211. num. 9.* obſervant, hanc obligationem devolvi priùs ad liberorum avum paternum, quàm ad matrem ipſam, & favet quidem apertè lex *Si quis à liberis. ff. De liber. agnoſc. §. Virùm autem*, ſed uſus præſentium temporum obnuntiat in quibuſdam locis.

783 IV. Bona quoque filiorum educatio pertinet ad matrem. Licèt enim *primariò* incumbat patri tanquam capiti, attamen ubi deficit pater, debet ipſa ſupplere, adeòque gerere curam ſpiritualem filiorum. P. Filliuc. *Tract. 28. Part. 2. cap. 22.* præſertim circa res fidei, ac religionis. P. Tannerus *Tom. 4. diſp. 6. quæſt. 4. dub. 4.* Unde tradidi *Tract. præced. Caſ. XI. n. 221.* cum tot DD. illic nominatis, prorſus impium, & nulla conſuetudine excuſabile eſſe pactum, quo Catholica mulier nubens viro hæretico, convenit cum illo de ſolis filiabus à ſe inſtruendis in fide Catholica, filiorum autem inſtructione relinquendâ integre patri hæretico.

784 V. Hinc etiam infertur, poſſe liberos à matre quoque caſtigari verberibus: tum quando hic abeſt domo: tum etiam quando ipſe eſt domi, & tamen non fungitur officio paterno, ut oſtendit & praxis communis, & ratio, quia nimirum mater eſt in adminiſtratione familiæ ſocia mariti, eique inſultarent liberi, ſi non haberet jus verberandi. Accedit, quòd *Leg. Unic. C. De emendat. propinquorum*, fiat abſolutè poteſtas ſenioribus propinquis puniendi vitia minorum.

Quæritur IV. *Quæ ſint viciſſim officia filiorum in parentes?* 785

Reſp. Ex PP. Azor. *Part. 2 lib. 2.* Reginald. *toto Lib. 20.* Filliucio *Tract. 28.* ſequentia.

I. Debent iis reverentiam, obedientiam, amorem, ut omnes nôrunt ex quarto præcepto Decalogi, ut proinde mortaliter peccent, qui parentes afficiunt triſtitiâ, per verborum aſperitatem, contemptum, inobedientiam; inobedientiam, inquam: tum in temporalibus: tum maximè in ſpectantibus animæ ſalutem, ut quando avocant illos à prava ſocietate, luſu perdito alearum, &c.

I. Debent iis ſuccurrere preſſis gravi neceſſitate corporali, aut etiam ſpirituali, proindéque jure gentium tenentur præſtare iis egentibus alimenta, eámq; ob rem, quando pater aut mater exiſtit in gravi neceſſitate, nequit filius, invitis illis, fieri Religioſus, ſi nemo ſit alius, qui poſſit, & ſimul velit ſuccurrere. Imò etiam poſt Profeſſionem tenetur, ſi aliter nequeat ſuppetias ferre, redire ad ſæculum pro iis juvandis, ſi poſt Profeſſionem filii inciderunt in illam gravem neceſſitatem. Cæterùm nequaquam tenentur, *per ſe loquendo*, eis obedire vetantibus valedicere mundo, tunc enim locum habet illa comminatio Chriſti: *Qui non odit patrem, & matrem, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* 786

III. Contra venerationem eis debitam delinquit mortaliter filius, etiam leviter verberando patrem, matrémve, imò ſecundùm aliquos, ſi duntaxat tollat manum ad percutiendum. Certè non eſt, qui non graviſſimè ſentiat hanc manûs elationem, ſi non ſit neceſſaria ad ictus excipiendos, ſicuti nulla jura permittunt, ut filius accuſet patrem, aut matrem, vel dicat contra hos teſtimonium in judicio, niſi propter crimen læſæ Majeſtatis. 787

Quæritur V. *Ad utrum conjugum ſpectet adminiſtratio familiæ, & bonorum?* 788

Reſp. I. *Per ſe loquendo* ad maritum, utpote caput, ſpectat utrumque, ut proinde in ſervos, ancillas, operarios, temporis diurni diſtributionem, tractationémque in cibo, & potu, non habeat uxor plus juris, quàm ei permittat maritus tacitè, vel expreſſè. Cenſetur autem in dubio permittere omnia, quæ ſolent ab aliis maritis permitti uxoribus illius conditionis, prudentiæ, virtutis, cujus eſt ea. Et quando maritus eſt amens, fatuus, vel abſens, gubernatio familiæ recumbit in uxorem, niſi à Magiſtratu, vel à marito ante diſceſſum ſit facta alia diſpoſitio, ſi quippe nihil aliud ſit peculiare ordinatum, poterit facere omnes illos moderatos ſumptus, quos ſolebat maritus ante amentiam, aut diſceſſum, imò etiam illos, quos ipſa judicat expedire. P. Leſſius *De Juſt. Cap. 12. num. 80.* P. Reginald. *Lib. 4. num. 279.* 789

Digitized by Google

279. P. Dicaſtillo *Lib. 1. De Iuſt. Tract. 2. diſp. 9. num. 201.* contra Navarr. *Cap. 17. n. 153.* nam in ejuſmodi caſu mater eſt caput filiorum, & gubernatrix domûs. Petrus Navarr. *De Reſtit. Lib. 3. n. 87.*

790 II. Habet eadem uxor plenum dominium ſuorum bonorum paraphernalium *Leg. Hac lege. C. De pactis conventis*, illorum, inquam, quæ præter, ſeu ultra dotem attulit marito, vel hæreditate acquiſivit, conſtante Matrimonio, quò etiam referuntur à P. Molina *Tract. 2. Diſp. 280.* illa bona, quæ ſuâ induſtriâ, ſuarúmque manuum labore, citra mariti cooperationem, comparat uxor poſt exhibitas illas operas, quas in familiæ adminiſtratione præſtare tenetur. Quamquam in plurimis locis, ſicut hîc etiam Conſtantiæ, adminiſtratio bonorum etiam paraphernalium ſpectat ad maritum, qui ſine dubio graviſſimè contra juſtitiam, & cum onere reſtitutionis delinquit, ea, vel illorum magnam partem dilapidando; at verò non peccat uxor contra juſtitiam cum onere reſtitutionis, licèt partem illorum abliguriat, inſcio marito, nec enim perdit illorum dominium, quando eorum adminiſtrationem cedit marito, ſeu omnino ſponte, ſeu ex vi Legis, vel conſuetudinis.

791 III. Pro reſolutione dubiorum, quæ oriri ſolent circa uſurpationem bonorum, vel propriorum mariti, ut ſunt, quæ ſecum attulit ad Matrimonium, vel quæ lucratur linguâ, calamo, gladio, ſervitiis apud Principem, &c. vel communium, ut ſunt, quæ maritus lucratur, concurrente induſtriâ uxoris, vel hæc concurrente operâ mariti, notanda ſunt duo principia.

792 *Primum.* Uxor non eſt mancipium, vel ancilla mariti, ſed ejus ſocia, non planè expers omnis adminiſtrationis, & gubernationis familiæ, ac bonorum, ſed compos & ſocia, tametſi ea in re ſubjecta ſit viro, ceu capiti, ne quid inordinatè, ſuperfluè, profuſè faciat. Leſſius, Molina, Dicaſtillo, Cardin. de Lugo, quos refero *in Theolog. Iurid. Moral. Cap. 24. Sect. 1. & 2.* ubi ex inſtituto diſſero de hoc argumento.

793 *Alterum.* Quòd vir teneatur præſtare uxori, tanquam veræ matrifamilias, victum, veſtitum, & alia ejuſmodi, ſaltem mediocriter, hac mediocritate expenſâ juxta conditionem ipſiuſmet uxoris, & mariti, ut notant citati DD. Ex his duobus fundamentis, & principiis deduco *in cit. Sect. 2.* ac probo ſequentia *practica* corollaria.

794 *Primum.* Poteſt uxor facere eas alienationes, quas judicat neceſſarias, ad avertendum à marito grave malum corporale, ut morbum, carcerem, mortem, ſi videlicet maritus ſe ipſum ex avaritia, aut imperitia negligat in tali caſu, adeóque, quando non vult facere expenſas in medicinas, faciet *licitè* uxor ex bonis

795 communibus. Intelligo autem per bona *communia*, ut dixi, illa, quæ maritus & uxor acquirunt collato communi labore, & induſtriâ, ut ſunt, quæ lucrantur caupones, communes mercatores, laniones, praxatores cereviſiæ, & univerſim ii, qui plures famulos alunt ad ſuum laborem, ad horum enim ſuſtentationem debet multùm laborare uxor. Refero *ibid. num. 37.* Reginald. Leſſium, Bonacin. & Dicaſtillum docentes contra Molinam & Coninck, eſſe quoque fas uxori, ex iiſdem bonis facere eleemoſynas, curare Legi Sacra, perfici peregrinationes pias, pro ſalute ſpirituali mariti multùm flagitioſi.

Secundum. Poteſt uxor in ſuas, liberorum, 796 totiúſque familiæ neceſſitates, atque etiam in victum, veſtitum, medicinas accipere, & convertere tantum, quantum teneretur permittere maritus, poſito, quòd hic non ſubminiſtret talia. Quid verò liceat, quando maritus eſt amens, aut abſens, dixi ſuprà *n. 788.*

Tertium. Quando maritus bona commu- 797 nia ita dilapidat, ut periculum ſit, ne familia egeat, uxor *licitè* ſurripiet clam ea, quæ judicat fore inpoſterum ſibi, & familiæ neceſſaria, poteſtque in eo caſu diſponere de ſua parte pro libitu.

Quartum. Non delinquit uxor, dum ex iis 798 bonis impendit vel in recreationes congruentes ſtatui, & notoriæ conſuetudini mulierum ejus conditionis, cujus eſt ipſa, vel etiam in eleemoſynas, quando maritus eſt præparcus, vel in ſuorum ex priore Matrimonio liberorum, patris, matris, fratrum, ſororum verè egentium ſuſtentationem, vel in uſus, in quos concederet maritus, ſi interrogaretur, vel in uſus neceſſarios, in quos non ſolet maritus conſentire, niſi poſt rixas, & jurgia. Quamquam 799 in his omnibus laborandum, quoad poteſt, ut obtineatur conſenſus mariti, alioquin ſæpe poſſunt timeri graviora mala, quàm ſunt ea, ad quæ vitanda, ſeu emendanda fiunt illæ uſurpationes, & largitiones.

Quintum. Quæ hactenus dixi de uſurpatione, & erogatione bonorum communium, ex- 800 tendunt Mart. Navarrus, Petrus Navarra, Bonacina, Filliuc. à me *ibidem num. 52.* allegati, ad bona dotalia, propriáque mariti, quando communia non ſufficiunt, vel non adſunt. Et quamvis cenſeam, non eſſe laxandas habenas uxoribus, partim ob metum graviſſimorum diſſidiorum, partim ob debilitatem judicii, ob quam non rarò judicant, eſſe majorem neceſſitatem, quàm adſit, nihilominus tamen probo reſponſum, quod nonnemo dedit ad hunc

Caſum penultimum hujus Alphabeti.

Zoſimi locupletis pro ſuo ſtatu opificis uxor 801 *habet ſororem, aliquot liberorum matrem, eámque viduam, ſed ita egentem, ut*

Digitized by Google

nequeat ſe; liberóſque alere niſi mendicando clàm, vel, quod ipſi valde probroſum eſt, palàm. Quare inſcio, & ſi reſciret, valde agrè laturo marito, dat ſorori jam farinam, jam butyrum, & tempore ægritudinis vinum, quandoque etiam aliquid pecuniarum, ita, ut hæ largitiones clancularia facilè per Annum aſcendant ad novem ſcuta Romana, ſeu ſedecim florenos Rhenanos, ita tamen, ut nullum incommodum poſſit inde ſentire maritus. Quærit ex ſuo Confeſſario, an graviter delinquat, necne? Reſpondet Confeſſarius: Si cæteroquin vel nullas alias eleemoſynas facias, vel admodùm exiguas, non videris peccare; ſecùs, ſi jam alias largas.

802 Hoc reſponſum ego approbo, etiam ea de cauſa, quòd *in cit. Libro, eâd. Sect. 2. num. 45.* referam Dianam *Part. 5. Tract. 8. Reſol. 22.* docentem poſt Granadam, & alios quoſdam, quando maritus eſt præparcus erga egenos, uxori competere jus erogandi in eos vigeſimam partem annuorum redituum, adeóque annui lucri. Ego dicerem tali uxori: *Si amas ſincerè ſororem, & conſcientiæ quietem; minue aliquid de ſuperfluo cultu corporis, & applica illud ſorori.*

APPENDIX I. *Contentioſa.*

803 Quæres fortè ſextò, quandoquidem lex divina, atque naturalis præcipit, ut viri diligant uxores ſuas, hæ viros ſuos, utrùm huic utrique Legi adverſetur amor, quem exhibet hic

Caſus Poſtremus.

804 *Zoticus vir Nobilis, & pius, utpote qui conſuevit bis, térve in menſe animam purgare, nutriréque Sacramentis Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, Matrimonio junctus honeſtiſſimæ uxori, & cum eâ, ut par eſt, habitans; fertur tanto amore in Zoën olim ancillam ſuam mulierem innuptam, atque valde piam; ut difficillimè careat ejus conſpectu, alloquio, converſatione honeſtis; vice verſâ ita oblectetur hiſce, ut quando ipſi triſti, & melancholico ob abſentiam honeſtè, caſtéque dilectæ, eâ advenit, ſicuti advenit ſexies, aut ſepties in Anno, non ſponte, ſed invitata, diſpellatur omnis mœror, & planè ſe habeat Zoticus inſtar æſtuantis, cui frigida affunditur. Amor autem ille non naſcitur ex ulla impura imaginatione, deſiderióve turpi, ſed ſolùm, & unicè ex imaginatione (quam non niſi multò ægerrimè excludere valet) quarundam naturalium, nullam planè obſcœnitatem præ ſe ferentium dotum, ut ſingulariter ingenii ſagacis, acutíque, pergrati eloquii, concinnitatis in exhibenda reverentia, perhoneſtæ formæ corporis, eximiæ fidelitatis, atque dexteritatis in exequendis, quæ demandantur.* 805
Quamvis autem amor ille, ut dixi, non feratur in objectum ullum impudicum, nihilominus tamen ſtudio vitandi ſcandala aliorum, ſuíque ipſius ruinam ſpiritualem (quam non ſemel fuit ante aliquot Annos expertus, dum ſibi peregre degenti ancillabatur Zoë) amovit illam Zoën à ſuis ædibus, contentus per Annum ſenâ, vel ſeptenâ converſatione cum illa, idque ſemper in aliquorum præſentia, & abſque ullo, etiam per ſe honeſto tactu, abſque verbis ullum turpem amorem, utpote qualem nunquam in ſe exſurgere animadvertit, indicantibus.

Quæritur igitur, utrùm hiſce ſtantibus ille amor, quem deſcripſimus, repugnet contrariè amori conjugali, ita ut Zoticus non ſit capax abſolutionis, ſi non conetur ſeriò illum exuere.

Eſſe capacem, negavit vir perquam pius, 806
àc doctus (placet indigitare Flaminium) ſcripto, in aliorum, & meas quoque manus perlato, quo etiam me confutare moliebatur, utpote diſſentientem, meúmque diſſenſum etiam ſcripto teſtantem, quo dabam conſultus ab eodem Zotico, reſponſum, ad quæſtionem aliquam, neceſſariò ſupponens ejuſmodi conjugatum non delinquere mortaliter *per ſe loquendo*, tametſi amorem illum extirpare non magnopere niteretur.

Rationem fundamentalem ſui judicii pro- 807
ponit Flaminius hiſce verbis: „Affectus taliter intenſus in Zoën, qualiter deſcribitur à Cajo (per Cajum intelligit ipſe eum, quem ego Zoticum nomino) eſt ex ſe contrarius fidei conjugali, ergo deponendus eſt, & contra ipſum pugnandum eſt, & omnia colloquia, & conventiones eum foventes amputandæ. Probatur antecedens: Matrimonium communiter definitur eſſe viri & mulieris conjunctio individuam vitæ conſuetudinem continens, divini, humaníque juris communicatio *Cap. 2. 27. q. 2.* ubi Gloſſa *in verb. Retinens.* Innocent. *in Cap. 3. De ſponſ.* & Juſtin. Imper. *Inſtit. De patria poteſtate in princ. juncta Leg. 1. ff. De ritu nupt.* Licèt autem Juſtinianus ultima illa verba (*divini humaníque juris communicatio*) in ſuis Inſtitutionibus non apponat, tamen ſupplenda eſt lex per alteram legem, & vetus ad novam legem debet trahi *Leg. Sed & poſteriores. ff. De leg.* Et *Leg. Non eſt novum, cum ſeq. eod.*

Cum

808 Cùm ergo dicitur in definitione (conjunctio) intelligendum eſt de animarum conjunctione, non corporum, ut communiter Authores, Legiſtæ, & Canoniſtæ omnes, & in primis Petrus Nicolaus Mozzius *Tract. De contractibus*, quippe cùm conſenſus, non concubitus nuptias faciat *Leg. Nuptias. ff. De Regul. juris Cap. Matrimonium. 27. quæſt. 2.* Conſenſus porrò iſte (ut notat præfatus autor) non conſiſtit in conſenſu in carnalem copulam, quoniam inter Joſeph, & Virginem Mariam verum Matrimonium non fuiſſet, quippe quorum conſenſus in carnalem copulam nunquam ferebatur, ſed (ut ait Mozzius) debet eſſe conſenſus individuæ conſuetudinis invicem habendæ, hoc eſt, ut ita vir ſe exhibeat uxori, ſicut illam exhiberi cupit Ex quibus iterum ſic infero: Quod eſt contrarium animorum conjugatorum conjunctioni, eſt contrarium ipſi fidei conjugali. Atqui affectus (taliter ab ipſo Zotico deſcriptus) verſùs Zoën, eſt contrarius per ſe, & inevitabiliter conjunctioni animorum Zotici, & propriæ conjugis, ergo eſt contrarius fidei conjugali. Major probatur, quia quod eſt contrarium parti eſſentiali, & eſſentiæ Matrimonii, eſt etiam ipſi fidei conjugali contrarium, ſed conjunctio animorum eſt eſſentia Matrimonii (prout ex allata autoritate probatum) ergo &c. Minor, quòd affectus ille intenſus (ultro patefactus, & conceſſus) contrarius ſit conjunctioni animorum, ſic probatur. Averſio à conjuge, & converſio ad aliam, eſt contraria conjunctioni animorum conjugatorum, ſed iſte affectus importat, & involvit converſionem ad aliam, & averſionem à propria conjuge, ergo contrarius eſt conjunctioni animorum. De converſione dubium non eſt, non enim tantùm fatetur Zoticus, converſum eſſe cor ſuum in Zoën, ſed penitus eſſe ipſi conglutinatum, licet non in ordine ad tactum, vel actum libidinoſum. Quoad averſionem autem à propria conjuge, neceſſariò debet & conſequenter contingere; dum enim affectus eſt ad unum terminum, AD QUEM convertitur, ab altero, A QUO debet recedere, & averti, nihil enim contrariis motibus moveri poteſt.

809 Hactenus verba, fundamenta, mens illius viri optimi, & mihi quidem venerandi, at nihilominus (ſalvâ Charitate, & cùm modeſtia Religioſa) confutandi, ob juſtam defenſionem mei contrarii, & non ab uno viro docto probati
810 reſponſi. Dico igitur, me non poſſe ſubſcribere aſſertioni, qua dicitur, quòd affectus talis, qualem deſcripſi, ſit ex ſe contrarius fidei conjugali, ac proinde neceſſariò, quoad fieri poteſt, deponendus. Ratio eſt, quia id, quod Flaminius producit ex Mozzio, videlicet eſſe de eſſentia Matrimonii talem animorum conjunctionem, *ut vir ita ſe exhibeat ergo uxorem, ſicut illam exhiberi ſibi vult, adeòque conjux totus convertatur in conjugem, eò quòd converſio in aliam, vel aliam ſit averſio à legitimo conjuge, cùm res nulla poſſit contrariis motibus cieri*, eſt in his terminis inauditum Theologis, nec aptè refertur pro illo effato Mozzius, utpote adferens explicationem ſui dicti, nihil facientem ad intentum Flaminii, ſiquidem ille I. C. *in Lib. De Contractibus Tract. poſtr. ſeu De nupt. Tit. De Matrimonio, num. 4. fol.* mihi *987.* illam conjunctionem, exhibitionémque exprimit, explicátque hiſce verbis: *Iſte conſenſus* (quo ſolo cauſatur prima perfectio Matrimonii, ut præmittit *num. 3.*) *debet eſſe non cohabitationis &c. non etiam in copulam &c. ſed debet eſſe individuæ conſuetudinis invicem habendæ, hoc eſt, ut ita vir ſe exhibeat uxori, ſicut illam ſibi exhiberi cupit, ita* NB. *ut vir nec ſine uxoris conſenſu Religionem profiteri, vel Ordinationibus vacare poſſit, ut inquit Text. in Cap. Sufficiat. §. final. 21. quæſt. 2.* Ita Mozzius hanc in rem, nec plura, tametſi diſtinctè proponat, elucidétque conditiones reliquas hujus conſenſûs, igitur inutiliter allegatur pro illa doctrina Petrus Nicolaus Mozzius.

Et verò ſi illa de mutua exhibitione doctri- 811
na, eſt, (ut jacet, & ut intelligi vult, ſi quid per eam probare intendat Flaminius,) vera, ſequitur, hanc fore Theologicam, & legitimam ratiocinationem. Omnes, aut plerique mariti volunt, & meritò quidem, ut uxores ita ſe exhibeant erga ipſos, ut ab uxoribus nunquam petantur conviciis, aut verberibus, etiam ſolius correctionis causâ: non regantur ab iis ipſi, aut familia: non prohibeantur conſtituere lares, ſuſcipere aliquod munus, aut officium, apud hunc aut illum Dominum, aut Principem: celebrare varios contractus, adire publicas, ex aliqua rationabili cauſa, tabernas vinarias, cereviſiariáſque, exire libere domo non indicando uxori, quò eant, ludere chartis moderatè, & expoſitâ pecuniâ: libere, ac ſine ulla facultate accedere alienas virorum, viduarúmque minimè ſuſpectarum ædes, & ſexcenta alia, ergo & mariti obligantur ita ſe viciſſim exhibere erga conjuges, ut ni hoc faciant, ſeu permittant uxoribus, pereat debita conjunctio animorum, ac proinde eſſentialis pars Matrimonii. At quis hæc admittet?

Et ſi alterutrius conjugum converſio per 812
vehementem, meréque naturalem, & ex parte *formalis* objecti non vitioſum amorem, inclinationémque in extraneum, vel extraneam, eſt *eſſentialiter* averſio ab altero, & quidem averſio deſtruens eſſentiam Matrimonii, quia conjunctionem animorum eſſentialem deſtruxerint, neceſſe eſt, hanc illi ex antiqua Lege omnes, qui è duabus uxoribus habebant unam dilectam, alteram odioſam, imò ſæpe odioſiſſimam hanc, dilectiſſimam illam. Everterit eandem eſſentiam Jacob Patriarcha inexplicabili amore proſequens

quens

quens ſuam de futuro NB. ſponſam Rachelem, non niſi vulgari Liam de NB. præſenti, & rigidiſſimè uxorem. Quid dicemus de Davide, cui Abigail, atque Bethſabee fuêre chariores multò reliquis? Quid de ejus filio Salomone, qui amore ardentiſſimo copulatus fuit filiæ Pharaonis, atque aliis Reginis? An cœteræ deſiverunt eſſe veræ conjuges, utpote reſpectu quarum extincta fuit conjunctio eſſentialis, inducta verò averſio repugnans eidem conjunctioni? An illam eandem averſionem involvit amor incomparabilis, aut ſummus, tenerrimus, quo idem Rex David diligebat Jonatham *ſicut animam ſuam?*

813 An is, quo conjuges utriuſque ſexûs feruntur in proprios patres, matres, ſorores, liberóſque, & quandoque in prioris conjugii jam elatos, elatáſque conſortes? Quid nominatim de viris, qui aliorum virorum, juvenúmque converſatione, cantu, confabulatione, ita oblectantur, ut quando more noſtri Zotici obruuntur gravi melancholiâ, levent illi ſoli viri, non autem aliæ blanditiæ uxoriæ?

Hæc ſanè, atque hiſce ſimilia manifeſtè demonſtrant, converſionem affectivam unius conjugis erga extraneum, non eſſe aut ullo modo vocandam averſionem à proprio conjuge, aut certè non talem averſionem, quæ per ſe loquendo contineat ullam culpam Theologicam, etiam venialem, multò minùs lethiferam, qualis neceſſariò foret, ſi exturbaret conjunctionem animorum eſſentialem conjugio.

814 Quia verò non ſufficit tantæ, támque ſeu raræ, ſeu omnino novæ controverſiæ funditus explicandæ, diluere argumenta impugnantia unam partem, niſi proponantur oſtendentia impugnatæ veritatem, idcirco argumentor breviter in hunc modum: Omnis actus moralis eſt bonus, vel malus principaliter ex objecto, & fine, ſecundariò ex circumſtantiis. S. Thom. *1. 2. quæſt. 19.* per totum, & nominatim malum moris contingit ex voluntate per hoc, quòd deficit ab ordine rationis, & proprii finis. Idem S. D. *1. 2. quæſt. 78. art. 1. in Corp. & ad 3.* Atqui amor Zotici in Zoën non eſt ſaltem graviter, mortalitérve malus ex objecto, vel fine, ut per ſe eſt evidens ex ſpecie facti, nec deficit ſaltem graviter ab ordine rationis. Si enim deficit graviter, tunc ſanè hic defectus oritur ex nimia intenſione; atqui actûs intenſio non efficit *per ſe* mortalem actum illum, qui *per ſe*, aut *ſecundùm objectum* non eſt mortaliter malus, ut nôrunt omnes. Igitur non tenetur Zoticus, de quo eſt Caſus, *per ſe* ſub mortali incumbere in vel extirpationem, vel ſaltem imminutionem tanti affectûs, atque amoris. Ergo ad hanc ſeu extirpationem, ſeu imminutionem non adigit eum ſub culpa mortali certum quidquam, niſi periculum *morale* gravis mali, in ſe, aut in aliis inde orituri, quale foret, ſi Zoticus hinc incitaretur efficaciter ad turpia, vel ad odium, contemptúmve uxoris propriæ, vel ad aliquid agendum, quod aliis foret occaſio ruinæ ſpiritualis.

At inquies: *Tam vehemens amor incitat Zoticum ad quærendas occaſiones alloquendi, complures comburendi horas cum Zoë.* 815

Reſpondeo. Si colloquia, atque alia ejuſmodi nullam ex ſe contineant gravem malitiam, non ſunt ex ſe graviter illicita illi, imò nec per accidens, niſi ratione propriæ ruinæ, aut alienæ. Ratione ruinæ propriæ tunc ſolù erunt ipſi interdicta graviter per legem divinam, & naturalem, quando aderunt ea, quæ Theologi exigunt ad conſtituendam occaſionem proximam peccandi inexcuſabilem. Quænam autem ſint ea, vel ex aliorum, vel ex mea quoque opinione declaravi ſuprà *Tract. 7. num. 527.* Ratione ruinæ alienæ reddentur illicita, 816
ſi nôrit Zoticus, ea conventicula, ut ita loquar, vel eſſe noxia animæ Zoës, vel præbere aliis ſcandalum non merè Phariſaicum, ſed puſillorum, adeóque activum, quando erit reddita cauſa talium colloquiorum, & converſationum, innotueritque, nihil planè fuiſſe actum clanculo, ſed omnia coram honeſtis perſonis, nihil pravum animadvertentibus, ſic enim docet S. Thom. *2. 2. quæſt. 43. art. 7. & 8. in corp.* tradens, adeſſe ſcandalum Phariſaicum, quando poſt redditam cauſam rationabilem hujus, aut alterius actionis, pergit nihilominus proximus judicare malè, aut occaſionem alterius peccati ſumere. Quæ doctrina eſt ita mihi perſuaſa, ut cenſeam, ſuſtineri poſſe, etiamſi Zoticus fuiſſet (quod abſit) aliquot Annis ante extra lares proprios e. g. in militia uſus dictâ Zoë velut concubinâ, modò enim conſtet, utrumque reſipuiſſe, factâ etiam notoriâ ſeparatione habitationis. ſublatis omnibus clanculariis conventiculis, ſubſecutâ autem illâ, de qua in ſpecie facti, Sacramentorum publicâ frequentatione, atque obtentâ propriæ conjugis compaſſione ob moleſtiſſimam melancholiam, non aliter ſedandam, quàm illo ſatis exotico pharmaco, converſationis ſingulis bimeſtribus, aut ferè menſibus, veritatem ſuam obtinebit data reſolutio.

Sed objicit Flaminius: Si uxor Philoponi e. 817
g. fuiſſet concubina Landolphi famuli ſui, nemó etiam poſt manifeſtam emendationem, excuſaret eam, ſi, ob neſcio quos manes melancholicos diſpellendos, eum ad ſe accerſeret, cur ergo excuſetur Zoticus?

Reſpondeo: A diverſis non valet illatio, eſt autem longè alia ratio notoriæ adulteræ concubinæ, quàm notorii adulteri concubini. 1. Quia nec Chriſtiani, nec Ethnici faciunt fœminis, bonæ, malæve famæ, nuptis, aut innuptis tantum jus advocandi, ſeu etiam adeundi, vel admittendi ad ſe viros, quantum viris advocandi, admittendique fœminas. Hoc novit, quiſquis vel auditione, vel lectione percepit aliquid de Italorum, Hiſpanorum, Sinenſium, olim Romanorum &c. moribus, & inſti-

Digitized by Google

inſtitutis. Unde multò faciliùs ſcandalizantur omnes, quando ſeu ſolutæ, ſeu ligatæ vocant, vel admittunt ad ſuas ædes aliquem alienum, ſingulariter aliquando infamem à libidine, quàm quando viri fœminas.

818 Accedit, quòd concubinatus uxoris ſit marito longè probroſior, quàm viri uxori, ideóque longè graviùs punitur in illa, quàm in hoc. Vide tragicam planè necem ſororis adulteræ, quam ex Cardinali Pallavicino deſcripſi ſuprà *num. 723*. Quibus de cauſis fit, ut nemo credat, affectum tam ingentem concubinæ in concubinum eſſe merè naturalem, credant autem faciliùs de concubino palam emendato, quem ſciunt potuiſſe, ſi voluiſſet, intra tantùm temporis potiri, ſi non copulâ, fortè ob reſiſtentiam concubinæ, certè oſculo, amplexu &c.

819 Ex quibus fit, non eſſe *moraliter* poſſibile, ut abſque multis, & quidem puſillorum ſcandalis, peccatiſque vel externorum, vel mariti proprii, vel hujus, vel illorum ſimul, permittatur concubinæ id, quod in hoc genere indicavi, permitti poſſe Zotico, ſervatis ſervandis, atque à me expreſſis, nominatim ſublato periculo Zoës, ſicuti ego ipſe disertè expreſſi *lit. h.* Quin imò in illo ipſo reſponſo, quod refutandum ſuſcepit Flaminius, ſcripſeram, licèt ea, quæ reſolveram in partem mitiorem, viderentur mihi vera, attamen nolle me eſſe approbatorem, id eſt excuſatorem talis converſationis, ſi Zotici Confeſſarius, omnes circumſtantias perſpectas habens, perſpecta quoque ea, quæ ſcripſeram, judicaret, eſſe neceſſariò abſtinendum à conſortio tali, aut tali, nam ſingulariter eſſe de confeſſariis intelligendam ſententiam Salvatoris: *Qui vos audit, me audit.* Ita expreſſè ego, prudenter timens, ne forte ſupervenirent aliqua, quæ ſi ſuperventura putâſſem, aliter reſoluturus fuiſſem. Noveram quoque, Zoticum non ſolere ſuam conſcientiam exonerare, niſi apud Religioſos cujuſdam Ordinis conſpicui laude animarum zeli.

APPENDIX. II. CLEMENTINA.

820 QUod recepi in fine Appendicis *Caſûs XIII.* id nunc præſto, adeóque verbatim exhibeo Inſtructionem circa examen teſtium matrimonialium, quam Clemens X. edidit Anno, & die infrà notatis; eſt autem illius tenor hujuſmodi.

821 FERIA V. DIE 21. AUGUSTI 1670.

In Congregatione Generali S. Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis habita in palatio Apoſtolico montis Quirinalis coram Sanctiſſimo Domino Noſtro

D. CLEMENTE

Divinâ providentiâ Papâ X. Ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra Hæreticorum pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

822 *CUm aliàs per Sacram Congregationem Sancti Officii iteratis Inſtructionibus ab eadem emanatis de Anno 1658. & 1665. locorúmque Ordinariis tranſmiſſis, proviſum fuerit, ut præſcriptis Interrogatoriis faciendis Teſtibus, qui ad probandum ſtatum liberum contrahentium Matrimonium inducuntur, omnis prorſus ſecluderetur aditus iis, qui adhuc vivente altero conjuge, aut aliàs impediti ad ſecunda illicita vota tranſire ſatagebant: Videns nihilominus Sanctiſſ. D. N. quàm plures locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios, & Deputatos ad excipiendas teſtium depoſitiones, nec non Parochos, & Notarios in caſibus expreſſis, aut omittere, aut non obſervare earundem Inſtructionum tenorem: Et licèt aliquando plenè obſervent, non tamen interrogare teſtes ſuper aliis impedimentis dirimentibus.*

823 *Ideò volens Sanctitas ſua prædictis malis occurrere, re maturè conſideratâ cum Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus Generalibus Inquiſitoribus, præſenti Decreto perpetuis futuris temporibus duraturo iterum injungit omnibus Vicariis, ſeu deputatis pro examinandis Teſtibus ad probandum ſtatum liberum contrahentium Matrimonium, nec non Parochis, Notariis, & quibuſcunque aliis reſpectivè, ſub pœnis etiam gravibus corporalibus arbitrio Sacræ Congregationis, ut inſtructionem infrà ſcriptam ad unguem obſervent.*

824 *Ut autem præſens Decretum, & Inſtructio ad omnium notitiam faciliùs deveniant, decrevit illa ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, hac in acie Campi Floræ de Urbe, ac Palatio Sancti officii ejuſdem Urbis per aliquem ex Curſoribus Sanctitatis ſuæ publicari, ac eorum exempla ibidem affixa relinqui, illáque ſic publicata omnes & ſingulos, quos concernunt, poſt duos menſes à die publicationis in Urbe facienda numerandos, perinde afficere, ac arctare, ac ſi illorum unicuique perſonaliter notificata, & intimata fuiſſent.*

INSTRUCTIO

Pro examine illorum Teſtium, qui inducuntur pro contrahendis Matrimoniis, tam in Curia Eminentiſſ. & Reverendiſſ. D. Cardin. Urbis Vicarii, quàm in aliis Curiis cæterorum Ordinariorum.

825 *INprimis Teſtis moneatur de gravitate juramenti in hoc præſertim negotio pertimeſcendi, in quo Divina ſimul, & humana Majeſtas læditur, ob rei, de qua tractatur, importantiam, & gravitatem, & quòd imminet pœna Triremium, & fuſtigationis deponenti falſum.*

2. In-

2. *Interrogetur de nomine, cognomine, patria, ætate, exercitio, & habitatione.*

3. *An ſit Civis, vel Exterus, & quatenus ſit Exterus, à quanto tempore eſt in loco, in quo Teſtis ipſe deponit.*

826 4. *An ad examen acceſſerit ſponte, vel requiſitus, ſi dixerit, acceſſiſſe ſponte à nemine requiſitum, dimittatur, quia præſumitur mendax. Si verò dixerit, acceſſiſſe requiſitum, interrogetur à quo, vel à quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, & quoties requiſitus fuerit, an ſciat, adeſſe aliquod impedimentum inter contrahere volentes.*

5. *Interrogetur an ſibi pro teſtimonio hoc ferendo fuerit aliquid datum, promiſſum, remiſſum, vel oblatum, à contrahere volentibus, vel ab alio ipſorum nomine.*

6. *Interrogetur, an cognoſcat ipſos contrahere volentes, & quanto tempore, in quo loco, qua occaſione, & cujus qualitatis, vel conditionis exiſtant.*

827 7. *Interrogetur, an contrahere volentes ſint Cives, vel Exteri: ſi reſponderit, eſſe exteros, ſuperſedeatur in licentia contrahendi, donec per literas Ordinarii ipſorum contrahere volentium, doceatur, de eorum libero ſtatu, de eo tempore, quo permanſerunt in ſua Civitate, vel Diœceſi.*

8. *Ad probandum verò eorundem contrahere volentium ſtatum liberum pro reliquo temporis ſpatio, ſcilicet, uſque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur teſtes idonei, qui legitimè, vel concludenter deponant ſtatum liberum contrahere volentium, & reddant ſufficientem rationem cauſæ eorum ſcientiæ, abſque eo, quòd teneantur deferre atteſtationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.*

828 Si verò reſponderit, contrahere volentes eſſe Cives,

9. *Interrogetur, ſub qua Parochia hactenus contrahere volentes habitârunt, vel habitent de præſenti.*

Item an ipſe Teſtis ſciat, aliquem ex prædictis contrahere volentibus quandoque habuiſſe uxorem, vel maritum, aut profeſſum fuiſſe in aliqua Religione approbata, vel ſuſcepiſſe aliquem ex ordinibus Sacris, Subdiaconatum ſcilicet, Diaconatum, vel Presbyteratum, vel habere aliud impedimentum, ex quo non poſſit contrahi Matrimonium.

Si verò Teſtis reſponderit, non habuiſſe uxorem, vel maritum, neque aliud impedimentum ut ſuprà.

10. *Interrogetur de cauſa ſcientiæ, & an ſit poſſibile, quòd aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, aut aliud impedimentum &c. & quòd ipſe Teſtis neſciat.*

Si reſponderit affirmativè, ſuperſedeatur, niſi ex aliis teſtibus probetur concludenter, non habuiſſe uxorem, vel maritum, neque ullum impedimentum, &c.

Si verò reſponderit negativè, 829

11. *Interrogetur de cauſa ſcientiæ, ex quo deinde Iudex colligere poterit, an Teſti ſit danda fides. Si reſponderit, contrahere volentes habuiſſe uxorem, vel maritum, ſed eſſe mortuos.*

12. *Interrogetur de loco, tempore, quo ſunt mortui, & quomodo ipſe Teſtis ſciat, fuiſſe conjuges, & nunc eſſe mortuos. Et ſi reſpondeat, mortuos fuiſſe in aliquo Hoſpitali, vel vidiſſe ſepeliri in certa Eccleſia, vel occaſione militiæ ſepultos fuiſſe à militibus, non detur licentia contrahendi, niſi priùs recepto teſtimonio authentico à Rectore Hoſpitalis, in quo prædicti deceſſerunt, vel à Rectore Eccleſiæ, in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel ſi fieri poteſt, à Duce illius cohortis, in qua deſcriptus erat miles. Si tamen hujuſmodi teſtimonia haberi non poſſunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de Iure communi poſſunt admitti, dummodò ſint legitimæ, & ſufficientes.*

13. *Interrogetur an poſt mortem dicti Conjugis defuncti, aliquis ex prædictis contrahere volentibus tranſierit ad ſecunda vota.* 830

Si reſponderit negativè;

14. *Interrogetur, an eſſe poſſit, quòd aliquis ex illis tranſierit ad ſecunda vota, abſque eo, quòd ipſe Teſtis ſciat.*

Si reſponderit affirmativè, ſuperſedeatur in licentia, donec producantur Teſtes, per quos negativa coarctetur concludenter. Si verò negativè,

15. *Interrogetur de cauſa ſcientiæ, qua perpenſâ, Iudex poterit judicare, an ſit concedenda licentia, vel non.*

16. *Si contrahentes ſunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, niſi doceant per fidem Ordinariorum ſuorum eſſe liberos, & in aliis ſervatâ formâ Concilii Tridentini in Cap. Multi. Seſſ. 24.*

17. *Fides, aliáque documenta, quæ producuntur de partibus, non admittantur, niſi ſint munita ſigillo, & legalitate Epiſcopi Ordinarii, & recognita ſaltem per Teſtes, qui habeant notam manum & ſigillum, & attentè conſideretur, quòd fides, ſeu teſtimonia bene, & concludenter identificent perſonas, de quibus agitur.*

18. *Pro teſtibus in hac materia recipiantur magis conſanguinei, quàm extranei: quia præſumuntur meliùs informati, & Cives magis, quàm Exteri: nec admittuntur homines Vagi, & milites, niſi datâ cauſâ & maturo conſilio: Et Notarius exactè deſcribat perſonam Teſtis, quem ſi cognoſcit, utatur clauſulâ,* mihi bene cognitus: *ſin minùs, examen non recipiat niſi unà cum perſona Teſtis aliqua alia compareat cognita Notario, & quæ atteſtetur de nomine, & cognomine ipſius Teſtis, nec non de idoneitate ejuſdem ad teſtimonium ferendum. Et hujuſmodi examini-* 831

Digitized by Google

bus debet intereſſe in Urbe ultra Notarium, Officialis, ſpecialiter deputatus ab Eminentiſſ. Vicario: & extra Urbem, vel Vicarius Epiſcopi, vel aliqua alia perſona inſignis, & idonea ab Epiſcopo ſpecialiter deputanda, aliàs puniatur Notarius arbitrio Sacræ Congregationis, & Ordinarius non permittat fieri publicationes.

832 *19. Ordinarii præcipiant omnibus, & ſingulis Parochis in eorum Diœceſibus exiſtentibus, ut pro Matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Eccleſiis, niſi certiorato Ordinario, à quo, vel ejus generali Vicario priùs teneantur authenticam reportare, quòd pro tali Matrimonio fuerunt examinati in eorum Tribunali, qui probant ſtatum liberum contrahere volentium, &c.*

Contravenientes autem ſeverè punientur.

Franciſcus Ricardus S. Roman. & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

Loco † Sigilli

Anno à Nativit. D. IESU Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo, indict. octavâ, die verò 30. menſis Auguſti, Pontificatûs autem Sanctiſſ. in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis, Divinâ providentiâ Papæ X. Anno primo ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ de Urbe, ac Palatii S. Officii ejuſdem Urbis per me Petrum Paulum Deſiderium ejuſdem Sanctiſſ. D. N. Papæ & Sanctiſſ. Inquiſitionis Curſorem.

Romæ Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ. M. DC. LXX.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS UNDECIMUS,

SEU

ALPHABETUM QUADRUPLEX,

QUO

XXIII. Præcipuis Caſibus, atque aliis plus CLX. *FACTIS*, non *FICTIS*, declaratur univerſa Materia.

Voti, & Juramenti, Blaſphemiæ, & Superſtitionis.

SYSTEMA HUJUS ALPHABETI.

PArs Prima. *I Caſu Cardinali proponetur Definitio & Diviſio Voti. II. Materia, hujúſque Conditiones. III. Obligatio. IV. Error, & Ignorantia obſtans valori Voti. V. Metus. VI. Ætas, & ſexus. VII. Speciatim explicabuntur Vota Peregrinantium. VIII. Caſtitatis. IX. Religionis. X. Reſervata XI. Solutio horum & aliorum. XII. Dubiorum ratio. XIII. Farrago Variorum Votorum. XIV. Votifragorum reatus & Pœna.* Pars Secunda. *XV Definitio & Diviſio Juramenti. XVI. Juramenti Promiſſorii obligatio. XVII. Juramentorum Promiſſoriorum congeries. XVIII. De Perjurio & Mendacio in genere. XIX. Tria Collectanea: 1. De Juramento, 2. De Mendacio. 3. De Perjurio.* Pars Tertia. *XX. Blaſphemiæ Definitio, multiplicitas & accidentia. XXI. Blaſphemiæ turpitudo, Curatio, & Pœnæ.* Pars Quarta. *XXII. Quid ſit ſuperſtitio & Quotuplex? Variáque Corollaria inde deducta. XXIII. Farrago variarum Superſtitionum & Pœna earum.*

PARS PRIMA.

DE VOTO EJUSQUE ACCIDENTIBUS. QUID ET QUOTUPLEX SIT VOTUM.

CASUS I.

Malè reſolutus.

SUMMARIUM.

Caſus Iuvenis, qui ideo malè putabatur noviſſe Continentiam, quòd dixiſſet: Potiùs nullam uxorem ducam quàm hanc. 1.

Definitio Voti. 3.

Dicens: Non diu hîc morabor, *ideſt in ſæculo, non facit Votum Religionis.* 5.

Diſcrimen inter Propoſitum, & Promiſſionem. 7.

Nullum Propoſitum quantumlibet firmum & deliberatum efficit votum, niſi promiſſio accedat. 10.

Sufficit tamen Promiſſio implicita. 11. *& ſeqq.*

An deſiſtere abſque rationabili cauſa à virtuoſo Propoſito contineat ſpecialem malitiam? 18.

Promiſſio Conſtitutiva Voti propriè dicti, debet fieri Deo. 20.

Quod fit ex Voto, eſt (cæteris paribus) melius eo, quod fit ſine Voto. 22.

Omnia Vota edita de rebus ex ſe non præceptis aut vetitis ſunt ejuſdem ſpeciei infimæ. 23.

Vota non ſunt facilè edenda inconſultis Confeſſariis. 24.

Promiſſum emendationis factum Confeſſario poteſt eſſe votum. 25.
Varia Diviſiones Votorum. 26. *& ſeqq.*
Quid ſit Temporale & Perpetuum? Ibid.
Quid Simplex, & Solenne? Ibid.
Quid Expreſſum & Implicitum? 27.
Quid Abſolutum & Conditionatum? 29.
Quid purè Conditionatum & Pœnale? 30. *& ſeqq.*
Quid Perſonale, Reale, & Mixtum? 37. *& ſeq.*
Reſolvuntur ex dictis 5. *Caſus* 39. *& ſeqq.*

1 *Achatius promiſit Annæ Matrimonium, at pœnitudine ductus ait*: Potiùs nullam uxorem ducam, quàm hanc. *Nihilominus tamen prenſat nuptias Aureliæ. Quod audiens non nemo inſignitus gradu literario pronuntiat, Achatium eſſe reum voti, & deinde duplici de cauſa eſſe ipſi interdictum Matrimonium cum Aurelia, videlicet tum propter fidem priùs datam Annæ, tum propter votum non ducendi aliam ab Anna uxorem. Mittitur ad me die* 18. *Aprilis Anno* 1659. *Achatius, ut juvem eum, qua poſſim ratione. Quid agendum fuit?*

2 Reſpondi breviter 1. Achatium non poſſe inire Matrimonium cum Aurelia, niſi ſatiſfaciat Annæ, accedátque aſſenſus Reverendiſſimi D. Vicarii Generalis. 2. Obtento hoc aſſenſu fas ipſi eſſe jungere ſibi ſeu Aureliam, ſeu Corneliam; nec enim teneri ullo voto abſtinere à nuptiis. Primi reſponſi ratio petebatur tum ex eo, quòd inter impedimenta impedientia Matrimonium cum aliqua tertia ſtatuantur ſponſalia legitimè inita cum alia, & nondum diſſoluta; tum ex eo, quòd caſibus reſervatis accenſeatur, in hac Diœceſi, receſſus à ſponſalibus ſine authoritate Ordinarii, quemadmodum retuli, & explicavi in Experientiis *Tract.* 10. *num.* 262. Alterius reſponſi indicatam rationem confirmo adferendo, explicandóque definitionem voti, & proinde.

3 Dico 1. Votum Theologicè ſumptum eſt promiſſio facta Deo de meliore bono. DD. communiter ex doctrina S. Thom. *2. 2. quæſt. 88. art. 1. & 2.* Dixi: *Votum Theologicè ſumptum*, etenim grammaticaliter, aut vulgariter acceptum ſignificat ſæpe deſiderium, aut calculum, ſeu ſuffragium.

4 Dicitur autem Promiſſio; quia votum importat quandam obligationem ad aliquid faciendum, vel omittendum. S. Thom. *cit. quæſt. 88. art. 1.* hæc autem obligatio non oritur ex nudo propoſito. Cap. *Literaturam. De voto & voti redem.* ex quo repræſento hunc

Caſum Phlebotomicum.

5 *Cùm ex quadam miſſione ſanguinis*, (ſeu phlebotomia in brachio *gloſſ.* in idem Cap.) *nimio fuiſſes mortis pavore perterritus, hæc verba protuliſti*: Non diu hîc (*id eſt in ſæculo*) morabor, *proponens in animo, quòd religionis habitum eſſes aliquando ſuſcepturus. Tibi igitur reſpondemus, quòd ſi plus non eſt in voto proceſſum, transgreſſor judicari non poteris, ſi non impleas, quod dixiſti.*

6 Ita reſpondit cuidam (Magiſtro teſte Gloſſa, ſeu Doctori) Alexand. III. ut proinde ſit omnino indubitatum apud Canoniſtas æquè ac Theologos, promiſſionem eſſe de eſſentia voti; promiſſio autem propriè, & ad propoſitum eſt deliberata, & ſpontanea fidei obligatio facta alicui de re quapiam bona, & poſſibili. Leſſius *de juſtitia, & jure Lib. 2. cap 18. num. 2.* De re *Bona*, quia votum æquè parum ac juramentum poteſt eſſe vinculum iniquitatis. Cap. *Cùm contingat. De jurejuran.* De re *Poſſibili* verò, quia impoſſibilium nulla eſt obligatio; atqui omne votum continet obligationem, ut liquet ex ipſa definitione, quantam verò, explicabitur infrà *Caſ. 3.*

7 Interim apparet diſtinctio promiſſionis à propoſito; quandoquidem propoſitum nudè ſumptum nil aliud ſignificat, quàm animi decretum faciendi, vel omittendi quidpiam; ac proinde licèt millies firmiſſimè proponas hoc, aut illud orare, hoc, aut illud bonum opus ad honorem Dei præſtare conſtantiſſimè, hoc tamen propoſito non conſtituetur votum. Barboſa *in cit. Cap. Literaturam.* Imò licèt non habeas propoſitum aliquid faciendi, ſi tamen id ſeriò promittas Deo, reus eris voti; nam de eſſentia voti non eſt voluntas, aut propoſitum faciendi, vel omittendi, quod Deo per votum promiſiſti, ſed voluntas, aut propoſitum ſe obligandi, etenim *nemo ſe obligat, qui animum ſe obligandi non habet*, inquit Gloſſa *in cit. Cap. Literaturam*, recepta ab omnibus. Hoc autem ipſo, quòd promittis, habes animum te obligandi, ſicuti animum vendendi animal hinnibile habet neceſſariò is, qui intendit vendere equum. Caramuel in Theol. Intentionali *Lib 4. num. 1864.* poſt Sanchez *Lib. 4. De voto. Cap. 1.*

8 Ex quibus deduces 1. Reſolutionem noſtri malè reſoluti Caſûs; ſi quidem verba, quibus fertur uſus Achatius, nullam prorſus indicant promiſſionem, ſed duntaxat propoſitum abſtinendi ab omni Matrimonio potiùs, quàm ducendi Annam, ergo abfuit ratio voti.

Deduces II. Quid fuerit reſpondendum ad hunc

Caſum Navarreum.

9 *Doctor quidam, & Preſbyter quinquaginta*

Digitized by Google

ta Annorum, morbo graviſſimo ad mortem vexatus propoſuit multa piè facere; & inter alia deliberavit, dixit, atque diſpoſuit Religionem, Deo ſibi ſoſpitatem concedente. Quaritur: An ſit religioni obligatus?

10 Interrogatus Navarrus (hinc epitheton hujus Caſûs) reſpondit, illum Doctorem nullatenus eſſe obligatum de præcepto, & neceſſitate adimplendi quidpiam eorum, quæ propoſuit, dixit, diſpoſuit, & deliberavit. Primò, quia nullum propoſitum quantumlibet firmum, nec ulla deliberatio, quantumlibet reſoluta, & firma efficit votum, niſi promiſerit, ut tradunt omnes. Secundò, quia Caſus hujus Preſbyteri eſt ferè idem cum eo, quem de phlebotomo propoſui paulò ſuperiùs cum reſponſo Papali.

11 Velim autem ſingulariter obſervari à Confeſſariis primam, tam emphaticis verbis conceptam rationem ex Navarro deſcriptam, eò quòd ſæpiſſime fuerim compulſus uti illa ipſa ratione, approbatâ ab ipſo S. Thom. *cit. quaſt. 88. art. 1. & 2.* & omnibus Theologis, atque ab Archidiacono Cap. *Qui bona 17. quaſt. 1.* cum omnibus Canoniſtis. Porrò illa promiſſio, quæ eſſentialiter ineſt voto, non neceſſariò eſt expreſſa, ſed ſufficit modò ſit implicita; ut declaro hoc

Caſu Breviculo.

12 A*pollonius æger dicit Deo*: Da mihi Domine ſalutem; & ego ſerviam tibi, *intelligendo mente de ſtatu caſtitatis, & continentiæ. Obligatúrne ad obſervandam caſtitatem?* Navarrus loco citato. *Conſil. 5.* conſultus à dicto Apollonio reſpondit affirmativè, eò quòd Apollonius videatur revera promiſiſſe continentiam. Tum quia ut „ quis obligetur non requiritur, ut dicat ex„ preſſè obligationem, nec ad hoc, ut quis „ promittat, oportet expreſſè dicere: Promitto, ſed ſatis eſt dicere: Dabo, vel *faciam*; tum quia ita obligatur, qui dicit alteri: *Tibi dabo centum, ſi hoc feceris*, ac qui „ dicit: *Promitto dare tibi centum, ſi hoc* „ *feceris*; tum quia, ut ait Cajetanus *in 2.2.* „ *quaſt. 88. art. 1.* non ſolùm fit promiſſio „ per actum ſignatum, & exercitum ſimul, „ ſed etiam per ſolum exercitum: *Faciam hoc.*

13 Ita Navarrus: cujus veriſſima (ſi probè intelligatur) & multùm ad praxin faciens doctrina clarè confirmatur illis variis ſponſaliorum formulis, quas protuli in Experientiis *Tract. 10. num. 41.* & quarum pleræque, licèt non ſignificent expreſſè promiſſionem, attamen illam implicitè, & ex uſu communiſſimo deſignant, ut ibidem obſervavi.

Et verò quòd, quando quis conſtitutus in aliquo periculo dicit: *Domine Deus concede hoc, aut iſtud mihi beneficium, & ego ſerviam tibi*: ſeu, *faciam hoc, aut iſtud bonum opus*, revera edat promiſſionem, docet in terminis Sanchez *Lib. 4. Moral. Cap. 1. num. 35.* meritò probans id tum authoritate Navarri hoc ipſo loco productâ, tum inde, quòd hæ locutiones futuri temporis, licèt ex ſe non involvant plus, quàm nudum propoſitum, junctæ tamen intentioni impetrandi per eas à Deo, vel hominibus aliquid gratum, acceptúmque induant rationem pacti, ut clarum eſt ex *Leg. 1. ff. De pactis*, & ſingulariter ex Leg. *naturalis §. 1. ff. De praſcriptis verb.* ubi hæc locutio: *Facio, ut facias*, annumeratur pactis. At inquies: ille Magiſter, ſeu Doctor, quem *num. 9.* retulimus, dum dixit in morbo: *Non diu hic morabor, ſed fiam religioſus*, utique ſubaudivit hæc verba: *Si Deus mihi reſtituerit ſanitatem*, ut liquet ex ipſa facti ſpecie, & tamen diximus *num. 10.* cum Navarro, illum non fuiſſe reum voti. 14 15

Reſpondeo, eſto cogitârit de ſanitate divinitus concedenda, non tamen conſtat fuiſſe uſum verbis ad Deum directis, ſed fortè hiſce duntaxat: *Si Deus ſoſpitem me præſtiterit* (ut ſatis indicat ipſa ſpecies facti) *non diu hic morabor.* Si fuit uſus hac ſecunda phraſi, non promiſit quidquam; ſicut enim talia verba in negotiis humanis ad nullum hominem directa non conſtituunt ullum pactum, nec pariunt ullam ſtrictam obligationem, ita eſt etiam loquendum de verbis uſurpatis in negotio, concernente Dominum Deum. *Non quæritur cum quo quis de ultimis loquatur, ſed ad quam intentio loquentis dirigatur*, inquit Papinianus *Leg. Cùm pater ff. De Leg. 2.* ille autem Sacerdos non dirigebat intentionem ſuam ad Deum. 16

Addo ex eodem Navarro *cit. Conſil. 5.* poſt Cajetan. pro majore elucidatione ejuſmodi conditionalium promiſſionum de futuro, eſſe triplicem ſenſum verborum futuri temporis, ut verbi *Faciam.* Primò enim per illud indicatur præciſè futurum, ut aliquid à me fiat, eſto tunc, cùm ita loquor, nondum proponam facere. Secundò, per illud indicatur, & enuntiatur propoſitum, quod tunc jam formatum eſt de aliquo faciendo. Tertiò denique ſignificat veram promiſſionem; ut cùm juvenis puellæ dicit: *Accipiam te in uxorem*, & hæc viciſſim: *Accipiam te in maritum.* Et verò quando verbum futuri temporis directum ad perſonam præſentem, ponitur in propoſitione conditionali expreſſa, vel implicita, ſignificari tunc communiter promiſſionem liquet ex formulis contractuum innominatorum: *Do*, ſeu *dabo, ut des*: *Facio*, ſeu *faciam, ut facias*; & ſingulariter ex formulis ineundi ſponſalia. 17

Quia tamen non mens verbis, ſed verba menti, & intentioni deſervire debent, & voluntas in omnibus dominatur; ſi utens ejuſmodi conditionalibus verbis caruit intentione ſe obligandi, & conſequenter promittendi, revera non promiſit, ut liquet ex dictis *num. 7.* In dubio autem, an qui hæc verba protulit, habuerit intentionem obligandi ſe, ſeu vovendi, cenſet poſt Navarrum Sanchez *cit. num. 35.* præſumendum eſſe, quòd habuerit talem intentionem, niſi magis judicet, ſe non habuiſſe, inquit Navarrus cit. *Conſ. 5. num. 3.* ſed de hoc plura *Caſu 12.* cùm agemus de votis Dubiis.

18 Dictis de propoſito jungo hanc quotidiani uſûs quæſtionem: *Utrùm deſiſtere abſque rationabili cauſa ab aliquo virtuoſo propoſito contineat ſpecialem malitiam diſtinctam ab illa generali, quæ ex doctrina negantium dari ullos in individuo actus indifferentes, ineſt omni omiſſioni boni operis, non veſtiti honeſtâ ratione?* Affirmant Laymann. *Lib. 3. Sect. 3. num. 16.* eò quòd ſit culpabilis inconſtantia, leviter, & abſque rationabili cauſa deſiſtere ab eo, quod bene acceptatum, & conſultatum fuit. At verò Suarez *Lib. 1. De voto Cap. 2. num. 5.* atque Leſſius *Lib. 3. num. ultimo* poſt Cajetanum verb. *Inconſtantia*, negant intervenire hîc peccatum. Ego quidem video, bonas, & pias animas ſolere ſe in Confeſſione accuſare, quòd fuerint inconſtantes in hoc, aut illo propoſito rei ex ſe non obligatoriæ, & proinde judico eos, dum abſque rationabili cauſa recedebant, habuiſſe conſcientiam de aliqua morali malitia adhærente ejuſmodi receſſui, cenſeo tamen, ſententiam poſteriorem, ſeu Suarezianam eſſe per ſe veriorem, niſi propoſitum ſit fortè ſæpius, & firmiter renovatum. Lugo in Reſp. Moral. *Lib. 6. dub. 8. num. 7.*

19 Nec obſtat, quòd Chriſtus *Luc. 9.* dicat: *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei*; etenim ſenſus illius ſententiæ poteſt eſſe vel hic; Nemo, qui incipit ſervire Deo, & interim dum incipit ſervire, reſpicit ad res planè mundanas, ſicut arator reſpicit ea, quæ ſunt à tergo, acquirit hac ratione jus ad gloriam æternam. Suarez cit. *Lib. 1. De vot. Cap. 2. num. 18.* vel iſte: Non eſt aptus ad Chriſti diſcipulatum, id eſt regnum Dei prædicandum, is, qui, dum vult fieri diſcipulus Chriſti, immergit ſuas cogitationes in res mundanas, ſicut quandoque arator oculos defigit in ea, quæ ſunt à tergo, eámque ob rem ſulcos curvos facit. Ita ferè Joannes Maldonatus *in cit. locum S. Lucæ.* Ex qua utraque explicatione liquet, illud Chriſti effatum non obſtare noſtræ doctrinæ.

20 Dico II. Promiſſio eſſentialiter conſtitutiva voti propriè dicti, debet neceſſariò dirigi ad Deum, ſeu fieri Deo, ita, ut per eam homo maneat peculiariter, & immediatè obligatus Deo. S. Thom. *cit. quæſt. 88. art. 1. 2. & 5.* cum cæteris Theologis. Et ratio eſt, quia homines propriè voventes intendunt præſtare immediatè Deo reverentiam, atque cultum ſupernaturalem; igitur obligant ſe immediatè Deo. Eſt autem hæc doctrina ideo ſingulariter benè notanda, quòd, quando agitur de votorum reſervatione, hæc reſervatio tangat ſola vota propriè, ſeu eſſentialiter dicta.

Unde quando puellæ, aut pueri dicunt, ſe vovere, ſeu promittere Beatæ Virgini perpetuam virginitatem, ſi intendant hac ratione honorare ſolùm Beatam Virginem, ſéque ipſi ſoli obligare, revera non edunt votum propriè dictum, & conſequenter nec reſervatum, ſicut declarabo ſingulari eventu infrà *Caſu 10. num. 327.* In dubio tamen præſumuntur tales intendiſſe obligare ſe, ſeu ſuam caſtitatem verè obtuliſſe ipſimet Deo ad honorandam ejus Matrem. Si tamen conſtaret, horum aliquem revera intendiſſe hoc actu immediatè colere ſolam Beatam Virginem, atque ei ſeſe ſoli immediatè obligare, exercuiſſet actum hyperduliæ, non autem latriæ, cùm tamen votum ſit eſſentialiter cultus latriæ. S. Thom. *art. 5.* inde probans, quòd votum ſit ordinatio quædam eorum, quæ quis vovet in divinum cultum, ſeu obſequium. 21

Porrò ex dictis de voti ratione, definitionéque liquet, non modò votum eſſe rem, actionémque ſanctam, placentémque Deo, ſed etiam id, quod fit ex voto, eſſe melius (cæteris paribus) eo, quod fit ſine voto; etenim quod fit ex voto, procedit ex firmiore, conſtantioréque affectu erga Deum, qui voto colitur. S. Thom. *2. 2. quæſt. 88. art. 6. in corp.* ſatis indicans *art. 5.* votum eſſe religionis actum elicitum, ut etiam docet Card. de Lugo *Tom. 3. in Part. 3. Diſp. 16. Sect. 5. num. 255.* Ex quo deduces reſolutionem hujus 22

Caſûs quotidiani.

Adrianus obligatus voto, certo die Sacri audiendi, eodémque jejunandi, atque Coronam Virginis texendi, nihil horum præſtat, confitens autem hanc triplicem tranſgreſſionem ſolùm dicit: Tria vota à me emiſſa ſemel ſum tranſgreſſus, an ſatiſfacit legi de ſpecifica malitia confitenda? 23

Reſpondeo affirmativè, ſiquidem ille Doctor cum pluribus aliis rectè docet, omnia vota edita de rebus ex ſe non præceptis, aut vetitis, eſſe ejuſdem infimæ ſpeciei.

Secùs, ſi idem Adrianus loco jejunii e. g. voviſſet Deo abſtinentiam ab illicita venere, debuiſſet enim exprimere votum caſtitatis, cùm

cùm lex divina cuivis præcipiat abſtinentiam ab illicita voluptate carnali.

14 At, quid ſi talis dixiſſet: *Sum tranſgreſſus tria vota?* & poſt interjectam unius, aut plurium peccatorum manifeſtationem addidiſſet: *Semel commiſi fornicationem?* Reſp. Feciſſet ſatis, quia nihil ſubſtantiale omiſit.

Etſi verò, ut dixi, votum eſt res ex ſe bona, & ſancta, reprehendendi tamen ſunt plerumque juvenculi, & rudes, emittentes inconſultis confeſſariis hæc, aut illa diu duratura vota, nec enim niſi maturo conſilio ſuſcipienda eſt gravis obligatio. Notat verò ad praxin appoſitè P. Sanchez *cap. 1. De voto num. 31.* quando pœnitentes moniti à confeſſariis, ut à peccatis deſiſtant, reſpondent: *Promitto me non ampliùs hoc, aut illud admiſſurum*, communiter non edere votum, ſed ſolùm velle manifeſtare ſuum firmum propoſitum.

15 Si quis tamen horum voluiſſet ſe ſub novo peccato obligare ad emendationem, deberet non ſecutâ emendatione agere ſe reum voti facti; quam quidem obligationem utrùm prudenter ſit ſublaturus, necne confeſſarius præditus poteſtate diſpenſandi, vel mutandi, definietur ex ipſa experientia, utrùm videlicet memoria voti nuncupati retraxerit pœnitentem à reciduatu, nec ne.

16 Dico III. Votum variè dividitur à Doctoribus. Etenim votum eſt I. Aliud Temporale, ſcilicet certo tempore definitum: aliud Perpetuum, ſola morte ſolvendum.

II. Aliud eſt Simplex, aliud Solenne, quod quidem à Simplici non differt ex rei natura, ſed ſolùm ex inſtitutione Eccleſiæ, hæc enim introduxit ſolennitatem. Gregorius XIII. In Bulla *Aſcendente*. Vide Suarez *Tom. 3. De Religione Lib. 6. cap. 17.* & Caſtropalaum *Part. 3. Tract. 16. Diſp. 1. punct. 1. n. 6.* ubi hic docet, Solennia vota à Simplicibus in hoc ſolo differre, quòd Solennia ex parte acceptantis relaxari, liberéque remitti non poſſint, eò quòd illorum relaxationem ſibi reſervaverit Pontifex. Et addit, cur vota, quæ nos poſt ſoleñem profeſſionem emittimus in Sacriſtia, ſeu alio loco privato, quæ quidem ſunt Simplicia, non poſſint à noſtris ſuperioribus relaxari, id provenire non ratione ſui, ſed ob connexionem ad profeſſionem votorum ſolennem, quæ quia ſunt inſolubilia, etiam hujuſmodi vota, utpote acceſſoria ſolvi non poſſunt. Ita ille, cujus doctrinam examinandi locus hîc non eſt.

17 III. Aliud votum eſt Expreſſum, quo expreſſis verbis aliquid promittitur Deo: aliud Implicitum, quod fit, quando libere exercetur aliqua actio, cui eſſe annexam voti obligationem ſcit is, qui illam exercet actionem, ut declaratur communiter exemplo caſtitatis annexæ ſuſceptioni Ordinis Sacri, de quo quidem voto varia dubia propoſui, & reſolvi in Experientiis, ſeu *Tom. 1.* meorum operum *Tract. 8. num. 743. & ſeqq.*

IV. Alia vota emittuntur ſolùm in DEI honorem, alia in honorem Dei, & ſimul bonum alterius. Ut quando ſpondes Deo, te huic, aut illi Monaſterio donaturum hoc, aut illud prædium. Quæ quidem vota, licèt obligent communiter (non tamen ſemper, ut ſi Monaſterio e. g. diſpliceat ejuſmodi promiſſio) ante acceptationem factam à perſona, vel communitate, in cujus commodum eſt edita illa Religioſa ſponſio, haud tamen acquirit talis Communitas jus formale, & proximum, niſi poſt acceptationem, quare ante hanc non peccatur adverſus juſtitiam, donando alteri ejuſmodi prædium, ſecùs, ſi donetur poſt acceptationem. Sanchez *cit. Lib. 4. De voto cap. 41. num. 7. & ſeq.* 18

V. Aliud votum eſt Abſolutum, cui non apponitur ulla conditio peculiaris, & arbitraria: aliud Conditionale, cui apponitur aliqua peculiaris & arbitraria conditio, ſicut declaro in Experientiis *cit. Tract. 9. Caſ. 6.* probans adverſus neotericum Thomiſtam, vota, quæ Scholares, & Coadjutores formati emittunt in Societate Jeſu, nec eſſe propriè Conditionata, nec efficere ſtatum conditionatum, quod etiam poſtea obſervavit P. Chriſtophorus Haunold noſter *Tom. 1. De juſtitia Tract. 4. num. 9.* 19

Horum votorum conditionatorum nonnulla dicuntur Pœnalia, idcirco, quòd ipſis adjungatur perſolutio alicujus pœnæ, caſu, quo fuerit iis contraventum: alia ſunt præciſè Conditionata. Per aliqua ex Pœnalibus non vovetur quidquam diverſum à pœna: at per alia promittitur tum perſolutio pœnæ, tum alia res honeſta, & ſancta, nam aliquando dicimus: *Promitto Deo, me toties oſculaturum terram, quoties fuero mentitus*; aliquando autem dicimus: *Voveo me non mentiturum, & ſi falſum dixero ſciens, oſculum fixurum terræ.* Ubi clarum eſt, in primo caſu non voveri, ut ſic, vitationem mendacii, ſed ſolùm hujus pœnam. Quare neceſſe non eſt hîc facere in Confeſſione ullam mentionem violati duplicis voti, ſi poſt non exſolutam pœnam accedatur confeſſarius, at verò facienda eſt in ſecundo caſu. 30

Quòd ſi fortè voviſti, te toties oraturum quinquies Pater, & Ave, quoties vel ſalutaveris æmulum tuum, vel iveris foras ambulatum, non obligaberis ad illas preces, etſi crebriùs impertieris ſalutem tuo æmulo, aut foras te contuleris animi cauſa; quia quando promiſſio abſolutè facta de aliqua actione facienda, omittendáve non obligat, etiam non obligat conditio pœnalis, ejúſque additio, atqui abſoluta promiſſio facta Deo de non ſalutando æmulo, déque non ambulando extra urbem, non obligat per ſe loquendo, cùm prima promiſſio ſit vel mala, utpote ſcandaloſa, vel certè indifferens, ſicut & ſecunda, atqui votum de re indifferente, ut ſic, non ſubſiſtere dicemus Caſu ſequenti. 31

Adde, quoties per oblivionem, ignorantiam impo-

impotentiámve omiſiſti facere id, quod pollicitus eras ſub conditione pœnali, toties eſſe te liberum ab exactione pœnæ, utpote quam non videaris promiſiſſe, niſi ob culpabilitatem omiſſionis; omnis quippe pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt. S. Auguſtin. *Lib. 1. Retract. cap. 9.*

32 At, *quid ſi poſt votum pœnale te non inebriandi, inebriâſti te, lubens quidem & volens, attamen immemor aut voti de te non inebriando, aut pœnæ adjectæ huic voto?* Reſpondet Sanchez *cap. 22. num. 18.* Diana *Part. 3. Tract. 6. Reſ. 41.* ac plures alii, te in primo caſu liberum eſſe à pœna, imò etiam in ſecundo te liberum pronuntiat Diana, malè citans pro ſe Sanchezium, utpote qui expreſſè *ibidem num. 19.* tenet contrarium, niſi ea pœna eſſet graviſſima, ut e. g. intrandæ Religionis, perpetuæ caſtitatis, &c. quam tamen limitationem videtur omnino negare Laymannus *Theol. Moral. Lib. 4. Tract. 4. cap. 5. num. 3.* Ego aſſentior Sanchezio, quia non videtur mens edentis tale votum fuiſſe extenſa ad eventum hujus oblivionis. Aſſentior & Laymanno *loc. cit.* reſolventi, quando quid voviſti, & quidem ſub certa pœna, obligari te toties ad pœnam, quoties memor voti tranſgrederis illud, niſi fortè illa pœna eſſet valde gravis, pro quali habendam eſſe decem Ungarorum, ſeu Ducatorum elargitionem in pauperes cenſet abſolutè ſapiens, & Doctus Author perſolidi, perſpicuíque Curſûs Theologici Principalis Monaſterii ad S. Gallum *Tom. 7. ſect. 3. quæſt. 6. dub. 3.* adeóque obligationem pœnæ ſolvendæ non reſtringi communiter ad primam tranſgreſſionem. Si tamen ſpectatis omnibus circumſtantiis verè dubium eſt, an volueris necne obligationem pœnæ finiri poſt primam tranſgreſſionem, poteris arbitro Laymanno, & maximè P. Emmanuele Sa *verb. Votum num. 26.* credere, te inpoſterum non obligari ad pœnam. Vide Sanctgallenſes *loc. cit.*

33 Atque hæc ſufficiant de votis conditionalibus involventibus pœnam; de aliis autem involventibus conditionem diverſam à pœna, revocandum eſt in memoriam id, quod de conditione tradidi ex communi in Experientiis *Tract. 9. num. 145. & 149.* conditionem quandoque ſignificare id, quod modus, aut conventio, at propriè eſſe accidens, ſeu circumſtantiam, quibus contractûs diſpoſitio ſuſpenditur, donec in futurum aliquid eveniat, actum verò ſtrictè conditionatum non effici per conditionem, quæ tacitè ex rei natura, vel de jure ineſt, ſed per illam, quæ expreſſè apponitur ultra rei naturam, juriſve diſpoſitionem.

Hoc ſuppoſito communis ſenſus etiam indoctorum fert, voti ſub conditione de futuro editi obligationem non emergere, quando editum eſt vel ſub conditione impoſſibili, vel ante adventum conditionis, nec enim qui vovit peregrinationem, ſi reperiat amiſſum marſupium, obligatur peregrinari ante illius repertionem.

At, *tenetúrne ſe non reddere impotentem ad peregrinandum?* Reſp. Affirmativè: quia in Experientiis *Tract. 9. num. 89. Caſ. 3.* tradidi ex communi, quando conditio, ſub qua facta eſt voti nuncupatio, non eſt in poteſtate voventis, ſicut non eſt repertio perditæ crumenæ, nefas eſſe reddere ſe impotentem ad explendam rem voto promiſſam: ſecùs, quando conditionis poſitio eſt tota in arbitrio voventis, ut cùm dicis: *Subibo novitiatum Religioſum, ſi me ampliùs inebriavero*, in hoc quippe caſu potes idcirco ſtatim poſt votum ducere uxorem, quia inebriatio pendet unicè à tuo arbitratu, at quia non ita pendet recuperatio ſanitatis, idcirco eris gehennæ reus, ſi Matrimonium ineas, ſeu poſt, ſeu etiam ante reſtitutam valetudinem, ſub cujus divinitus recipiendæ conditione pollicitus eras Deo tranſitum ad caſtra Religioſa. 34

Quid ſi autem conditio verſetur circa rem non præceptam? An licitè impediam hujus impletionem? Reſp. Cùm Sanctgallenſibus *loc. cit.* & aliis communiter affirmativè, ut ſi dixiſti: *Voveo me ingreſſurum Religionem, ſi ſuſcepero gradum Doctoratûs Theologici* Etenim in tali eventu non delinques, tametſi idcirco reſpuas oblatam fortè Epomidem Doctoralem, ne cogaris induere cucullum; ſecùs, ſi conditionis impletio ſit in præcepto, ut quando voviſti Ordinem Religioſum, ſi toto Anno ſuperaveris tentationes adverſantes caſtitati, ſi enim tunc ea intentione forniceris, ut ſis liber obligatione Religionis, manifeſtè illudis Deo, & conſequenter peccas, etiam contra virtutem Religionis. Satis tamen probabile eſt, obligationem intrandæ Religionis deſinere poſt illam turpitudinem. Laymann. *loc. cit. num. 4.* referens autores pro opinione affirmativa, & negativa, ſicut & meritò negant idem P. Laymannus, atque alii, delinqui à te, ſi poſt editum à te votum ſub conditione pendente ab arbitrio alieno, roges (ſine dolo, ut notat Cotonius controverſ. *Lib. 1. controverſ. 12. cap. 2. num. 27.* poſt Palaum, & Tambur.) tunc aliquem, ne conſentiat. E. g. ne parens det facultatem peregrinandi, ſi promiſiſti peregrinationem ſub conditione conſenſûs paterni, quem tamen conſenſum, ſi ſemel præſtitit, actum eſt de tua liberatione juxta Sanctgallenſes *loc. cit.* niſi forte ſis impubes, ut declarabimus infrà *Caſ. 6. num. 175.* 35

At *parens oppetit mortem, priuſquam petam ratificationem?* Reſp. Saltem ſi jam es pubertatem ingreſſus, mors patris habebitur pro aſſenſu judice Laymanno, & obſervante Sanchezio *cap. 8. n. 47.* cum aliis contra alios, ſubſiſtere votum, quo dicis: *Voveo me, ſi quam eligere voluero Religionem, electurum Carthuſianam*, e. g. ſeu, quod idem eſt: *aut non fore Religioſum, aut ſi ſiam, fore Carthuſianum*; videtur enim eſſe melius, ut ſis etiam ſolummodo conditionatè obligatus ad aliquod bonum opus, quàm ne quidem conditionatè; ſi tamen poſtmodum 36

modum velis hoc votum conditionatum Religionis tam rigidæ commutare in abſolutum mitioris, ut e.g. Canonicorum Regularium, licebit tibi per Deum; eſt enim huic gratius te eſſe abſolutè obſtrictum voto ejuſmodi, quàm conditionatè alterius, quando conditionis expletio pendet à tuo nutu.

37 VI. Votum dividitur ab omnibus in Perſonale: Reale: Mixtum. Perſonale eſt, quando promittitur aliqua actio elicienda, præſtanda ab ipſomet promittente. e. g. jejunium, auditio Sacri &c. Reale, quando res diſtincta ab actione promittentis, ut eleemoſyna &c. Mixtum, quando quid conflatum ex reali, & perſonali, adeóque partim actio voventis, partim materia diſtincta ab actione, ut ſi voveas, te pauperi eleemoſynam largiturum, & quidem propriis manibus.

Sunt autem vota Mixta duplicis generis, nam aliqua ex his æquè principaliter fiunt de re, & actione, ut patet exemplo eleemoſynæ nunc primùm adducto, & vel maximè exemplo dicentis: *Voveo me peregrinaturum ad ædes Lauretanas, atque ibi oblaturum torquem aureum.* Alia autem ſunt principaliter Perſonalia, acceſſoriè Realia, ſicut quando voves ſimpliciter peregrinationem Lauretanam, tunc enim tua intentio fertur quidem per ſe, & præcipuè in illud iter, per accidens tamen, & acceſſoriè in expenſas majores fortè, quàm faceres domi. Quamquam ſi tui comes itineris te præſtet aſymbolum, non debebis angi compenſatione expenſarum, quas hac ratione comparces, non fuit enim ullo modo tua intentio facere ſumptus caſu, quo alius te ſublevaret. Sed vide hac ipſa de re plura. *Caſ. 7. n. 249.*

38 Differunt verò Perſonale & Reale vota maximè in hoc, quòd Perſonale debeat executioni mandari ab ipſomet vovente, Reale non item. Unde fit, ut Perſonalis onus non tranſeat ad hæredes, tranſeat verò Realis, ſicuti enim privilegium perſonale moritur cum perſona, *cap. Privilegium. De Reg. jur. in 6.* & res ſuo cum onere tranſit. *Leg. Is cui opus. ff. De nov. oper. nuntiat*: ita & votum Perſonale extinguitur cum vovente; Reale autem tranſit ad hæredes, & obligatos id exſolvere, non titulo Religionis, ſed juſtitiæ, ſeu pacti tacitè comprehenſi in aditione hæreditatis. Suarez *Lib. 4. De voto cap. 11.* & exactius *cap. 16.* obſervante Laymanno *cit. Tract. 4. cap. 3. num. 13.* vota eſſe ab hæredibus ſolvenda ante pia legata, eò quòd eorum, quàm horum ſit major ratio.

Ex quibus omnibus petenda reſolutio ſequentium Caſuum.

Caſus I. Sanctæ de Sancto.

39 *Anna votum vovit dicens: Domine exercituum, ſi reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ, dederiſque ſervæ tuæ ſexum virilem, dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus.* 1. Reg. cap. 1.

Quæritur, An *Samuel, cujus nativitatem exoravit à Deo Anna facto hoc voto, fuerit illigatus voto materno, debueritque eſſe peculiari titulo mancipatus cultui divino?*

Ratio dubitandi eſt ex una parte, quòd votum ſit actio perſonalis, obligans ſolùm voventem, ſaltem in rebus valde arduis, ut eſt certus vitæ ſtatus, ut liquet ex ſuprà dictis: ex altera, quòd Anna poſtea obtulerit, conſecraritque Deo ſuum Samuelem trimulum, ut liquet ex *cit. cap. 1.* conſequenter fuerit ratione hujus oblationis obligatus ad ſervitium ſpirituale, & Eccleſiaſticum totâ vitâ præſtandum; ſicuti declaravit poſtmodum eventus.

Reſp. Poſt Abulenſ. *in 1. cap. Lib. 1. Reg* & Jacobum Salianum *in Annot.* ad Ann. mundi 2900. *num. 25.* Samuelem non potuiſſe voto matris adigi ad illum ſtatum, in quo poſtea vixit, & devixit, idque ob rationem dubitandi indicatam, tametſi Elcana maritus ratum habuerit votum uxoris, & potuerit filium, quamdiu erat impubes, adigere ad tale ſervitium; itémque ad nutriendam more Nazaræorum comam, abſtinendúmque potu vini, ſiceræ &c: peccáſſétque Samuel, non parendo, contra obedientiam parenti debitam, non adverſus Religionem voti. Ut declaro

Caſu II. Duplicato.

Oſui Rex Anglorum pugnaturus contrà hoſtem triginta partibus fortiorem, vovit Deo, ſi referret victoriam, ſe filiam Elfledam, poſtmodùm Sanctam; bimulam conſecraturum Deo in Monaſterio. Parentes quoque S. Richardi hunc trimulum duntaxat etiam mancipârant divino cultui, ſi periculoſâ ægritudine, qua is tenebatur, liberaretur; quod & factum, ut de S. Elfleda ſcribit Joannes Bollandus noſter ad 8 *Februarii, de S. Richardo ad ſeptimum ejuſdem.* 40

Quæritur: *An hic, & illa potuerint, debuerintve compelli ad valedicendum mundo?*

Reſp. Non potuêre vi voti paterni, ut liquet ex dictis. Imò nec vi obſervantiæ debitæ parentibus; tanta enim mutatio ſtatûs non videtur poſſe cuiquam imperari; conſentit Abulenſis ſuprà. Junge his duos ſat raros Caſus Cellenſes referendos infrà *num. 262.* Equidem in talibus locum habet Regula: *Non debet alteri per alterum iniqua conditio adferri.* Zœſius *Lib. 3. Decret. tit. 24. num. 58.*

Caſus III. Ruſticorum.

Totus pagus A. vovit omnibus feriis ſextis toto menſe Julio abſtinere labore ſervili. Poſterorum plerique obſervant id votum, alii non item; & proinde non interſunt rei divinæ. Quæritur, ſintne hi rei gravis peccati? 41

P. Commi-

P. Comitolus interrogatus de hoc ipſo Caſu, ut videre eſt *Lib. 2. Reſponſ. Moral. quæſt. 10.* Reſpondit 1. Tales per ſe loquendo non peccare, eò quòd majores nequeant voto obligare ſuos poſteros. 2. Tamen, illos, qui conſtanter abſtinent labore ſervili, interſúntque rei divinæ, videri ratum habere votum ſuorum Majorum, ſeu Anteceſſorū, & conſequenter teneri Religione voti. 3. At illos, qui non obſervant, facto ſuo declarare, quòd noluerint ſe adſtringere, & conſequenter non eſſe inſimulandos criminis, ſi illos dies tranſigant uti alios. Ego ſubſcribo ſecundo reſponſo, non primo, nec tertio. Siquidem in Experientiis *Tract. 5. Caſ. 3. num. 80.* tradidi ex communiſſimo ſenſu Doctorum, poſteros peccare vel contra juſtitiam legalem, reverentiámve debitam progenitoribus, vel adverſus Religionem non
42 obſervando religioſè talia feſta. Qua de re vide etiam intricatum Caſum, quem reſolvo in Quinario *Tract. 5. cap. 45. num. 134.* ubi dum aſſero obligationem votivam, qua ſe ipſos oneraverunt Majores, tranſire ad poſteros, nolui indicare, illam tranſire ſecundùm formalem rationem voti, ſiquidem votum eſt lex privata pendens à voluntate, & conſenſu voventis, ſed, ut obſervant etiam Sanctgallenſes *cit. Tom. 7. Tract. 1. ſect. 3. dub. 3.* ſecundùm aliam, ſcilicet vel pietatis erga Majores, vel Religionis, cujus intuitu præſumitur Epiſcopus confirmâſſe, obſervarique præcepiſſe votum à majoribus editum, vel denique etiam juſtitiæ, loquendo ſaltem de votis realibus teſtatoris. Siquidem hujus hæres adeundo hæreditatem tacitè paciſcitur ſe, ſicuti alia teſtatoris onera realia, ut ſunt pia legata, debita Chirographica &c. in ſe ſuſcipit, ita etiam ſuſcipere vota realia, realia, inquam, non perſonalia, nec enim mens ſolet eſſe teſtatoris, ut, ſi nec dum explevit vota trium jejuniorum, quatuor flagellationum, quinque Confeſſionum, Communionúmve, unius longæ, aut brevis peregrinationis, hæres ejus loco expleat ut ſæpe ſæpius reſpondi interrogatus.

43 At, *quid ſi ad inſtantiam moribundi mariti, vel patris promiſit uxor, aut filius, ſe ejus vicem ſuppleturam, vel ſuppleturum, cujus virtutis titulo urgebitur ad executionem?*

Reſp. Non titulo voti, nam neque mariti, patriſve votum tranſit ſecundùm ſuam rationem in quemquam alium, neque ſolent tales, uxores, inquam, aut filii, filiæque vovere, ſeu Deo promittere executionem votorum paternorum, maritalium &c. ſed promittunt ſoli patri, marito &c igitur delinquunt ſolùm adverſus fidelitatem, ſi non ſtent promiſſis.

44 *Eſtne autem hoc delictum mortale?* Reſp. Eſt, ſi promittens intendit ſe obſtringere ſub mortali, ſi non ſub mortali, tunc locum habet ſententia vel Cajetani, Henriquez, aliorum apud Leſſium *De juſtit. Lib. 2. cap. 18. dub. 8.* negantium mortalem obligationem, vel ejuſdem Leſſii *ibid. num. 55.* aliorúmque aſtruentium mortalem in materia gravi, & videtur talis ſtatui *cap. Licèt* referendo, infrà *Caſ. 13. num. 405.* ſaltem ſi ſit de re pergravi. *Sed fictè promiſi.* Ergo peccâſti venialiter tua fictione, nec venialiter quidem peccaturus per ſe loquendo, ſi non ſtes ficta promiſſione, juxta dicta in Experientiis *Tract. 10. Caſ. 1. num. 36.* ubi loquor de fictè promittente Matrimonium. Ex quo petes reſponſum ad ſequentem

Caſum IV. Amoris conjugalis.

A*Chatius dixit in extremis uxori*: Promiſi Deo duas peregrinationes, unam ad B. M. V. Eremitanam: alteram ad B. M. V. Auxiliatricem, neutram perfeci, rogo te, obeas meas vices. *Promittit hæc, & poſt exequias maritales init Eremitanum iter. Nec dum attigerat Conſtantiam, cùm tanta illam debilitas, & laſſitudo inſueta corripuit, ut cenſeret eſſe ſibi impoſſibile progredi ultra Conſtantiam. Quare mittitur ad me Conſilii cauſa. Quid fuit reſpondendum?* 45

Laudavi quidem conjugalem fidelitatem, at juſſi redire domum abſque ullo ſcrupulo, nec enim promiſſio illa extendebat ſe ad impoſſibilitatem moralem, phyſicámve, aut ad ſupplendum alio tempore id, quod tunc non poterat. Quia verò ipſius patria diſtabat à B. V. Auxiliatrice itinere unius diei, dixi eſſe illuc proficiſcendum, at abunde ſatiſfacturam ſuæ obligationi reſpectu Eremitani itineris, ſi ter inviſeret alium locum Virgini Matri ſacrum, diſſitum autem duas horas. Promiſſiones liberales interpretandæ ſunt benignè. Laymann. *Lib. 4. Tract. 5. cap. 6. num. 14.*

Caſus V. Læſæ Majeſtatis.

A*Pronianus de vita peregre periclitans vovet certo loco ſacellum Divæ Virgini, eámque in rem curat candelabra argentea, aliámque ſupellectilem. At diu poſt hoc votum nondum perſolutum rapitur in vincula ob perduellionis crimen, cujus adhuc viventis bona addicuntur fiſco. Interrogatus quò eum apparatum pecuniæ, & fundationis deſtinârit, variè loquitur, dicens nunc ad hoc, nunc ad aliud monaſterium, nunc ad ſacellum fundandum. Quæritur, an Magiſtratus ſæcularis dictum apparatum pecuniæ, itémque candelabra convertere poſſit in alios uſus, eóſque profanos, idque facere poſſit abſque conſenſu Aproniani?* 46

Fui ab hinc Annis octodecim ab Illuſtri perſona literis rogatus meum hac ſuper re judicium, 47

eium. Reſpondi ad primum dubium, quòd non incongruè proponitur, & expeditur hoc loco, apparatum pecuniæ, & ſupellectilis, quem conſtat fuiſſe ab Aproniano promiſſum Deo, probabiliſſimè non poſſe à Magiſtratu civili pro lubitu converti in uſus profanos, eò quòd fiſcus teneatur implere vota realia Rei. Licèt quippe fiſcus non ſit propriè hæres. Franciſc. Aretin. *in Leg. Ex facto. §. Julius ff. De vulg. & pupill.* Sanchez *Lib. 2. Moral. cap. 14. num. 4.* habetur tamen loco hæredis. Bartolus *poſt Gloſſ. in Leg. Inter eas. §. fin. ff. De fidejuſſ.* éſtque ſucceſſor univerſalis bonorum Rei læſæ Majeſtatis. Sanchez ibidem. Et quidem ita, ut quæ ad hæredes extraneos non tranſeunt, nequeant in viſcum tranſire. Sanch. *ibid. num. 5.* & fiſcus teneatur ad omnia debita rei. text. expr. *Leg. Non poſſunt ff. De jure fiſci* imò ad omnia legata. text expr. in *L. Dicitur. eod.* cum Gloſſ. Eſt enim fiſcus creditor. Baldus *L. Alia de his quibus, ut indignis &c.* ergo tenetur ad omnia vota realia Rei, quandoquidem hæres, cui comparatur fiſcus. Gloſſ. & Bart. *in Leg. Inter eos. §. fin. ff. De fidejuſſ.* debet talia defuncti vota præferre legatis. Sanchez *Lib. 4. De voto. cap. 15. num. 39.* Laymannus *Lib. 4. Tract. 4. cap. 3. num. 13.* ſiquidem vota verè adſtringebant teſtatorem, non autem legata, utpote quæ poterat ipſe revocare liberrimè per jura vulgata.

48 Ad ſecundum dubium propoſitum *num. 47.* reſpondi, nequaquam exigi conſenſum Rei, ſive ponamus fieri commutationem, ſive ponamus non fieri, nam fruſtra expectatur, & requiritur eventus cujus, nullus eſt effectus. DD. *ex cap. Cùm contingat. De officio jud. deleg.* eſt autem nullus jam effectus conſenſûs præſtandi vel negandi ab Achatio, quia ejus, cui bonis interdictum eſt, nulla voluntas eſt. *text. in L. Furioſa. ff. De Reg. jur.* eſt autem Reo læſæ Majeſtatis interdictum bonis, omníque illorum alienatione, permutatione &c. DD. omnes ex *Leg. fin. ff. Ad L. Juliam. Majeſt.* & alibi, adeò ut licèt donatio uxori facta ante aliud crimen commiſſum ſubſiſtat *Leg. Res eod. De donat. inter virum & uxorem.* Non valeat tamen, ſi illud crimen ſit læſæ Majeſtatis. *L. Cùm hic ſtatus. §. Si donator ff. De donat.* ubi eſt ſermo generalis de eo, cujus memoria damnata eſt.

49 Unde (ut per parentheſin illi antiquiori Caſui adjiciam hunc recentiſſimum) negata fuit Anno 1671. Ungaris proceribus Majeſtatis accuſatis, & confeſſis, poteſtas faciendi quantumvis valde pia, pretioſa tamen legata ad pias cauſas, ut liquet ex Actis publicis; attamen Auguſtiſſimus Leopoldus avita inſtitutione: naturali indole doctus, & ſolitus efficere,

Ut bene conveniant, & in una ſede morentur,

Clementia & Juſtitia, clementiſſimè recepit, ſe bonam talium legatorum partem exſoluturum.

QUOMODO VOTUM SIT DE RE BONA MELIORE, ET POSSIBILI.

CASUS II.

Multùm Religioſæ.

SUMMARIUM.

Votum debet eſſe de re bona? 51.
An valeat votum non ſpuendi in Eccleſia? 50. & 66.
An valuerit votum Jephte? 53. & ſeqq.
An filia Jephte fuerit obligata, ut ſe fineret mactari? 56.
Refertur deteſtandum votum Iuliani Apoſtatæ. Ibid.
An valeat promiſſio Doni B. V. offerendi, ſi filia impragnata moriatur, antequam cum dedecore familiæ pariat? 57.
An valeat votum filiæ non nubendi ulli alteri, ſi parentes in nuptias cum ſtupratore non conſentiant? Ibid. & ſeq.
An valeat votum ſtudioſi, promittentis Deo triplicem Confeſſionem ſi aſcenderet? 59. 66. & ſeq.
Materia voti poteſt eſſe res indifferens, dummodo aptè dirigatur ad bonum finem. 60. & ſeq.
Finis votorum alius eſt Proximus ſeu Intrinſecus: alius Remotus ſeu Extrinſecus? 62.
Extrinſecorum alius Immediatus, alius Mediatus. Ibid.
Regula dignoſcendi quiſnam finis voventis irritet votum? 63. & ſeq.
Exempla votorum invalidorum defectu bonitatis materiæ. 68.
An valeat votum nihil vovendi inconſulto Confeſſario? 69.
Aut nunquam petendi diſpenſationem Voti? Ibid.
Votum debet eſſe de meliore bono reſpectu voventis. 70. & ſeq.
Debet eſſe de bono non ſolùm phyſicè, ſed etiam moraliter poſſibili. 72.
An valeat votum nunquam deliberatè peccandi venialiter? 73. & 96. Caſu ſeq.
Aut efficiendi ſemper, quod perfectius eſſe intelligitur? 74.
Quid ſi quis voveat rem ex una parte poſſibilem; ex altera impoſſibilem? 76. & ſeqq.

BLeſilla nobilis Matrona obſtrinxit ſe voto nunquam ſpuendi in Eccleſia, de quo voto cùm certiorem feciſſet ſuum Confeſſarium, virum prudentem, ſolvit eam Religione voti, mandans ei, ut ſpuere in Eccleſia, cùm res ferret, nequaquam formidaret, ſed de cætero in Eccleſia ſervaret ſilentium, & rationem reddidit: nam ſpuere in Eccleſia non eſt peccatum, ſed in multiloquio non deeſt peccatum. 50

Ita

Ita teſtatur Stephanus Tornac. Epiſt. 1. referente P. Theophilo Raynaudo *in Heteroclitis ſpiritualibus* (continetur hic liber in Tom. XV. operum hujus omniſcii Scriptoris) *ſect. 2. punct. 2. n. 9.* ubi non immeritò quærit, utrùm ille Confeſſarius non errârit, dum illud votum nihili duxit? Et verò ejuſmodi votum, ſeu promiſſionem non eſſe ex ſe ſpernendam, ſed eſſe laudabilem, adeóque habere poſſe omnes conditiones voti propriè dicti, oſtendemus *n. 62.* priùs tamen declarabo, quomodo votum debeat eſſe de re *bona*, poſtmodum de *meliore*.

51 Dico igitur I. Votum debet eſſe de re bona, ſeu id, quod nos Deo promittimus, debet eſſe res bona. Ita omnes cum S. Tho. *2.2.q.88.a.2. in corp.* ita ſapienter ratiocinante: Votum eſt »promiſſio Deo facta, promiſſio autem eſt alicu»jus, quod quis pro aliquo voluntariè facit; non »enim eſſet promiſſio, ſed cominatio, ſi quis dice»ret, ſe aliquid contra aliquem facturum. Simili»ter vana eſſet promiſſio, ſi quis alicui promitte»ret id, quod ei non eſſet acceptum. Et ideo cùm »omne peccatum ſit contra Deum, nec aliquod »opus ſit Deo acceptum, niſi ſit virtuoſum, con»ſequens eſt, quòd de nullo illicito, nec de ali»quo indifferenti poſſit fieri votum, ſed tantùm »de aliquo actu virtutis. Ita D. Angelicus.

52 Hinc ſequitur votum de re mala non eſſe votum, nec ſervari debere, etſi eſſet votum, quod declaro duplici Caſu, uno dubio, & ſimul certiſſimo, altero non dubio.

Caſus dubius, & certiſſimus.

FActus eſt ſuper Jephte Spiritus Domini, & tranſiens ad filios Ammon votum vovit Domino dicens*: Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicunque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace à filiis Ammon, in holocauſtum offeram Domino, *quos etiam tradidit Dominus in manus ejus. Revertente autem Jephte in Maſpha domum ſuam, occurrit ei unigenita filia ſua, cum tympanis, & choris. Qua viſa ſcidit veſtimenta ſua, & ait*: Heu me! filia mea decepiſti me, & ipſa decepta es: aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero.

53 Divina Scriptura *Judic. cap. 11.* certitudinem parit huic narrationi omnimodam, quo ad ſpeciem facti; quo ad punctum juris magnam dubitationem, hoc enim votum fuiſſe verè, propriéque votum, adeóque de re licita innuit ipſe textus, ſingulariter intellectus juxta Regulas Jureconſultorum, quibus cùm ſit, & meritò perſuaſum, eſſe ſummam rationem habendam verborum ſignificationis propriæ, valde ſolerter indagant, undenam vera, propriáque verborum ſignificatio deſumenda ſit; atque inter reliquas Regulas huc facientes tradunt iſtam, quòd clauſula poſita in priore parte alicujus narrationis ſubaudiatur in ſequenti parte ejuſdem orationis, uti ſæpius memoravi, & idonea Authoritate firmavi, in utroque meo Tomo. Atqui patet ex verbis huc tranſlatis, ex ſacro codice poni in prima parte hujus lugubris narrationis hanc clauſulam: *Factus eſt ſuper Iephte Spiritus Domini,* in altera autem parte repræſentari votum Jephteum, ergo ſicut Jephte impulſus Spiritu Divino movit in filios Ammon, ita etiam Divino Spiritu edidit illud votum, quo non quidem expreſſè, ſeu explicitè, implicitè tamen involvebatur immolatio propriæ filiæ, juxta explicationem vocularum *implicitè*, & *explicitè*, quam adfero, & ſequor in Experientiis *Tract. 1. ſect. 3. num. 66.*

E diverſo illud votum non fuiſſe propriè votum, utpote impium, ferè perſuadet autoritas multorum, quos referunt Nicol. Serarius in hoc ipſum Judic. *cap. 11. quæſt. 17.* & Jacobus Salianus in Annal. *Eccleſ. veter. teſtam. ad Annum mundi 2850.* qui proinde Patres, & ſcriptores partim implicitè aſſentiuntur, partim aſſentiri videntur Tertulliano, qui conſentaneè ſuo ſcabro (ut alicubi appellat P. Raynaudus,) atque ſevero genio, in carmine contra Marcionem differens de hoc voto Jephteo ſtatuit hoc tragicum Epiphonema. 54

Pro ſcelere obtinuit famam, pro crimine laudem.

Verùm non modò S. Auguſtinus *quæſt. 49. in Lib. Iud.* abſtinuit tam à vituperio, quàm laude hujus Herois, totam rem relinquens in medio, ſed etiam Serarius *cit. quæſt. 17. num. 4.* & Salianus etiam *loc. cit.* non ſine ſuffragio nonnullorum, atque rationis defendunt, votum illud fuiſſe omnino ſanctum, eò quòd dubitari non debeat, quin Deus, qui vitæ, ac mortis noſtræ Dominus eſt, potuerit ſuggerere, imò etiam imperare illi bellatori nuncupationem talis voti, ſuggeſſiſſe autem, probat tum illa, quam produxi ex Jureconſultis Regula, tum alia valde univerſalis ſimul, ac ſummè obſervanda tunc, cùm agitur de geſtis illorum, quos conſtat eſſe Sanctos cœlites, interpretandis, & quam *cit. quæſtione 17.* tradit his verbis Serarius: Videtur æquitas, & modeſtia» poſtulare, ut viris alioquin claris, Sanctis, cœ» lóque jam receptis nullum impingamus cri» men, nullam delicti alicujus inuramus notam,» niſi vel Scriptura, vel evidens id evincat pro» batio. Conſimilis eſt ratio, qua idem ſcriptor purgat ab omni mendacio omnes Sanctæ Judithæ viduæ locutiones mendacium præſeferentes, ſic enim in Lib. Judith. *cap. 13. quæſt. 9.* ſapienter ſcribit, & piè: Poſtulat ratio, ut in» magnorum, Sanctorúmque hominum verbis» (factis) veritas (inculpabilitas) inveniri ſi ulla» potuerit, neque ii ullius à Scriptura mendacii» (criminis) accuſantur, à nobis etiam nullo mo» do accuſentur. Subſumo: atqui ex una parte» 55

Jephte

Digitized by Google

Jephte accenſetur verè Sanctis à S. Paulo *Heb. 11, verſ. 32.* ex altera autem parte nulla Scripturæ autoritas, nulla evidens convincit probatio eſſe à Jephte contractum crimen, dum vovit, quin potiùs ſuppetit ratio illud factum excuſandi, imò & laudandi, ſed laudandi, & excuſandi ob cauſam indicatam, à qua aberat longiſſimè, & proinde ſummè deteſtandum erat illud

Juliani Apoſtatæ votum.

56 *QUi bellum adverſus Parthos parans, cùm Romanas vires contractas undique ad deſtinatam ſecum pertraheret perditionem Chriſtianorum, ſanguinem Diis ſuis vovit, palàm perſecuturus Eccleſias, ſi victoriam adipiſci potuiſſet. Nam & Amphitheatrum Jeroſolymis exſtrui juſſit, in quo reverſus à Parthis, Epiſcopos, Monachos, omnéſquè ejus loci ſanctos beſtiis etiam arte ſævioribus objiceret; ſperarétque laniandas, ut loquitur, teſtatúrque Oroſius* Lib. 7. c. 10. *ſuarum Hiſtoriarum.*

Cujus narrationi ſubdo in primis, tametſi Jephtias non fuerit per ſe, & in abſtracto loquendo ligata voto parentis, ob cauſam allatam ſuprà *n. 42.* attamen fuiſſe per accidens, & in concreto, ſi videlicet ponamus, votum parentis editum fuiſſe juſſu divino, ſi autem ſolo verè poſitivo permiſſu Dei, poterat & ipſa permittere ſe mactari, quia diſpoſitum de uno correlativorum, cenſetur eſſe etiam diſpoſitum de altero. *DD. ex Leg. Curatorem. Cod. De interd. Matrim.* At *tenebatúrne?* Hæreo, quia ex una parte tenemur cuivis permittere uſum privilegii, quod in nos habet, alioquin foret id fruſtraneum, ex altera poterat illa permiſſio eſſe ſolùm hypothetica, caſu, quo filia ſponte conſentiret. Caſui Jephtei voti, quem haud immeritò nominavi *Dubium* ſubjicio hunc

Caſum non dubium.

57 *BArbara filiam ſuam nuptiarum expertem, amatoris congreſſu gravidam agnoſcit, ex cujus partu filiæ tum maximè familiæ naufragium proſpiciens, Beatiſſimæ Virgini vovet, ſi, priuſquam pariat, extinguatur filia, mille aureis nummis ſe beneficii gratiam remuneraturam. Contra vovet filia niſi parentes illi, è quo gravida erat, in Matrimonium collocent, cujuſvis alterius viri ſe nuptias repudiaturam.*

Sic loquitur P. Paulus Comitolus *Reſp. Moral. Lib. 1. quæſt. 15.* teſtans, ſe à probatiſſimo Sacerdote fuiſſe conſultum, quid de hoc voto utroque ſentiret. Reſpondit autem, primum fuiſſe nullum, utpote impium, quandoquidem illa vel improba, vel imprudens mater, volebat, inducere ſuis mille aureis Deum, ut fœtui incluſo in utero filiæ vitam adimeret, priuſquam regeneraretur in Chriſto.

De voto autem filiæ pronuntiat idem Theologus, fuiſſe ratum, quandoquidem ex una parte promiſerat ſtupratori Matrimonium, ex altera nihil indecens apparebat in eo voto. Cujus reſponſi, & aliorum in decurſu clarè, vel obſcurè indicandorum cauſam, & declarationem, priuſquam adferam, pono hìc iſtum 58

Caſum repetitum.

BOnitus literarum alumnus vovet ſub finem Anni ſcholaſtici Deo triplicem confeſſionem, ſi ejus divino auxilio promoveatur ad ſcholam ſuperiorem: Promovetur edito hoc voto. An cenſendus teneri ad ejus executionem? Et conſequenter, ſeu potiùs antecedenter quæritur, ſubſiſtátne hoc votum, cùm non videatur eſſe de re virtuoſa, qualem requirit S. Thom. verbis deſcriptis ſuprà n. 51. *ſed indifferente, aſcenſus enim in ſcholam ſuperiorem nec juſtitiam nec injuſtitiam habet, ut loquar cum S. Hier.* Epiſt. 89. 59

Voco hunc Caſum repetitum, quia illum ipſum jam propoſui, atque reſolvi loco proprio, ſimul & alieno, videlicet in Experientiis *Tract. 6. Caſ. 12. num. 300.* ubi tracto de Confeſſione debita ex voto. 60

Igitur eſt pro praxi probè obſervandum; quando dicitur votum eſſe neceſſariò de re bona, non indicari rem illam, quæ per votum promittitur, eſſe debere ex natura bonam, neque etiam ſignificari, rem ex natura ſua indifferentem eſſe generatim, ſeu ſemper ineptam voti, ſeu materiam, ſeu finem, contrarium enim eſt apud omnes receptum. Verum autem eſt inprimis, rem indifferentem, ſeu quæ de ſe nullam continet honeſtatem, decentiámve naturæ humanæ, ſeu bonitatem moralem, laudabilitatémve, non eſſe poſſe materiam voti, quamdiu manet indifferens hoc enim convincit authoritas, & ratio S. Thomæ allata ſuperius *n. 51.* ſi verò illa res ex ſe indifferens ſaltem virtualiter referatur aptè ad finem bonum, poteſt eſſe materia voti, quia hoc ipſo, quòd referatur aptè ad finem bonum, deſinit eſſe indifferens, incipítque eſſe bona, quandoquidem bonitas, vel malitia finis redundat, vel maximè in opus directum ad ipſum S. Thom. *1. 2. q. 95. art. 1.*

Dixi: quæ aptè referuntur ad finem honeſtum, non ſi ineptè, ut e. g. ſi quis promittat ſe ad honorem Sanctæ Trinitatis eſſe quotidie lecturum tres verſus ex Ovidio Naſone, illud quippe ſolum dicitur aptè fieri ad honorem DEI, quod aptè fit ad teſtificationem noſtræ opinionis, quam habemus de Excellentia Divina *S. Tho. 2. 2. quæſt. 103. art. 1.* hanc autem opinionem aptè non teſtamur præciſè legendo tres verſus profanos, faciendo tres ſaltus. Quòd ſi autem per illos ſaltus, aut per ejuſmodi lectionem infigeretur altiùs menti memoria trium divinarum Perſonarum, rectè diceretur, illos ſaltus Chriſtianè, aptè, & prudenter dirigi ad hono- 61

Digitized by Google

honorem Dei, adeóque poſſent, ut ſic eſſe objectum voti. Unde facilè judicabis, quo ſint loco habenda vota de non nendo in honorem Deiparæ diebus ſabbatinis, non edenda vel carne toſta, vel capite vitulino in honorem SS. Joannis Baptiſtæ minuti capite, S. Laurentii toſti igne. Huc referunt Sanctgallenſes in ſuo Curſu Theol. *Tom. 7. Tr. 1. Sect. 3. quæſt. 6. dub. 2.* votum abſtinendi die Dominico toſtis carnibus, interim edendo elixas ad ſatietatem. Imò Leander referendus infrà *Caſ. 22. n. 953.* damnat ſuperſtitionis jejunantem ex voto die Paſchatis.

62 Verum deinde eſt, finem voti ſæpe eſſe duplicem, imò etiam triplicem, adeóque proximum, ſeu intrinſecum, & remotum, ſeu extrinſecum, mediatum & immediatum. Finis voti proximus, atque immediatus, intrinſecúſque eſt is, ad quem materia voti dirigitur ſuapte natura; remotus autem, ſeu mediatus, & extrinſecus eſt is, ad quem præter, aut etiam contra ſuam naturam, ſeu inſtitutionem dirigitur à vovente; hanc ob rem finis proximus dicitur propriè, & rigidè finis voti, remotus, & mediatus appellatur impropriè, ſeu largè finis *voti*, propriè autem finis *voventis*, ut liquet exemplo Boniti ſuprà *num. 59.* cujus triplex voto promiſſa Confeſſio habebat pro immediato, proximóque fine emundationem conſcientiæ, pro mediato, & remoto exorationem patrocinii Mariani; pro adhuc magis remoto aſcenſum ad ſuperiorem claſſem. Illa emundatio animi rectiſſimè dicitur eſſe propriè, & ſtrictè finis voti, quia Sacramentum pœnitentiæ, cujus ſuſceptionem velut materiam voverat Bonitus, eſt ex ſe inſtitutum ad emaculationem culparum; exoratio patrocinii Virginei erat finis voventis, utpote qui præter naturam hujus Sacramenti dirigebat illud ad impetrandam interceſſionem Deiparæ; finis quoque, ſed mediatior, & remotior ejuſdem voventis erat actualis promotio; ad quam quia Chriſtus Dominus non inſtituit Confeſſionem Sacramentalem, idcirco & hæc vel maximè dicitur fuiſſe finis ipſiuſmet voventis Boniti, non autem Confeſſionis, aut voti.

63 Quia verò didici multiplici uſu, perſæpe dubitari, hícne, an ille finis mediatus, ſeu adjectus ab ipſo vovente vitiet, aut etiam irritet ipſum actum, ſeu promiſſionem factam Deo, idcirco ſtatuo pro tollendo communi dubio

Hanc mihi ipſi novam Regulam.

NOvam, inquam, mihi, quia non memini me legere apud quemquam expreſſam. Eſt autem hujuſmodi: *Omnis ille, & ſolus finis extrinſecus irritat votum, pro quo obtinendo irreverenter, & ineptè oramus expreſſè Deum.* Ratio eſt, quia quoties nos noſtram votivam promiſſionem, adeóque materiam voti dirigimus ad aliquem finem conſequendum à Deo, toties oramus implicitè, & virtualiter Deum, ut nobis illum concedat; eſt autem eadem ratio expreſſi, & impliciti. DD. apud Barboſam *Axiom. 218.* ſingulariter in hac materia, ſiquidem illa verba Marthæ ad Chriſtum *Ecce quem amas, infirmatur*, habuêre rationem & vim Orationis. *S. Thom. 2. 2. quæſt. 53. art. 17. in corp.*

Unde quia oratio definitur petitio rerum decentium à Deo. Suarez *Tom. 2. De Relig. Lib. 1. De orat. Cap. 1. n. 8.* magna irreverentia hunc afficimus, ſi quid indecens ab eo poſtulemus; idcirco turpiter inquinamus noſtra vota, quando illa emittimus ad impetrandum à Deo quidpiam indecens, non autem inquinamus, ſi res quam intendimus conſequi per votum, hujuſque executionem ſit ejuſmodi, ut poſſimus eam honeſtè, ſeu ſine ulla irreverentia numinis petere à Deo extra omne votum. Poſſumus autem extra votum petere ſine irreverentia (loquor in hac Regula de illa ſola irreverentia, quæ eſſentialiter, ſeu planè neceſſariò ineſt petitioni conſideratæ ſecundùm ſuum hîc & nunc objectum) à Deo abſolutè, & ſine conditione ſcientias aliquas, valetudinem, longam vitam. Suarez *ibid. Cap. 17.* eò quòd ſint naturales perfectiones hominis, deceántque naturam humanam. Idem dic de honeſtis fortunis, bona fama, tempeſtate frugibus commoda. Si autem videamus aliqua horum obfutura noſtræ ſaluti æternæ, poſſumus contraria iis, adeóque fœditatem vultûs, morbum poſtulare à Deo, tum nobis, tum alteri, cui profutura videmus ea contraria, conſequenter valebit hoc votum: *Domine Deus, ſi hunc, aut illum periculoſè ſua dignitate ſuperbientem humiliaveris ad ſuam ſalutem, voveo me hoc, aut iſtud largiturum pauperibus.* 64

Quòd ſi quidpiam enumeratorum, aut his ſimilium, imò apertè ſanctitatem, aut continentiam petamus à Deo in malum finem, peccamus mortaliter, utpote cupientes, ut Deus ſingulariter cooperetur noſtro malo propoſito. Addit Suarez *loc. cit. Cap. 23. n. 5.* repugnante Martino Bonacina de Horis Canonicis *Diſp. 1. quæſt. 1. punct. 1. n. 11.* nos peccare venialiter, ſaltem contra reverentiam Deo debitam, petendo ab illo res indifferentes, ſine virtuali ſaltem intentione utendi illis honeſtè, ſeu virtuoſè; intelligit autem per res indifferentes magnas divitias, dignitates, lucrum in luſu, & ſimilia, quæ quidem non ſunt in ſe mala, ſed neque ſunt etiam ita bona, ut naturæ humanæ debeantur. Quapropter non ſubſiſtet judice Suario votum audiendi Sacrum, ſi eligaris in Conſulem, ſi aleis ludendo lucreris decem aureos, niſi habeas virtualem intentionem hiſce bene utendi &c ſicut nec judice Sanchez *Cap. 8. n. 5.* valet votum de triplici. E. g. communione: *Si Deus dederit uxorem prædivitem*, ſecùs ſi voveatur illa communio caſu, quo Deus dederit aptam uxorem. Lege omnino ſingularem Caſum Aucupis deſcribendum infrà Caſu 20. *num. 751.* 65

Ex

66 Ex quibus deduces facilè, an, & quatenus ſubſtiterint, & rectè reſoluta ſint vota, quæ produximus *num.50.55.57.59.* Nunc ad productum *n.50.* quod attinet, rectè oſtendit Raynaudus loco illic citato, votum Bleſillæ, etſi de re indifferente conceptum, fuiſſe tamen validum, & gratum Deo, ſi Bleſilla ſputationis cohibitionem vovit, ne ſuis ſputis macularet Eccleſiam cum nauſea, malòve exemplo aliorum. Quod autem ſpectat ad votum Boniti, de quo *n.59.* conſtat materiam voti ab eo nuncupati, finéſque fuiſſe illam & illos, quæ ſuprà *n. 62.* expreſſi, ubi apparet, materiam voti fuiſſe ſanctam ex ſe, finem verò non tam voti, quàm voventis fuiſſe aſcenſum ad altiorem claſſem, qui aſcenſus ex ſe nihil mali continebat, imò ex ſe juxta communem curſum conducebat ad impediendam gravem indignationem parentum, oblocutiones coacti remanere in inferiore claſſe &c. ſicuti expertus ſum pridie quàm hæc exararem.

67 At *quid ſi idem Bonitus, de quo ſuprà, prævidiſſet, aſcenſum illum fore ſibi cauſam, occaſionémve peccatorum?* Reſp. Si intendiſſet aſcenſum, ut inſtrumentum hujus, aut illius peccati, tum petitio continuiſſet gravem irreverentiam Dei, quia finis materiæ voti, adeóque ipſiuſmet promiſſionis fuiſſet impius, utpote ſpecialis Dei cooperatio ad malum, at ſi non intendiſſet ut inſtrumentum peccati, ſed ſolùm prævidiſſet, ſe occaſione illius aſcenſûs lapſurum invaria peccata, non video, cur non fuiſſet tale votum comparandum cum eo, quo tot homines conantur exorare à Deo reſtitutionem ſanitatis, prolongationem vitæ, quando probabiliter timent, ſe in ſuæ animæ detrimentum aliquod abuſuros valetudine, diuturnitatéque vitæ, quæ quidem vota non auſim generatim negare eſſe valida, quia licèt edantur *malè*, poſſunt tamen impleri *bene.* ut loquar cum Sanctgallenſibus, ſeu Autore Curſus Monaſterii S. Galli *cit. Tract.1 ſect.3 quæſt 6. dub. 1.* ſiquidem poſſunt nihilominus referri ad bonum finem, ſicut & poteſt aliquod votum eſſe validum, tametſi ſit ſummè illicitum, ut liquet exemplo filii, qui ſciens, ſuum patrem perægre laturum, ſi fiat Religioſus, verberatus autem à patre, ut huic dolorem pariat, jurat, ac vovet coram illo ſe fore Monachum.

Qua quidem in actione peccat graviter, ut per ſe liquet, valet tamen votum, ſi illud quo ad ſubſtantiam non edat, ut dolorem adferat parenti, ſed in honorem Dei, illicitum tamen eſt quo ad circumſtantiam loci, ſeu præſentiam patris, quam ſolam eligit in pravum finem, quemadmodum nec licitum, nec validum foret votum, ſi cauſa finalis abſolutè vovendi foret indignatio genitoris. Vide Gregorium de Valentia *Tom.3. Diſp.6. quæſt.6. punct. 20.* addentem, nec illud votum ſubſiſtere, quod de re etiam optima ſuſcipitur ad gratias agendas Deo pro ſcelere à ſe patrato, continet enim ejuſmodi votum grandem irreverentiam, & quaſi contumeliam Dei. At quia non cedit in Dei contumeliam, ſi dicas: *Voveo me in gratiarum actionem pro ſervata vita fore Religioſum, ſi in duello jam jam ſuſcipiendo occidero adverſarium potiùs, quàm ille me,* ideo ſubſiſtit tale votum. Sanctgallenſes *cit. dub.2.* legendi.

Quia verò materia voti debet eo, quo dixi, modo eſſe bona, bona verò non eſt, ſi repugnet legi naturali, divinæ, vel humanæ, idcirco non valet votum de faciendis magnis largitionibus in pias etiam cauſas, ſi nequeant expediri ſine præjudicio creditorum, ſine evidenti periculo incurrendæ impotentiæ ad alendos liberos, uxorem, parentes, ſine jactura ſacri audiendi die feſto. At *quid ſi votum peregrinationis incompoſſibile cum auditione ſacri feſtivi?* Reſp. Vel illa peregrinatio cedet in majorem Dei gloriam, vel non cedet? Si non cedet, votum erit irritum, quandoquidem Deus regulariter prohibet res ſolius conſilii præferri rebus præceptis. Si cedat, habebit Laymannus id votum pro licito, ut liquet *ex cap.2. n.6* habebit & Sanchez *cit. Lib.4. cap.5. in fine, & cap.6. n.2.* Dixi, res ſolius conſilii non eſſe *regulariter* præferendas rebus præcepti, non autem *nunquam.* Ego enim in Experientiis Theolog. *Tract.10. Caſ.13.* in Appendice Apologetica, quam attexui poſt Sect. primam editionis Venetæ hoc Anno 1671. prelo liberatæ, atque plurimis acceſſionibus locupletatæ, demonſtro adverſus Stephanum à S. Paulo peracerbè ſtringentem in me calamum, Denuntiationes matrimoniales, tametſi præceptæ ſint per ſe ſub mortali, attamen omitti poſſe propter Benedictiones, eſto hæ ſint in ſolo conſilio &c. Lege illam Apendicem, & reperies caſus, quibus apertè convincitur erroris in materia Caſuiſticâ, ut ſcribunt Galli, Gallizantéſque, ſeu Caſiſticâ, ut Germani, illa illimitata ſuppoſitio, imò aſſertio Stephaniana. 68

Dictis de bonitate materiæ eſſentialiter requiſitâ ad valorem voti addo cum Laymanno *cap.2. num.5.* & aliis, etſi per ſe loquendo, non liget votum nihil vovendi inconſulto Confeſſario, cùm ſine dubio poſſit non rarò fieri, ut ſit melius edere hic & nunc aliquod votum, quàm differre ad arbitrium Confeſſarii, valde tamen ſcrupuloſis, levibus, inconſtantibus, imprudentibúſque maſculis, & fœmellis generatim eſt conſultius non ſe obligare voto abſque conſilio Confeſſarii, ſeu alterius habentis bene perſpectam illorum indolem, quàm ſe obligare, quare hi providè agunt auferendo ſibi ipſis poteſtatem vovendi ſuapte ſponte quidpiam. 69

At *quid ſi poſtea aliquod edant, ſubſiſtétne hoc ſecundum?* Reſp. Subſiſtet, ſi memores prioris edant (utique cum peccato) ſecundum, ſi immemores, credo non valere, cùm enim iſtud ſit ex ſe malum, utpote repugnans priori licito, validóque, nemo autem præſumatur peccare velle, jure aſſeritur non ſubſiſtere. Sed & Sanchez *cap.8. num. 21.* negat, tenere votum, quo abſolutè promittas Deo, te nunquam petiturum diſpenſationem hujus, aut illius voti,

Palaus autem cenſet contrarium. Vide Caſum ſingularem infrà *num.333.*

70 Dico II. Votum debet eſſe non ſolùm de re bona, ſicuti explicatum eſt, ſed etiam de meliore, non quidem ita, ut id, quod vovetur, ſit melius quolibet alio, tunc enim ſequeretur, nullum votum fore firmum, niſi editum de ſummo bono, ſed ſenſus communis illius doctrinæ eſt, quòd votum debeat eſſe de re meliore, quàm ſit illa, cui privativè, & directè opponitur res, ſeu actio promiſſa voto.

At, *debétne illa bonitas ſpectari in ſe, an reſpectu voventis?* Sunt enim aliqua valde quidem in ſe bona, non autem reſpectu voventis, ſicuti caſtitas eſt in ſe quidem aliquid melius Matrimonio, at non reſpectu illius, qui poſt prægnantem ſponſam edit votum caſtitatis, huic enim non eſt melius, imò eſt pejus ſervare continentiam, quàm non ſervare, ſi ſponſa nolit, quandoquidem tenetur talem ducere, ut explicavi in Experientiis *Tr.10. Caſ.8. n.318. & 320.*

Reſpondet directè ad propoſitam quæſtionem Raynaudus *cit. Tract.* De Heteroclitis *Spiritual. ſect.2. punct.2. n.61.* his verbis: Nomine »boni melioris, de quo ſolo dicitur emitti poſſe votum validum, intelligi debet opus illud, quod non eſt incompoſſibile cum aliquo bono in ſe meliore, eſto reſpectu voventis, ut eſt particularis perſona, poſſet fortaſſis oppoſitum eſſe melius, juxta optimam diſtinctionem adhibitam à Gregor. De Valent. *Tom.3. Diſp. 6. q. 6. punct.2. difficult.4.* & Sanch. *Lib.4. Moral. c. 8. n.10.* Ita Raynaudus, qua de re vide plura in Experientiis *cit. Tract.10. Caſ.2.* & adde his ea, quæ tradidi de valore voti, quod quis edidit ad liberandum vel ſe ipſum, vel aliquam puellam graviſſimo periculo fornicationis. Adde quoque, doctrinam Raynaudi eſſe quidem veram in rigore, communiter tamen attendendum, quid ſit utilius voventi, ſiquidem voluntas Dei eſt ſanctificatio noſtra.

71 Adde inſuper ex Sanchez *cap.8. n.40.* votum nubendi e. g. non ideo præciſè eſſe irritum (loquendo communiter) quòd privet meliore bono, ſed quòd privet meliore bono, quàm ſit id, quod quis tunc habet, dum facit illud votum. Unde quando liber omni voto vovet Deo ſe ingreſſurum unam è minùs rigidis Religionibus, ſubſiſtit hoc votum, eò quòd Religio etiam minùs rigida ſit majus bonum, quàm libertas ab omni voto, qua libertate gaudet ante editum hocce votum. Similiter votum non procurandi, vel etiam admittendi Epiſcopatum, eſt certò, quidquid alii quidam negent, validum, quandoquidem Conſtitutiones Societatis noſtræ approbatæ quo ad omnia & ſingula. *Infrà Caſ.22. n.959.* à Sede Apoſtolica, habent reſpectu hominum Societatis pro omnino firmis, & ideo ſunt firma, quia bonum humilitatis, cujus intuitu editur tale votum, eſt quid melius dignitate, & ordine Epiſcopali. Vide Sanch. *cit. cap. num.37.*

72 Dico III. Votum debet eſſe de bono poſſibili, quia impoſſibilium nulla obligatio, illa autem poſſibilitas debet eſſe non ſolùm phyſica, ſed moralis quoque, ac proinde ſine impoſſibilitate, morali, quæ tunc eſt, quando aliquid nequit, vel viribus naturalibus niſi difficillimè fieri, vel ſupernaturalibus, niſi extraordinariis, ſeu ſingularibus. Unde videbis quid judicandum de hoc

Caſu Pontano.

P. *Ludovicus de Ponte Annis viginti ante mortem vovit, ſe nunquam deliberatè peccaturum venialiter, ut P. Henricus Lamparter teſtatur in hujus religioſiſſimi viri vitæ* L.2.c.6. Quæritur, an valuerit hoc votum? 73

Reſp. Juxta communia principia non valuit, eò quòd communis opinio contra Anglem, & Navarrum in Manual. *c.12. n.34.* ferat, tale votum eſſe de re moraliter impoſſibili, etiam ſuppoſita divina communi gratia. Vide Sanchez *c.5. De voto, n.10.* poſt Valentiam, & alios. At verò re ipſa, & in concreto fuiſſe validum credo, ductus in primis judicio, factóque illius non ſolùm ſapientiſſimi Aſcetæ, ut teſtantur ejus ingenii monumenta cedro digna, ſed etiam doctiſſimi, profundiſſimi Theologi, ut videre eſt apud eundem P. Lamparter *Lib.1. c.5.* qui proinde abſtinuiſſet nuncupatione illius promiſſionis, ſi ratus fuiſſet, eſſe irritam, aut continere quandam quaſi tentationem Dei, ductus deinde ea ratione, quòd vir ille Deo plenus, atque in ſchola amoris divini, tam diu, támque perfectè exercitatus non dubitârit de ſpeciali divino auxilio ad exequendum hoc promiſſum. Confirmo reſponſionem tum authoritate Navarri paulò antè relati, tum

Hoc voto Thereſiano.

S*iquidem Thereſia Chriſti Sponſa eo conſiliante maximè arduum votum emiſit, efficiendi ſemper, quidquid perfectius eſſe intelligeret,* 74 ut teſtantur Faſti Eccleſiaſtici in *Lectione ſecunda ſecundi Nocturni.* Quod votum majorem utique impoſſibilitatem continebat, quàm priùs illud, & quis in dubium revocet valorem ejus? Nec cenſeo, fuiſſe tantæ Virgini neceſſariam revelationem de certò adfuturâ gratiâ efficaci, ſpecialiter neceſſaria ad fidem datam ſervandam, ſed ſuffeciſſe conſilium divinum, quòd etſi fuerit ipſi maniſeſtiùs indicatum, quàm P. Ludovico de Ponte (nec enim auſim dubitare, quin ſuadente, & proinde conſiliante, ut verbo Romani Breviarii utar, Spiritu Sancto proruperit ad emiſſionem tam raræ ſimul & Heroicæ pollicitationis, utique autem eſt fas parere cuivis divinæ inſpirationi) attamen nil cogit dicere, adfuiſſe evidentem in atteſtante revelationem.

Quòd

Digitized by Google

75 Quòd ſi quæres, *utrùm & S. Tereſia, & Venerandus Pater de Ponte fuiſſent futuri rei noxæ mortalis, ſi vel ſemel fidem Deo datam feſelliſſent*, reſpondebo *Caſ. 3. num. 96.* præmittendo, valere utique votum de omnibus diviſivè venialibus vitandis, quandoquidem poſſumus ſecundùm legem DEI ordinariam ſingula, etſi non omnia, vitare, adeóque validè, imò & prudenter, ſi agnoſcamus nos cum gratia divina eò provectos, ut horreamus omne, aut ſpecialiter hoc, & hoc peccatum veniale, promittere, nos nunquam e. g. mentituros, nunquam ſub Sacrificio Miſſæ, aut penſi Canonici admiſſuros cum plena advertentia ullam diſtractionem &c. Et quidni multi Religioſi viri ſanctè, prudenter, ſine ulla temeritate voveant, ſe hoc, aut iſto die, nullam noxam venialem eſſe deliberatè contracturos? imò illo die nullam divinam inſpirationem repudiaturos? An verò votum confitendi aliquod certum veniale inducat lethalem obligationem dixi in Experientiis *Tract. 6. num. 306.*

76 Hiſce fuſiùs, ac cæteri ſoliti ſint, diſcuſſis adde de impoſſibilitate vitiante, aut non vitiante Religionem voti breviter ſequentia. 1. Qui vovit rem ex una parte poſſibilem, ex altera impoſſibilem, non tenetur ad eam, in quantum eſt impoſſibilis, ſed in quantum eſt poſſibilis, ut cùm quis vovit quatuor diebus jejunare una hebdomade, ſi par ſit tribus jejuniis perferendis, non autem quaternis, obligabitur ad terna. Et qui vovit ſe peregrinaturum ad certum pium locum, illicque oblaturum calicem, quem fabricari curavit, ſi furto tollatur is calix, non poterit quidem illum offerre (imò, ut dicam per parentheſin, nec aliū ejus loco tenebitur donare, niſi ſatis certus ſit ſuam intentionem fuiſſe vel illum, vel alium offerre) ut liquet per ſe, attamen tenebitur perficere peregrinationem, niſi ſimiliter ſatis certus ſit, ſe hanc voviſſe dependenter ab ob-
77 latione calicis. 2. Enim, quando pars voti, quæ manet poſſibilis, eſt tantùm acceſſoria partis redditæ impoſſibilis, tranſeunte hac in impoſſibilem, deſinit ea, quæ manet poſſibilis, ſubſtare obligationi, & viceverſa, ſicut non teneris geſtare domi cilicium, quando orta impoſſibilitate accedendi limina Apoſtolorum, nequis Romam te conferre, ſi voviſti te illuc profecturum in cilicio. 3. Si voviſti te pridie S. Gregorii eſſe jejunaturum, nequeas autem ob laborem, vel invaletudinem e. g. jejunare, non te obligo ad abſtinentiam à carnibus, & ſi non poſſis abſtinere à carnibus, non eſt interdicta tibi duplex refectio, cenſeris enim voviſſe jejunium more Eccleſiaſtico. 5. Qui vovit ſe ratione Jubilæi confeſſurum, nequit verò cætera præſcripta ad lucrandum Jubilæum perficere, non obligatur ad Confeſſionem; quandoquidem cadente cauſa principali cadit effectus.

78 Hæc & plura partim P. Sanchez *cit. Lib. 4. Moral. cap. 10. & 11.* partim Laymann. *De voto. cap. 2.* & alii exprimentes, eſſe ſingulariter in caſu, quo voti una pars ſola manet poſſibilis, alterâ converſâ in impoſſibilem, recurrendum ad mentem voventis, & in dubio præſumenda eſſe benigniora, ſingulariter quando illa præſumptio eſt conformis praxi aliorum communiter, ſicut & quando ſucceſſivè emiſiſti duo vota incompoſſibilia, ſtandum eſſe priore, quando hoc prius eſt de re æquè bona ac poſterius, imò poteris ſtare priore, etſi poſterius ſit melius ob cauſam adferendam *Caſu 3. num. 109.* ex quibus deduces reſolutionem

Hujus antiquioris Caſûs.

B*Ernardus dixit*: Mi Deus, ſi reddide- 79
ris mihi quietem conſcientiæ, ingrediar aut Religionem, aut Eremum, *obtenta illa quiete pulſat fores alicujus Monaſt.rii, ſed fruſtrà, eò quòd ſit herniacus, tenetúrne fieri Eremita*? De hoc Caſu me conſuluit ſcripto quidam probiſſimus Capellanus, nunc optimus Parochus Anno 1660.

Suppoſitò ex dictis (*Caſ. 1. n. 13.* verba Bernardi continuiſſe rationem veri voti, reſpondi, eum non eſſe adigendum ad vitam Eremiticam, eò quòd quando alterutra pars voti disjunctivi eſt tempore, quo votum editur, impoſſibilis, corruat votum, eſt quippe de ratione voti disjunctivi, ut pars utraque ſit poſſibilis. Sanch. *De voto cap. 13. num. 31.* ille autem Bernardus jam laborabat hernia (cum qua infirmitate nemo ſuſcipitur ad Ordinem Religioſum) tunc, cùm votum edebatur. Secùs autem reſpondiſſet Sanchez caſu, quo hernia ſuperveniſſet. Egò reipſâ abſolvi illum Bernardum, quia comperi eſſe mirè ſcrupuloſum, miris phantaſiis obnoxium, talibus autem hominibus diſſuadenda, & non ſuadenda eſt vita ſolitaria. Huic reſolutioni ſubjungo ſolutionem

Hujus recentioris Caſus.

E*Tenim 8. Februarii, Anno 1671. me con-* 80
venit Juvenis, opificio ſartor, qui voverat, ſe in vita cælibe, ínque ſua patria exerciturum tota vita ſuam artem. At poſtmodum didicit, eſſe Senatus conſulto vetitum, ne quis cælebs ullum in eo oppido exerceat opificium, niſi famulando alicui Magiſtro. Quæſiit ergo ex me ille bonus Juvenis, an eſſent nihilominus ſibi prohibitæ nuptiæ. Reſpond. Non eſſe, quandoquidem conditio dependenter à qua nuncupârat id votum, erat reddita impoſſibilis, adeóque non poterat ea ratione ſervare caſtitatem; qua ſe voverat ſervaturum. Et generatim promiſſio dependens ab alieno arbitrio, cenſetur eſſe de re impoſſibili, quando alter non vult conſentire.

QUÆ SIT OBLIGATIO VOTI, ET QUATENUS EXOLVENDA.

CASUS III.

Temulenti.

SUMMARIUM.

Caſus voventis abſtinentiam vini per menſem : poſtea tamen ebibentis totum vitrum in gratiam hoſpitis? 81. 91. & ſeq.

Nemo ſe obligat, qui non habet animum ſe obligandi? 82.

Obligatio, quæ verbis palàm non exprimitur, omiſſa intelligitur. Ibid.

Omne votum propriè dictum obligat ſub peccato. Ibid.

Per ſe loquendo votum de re gravi obligat mortaliter : de re levi venialiter? 83.

Poteſt vovens, ſi velit, in materia gravi obligare ſe tantùm venialiter, exceptis votis conſtituentibus ſtatum Religionis. 83.

Non poteſt vovens in materia levi obligare ſe graviter, etiamſi velit. Ibid.

Vnde deſumenda ſit Materiæ gravitas, aut levitas? 84.

De obligatione voventis parvum bonum opus quotidie præſtandum. 85.

Et voventis executionem voti certa die. 86.

Qui executioni voti nullum certum tempus præfixit, tenetur illud exequi quamprimum poteſt. 87.

Publica tamen neceſſitas vel utilitas permittit dilationem etiam voti gravis & reſervati. Ibid.

Vota realia tranſeunt ad hæredes : non autem Perſonalia. 88.

Votis rei indeterminatæ ſatiſſit rebus etiam non optimis : imò infimis, niſi vovens majus quid intenderit. 89. & ſeq

Quid illi, qui voveret feriis ſextis ſolum panem : pridie verò B. Aloyſii nullum panem comedere, faciendum eſſet, ſi Vigilia B. Aloyſii incideret in Feriam ſextam? 98. & ſeqq.

Vota quandoque interpretanda ſunt more patrio. 100. & ſeqq.

81 *CReſcentius patravit in temulentia turpe aliquod peccatum, à quo priùs multùm abhorrebat. Redditus ſibi, & rationi vovet, ſe per integrum menſem abſtenturum omni potu vini, at poſtmodum ſemel in gratiam hoſpitis ebibit totum vitrum. An, & quantum peccavit?*

Pro reſolutione hujuſce Caſûs non ficti, ſed facti pluriúmque aliorum directè tangentium obligationem voti, do compendio ea, quæ huc pertinentia, recepta ſunt in ſcholis Theologicis, atque ad praxin transferri queunt.

82 I. Supponenda, & ſemper memoriæ objicienda eſt illa veriſſima Regula, quam Gloſſa communiter recepta tradit in cap. *Literaturam. De voto & vot. redemptione* his verbis: *Nemo ſe obligat, qui non habet animum ſe obligandi.* Supponenda & illa, quæ *Leg. 99. ff. De verbor. oblig.* habetur : *Quidquid adſtringendæ obligationis eſt, id, niſi palam verbis exprimatur, omiſſum intelligendum eſt.* Item & illa : *Actus præſumitur in dubio factus ſecundùm ejus naturam.* Menoch. *De præſumpt. Lib. 6. præſumpt. 10. per tot.* Supponendum eſt tertiò, omne votum propriè dictum obligare ſub peccato, ut docent omnes, nec enim promiſſio facta Deo, poteſt non obligare ad culpam, éſtque obligatio neceſſaria proprietas voti. Unde ſingulariter tradit Cardinalis de Lugo *in Reſponſ. Moral. Lib. 6. dub. 8.* illud non fore etiam in lata ſignificatione votum, quo quis expreſſè vellet ſe obligare ſolùm ſub imperfectione, excludendo à transgreſſione omnem etiam venialem culpam.

II. Itaque votum de re gravi obligat, per ſe 83
loquendo, graviter, adeóque ſub mortali, de re levi leviter, adeóque per ſe loquendo ſub veniali duntaxat. Dixi: *Per ſe loquendo*, etenim ſi expreſſè velis, te ſolùm ſub veniali obligare ad obſervandum votum de materia pergravi editum, probabiliſſimè eris reipſa obligatus ſolùm ſub veniali. Notat tamen Lugo *loc. cit.* illud non debere ſimpliciter, & abſolutè dici votum Caſtitatis, aut Obedientiæ, quo te obligares ſolùm ſub veniali, & proinde neutrum eſſe aptum conſtituendo ſtatui Religioſo, ſicut neque ſponſalia, aut alii veri contractus, poſſent conſtitui promiſſionibus obligantibus (in re gravi) ſolùm ſub veniali, quæ ego credo eſſe idcirco vera, quòd & ſtatus Religioſus includat eſſentialiter ſtabilitatem, & conſequenter ſupponat in votis ipſum conſtituentibus gravem obligationem, & tam ii, qui votivas, quàm qui contractuum promiſſiones directas ad ſe excipiunt, nolint excipere, acceptaréve, niſi firmentur voluntate ſeſe graviter obſtringendi. Hæc tamen non obſtant, quò minùs alia communia vota, in quibus non reperitur peculiaris ratio, poſſint edi cum intentione venialis obligationis. Conſentit Cotonius *Lib. 1. Controv. 12. n. 15.* ac Zœſius *Lib. 3. tit. 24. n. 45.* E diverſo minùs probabiliter teneberis ſub mortali ſtare voto de re levi, quando expreſſè voluiſti te obligare ſub lethali, materia enim levis, non eſt capax gravis obligationis. Equidem votum eſt ex omnium ſenſu lex quædam privata, quam ſibi ipſi quiſque fert, & quæ æmulatur legem publicam, ſicuti ergo publicus legiſlator poteſt, ſi velit, ſubditos obligare ſub levi duntaxat reatu culpæ, & pœnæ, etiam quando ſancit legem de re pergravi, & vice verſa nequit, ob materiæ incapacitatem, ſub mortali vetare, vel imperare actionem levis momenti, ita dicendum de voto.

Porrò materiæ gravitas, aut levitas non eſt 84
ſemper deſumenda ex re, quæ vovetur, nudè ſpectata, ſed ſpectata ſecundùm omnes ſuas circumſtantias, & præſertim ſecundùm finem, prout ſcilicet finis eſt minùs, vel magis excellens, proficuúſque voventi, & prout votum magis, minúſque conducit ad conſecutionem finis,

ut

ut explicat P. Sanchez in Summa *Lib. 1. c. 4.* & ſingulariter *Lib. 4. cap. 12. num. 12.* ſicuti enim dixi Caſu præcedenti, votum debet eſſe communiter de bono meliore ipſi voventi. Unde communiter cenſetur illa materia eſſe gravis, quæ ſpectatis omnibus circumſtantiis cenſeretur gravis, ſi de ea ferretur à Papa aliqua lex univerſalis. Proinde votum de una aliqua Sacra Communione obeunda, cenſetur eſſe de re gravi, quia lex canonica imperans Paſchalem, obligat ſub mortali; idem dic de voto Sacri unius audiendi, vel obeundæ unius Confeſſionis, ſicuti explicavi in Experientiis *Tract. 6. Caſ. 12.* ubi etiam retuli Patrem Sanchez negantem abſolutè, votum confitendi aliquod veniale, obligare ſub mortali, quemadmodum & votum audiendi Sacri editum ad obtinendum aliquod non magnum bonum, non videtur parere obligationem mortalem. Sed neque per ſe loquendo obligat ſub mortali votum non mentiendi venialiter, orandi 5. *Pater*, & *Ave*. dandi aliquantùm egeno duos crucigeros amore Dei; tum quia objecta talium votorum eſſent reſpectu legum publicarum materiæ leves; tum quia executio illorum non multùm confert ad honorem Dei, etſi enim omnia, quæ ex virtute religionis fiunt, ſint excellentia ſecundùm ſuam ſpecificam naturam, ſunt tamen nonnulla ex iis exigua, ſi conferantur cum aliis rebus ejuſdem generis, ut 5. *Pater*, & *Ave* reſpectu Roſarii; quare non eſt de mortali damnandus, qui 5. *Pater*, & *Ave* omittit ex Roſario votivo.

85 III. Si voviſti te quotidie hoc, aut illud parvum bonum opus præſtiturum, omittas autem pluribus diebus, habeáſve propoſitum perſæpe omittendi, deſumendum eſt ex tua ſolius intentione, an delinquas lethifere per illud propoſitum, aut per tam frequentem omiſſionem. Si enim e. g. voviſſes ita te quotidie erogaturum in pauperes unum crucigerum, ſeu bajoco, ut, ſi quo die non eſſet erogatus cruciger, velles ſequenti compenſare, adeóque duos diſtribuere, denique devenies ad notabilem quantitatem moraliter conflatam ex prioribus parvis obligationibus, ſeu potiùs obligationum objectis; quam notabilem quantitatem ſi retineas apud te, delinques mortaliter, at ſolùm venialiter, ſi tu obligationem ita affixiſti ſingulis diebus, ut nolueris eam copulari cum obligatione ſequentium dierum. Idem dic de eo, qui promiſit B. Virgini quotidianam ternam ſalutationem Angelicam. Vide Suarez *Lib. 4. De vot. cap. 5.* In dubio autem voveríſne priore, an poſteriore modo, præſume potiùs de poſteriore, quàm de priore, ſaltem in caſu, quo emiſiſti votum omnino gratuitum, id eſt, non ſub conditione impetrandi à Deo id, quod reipſa impetràſti; etenim obligationes præſertim gratuitæ ſunt in dubio potiùs reſtringendæ, quàm ampliandæ, inquit Laymannus *Tract. 5. cap. 6. num. 14.* Nihilominus aliqui generatim dicunt, vota realia communiter fieri poſteriore modo, perſonalia priore.

IV. Votum, quod promiſiſti te executurum 86 certo die, debes illo ipſo die perſolvere, ut per ſe patet; ſi autem non es illo ipſo die executus, non teneris alio die compenſare, ſi quidem illud ediderás ad honorandum, ut crebrò fit, illum diem, ut votum de Communione in feſto Immaculatæ Conceptionis obeunda; ſin voviſti ad alium finem, teneberis, ut primùm poteris, compenſare negligentiam; cauſa enim, ob quam ſtatueras adire ſynaxim feſto Conceptionis, durare utique poteſt etiam tranſacto feſto; imò in hoc caſu, quo prævides te impeditum iri ipſo feſto Conceptionis, teneberis prævenire juxta Sanchez, Suarez, Laymannum.

V. Quando nullum terminum tuo voto 87 præfixiſti, teneris, ut primùm potes, id implere, juxta illud Deuteron. 23. *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardaberis reddere &c. & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Et: *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur.* Regula. 14. *ff. De Reg. Jur.* Unde peccant, qui vota, præſertim edita ob morbum, aliáſve adverſitates, proſperitates, emiſſa differunt in unum, aut duos Annos, niſi excuſet rationabilis ratio, qualis juxta Dianam *Part. 6. Tract. 7. Reſ. 54.* & alios, eſt reſpectu voti de ingredienda Religione, auxilium præſtandum ſorori conſtitutæ in gravi neceſſitate corporali, vel proſtitutionis periculo, eſto votum ſit emiſſum pro determinato tempore, quod tamen negat Palaus *Tract. 16. Diſp. 1. punct. 7. §. 1. n. 13.*

Illud certum, quòd publica non ſolùm neceſſitas, ſed etiam utilitas permittat dilationem voti quantumvis de re gravi, & reſervati. Refertur hanc in rem exemplum in Cap. *Non eſt. De voto, & vot. redemp.* ex quo notabis hanc ſententiam: *Non eſt voti dicendus tranſgreſſor, qui, quod vovit, autoritate Apoſtolica* (legitima ex cauſa) *diſtulit adimplere.* Sed & Tambur. *Cap. 12. §. 3. num. 11.* ſic ſcribit: In votis, in quibus dilatio nil mali affert (ſicut adfert dilatio ingrediendi votam religionem, ſervitium in hoſpitali &c.) niſi moram temporis, licèt probabilius ſit, quòd docet Palaus, ſcilicet moram ſeptem menſium eſſe (abſque rationabili cauſa) mortalem; attamen non videtur improbabile, dilationem quamcunque, modò non ſit probabile periculum omittendi omnino votum, non eſſe niſi veniale; imò nec veniale quidem, rationabili intercedente cauſa. Ita P. Tambur. id probans, & negans paritatem inter hominem creditorem, & Deum etiam Creditorem, eò quòd hic nullum in caſu noſtro adeat detrimentum, ſeu damnum. Quæ mitiſſima doctrina poterit ſaltem eò prodeſſe, ut non cogatur pœnitens

repetere Confeſſiones, quas fecit non manifeſtando ſuam, quam tamen agnoſcebat, tantam dilationem.

88 VI. Vota realia ita obligant, ut debeant perfici ab hærede, ſi teſtator non eſt executus, perſonalia non item, juxta dicta Caſ. 1. *num. 88.* & ſequenti. Quibus adde, ſicut hæres non obligatur ad obeundam peregrinationem votam à patre, & conſequenter non convertere in uſum pium expenſas, quas pater feciſſet eundo, & redeundo, ſi ipſemet peregiſſet peregrinationem. Sanchez *Cap. 2. num. 27. & 28.* ita nec eundem hæredem eſſe adigendum, ut monaſterio, quod ſe ingreſſurum, & in eo profeſſurum voverat teſtator, ſeu parens, tradat ea bona, quæ certò pater ſecum attuliſſet, ſi monaſterium ingreſſus fuiſſet. Paludanus *in 4. diſt. 38. quæſt. 3. art. 3.* quem deſcribit, & ſequitur Comitolus *Lib. 2. quæſt. 11.* quia ſublato principali ſubmovetur acceſſorium. At quid ſi parens expreſſiſſimè dixiſſet: *Domine Deus voveo, me profeſſurum in monaſterio B. atque illuc tranſlaturum tertiam partem meorum bonorum?* Reſp. Ne tunc quidem obligatus fuiſſet hæres filius illam tertiam tranſcribere monaſterio, utpote à patre annexam receptioni actuali in monaſterium. Ita ſentio tacentibus Paludano, & Comitolo

89 VII. Votis rei indeterminatæ ſatisfit, etiamſi non præſtetur optima ex contentis ſub illa indeterminatione. Ita omnes. Declaratur. Quandoque enim indeterminatio verſatur circa quantitatem, ut cùm voves te largiturum ſtipem pauperibus, quandoque circa qualitatem, ut cùm promittis Deo, te pauperibus daturum tres urnas vini, non determinando rubríne an albi, novi, an antiqui &c, quandoque circa ipſam individuitatem, ut cùm voves te unum è ſcyphis argenteis, quos domi habes, donaturum Eccleſiæ. In horum caſuum nullo teneris præſtare ſummum, niſi tibi conſtet aliud de tua intentione.

At, *erône tutus in conſcientia, ſi infimum?* Reſp Eris, niſi intenderis implicitè, vel explicitè obligare te ad quidpiam majus minimo, tum quia tota obligatio voti provenit unicè à voluntate voventis; tum quia quando nihil conſtat de intentione, habet etiam in foro conſcientiæ locum Regula juris: *Semper in ſtipulationibus ff. De Reg. Jur.* dicens: *Semper in ſtipulationibus, ad id quod minimum eſt, redigenda ſumma eſt.* Cenſeberis autem tacitè te obligâſſe ad aliquid majus infimo, quando vel ii, qui ſunt tuæ conditionis, ætatis, regionis &c. ſolent plus dare, quàm minimum, ſicuti indicat citata lex nonageſima nona, vel nequis tam parum dare ſine probro, vel accepiſti aliquod beneficium à Deo, quod ab ipſo impetrâſti poſt votum conditionale. Vide omnino ſingularem Caſum infrà *Caſ. 13. n. 416.*

90 At vovi me oblaturum Eccleſiæ, unum è duobus ſcyphis in abaco reconditis, poſtea clepitur mihi unus, & quidem minor, *an teneor dare majorem?* Reſp. Videri mihi credibilius non teneri, tum quia ſi prævidiſſes hoc furtum, abſtinuiſſes illo voto, tum quia ſi ante votum non habuiſſes, niſi illum ſcyphum, etiam abſtinuiſſes voto, ut reor. Vide Palaum *cit. Tract. 15. Diſp. 1. punct. 12.* & Thomam Tambur. *in Decal. Lib. 3. cap. 15. §. 7.*

VIII. Quatenus ceſſet obligatio voti, aperiam infrà *Caſ. 11. num. 338.* Interim reſpondeo ad Caſum propoſitum *num. 81.* Si Creſcentii vitrum fuit unum ex illis, quæ etiam à ſobriis ſolet uno hauſtu exhauriri, non videri deliquiſſe mortaliter, eſto ponamus, quòd potuerit abſque nota inurbanitatis in hoſpitem abſtinere omni potu, præſertim ſi ſupponamus fuiſſe Germanum; etenim ebibitio talis caliculi cenſetur apud nos res parva. Imò potuêre circumſtantiæ dicti hoſpitis eſſe tales, ut ne quidem venialem, noxam admiſerit; nec enim dubium eſt, quin multa præcepta, etiam naturalia, quale eſt voti, obligantia ad veniale, licitè quandoque tranſgrediamur, quandoquidem ea licita tranſgreſſio nonnunquam reperitur etiam circa leges inducentes ex ſe obligationem lethiferam. 91

At fortè quæres, *quanta vini bibiti quantitas ſit neceſſaria ad inducendum reatum gehennæ, reſpectu obligati tali voto, quali fuit noſter Creſcentius?* 92

Quidam noſtræ Provinciæ Theologus non infimi nominis, literis ad me datis 29. Decembris 1665. haud obſcurè indicavit, arridere ſibi ſententiam noſtri P. Caſtropalai *cit. Diſp. 1. punct. 12. num. 21.* docentis, illum, qui voto abſtinendi à vino obſtrictus eſt, tum demum contra votum peccaturum mortaliter, cùm vinum in ea quantitate biberit, quæ eodem vino temperatè utentibus ſufficiat pro una comeſtione.

Verùm ſi hæc doctrina Palai intelligatur de populis Septentrionalibus, nemo, puto, Germanus Theologus dabit ei plus loci, quàm daretur ei, qui negaret, peccari mortaliter contra votum non edendi panem, aut carnem, ab eo, qui comederet tantum panis, aut carnis, quantum temperatè prandentes ſolent ſumere de pane, aut certo genere carnis. Equidem noſtri Germani utuntur etiam tunc moderatè vino etiam non diluto (nec enim è centum ſæcularibus reperire eſt hic Conſtantiæ (puto nec alibi) unum, qui faciat connubium aquæ cum vino) in cœna, vel prandio, quando non plus bibunt, quàm tres quartas unius menſuræ Bavaricæ, adeóque circiter 26. uncias. At quis etiam Germanus crederet, ſe ſatisfeciſſe præcepto de integritate Confeſſionis, ſi obſtrictus voto, quo de loquimur, ebibiſſet ad cœnam, aut prandium tot uncias vini? Fortè Hiſpani, quos inter ſcripſit P. Palaus, communiter hauriunt ſolùm 14. vel 16. uncias, & qui inter eos commendantur à temperantia ordinaria (quos 93

for-

fortè ſolos deſignavit, P. Palaus) ſunt communiter contenti 10. vel 8. qua cum explicatione, poterit quis ſtare judicio illius excellentis in re morali Patris. Ego judico faciendum diſcrimen inter perſonas illigatas tali voto, adeóque exigo ad peccatum mortale majorem hauſti vini quantitatem in viro communiter, quàm in fœmina: in viro maturo, quàm adoleſcente: in ventricoſo, quàm gracili; quia nimirum attendo finem voti hujuſmodi, qui eſt mortificatio guſtûs, & carnis, atque coërcitio appetitûs. Huic autem mortificationi, & appetitui repugnat reſpectu mulieris, adoleſcentis, viri gracilis, & puſilli minor quantitas, quàm reſpectu ventricoſi proceri ſimul, & craſſi. Hi enim graviùs ſentiunt, quando ſunt contenti duobus vitris, quàm illi, & illa, quando uno. Verùm hanc ratiocinationem examinent ſapientiores, & rejiciant, ſi rejiciendam putent; quibus ſi placeat facere comparationem cum ſumptione cibi, pro collatione veſpertina in die jejunii habebunt me aſſentientem, ac proinde cum iis dicentem: ſicuti obligato ad jejunium permittitur à pennultis pro collatiuncula veſpertina de permiſſis eduliis tantum, quantum æquat partem quartam juſtæ refectionis; ita obligato religione abſtinendi à vino permitti ſub pœna ſolùm purgatorii quartam partem vini ſoliti adhiberi pro juſta refectione.

94 Sed ecce: poſtridie quàm hæc ſcripſiſſem, incidi in locum, in quo P. Tamburinus refert opinionem ex P. Palao ſuprà relatam, vocátque nimis laxam, utens hoc argumento, quòd is cenſeatur temperatè bibere vinum, qui quater in uno prandio bibit, de more dilutum; conſequenter poſſet ille, de quo præſens quæſtio, ſine gravi culpa bibere bis, vel etiam ter, quod non credo, inquit Tambur. *in Decal. Lib. 3. cap. 15. §. 6. num. 15.* ſubdens: Semel igitur „ dicto modo bibere, non putarem grave: plu„ries, putarem, cùm idem Palaus *loc. cit.* ſup„ponat, ſemel bibendo vinum, frangi jejuni„um promiſſum in pane, & aqua.

95 Quia verò facta hîc mentio vini, per votum interdicti, obſervo, à me in Quinario *Tract. 5.* qui eſt de Ebrietate, *Cap. 4.* proponi, & diſſolvi has quæſtiones. I. *Utrùm; qui vovit ſe hodie non biblturum vinum, teneatur pitiſſare; poſito quòd ſi non pitiſſet, ſit cogendus liberaliter, ad ſuccurrendum debilitati ſupervenienti bibere?* II. *An voto non bibendi vini adverſetur potus cereviſia?* III. *An qui ob vitandum ebrietatis peccatum vovit abſtinentiam à vino, toties peccet mortaliter, quoties notabiliter multum bibit?* IV. *An, qui, ut privaret ſe ſuavitate percipienda ex potu vini, iſtud ejuravit, teneatur etiam tunc hoc voto, aut juramento, quando ex lapſu ita corruptum eſt organum guſtatûs, ut non percipiat, hauriátne meracum, an lympham?* Quo loco *num. 14.* refero hanc in rem Caſum verum, non fictum. V. *Quandonam mortaliter peccent ii, qui vinum bibunt, poſtquam jurârunt (ſeu voverunt) ſe tota vita non bibituros, & quidem ideo voverunt; quòd vel ſolerent in ebrietate varia mala patrare, vel per ſympoſia rem familiarem dilapidare?* VI. *Quoties peccet is, qui, poſtquam vovit ſe hodie ne guſtaturum quidem vinum, exhaurit mane, meridie, veſperi complures cyatos?* VII. *An, qui Deo promiſit, ſe hodie jejunaturum in pane, & aqua, ſit toties reus fracti voti, quoties hodie bibit adſatietatem?*

IX. Rurſum ex dictis petes reſolutionem quæſtionis indicatæ ſuprà *num. 73.* an videlicet P. Ludovicus de Ponte fuiſſet mortaliter peccaturus, ſi poſt votum de nullo peccato veniali unquam plenè deliberatè patrando, patrâſſet deliberatè unum, aut plura. Ego inhærens doctrinæ valde communi, ac veroſimiliori relatæ ſuprà *num. 83.* quòd res levis non videatur capax mortalis obligationis, non damnâſſem de mortali unicam tranſgreſſionem dicti voti, damnâſſem autem ſaltem illam frequentiorem, quæ induceret habitum, ſeu plurium, ſeu etiam unius duntaxat peccati venialis; habetur enim etiam meritò ab omnibus rerum aſceticarum tractatoribus, pro magno malo habitus, ſeu conſuetudo etiam unius unicæ noxæ venialis, utpote in quam cadat illud Eccleſiaſtici: *Qui ſpernit modica, paulatim decidet. Eccl. 19. verſ. 1.* ſicut & pro magno bono habetur perpetua, ſeu conſtans immunitas ab hac, aut illa noxa veniali. 96

X. Ut ſatiſfacias obligationi voti ſatis eſt, modò exequaris piè, & religioſè id, quod diſtinxerunt labia tua, adeóque neceſſe non eſt, ut, dum exequeris rem voto promiſſam, expreſſè intendas, illa executione ſatiſfacere voto. Diana *Part. 5. Tract. 6. Reſ. 77.* cum communiore, nam & ſatiſfacis præcepto de Sacro audiendo, modò audias, eſto nolis illam auditiónem valere, ut declaro in Experientiis *Tract. 5. Caſ. 7.* ubi refero *num. 206.* autores negantes, & aſſerentes hanc doctrinam de nolente ſatiſfacere præcepto Eccleſiæ per talem auditionem, habere locum in obligatione ex voto, idcirco quòd, qui expreſſè dicit: *Volo nunc audire Sacrum, ſed nolo nunc ſatiſfacere voto de audiendo Sacro*, videatur ſaltem implicitè edere votum de audiendo alio Sacro; at nullum planè votum edit, qui ex ſolo præcepto Eccleſiæ obligatus proponit firmiter alterius auditionem ſuperaddere. 97

XI. Denique etiam ex dictis de obligatione colliges, quid reſpondendum ad hunc

Caſum fictum, & dogmaticum.

Carolus vovit, ſe quavis feria ſexta fore contentum ſolo pane; vovit inſuper ſe, ne quidem panem comeſurum in vigilia B. Aloyſii Gonzagæ, ſed naturam ſuſtentaturum rebus aliis, e. g. ciceribus, fabis, lentibus, imò 98

imò & piſcibus. Incidit autem Anno 1670. vigilia illius Angelici Adoleſcentis in feriam ſextam. Quid fuit agendum Carolo? An abſtinendum omni omnino cibo? At Carolus nunquam intendit tam durum jejunium. An abſtinendum quidem pane, & non piſcibus? Sed cur potiùs illo, quàm his?

Hunc Caſum finxit P. Tamburinus loco paulò antè allegato, *num. 18.* cenſuitque, non eſſe hic rationem habendam, aut intentionis, cùm ſupponatur nihil conſtare de ea, aut prioritatis temporis, cùm hæc circumſtantia ſit valde extrinſeca voto, ergo faciendum illud, quod erat gratius Deo: eſt autem gratius Deo abſtinere omnibus præter panem, quàm pane cum jure edendi piſces, & alia quadrageſimalia.

99 Ego ſalvo tanti viri judicio arbitror, eſſe hanc plerorumque voventium mentem, ut quando aliquod votum emittunt, nolint ejus vim elidi alio poſteriore, niſi dum eduat poſterius, recordentur prioris. Unde ſuprà *num. 69.* dixi, eum, qui vovit, ſe abſque conſenſu Confeſſarii non emiſſurum ullum votum, ſi immemor hujus emittat aliquod, hoc poſterius non ſubſtiturum. Mutatio animi non debet præſumi, ſed poſitivè probari juxta Jureconſultos, atque alios ſapientes, non probatur autem per factum contrarium, quando intervenit vel oblivio, vel inadvertentia; ignorantis enim (& conſequenter immemoris, inadvertentiſve) nulla eſt voluntas, inquit Senatus Jureconſultorum.

Quia igitur nemo ſe obligat, qui non habet animum ſe obligandi. Suprà *num. 59.* judicandus eſt Carolus ſe non obligâſſe, ad faciendum id, quod eſſet in ejuſmodi circumſtantia gratius Deo, ſed reſervâſſe ſibi libertatem vel faciendi utrumlibet, de quo non dubito ego, vel ſtandi priore voto.

Hanc de voti obligatione generali materiam finio propoſito, & reſoluto

Hoc Caſu filiorum hujus ſæculi.

100 *Cornelius vovit, ſe ſubminiſtraturum in perpetuum Patribus Capucinis vinum pro Miſſis celebrandis. Miſit, quoad vixit, bonum, & ſine controverſia præcipuum, at hæredes mittunt infimæ notæ. Quæritur, an ſatiſfaciant huic obligationi.*

101 P. Tamburinus, cui fuit propoſitus hic in individuo Caſus, reſpondit *cit. Lib. 3. cap. 15. §. 7. num. 3.* hæredes non ſatiſfeciſſe voto, voluntatique teſtatoris, utpote qui tacitè promiſerit, ex communi more, vinum Sacrificio dignum, vinum autem infimæ qualitatis non eſt dignum tanto myſterio.

In hac reſponſione vides, Lector, hunc Doctorem niti eo principio, quod ſuprà *num. 89.* produxi, de ſequendo, in rebus indeterminatis, more regionis, in qua factus eſt contractus, aut votum. Accedit, quòd jura expreſſè ſtatuant, eſſe in dubio ſpectandum morem ipſius teſtatoris.

Sed filii hujus ſæculi talem morem ſpectant in cauſis ſibi favorabilibus, alium in aliis.

AN, ET QUATENUS IGNORANTIA, ATQUE ERROR NOCEAT VALORI VOTI.

CASUS IV.

Incurii.

SUMMARIUM.

Caſus volentis offerre B. V. monetam argenteam, ſed per errorem offerentis auream. 102.

Errantis & ignorantis nullus eſt conſenſus. 104.

Quid ſit Ignorantia Antecedens, Comitans, & Conſequens? 105.

Concomitans & Conſequens non tollit obligationem voti, ſi mens voventis pateat per ſigna externa. 106.

Nec Ignorantia Vincibilis ſi ſit Affectata. 107.

Ignorantia autem circa ſubſtantiam rei, licèt vincibilis, irritat votum. 108.

Quis cenſeatur laborare ignorantia circa ſubſtantiam Voti? 109.

Etiam circumſtantiarum Ignorantia quandoque elidit votum. 112. *& ſeq.*

P. Ludovici Molina de hac re doctrina, & Exempla. 114.

Aliorum in hac materia ſenſus. 115.

Singulariter: An vovens jejunare ſingulis Feriis Sextis, obligetur etiam in Natali Domini, ſi in eam incidat? Ibid.

S. Franciſci Seraphici de hoc particulari caſu Sententia. 116.

Auctoris de prædicta doctrina P. Molinæ Indicium. 117.

Diverſa ſunt: Iſtud voveo, ſi adfuerit vel abfuerit hæc circumſtantia. *Et:* Si ſcirem hanc circumſtantiam adfuturam, vel abfuturam, non voverem. 118.

Reſolvitur Caſus num. 102. propoſitus. 120.

Caſus voventis perpetuam Virginitatem, & tamen ignorantis quid eam læderet. 121.

Caſus voventis Religionem ex cauſa falſa. 124. *& ſeq.*

Corollaria ex præcedente reſolutione deducta. 126.

Caſus voventis Peregrinationem Ieroſolymitanam ex duabus cauſis, quarum tamen altera ceſſavit. 127.

Di-

102 *Didymo tenuis fortunæ homine lacum Acronianum navi ingreſſo, jámque multùm provecto exoritur ventus adeò ſævus, ut timens naufragium, mittat manum in Crumenam: educat inde nummum aureum, ſeu Ducatum, aut Zichinum, quem unicum habebat, ratus, eſſe argenteum, unius, ut hîc loquimur, bæzei, ſeu trium circiter Bajocorum, voveátque ſe eum miſſurum in gazophylacium Ædiculæ Lauretanæ, quam in colle ſitam eminus conſpicantur Mariſpurgo vecti nautæ, & vectores, ſi evadat incolumis, & evadit, at non ſine admiratione deprehendit errorem. Quare haud multo tempore pòſt me convenit: quærit, an teneatur offerre illum nummum aureum, an verò ſit exſoluturus ſe voti religione, ſi argenteum haud paulo minoris valoris donaret ſuæ Soſpitatrici.*

103 Fluxêre Anni admodum decem, cùm adfuit mihi Didymus, formidans, ne darem reſponſum rigidius, ac ſperabat. Reſpondi tamen, poſſe ſervari aureum nummum, dari argenteum haud paulò minoris valoris. Rationem reſponſi promam infrà *num. 120.* ubi videlicet exhibuero ſynopſin eorum, quæ Theologi tradunt de ignorantia, atque oblivione ſolitis intervenire in nuncupatione votorum, atque faceſſentibus non raró moleſtias, indoctis frequentiſſimè, doctis haud infrequenter.

104 Eſt autem deciſionibus adferendis præmittendum hoc principium: *Errantis nullus eſt conſenſus. Text. in Leg. 9. Cod. De jur. & facti ignor.* ergo nec ignorantis; tum quia error eſt ignorantia poſitiva, ut vocant, ſeu falſum de re aliqua judicium, tum quia ignorantia, quam vocant negativam, ſeu neſcientiam, creberrimè non minùs repugnat conſenſui, quàm poſitiva; atqui ſine conſenſu votum non obligat; cùm nemo ſe obliget, qui non habet animum ſe obligandi. Suprà *num. 82.*

105 Supponendum quoque eſt, ſicut in contractibus, ita etiam in votis reperiri ignorantiam antecedentem, comitantem, conſequentem. Antecedens eſt, quæ antecedit liberam ſui, ignorantiæ, inquam, volitionem, ſeu electionem, éſtque in cauſa, ut aliquid fiat, quod nequaquam fieret, ſi loco talis ignorantiæ ſcientia adeſſet, ſeu vera cognitio, ſicut è diverſo comitans eſt ea, quæ ita comitatur conſenſum, ut hic conſenſus præberetur, hæc verba proferrentur, tametſi non adeſſet illa involuntaria, qua laboras, ignorantia; & denique conſequens eſt ea, quæ non antecedit, ſed ſequitur liberam ſui electionem, ſeu quæ cognoſcitur adeſſe, & tamen non impenditur opera illi expellendæ; quæ quidem ignorantiæ reperiuntur circa varia concernentia votum, ſingulariter autem circa materiam, atque finem voti.

Dico jam I. Ignorantia Comitans, ſeu Concomitans non tollit obligationem, ſiquidem votum ederetur, etſi non adeſſet talis ignorantia, adeóque adeſſet talis conſenſus, qualis eâ præſente. Idem dic de ignorantia conſequente. Debet autem diſpoſitio animi, ex qua fuiſſes, non obſtante ignorantia comitante, editurus votum, eſſe juxta Suarez *Lib. 1. De Voto Cap. 12. num. 6.* actualis, & manifeſtata aliquo ſigno, alioquin vix poteſt moraliter ſciri, utrùm fuiſſes necne verba votiva editurus, ſi abfuiſſet ignorantia, cùm illa diſpoſitio videatur eſſe nota ſoli Deo, ſi non ſit aliquo modo actualis. Et univerſim nulla ignorantia obſtat voto, quando illa non obſtante cupis reverà te illo modo obligare Deo, quo ſolent alii tuæ conditionis communiter in iiſdem, in quibus tu circumſtantiis conſtituti. Suarez *ibid. num. 11.* hac quippe intentione aufertur ſufficienter ignorantia, ſeu hujus efficacitas. Unde Tamburinus in Decalog. *Lib. 3. cap. 13. num. 3.* ſic generatim ſcribit: *Si, quod de ſubſtantia eſt, neſciatur, voveas autem prout res in ſe eſt, & quo alii omnes (quod ex animo tuo colligendum eſt) reus eris voti, quia tunc tacitè* (dico ego: implicitè) *conſentis in ſubſtantiam voti.* 106

II. Nec ignorantia vincibilis (adeóque nec conſequens) ſi ſit affectata, enervat vim voti, hoc enim ipſo, quòd eſt affectata, ſeu ideo non depulſa, ne impediat promiſſionem, non tegit integrè aliquid in objecto, nec eſt cauſa voti. 107

III. Ignorantia circa ſubſtantiam rei votæ irritat votum, etſi ſit vincibilis, & negativa, modò non ſit affectata. Laymann. *Lib. 4. Tract. 4. cap. 1.* loquens de negativa, Filliucius *Tract. 26. num. 11.* loquens de vincibili contra Sanchez. Ratio eſt, quia penitus ignoti nulla cupido; qui autem ignorat ignorantia non affectata rem quampiam, nihil cognoſcit in objecto, ſicuti cognoſcit is, quem tenet ignorantia affectata, talis enim virtualiter dicit: nolo examinare, quid ſit propriè Virginitas e. g. fortè enim, ſi ſcirem id, non promitterem illam Deo, promitto tamen, quia toties Legi, toties audivi, ſummè placere Deo; quidquid ergo illa ſit, eam polliceor. Facit huc id, quod paulò antè deſcripſi ex P. Tamburino. 108

IV. Cenſeris autem laborare ignorantia circa voti ſubſtantiam, tum quando ignoras notabilem partem rei à te promiſſæ, ut quando vovens peregrinationem ad ædem Lauretanam in Piceno, putas diſtare à tua patria tantum ſex dies, cùm diſtet decem; tum quando erratur circa materiam operis, ut quando voves, te ingreſſurum monaſterium A. credens id incoli à Religioſis Benedictinis, cùm inhabitetur à Canonicis Regularibus; tum quando erras circa perſonam, cui præſtandum eſt opus, ut cùm voves, te præbiturum mihi eleemoſynam, arbitratus me eſſe Petrum, cùm ſim Paulus; 109

Digitized by Google

lus; tum quando erras circa cauſam finalem voti, ut quando promittis Deo, te largiturum mihi ſtipem, ratus me eſſe pauperem, cùm ſim ditior te, finis enim eleemoſynæ eſt ſublevatio paupertatis; tum quando error eſt circa vim voti, ut eſt, quando creditur, aut obligare ſolùm ſub veniali, cùm obliget ſub mortali, aut eſſe irritabile, cùm non ſit irritabile; tum quando erras contra cauſam finalem extrinſecam vovendi, ita ut ex iſto errore votum facias ad impetrandum aliquid certi à Deo tanquam mercedem operis, quod tamen impetrabile non eſt, ſicuti non eſt, quando voves aliquid ad obtinendam ſanitatem patri, neſciens eſſe jam vitâ functum. Si autem merces expectetur non ut pretium voti, ſed aliunde ex induſtria, vel favore hominum, error circa finem non facit ex hoc capite votum irritum, quia non cadit ille error ullo modò ſuper ſubſtantiam voti; ut ſi ideo emittas votum Religionis, quia Religioſi ſpoponderunt tibi, fore ut te eligerent in Prælatum, ſi transires ad illorum

110 Ordinem. Hæc omnia, aut his ſimilia reperies partim apud Suarez *cit. Lib. 1. cap. 11.* partim apud Sanchez *Lib. 4. De voto Cap. 2. quæſt. 1. 2. & 3.* qui author *num. 45.* ſcribit, obligationem voti non ſolennis tolli per ignorantiam poſitivam cujuſcunque cauſæ finalis etiam motricis, principalis, ut ſubdit *num. 47.* dicens expreſſè, à ſe per cauſam finalem intelligi omne id, ad quod aſſequendum fit votum, & ſine quo non fieret votum, & interim negans, votum irritari ob ignorantiam cauſæ ſolùm impulſivæ, vocans illam impulſivam, quæ quidem impellit ad vovendum, attamen etiam ſine illa fieret votum, licèt non tam facilè, eſt quippe ſolùm veluti quædam occaſio, ut quando voves peregrinari Lauretum occaſione, quòd ſis illic reperturus tuum fratrem; certè propriè finis tui voti eſt pia viſitatio illius divini Domicilii, at alloquium fratris eſt duntaxat occaſio, quod nota pro reſolutione, quam infrà *num. 127.* adferam circa votum editum

111 ab Epiſcopo Trecenſi. Si tamen nolles illud votum ſuſcipere, niſi ſperares certò alloquium fratris, dicerent Sanchez, Tamburinus, alii, nec immeritò, eſſe etiam cauſam finalem, qua cadente, caderet etiam effectus, juxta doctrinam, & reſolutionem ab Innoc. III. datam in fine Cap. *Magnæ. De voto, & voti redempt.* Nec dubitandum, quin aliquod votum poſſit ita fieri, ob duas, tréſve cauſas, ut ſi vel unica deficiat, votum cadat in irritum. Quiſque poteſt rei ſuæ modum ponere, inquiunt Jureconſulti, quidni etiam ſtatuere tantam, quantam hìc expreſſi, dependentiam?

112 V. Etiam circumſtantiarum ignorantia elidit quandoque omne robur voti. Ita omnes, obſervantes, hanc doctrinam principaliter eſſe veram, quando intervenit ignorantia poſitiva, ſeu error, falſúmque judicium, etenim non videntur conſentire, qui errant *Leg. Nihil conſenſui ff. De Reg. jur.* ſicut & ignorantia circumſtantiarum, quæ emergunt poſt votum jam nuncupatum, faciliùs reddunt hoc invalidum, quàm ignorantia earum, quæ jam aderant, dum aperiebatur os ad Dominum, ſeu fiebat votum, quia hæ faciliùs cognoſci poſſunt, quàm illæ. Et utique etiam ignorantia circumſtantiarum gravium faciliùs infringit vim voti, quàm levium. Illæ autem cenſentur graves, quæ notabiliter mutant objectum, ſeu rem votam, & quæ communiter habentur pro dignis majore conſideratione, videlicet ob promittentis indolem, rei promiſſæ naturam, & accidentia, promiſſioníſque cauſam. Et verò ignorantia levium circumſtantiarum nunquam irritat votum, niſi expreſſè excipiantur, hoc enim ipſo, quòd ſint leves, non cenſentur facere involuntarium illum actum, quem comitantur, ut quando voves peregrinari Oettingam Bavariæ, putans diſtare ſolùm octo dies, cùm diſtet novem. Sicut & videtur communi uſu receptum id, quod ſcribit Laymannus *cit. Cap. 1, num. 5.* ut videlicet votum ſolenne (idem de ſimplicibus noſtræ Societatis ſcribit Sanchez *Cap. 3. num. 4.*) non infirmetur ullâ ignorantiâ non pertinente ad ſubſtantiam, eo ſcilicet modo, quo nos in Experientiis *Tract. 9. Caſ. 4.* explicavimus errorem irritantem Matrimonium; etenim Matrimonium carnale, & ſpirituale per vota ſolennia, æquiparant paſſim Theologi, & Canoniſtæ, ut videbis apud Sanchez *cit Cap. 2. & Lib. 10. De Matrim. Diſp. 4. num. 18.* E diverſo loquendo de aliis materiis Regula eſt tradita à S. Thom. in *4. diſt. 38. art. 1. num. 3.* & aliis, quos ſequitur Sanchez *cit. Cap. 2. num. 23.* hæc: *Id liberat voti, vel juramenti obligatione, quod ſi à principio accidiſſet, aut notum fuiſſet, impediret ea fieri*; quam intelligo præcipuè de impedimento ſe tenente ex parte materiæ, non autem ſe tenente ex parte voluntatis. Sanchez *ibid.*

VI. Ignorantia poſitiva gravium circum- 113
ſtantiarum, quæ jam aderant tempore voti, irritat votum, à ſolenni (cui Sanchez relatus ſuprà *num. 108.* æquiparat vota ſimplicia noſtri Ordinis) diverſum. Suarez *Lib. 1. De voto Cap. 1.* Filliuc. *num. 18. 21. & 22.* loquentes etiam de ignorantia vincibili, modò non ſit affectata. Imò hoc ipſum de ignorantia negativa, quæ ſcilicet eſt mera neſcientia, cenſent eſſe probabile nonnulli apud Suarez *Cap. 12. numero 8.* negante Sanchezio. Ratio eſt, quia quando aliquid promittimus, præſertim liberaliter, ſolemus ſubintelligere hanc conditionem: *Si res ſe non habeat notabiliter aliter, quàm ego mihi imaginor*; habet autem notabiliter ſe aliter, quando adeſt, vel abeſt aliqua circumſtantia gravis, ſeu notabilis, contra perſuaſionem voventis. E. g. vovet quis ſe fore Carthuſianum, putans hos æquè veſci carnibus, ac veſcuntur Benedictini; aut vovet, ſe daturum pau-

Digitized by Google

pauperibus centum aureos ratus, ſe habere mille reconditos in arca, cùm non ſuperſint niſi quingenti; aut ſe hoc Anno profecturum Compoſtellam ad S. Jacobum, ignorans, vel ipſam Hiſpaniam, vel loca, per quæ tranſeundum eſt, ardere bello. In his caſibus, quibus alios ſimiles addunt Sanctgallenſes in ſuo Curſu Theologico *Tom. 7. Tract. 1. Sect. 3. q. 6. dub. 1.* impeditur valor, aut obligatio voti. Sanè Sanchez *Lib. 10 De Matrimonio Diſp. 9.* haud malè comparat vota ſimplicia (extra illa, quæ nos emittimus poſt biennium probationis) cum ſponſalibus, proculi autem in Experientiis *Tract. 16. Caſ. 8. n. 293. & 295.* duas Regulas applicabiles iis, qui cauſantur, ſe deceptos fuiſſe in contractu ſponſalitio, quarum pleraque exempla, ſi transtuleris proportionaliter ad vota ſimplicia, habebis plures patronos, & ſingulariter P. Ludovic. Molinam jam jam referendum.

114 XII Si enim loquamur de circumſtantiis, quæ præter, vel contra opinionem ſuperveniunt rei votæ, ſeu jam factæ promiſſioni, non eſt planè improbabilis doctrina ejuſdem Molinæ *Tract. 2. De juſtit. Diſp. 272.* tradita his verbis: » Earum rerum mutatio deobligat promittentem ab impletione promiſſionis, quæ ſi ei occurreret, quando promiſit, eam exciperet, de eáve interrogatus reſponderet, mentem ſuam non eſſe in eo eventu ſe obligare &c. Sicut enim in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veroſimiliter in ſpecie conceſſurus, ſi occurrerent. *Reg. 81. in 6.* ita in promiſſione non veniunt eventus, quos, ſi in ſpeciali cum his, vel illis circumſtantiis propoſiti fuiſſent, excepiſſet promittens, quando promiſit &c. Nec alius poteſt eſſe melior interpres ſuæ propriæ promiſſionis, quàm is, qui promiſit, eſto abſolutè promiſerit, nec quidquam de eventibus inopinatis cogitârit. Quando enim ſuperveniunt, interrogandus eſt, an ſi illi, dum promiſit, occurriſſent, aut propoſiti fuiſſent, dixiſſet, mentem ſuam eſſe in illis nolle ſe obligare; quòd ſi id reſpondeat, cenſendi ſunt, non fuiſſe comprehenſi, e. g. voviſti Deo, te ſemper die Veneris jejunaturum, neſciens, hoc Anno feſtum Nativitatis caſurum in diem Veneris; ad judicandum, an eo die poſſis carnibus veſci, interrogandus es, an, ſi, dum votum emiſiſti, tibi occurriſſet, eo Anno feſtum Nativitatis die Veneris celebratum iri, eum diem excepturus fuiſſes, quòd ſi affirmanter reſponderes, certè non teneris. Si verò trepides, & plus juſto ſis timoratæ conſcientiæ, arbitrio prudentis judicandum eſt; te non teneri jejunare, nec enim credendum eſt, te eo die abſtinere voluiſſe à carnibus, & eſſe ſingularem cum familiæ onere in parandis aliis cibis. Similiter, ſi magnas eleemoſynas voviſti, & ad tantam inopiam redactus es, ut ſi id prævidiſſes, eas promiſſurus non fuiſſes, non teneris voto. Idem dicendum de aliis ſimilibus eventibus, qui prudentis arbitrio judicandi ſunt ſpectata quantitate, & qualitate mutationis rerum, collatáque cum re promiſſa, atque conſideratis cæteris circumſtantiis.

Hactenus P. Molina, cui reverà quoad doctrinam, abſtrahendo ab exemplis, conſentiunt multi, ut Jacobus Marchantius *in Reſol. Paſtor. Part. 1. cap. 1. n. 16.* & alii apud Sanchez *cit. Lib. 4. De voto cap. 2. n. 23.* nominatim Sylveſter *verb. votum 2. q. 17.* in fin. & *verb.* Juramentum *3. q. 1. §. 3.* in fine; Navarr. in Summa *Cap. 18. n. 7.* Tabiena *verb.* Jurare *n. 35.* Henriquez *Lib. 11 cap. 14.* in fine. Leſſius *De juſtit Cap. 42. dub. 7.* Exemplum de voto jejunandi die Natali incidente in feriam ſextam, negant quidem Vaſq. 2. 2. *Diſp. 30. c. 4. n. 26.* & Baldellus in Theol. Moral. *Diſp. 27. n. 12.* nec improbabiliter ob doctrinam Cap. final. *De obſervat. jejun.* ſed admittit P. Tamburinus in Decal. *Lib 3. cap. 3. §. 7. n. 10* citans etiam Suarium *Lib. 4. De voto Cap. 11.* & Bardi *De conſcient. diſcept. 6. §. 14. n. 2.* admittunt & Henric. Zœſius *Lib. 3. Decretal. Tit. 24. n. 56.* atque Sanctgallenſes *Tom. 7. ſui Curſus Theologici Tr. 1. Sect. 3. q. 6. dub. 3.* extendentes etiam ad alia feſta celebriora, quæ fuiſſes excepturus, ſi veniſſent in mentem, tum quòd in dubio poſſis eligere id, quod te minùs gravat, tum quòd fueris priùs in poſſeſſione edendi carnes illo die, ut argumentatur Tamburinus. Facit huc ſententia, quam tulit S. Franciſcus Seraphicus, dum Fratri Morico arbitranti eſſe conſultius jejunare Feria ſexta, in quam incidit dies Natalis Domini, quàm edere carnes ad memoriam Verbi, quod caro factum eſt, conſultius inquam, jejunare, eò quòd ille dies eſſet nihilominus dies Veneris, reſpondit: 115

Hiſce formalibus:

Peccas, Frater Morice, diem Veneris vocans diem, quo natus nobis eſt puer Jeſus. Volo, quòd & parietes tali die comedant carnes, ſi fieri poteſt, de foris liniantur. Ita ex Barthol. Piſano *conformit. Fructu 8* refert P. Theoph. Raynaudus in ſelectæ eruditionis Tract. De *Gladio, & Pileo, fol 591.* Tomi Decimi, Facit & huc reſponſum Patriarchæ Conſtantinopolitani referendum *Caſ. 16. n 491.* 116

Ego ſentio in primis, particularem doctrinam de voto jejunii eſſe practicè tutam, confirmandámque infrà *cit. n. 491.* inſtantiâ Juramenti apprimè huc faciente. 117

Sentio deinde, generalem doctrinam, & Regulam P. Molinæ intellectam de Votis non ſolennibus, atq; iis, quæ æquiparat in hac materia ſolennibus Pater Sanchez relatus ſuprà *n. 113.* & quibus adde magna ex parte votum perpetuæ caſtitatis, & religionis, propter ea, quæ dicam *Caſu 8. n. 279.* eſſe communiter uſurpandum reſpectu ſcrupuloſorum; uſurpandam quoque in caſu, quo circumſtantia ſuperveniens ignorata ſolet, quando priùs cognoſcitur, retrahere, ab ejuſmodi voto homines ejuſdem ætatis, conditionis &c. cujus eſt ille, qui allegat ignoranti-

Digitized by Google

am, nec enim ſolemus nos aliter obligare, quàm ii, qui ſunt noſtræ conditionis, regionis &c. ut deſumitur ex *Leg. Semper in ſtipulationibus ff. De Reg. jur.*

Si autem ignoretur mos aliorum, quoties ex aliquo tuo actu, aut ex fine promiſſionis conjicis veroſimiliter (Jureconſulti habent in dubio veriſimilitudinem pro ipſa veritate, nominatim in dubio de mente teſtatoris, & contrahentis. Ewerhardus *loc. 11. ſeu à Veriſimili. n. 5.* & 2 ex L. *Cùm avus. ff. De condit. & demonſtr.*) te, dum promiſiſti, fuiſſe ita conſtitutum, ut nequaquam promiſſurus fuiſſes, ſi hæc, aut illa circumſtantia, ſeu difficultas animo occurriſſet, tunc liberandus es onere promiſſionis, modò non conſtet, te abſolutè voluiſſe, ut tua promiſſio, etiam non obſtante ignorantia valeret, ſicuti ſatis conſtat ſaltem illos velle, ſeu voluiſſe, qui edunt vota Religioſa; re enim vera non admitterentur ad ea, niſi privarent ſe jure allegandi in foro tam interno, quàm externo ignorantiam circumſtantiarum non ſubſtantialium.

118 Eſt autem pro ſolidiùs expediendis dubiis, occurrentibus in hac materia ignorantiæ notandum, multùm differre duas, haud multùm diſſimiles locutiones, quarum prima eſt hæc: *Iſtud voveo, ſi adfuerit, vel abfuerit iſta circumſtantia, & non aliter*: altera hæc: *Si ſcirem hanc circumſtantiam adfuturam, vel abfuturam, non voverem*; illa enim prior phraſis oſtendit animum clarè, ac ſemper, & abſolutè averſum à voto, caſu quo ſit adventura illa circumſtantia; poſterior autem phraſis nec clarè, nec ſemper manifeſtat animum, hîc & nunc abſolutè repugnantem; ſæpiſſimè enim cùm videmus, nos non poſſe veritatem comperire, ratiocinamur
119 eo modo, quo is, qui ſic loquitur: *Ego quidem ſi ſcirem, hunc mendicum eſſe hæreticum, vel abuſurum pecunia, nullam ſtipem largirer ipſi; at quia id nunc ſcire nequeo, donabo abſolutè.* Quare non ſemper valet hæc argumentatio: *Si ſciſſem hoc futurum, ego certò non voviſſem; ergo hoc ipſo meum votum eſt invalidum.* Sed id enthymema tunc ſolùm communiter valet, quando vel expreſſè dicimus, nos vovere hoc modo, & non alio: vel ſupervenit mutatio, quæ præcognita communiter retrahit à vovendo homines ejuſdem conditionis nobiſcum, vel denique ex fine voti noſtri, aut alio quovis adjuncto probabiliter conjicimus, nos, quando vovebamus, fuiſſe actu ita conſtitutos, ut promiſſuri non fuiſſemus, ſi nobis in mentem veniſſet illa mutatio. Quando orta difficultate incipimus dubitare, an fuiſſemus promiſſuri, ſi habuiſſemus hoc, aut iſtud perſpectum, philautia, ſeu amor proprius, conſultorum peſſimus, quia ſummè cæcus, offundit per tenebras, vel ignem fatuum, luménque futilium rationum pro ſui ſubjecti incolumitate. Quare non ſim autor, ut habeamus tunc rationem rationum nobis id temporis occurrentium, ſed reflectamus oculos, ad tempus antegreſſum illam difficultatem.

120 Ex quibus deduces, in primis non abſq; fundamento vero, aut veroſimili (veroſimilibus argumentis multum tribuunt periti Juris, ut retuli ſuprà ex Ewerhardo) fuiſſe à me *n. 103*, illum Didymum juſſum eſſe ſine metu, tametſi loco unius Ducati offerret nummum argenteum ejus circiter magnitudinis, cujus erat Ducatus; ſiquidem in primis animadvertebat etiam in illa trepidatione, quantæ circiter craſſitudinis, & amplitudinis eſſet nummus, quem offerebat, ergo deſignabat nummum æqualem, etenim voluntas fertur non in incognita, ſed in cognita. Deinde illo ipſo tempore apprehendebat habitualiter pecuniam ſibi familiarem, quotidianiq; uſûs, non autem non niſi rariſſimè viſam, habitámq; à ſe; hanc imaginationem, tametſi falſam, ſecuta voluntas dixit: *Hoc munere* (argenteo) *teſtabor animum gratum erga Virginem Lauretanam, ſi vitam ſervavero*; igitur non videbatur compellendus ad aureum, utpote qui errâſſit circa materiam Voti, de quo errore nos ſuprà *n. 109*. Quia tamen, ſi veniſſet in manum unus è tribus, vel quatuor nummis aliquanto majoribus, quos reconditos habebat in pera, non dubitâſſet utiq; illo demereri ſibi patrocinium Virginis, ſuaſi, ut hunc potiùs, quàm alium minorem mitteret in gazophylacium. Confirmo reſponſum autoritate Caramuelis lecti à me hiſce jam exaratis, & in Theol. *Intentionali Lib. 4. in Præcepto 3. n. 186* contra Buſenbaum *Lib. 3. Tr. 2. c. 3.* (ratū, qui vovit Deo calicem, quem falsò putabat eſſe argenteum, non aureum, ad nihil teneri comperto errore,) reſolventis, tale votum eſſe validum quoad valorem calicis argentei, utpote qualem promiſerat vovens, non autem quoad valorem aurei. Subdit verò Caramuel, quia hæcceitas ſpeciei ita illigatur interdum à vovente, ut ſi illam rem numero non poſſit facere, ad aliam numero diſtinctam nolit obligari, aliquando autem velit eſſe poſt deprehenſum errorem obligatus, idcirco examinandam eſſe inclinationem, voluntatémque voventis.

Deduces deinde reſponſum ad hunc

Caſum II.
Angeli Incarnati.

SAncta Maria Magdalena de Pazzis decennis, 121
perpetuam virginitatem vovit; & adeò caſta fuit, ut quidquid puritatem lædere poteſt, penitus ignoraret.

Sic loquitur Congregatio Rituum in lectione prima ſecundi Nocturni recitandi de præcepto ab omnibus, qui ad horas Canonicas tenentur. Emergit igitur non planè ridenda quæſtio, utrùm illud votum futurum fuerit validum nec ne, etiamſi jam nubilis illud nuncupâſſet? Ratio eſt, quia ignorantis nullus eſt conſenſus. Suprà *n. 104.* ignorabat autem hic Angelus Incarnatus, quid voveret, quia ignorabat, quid eſſet virginitas; etenim contrariorum eadem eſt ſcientia, & diſciplina, ut cum Peripateticis tenent Theologiæ, ac Juriſperiti; ergo qui ignorat quid ſit impuritas, ignoret neceſſe eſt, quid

quid ſit puritas, teſtantur autem oracula Pontificia, penitus ignorâſſe, quid ſit impuritas.

122 Ego in Experientiis *Tract. 9. Caſ. 4. num. 128.* adhuc expreſſiùs, ſeu diſtinctiùs propoſui aliunde cognitam ignorantiam iſtiuſmodi impuritatis, qua laborabat illà feliciſſimè, ſeu potiùs ſapientiſſimè ignara Virgo. Propoſui autem quærendo, an valiturum fuiſſet Matrimonium, ſi paruiſſet parentibus compellentibus vix nubilem factam ad Matrimonium? Ac reſolvi, nequaquam valiturum fuiſſe conjugium, non tam ob defectum ſcientiæ, ſeu cognitionis, quem ibidem *num. 129.* oſtendi nihil derogâſſe de valore connubii, initi ab illuſtri Matronâ, prorſus ignorante neceſſaria ad prolem concipiendam, quàm ob defectum voluntatis ſummè abhorrentis ab omni impudicitia, ſeu actione pudorem, & verecundiam excitante in frontibus

123 non ſummè detritis. At quia contrariorum contrarii ſunt effectus. *Leg. Qui accuſare. ff. De accuſat.* & quod operatur propoſitum in propoſito, id operatur oppoſitum in oppoſito *Leg. fin. ff. De calumniat. in fin.* & ibi Angel. conſequenter, quia ſummè amabat puritatem, toto affectu ferebatur in ea, quibus illa & conſervatur, & magis illuſtratur, redditúrque Deo gratior. Ideo apprimè huc facit id, quod eodem *n. 129.* retuli ex Alexandro: *Ad conſenſum ſufficit cogitare in genere*, præſertim quando voluntas eſt generatim, & firmiſſimè reſoluta ad amplectendum, eligendum, quidquid conducit ad rem amatam juxta id, quod ex Tamburino retuli ſuprà *n. 106.*

Caſus III.
Authenticè Reſolutus.

124 *Ex parte tua eſt nobis intimatum, quòd cùm quædam mulier velum viduitatis aſſumpſiſſet, quidam Nobilis proponebat, ſe priùs mulierem ipſam per verba de præſenti deſponſaſſe. At illa ſe in illum conſenſiſſe confeſſa dixit, quod audierat, eum eſſe Leprâ percuſſum, & ob hoc ejus fuerat abominata complexus. Nos reſpondemus, licere illi ad religionem tranſire, quamvis falſa ſit cauſa, per quam ad ſuſceptionem veli prædicta mulier eſt inducta, cùm ſine qualibet tali cauſa id ipſum religionis obtentu facere potuiſſet; quòd ſi voto ſe obſtrinxerit, ad obſervantiam regularem compelli poteſt, ut religionis propoſitum exequatur.*

125 Ita (omiſſis aliis non neceſſariis ad ſubſtantiam reſolutionis) reſpondit conſultus Cœleſtinus III. relatus *Cap. Ex Parte. 2. De converſ. conjugat.* in quo Caſu clarum eſt, à Pontifice reſponderi, illam mulierem, ſi revera emiſit votum religionis, teneri illud exequi, tametſi votum emiſerit falsò credens, illum, cum quo celebraverat Matrimonium Ratum, ſeu copula maritali nondum conſummatum, fuiſſe effectum leproſum, redditque Pontifex ſui reſponſi cauſam hanc, quòd licèt illa mulier cum gravi errore votum illud edidiſſet, attamen potuerit id ipſum votum emittere ex juſta, & rationabili cauſa diverſa, alienáque ab errore,

Hæc reſolutiò in primis confirmat doctrinam traditam ſuprà, quòd videlicet ad vota religionis, & perpetuæ caſtitatis irritanda prætextu erroris, exigatur error circa graviorem circumſtantiam, quàm ad irritanda alia inferioris notæ vota. Deinde dat occaſionem magis declarandi, quomodo error ſeu gravis, ſeu levis ſoleat ſe habere in ordine ad emiſſionem voti; habet enim ſeſe generatim dupliciter. In primis ita, ut falſa perſuaſio ſit finalis cauſa inclinationis, & amoris erga materiam voto promiſſam, quia illa materia falsò putatur, e. g. eſſe grata Deo, continere hanc aut illam bonitatem &c. Deinde ut ſit tantùm occaſio, cauſáve merè impulſiva exequendi id, ad quod inclinamur abſtrahendo ab illa falſa perſuaſione. In primo caſu error ſolet vitiare votum, illúdque reddere irritum, juxta dicta in ſuperioribus §§. at non ſolet in poſteriore, ut probatur exemplo mulieris, de qua hic Caſus Authenticè reſolutus; illa quippe non amabat religionem propter falsò creditam lepram mariti, ſed propter honeſtatem intrinſecam religioni; hujus amoris, & inclinationis demonſtrandæ actu ipſo, atque ad praxin redigendæ per votum, occaſionem dedit falſa opinio de lepra mariti, cujus lepræ, ſeu præſentia, ſeu abſentia non adjacet religioni, ſed eſt penitus illi extrinſeca, unde non eſt mirum, quòd Pontifex reſponderit, non fuiſſe ullam ejus habendam rationem, cùm inſuper eadem mulier potuerit induci, & reipſa fuerit inducta religionis obtentu, ſeu amore, & deſiderio. Hanc explicationem, & diſtinctionem dea claro hoc 126

Caſu IV.
Rurſum Authenticè, ſed dubiè reſoluto.

Siquidem in Cap. *Magnæ*. De voto, & voti redempt. *proponitur Caſus Epiſcopi Trecenſis, qui voverat peregrinationem Jeroſolymitanam, impulſus tum religione loci, tum eâ ratione, quòd eſſet Jeroſolymis reperturus Comitem Campaniæ, atque ab eodem impetraturus ſubſidium adverſus oppugnatores Eccleſiæ Trecenſis. At cùm intellexiſſet poſtmodum Epiſcopus, Comitem illum eſſe vitâ functum, conſuluit Innocentium tertium Pontificem, utrùm nihilominus valuerit illud votum? Reſcripſit Pontifex verbis talibus, ut reliquerint Doctoribus dubiam ejus mentem.* 127

Etenim Abbas Panormitanus in illud capitulum, Suarez *Lib. 1. De voto Cap. 11. n 15.* Zœſius *Lib. 3. Decret. Tit. 24. n. 42.* & alii multi cenſent, id 128

Digitized by Google

id votum fuiſſe, non obſtante morte Comitis; ab Innocentio declaratum validum, & firmum; idque ob hanc cauſam ita declaratum, quòd Epiſcopus ille jam aliàs habuerit in animo ſuſcipere peregrinationem illam, & proinde quòd viſitatio ſepulchri Dominici illi peregrinationi adjacens, ſeu intrinſeca fuerit ſola cauſa finalis affectûs erga illud iter, & conſequenter erga votum, quod Epiſcopus edidit tunc actu motus ſpe auxilii impetrandi à Comite, editurus alio, quo poſſet tempore, tametſi nullam opem ſperâſſet à Comite, utpote cujus opitulatio fuerit cauſâ ſolùm impulſiva (juxta explicationem ſuprà allatam) & occaſio voti, quaſi Epiſcopus dixiſſet: *Voveo peregrinari ad terram ſanctam, ubi non ſolùm venerabor, quod maximè intendo, ſepulchrum Salvatoris, ſed etiam, uti firmiter ſpero (non ignorans, me ſpe mea poſſe fruſtrari) ibidem feliciter reperiam Comitem.* Sed hæc explicatio licèt ſit perutilis ad praxin reſpectu aliorum quorundam Votorum, videtur mihi tamen, ſalvo tantorum Doctorum ju-
129 dicio, torta, & violenter excogitata. Rectiùs igitur, & rotundiùs dixeris cum Sanchez *cit. Lib. 4. cap. 2. num. 43.* quem ſequitur citatum, Barboſa *in cit. Capit. Magnæ. num. 10.* & non citatum Pontius apud ipſum *num. 14.* Vallenſis in Paratitlis. *Lib. 3. Tit. 34. §. 3. num. 3.* Palaüs *punct. 6. num. 8.* illud votum reverà non valuiſſe, cùm videatur ipſa litera Capituli manifeſtare eſſentialem ejus dependentiam à ſperato congreſſu, & colloquio cum Comite, ſiquidem expreſſè ſcribit ipſe Papa, Epiſcopum votum emiſiſſe *præcipuè* NB. *pro libertate ſuæ Eccleſiæ* conſequenda per illum Comitem; dictio autem *Præcipuè* importat idem, quod *Maximè.* Barb. *Diction. 274.* oſtenditque ſolùm eſſe majorem rationem. Idem poſt Tiraquel-
130 lum. Nec obeſt, quòd Pontifex commutaverit illud votum in opera ſatis difficilia, & addiderit, ſe illam commutationem feciſſe *ex indulgentia*; etenim ſi nihil planè ſubrogâſſet in locum peregrinationis, poterat ſcandalum mentibus Laicorum generari, ut loquitur ipſe Pontifex, confirmans inde ſuam rationem, quòd ea, quæ geruntur à Prælatis, facilè trahantur à ſubditis in exemplum. Addit quidem Pontifex, ſe in ea commutatione facere *indulgentiam*, non tamen id officit noſtræ explicationi; illâ enim ætate ſummi fiebant vota peregrinationis Jeroſolymitanæ, præſertim edita à Principibus, & Epiſcopis, ac proinde potuêre adeſſe tunc tales circumſtantiæ, ut ad obviandum ſcandalo, potuiſſet Papa, ſi voluiſſet, plus adhuc injungere, quàm injunxit, adeóque indulgenter egerit cum Epiſcopo non decernendo quid gravius. Certè cùm Pontifex illic fecerit bis mentionem ſcandali, oſtendit, fuiſſe hujus non leve periculum. Verba repetita indicant enixam voluntatem loquentis, ajunt Jureconſulti; conſequenter magnam impreſſionem, quam imbiberunt de illa re, quam repetunt loquentes.

VOTA METUENTIUM, SEU EX METU EDITA AN VALEANT?

CASUS V.

Innocentianus.

SUMMARIUM.

Caſus Clerici ægri ex metu mortis impetrantis habitum regularem, qui tamen ſanatus nec ad monaſterium tranſivit, nec bonis ſuis frui ceſſavit. 131.

Supponuntur varia de metu ex Tractatu 9. Cap. 12. quæ & hic locum habent. 133.

Ut metus votum irritet, debet eſſe injuſtus. 134.

Et incuſſus in hunc finem ut extorqueatur Votum. Ibid.

Et conſequenter ortus ex minis ſaltem Virtualibus. 135.

Debet eſſe metus gravis, & cadens in conſtantem virum 136. *& ſuprà.* 133.

Probabile eſt, etiam metum levem & reverentialem ſufficere ad irritandum Votum. 136. *& ſeq.*

An metus jure naturali, vel ſolùm Eccleſiaſticè irritet votum? eſt incertum apud DD. 138.

In dubio, an metus fuerit gravis vel non, præſumitur fuiſſe levis. Ibid.

Reſolvitur Caſus num. 131. propoſitus. 139.

Reſolvitur fuſè Caſus promoti ad Subdiaconatum ex metu, ideóque petentis, ut per viam Iuris declaretur nullitas Ordinis ſuſcepti. 140. *& ſeqq.*

Caſus fugientis ad monaſterium ſed non admiſſi, niſi promitteret Religionem, quam & profeſſus eſt. 155.

Caſus damnatæ ad perpetuos carceres, ſed liberatæ ea conditione, ut fieret monacha. 157.

An liberi prudenter conſulant ſuos Parentes; quando dubitant de ſtatu vitæ deligendo? 160.

Eugenius Clericus, ſicut nobis expoſitum fuit, cùm ægritudine nimia laboraret, quaſi 131
de morte ſecurus, & de recuperanda ſanitate deſperans, habitum Canonicorum Regularium petiit, & accepit; ſed nec ad Eccleſiam tranſivit, nec bonis ſuis frui ceſſavit. Fraternitati tuæ taliter reſpondemus, quòd ſi Regularem habitum ſe poſtulante ſuſcepit, & ad obſervationem Religionis Canonicè ſua ſe profeſſione ligavit, ad reſumendum habitum Eccleſiaſtica eſt diſtrictione cogendus.

Hunc Caſum appello *Innocentianum* utpote 132
reſolutum ab Innocentio III. Cap. *Sicut nobis. De Regul. & tranſ.* Ex quo liquet, Clericum illum mortis inſtantis metu impulſum ſuſcepiſſe habitum Religioſum, &, ſi fortè vota Religioſa edidit, fuiſſe juſſum ea ſervare. Quæritur igitur occaſione hujus Caſûs, & Reſponſi: *An, & quatenus metus cum, vel ex quo eduntur ſæpiſſime vota, infringat, vel non infringat horum vim?*

Pro

133 Pro hujus quæſtionis reſolutione ſuppono, ac ſolùm digito demonſtro ea, quæ fuſiùs de metu explicavi in Experientiis, *Tract. 9. Caſ. 12.* ubi ediſſero, quis, & qualis metus dirimat, vel non dirimat Matrimonium; etenim quæ de metu illic dixi, habent pleraque omnia locum in metu reſpectu voti, ſiquidem Doctores æquiparant hac in re obligationem voti cum obligatione Matrimonii initorum ex metu. Sicuti ergo illic ſcripſi, aliquem, non autem omnem metum obſtare validitati Matrimonii; ita etiam ſentiendum hìc de validitate voti, ac tenendum, ex ſolo metu gravi, non autem levi, juxta probabiliorem, non tamen certam opinionem infirmari vim voti. Ibid. *num. 246.* ubi etiam *num. 247. & ſeqq* explico, quid ſit metus gravis, quid cadens in virum conſtantem; quorum malorum metus cenſeatur communiter cauſare talem metum: quid malum *reſpectivè*, quid *abſolutè* grave; quis metus reverentialis. Quibus ſuppoſitis ſtatuo de metu ad præſentem materiam faciente ſequentia.

134 I. Ut metus votum irritet jure naturali, aut Eccleſiaſtico, debet eſſe in primis injuſtus, id eſt cauſatus, & incuſſus ab aliquo homine, non habente jus incutiendi hunc metum. Ita communiſſima ſententia contra Lopez. Rodriq. Vegam apud Sanchez *Lib. 4. De voto Cap. 3. num. 2.* non improbabiliter, ut agnoſcit Sanchez, ratos, etiam illud votum, quod editur ex metu juſtè incuſſo ab homine, non valere coram Deo, eò quòd votum non ſpontaneum non ſit ipſi gratum. Addo pro vitanda confuſione in lectione Autorum, à nonnullis illorum, ut Navarro, & aliis Canoniſtis, per metum *Juſtum* intelligi illum, qui meritò, & prudenter concipitur, ab aliis, ſingulariter Theologis, quos ſequor in modo quoque loquendi, eum ſolum, qui incutitur jure, ſeu juſta ex cauſa; hunc intelligunt Lopez. Rodriq. & Vega ſupra relati, ac tenentes contra communem, ſufficere ad irritandum votum.

II. Debet eſſe excitatus, & incuſſus in eum finem, ut per eum extorqueatur emiſſio voti. Sanchez *loc. cit. num. 4* teſtans, id eſſe apud omnes certiſſimum, attamen Pellizarius in Manuali Regul. *Tract. 3. num. 57.* refert Laurentium Peyrinis diſſentientem; cujus diſſenſui non vererer dare locum in aliquo caſu, quo timeretur grave malum, ſi reus voti taliter emiſſi cogeretur illud ſervare.

135 III. Conſequenter debet ille metus eſſe ortus ex minis intentatis, in eum finem, ut fiat id, ob quod minæ illæ intentantur. Non autem eſt neceſſe, ut dictæ minæ ſint expreſſæ, & formales, ſed ſufficit, ut ſint virtuales, id eſt, ut filius e. g. habeat ſufficientem cauſam, & indicia, ob quæ ſibi aliquod malum timeat à patre, ſi ei contradicat. Ita loquitur Pellizarius *loc. cit. num. 56.* differens de metu reverentiali filii reſpectu patris; quam doctrinam confirmabo infrà *num. 144.*

IV. Idem metus debet eſſe non levis, ſed gravis, adeóque cadens in conſtantem virum. 136 Sic fert Doctorum opinio communiſſima, non tamen certiſſima, verè enim eſt tam practicè, quàm ſpeculativè probabile, quòd metus etiam levis, modo ſit injuſtus, & incuſſus ad extorquendum conſenſum, qui aliàs revera non præberetur, impediat valorem voti; ſic enim ſentiunt minimè laxus Navarrus in Manuali. *Cap. 22. num. 51.* & alibi ſæpe, Emanuel Rodriq. loquentes etiam de profeſſione emiſſa ex tali metu; item Hoſtienſis, Adrianus, Sotus apud Leſſium *Lib. 2. De juſtit. Cap. 40. num. 17.* habentem eam ſententiam pro probabili. Ratio, inter reliquas, eſſe poteſt hæc, quia *Reg. 117. ff De Reg. jur.* approbatâ ab ipſomet Jure canon. Cap. 1. *De novi operis nuntiat.* univerſim dicitur: *Nihil conſenſui tam contrarium eſt, quàm vis, & metus.*

V. Quare eſt etiam perquam probabile, 137 quòd metus quoque reverentialis ſufficiat ad irritandum votum; id enim pro probabili habet Leſſius *loc. cit n. 17.* vocans illum reverentialem, quo quis per pudorem, & reverentiam non audet contradicere parenti, & ſufficere etiamſi aliud malum non timeat: applicans hanc doctrinam profeſſioni Religioſæ, & Ordini Subdiaconatûs. Conſentiunt Canoniſtæ Suarez, Hippolytus, Mathadus apud Barboſam in Cap. *Cùm virum. De Regul. n. 4.* quibus junge tum Riccium in Collectan. *Part. 4. deciſ. 932* & Sayrum apud ipſum loquentes expreſſè de profeſſione Religioſa; tum Dianam *Part. 3. Tract. 2. Reſ. 92.* ubi refert Deciſiones Rotæ hanc in rem; tum omnes, qui metui levi dant vim infirmandi votum, quos probabiliter loqui tenet etiam Tambur. in Decal. *Lib. 1. cap. 2. §. 8.* & Laymannus *Lib. 4. Tract. 5. cap. 2. n. 6.* ſubſcribente Pellizario *cit. n. 56.* in caſu, quo metui reverentiali jungitur metus gravis offenſæ, aut diu duraturæ indignationis eorum, quorum maximè indigemus. Leſſius quoque *cit. Lib. 2. cap. 17. dub. 6. n. 45.* atque idem Barboſa Conſultorum. *Lib. 3. Voto 77. n. 57.* poſt Dianam *Part. 3. Tract. 5. Miſcell. Reſ. 26.* & alios æquiparat hac in re metui cadenti in conſtantem virum, illum reverentialem, cui conjunctæ ſunt minæ *tacitæ*, vel *expreſſæ*, aut timor diuturnæ, vel gravis offenſionis, *hic enim meritò gravis à Doctoribus cenſetur*, inquit idem Leſſius, providè præmittens, nihil referre, utrùm alter reverà cogitârit malum inferre, ſi tu ſeriò apprehendiſti periculum tibi impendere, & ideo conſenſiſti, quia malum non cauſat metum niſi apprehenſum. In foro tamen externo non admittitur hæc exceptio metûs, niſi juſta ratione conceptus fuerit. Ita ille.

VI. Utrùm metus, de quo hactenus, votum 138 irritet jure ſolùm Eccleſiaſtico, an etiam Naturali eſt incertum apud DD. quandoquidem ſtant pro utraque parte multi, & magni nominati ab hactenus citatis, communiſque eſt opi-

Digitized by Google

nio, quòd metus irritativus irritet reipſâ, & non exſpectata ſententia judicis Eccleſiaſtici, eò quòd tale votum non placeat Deo; quamvis, qui poſt emiſſum votum ſolenne Caſtitatis vult, ob prætextum metûs, tranſire ad nuptias; vel ad ſæculum, debeat in forma juris probare metum: Tridentinum Concil. *Seſſ. 25. cap. 19. De Regular.*

VII. In dubio, utrùm metus fuerit levis; ân gravis, cenſet Sanchez *num. 27.* præſumendum fuiſſe levem, eòquòd favendum ſit valori actus in dubio. Addo ego, eſſe etiam in dubio præſumendum minus peccatum, quàm majus; atqui minùs peccat, qui injicit injuſtè metum levem, quàm qui gravem; niſi dicas, votum ex metu editum, eſſe indignum omni favore. Infrà *num. 145.* Ex quibus omnibus deduces reſolutionem ſequentium Caſuum.

Caſus II. Repetitus.

139 Eſt ille ipſe Innocentianus, quem produxi *num. 130.* & quem reſolvit ipſemet Innocentius, ſed tacita cauſa, quæ quidem eſt apud Theologos certa, quòd nimirum metus ab intrinſeco procedens, ſeu non incuſſus (ſaltem juxta apprehenſionem metuentis) ab homine, non irritet votum. Quare dubitari non debet, quin vota, quæ eduntur in metu naufragii, aut pudicitiæ ſubſiſtant, ſi nil aliud obſit, quàm metus. Qua de re propono ſingularem Caſum in Experientiis *Tract. 9. num. 98.* cui non importunè additur hic

Caſus II. Recentiſſimus.

140 *Evariſtus paſſus eſt ſe ad ſubdiaconatûs Ordinem promoveri, ad id inductus, ut aſſerit, per vim, & metum, qui caderent in conſtantem virum, ideòque ſupplicat ſuæ Sanctitati, ut via juris declaret nullitatem Ordinis præfati. S. D. N. Clemens X. cauſam delegat Domino Ordinario Evariſti, mandátque, ut vocatis ad id, qui fuerint evocandi, in præmiſſis omnibus, & ſingulis, dummodo Evariſtus Ordinem præfatum tacitè, vel expreſſè non ratificaverit, nec in illo miniſtraverit, ac data cautione de ſtando juri, & judicato parendo, autoritate Apoſtolica faciat, & declaret, prout de jure faciendum, & declarandum.*

Evariſtus munitus hoc indulto Pontificio me convenit, poſtulans à me, ſi quam poſſim, ferrem opem, quam cùr negarem non habebam. Quare tradidi ipſi ſcripto, ſed breviore, ſequentia partim ex meomet (quem certa de cauſa promere nolebam) partim ex aliorum ſenſu

Supponitur autem in hac cauſa primò, non fuiſſe mentem Evariſti, & conſequenter nec Pontificis, qui ſe accommodat precibus Oratoris, ut directè declararetur nullitas Ordinis conſiderati in ſuis eſſentialibus, hæc enim nullitas, cùm dependeat unicè à diſſenſu voluntatis, nolentis recipere ipſummet Sacramentum, ejúſque effectum characterem, vix videtur poſſe viâ juris, ad quam confugit Evariſtus, probari, niſi probetur eſſe vis illata corpori e. g. per injectionem vinculorum, ut ſingulariter obſervat Barboſa Conſultorum *Lib. 3. Voto 77.* hæc autem vis, quam Barboſa vocat *præciſam*, & *abſolutam*, Pariſius *Lib. 1. Conſil. 27. impetum, actúmque violentum*, inaudita eſt apud Chriſtianos, at crebrior, quàm par eſt, ea, quæ ab eodem Barboſa, atque Navarro *in Conſil. Lib. 1. De iis, quæ vi & met.* appellatur *conditionata*, & *cauſativa*, quæ ſcilicet cauſat verum conſenſum in ipſam Ordinationem, ſeu receptionem Sacramenti, & conſequenter in hujus appendicem ex inſtituto Eccleſiæ inſeparabilem, videlicet obligationem ſervandæ continentiæ. Qui conſenſus, quia præſtatur poſt minas, non ſecutas niſi præſtetur; idcirco illa cauſativa vis rectè appellatur conditionata; hanc ſi probaverit eſſe ſibi illatam Evariſtus, probabit & metum; ſic enim ſufficienter probatur, probata ipſa vi, ſeu violentiâ, ut patet per ea, quæ adfert Barboſa allegato Voto *77. n. 86. & 87.* 141

142

Supponitur ſecundò, illum dici inductum per metum, non ſolum, cui alius quiſpiam minatur actu aliquod malum, ſed cui vel minatur actu, vel prudenter præſumitur habitualiter minari. Etenim homines rectiſſimè dicuntur ſervire Deo metu pœnarum æternarum, vel Eccleſiaſticarum, tametſi neque Deus, neque Pontifex actu minentur excommunicationem ab Eccleſia triumphante, vel militante, modò præceſſerit lex vetans aliquid ſub pœna ejuſmodi exterminationis. Unde Pellizarius in Manuali Regular. *Tract. 3. n. 56.* monet, huc ſuſcere minas *virtuales* (quo vocabulo utuntur etiam Sanctgallenſes *quæſt. 6. dub. 1.*) ſine formalibus; Leſſius quoque relatus ſuprà *n. 137.* ſcribit, ſufficere minas *tacitas*, vel *expreſſas*, timorémque diuturnæ, vel gravis offenſionis, atque nihil referre, utrùm alter revera cogitaverit malum inferre, ſi tu ſeriò apprehendiſti periculum tibi impendere, & ideo conſenſiſti; quia videlicet malum, non ut à parte rei exiſtens, ſed ut apprehenſum cauſat metum; ſi igitur apprehenſio ſit prudens, eſto reipſa abfuerit omne mali periculum, attamen rectè dicitur aliquid eſſe factum per vim, & metum. Maximè cum Barboſa *Lib. 1. Vot. 1. n. 130. & lib. 2. Vot. 17. n. 105.* cum aliis ſcribat abſolutè: Eundem effectû operatur ſuſpicio de 143

144

de metu, aut cruciatu, quem timor ipſe cruciatûs, favente à fortiori. *Leg. Noviſſimè ff. Quod falſo tutore autore geſtum.* ibi: *Quid enim ſi compulſus; aut metuens, ne compelleretur?*

145 Supponitur tertiò, cùm poteſtas declarandi, ſicut & diſpenſandi ſit latè interpretanda, & ſingulariter in cauſa vim, & metum continente; quandoquidem ſicut Matrimonium metu contractum indignum eſt omni favore, nec pro ejus favore eſt in dubio præſumendum. Expreſſe Barboſa *Lib. 1. Voto. 1. num. 136.* loquens in contingentia facti, ſupponit, inquam, Evariſtus, fore ut ſecum procedatur juxta opiniones Doctorum probabiles, ſimul & leniores, cùm & hic agatur de metu, & cauſa Voti ſolennis æquiparetur à Doctoribus cauſæ Matrimonii præſumptivè contracti, & proinde locum hic habeant cap. fin. *De tranſlat.* cap. Ex literis *De probat.* Lex. Benignius *ff. De legibus.* L. Arianus *ff. De obligat. & action.* & Lex. In ambiguis *ff. De Reg. jur.*

146 His ſuppoſitis probabit Evariſtus, adfuiſſe cauſas ſufficientes ad metum cadentem in virum conſtantem, etſi enim nullæ expreſſæ minæ, vel preces importunæ interceſſerint ex parte parentum, conſanguineorúmve, prudenter tamen timebat Evariſtus, ne, ſi non ſuſciperet Subdiaconatum, cujus ſuſcipiendi tempus adeſſe monebat parens, qui Evariſto Canonicatum Cathedralem non ſine nullis ſumptibus procuraverat, & fieri Canonicum unicè deſiderabat, incurreret graviſſimam, eámque diuturnam, ac fortunis multùm detrimentoſam indignationem parentis. Et verò prudenter timere potuiſſe probabit ipſe Evariſtus teſtibus omni exceptione majoribus, adeóque numero, & qualitate præſtantioribus, quàm exigant Doctores contenti teſtimonio unius idonei, accedente aliqua præſumptione. Maſcardus *De probat. concluſ. 1057.* vel alio teſte de auditu, Barboſa *cit. Voto. 77. num. 81.* metum autem hujuſcemodi indignationis eſſe vel reipſa, vel æquivalenter metum cadentem in Virum conſtantem, inde probatur, quòd ſit reverentialis, *atqui negari non poteſt, probabilem eſſe opinionem, quòd metus reverentialis per ſe ſolus Matrimonium* (eadem eſt ratio Voti ſolennis juxta communem perſuaſionem) *reddat invalidum.* Expreſſè Barboſa *Lib. 1. Voto. 1. num. 136.* poſt alios relatos ſuprà *num. 137.* nec dubitari vult hac de re Sanchez *Lib. 4. De Matrim. Diſp. 6.* in caſu, quo adeſt timor incurrendi indignationem paternam. Metûs cauſis probatis per teſtes inducendos ab Evariſto, probatus erit & ipſe metus. Barboſa ſuprà *num 143.*

147 Probationi prudentis, juſti, & huc ſufficientis timoris faciendæ per teſtes junget Evariſtus juramentum, quòd videlicet non ſolùm re ipſa formidaverit illam paternam, de qua ſuprà, indignationem, ſed etiam metu ejuſdem fecerit ſe ordinari, eſſe autem tali juramento in hoc paſſu deferendum, probatur tum autoritate Gloſſæ, ſatis frequenter receptæ in cap. *Significâſti.* Verb. *Si ita eſt. De homicid.* ibi: *cùm de conſcientia alicujus quæritur, ſtatur juramento ipſius*, tum inde, quòd cùm metus ſit difficilis probationis, ſufficiant probationes, quæ aliàs non admitterentur. Barboſa *Lib. 3. Voto. 77. num. 51.* in Caſu Anni. *1642.* in quo allegabatur etiam parentum metus inducens filium ad ſuſceptionem ſubdiaconatûs, & ſubdit Barboſa, ad hanc probationem ſufficere conjecturas, & indicia, quæ aliàs rejicerentur.

Accedunt ea, quæ de vi juramenti in cauſa matrimoniali metûs retuli ex aliis in Experientiis *Tract. 10. num. 712.* etſi non approbârim *num. 713.* ut jacebant. Quia tamen poterant probari judici, idcirco facio hîc quoque mentionem illorum. Et hæc ſufficiant pro omnino primaria, atque fundamentali controverſia hujuſce Caſus, ac ſimilium.

148 Jam quod ſpectat tres alias clauſulas, in reſcripto Pontificio expreſſas *num. 140.* videlicet Ratificationem: Miniſterium in Ordine Subdiaconatus, & Cautionem, breviter meam mentem de iis exprimo.

149 Et in primis, quod attinet ratificationem, ſeu potiùs non ratificationem Ordinis, per Miniſtrationem in Ordine Subdiaconatûs, cùm ſit propoſitio negativa, negantis autem nulla ſit per rerum naturam directa probatio, *cap. Bonæ. De elect.* hanc non tenetur præſtare Evariſtus, ea etiam de cauſa, quòd multi Doctores apud Maſcard. *De probat. concluſ. 1091.* non exigant ullam etiam indirectam probationem negativæ, niſi quando negans fundat in negatione ſuam intentionem, hanc autem non fundat Evariſtus in negatione miniſtrationis, ſed in vi, & metu, ut viſum eſt ſuprà. Quare onus probandi quidpiam in hac clauſula incumbit volenti e. g. Fiſcali (nam Barboſa teſtatur in duobus Conſultis ſuprà citatis, fuiſſe conſtitutum Fiſcalem tanquam actorem, ne Sacramentum careret omni defenſore) ipſum impedire ab uſu reſcripti Pontificii, qui tenebitur concludenter, nominatis tempore, & loco oſtendere, Evariſtum obiviſſe munus Subdiaconi. Et verò conſtanter inficiatur Evariſtus, quemquam repertum iri, qui poſſit cum veritate aſſerere id factum. Certè, ſi obiviſſet, factum id fuiſſet in alterutra duarum Cathedralium Eccleſiarum, in quibus egit Capitularem, nullus autem Collegarum novit quidquam de ejuſmodi Miniſterio, imò vivunt, qui teſtabuntur eum renuiſſe id Miniſterii, ne videretur ratam habere ſuam Ordinationem. Quòd ſi exigatur hac ſuper re tota juramentum Evariſti, præſtabit tale, quale ſolent in Germania præſtare Illuſtres perſonæ.

150 Veniendo nunc ad ratificationem expreſſam, ac tacitam, de qua Reſcriptum Pontificium, cùm hujus negatio exigatur, reſpondetur in primis id ipſum, quod ſuprà de negatione Miniſterii, videlicet hujus probationem directam non poſſe dari, indirectam non exigi, cùm Evariſtus ſuam intentionem æquè parùm fundet

Digitized by Google

ſundet in negatione ratificationis, quàm in miniſtrationis. Ex ſuperabundanti verò ſubibit torturam, ut vocant ſpiritualem, ſi ita tamen videatur D. Judici delegato, videlicet juſjurandum, cujus tamen neceſſitatem videtur Pontifex negare hoc ipſo, quòd in Reſcripto mandet quidem viâ Juris probari vim, & metum, non verò negationem ratificationis, miniſteriive, quare locum hic obtinet illud ex cap. *Nónne. De præſumpt.* Qui è duobus propoſitis unum aſſerit, altero tacito, videtur hoc tacitum negare.

151 Nec obſtat I. quòd fuerit Capitularis, perceperítque fructus ſuæ Canonicalis præbendæ, cùm tamen conditio, ſine qua nemo admittitur vel ad Capitulum, vocémque activam, & paſſivam, vel ad fructus Canonicales ſit ex vi etiam peculiarium ſtatutorum neceſſaria. Reſpondetur enim in primis ex iis, quæ in ſimili nixus autoritate Navarri ſcripſi non ſine approbatione virorum eruditione, ac pietate præſtantium, in Experientiis *Tract. 8. Caſ. 20. num. 766.* ratificationem Ordinis tacitam non fieri per actiones ſuapte natura independentes à Subdiaconatu, atqui habilitas ad Capitulum, & reditus non dependet ſua natura ab illo Ordine. Confirmatur inde, quòd non videtur quis ratificare actum metu factum, quoties alia cauſa, quàm ratificandi actum occurrit. Eleganter Bartolus apud, & cum Navarro *conſil. Lib. 1. De iis, quæ vi. Conſil. 4. n. 9.* Atqui Evariſtus habuit aliam cauſam allegandi ſuum Ordinem, ſcilicet jus ad fructus.

152 Reſp. 2. Id, quod non eſt, ratificari non poteſt. Gloſſa *in cap. Ad diſſolvendum. De ſponſalibus. impub.* Sanchez *Lib. 2. De Matr. Diſp. 26. num. 3.* atque alii cum Navarro *loc. cit. n. 8. & 9.* ubi ex hoc principio reſolvit, ne quidem illum, qui metu, ſicuti noſter Evariſtus, compulſus permiſerat ſe iniciari ſubdiaconatu, ac publicè miniſtraverat in illo Ordine, ignarus (& ſine voluntate ſupplendi defectum, ſi quis interveniſſet) nullitatis illius Ordinis in Ordine ad obligationem continentiæ, ſicut & ignoravit Evariſtus, cenſendum fuiſſe ratificâſſe. Et licèt talis ignorantia ſit ignorantia juris, non autem facti, ac proinde videatur non patrocinari ipſi per Regulam XIII. *in 6.* quia tamen illud jus eſt valde obſcurum, & controverſum, idcirco nihil Evariſto obeſt ea Regula, ut notat Navarr. ibidem *num. 11.* conſentiente Peckio *in cit. Reg. num. 10.*

153 Non obeſt 2. Quòd idem Evariſtus jam inſtructus uno Canonicatu alterum prenſaverit, cúmque adeptus, petiverit ſe admitti ad Capitulum, & præbendam, allegans inde ſuam capacitatem, quòd eſſet jam promotus ad Subdiaconatum. Etenim reſpondetur ad hanc difficultatem, ſicuti ad priorem.

154 Denique paratus eſt Evariſtus, præſtare cautionem de ſtando juri, & judicato, ſed juratoriam, nec enim exigi fidejuſſoriam, aut pignoratitiam probat inde, quòd tunc ſufficiat juratoria, imò ſimplex, & nuda promiſſio, quando non exprimitur, deſiderari veſtitam. *Leg. Sancimus 3. ff. De verb. & rer. ſignif.*

Hiſce, atque aliis perpenſis, pronuntiavit Reverend. Dominus Officialis Conſtantienſis Evariſtum liberum voto continentiæ, fecítque poteſtatem transeundi, ſi luberet, ad ſtatum Conjugalem.

Suadeo autem cuivis, qui conſuletur de Caſu ſimili hujus, ut conſulat illa conſilia Navarri, & Barboſæ, quæ allegavi in decurſu, etenim proponunt, & reſolvunt tres Caſus ſuppares noſtro, ſicut & idem. Navarr. *ibid. conſil. 5.* adhuc alios de eadem materia, & *conſil. 6.* atque *9.* duos de profeſſione metu facta, ubi *cit. conſil. 9. num. 2.* expreſſè tenet, metu quoque reverentiali editam profeſſionem (huic certò æquiparatur Votum editum in ſubdiaconatu) eſſe jure nullam.

Caſus III.

Leſſianus.

Eraſmus fugiens ſicarium accurrit ad Monaſterium, tanquam ad aſylum ſed Abbas non vult eum recipere, niſi promittat ſe fore Monachum, promittit, ac poſtea emittit profeſſionem, de qua antè nec ſomniaverat, an validè? 155

P. Leſſius. *Lib. 2. De juſtit. cap. 40. num. 16.* proponens hunc Caſum reſpondet, eſſe probabile, quòd votum valeat, eò quòd Abbas nec incuſſerit metum, nec peccaverit contra juſtitiam, negando ingreſſum in Monaſterium. Eſſe viceverſa etiam probabile, quòd non ſubſiſtat, eò quòd Abbas, negando aditum, continuaverit metum incuſſum à Sicario, & peccârit contra Religionem, charitatémque, non aperiendo januam.

Ego abſolutè judico non ſubſtitiſſe, eò quòd 156 Abbas verè peccârit contra juſtitiam verè enim ille fugitivus habuit jus confugiendi ad aſylum, ergo qui impediit illicitè uſu hujus juris, egit in almam juſtitiam. Loquor autem de caſu, quo Abbas jubet occludi fores, non autem quo non aperit jam antea clauſas, habet enim ſe tunc, ſicuti Medicus negans ægro deſperato, cui ex ſola charitate tenetur ſuccurrere, ſuam opem, negans autem niſi æger velit deſponſare ſibi ſuam filiam, qua de re in Experientiis *Tract. 9. Caſ. 12. num. 251.* Unde reſolves hunc

Caſum IV.

Navarræum.

Eulalia damnatur juſtè ad perpetuum carcerem, quo tamen liberatur ea conditione, 157

ut

ut fiat Monacha. Quæſitum fuit ex Martino Navarro in Conſ. Lib. 1. conſ. 8. De iis, quæ vi, & met. *An ſubſiſteret profeſſio, quam poſteà edidit metu ſolo retentionis in perpetuò carcere?*

158 Reſpondit rectè Navarrus affirmativè, idcirco quòd metus, qui juſtè infertur alicui, non pariat actionem, nec ſufficiat ad annihilandum, vel reſcindendum actum juxta *Leg. Si mulier. ff. De eo quod met.* At Lopez Rodriquez Vega relati ſuprà *num. 134.* abſolviſſent talem omni Religione voti.

159 Cæterùm multiplices omninò caſus, qui à ſcriporibus fidei indubitatæ referuntur de votis, atque juramentis, vitæ ſtatum concernentibus, ad quæ vota, juramentáque edenda impulêre, nullo jure, parentes ſuos filios, planè invitos, dant anſam proponendi hanc

Quæſtionem fortè quibuſdam admirandam.

UTrùm ſcilicet *liberi prudenter agant; ſi ſuos parentes conſulant in dubio de vitæ ſtatu deligendo?*

160 Reſpondeo autem breviter: Agunt prudentiſſimè, & imprudentiſſimè ſimul. Prudentiſſimè, ſecundùm prudentiam carnis, etenim parentes ferè ſemper meliùs, quàm filii, aut alii nôrunt, ſitne hujus, an illius ſtatûs aſſumptio; hoc, aut illud Matrimonium, beneficiúmve Eccleſiaſticum, futurum, & facturum ad decus familiæ; opes acquirendas; vitam otioſam; quietámque, & alia ejuſmodi bona merè temporalia, ſiquidem ſcriptum eſt:

Navita de ventis, de tauris narrat arator;

quàm optimè; ferè autem ſemper fit, ut parentes habeant vel unicè; vel certè præcipuè rationem ejuſmodi temporalitatum, nunquam; aut vix unquam expendant, hícne, an ille ſtatus, ſit filiæ, aut filio magis profuturus, & conducibilis ad æternam vitam conſequendam, an verò alius.
161 Patet id innumeris exemplis parentum, & nominatim illorum, qui genuêre, vel proxima cognatione attigêre S. Bernardum, S. Thomam Aquinatem, S. Catharinam Senenſem, S. Franciſcam Romanam, S. Mariam Magdalenam de Pazzis, S. Joannem Gualbertum, S. Ludovicum Bertrandum, B. Staniſlaum Koſtkam, B. Aloyſium Gonzagam, noſtrum itidem Thaumaturgum (ſi ita ſcribere fas eſt) P. Bernardum Colnagum, atque alios, de quibus in Breviario Romano, Vitiſve ipſorum fideliter ſcriptis. Et quid non egit aliàs laudatiſſimus genitor jam primùm nominati Patris Colnagi, ut retineret hunc in ſæculo. Quin B. Staniſlaus timebat, non ex vano, catenas, & dirum carcerem à parente Viro illuſtri, ſi aperuiſſet ipſi ſuum animum de firmo propoſito ingrediendi noſtrum Ordinem, ut legere eſt in Vita ipſius conſcripta à PP. Sacchino, & Bartholo noſtris? Raros omninò imitatores habet S. Hilarius Pictavienſis, qui intellecto, quòd *Beatiſſimam Apram* (refero verba Fortunati apud Bolland. noſtrum ad 13. Januar. fol. 791.) *filiam ſuam quidam juvenis Nobiliſſimus, prædives, pulcherrimus conjugii vinculo ſibi quæreret adnectendam, manu propria ſubſcriptam, filia direxit Epiſtolam, indicans ei, quòd talem ſponſum anxius pater illi providiſſet; cujus nobilitas cœlos aſcenderet, pulchritudo roſarum, & liliorum comparationem præcederet; oculi gemmarum lumen obnubilarent; theſauri ſine defectione conſtarent &c.*

Et ſingulariter obſervandum, quòd parentes S. Catharinæ Senenſis appellentur *pii* in eodem Breviario, & tamen modis planè barbaris, nè dicam impiis, voluerunt illam adigere ad nubendum cuidam Juveni (*cujus genus, & familia eis pergrata eſſet*) inquit celeberrimus vitæ ſcriptor. Sed & Mater S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis commendata (in Vita illius Virginis) à pietate, importuniſſimè inſtitit, ut filiola, quæ magis abhorrebat ab omni amplexu virili, quàm cacodæmon a ſigno Crucis, nuberet juveni nobili, & opulento: quid cenſendum de aliis, quibus nemo tribuit encomium pietatis?

Ergo liberi agunt communiter imprudentiſſimè ſecundùm prudentiam Spiritûs, ſi parentes, fratréſve conſulant circa quæſtionem de vitæ ſtatu in ordine ad regnum cœleſte certiùs acquirendum; non enim ſolùm ſcitiſſimè quærit Poëta 162

Dic: petis à medico, ſurgant quibus artibus ædes?
Quáque leves podagram, conſulis, artis fabrum?

Verùm etiam Siracides *cap. 37.* ridet (interprete Cornelio à Lapide) illum, qui *cum irreligioſo tractat de ſanctitate*, tractat autem de ſanctitate quiſquis memor ſapientiſſimi moniti: *Quod ſemel ſtatuendum eſt, diu deliberandum eſt*, deliberat de vitæ ſtatu deligendo; juxta Regulas prudentiæ non mundanæ, ſed ſpiritualis. Denique Salvator videtur huc reſpexiſſe, cùm dixit: *Inimici hominis domeſtici ejus.* Itaque ſaluberrimum conſilium eſt, ut alicui viro ſpirituali, in talibus exercitato te tradas in diſciplinam, ut ab eo in negotio tanti momenti dirigaris, inquit ſapientiſſimus P. Leſſius in aureo tractatu *de ſtatu vitæ deligendo n. 77.* Cæterùm quàm reprehendendi ſint, qui liberos avertunt à profeſſione virginitatis, vel Religionis dicam infrà *Caſ. 7. num. 219.* interim nota opportunè ex Sanctgallenſibus *loc. cit.* graviter peccare parentes cum incurſu excommunicationis, quando metu etiam reverentiali liberos compellunt ad ſuſcipiendum ſtatum Eccleſiaſticum, aut Regularem.

Claudo hanc de votis ex metu editis diſſertationem veriſſimo elogio Plinii ſenioris *Lib. 8. Hiſtor. nat. cap. 16.*

Votorum tunc maximè locus, cùm ſpes vitæ nulla eſt.

DE

DE VOTIS PUERORUM, ET MULIERUM.

CASUS VI.

Mixtus.

SUMMARIUM.

Caſus ſeptennis pueri voventis: Si mater pericu-loſè decumbens convaleſcat ſe Religioſorum Inſtituto ac more victurum: ſed decennio primùm poſt ſanatam matrem memoris. 163.

163 *FRanciſcus, cui jam ſeptem Annorum ætas erat tranſacta, cùm videret periculoſo morbo matrem laborantem, ſi hac evadat ex morbo, vovet ſe Religioſorum inſtituto, ac more victurum, mater convaleſcit, decémque labuntur Anni, quibus is, qui vovit, de ſuo voto nunquam cogitavit. Duo in diſceptationem ceciderunt: Primum, num illa promiſſio habuerit vim obligandi puerum? Secundum, num pater, quia ante decimum quartum Annum votum non fecit irritum, poſſit etiamnum irritare, filio decimum octavum Annum agente?*

Mixtum voco hunc Caſum, utpote conflatum ex duabus ſat diverſis quæſtionibus, apprimè tamen huc facientibus, quas ad ſe delatas ſcribit P. Paulus Comitolus *Reſponſ. Moral. Lib. 1. quæſt. 7.* reſolvendas etiam à nobis prima Sectione hujus Caſus VI. qua differemus de vi Votorum nuncupatorum à pueris: ſecunda de editorum à mulieribus.

SECTIO I.

De ætate, & diſcretione neceſſaria ad vovendum, déque irritatione Votorum ab impuberibus, & puberibus filiis editorum.

SUMMARIUM.

Illa ætas, Diſcretio, & deliberatio juxta recent. Theol. ſufficit & requiritur ad vovendum, quæ ad peccandum mortaliter. 164. & ſeqq.
Juxta Summiſtas & Canoniſtas communiter requiruntur Anni pubertatis. Ibid.
Idem dicendum de ſemifatuis. 168.
Et voventibus in vehementi paſſione. 169.
In dubio ſtandum pro valore voti. 170.
Non tamen ſemper. Ibid.
Qualis intentio requiratur ad vovendum. 172.
Caſus diſtracti, dum ederet Profeſſionem Religioſam. 173.
Quam firmitatem habeant vota Puerorum? 174. 175. & 187.
Aliud eſt renovare votum, aliud confirmare. 176.
Declaratur caſu bene notando. Ibid. & ſeqq.
Reſolvitur ex dictis Caſus n. 163. propoſitus. 183.
Confirmatur eadem doctrina facto Confeſſarii. 185.
Quinam poſſint irritare vota Impuberum in defectu patris? 187.
Quod poteſt Mater Mortuo Marito, poteſt etiam vivo, ſi ſit longè abſens vel amens. 188.
An Socer poſſit irritare vota Generi? 189.
An Pater vota filii illegitimi habentis tutorem? Ibid.
An Avus (ſive Pater Patratus) vota Nepotis, vivo Patre? Ibid.
An Herus vota ſui famuli impuberis? 190.
An Magiſter ſui Diſcipuli Impuberis? Ibid.
Caſus impuberis voventis ingreſſum & perſeverantiam in Religione, & poſt irritationem patris, (quam nihili faciebat,) ſæpe repetentis votum, etiam poſt pubertatem, ac mortuo patre exequentis, ſed regreſſi. 192.
Quid ſentiendum de valore votorum quæ emittunt puberes, ſive inſciis ſive conſciis parentibus? 194. & ſeqq.
Quid de illis qui irritant Vota ſine juſta cauſa? 200.
Quid ſi dubitetur an votum ſit irritabile? Ibid.
Quid de illis, qui conditionatè vovent: Si conſenſerit, vel non contradixerit ſuperior? *202. & ſeqq.*
Quid Alexander III. impoſuerit alicui loco voti Ieroſolymitani ab impubere facti? 206.

DUbitatur 1. *quæ ætas, & diſcretio, deliberatióve exigatur ad vovendum validè?* 164

Reſp. Juxta pleroſque Recentiores Theologos poteſt validè voveri in ea ætate, non autem ante illam, in qua peccari poteſt mortaliter, cùm non videatur perfectior uſus rationis requiri, minórve ſufficere ad obligandum ſe Deo per votum, quàm ad ſe obſtringendum Diabolo per peccatum mortale, ac proinde exigatur ad hoc deliberatio plena. At verò plerique Summiſtæ, cum Canoniſtis, quorum verba repræſentat Comitolus, negant, adeſſe communiter (nemo enim dubitat de multis) impuberibus, id eſt, puellis nondum duodennibus, pueris nondum 14. Annos completos natis ſufficiens judicium, ſufficientémve, ac plenam deliberationem ad validè vovendum. Favet apertè S. Thomas *2. 2. quæſt. 88. art. 9. in corp.* ubi docet, rationem, cur Eccleſia ſolitatum habere votum emiſſum ante pubertatem, eſſe hanc, quòd *Eccleſia reſpiciat id, quod in pluribus* (id eſt frequentiùs, communiùs, ſic quippe intelligenda eſt hæc clauſula familiariſſima Antiquis Theologis, & Canoniſtis) *accidit*, qua locutione fuerat etiam paulò antè uſus. Vide infrà *num. 174.* Conſentit & P. Suarez *Lib. 6. De vot. cap. 6. num. 3. & 4.* ubi ſcribit, pueros, puellàſque non habere *regulariter* ante pubertatem judicium ſufficiens ad votum validè emittendum. 165

Quæ doctrina poteſt in primis habere locum 166

tum frequentiſſimè in Germanis, quando eſt dubium, an revera hi, aut illi, hæ, aut illæ ante pubertatem ſatis intellexerint vim Voti, id eſt, quòd vovere ſit aliquid Deo promittere, præſtareque ſub reatu æternæ damnationis, ſeu magni peccati.

167 Poteſt deinde applicari illis Italorum, Hiſpanorum &c. citiùs ſapientium, quàm ſeptentrionales, liberis, de quibus eſt dubium omnino peculiare, an revera ſat in re tanta ſapuerint. Iterim quaſi per parentheſin obſervabis, me, etſi paucorum expreſſa autoritate nixum, attamen meritò notâſſe in *Experientiis* diverſis locis præſertim *Tract. 4. Caſ. 6. & Tract. 5.* ac *6.* eſſe, quoad initium perfecti uſus rationis, faciendum diſcrimen inter pueros, & puellas, has enim communiter pubeſcere ineunte ætatis Anno decimo tertio, illos verò exacto decimo quarto certum eſt, ergo juxta S. Thomam, Suarez, ac plures alios incipiunt puellæ duobus circiter Annis citiùs perfectè diſtinguere inter bonum, & malum, ſeu eſſe doli capaces, quàm pueri: In iiſdem locis etiam obſervavi, pueritiam Teutonicam communiter ſaltem uno Anno ſeriùs ſapere, quàm illas nationes, de quibus Theologi, & Jureconſulti præſumunt maturitatem judicii, ſeu capacitatem doli ſtatim poſt exactum primum ſeptennium.

168 Pueris, necdum præditis ratione ſufficiente ad votum, validè nuncupandum, meritò æquiparabis ſemifatuos, niſi quandoque habeant lucida intervalla, & eadem ratione plurimos ruſticanos adoleſcentes Annorum quindecim, octodecim, qui tam parùm intelligunt, quid ſit facere votum, & conſequenter quam obligationem ſecum neceſſariò trahat emiſſio Voti, ac pueri duodennes, tredecennes communiter, quos proinde pronuntiabis abſque ſcrupulo liberos Religione voti.

169 Idem eſto judicium de multis nuncupantibus vota, cùm agitantur vehementi paſſione timoris, alteriùsve affectûs, quamquam non eſt indubium ſignum inſufficientis deliberationis, quòd ſtatim pœniteat facti, & certò non fuiſſent tales prolaturi verba votum indicantia, ſi vel fuiſſent tunc mentis ſerenioris, vel iis ſuppetiiſſet plus temporis ad rem penſiculatiùs examinandam, verè enim nos perſæpe, prô dolor, patramus actiones æterno rogo dignas in ſubito impetu, & confeſtim ſequente pœnitudine, percuſſioneque pectoris, haud quaquam prorupturi in eas, ſi vel unius ſalutationis Angelicæ tempus ſuppetiiſſet. Vide Bejam in Reſponſ. Caſuum *Part. 4. Caſ. 9.* egregiè diſſerentem hac de re.

170 Sunt tamen, ut piè credo, Prælati ſat prompti ad diſpenſandum cum talibus. In dubio autem utrùm illa paſſio ita obſcuraverit mentem, ut non adfuerit niſi ſemiplena cognitio, ſeu advertentia illius, quod in eo impetu dicebatur, vel agebatur, cenſet meritò Suarez *Lib. 4. De voto. cap. 5.* ſtandum eſſe pro valore voti, niſi, ut providè ſubdit, tam multæ, vel efficaces conjecturæ occurrant in contrarium, ut prudenter credere valeas, te à parte rei non conſideràſſe omnia neceſſaria ad obligationem votivam. Quin abſolutè dico, ſi conſideratis 171
illo impetu paſſionis, habita ante votum perexigua, aut fortè nulla inclinatione ad materiam voti: ſubitaneo, qui mox ſupervenit, horrore ab eadem illa materia: aliqua gravi, & peculiari ratione, quæ etiam in illo articulo te retraxiſſet à voto, ſi tunc occurriſſet, dico, inquam, poſſe te in hoc dubio pronuntiare pro tua libertate, & agnoſces ſtare mecum Patrem Suarez, ſi perlegeris, quæ ipſe tradit eo loco, ut nihil dicam de P. Tamburino conſtante patrono libertatis contra obligationem voti, & referendo pro pluribus dubiis caſibus infrà *num. 389. & ſeqq.*

Quærunt autem Doctores, præſertim Neoterici, *utrùm ad deliberationem ſuprà num. 164. indicatam, & requiſitam ſufficiat Intentio virtualis?* Sufficere cenſet meritò idem P. Tamburinus *Lib. 3. in Decalog. cap. 16. §. 2.* & declarat hoc 172

Caſu valde vitioſè diſtracti:

Qui ſcilicet expleto probationis Religioſæ Annò proceſſit quidem ad locum deſtinatum, animo verè profitendi, in eóque protulit coram Prælato formulam Profeſſionis, ſed ſponte prorſus alia volvens animo, non tamen contraria Profeſſioni. Dubitavit igitur poſtea, an re ipſa ediderit Profeſſionem? 173

Reſpondet P. Tamburinus, utique edidiſſe, cùm adfuerit intentio virtualis, quam ad multa alia ſufficere oſtendi in Experientiis *Tract. 1. num. 82. & Tract. 5. num. 37. & ſeqq.* ubi explico, quid ſit intentio Actualis, Virtualis, Habitualis, Explicita, Implicita, & in Quinario *Tract. 5. cap. 15.* oſtendo, non poſſe exiſtere in ebrio Virtualem, tametſi Sanctgallenſes *dub. 1.* admittant indirectam in cauſa, interim negantes ſufficere ad votum, & meritò.

Dubitatur II. *Quam firmitatem habeant vota puerorum.* 174

Reſp. I. Omnia Vota impuberum (ſaltem exequenda ante pubertatem, nam de exequendis poſt pubertatem negant Angelus, Lopez, alii apud, & contra Sanchez *cap. 29. num. 1.* Zœſium *loc. cit. n. 69.* atque alios plures) ſunt irritabilia à patre ſaltem ante adeptam pubertatem. Ita omnes cum S. Thom. *loc. cit.* fundante ſe bis, terve in eo, quòd plerique ſint ante pubertatem deſtituti rationis uſu ſufficiente ad tantam rem, quanta eſt votum. Vide ſuprà *num. 164.*

Reſp. II. Quin imò poteſt parens hoc ſuo jure uti etiam poſt pubertatem filii. Cajetanus, Navarrus, Sayrus, Suarez, Sanchez, alii, quos nominat Palaus *Diſp. 2. punct. 3. §. 3. num. 5. &* 175

ſequi-

Digitized by Google

ſequitur ipſe, ac Tamburinus *Lib 3. cap. 16. §. 3. num. 15.* loquens de quocunque tempore poſt pubertatem, contra Sotum, Arragonium, & alios. Excipe primò, niſi filius effectus pubes confirmaverit ipſe, ut fatentur omnes, in caſu, quo filius confirmavit ſciens, illud eſſe irritabile, non autem ſi ignorans. Stephanus à S. Paulo *Tract. 4. Diſp. 12. num. 64.* Secundò, niſi pater poſt pubertatem confirmârit, nec enim poſſe validè revocare hanc confirmationem cenſent à fortiori Sotus, & Arragonius, poſſe validè, at non licitè abſque juſta cauſa Leſſius *Lib. 2. cap. 40. num. 76.* atque alii, loquentes formaliter de conſenſu in votum cum Cornelio à Lapide *loc. cit.* poſſe validè ſimul & licitè Tamburinus *loc. cit. num. 15.* expreſſè loquens de jam facta confirmatione, ac citans Sanchezium, & Laymannum, ſed primus loquitur ſolùm de patre dante facultatem vovendi, Laymannus de approbatione voti ab impubere editi, non exprimens tempus poſt pubertatem, fateor tamen in primis, illos, qui loquuntur de conſenſu in votum dato quidem, ſed nihilominus ſemper revocabili, haud immeritò à P. Tamburino allegari pro ſua expreſſa ſententia. Fateor deinde, rationes, quibus illi autores firmant ſuam ſententiam, huc quoque facere, quarum potiſſima eſt, quòd non videatur ſuperior aut potuiſſe, aut, ſi potuit, voluiſſe confirmare irrevocabiliter.

176 Dixi ſuprà: modò filius poſt pubertatem non *confirmaverit*, non autem dixi: non *renovaverit*, quod bene nota pro praxi, differunt enim hæc duo, ut declaro hoc

Caſu Anni M. DC. LXIX. Confeſſariis dupliciter novo, ter, quaterque notando.

Hoc quippe Anno 1671. fuit ad me directa Fabiola nata Annos circiter 24. affectans juſta de cauſa Matrimonium, obſtante tamen in ſpeciem voto virginitatis perpetuæ, quod ſub Annum undecimum ediderat, ſub quadam honeſta conditione, quæ evenerat, atque ſemel, iterúmve ſeriò coram imagine Deiparæ repetiverat.

177 Ego enim percontatus ſum inprimis, utrùm, quando ante Iconem Deiparæ jam nubilis, promiſit Deo virginitatem, id fecerit inducta ſolâ memoriâ jam antea peractæ promiſſionis, an verò non aliter, ac ſi nihil unquam priùs ſpopondiſſet Deo? Quæſivi ſecundò, ſi poſt hoc votum admiſiſſet aliquod peccatum contra caſtitatem, arbitratura fuiſſet, incumbere ſibi neceſſitatem aperiendi in Confeſſione circumſtantiam voti, ſeu notabiliter graviùs deliquiſſe, quàm ſi nunquam quidquam voviſſet? Tertiò, an ſeu impubes adhuc, ſeu poſt pubertatem nihil ea de re manifeſtâſſet parenti?

178 Reſpondit ad primum affirmativè, ad ſecundum, tertiúmque negativè. Ex prima affirmatione intuli: Ergo tantùm renovâſti, & non confirmâſti tuum votum, & conſequenter reliquiſti illud integre in eo ſtatu, valore, ſimul & infirmitate, in quo, & quibus extitit ab initio, quam alteram conſequentiam intuli etiam ex negativa reſponſione ad tertiam quæſtionem, at verò ex negativa ad ſecundam concluſi, promiſſionem deſtitutam fuiſſe circumſtantia neceſſaria ad ſubſtantiam voti, juxta dicta ſuprà *Caſ. 4. num. 109.* quam illationem feciſſem etiam, ſi à me interrogata (& verò egiſſem providentiùs, quàm feci, ſi interrogâſſem) an noverit, ſuum votum non habiturum firmitatem independenter à voluntate patris, reſpondiſſet: *Nos tabula raſa nihil novimus de hac dependentia, ſed arbitramur, nihil opus eſſe cuiquam dicere:* tunc enim etiam ex cit. *num. 109.* Caſûs quarti collegiſſem, votum fuiſſe nullum. Nec eſt, cur hoc loco quidquam addam reſponſionibus ad tertiam, ſecundámque quæſtionem, At verò pro elucidatione primæ.

Notandum eſt, vota conſuêſſe repeti, ſeu iterari duplici modo. Primò, ita ut planè nihil præter iterationem fortè cum majore fervore factam, addatur primæ editioni voti, ſed relinquatur integre in eo ſtatu, valore, & infirmitate, in, & cum qua fuit primitùs emiſſum. 179 Hujuſmodi repetitionem intelligunt propriè, & in rigore Theologi, quando aliquid negant, vel aſſerunt de renovatione voti, ſeu obligatione votorum renovatorum. Secundò ita, ut novum robur addatur voto priùs nuncupato, idque vel explicitè, vel implicitè. Explicitè, quando ſciens, defuiſſe voto priùs edito aliquam ſubſtantialem qualitatem, repetis illud, includens expreſſè illam ipſam qualitatem; Implicitè, quando ignarus omnis antecedentis defectûs dicis: *Promitto Deo caſtitatem omni, quo poſſum, meliore modo*, hanc novi roboris expreſſam, vel implicitam editionem appellant Theologi propriè, & in rigore Confirmationem, aliqui Ratificationem.

Et verò dubitari non debet, quin renovatio propriè dicta fiat ſexcenties, & nominatim in 180 noſtra Societate poſt prima ſubſtantialia, & ſimul ſimplicia vota, nuncupata poſtridie biennii noſtræ in Tyrocinium receptionis. Unde Sanctus Fundator noſter Conſtitutionum *Part. 5. cap. 4. §. 6.* declaravit, illam renovationem non addere ullam novam obligationem, ſed fieri ad devotionem augendam, & proinde, ut reliquos inter notant Sanctgallenſes *cit. quæſt. 6.* agens contra votum aliquoties renovatum, non contrahit novam malitiam mortalem. Similiter etiam certum eſt, confirmationem 181 propriè dictam, crebrò habere locum in votis, quemadmodum & in contractibus, & nominatim cenſetur ex doctrina P. Sanchez *Lib. 4. De voto cap. 30. num. 41. & ſeqq.* reperiri in votis: tum quando planè immemor jam priùs editi promittis Deo id ipſum, quod priùs: tum quando

dò memor priùs nuncupati, illud ita ratum habes, ut velis ſubſiſtere, etſi fortè antea non fuerit firmum, tum quando reiteràſti memor quidem prioris voti, at ignarus id eſſe irritabile, aut credens, non eſſe irritabile, immemor tamen prorſus hujus ignorantiæ, aut erroris, quia nec meminiſti, nec conſideràſti id eſſe firmum, nec ratione prioris nuncupationis ductus es ad ejus repetitionem, ſecùs verò quando memor prioris voti illud repetiviſti, ignorans id poſſe irritari, aut credens id omnino firmum, nec habuiſti eum reflexum actum: *Volo, ut ex nunc valeat, aut ex nunc ſit firmum, etſi priùs non valuerit, aut non fuerit tale*, tunc enim prædicta ignorantia tollit voluntariam confirmationem ex ea procedentem, inquit Sanchez *loc. cit. n. 43.* ſeu potiùs impedit veram, & propriè dictam confirmationem. Quam doctrinam priùs tradiderat P. Leſſius *Lib. 2. De juſtit. & jure cap. 40. num. 38.* his brevibus verbis: *Vt quis cenſeatur votum ratificare, neceſſe eſt, ut ſciens eſſe invalidum, velit eſſe validum.* Excipe: niſi adſit illa voluntas, quàm paulò antè retuli primo loco ex Sanchez, & adde, illam ipſam exceptionem adjungendam eſſe Axiomati Gloſſæ *num. 141.* relato: *Id quod non eſt, ratificari non poteſt.*

182 Ex quibus omnibus deduces veras cauſas reſponſorum, quæ dedi *num. 177.* Fabiolæ. Nihilominus tamen, quia pater adhuc ſuperſtes erat, ſuaſi ut peteret, nec enim poteram ipſe convenire, ab eo irritationem, quin imò ſtatim poſt hoc conſilium irritavi ipſe ex quadam ſubdelegatione loco patris, quia parochus, qui tunc aderat, mihi dixit, habere ſe à parente mandatum, ut optimo, & ſuaviſſimo, quo poſſet modo, juvaret filiam. Qua in re tametſi fortè erràſſem uſurpatione juris paterni, attamen ſuperveniente (ſicut ſupervenit) patris approbatione tacitâ exeruiſſet vim ſuam illa notiſſima Regula: *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non eſt dubium comparari*: His adde, in dubio, utrùm feceris votum ante adeptum plenum uſum rationis, liberum eſſe te voto, quia dubitas de eſſentiali conditione obligationis. Vide P. Tamburinum. *Lib. 1.* in Decalog. *cap. 3. §. 7. num. 5. & 7.*

183 Atque ex dictis ad primam, ſecundàmque dubitationem, facilis eſt reſponſio ad duplicem quæſtionem de Franciſco *num. 163.* propoſitam. In primis enim juxta S. Thomam, & Summiſtas relatos ſuprà *num. 164. & 165.* præſumendum erat per ſe loquendo, defuiſſe Franciſco, utpote vix ingreſſo pueritiam, ſufficiens tanto negotio judicium, at juxta pleroſque Canoniſtas adfuiſſe, cùm præſertim ſatis probabile ſit fuiſſe gente Italum, Italis autem communiter oritur ſol almæ Rationis, citiùs, quàm multis aliis populis. Et verò abſolutè arbitror cum Comitolo, fuiſſe illum Franciſcum pronuntiandum reum voti, eò quòd ſpes, (quòd votum eſſet probabiliter moturum Deum ad ſuccurrendum deſperatæ,) ſatis indicaret maturitatem judicii neceſſarii ad hoc negotium. Idem dicam *Sect. ſeq.* De S. Catharinæ Senenſis ſeptennis voto, idem de illis ſapientiſſimis puerulis, quorum nomina edidi in Experientiis *Tract. 3.* ſeu *Alphabet. Communicant. Caſu 6. n. 102.* & *104.*

Deinde quia neque filius, neque pater confirmàrunt, poſt pubertatem Franciſci, factam promiſſionem, potuit per dicta ſuprà *num. 175.* poſt Suarez *cit. cap. 6.* & multos alios contra Comitolum, & itidem multos alios, irritare idem genitor. Ratio eſt, quia mutatio juxta veram, atque Theologis probatam doctrinam Jureconſultorum, non eſt præſumenda, ſed probanda, eſt autem facta tunc magna mutatio, quando ille ipſe, qui ante unum, duóſve menſes pollebat jure auferendi vim omnem cuilibet voto ſui filii, jam non pollet, probanda eſt igitur hæc mutatio, hanc autem nullo ſolido argumento probant adverſarii in eo caſu, in quo neque filius, neque genitor confirmavit (Tamburinus relatus ſuprà *n. 175.* cum aliis contra alios cenſet, quòd pater bis, têrve ratificando non auferat ſibi poteſtatem revocandi hanc ratificationem factam à ſe etiam poſt pubertatem filii) filio pubertatem jam aſſecuto, nec dubitandum eſt de practicâ ſecuritate, & ſequibilitate, ut ſic loquar, hujus doctrinæ. Confirmo eandem doctrinam 184

Facto Confeſſarii ſat docti, fortè non ſat diſcreti.

Cum enim adoleſcens circiter quindecim Annorum admodum ſcrupuloſus edidiſſet aliquot Annis antè varia vota reddentia conſcientiam valde inquietam, ſuaſit ut peteret à patre (viro militari) liberationem ab iis, miratus hic dixit, talia negotia non ſpectare ad Laicos, ſed ad Eccleſiaſticos, iret ad Confeſſarium, & obediret ipſi, ivit, atque Confeſſarius irritavit ex implicita, aut ſaltem rationabiliſſimè præſumpta delegatione patris. 185

Dixi, hunc Confeſſarium fortè non fuiſſe ſatis diſcretum, diſcretiùs enim forſitan egiſſet, ſi ipſemet conveniſſet, ut poterat, parentem, & per ambages poſtulàſſet implicitam poteſtatem, quam poteſtatem potuiſſet pater validè exercere pro ſuo mero arbitrio, adeóque etiam non ſuppetente rationabili cauſa. P. Tamburin. *loc. cit. n. 14.* quia irritativa poteſtas ſe habet (re adhuc integra) ſicuti jus remittendi rem ſibi debitam. 186

Reſp. III. Quòd ſuprà *n. 175.* dixi de patris poteſtate (dominativa, ab hac enim, ſicut & à gubernativa; [ut explicat P. Suarez *Lib. 6. cap. 4. n. 11. & 13.* declarans exemplo viri reſpectu uxoris] non à Juriſdictionis poteſtate provenit jus irritandi, ut docent omnes, inde rectè negantes Pontifici jus irritandi vota omnium 187

Chriſtianorum, eò quòd non polleat in omnes non Religioſos poteſtate dominativa, ſed ſolius juriſdictionis, ex qua diſpenſatur quidem, & commutantur vota, non verò irritantur) in vota filiorum, filiarúmque impuberum, eſt in defectu patris dicendum de iis, qui ſuccedunt in patriam poteſtatem, adeóque de tutore reſpectu pupilli, id eſt nondum nati Annos 14. curatore reſpectu minorennis, id eſt verſantis intra 14 & 25. Annos ætatis, his verò deficientibus irritabunt 1. Avus. 2. Mater. 3. Avia. 4. Præceptor, & quivis alius, ſub cujus poteſtate exiſtit impubes. Ita de his ſentiunt (tametſi non integre conſentientes, ut videbimus infrà *num. 190.*) P. Leſſius *cap. 40. n. 82. & 83.* P. Sanch. *cap. 33. De voto, n. 76.* Laymann. *Lib. 4. Tract. 4. cap. 7.* P. Tambur. *Lib. 3. cap. 16. §. 3. num. 17. & ſeqq.* ubi & ſcribit *num. 16.* ſi ſint plures tutores, aut curatores, ſingulos eſſe præditos hoc jure, & notat *num. 24.* patrem poſſe illa vota, de quibus hactenus, id eſt non confirmata à filio, irritare etiam poſt vigeſimum: quadrageſimum Annum talis filii: at tutores, curatores, & matrem, etſi non ſit curatrix, aut tutrix, ſolùm uſque ad Annum ætatis filii vigeſimum quintum, eò quòd pater habuerit poteſtatem, donec filius ipſe confirmaret, at verò tutor, ſeu potiùs curator ſolùm donec filius emancipetur, quòd ſolet fieri circa Annum vigeſimum quintum ætatis.

188 Addunt iidem ſcriptores, poteſtatem competentem matri, poſt fata mariti, eſſe penes eandem etiam vivo, ſed vel in amentiam lapſo, vel longiſſimè diſſito patre, ſi quidem hic, aut magiſtratus non conſtituit ullum curatorem, vel tutorem. Vide Tamburin. *n. 21.* qui etiam *n. 23.* cum Gregorio Sayro contra P. Ferdinand. De Caſtro Palao *Tract. 15. Diſp. 2 punct. 7. n. 15.* docet, matrem, etſi nec tutrix, nec curatrix ſit, poſſe poſt obitum ſui viri, póſtque pubertatem filii irritare vota nuncupata ab hoc in impubertate, & *n. 25.* poſſe etiam irritare realia, vel præjudicantia gubernationi domus, quibus ſe obſtrinxit filius poſt pubertatem quoque, ſi hic careat curatore, eò quòd mater ſuccedat in locum curatoris, aut tutoris, quando filius pupillus, vel minor non habet, mortuo patre, curatorem, vel tutorem.

189 Socero competere jus irritandi ulla vota Generi, negat idem P. Tambur. *n. 27.* contra Tancredi, & *Lib. 5. Tract. 1. cap. 3. §. 2. num. 12.* dubitat, ſitne admittenda doctrina citati Patris Palai allegato *Tract. 15. Diſp. 2. punct. 7. n. 5.* negantis, patrem potiri jure irritandi, ſeu extinguendi vota filii illegitimi, quando hic habet tutorem, aſſentitur *ibid. n. 14.* Sanchezio, & aliis negantibus avo poteſtatem in vota filiorum, ſeu potiùs nepotum, dum pater eſt, ſuperſtes, cujuſmodi patrem vocat ipſe *Patrem Patratum*, ſed hujus *Patris Patrati* aliam deſcriptionem ſuggerunt Kahl, & alii Lexicographi Juridici in voce *Pater.*

Denique P. Leſſius *cit. cap. 40. n. 78.* atque P. Laymannus *cit. cap. 7. n. 10.* expreſſè tenent, poſſe à Magiſtro, & hero: iidem cum P. Suarez *Lib. 6. cap. 6. n. 23.* & Antonio Cottonio *Lib. 1. Controverſ. 12. n. 36.* à quovis, ſub cujus gubernatione eſt impubes, irritari in defectu patris, aſcendentium, matris, & tutoris, ac curatoris vota diſcipuli, & famuli, quod quidem cenſet Sanchez *cap. 35. num. 83.* eſſe propter horum (quos etiam Ægidius Baſſæus ſequitur apud Stephanum à S. Paulo *n. 165.* non repugnantem, & addentem ex Baſſæo Aviam) Doctorum autoritatem probabile practicè, abſolutè tamen improbat, utpote deſtitutum firma ratione, & proinde ait, tales poſſe emittere vota inirritabilia, quod & cenſet Gaſtropalaus *cit. punct. 7. num. 8.* tacente Tamburino. 190

Hæc generatim ſimul, & ſpeciatim dicta ſunto de votis editis, & poſt pubertatem non confirmatis, quibus adde ex P. Tamburino *cit. Lib. 3. in Decalog. cap. 16. §. 3. num. 3.* hunc 191

Caſum Factum, non faciendum.

Frobenius tredecim Annos natus emiſit votà ingrediendi Religionem, in eáque perſeverandi, & inſuper dandi notabilem quandam Eleemoſynam. Verùm pater irritavit poſt pubertatem omnia, quæ tamen Frobenius ſæpe repetivit, ratus, non potuiſſe irritari à patre. Hoc mortuo ingreditur Frobenius Societatem JEſu, edit poſt biennium tria vota ſubſtantialia, ſed poſtea redit (quod faciendum non erat per ſe loquendo) *nihilominus ad ſæculum, nullâ dum factâ alienatione bonorum, ſed ſolutus votis Religioſis, reperítque matrem ſuperſtitem, & patruum tutorem ſuorum tunc fratrum, & poſtea futurum, ex teſtamento patris, eorundem curatorem, omniúmq; bonorum, donec ii, atque Frobenius attingerent Annum ætatis vigeſimum ſextum. Quæſitum fuit 1. An illa vota Frobenii fuerint per ingreſſum in Religionem commutata, an ſolùm ſuſpenſa? 2. An pater valuerit illa irritare? 3. An tutor, ſeu potiùs curator, aut mater?* 192

Reſpondit rectè P. Tamburinus ad primum negativè, quandoquidem ea vota, quibus nos Deò, & Religioni obſtringimus in fine Noviciatûs, non habent illam vim omnem, quam profeſſio propriè dicta, ſi tamen Frobenius poſtulâſſet à Superiore Societatis irritationem, potuiſſet hic illam impertiri, ut notat *n. 43.* 193

Ad ſecundum, potuit utique pater, & eo defuncto tutor, ac deinde curator pronuntiare omnia irrita, eò quòd Frobenius, ut patet ex ſpecie facti, & ex dictis ſuprà *num. 189.* factus pubes non confirmaverit propriè, ſed renovârit.

Dubi-

Digitized by Google

194 Dubitatur jam III. *Quid ſentiendum de va-
*lore votorum, quæ emittunt parentibus inſciis,
vel conſciis filii jam puberes.

Reſp. Breviter ſequentia I. Pater poteſt ſal-
tem indirectè irritare omnia vota emiſſa à filio
jam pubere, quatenus ea impediunt guberna-
tionem domeſticam, eſſent enim ea illicita ex
parte materiæ, & conſequenter invalida, niſi
includerent conditionem: *Si pater conſenſerit,
aut non contradixerit*, ut quando filius vovet
jejunia extraordinaria, longas peregrinatio-
nes, elargitionem bonorum etiam Adventitio-
195 rum, aut Profectitiorum. Dico: *Longas peregri-
nationes*, nec enim inhibere poteſt breviculas,
quia hæ non retrahunt à ſervitiis patri debitis.
Suarez *cit. Lib. 6. De voto. cap. 5.* Sanch. *cap. 25.*
Hoc autem intellige de filio familias, ſeu non-
dum emancipato, quæ enim filius jam emanci-
patus, ſeu liber à poteſtate patria edit, non
ſunt à patre magis irritabilia, quàm à quovis
alio. Dixi autem in Quinario *Tract. 5. cap. 29.
num 47. & 48.* quòd neque Matrimonium, ne-
que ſacerdotium per ſe eximat patria poteſta-
te, ſeu efficiat emancipatum, ſicuti nec per ſe
efficit ætas viginti quinque Annorum. P. San-
chez *cap. 35. num. 29.*

196 II. Nulla vota perſonalia filiorum jam egreſ-
ſorum pubertatem, poteſt pater directè irrita-
re, niſi præjudicent patriæ poteſtati. Commu-
nis Recentiorum contra Tabien. Hoſtienſ. &
alios, quorum doctrinam certum eſt non poſſe
extendi ad votum ineundæ Religionis, aut per-
petuæ caſtitatis. Suarez *loc. cit.* Sanchez *citat.
cap. 35. num. 23.* nam *cap. 1. & 2. 20. quæſt. 2.* di-
ſertè excipitur votum Religionis, qui Doctores,
& ſtylus Curiæ æquiparant votum perpetuæ Ca-
ſtitatis voto Religionis. Ratio generalis poſitæ
hic concluſionis eſt, quia *ex quo homo venit ad
Annos pubertatis, non eſt ſub poteſtate alterius,
ſi ſit liberæ conditionis, quantùm ad ea, quæ ad
ſuam perſonam ſpectant.* S. Thom. *in 4. diſtinct.
197 38. quæſt. 1. art. 1. quæſtiun. ult. ad 2.* Dixi: *Niſi
præjudicent patriæ poteſtati*, id eſt impediant,
quò minùs pater (aut alius, qui loco patris eſt)
poſſit libere uti opera filii in iis actionibus, quas
imperandi, aut vetandi jus habet, ſi enim impe-
diant, poteſt pater vel ſuſpendere duntaxat, ſeu
indirectè irritare, donec filius emancipetur, ut
volunt multi, vel etiam propriè, ſeu directè ir-
ritare; adeóque penitus, ſeu ſine ulla revivi-
ſcentia extinguere. Sanch. *loc. cit. n. 30.* aſſen-
tiente Antonio Cotonio *cit. Controv. 12. n. 31.*
eò quòd talia vota habeant imbibitam hanc
conditionem: *Si pater conſenſerit*, quæ autem
habent hanc conditionem imbibitam, poſſunt
omnia juxta Sanchez irritari directè, ſeu peni-
tus extingui, non autem ſolùm indirectè, ſeu
duntaxat ita ſuſpendi, ut poſtea reviviſcant.
Idem *cit. Lib. 4. cap. 26. num. 4.*

198 III. Omnia vota puberum Realia poſſunt
directè irritari à patre, ſi emiſſa ſint ante An-
num ætatis vigeſimum quintum. Sanchez *cit.*
ſuperiùs *cap. 35. num. 21.* eſt enim minoribus
interdicta ante ejuſmodi ætatem diſpoſitio, ſeu
alienatio bonorum, abſque autoritate patris,
vel curatoris. Et quia expenſæ faciendæ ſunt
in longam peregrinationem, & proinde votum
de tali peregrinatione eſt mixtum ſimul ex per-
ſonali & reali, eam ob rem poteſt etiam tale
votum juxta P. Sanchez *num. 22.* irritari directè
à patre. Excipe hinc votum de bonis Caſtren- 199
ſibus vel quaſi. Sanchez *ibid. n. 23.* Ac proin-
de quia bonis quaſi Caſtrenſibus accenſentur
ea, quæ quis lucratur, ſeu acquirit ex beneficiis
Eccleſiaſticis, ſacriſque officiis, apparet, quid
circa præſentem materiam competat Subdia-
conis, & Diaconis. Apparet quoque, an ſtu-
dioſi poſſint ex pecuniis, quas mittunt ipſis
parentes: an quoque juniores opifices ex pecu-
niis, quas lucrantur locando ſuam hebdoma-
dariam ut ſartores, ſuam ſemeſtrem, aut an-
nuam operam, ut plerique alii opifices, poſſint
aliquid notabile (de parva quantitate non per-
mittit dubitare praxis, tacitáque permiſſio pa-
rentum) expendere in vota realia.

IV. Saltem ſæculares prædit potestate irri- 200
tandi non peccant peculiari peccato per ſe lo-
quendo, etſi irritent ſine juſta cauſa vota, ſine
eorum facultate emiſſa, modò res ſit adhuc in-
tegra. P. Franciſc. Suarez *Lib. 6. De voto cap. 1.*
utuntur enim jure ſuo, ſicut & teſte Patre San-
chez *cap. 27. num. 9. & ſeqq.* quando rationabi-
li ex cauſa irritant etiam illa, quorum nuncu-
pandorum dederant poteſtatem, modò illa vo-
ta non ſint executioni mandata, & res ſit ad-
huc integra, ut ſi e.g. jam eſt obtentum bonum,
ob quod fuit editum votum conditionale, niſi
forte eſſet de re permagna, nam ſuperior ad-
eóque pater, maritus &c. approbando votum
non voluit abdicare à ſe dominium in volun-
tatem ſubditi. Et quæ vota emiſiſti conſtitutus
ſub poteſtate unius ſuperioris, poterit integre
relaxare alius, ad quem venies præditum illa
poteſtate, qua fuit prior. Sanchez *cap. 28.*

Quando autem dubitatur, ſitne aliquod vo- 201
tum irritabile nec ne, eò quòd dubitetur, ſitne
emiſſum eo tempore, quo quis erat adhuc ſub
poteſtate alterius? vel poſtquam exivit ex ejus
poteſtate? poteſt is irritare, ſub cujus poteſtate
fuiſſe aliquando conſtitutum conſtat, etenim
melior eſt conditio Superioris poſſidentis, ſeu
qui aliquando poſſedit hoc jus, ut quando du-
bitatur, ſitne editum ante, an poſt pubertatem.
P. Matthæus Stoz in Inſtitution. confitendi *n.
376.* ob quod etiam Sanchez *cap. 32. n. 7.* cen-
ſet id dicendum, quando dubium eſt, an votum
ſit emiſſum eo tempore, quo nondum erat
quis ſub aliena poteſtate, eò quòd ſit certum,
Superiorem habere poteſtatem irritandi, qua
privandus non eſt in dubio, idem dic de caſu,
quo dubitatur, utrùm votum fuerit confirma-
tum ſuo tempore, & debitis circumſtantiis, ut
cùm dubitatur, an quando ratificavit, ſciverit
eſſe irritabile.

Digitized by Google

202 Dubitatur V. Quomodo illi, quos diximus emiſiſſe vota ſub conditione expreſſa, vel tacita: *Si conſenſerit, aut non contradixerit Superior*, debeant ſe gerere ante petitum conſenſum.

Reſp. I. Si illa prima, ſeu de conſenſu conditio fuit idcirco neceſſariò ſubintellecta, quod non licuerit abſque facultate Superioris exercere actionem voto promiſſam, ut eſt e. g. longa peregrinatio, donatio &c. non licet eam quidem exercere ante obtentam facultatem, attamen neceſſe eſt petere hanc facultatem, qui enim ſe obligat ad finem, obligat etiam ſe ad medium neceſſarium. Excipit meritò Laymannus *Lib. 4. Tract. 4. cap. 7. num. 7.* cum aliis caſum, quo vovens ne virtualiter quidem intendit ſeſe obligare ad petendam illam licentiá, tunc enim non peccabit, aut non exequendo rem votam, aut non petendo facultatem, quam ſi petitam ſemel negavit Superior, regulariter non oportebit iterare petitionem, niſi votum, ſeu voti obligatio protendatur ad longum tempus. Sanchez *cap. 25. num 21.* ſicut nec regulariter opus eſt, ut in petitione fiat mentio voti facti, cùm per ſe ſufficiat petere facultatem obeundi actionem promiſſam voto. Suarez *Lib. 3. cap. 6. num. 35.* & Sanctgallenſes *Tom. 7. Tract. 1 ſect. 3. quæſt. 6 dub. 4.* extendentes etiam ad caſum, quo faciliùs impetraretur facultas, ſi manifeſtaretur votum. Aliud eſt, quando Superior non abſolutè negavit facultatem, ſed ſolùm pro illo tempore. Laymann *cit. num. 7.* ſicut & aliud eſt, quando agitur de irritatione, nec enim cenſetur Superior irritare votum, quando ignarus voti negat facultatem hic & nunc exercendi actionem voto promiſſam, ſed ſolùm tunc ſuſpendit obligationem voti. Sanch. *cap. 25. num. 23.* aſſerens, hanc doctrinam eſſe certam apud omnes.

203 At valde controverſum eſt, an, quando votum verſatur circa materiam honeſtam, & neque prohibitam, neque adferentem Superiori, aliiſve ullum incommodum, moleſtiamve, ut eſt votum oſculandi quotidie quinquies terram, ad honorem quinque Vulnerum Chriſti, votum quoque ſervandi hoc, aut illud præceptum divinum, hanc aut illam ſui Ordinis Regulam, teneatur vovens petere à Superiore approbationem, an hac non petita exequi ſuum votum? Etenim P. Gregorius de Valentia *Tom. 3. in S. Thomam Diſp. 6. quæſt. 6. punct. 6.* ad quæſtionem primam, & ſecundam ait, teneri petere, & per ſe loquendo non peccare omittendo executionem voti, donec adſit facultas, quam intendit congruo tempore poſtulare.
204 Sed Palaus *cit. Tract. 15. punct. 19. n. 5.* citans plures, Tamburinus *Lib. 2. cap. 12. §. 5. num. 8.* & Sanctgallenſes *cit. quæſt. 6. dub. 4. in fin.* ajunt, non adeſſe obligationem petendi approbationem, adeóque etiam illâ non petitâ incumbere obligationem perficiendi actionem promiſſam voto. Fundamentum prioris ſententiæ eſt, quòd impuberes, & Religioſi emittentes votum aliquod ejuſmodi ſubaudiant hanc conditionem: *Si pater*, ſeu Superior *conſenſerit poſitivè*, ergo quamdiu non conſentit poſitivè, tamdiu non obligat votum. Sed ſententia Palai contendit (aſſentiente Laymanno *cit. cap. 7. num. 6.* P. Stoz *allegato* ſuperiùs *num. 376.* & aliis, ejuſmodi votis ſubeſſe & ineſſe conditionem: *Niſi pater, ſeu ignarus, ſeu gnarus voti* (hanc notitiam exigit abſolutè Laymannus.) *contradicat.*

Cenſeo ego, vix unum inter viginti Regula- 205
res repertum iri, qui non arbitretur, ſe eſſe reum voti talis, ut primùm illud edidit, ſeu teneri exequi rem voto promiſſam, eſto nondum ſit petita ratificatio, idem multò magis ſentio de impuberibus. Quia verò ſententia hæc poſterior magis favet libertati naturali diſponendi pro libitu de actionibus propriis, leges autem civiles approbatæ à Canonicis pronuntiant, libertatem rebus omnibus eſſe favorabiliorem, idcirco præfero opinionem P. Tamburini, ac Palai, aliud ſentiens de votis circa res honeſtas quidem, ſed vetitas ſine conſenſu Superioris: Excipio quoque ex doctrina Tamburini cum eodem, & aliis omnibus, votum Religioſi de ingredienda Religione ſtrictiore, id enim votum nequit irritare, ſed ſolùm commutare Superior. Vide Laymannum *cit. num. 6.* & reflexè nota has duas conditionales: *Si pater conſenſerit*, &, *ſi pater non contradixerit*, ſubauditas in his, aut illis votis, eſſe diverſæ energiæ, ut liquet ex dictis. Vide quoque, quod *num. 36.* dixi de caſu, quo parens moritur ante ratificationem voti editi à filio.

Claudo hanc de puerorum votis ſectionem 206
relatione, reſolutione, & brevicula declaratione hujus

Voti rigidè abſoluti.

V*Enientis ad nos* (ſcribit Alexander III. in cap. 2. De vot. & vot. redempt.) *R. narratione accepimus, quod in puerili ætate conſtitutus Hieroſolymam diſpoſuit proficiſci. Nos autem ipſum à voto, quod in ætate teneræ facilitate potiùs, quàm ex arbitrio diſcretionis promiſit, abſolvimus, ita tamen, quod idem votum eleemoſynis redimat, & juxta conſilium noſtrum toto vitæ ſuæ tempore uni pauperum Chriſti (dummodo ad hæc ſuæ facultates ſufficiant,) debeat providere.*

Eſt utique hæc abſolutio, ſicut & impertita 207
S. Eduardo circa peregrinationem Romanam, ut videre eſt apud P. Petrum Ribadeneiram *in Floribus ad 1. Januarii*, rigidior, quàm hac ætate fieret, nam vel juxta doctrinam adductam *n. 175.* irritaret parens, aliuſve obtinens locum parentis, hoc votum: vel certè mitior fieret commutatio. Ne tamen videatur ſuperior doctrina improbari hac reſolutione Pontificia,

dicen-

dicendum eſt in primis cum Gloſſa *in cit. cap. verb. In puerili*, votum illud in ætate puerili emiſſum, fuiſſe poſt adeptam pubertatem ratificatum ab illo R. Dicendum deinde cum Sanchez *De Matrim. Lib. 8. Diſp. 20. num. 13.* potuiſſe utique Pontificem integre diſpenſare, at noluiſſe recedere ab antiquiſſimo ſtylo, quo ſoliti ſunt Pontifices non impertiri ſimplicem diſpenſationem, ſed ſemper mixtam commutatione.

SECTIO II.

De Votis Mulierum.

SUMMARIUM.

Triplex genus fæminarum: Virginum, Nuptarum, Viduarum. 208.

Textus S. Scripturæ, de Virginibus & Nuptis, qui tamen Chriſtianos non adæquatè obligat. 209.

Omnia Vota Puellarum impuberum poſſunt irritari à Patre etiam poſt pubertatem dummodo eæ puberes factæ non confirmàrint. 210.

Non eſt opus ut pater ſtatim ut audierit *contradicat. Ibid.*

Nec ejus ſilentium habetur pro approbatione præſertim irrevocabili. 209.

In Vota Filiarum puberum nondum tamen nuptarum, idem jus habet Pater Curator, &c. quod in Vota Filiorum puberum. 211.

Nuptarum vota poſſunt Mariti irritare, ſi impediant gubernationem Domeſticam. 212.

Juxta Sanch. & plurimos alios, poſſunt etiam ea irritare quæ non impediunt gubernationem domeſticam. Ibid.

Sed contraria ſententia præfertur. 213.

Solvitur objectio ex præcedenti loco S. Scripturæ petita. Ibid.

Etiam uxor habet poteſtatem in Vota Mariti, quæ reddunt difficilius debitum conjugale. Ibid.

Aut quæ cadunt in detrimentum bonorum uxoris. Ibid.

Etiam vota quæ uxor edidit ante Nuptias, ſi incomodent Marito, poſſunt ab eo ſuſpendi, quamdiu durat Matrimonium. 214.

Vtraque tamen vota uxorum ſoluto Matrimonio reviviſcunt. Ibid.

Votum Continentiæ, quod uxor nuncupavit cum conſenſu Mariti, non poteſt ab eo irritari. Ibid.

Viduæ, cùm non ſubſint de jure communi ullius poteſtati Dominativæ, poſſunt libere de ſuis actionibus diſponere. 215.

Reſolvuntur ex dictis 5. Caſus. 216. & ſeqq.

208 Mulieres ſunt vel virgines, vel nuptæ, vel viduæ; de hoc triplici genere tradunt communiùs Doctores ea, quæ proponam occaſione hujus

Caſûs Generalis, & Biblici.

Mulier, ſi quidpiam voverit, & ſe conſtrinxerit juramento, quæ eſt in domo patris ſui, & in ætate adhuc puellari, ſi cognoverit pater votum, quod pollicita eſt, & tacuerit, voti rea erit, quidquid pollicita eſt, opere complebit, ſi autem ſtatim ut audierit, contradixerit pater, & vota, & juramenta ejus irrita erunt &c.

Hunc Caſum generalem deſcripſit his verbis 209
Moyſes *Num. cap. 30.* ſubdens prope eadem verba de nupta, quæ votum edidit, maritóque manifeſtavit. Solutionem, quam ad hunc Caſum vidimus fuiſſe ab hoc legiſlatore datam autoritate divina, non eſſe, ut jacet, integre juris naturalis, ſed ex parte poſitivi, ac ceremonialis, & judicialis, & proinde illa non teneri adæquatè Chriſtianos tradidit in terminis P. Cornelius à Lapide in hoc ipſum *cap. verſ. 17.* deducens tum ex eo, quòd lex naturalis, nec imperet tam feſtinam contradictionem patris, aut mariti, nec habeat ſilentium pro approbatione, præſertim irrevocabili, tum ex doctrinis practicis, quas optimi, piiſſimi Theologi dant circa vota muliebria, conſiſtentibus præcipuè in his articulis, ſeu paragraphis.

I. Omnia vota puellarum impuberum poſ- 210
ſunt à patre irritari. Patet tum ex ſacro textu, tum ex dictis de voto filiorum impuberum ſuprà *num. 174.* Et quidem poſſunt non ſolùm quando nondum exceſſerunt pubertatem, ſed etiam pòſt, modò ea non confirmàrint jam effectæ puberes, juxta dicta ſuprà *num. 175. & ſeqq.* Etenim non eſt ratio, cur faciamus hîc diſcrimen inter puellas, & pueros, etiam in eo eventu, quo fortè parens fuit de filiolæ voto factus certior, dum ea adhuc exiſtebat in ea ætate puellari, etenim lex illa divina requirens, ut pater ſtatim contradicat, fuit duntaxat ceremonialis, & judicialis, ut exprimit P. Cornelius *loc. cit.* & conſequenter ſentiunt Doctores relati contra Arragonium, & Dominicum Sotum ſuprà *num. 174.*

II. Nec etiam eſt cauſa, cur hîc diſtingua- 211
mus inter vota edita à filiabus jam puberibus, nondum tamen Matrimonio junctis, & edita à filiis itidem pubertatem jam aſſecutis, quòd ergo jus in hos faciunt, aut negant patri, curatori, matri, hero &c Doctores producti ſuperiùs *n. 189. & ſeqq.* idipſum faciunt, negántque filiabus, ſeu in harum nubilium vota.

III. Conjugatas quod attinet, poſſunt ma- 212
riti irritare in primis omnia vota impedientia gubernationem domeſticam, ut ſunt longæ peregrinationes, eſt enim vir circa talia caput uxoris, nec poſſunt non includere hanc conditionem: *Si Maritus conſenſerit*, adeóque ſi aut non conſenſerit, aut etiam diſſenſerit maritus, irritatio erit abſoluta, obligatióque penitus ſublata, & non ſolùm ſuſpenſa juxta dicta *n. 196.* cum Sanchez contra Laymann. *cap. 7. n. 19. in fin.* Poſſunt deinde etiam illa irrita reddere, quæ non impediunt gubernationem domeſticam juxta Sanch. *Lib. 4. De vot. c. 34. n. 2.* & plu-

Digitized by Google

plurimos alios ratos, competere marito tantum jus in omnia (excepto uno, alteróve) vota uxoris, quantum competit ex ſuprà dictis patri in vota filii impuberis, aut Prælato Religioſo in vota ſui ſubditi Religioſi, adeóque poſſe irritare votum uxoris de ingredienda Religione poſt ſuum obitum. Cotonius *cit. Controverſ. 12. num. 38.* & Sanctgallenſes.

213 Ego, ob rationem, quam ſuprà *num. 205.* attuli de libertatis favore, adhæreo priori ſententiæ cum Laymann. *cit. Lib. 4. Tract. 4. cap. 7. num. 12.* contra Tamburinum *cap. 16 §. 3. n. 48.* nec moveor allegatione textus ſacri, qui, ut indicavi ſuprà *num. 209.* tam parùm favet libertati conjugatarum, quàm adhuc liberarum à Matrimonio, etenim etiam reſolvi *num. 204.* filias nubiles potiri æquè, atque maſculos puberes poteſtate multa vovendi independenter ab aſſenſu, vel approbatione patris. Adde, quòd ſacer textus *Num. 30.* loquatur de illis votis, quibus affliguntur corpora uxorum, & proinde quibus redditur difficilior redditio debiti conjugalis, quæ proinde fatemur poſſe extingui à marito, cùm etiam uxor poſſit hac poteſtate uti in maritum. Laymannus *loc. cit.* extendens meritò ad vota mariti cedentia in detrimentum bonorum pertinentium ad uxorem,
214 ſubdens, quoque *num. 19.* vota, quæ uxor edidit ante nuptias, ſi qua ratione incommodent marito, poſſe ſuſpendi, quoad durabit Matrimonium, adeóque diſſoluto Matrimonio reviviſcere, quod etiam *ibid. in fin.* aſſerit de iis, quæ edita tempore Matrimonii, præjudicantia autem marito irritaverat ipſe, ac præmittens *eodem num. 19.* cum aliis contra alios, votum continentiæ, quod uxor nuncupavit cum conſenſu mariti renuntiantis juri ſuo, non poſſe ampliùs irritari à marito, idcirco quòd petitio, aut redditio debiti conjugalis non pertineat ad poteſtatem gubernativam, quandoquidem ſunt circa hoc debitum pares vir, & uxor, at quia adminiſtratio bonorum tum communium ſecundùm omnes, tum multis in locis etiam paraphernalium, ut obſervo in Quinario *Tract. 5. cap. 24. num. 5.* ſpectat ad maritum, idcirco vota uxoris de faciendis largitionibus magnis contra voluntatem mariti, (quæ voluntas præſumitur fuiſſe tempore voti, abſque ejus præſcitu concepti, talis, qualis fuit poſt ſcientiam, quia mutationem voluntatis Doctores probari volunt, non præſumi,) poſſunt libere irritari ab eo, ſicuti patebit ex reſolutione, quam ad Caſum recentiſſimum dedi, aperiámque infrà *Caſ. 13. num. 416.*

215 IV. Quandoquidem viduæ ſtando jure communi non ſubjiciuntur ullius poteſtati dominativæ (à qua propriè deſcendit, non autem à poteſtate juriſdictionis jus irritandi vota) ſed tantùm magiſtratui Eccleſiaſtico, civilique idcirco non eſt, cur negetur ipſis jus æquè de ſuis actionibus realibus, & perſonalibus libere diſponendi, ac viris etiam viduis. Ex dictis autem hac tota Sectione petitur reſolutio ad quinque ſequentes Caſus.

Caſus I.

Præcocis Ingenii, & Pietatis.

CAtharina (Senenſis) *Anno ætatis ſeptimo, non ut ſeptennis puella, ſed ut planè grandæva, maturè, ac diu de perpetuæ virginitatis voto præſtando ſecum deliberavit, & haud obſcurè intelligens, quid Domino placeret, quadam die ſic precata eſt Beatiſſimam Matrem Chriſti: O Virgo ſacratiſſima; obſecro benignitatem tuam, digneris mihi ſponſum dare filium tuum, & ego promitto illi, & tibi, quòd nunquam alium admittam ſponſum, ſed virginem me illi perpetuam conſervabo.* 216

Sic refert (nonnullis brevitatis causâ prætermiſſis) ac deſcribit ex graviſſimo P. Raymundo Capuano Laurentius Surius *ad 29. April.* ex qua deſcriptione apparet in primis, votum illius virginis fuiſſe planè validum, etſi emiſſum à vix auſpicata Annum ætatis octavum, videlicet propter ſingularem maturitatem judicii juxta dicta *num. 183.* cujus maturitatis teſtimonium præbent verba hìc deſcripta, & alia omiſſa. Apparet deinde, nihilominus potuiſſe validè irritari à parentibus, per dicta ſuperiùs *n. 174.* An verò licitè conformiter dictis *num. 200.* dubitari poſſet ex eo, quòd appareat, hoc votum nuncupatum fuiſſe ex peculiari inſtinctu Spiritus S. & proinde fuiſſet parens repugnaturus Deo, ſi uſus fuiſſet poteſtate communi parentibus. 217

Cenſeo tamen, abſtrahendo ab omni prava intentione potuiſſe irritationem fieri abſque peccato, tum quia revera non tenebatur pater credere, illam deſponſationem cum filio Dei, profectam fuiſſe alia ratione à Spiritu Sancto, quàm ſupponatur actus omnes ſupernaturales tribuendos eſſe illi, qui, ubi vult, ſpirat, quos tamen irritos ſi reddant parentes donati à Deo, & natura jure generali, & dominativo irritandi, non cenſeo damnari poſſe, juxta dicta *num. 200.* ex Suarez, cùm etiam talia vota habeant incluſam conditionem: *Si pater conſenſerit.* Suprà *num. 204.* 218

At minimè ambigo, quin parentes Catharinæ, atque omnes ſimiles iis, ſingulariter reſtiterint Spiritui Sancto, & deliquerint, dum eam importuniſſimè, ut dixi ſuprà *num. 161.* impellebant, non quidem ad frangendam propriè fidem Chriſto datam (nec enim fregiſſet, ſi voto ſoluta nupſiſſet alteri) ſed ad non parendum inſtinctui divino, & graviter quidem, utpote tam graviter abuſi ſuo naturali jure, quod noto propter alios parentes factitantes in aliis, atque aliis materiis, & nominatim in propoſito ſervandæ perpetuæ continentiæ, vel Religionis ingrediendæ, ſimile quid illi, quod genitores Catharinæ. Ratio eſt, tum quia Concilium Tridentin. *Seſſ. 25. cap. 18. De Regul.* ferit expreſſè anathemate illos, qui ſanctam Virginum voluntatem 219

tatem voti emittendi quoquo modo impediunt!, & jam olim Concilium Toletanum Nonum *Cap. 10.* tolerat hanc ſententiam: *Si quis propoſitum caſtitatis viduæ, vel virginis impedierit, à ſancta Communione, & à liminibus Eccleſiæ habeatur extraneus*; tum quia S. Hieronymus *Epiſt. 1. ad Heliodor.* ſcribit, retrahere à Religione (dico ego à Caſtitate perpetua, quam cum Religione componunt perſæpe Canones, & Doctores) nihil eſſe aliud, quàm Chriſtum in pectore alterius occidere, Chriſto ſe opponere, ſpargere, & diſſipare, quæ Chriſtus collegit; tum quia S. Bernardus Epiſt. III. parentes, qui liberos à Religione avocant, ait eſſe *duros, ſævos, crudeles, nec eſſe parentes, ſed peremptores.*

Caſus II.

Lutherano-Catholici.

220 *Fabius ex ſecta Lutherana, in qua natus, educatúſque fuerat, traductus ad Catholicam Religionem certo quodam voto ſeſe ante adeptam pubertatem obſtringit, quam tamen adeptum pœnitet facti voti, de cujus irritatione cùm ſolicitus eſſet ejus Confeſſarius, conſuluiſſetque hic virum apprimè doctum, mentem quidem ſuam aperuit hic, at mox ad me literas dedit 24. Novemb. Anni 1665. noſſe cupiens, quid ego ſentirem? Reſpondi paucis ſapienti; nunc aliquanto diſtinctiùs aperio, quid cenſeam eſſe tenendum de vi, aut neceſſitate irritationis paternæ reſpectu votorum editorum à filiis heterodoxorum, nominatim Lutheranorum, perſiſtentium in ſua hæretica pervicacia.*

221 Sentio igitur in primis, poſſe etiam à talibus reſcindi ex jure vota filiorum, quo poſſe ab Orthodoxis petentibus relaxari dixi ſuperiùs. Ratio eſt, quia licèt hæretici priventur, tum ob atrocitatem criminis, tum propter excommunicationem huic crimini à jure ipſo annexam, juriſdictione, & dominio ſuorum bonorum *Cap. Cùm ſecundùm Leges. De hæret. in 6.* & ibi notant DD. attamen nec id contingit ante ſententiam criminis declaratoriam, nec reſpectu hæreticorum toleratorum, ut ſunt in Germania Lutherani; nec illud dominium, de quo loquuntur jura, ut lex final. *ff. Ad Leg. Jul. majeſt.* extenditur ad dominativam poteſtatem irritandi; nec denique ullus doctor facit hac in re diſcrimen inter Catholicos, & Acatholicos.

222 Dico II. Si illud votum fuit caſtitatis, fuit probabiliſſimè reipſa nullum, utpote editum ſub conditione impoſſibili, hac ſcilicet: *Si pater conſenſerit poſitivè* juxta ſententiam P. Valentiæ relatam ſuprà *num. 193.* etenim ſi parens fuiſſet interrogatus, reſpondiſſet cum ſuo Patriarcha Luthero: *In Epithalamia: Idem ſunt conſultare, ſitne ducenda uxor, & ſitne comedendum, & bibendum*, ut refert Cardinal Bellarminus *Lib. 2. De Monachis cap. 6.* ergo parens Fabii ſuâ notoriâ pervicaciâ in hæreſi, adeóque facto ipſo, quod non minus virium habere ſolet, quàm verba *Leg. Paulus, & Leg. De quibus. ff. De Leg.* ſatis declaravit, à ſe ad orcum relegari tale votum conſentaneè iis, quæ idem Bellarminus *loc. cit. Cap. 28. 29. & 30.* refert ex ſenſu Lutheri, omniúmque Lutheranorum.

Dico III. Idem probabiliter poſſe aſſeri de aliis Catholicorum impuberum communiter votis, quæ inſciis parentibus acatholicis edunt, ſcilicet ad honorem Dei, hæc enim omnia eſſe deteſtabilia ſentiunt Lutherus, Calvinus, alii teſte Bellarmino *loc. cit. Cap. 15.* Nihilominus tamen, ſi poteſt emungi verbalis irritatio, emungendam cenſeo; & tunc aderit ſufficiens, ſi pater dicat, ut ſolent: *Eas ad patibulum cum tuo Idololatrico Papiſmo.* Poſſe ab alio, quàm à patre, quamdiu hic eſt ſuperſtes, & præſens, mentiſque compos, irritari, non ſcio qui doceat; ergo nec irritabit, ut innuebant literæ, Confeſſarius, cùm ejus poteſtas ſit juriſdictionis delegatæ, vel ordinariæ, non autem dominativa. At ubi Fabius fuerit emancipatus, poterit à Magiſtratu civili fieri circa ipſum hac in re id, quod circa alios emancipatos. Ante hanc, aut aliam mutationem erunt talia vota inirritabilia, ſicut ea, de quibus ex Sanchez ſuprà *num. 190.* non autem erunt magis incommutabilia, vel indiſpenſabilia per Epiſcopum, Confeſſarium &c. quàm alia: ſed velim, ut docti nonnulla ex hîc dictis penſiculatiùs examinent. 223 224

Caſus III.

Auſtriacus amoris conjugalis.

Franciſca natione Sueva, nupſit viro ex Auſtria ſuperiore oriundo (ut referunt meæ chartæ) quo ad bellum Turcicum in Ungariam profecto, vovet & ipſa Deo non modo ſi maritus redeat domum vivus, ſe ter peregrinaturam ad B. Virginem Paſſavienſem, ſed inſuper ſe, ut hanc gratiam impetret à Deo per B. Virginem; curaturam fieri novem Sacra è bonis communibus, at è paraphernalibus largituram leproſodochio ſtipem quinque florenorum, quorum Sacrorum, & eleemoſynæ parte jam exſoluta redit maritus, ſed ita debilis ex neſcio quo morbo belli contracto, ut intra octo dies animam exſpiret; priùs tamen 225

Digitized by Google

edoctus de votis uxoris, & effatus hæc verba: Du hätteſt wol künden das Verſprechen underlaſſen: *bene potuiſſes ſuperſedere tuis promiſſionibus.*

226 Fuêre poſtmodum poſt Franciſcæ reditum in Sueviam orta hæc tria dubia. Primum, *hæcne vota fuerint licitè, & validè edita?* Alterum, *ſi validè, utrùm fuerint ab ita reverſo, & ita locuto marito reddita nulla?* Tertium, *quid ſingulariter cenſendum de voto ad B. Virginem Paſſavienſem.* Non errabit Lector, ſi judicârit, me non ſine ſeria reflexione reſpondiſſe ad illa tria quæſita. Reſpondi autem, & nunc adhuc ſentio, in primis illa duo vota, quæ nuncupata erant ad impetrandum reditum, fuiſſe licita, & valida; deinde verò illa, quæ ſub conditione reditûs facta erant, rata fuiſſe ſub una conſideratione, irrita ſub alia.

227 Et verò quod attinet duo priora, non modò habuerunt finem ſufficientem ad honeſtandum votum, juxta Regulam traditam ſuprà *Caſ. 2. num. 63.* ſed etiam profecta fuerant ab habente jus, ac poteſtatem, ut clarum eſt de voto circa Paraphernalia, ſi ſtetur Lege. *Hac Leg. Cod. De pact. convent.* ſi autem in Superiore Auſtria vigeat mos, quem in Quinario *Tract. 5. cap. 24. num. 5.* & *6.* innui vigere in pluribus locis, favente pulchro §. quem *cit. num. 5.* deſcribo ex eadem ipſa Lege, poteſt videri eſſe res dubia, ſicuti & de novem Sacris, cùm non videatur potuiſſe de illis bonis diſponere ſine mariti conſenſu, utpote ad quem ſpectabat vel proprietas, vel uſus fructus ejuſmodi bonorum, conformiter iis, quæ protuli *eodem Cap. 24.*

228 Nihilominus cenſui, nihil hîc eſſe habendum ſcrupuli, tum quia in illo ipſo *Cap. Sect. 2.* probo, fas eſſe uxori facere ex bonis communibus alienationes, & eleemoſynas pro ſalute mariti, & ſingulariter dixi in Experientiis *Tr. 10. Caſ. 23. num. 789.* atque inſinuavi ſuprà *num. 188.* adminiſtrationem domûs, & bonorum eſſe penes uxorem, quando maritus procul (non autem ſi ſit præſens, & mentis compos) abeſt, nec conſtituit procuratorem. Quæ adminiſtratio, quia in caſu longæ, aut brevis abſentiæ non competit uxori ex diſpoſitione Juris communis, cùm nulla lex, aut Canon id decernat, ſed ab expreſſa, vel tacita conceſſione mariti, idcirco videtur potuiſſe, poſt reditum, irritare ea vota Realia, quatenus tunc nondum erant executioni mandata, & ſingulariter in ſententia illorum, qui, ut retulimus ſuprà *num. 212.* cenſent, omnia vota uxoris, poſſe à marito irritari tam libere, quàm filiorum impuberum, ſicut & in ſententia aliorum, qui, ut vidimus ſuprà *num. 200.* arbitrantur, & illa irrita reddi poſſe innoxiè, quæ ſunt etiam cum expreſſa facultate Superioris emiſſa; quæ doctrina certè extenditur ad peregrinationes quoque.

229 Quamquam eſt valde dubium, utrùm irritationi fuerit hîc relictus locus, cùm videatur non fuiſſe impleta conditio, cum, & ſub qua illa vota ſunt emiſſa. Quid ſi enim Franciſca dicendo: *Voveo hoc, & illud, ſi meum maritum recepero vivum?* quid ſi, inquam, intellexit vivum non phyſicè, ſed moraliter, & civiliter, id eſt in ea valetudine, quæ communem ſpem faciat vitæ diuturnæ, & aptæ, neceſſariæque ad onera Matrimonii ſubeunda? Certè ſi hoc ſecundum deſignavit animo, non fuit rea voti conditionalis, eſto fuerit duorum abſolutorum; etenim invaletudo, cum qua rediit maritus, adverſata fuiſſet intentioni per ſe (dico: *per ſe*, nam tunc ſolùm per accidens adverſata fuiſſet, & conſequenter non impediviſſet vim voti, ſi maritus rediviſſet totus vegetus, at biduo poſt occubuiſſet in rixa, vel ex apoplexia, aut lapſu è tecto &c. hæc enim fuiſſent per accidens, habetur autem in moralibus ratio illorum duntaxat, quæ ſunt per ſe juxta S. Thom.) atque eſſentiali.

230 Omnibus perpenſis cenſui, eſſe ex Franciſca directè, vel indirectè quaſi aliud agendo expiſcandum, an maritum proſecuta fuerit vero, ſingularique amore amicitiæ, an tantùm, & principaliter concupiſcentiæ, ut hîc quoque utar phraſi Theologica, intelligens hîc per amorem concupiſcentiæ illum amorem, quo uxores perſæpe tanquam famulos, amant ſuos maritos, id eſt ſolùm, aut ferè ſolùm idcirco, quòd ſint boni œconomi, ſtrenuè laborent &c. Primi generis uxores ſummè deſiderant ſuſcipere coràm extremum ſpiritum mariti, & hac conſideratione dici potuit exſoluta intentio Franciſcæ principalis, & ſine qua non; at poſteriore conſideratione non videbatur mihi expleta, quare exiſtimavi votum per ſe deſiiſſe.

231 Denique dubitavi, utrùm illa verba mariti ſatis cruda indicaverint animum irritandi, quatenus potuit, nihilominus tamen concluſi pro negativa; cùm enim nemo in extremis conſtitutus præſumatur eſſe immemor ſuæ ſalutis, ſicuti explicavi in Quinario *Tract. 5. cap. Quinquageſimo num. 45.* & generatim dubia de peccatis interpretanda ſint in meliorem partem, melior autem pars erat, ſi relinqueret facto optimæ mulieris ſuum curſum, ideo malim ea verba accipere pro duntaxat ſigno diſplicentiæ de facto uxoris, quàm voluntatis irritativæ. Imò ſi ponamus, fuiſſe mentem Fran-
ciſcæ primariam, ut reciperet maritum multò 232
chariſſimum, eique juſta perſolveret, non videtur potuiſſe reſcindere hoc votum maritus etiam reſpectu eorum, quæ necdum erant mandata executioni, & præſtari poterant ſine ejus incommodo; dixi enim ſuprà *num. 200.* eos, qui pollent poteſtate irritandi, non poſſe hac uti reſpectu votorum tunc, cùm res & non eſt grandis momenti, & inſuper non ampliùs integra, ſicut non fuit ampliùs integra, ſi Franciſca intendebat id ſolùm, quod paulò antè dixi,

ſic

Digitized by Google

ſic enim fuit voti compos reddita. Poſtremò non tenebatur eo etiam ex capite obire peregrinationem Paſſavienſem, quia poſt reditum in Bavariam nimis longè diſtabat Paſſavio; ergo valebat apud eam doctrina adferenda infrà *num. 245.*

Caſus IV.

Moroſæ Votricis.

233 G*Enoveva puerpera vovet in difficili, & periculoſo puerperio dicens:* Si evaſero ſana ex hoc puerperio, ego cum alio homine (*nullum nominans*) ibo peregrinatum ad ædes Eremitanas B. M. V. *Evaſit ſana, non ſtatim peragit votum: paulo poſt cadit in morbum, & moribunda aperit ſacerdoti votum: moritur, & liberatur corpore, & voto. Sed quæſtio oritur, utrùm altera perſona, quam ſibi in vovendo jungere intendit, ſine tamen determinatione qualem, debeat à tuo parocho, vel marito conſtitui mercede, ut votam peregrinationem peragat? Rogo reſolutionem &c.*

234 Hanc petiit ille parochus Anno 1670. cui reſpondi ſuccinctè, in primis id votum non induxiſſe ullam obligationem, ſi fuit & editum inſcio marito, & ab eo non confirmatum; tum quia illa peregrinatio erat occupatura quinque, aut ſex dies, nequeunt autem uxores inconſultis maritis promittere tam longas peregrinationes, ſicuti ex inſtituto diſſero in Experientiis *Tract. 10. Caſ. 22. num. 760. & 761.* ubi etiam de peregrinationibus maritorum; tum quia diſponebat de peculio domeſtico erogando in comitem itineris, in quod tamen jus non habebat per dicta ſuprà *num. 214.*

235 Deinde tamen, ſi in id votum conſenſit maritus, vel poſtmodum ratum habuit, tenebatur per ſe loquendo illud exequi Genoveva, & quidem intra non longum tempus. Suprà *num. 17.* utrùm autem peccarit graviter, aut venialiter differendo, dijudicandum ex iis, quæ propoſui ſuprà *ibid.* Et quamvis ponamus graviter deliquiſſe, non tenebatur tamen maritus etiam poſt ratificationem mittere quemquam ad Eremum B. Virginis, loco illius, quem deſtinaverat uxor, quia cadente cauſa principali cadit & acceſſorium. Suprà *num. 88.*

236 Neque etiam tenetur elargiri in pauperes, aut pia loca eos ſumptus, quos feciſſet, ſi peregiſſet peregrinationem. Suprà *num. 88.* favente aperte P. Sanchezio *Lib. 4. Moral.* ſeu *De Voto Cap. 2. num. 27. & 28.* tametſi videtur aliter reſolvi in Cap. *Quod ſuper his De Vot. & Voti redempt.* itemque à Barboſa in illud Capitulum, malè citante pro ſe Sanchezium, non malè Suarium in caſu, quo votum fuit editum in ſubſidium terræ Sanctæ, cujus voti Summa ratio habebatur iis temporibus, quibus fuit datum reſponſum illius capituli, ut ſapienter obſervat idem P. Suarez *De Vot. Lib. 6. cap. 19. n. 17.* & ego etiam innui ſemel, iterùmve in decurſu hujus libelli.

Caſus V.

Bavaricus.

F*Ides uxor viri divitis, & docti vovit in morbo Beatæ Virgini Oettinganæ ſtatuam ceream, ſuæ magnitudinis, & ponderis, pro qua, ubi convaluit, numeravit triginta florenos, plura tamen debebat. Recipientes valde bene contenti erant, & vir interrogatus à conjuge reſpondit, ſatis, ſuperque eſſe, videtur ergo omni voto ſoluta ex ea cauſa, quod maritus omnia vota uxoris irritare queat.* 237

Sic ad me ex ultima Bavaria Anno 1660. vir uſu perquam peritus, expetens meum judicium, & ſimul referens ſuam reſolutionem firmo nixam fundamento; etenim ille vir dives, & doctus ſatis indicabat illis ſuis verbis, à ſe id votum non ratificari ultra ſummam triginta florenorum. Illa lubentia, qua præfectus Eccleſiæ admiſit eam ceram, non videtur ſufficiens eximendo omni ſcrupulo rationabili, nec enim eſt dominus, ſed ſolùm adminiſtrator eorum, quæ donantur, aut voventur Capellæ, cujus adminiſtrator eſt; atqui adminiſtratores carent jure donandi, remittendive debita liquida *Leg. Præſes Provinciæ. De tranſ.* & ibi Jaſon. cùm debeant eſſe fideles diſpenſatores, *1. Corinth. 4.* 238

DE VOTIS PEREGRINANTIUM.

CASUS VII.

Oettinganus.

SUMMARIUM.

Caſus pauperculi miſſi Oettingam Veterem ad exſolvendum Votum alienum, qui quondam ipſemet voverat illuc ire. 239.

Proponuntur ſeptem Quæſtiones de Votis peregrinantium. 240.

Qui vovit ſemel aliquò peregrinari, ſatisfacit, etiamſi ſtipendio conductus, vel recreationis cauſa illuc veniat 241.

Duæ inſtantiæ pro hac ſententia. infrà 243.

Secùs ſi ſumptus & laborem itineris expreſſè vel implicitè voviſti. 241.

In

In dubio an has moleſtias voveris, non teneris ad illas. 242.

Qui vovit duas peregrinationes ad aliquem locum, non ſatisfacit per unam, etiamſi eum, dum ibi ſubſiſtit, bis viſitaret. 243.

Communiter eſt illicitum Votum peregrinationem perficere per alium. 244.

Si quis dicat : Voveo me illuc peregrinaturum: vel miſſurum alium meo loco. *examinanda eſt ejus intentio.* Ibid.

Quando ob mutatam habitationem peregrinatio redditur difficilior, videtur Votum extinctum, vel certè ſuſpenſum, donec redeat ad priorem locum. 245.

Idem dicendum, etiamſi vovens, dum erat propinquus, neglexerit illud breve iter. 246.

E contrario, qui vovit peregrinationem longam, ſi antequam illud expleat in illo ipſo loco habitare contingat, ſatiſfaciet brevi itinere ex ædibus. Ibid.

Qui vovit iter quinque, aut ſex dierum, & peracto dimidio cogitur redire, non tenetur eandem viam relegere. 247.

Qui verò tantùm vovit iter decem horarum, & abſolutis v.g. tribus cogitur redire, tenetur alia vice votum exequi. Ibid.

Onus Peregrinationis vota communiter non tranſit ad hæredes. 249. 244. & 88.

Nec eſt opus ut expenſæ, quas teſtator facturus erat in peregrinationem, dentur pauperibus vel pio loco. 249.

Solvitur objectio ex Jure canonico. 249.

Promiſſiones, quæ ægris fiunt, de peragendis loco illorum peregrinationibus, cùm rariſſimè Deo fiant, obligant ordinariè ſub ſola fidelitate. 250.

Quando peregrinatio inculpabiliter dilata, peragi ampliùs non poteſt, non cenſetur res manere in eodem ſtatu. 251.

Quid faciendum, ſi peregrinatio culpabiliter dilata fuit, & difficultas præter opinionem ſupervenit? Ibid.

Reſolvitur ex dictis Caſus, num. 239. propoſitus. 252.

Reſolvuntur quoque alia 5. quæſtiones Bavaricæ. 254. *& ſeqq.*

Et alius Caſus Suevicus. 262.

Et duo Cellenſes ex Styria. 264. *& ſeqq.*

239 *GErardus pauperculus habens ſuum votum eundi Oetingam, mittitur interim ab alio domino, qui ſuum votum ipſe exequi non poteſt, ab eoque accipit viaticum, & ſalarium. An ſuo, & Patroni voto poteſt ſatiſfacere?*

Ita ad me is ipſe, de quo memini *numer. præced.* addens hiſce duobus Caſibus de voto alios quinque reſolvendos hoc loco, ubi tractandum de materia voti, incurrente ſæpiſſimè in calamos ſcribentium de natura, & adjunctis votarum peregrinationum; creberrimè enim, ſicuti & nos, ſuas reſolutiones declarant hæc, & illa inductione peregrinationis.

Obſervavi autem ex iis, quæ vel in libris, vel in literis ad me datis Legi, frequentiſſimè 240
moveri hæc dubia: 1. *An poſſit uno, eodemque itinere toto, hujúſve parte notabili ſatiſfieri tùm ſuo, ſimul & alieno voto, tum duabus propriis.* 2. *An liceat peregrinationem votam perficere per alium.* 3. *Quid agendum iis, qui habitantes in oppido A. vovent peregrinationem ad locum B. at eâ nondum perfectâ transferunt lares ad locum D. diſtantem à loco B. multò remotiùs, quàm diſtabat oppidum A.* 4. *Quid & iis, qui anſſicati ſunt, at perficere nequiverunt, votam peregrinationem.* 5. *An hæredes teneantur perficere peregrinationes votas à teſtatore, at ab eo non perſolutas.* 6. *Quid de expenſis itineris decernendum, quando votum non fuit perſolutum.* 7. *Quid de diu valde dilata peregrinatione, & idcirco reddita multò difficiliore, quàm antè.* Ubi ſatiſfecero hiſce quæſtionibus, facilè reſolventur plurimi particulares Caſus.

I. Itaque practicè tuta eſt ſententia, docens, illum, qui ex voto proprio tenetur pere- 241
grinari ſemel ad aliquem certum locum, ſatiſfacere huic obligationi, ſi ſtipendio conductus, vel recreationis causâ conferat ſe ad illum locum, animo ſatiſfaciendi etiam ſuo voto. Ratio eſt, quia P. Caſtro Palaus *Tract. 15. Diſput. 2. punct. 12. num 9.* ita cenſet abſolutè, Pater Tamburinus verò *Lib. 1. in Decal. Cap. 3. §. 7. num. 23.* in caſu, quo ſcis quidem, te voviſſe illam peregrinationem, at dubitas, an in eo voto incluſeris laborem ad illam neceſſarium? P. Sanchez *Lib. 4. De Voto Cap. 11. num. 68.* in eo caſu, in quo certus es, te abſtraxiſſe à labore itineris. Equidem receptum eſt apud The- 242
ologos, explicantes generalem legum obligationem, per ſe generaliter nihil obeſſe, quo minus poſſit uno unico actu extra materiam juſtitiæ ſatiſfieri duabus obligationibus; cur igitur nequeam explere obligationem votivam, peregrinandi Lauretum, & ſimul obligationem ſtipendiariam illuc, vel per modum tranſeuntis, vel tanquam ad ultimum terminum proficiſcendi, modo ibidem viſitem Religioſè locum, & perficiam alia, quæ me ibi perfecturum promiſeram Virgini Matri? Adeóque quando vel expreſſè, vel implicitè dixiſti: *Volo laborem, & alias moleſtias itineris Lauretani exhaurire ad honorem Dei, atque ædem Sacram piè inviſere,* nequibis juxta P. Sanchez huic voto ſatiſfacere ſimul & obligationi ex ſtipendio; poteris abſolutè juxta P. Palaum, & juxta P. Tamburinum in caſu ſaltem, quo ambiguus hæres, utrùm incluſeris laborem, ſeu moleſtias itineris; ſi enim de hoc dubites, dubitas hoc ipſo an voveris illas moleſtias, & ſumptus, ergo non teneris ad illas, quia votum in dubio non obligat, ut videbimus inferiùs. *Caſ. 12.*

Interim obſervabis pro praxi duo exempla, 243
ſeu inſtantias, quæ pro ſua ſententia adfert P.

Palaus.

Palaus. Primum, quòd obligatus ex voto face-
re quotidie Sacrum, poſſit accipere ſtipendium
pro uno, aut pluribus quotidianis ſacris. Alte-
rum, quòd vice verſa obligatus quotidie ex ſti-
pendio ſacrificare, poſſit etiam exſolvere ſe
obligatione Sacri, ex voto faciendi. Non au-
ſim tamen aſſerere, illum, qui ſpopondit, ſe
bis viſitaturum Ædem Lauretanam e. g. ſatiſ-
facere poſſe uno itinere, tametſi illam ædem
viſitet bis uno illo die, quo illic perſiſtit. Et-
enim mihi imaginor, eſſe aut ſemper, aut com-
muniter intentionem faciendi bis illud iter.
Certè ita ſonat phraſis, qua Teutones utuntur
dicendo: Ich will zweymahl Wallfahrten in
diſes Orth: *Volo bis peregrinatum ire ad talem lo-
cum.* Nec diſſonat lingua Gallica.

244 II. Communiter eſt illicitum, votam pe-
regrinationem perficere per alium; etenim vo-
tum peregrinandi eſt communiter Perſonale,
& proinde exequendum per ipſummet voven-
tem. Unde reſolvi *Caſ. 1. num. 38.* commu-
niter non tranſire ad hæredes. Sæpe tamen fit,
ut quis dicat: *Voveo me peregrinaturum in ta-
lem locum, vel miſſurum alium meo loco* & tunc
examinanda eſt ejus intentio, utrum videlicet
reſervârit ſibi plenam libertatem faciendi alter-
utrum ex his duobus; & tunc poterit pro lubi-
tu ire ipſe, aut alium ablegare ſuo loco; an ve-
rò intenderit in eo ſolo caſu mittere, in quo i-
pſe nequiret eò pergere, & tunc eſt non merè
perſonale, ſed aliquo reſpectu reale; eíque ſa-
tiſfiet etiam per aliquem, qui velit gratis profe-
ctionem illam in ſe ſuſcipere, nec enim teneris
credere te obligatum ad conducendum ſtipen-
dio, niſi ſcias, te deſtinâſſe dare ſalarium.

245 III. Quando ob mutatam commoratio-
nem, habitationémve peregrinatio accidit
multò difficilior, quàm fuerit ex loco, ubi pri-
ùs habitabas, videtur tuum votum eſſe extin-
ctum, vel certè, quod verius, ſuſpenſum, quo-
ad redeas ad locum propinquiorem illi termi-
no, quem determinaveras. Ratio petitur ex
Regula propoſita ſuprà *Caſ. 4. num. 112.* ex S.
Thoma, re enim vera eſt tunc facta circa mate-
riam votam tanta mutatio, ut ſi prævidiſſes fu-
turam, te non fuiſſes ad illam obſtricturus.

246 *At fui ipſe in turpi mora; jam enim eſt ſex-
ennium, ex quo vovi, intereáque potuiſſem non
ſemel, ſi voluiſſem perficere.* Hic caſus eſt fre-
quentior, ac deberet, fuitque mihi propoſitus
literis proximè præcedente Anno 1671. cenſeo
tamen, non fuiſſe ullo modo tuam mentem,
ut te obligares ad tam longum iter caſu, quo
culpabiliter neglexiſſes quater; ſexies, decies
aliud haud paulò brevius. Vide infrà *num.
409.* ſimile reſponſum ex Navarro. Aget
autem providè tuus Confeſſarius, ſi ad caute-
lam commutet in ternam circiter excurſionem
ad locum haud paulò viciniorem, donatum eo,
ſi adſit, titulo, quo erat is, quem priùs deter-
mináras. Quòd ſi vice verſa voviſti peregri-
nationem ad locum pium diſtantem tres horas
illâ autem non expletâ incipias habitare in illo
ipſo loco, non dubito, quin æquè P. Sanchez,
ac PP. Palaus, & Tamburinus ſint dicturi, re
tua obligatione integre defuncturum, ſi ſemel
ex tua domo te conferas ad illum locum pium,
ínque eo facias, quod priùs facere debueras.
Atque ita cenſui reſpondendum ad hoc dubi-
um propoſitum Anno 1669.

IV. Qui jam perfecit dimidium iter voto
promiſſæ peregrinationis ad locum quinque,
vel ſex diebus remotum, at cogitur redire do- 247
mum, non eſt adigendus, ut ſublato impedi-
mento relegat poſtea eandem viam. Ratio
petitur ex illa eadem Regula S. Thomæ, de qua
num. 112. Equidem non reor, eſſe reperien-
dum è decem unum, cui, ſi dum vovebat, ve-
niſſet in mentem, poſſe fieri, ut cogeretur à jam
cœpto, & tam multùm provecto itinere do-
mum re infecta remeare, non fuiſſet dicturus:
Me non obligo ad talem caſum. Utor ego ſæ- 248
pe hoc argumento ductus ratione, quam pro-
duxi *Caſ. 4. num. 117.* de recurrendo ad com-
munem modum aliorum ejuſdem ætatis, con-
ditionis &c. etenim eſt in dubio præſumen-
dum, quòd volueris te accommodare mori ali-
orum communi. Quòd ſi verò locus peregri-
nationis ſit diſſitus tantùm decem horarum in-
tervallo, confeceris autem fruſtra tres, vel qua-
tuor, non habebis me patronum; ſiquidem e-
go ipſe arbitrarer, me repugnaturum ſenſui,
& etiam praxi communi, ſi in ejuſmodi eventu
ſcilicet tam parvæ difficultatis non præviſæ,
non me ſiſterem in loco, ad quem me devove-
ram.

V. Jam reſolvi *num. 88.* onus peregrina- 249
tionis votæ communiter non tranſire ad hære-
des, quia communiter eſt perſonale. Unde
neceſſe non eſt, ut expenſæ, quas in ſuum iter
facturus erat teſtator, dentur pauperibus Su-
prà *num. 88.* aut alicui pio loco. Nec obeſt,
quòd fuerit olim aliter declaratum in uno; al-
teróve capitulo. Extra *De Voto, & Voti re-
dempt.* jam enim monui ſuprà *num. 236.* ex
Suarez, fuiſſe à Romanis Pontificibus habitam
majorem rationem expenſarum pro peregrina-
tione ad terram Sanctam, quàm nunc habea-
tur. Certè ſi in voto peregrinandi non inclu-
ditur neceſſariò labor itineris, ſed ſola viſita-
tio pia loci, ad quem eſt editum votum, ſicuti
vidimus ſuprà ex P. Palao *num. 241.* cur dica-
mus involvi expenſas? cùm labor itûs, & redi-
tûs ſit multò magis intrinſecus rei voto promiſ-
ſæ, quàm viaticum. Ad hæc cadente princi-
pali cadit & acceſſorium. Suprà *num. 77.*

*Sed promiſit uxor, aut filia, ſe loco patris ago- 250
nizantis eſſe ituram ad hunc, aut illum locum?*
Reſpondeo, haſce promiſſiones rariſſimè fieri
Deo, vel Sanctis. Quare peccabit ſolùm contra
fidelitatem, non contra religionem, qui non
ſteterit tali promiſſo. Suprà *num. 44.* ubi re-
ſolvi, an peccet talis mortaliter, ſi non ſtet
pollicitatione.

VI. Quan-

Digitized by Google

251 VI. Quando peregrinatio eſt diu dilata inculpabiliter, nec ampliùs peragi poteſt ſine notabiliter majore difficultate, quàm poterat priùs, eſt locus Regulæ, quam de Juramento proferemus infrà *Caſ. 16. num. 501.* quòd ſcilicet in promiſſione præſertim gratuita ſubintelligatur hæc conditionalis: *Si res in eodem ſtatu permaneant*; quando verò fuit culpabilis dilatio, difficultas autem præter omnem opinionem ſuperveniens cenſetur ab omnibus eſſe perquam magna, locum habebit reſponſum proportionatum ei, quod dedi ſuprà *num. 248.* de difficultate notabiliter quidem, non tamen adeò notabiliter majore.

252 Ex his petes reſolutionem Caſus Oettingani propoſiti ſuprà *num. 239.* cùm enim tales homines habeant in ejuſmodi votis exiguam rationem laboris, utpote quo fatigari ſolent etiam domi, ſed ducantur ſola devotione ad locum tam celebrem, &, ſi fortè offerant expenſas itineris Beatæ Virgini, id faciant ſolùm ex hypotheſi, ſi quæ ſint faciendæ, patet ex relatis ſuprà *num. 241.* Patres Palaum, & Tamburinum juſſuros fuiſſe illum Gerardum vivere ſine imaginatione de neceſſitate repetendi itineris. Qui illum miſit pro ſe impedito, tenebitur ſublato impedimento ipſemet carpere viam Oettinganam, per dicta ſuprà *num. 244.* niſi reſervârit ſibi jus ſubrogandi alium ſibi.

253 Deinde etiam ex iiſdem doctrinis reſolvuntur quinque aliæ quæſtiones, quas Caſui Gerardino partim præmiſit, partim attexuit ille Societatis Sacerdos gravis Annis, & uſu. Earum eſt hæc

Quæſtio I.

Oettingana.

254 C*Ivis Auguſtanus vovit peregrinationem Oettinganam, & in montem Sanctum Andecenſem. An ſatiſfaciet utrique voto, ſi uno itinere Oettingam, & inde rectà in Andecenſem montem pergat?*

Reſpondeo, ſi non conſtat poſitivè, civem illum voluiſſe inducere ſibi obligationem integre ſigillatim conficiendi illa duo itinera, ajo cum Palao, & Tamburino, ſatisfeciſſe utrique voto. Obſervo autem pro Belgis, Polonis, Italis, aliiſque plurimùm à Bavaria diſſitis, qui hoc Alphabetum fortaſſe legent, Auguſtam Vindelicorum toto orbe notam diſtare ab Oettingano Sacello, quod Bavaris, horúmque viciniis eſt propè idem, quod Lauretum Italis, itinere tridui; at montem Andecenſem (vulgò *Sanctum*, ob copiam præſtantiſſimorum Lipſanorum) abeſſe Auguſtâ itinere unius longi diei. ſed ad latus, tendentibus Auguſtâ Oettingam, ita ut nequeat iter Oettingâ Auguſtam commodè confici niſi quatriduo, ſi deflectatur ad Montem Sanctum; & proinde ille civis Auguſtanus impenderit ſolùm ſeptem dies toti itineri circulari, cùm debuiſſet octo impendere, ſi rectà reverſus Oettingâ Auguſtam voluiſſet Auguſtâ proficiſci rectà ad Montem Andecenſem Ordinis S. Benedicti, amantis Montes, non invidentis Ciſtercienſi Valles.

Quæſtio II.

Oettingana.

I*Dem eſt, ſi Viennenſis aliquis duplex votum habeat, unum ad Paſſavienſem B. Virginem, alterum ad Oettingenſem, cùm Paſſavium ſit in via, ſolvit hîc unum votum, & pergit Oettingam ſoluturus alterum. An ſatiſfacit?* 255

Reſpondeo ex dictis affirmativè, ſive Paſſavium ſit à latere, ut eſt multis venientibus ex Auſtria inferiore, ſive ſit omnino in via. Et hanc reſponſionem cenſeo non eſſe revocandam in dubium, ſi memor voti Paſſavienſis, dixit aliquot ſeu diebus, ſeu menſibus poſt: *Voveo inſuper iturum me Oettingam*; vel memor Oettingani priùs editi dixit: *Voveo inſuper me viſitaturum monticulum B. Virginis aſſitum Paſſavio*, ſive putârit, Paſſavium eſſe in via recta, ſive cenſuerit verè, aut falsò eſſe notabiliter
diſtans à via recta. Si tamen immemor priùs 256
editi edidit ſecundum, non dubito, quin Pater Sanchez relatus ſuprà *num. 242.* fuiſſet obligaturus ad duas diverſas peregrinationes; cenſeo è contra, Patrem Caſtropalaum, eſſe conſtanter patrocinaturum libertati hujus Viennenſis; ergo ſi hic proponeret mihi in Confeſſionali authoritatem hujus apprimè fundamentaliter (quidquid obganniant Janſeniſtæ) procedere ſoliti Doctoris, ei me ſubmitterem; puto quòd & P. Tamburinus.

Quæſtio III.

Oettingana.

A*Uriga advehit Oettingam alios, vel nuntius conſtitutus comitatur alios pro mercede, habens proprium votum. An huic ſuo ſimul ſatiſfacere poteſt? Idem de famulis neceſſariis, comitantibus Dominum Oettingam proficiſcentem.* 257

Reſpondeo, me non videre, niſi materiale diſcrimen inter hos, & Gerardum, de quo ſuprà.

Quæſtio IV.

Oettingana.

S*I quis aliis de cauſis Oettingam veniat, vi-* 258

delicet

delicet ad nundinas, ad cognatos viſitandos, vel aliorum negotiorum cauſa ex occaſione via hac aliò tranſeat, an ſimul votum ſuum ſufficienter explevit?

259 Palaus loco relato ſuprà *num. 241.* reſolvit, quaſi in terminis, hanc utramque quæſtionem, pronuntiavique ejus reſolutionem eſſe practicè tutam, nec video, cur palinodiam canam. Videbis autem Lector cauſam, etſi fortè non ſufficientem, cur hoc loco proponam hanc

Quæſtionem V. aliò ſpectantem.

260 *Vovent huc peregrinantes ſæpe multùm cera, & cereas imagines, quas ſperant ſe hîc reperturos, ſed ſubinde habere commodè non poſſunt, volunt ergo pecunia ſolvere. Quærunt ergo, quantum pro ſingulis ceræ libris? Reſpondet Confeſſarius, ſufficere triginta crucigeros, & hac ſolutione contenti ſunt Domini Curatores Sacri Sacelli, tametſi hîc loci una libra emi debeat quadraginta crucigeris, & etiam pluris, an rectè reſpondit Confeſſarius?*

261 Palàm eſt, hanc quæſtionem ſpectare ad Caſum inter Cardinales Tertium potiùs, quàm ad hunc ſeptimum; & verò diſſolviſſem tunc, ſi occurriſſet memoriæ. Propoſuit autem illam is, qui præcedentes. Ego ſupponens, & piè credens, illos Dominos Curatores eſſe præditos legitimâ, peculiarique facultate, aut jure commutandi vota cerea in pecunias minoris valoris quidem, expendendas tamen in uſus Sacelli ſaltem æquè, ſi non magis facientes ad honorem Deiparæ, hoc, inquam, ego neceſſariò (nec enim adminiſtrator donandi jure potitur. Suprà *num. 238.*) ad eximendos reatu ſacrilegii illos Dominos Curatores ſupponens, dico, Confeſſarium illum rectè reſpondiſſe, ut manifeſtum eſt ex mea hypotheſi. Quæ tametſi falſa foret, & proinde per ſe loquendo deberent tantum pecuniæ pendere, quantum oporteret, ſi non adeſſet illa indulgentia Curatorum, per accidens tamen, & in concreto poſſunt ſe accommodare ſtylo communi, ſuáſque conſcientias exonerare in animas Dominorum Curatorum, qui non immemores horrendæ pœnæ, divinitus ſumptæ de ſacrilegis filiis Heli, improbè ſimul & impiè commutantibus res in Sacrificium oblatas, non facerent eam commutationem, niſi eam juſtificaret legitima autoritas, vel ratio.

Propoſitis, reſolutis, illis quæſtionibus Bavaricis ſubjicio hunc

Caſum Suevicum Miraculoſum.

262 *Geroldus Aulendorfenſis Suevus, puer decennis toto Anno ita captus pedibus, ut ambulare nequiret, vovet ſponte, ſe ad Sanctam Urbem Romam profecturum, ſi ope divina convaleſceret, atque reperiret ducem itûs, reditûſque. Convaluit integre intra triduum, confirmavit impubes votum, ratum habuit pater. Quæſiit diligenter ducem, denique reperit, cum quo profectus Altorfium (pagum principem ditionis Uranienſis, & proinde diſtantem itinere unius diei à Monte Gotthardi, ut vulgò appellant) uſque, debuit deſiſtere ab itinere, ob ſuſpicionem peſtis, Italiam, ut ferebatur, populantis. Duxit deinde uxorem, ex qua ſuſcepit liberos; victitat ex ſolo labore diurno: deſperat de reperiendo altero duce peritò lingua Italica, quam conditionem, ſeu qualitatem expreſſerat in voto. Poſt conſultis variis Confeſſariis ſine ullo plano reſponſo ſummè triſtis, & anxius venit ad me 27. Julii Anno 1662. ſuaſu integerrimi ſacerdotis. Quid remedii erat dandum?*

Reſp. Potuiſſe abſolvi omni obligatione repetendi illud iter: tum quia id non ſpoponderat, niſi ſub conditione: ſi nanciſceretur ducem itineris, ſimul & Italicæ peritum, hunc autem non reperit: tum quia jam confecerat eundo, & redeundo iter novem dierum, ergo per dicta ſuperiùs *num. 247.* non tenebatur relegere tantum itineris, ſicut nec tenebatur cum tanto uxoris, & liberorum incommodo, ſummè augendo, ſi extingueretur, ut contigit multis Teutonibus, in ſolo, & aura tam peregrinis. Nihilominus quia illud votum, utpote conditionatum non habebatur à me pro reſervato, juxta ea, quæ dicam inferiùs *Caſu 12.* quò conſulerem magis quieti ejus conſcientiæ, commutavi in quid fructuoſius ipſius animæ, ſcilicet in Confeſſiones, communiones, viſitationes loci pii haud paulò vicinioris, & libentiſſimè acquievit. Si parens ejus fuiſſet ſuperſtes, potuiſſet etiam poſt ratificationem à ſe datam irritare juxta doctrinam Tamburini, & aliorum relatam *num. 175.* at jam obierat, ni fallor, diem extremum. 263

Alium ſatis rarum Caſum peregrinationis Romanæ referam infrà *Caſ. 11.* cùm agemus de diſpenſatione. Interim accipe alium fortè rariorem, deſcriptum verbis

Hiſtoriographi Cellenſis.

Affecti cerebri fœmina ſex menſes ferè duxerat inſomnes, cætera lepidis leporibus feſtiva, non ſetùs, quàm ſi joci foret lararium. Ex ſtulta fit inſana. Miſertus ejus vicem bonus in paucis hujus vicinus, ſolo acclinat genua, palmiſque cœlo ſublatis: Ego ve- 264

rò, Mater miſericordiæ, inquit, ego pro illa, pro amente illa *ſpondeo, peregrinationem in tuam Cellam ſuſcipere, mentis compotem ſi feceris. Prece mota Mater annuit petitioni.*

265 Eſt hoc teſtimonium, hæc, quam toto libello propinat, phraſis R. P. Andreæ Weiſs Ord. S. Benedicti, in concinno libello, quo complexus ducenta miracula patrata ope Deiparæ in Auguſto ſacello Cellenſi in Styria, ſæpiſſimè, piiſſimè celebrato Auguſtiſſima præſentia Auſtriaci ſanguinis Imperatorum, Archiducúmque, dicato Matri ter admirabili, in qua narratione animadvertis hoc ſatis inſuetum, quòd vicinus ille ediderit peregrinationis votum loco, & nomine miſeræ mulieris ad ſe nihil attinentis, eóque edito fuerit hæc conſanata. *Quæritur: An id votum recuperata mentis ſerenitate obſtrinxerit eam fœminam?*

266 Reſpondeo: Obſtrinxit poſt ratificationem, juxta notam Regulam de vi retrotractæ ratihabitionis, at non ante: tum quia votum inducit ex ſe obligationem ſoli perſonæ voventi. Suprà *num. 39.* & *ſeqq.* tum quia negótium non poteſt dici noſtrum, niſi illud per nos, aut illos, quos in poteſtate noſtra habemus, vel quibus mandavimus, verè, vel interpretativè factum ſit. Peckius in Cap. *Ratum De Reg. jur. in 6. num. 7.* tum quia non poteſt alteri per alterum iniqua (ſeu difficilis) conditio adferri. Quia tamen conſtat ex *Lib. 1.* & toto titulo *ff. De negot. geſt.* teneri quem in foro externo id ratum habere, quòd alius ſine mandato geſſit in utilitatem ipſius, idcirco videtur æquitas talem fœminam obligâſſe ad exequendum votum. Quod ipſum pronuntiabis in hoc

Secundo Caſu Cellenſi.

267 Cum *parens mæſtus obitu filioli converſus ad Virginem Cellenſem:* Redde mihi, *ait*, Deipara, meum ocellum, & ego quotannis ſocius, & comes ibo in tuam Cellam. *Hoc dum ait, ſéque ſuis undis luſtrat è capite proſilientibus, puer pingit pallentia ora rubore, vitali aura veſci incipit.*

Incepit, inquam, teſte, quem nominavi, Hiſtoriographo, locátque *num. 18.* inter prodigia Cellenſia. Equidem cùm & pupillus teneatur rata habere, quæ tutor ejus nomine geſſit. Leg. *Si pupillus. ff. De reb. geſt.* multò magis, quæ pater, & illa peregrinatio non ſe habeat, ſicut ingreſſus in Religionem, ad quem ingreſſum nemo poteſt obligari voto cujuſquam, & denique feſta, quæ voverunt majores, teneantur poſteri obſervare ex pietate ergà majores. Supra *num. 42.* videtur & ille filiolus debuiſſe ratum habere id votum.

DE VOTO CASTITATIS.

CASUS VIII.

Lamentabilis.

SUMMARIUM.

Caſus puellæ puberis ritè voventis Caſtitatem perpetuam. Et poſt graves tentationes obtenta diſpenſatione iterum eandem voventis, ſed lapſæ & graviſſimè tentatæ. 268.

Caſus alius Adoleſcentis cognoſcentis Statum conjugalem ſibi eſſe multò utiliorem & tamen voventis Caſtitatem, quam graviter violat. 270.

Reſolutio hujus Caſus ex P. Adamo Burghaber. 271.

Alterius caſus Reſolutio ex P. Ant. Quintanadvenna. 272.

Quomodo hi duo Autores reſoluturi fuiſſent Caſum n. 268. propoſitum. 276.

Confirmatur eorum reſolutio. 277.

Authoris Reſolutio antequam illos duos AA. legiſſet. 278.

Ejuſdem mens poſt illos lectos. 280.

Confirmatio hujus poſterioris opinionis ex Stephano à S. Paulo, & Franciſco Bonæ Spei. 281.

Quid intelligatur nomine Caſtitatis abſolutè prolatæ? 282.

Conſecrans Deo Virginitatem, cenſetur vovere Caſtitatem perpetuam, niſi aliunde conſtet de alia intentione. Ibid.

Caſtitas quam vovet Religioſus aut Subdiaconus, non differt Specie ab ea quam puella ſecularis vovet. 283.

Hinc non eſt opus exprimere Statum in Confeſſione, niſi in eo ſit reſervatum. Ibid.

Varia de Reſervatione peccatorum contra Caſtitatem in Religionibus. 284.

Aliæ quæſtiones de Voto Caſtitatis alibi tractatæ. 285. Remiſſivè.

Caſus mariti voventis perpetuam Caſtitatem, ſi uxor præmoriatur: ita tamen ut poſſet uxorem ducere, quæ contineret, ut ipſe, & familiam tantùm adminiſtraret. 286.

An talis ſit obligatus ad Servandam Caſtitatem? 287.

Helena quindecim circiter Annorum edidit votum perpetuæ caſtitatis cum conſenſu Confeſſariorum, & propria deliberatione ſufficienti ad obligandum. Obſervavit hoc votum ad Annum uſque vigeſimum quartum ætatis, magnas interea paſſa difficultates, adeò ut demum de diſpenſatione cogitaverit, & eandem conſentientibus Confeſſariis petierit, & obtinuerit. Voto ergo libera, magníſque tricis extricata, Confeſſario quodam denuo ſuadente, & inducente ſecundò votum edidit. Nunc poſt votum lapſa patitur tentationes difficiles, & moraliter inſuperabiles, Qua- 268

Quæritur ergo, an ſecundum votum edere potuerit ſtantibus circumſtantiis, ob quas prius votum fuit diſpenſatum, an verò ſecundum votum videatur imprudens, & puella hæc valuiſſe ſe obligare ad moraliter impoſſibile, ergo ad nihil? Libenter hac in re mentem Re. Væ. intelligam &c.

269 Ita ad me Annis abhinc non omnino duodecim ſacerdos quidam ex confiniis Auſtriæ, de lachrimabili planè ſtatu Helenæ, & aliarum, aliorúmque nonnullorum, voto caſtitatis in ſæculo, in Clauſtro, in Clero alligatorum, perpetientiúmque tam atrocem, perpetuámque tribulationem carnis, ut quamvis alieni ab omni alio peccato mortali, relabantur tamen perſæpe, póſtque ferventia integræ emendationis propoſita, ſuccumbántque fœdiſſimo illi hoſti, cùm de cætero ſint animæ perquam ingenuæ. Quis pronuntiabit horum Votum, vel fuiſſe ab initio irritum, vel deſiiſſe eſſe validum?

270 Sed audi Lector, quid P. Adamus Burghaber in Centuria I. *Caſ. 66.* Selectorum Caſuum reſpondeat ad hunc

Caſum, prô dolor, non fictum.

Horatius adoleſcens vehementer libidinoſis vexatur tentationibus; & frequenter iis ſuccumbit; & quamvis inde advertat, ſtatum conjugalem multò utiliorem ſibi futurum quàm cœlibem, facit tamen votum caſtitatis, idque graviter violat, ut illud velit jam non eſſe factum. Quæritur utrùm hoc votum reverà ſit validum?

271 Videtur illud votum validum eſſe; cùm omnibus requiſitis conſtet, ut plerique ſentire videntur, quos refert, & ſequitur Sanchez *Lib. 4. Moral. Cap. 1. n. 9.*

Resp. Etſi allata ſententia communior, & probabilior ſit, nihilominus probabile eſſe, illud votum eſſe invalidum. Ita Trullenck, Ledeſma, Martinus de S. Joſepho, Leander, apud Dianam *Part. 10. Tract. 8. Reſ. 41.* Homobonus *Volum. 1. Part. 2. Reſ. 2. n. 28.* Bonacina *Tom. 2. Diſp. 4. quæſt. 2. punct. 1. num. 26.* & nonnulli alii. Ratio eſt, quia hoc votum omnibus conſideratis non eſt de meliori bono; quippe melius, & ſalubrius eſt voventi Matrimonium, quàm abſtinentia à Matrimonio.

Ita P. Burghaber, cui Stephanus à S. Paulo *Theol. Moral. Tract. 4. Diſp. 13. dub. 4. n. 56.* jungit Paure *Part. 1.* verb. *Votum* non diſſentiens.

272 Audi quoque, & pondera reſolutionem, & reſolutionis cauſas, quam, & quas exhibet P. Anton. Quintanadvennas Singularium *Tract. 9. ſingul. 12.* & proponit

Hiſce formalibus.

Utrùm conjugatus impeditus ad petitionem debiti ob votum, aut inceſtum, aut cognationem ſpiritualem, poſſit petere, quoties vehementibus carnis ſtimulis agitatur, ne periculo *exponatur in gravia luxuriæ peccata labendi.* Communis ſatis ſententia negativam 273
partem tuetur; ſic Covarruvias, Cucus, Matienco, Sanchez *Lib. 9. De Matrim. Diſp. 7. num. 7.* alii. Sed affirmativam ſequor, ſi ita vehementibus carnis ſtimulis conjugatus agitetur, ut proximo periculo ſe exponat incidendi in peccatum fornicationis, vel aliud turpius, niſi debitum petat. Probatur in illo, qui poſt Matrimonium, vel ante illud Caſtitatem vovit, quia ſicut votum ex communi Doctorum cum S. Thom. debet eſſe de re meliori, ita etiam obſervatio voti; ſed votum, & ejus obſervatio in prædictis circumſtantiis non erunt de re meliori, ergo non obligant. Major eſt certa, & ſatis probatur ex iis, quæ à 274
P. Thoma Sanchez *Lib. 4. in Decal. Cap. 1. à num. 1.* & P. Azorio *Lib. 11. cap. 14. à quæſt. 10.* docentur. Minor eſt certa, quia cùm ex obſervatione voti periculo quis proximo exponatur incidendi in aliqua peccata luxuriæ intrinſecè malæ, & tunc non-obſervatio voti, (ſcilicet petere debitum à propria uxore,) non ſit intrinſecè malum; manifeſtum eſt, nec votum, nec obſervationem voti eſſe de re meliori; tunc enim votum eſt de re meliori; inquit Thomas Sanch. ſuprà *num. 11.* quandò majoris virtutis officium eſt, quod in votum cadit, quàm ejus contrarium; majoris autem virtutis non eſt, quòd in illo Caſu vir non petat, imò melius multùm eſt, quòd vir Matrimonio conjunctus caſtitatem ſecum, & cum aliis feminis ſervet, quàm quòd eam veluti non ſervet cum propria uxore, cùm hac enim non tenetur ex jure divino, & naturali ſe continere, ſed ex mero Eccleſiæ, & humano jure.

Hæc, & alia hanc in rem ille ſcriptor, ſubdens 275
reflexè *n. 8.* licèt ſit tutius, ut conjux utatur reſolutione hîc data, cùm commodè nequit haberi diſpenſatio ad petendum debitum, vel quando eſt periculum in mora ipſius petitionis, attamen, ne ſcrupulis anſam præbeamus, valdè probabile eſt, nullo modo diſpenſationem eſſe neceſſariam tunc, etiamſi facilè obtineri poſſit, cùm hæc ſententia nitatur in eo, quòd tunc nec lex, nec votum obligent, ſeu ille Caſus non cadat ſub Lege, nec ſub voto ob rationes aſſignatas. Eo modo, quo Doctores apud Bonacin. *De Leg. Diſp. 1. quæſt. 15. punct. ult. n. 8.* docent, legis obligationem ceſſare in iis caſibus, qui per Epicheiam non cenſentur comprehendi in Lege, etiamſi verba legis comprehendere videantur.

Hæc, & plura P. Quintanadvennas, ex 276
quibus videtur non poſſe dubitari, quin ipſe-

met, ſi fuiſſet ipſi in terminis, quibus mihi, propoſitus Caſus de noſtra Helena, abſolutè reſpondiſſet, eſſe probabilius (Pater Burghaber minùs probabile, probabile tamen) votum noſtræ Helenæ, aut fuiſſe ab initio nullum, aut, ſi valuit ab initio, deſiiſſe, obligare imminentibus talibus periculis, nam & P. Burghaber negat valere emiſſionem, conſequenter & obſervationem (ut expreſſè ſcribit Quintanadvennas, ſatis clarè Burghaber, dum ait, taliter tentato melius eſſe Matrimonium, quàm cælibatum) voti nuncupati à tam miſero homine.

277 Confirmatur inde, quòd lex non debeat eſſe vinculum iniquitatis. Quintanadvennas *loc. cit. num. 3.* ex Angelo, & Barboſa, votum autem eſt lex privata, explicanda eo modo, quo explicaretur lex publica, ſi eſſet lata de illa materia, de qua votum, ſicuti non ſemel tradunt Sanchez, Palaus, alii; tum quia ubi eſt majus periculum, ibi pleniùs eſt conſulendum *Cap. 3 De elect. in 6.* tum quia conjux impeditus voto, vel inceſtu cum conſanguinea ſuæ uxoris, licitè petit ab hac debitum, quando videt uxori imminere periculum incontinentiæ, ſi ipſe non petat ab ea debitum. Quintanadvennas *num. 5.* poſt Sanch. *Lib. 9. De Matrim. Diſp. 7. num. 5.*

278 Ego priuſquam legiſſem hoſce Autores, ſecutus communiorem longè perſuaſionem Theologorum reſpondi ad Caſum relatum *num. 268.* videri mihi, ſupplicandum eſſe Pontifici pro aut diſpenſatione, aut declaratione nullitatis editi ab Helena voti; tum quia, qui petivit prima vice diſpenſationem pro Helena, ſuppoſuit eam fuiſſe neceſſariam, ſicut & ſuppoſuit Sacra Pœnitentiaria diſpenſans, & quidem non ſine illis oneribus, quæ injungi ſatis gravia ſolent diſpenſatis in voto caſtitatis; tum quia majores difficultates ſervandi caſtitatem non videntur efficere, ut votum caſtitatis perpetuæ, quod tanti fit ab Eccleſia, deſinat obligare

279 per ſe ipſum: tum denique vel maximè, quia ego perægre diſcedo à communi ſtylo Chriſtianitatis, qui habet, ut in primis petatur, concedatúrque etiam ægerrimè continentibus diſpenſatio mixta arduæ commutationi: tum deinde quia nullus, ut reor, Theologus hactenus docuit, irritam eſſe profeſſionem Religioſam, quam edit infeſtatus tentationibus, de quibus loquuntur Quintanadvennas, & Burghaber. Nam in tali homine locum habet illa Gloſſæ in Cap. *In malis. 22. quæſt. 4.* doctrina: *Aliud in malis promiſſis, aliud in malè promiſſis: primum non eſt ſervandum, ſervandum ſecundum.* Eſſet autem irrita, ſi votum caſtitatis nuncupatum à tali homine foret nullum; etenim profeſſio Religioſa includit eſſentialiter votum caſtitatis: tum quia nulli venit in mentem cogitare, profeſſos, aut ſacerdotes liberari obligatione voti caſtitatis, quando ſentiunt (& multi prô dolor ſentiunt) illam reſiſtendi moralem impoſſibilitatem, quæ & proponitur in noſtro Caſu *Lamentabili*, & ſupponitur à duobus illis Theologis, eorúmque anteſignanis, & aſſeclis. Nihilominus tamen perdifficile mihi nunc 280
videtur negare omnem practicam probabilitatem ſententiæ Patris Quintanadvennæ, munitæ tot rationibus non ſpernendis; idcirco ſi offerretur Helenæ, de qua ſuprà *num. 268.* Matrimonium, quod repudiare nequiret ſine prudenti timore non reperiendi brevi aliud aptum, non negarem abſolutionem deſtinanti illud arripere abſque diſpenſatione, ſed cum animo hanc petendi (ſaltem ad cautelam) proximo quoque tempore; cùm etiam Cotonius *Lib. 1. Controverſ. 12. cap. 1.* expreſſè ſcribat, eſſe in tali caſu adeundum Epiſcopum (de cujus poteſtate infrà *num. 349.*) & quidem *ſolùm ad ſecuritatem conſcientiæ.* Similiter non negarem abſolutionem illi marito, de quo ſuprà *num. 272.* ſed monerem de petenda ad cautelam diſpenſatione, quam & impertirer, in caſibus, quos permittunt noſtra privilegia.

Confirmor in hoc ultimo judicio, vel pro- 281
poſito inde, quòd Stephanus à S. Paulo *Tract. 4. Diſp. 12. num. 59.* ſubſcribat reſponſo dato ſibi ipſi à Franc. Bonæ Spei circa hanc quæſtionem: *An conjugatus poſſit vovere, ſe non petiturum debitum, & poſtea concumbere in eodem lecto?* Quòd quidem reſponſum conſtat his verbis: Reſpondeo, tale votum valere duntaxat » pro ea parte, qua vovens poteſt licitè vitare » occaſiones proximas illud infringentes, quia » qui vovit unum, vovit virtualiter & alterum. » Si verò diſſentiente marito, & reluctante licitè » non poſſit, prout licitè non poteſt, ei non » concumbere, votum pro hac parte eſt nullum, » uti eſſet votum de non concumbendo marito » abſolutè volenti, & proinde non extenditur » ad non petendum debitum pro eo tempore, quo » in neceſſario concubitu à debito petendo ſine » alio peccato abſtinere non poſſet. Puto, quidquid » ſentiat Caramuel, iſtam reſolutionem eſſe » veram, & bonam. Hactenus Franciſcus, & Stephanus, qui Stephanus ſubdit, hac reſolutione tolli perplexitatem de hoc caſu duplicato, utrùm ſcilicet, qui ante Matrimonium vovit caſtitatem perpetuam, vel poſt Matrimonium contraxit affinitatem cum conjuge, licitè decumbat cum ea in eodem lecto? quid huic utrique negandum, quid permittendum ſit ante diſpenſationem datam vel à Papa, vel à Confeſſariis Ordinum Mendicantium?

Hiſce circa illum Caſum, & quæſtio- 282
nem dictis, addo pro complemento ſequentia.

I. Nomine Caſtitatis abſolutè prolato intelligitur abſtinentiâ ab omni actione venerea tam licitâ, quàm illicitâ, tam externâ, quàm internâ; & tunc ſingulariter intelligitur, quando vovetur expreſſè caſtitas perpetua, & reſervata, eo modo, quo explicabo

Caſ,

Caſ XI. Eam ob rem non cenſeris emiſiſſe votum perpetuæ caſtitatis, quando voviſti præciſè, te non ducturum uxorem, non admiſſurum ullum peccatum luxuriæ &c. ſicuti declaro in Quinario *Tract. 3. cap. 40.*

Et hanc perpetuam caſtitatem videntur promittere illæ integræ animæ, quæ abſolutè conſecrant ſuam Deo virginitatem, proindéque quoties poſt eam turpi actu deperditam admittunt quidpiam cogitatione, vel opere adverſans mortaliter ſexto præcepto, hoc ipſo cenſendæ ſunt, toties eſſe reæ voti; niſi fiat veroſimile, eas tantùm intendiſſe vitare illum primum actum, quo fit jactura illius incomparabilis, ſicut & irrecuperabilis theſauri. Retuli tamen in Quinario *loc. cit. num. 318.* Portellum ſentientem contrarium.

283 II. Quia caſtitas, quam vovet aut Religioſus, aut Subdiaconus, non differt ſpecie ab ea, quam puella, vel adoleſcens ſæcularis, idcirco ſcripſi in Experientiis *Tract. 6.* & *7.* neceſſe non eſſe, ut ſacerdos admittens ejuſmodi ſacrilegium, aperiat circumſtantiam ſui ſtatus Sacerdotalis, aut Religioſi, niſi fortè illud peccatum ſit reſervatum, fiátque Confeſſio non habenti jus in reſervata. Porrò in hac Diœceſi Conſtantienſi, quo pacto reſervetur peccatum carnis patratum à Clericis Sæcularibus indicavi in Experientiis *Tract. 7.* ſeu in Alphab. *Confeſſar. Caſ. 8.*

284 Etſi autem Clemens VIII. permiſerit Superioribus Religioſis, ut ſi ipſis videatur, reſervent peccata contra caſtitatem, haud tamen omnes Prælati utuntur hoc jure, & qui utuntur, nequeunt reſervare niſi lapſum carnis voluntarium opere completum, ut liquet ex litera Decreti Pontificii, quo intelligi etiam pollutionem voluntariam ſui ipſius, aut alterius, ſaltem in noſtra Societate, idque ex Decreto Congregationis Generalis, in qua Societate (juxta quod permittit ipſe Clemens) reſervatur omne peccatum mortale contra caſtitatem, modò in actum externum prodeat, certum eſt, quemadmodum explico in eodem Alphabeto *num. 695.* & *696.* quamvis fortè in aliis religionibus habeat locum doctrina, quam Diana *Part. 4. Tract. 4. Reſ. 61.* refert ex Georg. Kiene, & Coriolano, nec improbat, quòd videlicet pollutio orta ex ſolis turpibus cogitationibus non ſit reſervata, ſed requiratur externa membrorum cooperatio; & P. Bonagratia Hapſenſis Franciſcanus Capuccinus in Summula *Edit. 2. Verb. Caſus reſervatus* poſt Baſſæum, & Cyprianum ſcribit *num. 77.* verſ. *Circa Caſum 6.* ad incurrendum hunc caſum requiri actualem ſeminis emiſſionem realiter, & actu completam, & procuratam opere, ſeu medio externo, ut manu, contactu manûs, aut alterius inſtrumenti ſuper veſtem, aut ſubtus &c. De ſe efficaci ad procurandam pollutionem.

III. Quomodo votum caſtitatis ſit annexum Ordini Sacro, & quid efficiat, aperui in Experientiis *Tract. 8. Caſ. XX.* Et ſuprà *Caſ. 6.* declaravi, quo pacto tale votum emiſſum ex metu non ſubſiſtat. Item quomodo idem votum caſtitatis dirimat Matrimonium, vel illud impediat dixi in Experientiis *Tract. 9.* Dixi quoque *Tract. 10. num. 322.* an, & quatenus votum caſtitatis dirimat Sponſalia; & *num. 626.* & *ſeqq.* quomodo impediat petitionem, redditionémve debiti conjugalis, tum intra primum bimeſtre, tum aliàs; at plura alia hanc in rem invenies in Indice illius libri, ſicut & varios Caſus *Factos* non *Fictos* circa hanc ipſam materiam ſuggeret Elenchus Variorum caſuum, quem præmiſi. Velim autem ſingulariter obſervari Caſum, quem malè reſolutum ab aliquo Confeſſario propono in cit. *Tract. 9. Caſ. 3. num. 81.* ſicuti & *Sect ſeq. num. 303.* De puella, quæ vovit caſtitatem, & religionem, at dubitat, utrùm illam dependenter ab hac. Junge his hunc 285

Caſum Heteroclitum.

Cato, qui aliquot Annis vixit cum uxore ſua in caſtitate, ad quam uterque voto ſe adſtrinxerat, vovit ſe perpetuò caſtitatem ſervaturum, ſi uxor præmoreretur, cum hoc tamen moderamine, ut poſſet ducere uxorem, quæ vellet continere ſicut ipſe, qualem non invenit, & vellet ducere uxorem ad familiam adminiſtrandam. Quæritur, an ſit obligatus ad ſervandam caſtitatem. 286

Conſultus Navarrus *Lib. 3. Conſil. 11. De Voto.* reſpondit, abſolutè teneri ſervare caſtitatem, tum quia non potuit invenire, quæ vellet eſſe continens, tum quia non potuit contrahere ſub conditione de non petendo, nec reddendo debito, quandoquidem ea conditio repugnat ſubſtantiæ Matrimonii. Ego verò cenſeo, non fuiſſe obligatum ad caſtitatem, ſi hanc vovit ſub conditione, ſi poſſet reperire uxorem, quæ vellet eſſe (abſtrahendo à promiſſione, de qua mox) continens, quia cadente conditione, cadit conditionatum. Si verò vovit ſub conditione: *Si reperiret, quæ priùs promitteret ſoli Deo caſtitatem*, fuiſſet juxta Perez, & alios, quos refero in Experientiis *Tract. 10. Caſ. 12. num. 466.* hac repertâ obligatus ſervare caſtitatem, ſicut & fuiſſet juxta Paludanum, & alios apud eundem Navarrum, ſi inveniſſet, quæ contraheret ſub conditione nec reddendi, nec petendi, eò quòd tale Matrimonium ſit validum juxta Paludanum, invalidum juxta S. Thomam. 287

VOTUM RELIGIONIS QUOMODO OBLIGET.

CASUS IX.

Mixtus.

SUMMARIUM.

Caſus Sponſi, rati Sponſam ſuam eſſe mortuam, voventiſque ſe ducturum Radegundem, & ſi huic ſuperſtes ſit ingreſſurum Religionem: paulò tamen pòſt reſcientis Sponſam vivere. 288.

Reſolutio hujus caſûs. 289.

Ad quid obliget votum deſerendi ſæculi, & ingrediendæ Religionis? 292.

Qui abſolutè vovet Religionem, ſatiſfacit ingrediendo quamcunque exceptis militaribus. 292. & 294.

Cui quid legatur ſub conditione ut fiat religioſus, potitur legato, ſi ſincerè ſubeat Novitiatum, eſto iterum exeat Ibid.

Tenetur autem vovens Religionem moralem diligentiam adhibere ut ſuſcipiatur. 293.

Tenetur cavere, ne ſe reddat ineptum. Ibid.

Tenetur pulſare fores modo hujus: modo illius monaſterii. Ibid.

Puellæ autem communiter non tenentur pulſare monaſteria remota, ſi non recipiantur in propinqua. Ibid.

Etiamſi Puella caſu veniat ad locum remotum, & ingreſſus ei ultro offeratur, non tenetur acceptare. Ibid.

Rejectus ab omnibus, præterquam à valde rigidis Ordinibus, non tenetur intrare tam rigidum, niſi expreſſè hoc intenderit. 294.

Qui ingreditur Ordinem Melitenſem, aut Teutonicum, non ſatiſfacit ſuo voto, ſi mendicantes vel Monachi illum recipere velint. Ibid.

Si homo literatus non admittatur à Mendicantibus vel monachis, niſi in Fratrem Laicum, communiter non tenetur ſubire talem ſtatum. Ibid.

Non ſatiſfacit qui ſine rationabili cauſa redit ad ſæculum. 295

Tenetur facere vota Religioſa, ſi admittatur ad illa. Ibid.

Qui promiſit Deo Vota Religionis edere, non poteſt egredi, etiamſi Ordo ipſi non adeò conveniat. Ibid.

Qui vovit certam Religionem, tenetur tamdiu petere, quamdiu habet moralem ſpem admiſſionis intra ſuam Provinciam. 296.

Qui ab uno alteróve Monaſterio repellitur ut ineptus, abſolvitur obligatione Voti à Laymann. Ibid.

Si autem mutato conſilio vellent eum recipere, teneretur ingredi, niſi quid obſtet. Ibid.

Qui vovit ordinem laxiorem, poteſt propria authoritate præferre rigidiorem. 297.

Ære alieno preſſus debet juxta Leſſium differre ingreſſum, ſi brevi tempore poſſit ſolvere debita. 298.

Non autem, ſi longo tempore, & cum periculo damnationis. Ibid.

Juxta S. Thomam debitor abſolutè ſatiſfacit, ſi creditoribus cedat ſua bona. Ibid.

Ad quid tenentur habens pauperes parentes in ſæculo? 299.

Impiè agunt parentes, qui liberos inopes relinquunt ob votum Religionis. Ibid.

Excuſari poteſt Frater differens ingreſſum, ut ſuccurrat Sorori. Ibid.

Caſus ingreſſi Religionem poſt ſtuprum commiſſum in loco ubi extabat Statutum ut tales punirentur vel in ære, vel in cute. 300.

Quid ſit fieri in fraudem Magiſtratus ſæcularis? 302.

Qui Votum tamdiu diſtulit, donec ſit ineptus, tantùm tenetur agere pœnitentiam. 303.

Reſolvuntur ex dictis 7. caſus. 304. & ſeqq.

Ingenuinus ratus, Sponſam ſuam diem ex- 288
tremum obiiſſe, vovet ſe ducturum Rade-
gundem, & ſi huic ſit ipſe ſuperſtes, ſe in-
greſſurum Ordinem Minorum. At paulò pòſt
comperit, vivere ſponſam. Quærit igitur: an
ſi hæc ſponſalia diſſolvantur, teneatur du-
cere Radegundem? 2. An hac fortè ingreſ-
ſa viam univerſæ carnis teneatur ipſe in-
duere cucullum.

Reſpondi illi Ingenuino, qui me & literis, 289
& coràm convenit, proponens hunc Caſum
mixtum ex materiis duabus diverſis, ſi falſa o-
pinio de morte ſponſæ fuit vera cauſa voti illi-
us duplicis, neutro voto obligari; ſi autem ille
error fuit ſolùm occaſio voti, obligari fortè
ad religionem, per ſe loquendo, poſt ſata Ra-
degundis, fortè non obligari. Obligari, ſi ni-
hil aliud obſtet, quàm votum de ducenda Ra-
degunde, utpote invalidum. Non obligari, ſi
obſtet quidpiam ex mox exprimendis. *numero*
291.

Rationem primi, & ſecundi reſponſi de- 290
ſumpſi ex dictis de Errore ſuprà *Caſ. 4.* nomi-
natim circa Caſus deſcriptos *num. 124.* & *127.*
At tertii inde, quòd Votum de ducenda aliqua
certa perſona non ſubſiſtat per ſe loquendo, ſi-
cuti probavi, & declaravi in Experientiis *Tr.*
10. num. 42. & 43. Poſtremum reſponſum de-
claro in hunc modum: Etenim fortè fuit expreſ-
ſa intentio Ingenuini priùs vivere aliquamdiu 291
in Matrimonio, quàm intrare aliquam Religi-
onem; quæ intentio ſive fuerit merè carnalis,
ſive honeſta, & laudabilis, impedivit, ſeu ſuſ-
pendit obligationem intrandi Religionem;
etenim rei ſuæ, ſuiſque propoſitis, & vo-
tis poteſt quiſque modum ponere, con-
ditionémque juxta dicta *Caſu 3. numero*
83.

De-

Deinde fieri poteſt, ut vel Radegundis vivat cum Ingenuino in con[illegible]gio, donec hic jam ſit decrepitus, ineptúſve [illegible]dini, vel ſuſcipiant tot proles, ut pietas paterna non permittat illam mutationem ſtatûs: quam utramque cauſam diſtinctiùs explicabo in decurſu.

Quæritur enim: *An quid, quantúmque obliget votum deſerendi ſæculi, & ingrediendi Religionem.* Ad quam quæſtionem ex ſe quidem copioſam reſpondeo tamen ſuccinctè ſequentibus §§.

292 I. Qui abſolutè, ſeu indeterminatè vovet Religionem, ſeu, ut communiter loquuntur, ſe futurum Religioſum, aut ingreſſurum Religionem (hæ enim duæ phraſes idem ſignificant, & proinde ſi tibi ſit legatum aliquid ſub conditione ut, ſeu, ſi fias Religioſus, reverà potiêre legato, ſi ſincero animo ſubeas Novitiatum, eſto iterum egrediaris. Laymann. *Lib. 4. Tract. 4. cap. 6. n. 12.*) ſatiſfacit ingrediendo quamcunque ex non Militaribus.

293 II. Qui elegit, ſeu determinatam, ſeu indeterminatam Religionem, tenetur moralem diligentiam adhibere, ut ſuſcipiatur, & proinde cavere debet, ne ſe reddat ineptum ad Religioſum ſtatum, quin debet ſolicitare, ut recipiatur, & modò pulſare portas unius Monaſterii, modò alterius. Sanchez *Lib. 4. Moral. cap. 16. num. 30.* fuſiſſimè ediſſerens hanc materiam, circa quam vide infrà *num. 309.* Caſum Angeli Polonici, puellæ tamen communiter non tenentur pulſare Monaſteria remota, ſi non recipiuntur in propinqua, hæc enim cenſetur ſe ad id obligare. Laymann. *loc. cit.* atque Leſſius *Lib. 2. De juſtit cap. 40. dub. 5.* Similiter quando juvenis non admittitur ad Ordinem, aut Monaſterium, in quo ſit uſus ſui idiomatis. Et quamvis illa puella, de qua paulò antè, veniat caſu ad locum remotum, in quem non cogitanti offeratur admiſſio, haud tamen obligatur communiter acceptare, quandoquidem non habuit ab initio obligationem acceptandi.

294 III. Quando is, qui generatim vovit Religionem, rejicitur ab omnibus, præterquam à valde rigidis, ut ſunt Carthuſiani, & Capucini, non eſt compellendus intrare unam ex his rigidis, ſi affirmet, vel ex circumſtantiis valetudinis tenuis &c. meritò præſumatur, non fuiſſe intentionem ſe obligandi ad hunc rigorem, ſicut nec tenetur ingredi Ordinem Melitenſem, aut Teutonicum, quandoquidem non ſatiſfaceret ſuo voto, ſi horum Ordinem alterutrum intraret in caſu, quo eum recipere vellent Monachi, vel Mendicantes. Laymann. *loc. cit.* meritò ſubdens, ſi ſit homo literis excultus, & non admittatur à Mendicantibus, vel Monachis, niſi in Fratrem Laicum, communiter non teneri ſubire talem ſtatum, utpote communiter alienum ab intentione aptorum ad ſacerdotium.

295 IV. Qui vel generatim, vel ſpeciatim vovit Religionem, non ſatiſfacit voto, ſi tantùm ingrediatur Novitiatum, & ſine rationabili cauſa redeat ad ſæculum, ſed ratione facti voti tenetur, ſi admittatur, edere vota Religioſa, ſi Religio videatur ipſi conducere, & non experiatur novam difficultatem. Leſſius, & Laym. *loc. cit.* cùm aliis contra Navarrum, atque alios, nam etiam qui ſine voto petiit Novitiatum, peccat venialiter, ſi abſque cauſa rationabili deſerat illum, ergo mortaliter, qui voti Religione tenebatur probare Ordinem. Quòd ſi vovit non modò ſubire Novitiatum, ſed emittere vota Religionis ſubſtantialia, ita aſtringitur voto, ut privatus ſit libertate exeundi, tametſi ei Religio non uſque adeò conſentanea videatur ſibi. Sanchez *cit. cap. 16. num. 81.* Leſſius, Laym. alii poſt S. Thomam contra Dianam *Part. 2. Tract. 17. Reſol. 10.* & alios.

V. Qui vovit certam Religionem, tenetur 296
tamdiu petere, quamdiu habet moralem ſpem admiſſionis intra Provinciam ſuam, non autem tenetur ad aliam proficiſci, Sanchez, & Leſſius *ll. cc.* niſi videatur fuiſſe alia ejus intentio. Imò ſi ab uno, alteróve Monaſterio ſuæ Provinciæ repellatur idcirco, quòd cenſeatur ineptus (non autem ſi aptus quidem, ſed non neceſſarius) ad Ordinem, ſolvet illum Laymannus obligatione voti *loc. cit. num. 3.* Si tamen Provincialis, vel Abbas mutato conſilio vellent eum recipere, deberet ingredi, teſte eodem Laymanno, niſi fortè interea celebrâſſet ſponſalia cum aliqua, quæ nequiret diſſolvere ſine magna incommoditate.

VI. Qui vovit ingredi aliquem ex Ordini- 297
bus laxioribus, poteſt propria autoritate præferre rigidiorem, ſicuti & potes hodie ingredi Ordinem laxiorem, ſi voviſti rigidiorem ingredi poſt 4. vel 6. Annos, eſt enim de meliore bono. Sanch. *loc. cit.* explicans etiam, quot Monaſteria oporteat pulſare, donec quis fiat compos voti.

VII. Ære alieno preſſus, ſi poteſt intra bre- 298
ve tempus tantum lucrari, quantum neceſſe eſt diſſolvendis debitis, debet differre ingreſſum, ſecùs, ſi non poſſit niſi intra longum tempus, & cum periculo damnationis. Leſſius *cit. cap. 40. num. 32.* meritò vocans probabilem opinionem S. Thomæ *2. 2. quæſt. 189. art. 6. ad 3.* abſolutè docentis, debitorem ſatiſfacere ſuæ obligationi, ſi creditoribus cedat ſua bona. Vide Dianam *Part. 3. Tract. 2. Reſol. 41.*

Quòd ſi injuſtè, ſeu cum fraude creditorum 299
ingreſſus ſis Religionem, non tamen teneris laborare, ut poſſis diſſolvere debita, juxta Palaum *Tract. 16. Diſp. 1. punct. 7. §. 4. num. 8.* poſt Sanch. contra Suarez *Lib. 6. De voto, cap. 10. num. 7.* eò quòd per profeſſionem extinguatur, ejus judicio, omne debitum civile. Saltem verum eſt id, quod tradit idem Suarez, quòd talis non teneatur ideo egredi, ut conquirat neceſſaria expungendo æri alieno, longè minùs tenetur Monaſterium ſolvere pro illo. Alia eſt

ratio filii, habentis pauperes parentes, hiſ enim alendis obſtrictus eſt jure naturæ, quod naturæ jus cùm vigeat vel maximè in parentibus reſpectu liberorum, impiè agunt ii, ſi hos deſerant ob votum intrandi Religionem, poſito quòd liberi nequeant evadere vel extremam, ut per ſe notum eſt, vel etiam gravem neceſſitatem, talem, inquam, ut non poſſint niſi difficillimè ſe ſuſtentare ſine patris ope, & opera, etenim gravis neceſſitas facilè definit in extremam. Vnde retuli *Caſ. 3. n. 87.* ex Diana contra Palaum, excuſari poſſe fratrem, qui, ut ſuccurrat ſorori preſſæ gravi neceſſitate, differt ingreſſum aliquamdiu ultra debitum tempus. Univerſim verò tenendum eſt, quando nequit ſine peccato emitti profeſſio Religioſa, hoc ipſo illicitum, invalidúmque eſſe votum de Novitiatu Ordinis, profeſſionéque, etenim votum nequit eſſe vinculum peccati. Angelus, Barboſa, Quintanadvennas, relati ſuprà *num. 277.* Occaſione reſoluti dubii de obærato ingrediente hanc, aut illam Religionem propono hunc

Caſum non uſque quaque honeſtum.

300 *Lucilius imprægnata neſcio qua puella, ſubit Ordinem Religioſum. Ante profeſſionem pateſcit facinus. Et quia in loco, in quo patratum ſcelus, viget Statutum uſu firmatum, ut ſtupratores virginum mulctentur graviter in ære, ſi habeant, vel in cute, ſi non habeant, quæritur, utrùm magiſtratus poſſit exigere à Lucilio pœnam pecuniariam, & in defectu hujus corporalem?*

Quidam è meis olim diſcipulis petiit ſcripto multis abhinc Annis à me reſolutionem hujus caſus, fictine, an facti non exprimit, at quia veritas reſolutionis non pendet à facto, ſed à Jure, idcirco reſpondi ferè in hunc modum.

301 Suppono, illum Lucilium non fuiſſe tunc inſignitum charactere Clericali, cùm admiſit illam impuritatem, ſi enim jam tunc erat Clericus, gaudebat privilegio conceſſo à Theodoſ. M. & Valent. his, (quæ Laymannus *Lib. 4. Tr. 9. cap. 4. num. 11.* refert ex Cod. Theodoſian. De Epiſc. & Cleric.) verbis: *Fas non eſt, ut divini muneris miniſtri Temporalium poteſtatum ſubjiciantur arbitrio.* Concordant Jura Canonica *cap. 1. c. Si diligenter* c. *Significaſti de for. compet.* Sin fuit commiſſa illa fœditas, à tunc laico, diſtinguendum eſt, aut enim ingreſſus eſt Ordinem in fraudem Magiſtratûs ſæcularis, aut non in fraudem? Si in fraudem, tunc ſanè communis Theologorum, æquè ac Juriſtarum ſenſus fert, poſſe plecti illâ mulctâ pecuniariâ, ut contra Genuenſem fatentur, & tenent Bonacina de legibus *Diſp. 10. punct. 1. §. 1. num. 16.* Laymannus *cit. cap. 4. num. 12.* Diana *Part. 1. Tract. 2. Reſol. 26.* ſi non in fraudem, tum nequit ulla pœna in eum animadvertere magiſtratus ſæcularis. Julius Clarus *in pract. crim. §. fin. quæſt. 36. num. 43.* Molina *De juſtit. Tract. 3. Diſp. 49. num. 22.* Laymannus, & Diana *ll. cc.* cum communi.

At, *quid eſt fieri in fraudem Magiſtratûs ſæcularis?* 302

Reſp. Secundùm Molinam, Dianam, & alios communiter eſt ſuſcipere clericatum, ſeu monachatum, præciſè cum intentione ſubtrahendi ſe à ſæculari poteſtate, at ſecundùm Bonacinam eſt ſuſcipere ſine animo perſeverandi in illo ſtatu, qui animus unde ſit colligendus docet idem Bonacina, exprimente Menochio *De Præſumpt. Lib. 6. quæſt. 76. num. 35.* cum aliis communiter, eſſe in dubio præſumendum talem animum. Sed utique tollet illud dubium, adeóque præſumptionem, magnus, & conſtans fervor pietatis in illo Novitio, quem tamen ceu fucum dimitteret noſtra Societas, propter noſtra peculiaria ſtatuta in *Examine.*

VIII. Qui vovit quidem Religionem, diſtulit autem ad tot Annos, ut ſit protſus ineptus ſubeundis oneribus, non obligatur ad quidquam, niſi ad agendam pœnitentiam. Sicut enim lex publica non obligat ad actionem inutilem. *Cap. Erit autem. Diſtinct. 4.* ita nec privata, ut eſt votum. Quòd ſi tamen voviſſet, ſe accepturum ſecum omnem ſuam ſubſtantiam, eáque eſſet ita magna, ut intuitu ipſius eſſet eum ſuſcepturus (& quidni quandoque id fiat laudabiliter?) Abbas, non video, cur ſe excuſet à voti executione. Ex his omnibus eruenda ſunt reſponſa ad ſequentes Caſus. 303

Caſus I.

Eſt, quem propoſui *n. 286.* Præter enim ea, quæ attuli *num. 287. & 288.* confirmatur ex dictis *num. 290.* reſponſio, quam dedi in fine *num. 289.* 304

Caſus II.

Eſt Cæciliæ, *quæ poſt votum Religionis intravit unam, ſed juſta de cauſa inde rediit ad ſæculum. Poſtea adhuc petiit ad duo Cœnobia ſuſcipi, ſed fruſtrà.* Ego enim in Experientiis *Tract. 9. Caſ. 3.* ubi hunc Caſum propono cum variis circumſtantiis, reſolvi, nequaquam teneri ulteriùs ſolicitare. Cauſam reſponſi exhibui ſuprà *n. 293.*

III. Caſus.

Eſt *cujuſdam alterius puellæ, quæ ſciens, ſe voviſſe tam ingreſſum in Religionem, quàm Virginitatem perpetuam, at non reperto Monaſterio, ad quod (ob inſufficientem dotem) admittatur, vehementer dubitat, utrùm caſti-*

Digitized by Google

caſtitatem voverit independenter, an dependenter à Religione, & conſequenter an nubere poſſit, cùm ſit ipſi perdifficile vivere in ſæculo cælibem.

Reſponſum enim fuit à me, ſtante tali dubio poſſe perinde ſe gerere, ac ſi liquidò nôſſet, caſtitatem fuiſſe promiſſam dependenter à Religione, ita ut non fuiſſet eam promiſſura, ſi non ſimul ſperâſſet receptionem, perſeverationémque in Ordine. Sic reſolvi in Experientiis *Tract. 9. Caſ. 3. num. 102.* cum Laymanno, etſi diſſentiente Navarro *in conſil. Lib. 3. conſil 13. De Vot.* ob hoc fundamentum, quòd ſcilicet in dubio de voto ſit neceſſariò ſequenda pars tutior, ſed negabimus *Caſ. 12.* hoc fundamentum. Illud ultro concedit Navarrus, ſi ideo vovit unà cum caſtitate Religionem, ut faciliùs caſtitatem ſervaret, cadere obligationem caſtitatis, ſi non recipiatur in Ordine.

Caſus IV.

305 Illius, *qui in extrema, ut putabat, agritudine, quò fieret particeps meritorum Ordinis Religioſi, vovit perpetuam caſtitatem, paupertatem, & obedientiam in manibus cujuſdam Prioris, & in præſentia Parochi. At poſtmodum redditus ſanitati, dubitavit, an teneretur ingredi Religionem.*

Interrogatus Navarrus rectè reſpondit *Conſil. 11. De Vot.* negativè, eò quòd ex una parte ille Prior non habuerit poteſtatem illum incorporandi Ordini, ex altera obligatio ingrediendi Religionem non involvatur in illis tribus votis.

Caſus V.

306 Illius, *qui vovit ſe ingreſſurum Religionem, ſi committeret certum quoddam peccatum. Commiſit illud, petiit, & impetravit à Papa abſolutionem ab illa pœna, ſed poſt hanc abſolutionem relapſus in idem crimen dubitavit, an idcirco obligaretur ſubire Novitiatum. Quid reſpondendum?*

Reſpondit appoſitè Navarrus *Conſil. 15.* Videndum, an Papa diſpenſârit integre in voto, an verò in ea ſola pœna, quam incurrerat priùs. Si diſpenſavit in primo, non emerget obligatio, emerget ſi ſolùm in ſecundo. Arbitror ego, videndum, quibus verbis fuerit formata ſupplicatio, nam Papa ſolet ſe accommodare precibus ſupplicantis. In dubio videretur diſpenſatio interpretanda in ſecundo ſenſu, eſt enim communis doctrina, quòd diſpenſatio ſit ſtrictè interpretanda, & præſertim in hac materia, cùm ſoleat perægre diſpenſari in Votis Religionis & caſtitatis.

Caſus VI.
Eſt hujuſmodi.

Homobonus *conſtitutus in præſenti periculo naufragii, votum fecit ingrediendi Ordinem PP. Franciſcanorum Reformatorum, ita tamen, ut ipſe exiſtimat, conſtitutus animo, ut ſi veniſſet in mentem cogitatio de Sacerdotio in genere, fuiſſe ſe ad hoc ſolùm obligaturus. Ad quid tenetur vir ille optimus?* 307

Reſpondi ego cuidam Veterano Theologo 308
Annis abhinc circiter decem, teneri ingredi illam Religionem, ſi ipſi nihil aliud patrocinetur, quàm illa animi comparatio, ea enim non obfuit, quò minùs cum perfecto conſenſu elegerit eum Ordinem. Si tamen periculum erat ita præſens, ut non reliquerit ipſi ſpatium cogitandi alia de re, quàm de illo Ordine, cenſeo, votum non valuiſſe, quandoquidem ad validè vovendum exigitur tanta ſaltem deliberatio, quanta ad peccandum mortaliter ſuprà *num. 164.* ad tale autem peccatum requiritur tantum ſpatii, quantum ad diſcernendum inter bonum, & malum, videtur igitur pro valore voti electi inſtar medii ad evadendum præſens diſcrimen, exigi tantum temporis, quantum neceſſarium eſt ad eligendum unum ſaltem è duobus, ſaltem in eo, qui eligit medium valde difficile, cujus difficultates non habet ſatis perſpectas. Si tamen fuit ei perſpectus rigor illius Ordinis, non auſim eum deobligare etiam conſiderata illa animi comparatione. Quid ſi enim fuit etiam ita comparatus, ut potiùs voviſſet quotidie per totam vitam recitare coronam Deiparæ? An diceremus ſatiſfacturum voto ſuo, ſi ſeriò proponat ea precatione devenerari quotidie Deiparam? Animi diſpoſitio excuſans à voto ſaltem tam gravi, debet eſſe actualis, & communiter manifeſtata aliquo ſigno externo, inquit Suarez relatus ſuprà *num. 106.* de qua manifeſtatione nihil indicat præſens ſpecies facti. Ergo ſuadendum tali, ut vel petat Româ diſpenſationem, quæ facilè concedetur allegatâ ſpecie facti præſente, vel ſequatur in praxi doctrinam referendam infrà *Caſ. 11. num. 349.* quòd videlicet Confeſſarius quiſque poſſit tempore Jubilei commutare vota conditionata, ſicut & Epiſcopi etiam extra Jubileum.

Caſus VII.
Angeli Polonici.

Staniſlaus Koſtka *ad Caniſium, & Borgiam iter ingreditur (Viennâ Auſtriæ) eo conſilio, & quidem Religione voti firmato, nunquam ut domum rediret, nullúmque faceret peregrinandi, victúmque interim emendicandi* 309

candi

candi finem, quoad in tam ſibi optatum Ordinem (Societatis JESU) per viam alicubi rimulam inveniret.

310 Eſt hoc teſtimonium P. Franciſci Sacchini de recens per univerſum Orbem publico cultui propoſito B. Staniſlao Koſtka Polono, Regni Polonici ſceptrum laudabiliſſimè tenenti Sereniſſimo Michaëli Sanguine juncto, & dum in vivis ageret, habito pro quodam Angelo terreſtri, ſicuti ſingulariter elucet ex Vita ejus conſcripta à P. Daniele Bartoli *Lib 1. cap. 2. & 3.* Circa quod votum quæret fortè Lector, an & valuerit, & imitatione dignum ſit, cùm nullus hactenus Theologus docuerit, quemquam eſſe ratione voti de ingredienda certa, vel incerta Religione obligatum ad tam operoſam, moleſtámque ſolicitationem.

311 Reſpondeo, neminem quidem eſſe adigendum ad talem, niſi ad eam ſe ſe obligârit non obſcurè, ſi autem ſe clarè obſtrinxit, ſitque juris ſui, videri obligatum vel tamdiu, quamdiu indicant verba noſtri Angeli Polonici, vel certè quamdiu ſupereſt aliqua moralis ſpes extorquendi ſuſceptionem.

312 Prima pars reſponſionis inde patet, quia nemo ſe obligat, qui non habet animum ſe obligandi. Suprà *num. 42.* Tertia pars inde liquet, quòd abſque dubio is, qui eſt integre ſui juris, ac pollens viribus, aliiſque requiſitis acceperit ab autore naturæ, & gratiæ jus obligandi ſe ad tam arduam ſolicitationem peragendam in ſalutem animæ ſuæ, quàm indicant verba P. Sacchini, quamdiu affulget prudens ſpes potiundi voto, ergo qui eſt talibus uſus, tenetur per ſe loquendo ſatiſfacere obligationi indicatæ per ea grammaticaliter, uſualitérque ſumpta, quamdiu ſperari prudenter poteſt ſuſceptio, abſtrahendo à manifeſtis periculis latrocinii, naufragii &c.

313 At verò non video, quomodo poſſit quis ductus ſolo amore, deſiderióque receptionis prudenter obligare ſe ad ſtandum ſenſu verborum deſcriptorum etiam in eo caſu, quo nequit ullo modo prudenter ſperari receptio, etſi quis circumeat mare & aridam, totúmve Orbem, ergo non videtur ullus utens verbis B. Staniſlai teneri ad omnino tantam peregrinationem, quantam ſonant illa verba intellecta Grammaticaliter. Potuit tamen iis uti Sancta illa anima, quia erat inſtructa iis gratiæ, naturæque donis, ut non poſſet deſperare de ſua receptione, ſi Italiam, Hiſpaniam, Galliam peragraret. Hæc ſcripſi ad honorem hujus Angelici Adoleſcentis die 13. Novembris Anni M. DC. LXXI. quo celebravimus alteram Annuam ſolennitatem illius, ex indulto S. D. N. Clement. X. profeſſi, *ſe magno cum ſpirituali gaudio recoluiſſe merita illius*, ſicuti reperiet Lector in Bulla, quam deſcripſi in Experientiis *Tract. 3. Caſ. 20. pag. 188.* edit. Venetæ, ſeu ſecundæ.

DE VOTIS RESERVATIS.

CASUS X.

Amoris ferè cæci.

SUMMARIUM.

Caſus fœminæ promittentis Juveni fruſtra concupito ob ingreſſum ejus in Religionem: ſe nulli alteri nupturam & ingreſſuram ſuo tempore Cœnobium: Juvene verò jam mortuo, voventis in ejus gratiam Caſtitatem perpetuam. 314.

Prima Promiſſio ſi fuit Votum, non fuit reſervatum. 315.

Secunda ſi fuit Votum, fuit reſervatum? Ibid.

An autem fuerit verum votum, dubitari poteſt: 316.

Tertium poteſt videri verum votum, nihilominus tamen eſt dubium an fuerit. 317.

Quid ſit votum Reſervatum? 320.

Recenſentur quinque vota reſervata. Ibid.

Caſus putantis votum Caſtitatis perpetuæ non eſſe reſervatum ſummo Pontifici? 321.

Confeſſarius potuit commutare hoc votum. 322.

Cur hoc votum propter errorem non fuerit irritum? 323.

Nova quæſtio: An Votum Caſtitatis perpetuæ editum ante pubertatem, & poſt eam nondum confirmatum, ſit reſervatum ſi vovens nec parentes, nec alios majores, aut tutores &c. habeat? 324. & ſeqq.

An hæc verba: Virgo Maria: promitto tibi perpetuam Caſtitatem, *ſint verum Votum? 327.*

Quinque Vota ſuprà relata non ſunt reſervata, quando ſunt pœnalia. 328.

Aut quando ſunt præciſe conditionata, etiam poſt impletam conditionem. Ibid.

Aut quando ſub disjunctione reſervatum jungitur non reſervato. 330.

Aut quando ex metu etiam levi fiunt. Ibid.

Aut quando dubium eſt de ipſorum valore, ſive dubium ſit Juris ſive Facti, etiam ex paucorum Rationabili conſenſu. Ibid.

314 *Kunegundis cùm non poſſet potiri nuptiis Ludovici, utpote præter ejus ſpem certi ingredi Religionem, promittit ipſi, ſe nulli alteri nupturam, ſed ſucceſſu temporis ingreſſuram Cœnobium Virginum, quin etiam mortuo Ludovico vovet, in jam ſepulti gratiam, caſtitatem perpetuam. Quæritur, ſintne hæ tres promiſſiones verè vota, eáque reſervata.*

315 Reſpondi ego I. Promiſſionem non nubendi, eſto, ponamus continere vim voti, non fuiſſe tamen reſervatam, quia votum caſtitatis ut ſit reſervatum, debet eſſe de perfecta caſtitate ſervanda, ut dicam remiſſivè *num. 327.* non continet autem perfectam, completámque, ſed tan-

tantùm dimidiatam caſtitatem, votum de non nubendo, cùm non excludat fornicationem.

At verò promiſſio ingrediendi Cœnobium Virginum, intellecta modo vulgari, continebat obligationem ſubeundi aliquod Monaſterium cum ſincero animo profitendi, juxta ea, quæ dixi *num. 295.* ac proinde conſtituebat votum reſervatum, poſito, quòd ea promiſſio fuerit verè votiva, ſiquidem manifeſti juris eſt, votum Religionis propriè, & abſolutè ſumptum annumerari reſervatis.

316 Dixi: *Si ea promiſſio fuit verè votiva.* Dubitavi enim ego de hac, & hodiéque dubito idcirco, quòd cenſeam ex una parte, illâ primâ, ſeu de nubendo promiſſione non fuiſſe conſtitutum votum, quia non apparet fuiſſe quidquam promiſſum Deo; ſed illi ſoli fortè non ſatis caſtè amato juveni, ex altera autem parte videatur etiam altera promiſſio facta illi eidem homini, & quidem ſoli, id quippe videtur innuere continuatio orationis, & perſuadere Regula communis Jureconſultorum, quòd prior referatur ad ſequentem, ſicuti refero, & explico in Quinario *Tract. 3. num. 502. & ſeqq.* & proinde ſit utrobique intelligenda eodem ſenſu, ideóque cenſui, eſſe interrogandam, utrùm revera obligare voluerit ſuam fidem illi ſoli Amaſio, ut ita loquar, & in dubio abſolvendam eſſe ab obligatione Religionis, propter favorem libertatis, & propter vehementem ſuſpicionem cæcitatis in hoc amore.

317 Ad tertium quod attinet, ſicuti promiſſiones, quas facimus ipſimet Deo, inducti ſtudio præſtandi ea pollicitatione aliquid gratum alicui Sancto, non enervat energiam voti per ſe loquendo, cùm honoretur Deus tali etiam actu, ita videri poteſt ſubſiſtere rationem voti in eo, qui in gratiam alicujus pii, Religioſique hominis vita functi promittit Deo perpetuam caſtitatem. Nihilominus tamen reſolvi (niſi fallor; multi enim Anni fluxerunt, ex quo fuit ad me perſcripta illa quæſtio, & Caſus) eſſe valde dubium, utrùm Kunegundis non intenderit immediatè, & primariò oſtendere ſua promiſſione conſtantem ſuum amorem in illum mortuũ, quem piè credebat eſſe jam vel cœlo receptum; vel brevi è flammis expiatoriis illuc evolaturum, quo ſanè caſu non emiſiſſet votum propriè dictum, & conſequenter nec reſervatum; ut liquet ex iis, quæ diſſerui *Caſ. 1. n. 21.* quare fuit etiam illa Simpliciana interroganda de ſua intentione.

318 Quæ fortè fuit talis, qualis perſæpe reperitur in aliis actibus Religionis, etiam validè, & licitè exercitis, licitè enim, validéque ſacrificas impulſus vel ſtudio gratificandi tuo amico, cupienti audire Sacrum, vel cupiditate ſtipendii hic & nunc neceſſarii ad tuam ſuſtentationem, & liberi, quorum parentibus eſt gratum, ſi quot diebus Sabbatinis piè interſint Sacro de B. V. haud peccant, ſi dicant: *Quia eſt gratum matri, ut hodie interſim piè, & devotè Sacro de Rorate, volo omnino intereſſe, alioqui fortaſſe diutius heſurus ſub plumis*: Imò nihil deeſt valori, & honeſtati voti de peregrinatione ad pium locum, ſi rogatu matris jamjam exhalaturæ animam, obliges te ejuſmodi voto, loco matris, quæ non perſolverat, & ideo in extremis angitur, idcirco potuit illa promiſſio caſtitatis facta à Kunegunde eſſe verè votiva, eſto fuerit facta in gratiam defuncti.

Ratio horum exemplorum generalis eſt, quia ejuſmodi intentiones non ſunt cauſæ finales, 319
ſed ſolùm impulſivæ, & quædam quaſi occaſiones, ſicuti diximus *Caſ. IV. num. 128.* quando oſtendimus, quo pacto votum Epiſcopi Trecenſis fuerit verè votum, etſi ſuſceptum idcirco etiam, ut reperiret illic Comitem Campaniæ, ſicut utique voveo validè, & licitè peregrinationem Eremitanam, illam non voturus; niſi poſſem ſimul perficere aliquod meum negotium. Quòd ſi intentio mei proprii commodi nihil derogat valori voti, cur deroget intentio promovendi bonum alterius, adeóque ejus ſolatium: honeſtum gaudium! Attamen non obſtantibus, quæ adduxi; erat penitiùs perveſtiganda intentio dictæ Kunegundis.

Hiſce copioſiùs, quàm aut deſtinaveram, aut 320
ſoleant cæteri propoſitis, ſupponendum eſt, ea Vota nuncupari Reſervata, quorum relaxationem Pontifex ſibi reſervavit. Etſi enim Prælati Sæculares, & Regulares habeant ſoli de jure communi, communibúſque privilegiis jus diſpenſandi in votis ſuorum ſubditorum, communibus, &, ut ita dicam, quotidianis, hæc tamen non accenſentur vulgò reſervatis. Sunt verò vota communiter reſervata quinque, ſcilicet Votum Caſtitatis perpetuæ: Religionis vel ingrediendæ, vel jam reipſa ſuſceptæ per vota ſubſtantialia: Peregrinationis aut Hieroſolymitanæ, aut Romanæ, ad Limina Apoſtolorum, aut denique Compoſtellanæ ad S. Jacobum. Quo tamen cenſeantur eſſe reipſa reſervata, non exigitur, ut, qui unum ex iis edidit, noverit eſſe reſervatum, etſi enim retuli in Experientiis *Tract. 7. Caſ. 8.* Scriptores ratos, ad id, ut peccatum ſit hic & nunc reſervatum, exigi notitiam conſtitutæ reſervationis, non ſolùm tamen improbavi illam doctrinam, ſingulariter reſpectu peccatorum reſervatorum in Religionibus, ſed inſuper non memini legere me, qui poſtulet hîc illam cognitionem; quamquam ſi vovens putavit, votum caſtitatis, aut itineris Romani æquè facilè tolli per Epiſcopum, atque aliarum etiam longarum peregrinationum, minimè illud emiſſurus, ſi noviſſet eſſe Romam recurrendum, prudenter judicabitur id non eſſe reſervatis, hic & nunc annumerandum. Unde reſolves hunc

Caſum ſingularem.

Laurentius vovit Sabbatinum jejunium in 321
pane, & aqua per totam vitam, ſervavit-

que

que tribus Annis; at ſubortæ ſunt tot difficultates, ut Confeſſarius ex Ordine Mendicantium judicaverit eſſe commutandum in jejunium, Eccleſiaſtico more peragendum, & in Confeſſionem, Communionémque binas in menſe. Liberatus hoc voto promittit Deo perpetuam caſtitatem, in qua tamen ſervanda expertus difficultates prorſus improviſas, eaſque maximas, accedit Confeſſarium è Noſtra Societate pro remedio. Hic reſpondet, nullùm poſſe afferri à ſe, niſi quòd velit, ſi Laurentio placeat, Româ petere diſpenſationem. Româ? inquit, Laurentius, ego tamen accepi abhinc triennium ab aliquo bono Patre Capucino relaxationem voti de perpetuo Sabbatino jejunio in pane, & aqua, arbitrabar equidem, votum caſtitatis poſſe etiam relaxari ab illo, aliiſque Religioſis, alioquin ego minimè obligâſſem me ad tam arduum votum. An potuit Confeſſarius Societatis hoc audito commutare votum iſtud?

322 Reſpondi ego, & nunc quoque ſentio, potuiſſe. Per votum enim nemo obligatur re ipſa ad plus, quàm intenderit implicitè, vel explicitè ſe obligare, clarum autem eſt ex verbis Laurentii, quòd ne implicitè quidem ſe obligârit ad petendam in caſu neceſſitatis moralis, cauſæve perquam rationabilis à Papa relaxationem.

323 *At nónne fuit potiùs dicendum, id votum fuiſſe propter illum errorem in jure planè irritum, ſicuti ſuprà* Caſu 4. num. 109. *pronuntiavimus nullum illud votum, quod facus ratus poſſe irritari, cùm tamen non poſſit?*

Reſpondeo, non eſſe paritatem, quia Laurentius non erravit judicans, poſſe irritari, ſeu relaxari abſolutè, ſed erravit judicans poſſe relaxari à Confeſſario, videtur ergo voluiſſe obligare ſe ad caſtitatem, quoad fortè aliquando impetraret legitima ex cauſa levamen à ſuo Confeſſario. Notetur hæc ſingularis doctrina, cujus practicandæ facta mihi fuit priùs ſemel, iterúmque alias occaſio, at quia cogitationes poſteriores ſunt meliores prioribus, diéſque poſterior diſcipulus prioris, primùm ex me didici, potuiſſe à me rem ſuaviùs olim tranſigi.

324 At quia facta hîc, ut debuit, mentio caſtitatis perpetuæ, propono, ac reſolvo

Novam hanc Quæſtionem.

AN votum perpetuæ caſtitatis editum ante pubertatem, & poſt pubertatem nondum confirmatum, cenſendum ſit reſervatum, ſi vovens jam nec parentes, nec alios majores, aut tutores &c. habeat, ſed ſui juris planè ſit factus. Ratio eſt, tum quia iſthoc votum non excludit omnem poteſtatem non reclamandi à reſervante independentem, cùm non excludat poteſtatem irritativam, & cùm per accidens ſit, quòd ea cum iis, qui eam habebant, ſit extincta, tum quia iſthoc votum etſi, meo judicio, non ſit propriè conditionatum, dicitur tamen communiter eſſe conditionatum; ergo reſervatio, utpote odioſa, non eſt ad id extendenda: tum quia eſt votum imperfectum ob ætatis impedimentum ergo poſſet à noſtris Confeſſariis commutari, & per Superiores ſine ulteriore privilegio diſpenſari.

325 Ita ad me Theologiæ tunc, poſt autem Sacrorum Canonum Profeſſor à ſoliditate ingenii commendatus, qui proinde facilè vidit, ſuam dubitandi rationem carere difficultate, in opinione Soti, & aliorum negantium, ut vidimus *Caſ. 6. num. 175.* poſſe à patre, aut ullo alio irritari poſt pubertatem filii, ulla vota emiſſa ab hoc etiam impubere, at in noſtra, qui contrarium tenuimus, ſententia, difficultatem habet, quia tamen Theologi, qui referendi *num. 329.* tenent, nulla vota conditionata eſſe reſervata, intelligunt hoc de conditione, cujus amòre, vel horrore quis ductus vovet, ut mox videbimus, atque adeò de merè voluntariè adjecta, meréque accidentaria, non autem de conditione generatim, naturalitérve, aut ex diſpoſitione juris inſitâ, ut eſt conditio: *Si pater conſenſerit*, reſpectu voti ab impubere editi, eam ob rem hæc, ut ita loquar, conditionalitas non impedit, quò minus votum caſtitatis nuncupatum ab impubere, poſſit eſſe, & dici, perpetuæ caſtitatis, ſicuti vinculum Matrimonii etiam rati eſt verè, propriéque perpetuum.

326 Vota quoque Subſtantialia Religionis ſunt perpetua, tametſi Pontifex poſſit diſſolvere illa omnia, & Noſtri Scholares poſt finem Novitiatus propriè vovent caſtitatem *perpetuam*, tametſi poſſint dimitti, uxoréſque ducere. Vide dicta *Caſu 1. num. 29.* Quapropter non ſuaſerim ulli Confeſſario, ut relaxet votum perpetuæ caſtitatis emiſſum ab impubere, ideóque nec ego relaxavi illius, de quo ſuprà *num. 185.* At fortè relaxâſſem illud, de quo fuit Anno 1669. propoſitus hic

Caſus reflexè examinandus.

327 *PUella Annorum 15. cupiens præſtare Virgini matri rem pergratam dicit præciſè:* Sanctiſſima, Puriſſima Virgo Maria, promitto tibi perpetuam Virginitatem.

Cenſui ego, & cenſeo, eſſe hanc, & permultas alias huic ſimiles puellas probè, reflexè interrogandas, utrùm, quando ejuſmodi verba protulerant (proferunt autem plures, quàm putemus) revera tantùm cogitârint de Dei Matre? Si aſſerant, judicandum eſt, earum votum non eſſe reſervatum, cùm non ſit propriè votum, per dicta *Caſ. 1. num. 21.* Si aſſerant, ſe cogi-

Digitized by Google

cogitâſſe quidem etiam tunc de Deo, at non cogitâſſe de promiſſione facienda ipſi, ſed ſoli ejus Matri, erunt & cenſendæ non feciſſe propriè dicta vota. Junges hiſce ea, quæ in Quinario *Tract.3. cap.40. num.313.* & *314.* ſigillatim expreſſi de votis caſtitatis, quæ poſſint rudibus videri eſſe reſervata, & tamen non ſunt.

328 Porrò illa quinque vota, de quibus ſuprà, probabiliter non ſunt reſervata, quando ſunt pœnalia juxta deſcriptionem voti pœnalis allatam *Caſ. 1. num. 30.* aut quando ſunt præciſè conditionalia; ſic enim ſentiunt graviſſimi Theologi, cum Sanchez *cap.40. num. 91.* contra multos, quorum nonnulli, etſi pauci, negant abſolutè hanc doctrinam, alii, ut Suarez, Leſſius, Azor, admittunt ante impletam conditionem, at non poſt. Verum quia Epiſcopis de jure communi, & antiquo competit vera poteſtas diſpenſandi circa omnia vota ſuorum ſubditorum, hanc autem poteſtatem reſtrinxerunt Pontifices ad illa quinque vota excluſivè, omnis autem reſtrictio juris communis habetur à DD. pro odioſa, ac proinde limitanda, non irrationabiliter dicitur cum Sanctgallenſibus *Tom. 7. Tract. 1. Sect. 3. quaſt. 6. dub. 5.* poſt Sanch. & alios illa ipſa vota cenſeri eſſe reſervata tunc ſolùm, quando emittuntur primariò, & directè ex amore honeſtatis, veſtientis eadem vota, non autem quando ex amore alterius boni vel temporalis, vel etiam ſpiritualis, idque verum eſſe tum ante impletam conditionem. Sanctgallenſes *loc. Nunc primùm allegato*: tum etiam poſt. Sanchez conſtanter *cit. Lib.4. cap.40. n.91.* poſt Sayrum, Ledeſmam, Suarez, alios. Atqui quando ſunt pœnalia, deficit ille primus, & primariò regnans amor, utique enim qui dicit abſolutè: *Voveo Deo caſtitatem*, fertur directiore, vel impenſiore amore in pulchritudinem hujus virtutis, quàm is, qui dicit: *Voveo Deo caſtitatem, ſi me inebria-*

329 *vero hoc Menſe: hoc Anno*: Item, *voveo perpetuam caſtitatem, ſi me Deus ſervet à naufragio*, quorum exemplorum primum eſt voti conditionati pœnalis, alterum voti conditionati ſine addito, juxta declarationem datam *Caſ. 1. num. 30.* idcirco adductam, quòd doctrina de voto pœnali conditionato tradita habeat probabiliter, (etſi non tam probabiliter quàm in pœnali,) æquè locum, ac in votis purè conditionatis, ut videre eſt apud Sanchez *loc. cit. n.99.* contra Laymannum *cap.8. n.10.* intelligendos de conditionatis in futurum, non in præſens, aut præteritum, rectè enim tradit, talia eſſe habenda pro abſolutis, idem Sanchez cum communi omnium *num.88.* ut quando dicis: *Voveo Religionem, ſi meus pater evaſit paratum ſibi exitium: Voveo Religionem, ſi mea mater eſt adhuc in vivis.* Sicut & illa habentur pro abſolutis, quæ includunt conditionem ex natura, aut Jure incluſam. Suprà *num.325.* & probo ex in-

330 ſtituto in Experientiis *Tract. 9. Caſ.6.* Eadem quinque Vota deſinunt eſſe reſervata, quando unum ex illis emittitur ſub diſjunctione tali, ut alterum membrum diſjunctionis ſit aliud votum non reſervatum, ut cùm dicis: *Voveo me fore aut Religioſum, aut certè ſacerdotem ſacularem.* Sanctgallenſes *loc. cit.* ſicut nec reſervationi ſubjacent, quando vel ex metu etiam levi nuncupata ſunt. Sanchez *cap. 32. num. 30.* & Sanctgallenſes cum plurimis contra Suarez, & alios, vel dubium eſt de ipſorum valore, licèt illud dubium ſit aut juris, quia eſt controverſia inter Doctores, utrùm e. g. ſit verè votum: verè reſervatum per Bullas pontificias &c. aut facti, cùm dubitatur, utrùm adfuerit vera promiſſio, an duntaxat propoſitum. Item an adfuerit deliberatio, intentio, & alia ad voti, reſervationiſve rationem neceſſaria ex omnium (nam etiam paucorum rationabilis diſſenſus obeſt reſervationi in actu ſecundo) conſenſu, eſto illud dubium non ſit tam magnum, & rationabile, ut voventem deobliget à voto. Sanchez *cap.40.* Suarez *Lib.6. cap.26. num.6.* Laymannus *Tract.4. cap.8. num.18.*

His de reſervatione ingenere dictis, videamus, quinam vel ex privilegio, vel alia ratione poſſint tollere reſervationem, aut obligationem votorum. 331

QUISNAM POSSIT VOTORUM RESERVATORUM, ET ALIORUM OBLIGATIONEM TOLLERE DISPENSANDO, COMMUTANDO, ALIAVE RATIONE?

CASUS XI.

Extraordinariè Pii.

SUMMARIUM.

Caſus voventis ſe habitu Eremitico bajulaturum Crucem uſque ad limina Apoſtolorum, nec accepturum diſpenſationem. Nunc autem ob Sacerdotium & Beneficium impediti. 332.

Reſolutio hujus Caſus. 334. & ſeqq.

Votorum obligatio extinguitur 4. Modis. 338.

Quomodo vota ceſſent per ſe ipſa? Ibid. & ſeqq.

Quomodo iter ſe differant Irritatio, Diſpenſatio, & Commutatio? 343.

Alia probabilis ſententia P. Ægidii Coninck de Diſpenſatione. 344.

Diſpenſationes matrimoniales, Romà impetratæ, non ſunt puræ ſed mixtæ. 345.

Papa poteſt diſpenſare in omnibus votis etiam ſolemnibus. 346. & ſeqq.

Nec tantùm ſacularium, ſed etiam Religioſorum. Ibid.

Thomiſtæ contrarii hoc tempore non ſunt audiendi. Ibid.

Papa diſpenſans in voto Caſtitatis, etiam ſimplici, nunquam diſpenſat in toto, ſed tantùm in parte. 348.

Digitized by Google

Quantum poſſint Epiſcopi circa Diſpenſationem Votorum? 349. 350.
Quantum Prælati Regulares? 349.
Decani, Parochi, & etiam Confeſſarii per ſe loquendo non poſſunt diſpenſare in votis. Ibid.
Quid poſſint Religioſi mendicantes? 351.
Ad Diſpenſandum in Votis requiritur juſta cauſa. 353.
Etiam Lex Naturalis admittit diſpenſationem ex juſta cauſa. 354.
Quænam ſcienda de Votorum Commutatione? 355. & ſupra 351.
Quomodo tempore Jubilæi commutanda ſint practicè? 364.
An dicens: Voveo hoc, ubi obtinuero vel effugero illud, *faciat Votum Conditionatum? 368. & ſeqq.*
Qui poteſt commutare vota in Jubilæo, poteſt etiam diu poſt Jubilæum. 371.

332 *Ludoviſius mei diſtrictûs parochialis Sacerdos, nondum in ſacris conſtitutus, at conſtitutus in ſummo periculo ſubmerſionis, vovit ab hinc ſexennium deliberatiſſimè, ſibique præſentiſſimus, ut fatetur ipſe, ſe, ſi vitam ſervaret, habitu Eremitæ, abſque induſio bajulaturum crucem uſque ad limina SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, & quidem fervore nunquam accipiendi ullam diſpenſationem. Jam verò nactus beneficium Eccleſiaſticum, ad cujus titulum eſt ordinatus, obligatûſque juvare parochum in cura paſtorali, nequit abeſſe tanto tempore, quantum impendendum eſt itui, redituique Romano. Quæritur igitur, cùm hic Caſus ſit reſervatus Pontifici, utrùm tempore Jubilei poſſit abſolvi à quovis Sacerdote expoſito, non obſtante illa additione* : Nolo unquam relaxationem accipere, nec diſpenſationem. *Certum eſt, quemlibet, ſaltem tacitè, cùm vovet, apud ſe cogitare debere, quòd hic & nunc non deſtinet petere diſpenſationem, non enim, meo judicio, eſſet promiſſio facta Deo, ſi dicerem* : Voveo, ſed non ſervabo, quia volo diſpenſationem accipere, *ideo eſt hîc quæſtio ſolùm*
333 *de expreſſa hac proteſtatione. Item hic vovit portare veſtes eremiticas, & crucem, utrùm illa proteſtatio expreſſa* : Nolo diſpenſationem, *impediat, quò minùs circa hunc Caſum, quo alia impedimenta removerentur, & ipſe Romam his ſublatis proficiſci queat, licitè, validéque petat diſpenſationem ſuper itinere Romano? Et quid ſi vetitum ſit, ne Clerici geſtent alias veſtes, quàm Clericales juxta formam approbatam ſtatutis, & conſuetudine? tenebitúrne Ludoviſius petere jam licentiam incedendi more Eremitico?*

Repræſentavi quæſtiones, ac propè verba omnia cujuſdam Juvenis, inſignis tamen Doctoris, & plebani, cui reſpondi ad primam quæſtionem, inprimis eum rectè ponere extra dubium, quòd ille ſacerdos per ſe loquendo poſſit probabiliter, ac ſecurè tempore Jubilei abſolvi per commutationem à ſuo voto per ea, quæ trado in Quinario *Tract. 3.* qui eſt totus *De Iubileo* Quintuplici *cap. 38. num. 295.* junct. *cap. 40. num. 317.* imò eſſe poſſe ſecurum non obſtante voto de non petenda diſpenſatione, Suprà *num 69.* Quin addidi, poſſe probabiliſſimè potiri hoc beneficio etiam extra Jubileum, ſi, de quo vix dubitandum, eſt jam ſemel poſt id votum adeptus gratiam Jubilei, per doctrinam indicandam infrà *n. 365.* Addidi, ridiculam quidem fore ſponſionem, ſi quis ita ſiccè diceret : *Voveo, ſed non ſervabo, quia petam diſpenſationem* : at non fore abſonum ſi diceres : *Voveo, ſed fortè non præſtabo, quia fieri poteſt, ut juſta de cauſa, de qua jam non cogito, petam, accipiámque diſpenſationem, commutationem &c.* Sicuti nil inconcinnum agit, qui dicit : *Voveo geſtare per totam vitam cingulum ferreum, niſi fortè aliquando præter meam opinionem, & præſens propoſitum, emergat neceſſitas, juſtáve ratio petendæ relaxationis.* Hanc conditionalem, aut ſimilem ſubaudiunt plerique omnes voventes, nemo autem prudens, & pius uſurpat illam vel impiam, vel nimis agreſtem : *Voveo, ſed non ſervabo, quia petam diſpenſationem.* 334 335

Ad alteram ſimiliter reſcripſi, dubium, quod ibi movetur, nihil obeſſe, quò minùs licitè, validéque fiat commutatio, vel etiam per eos diſpenſatio, qui diſpenſandi poteſtate pollent. 336

Ad tertiam, videtur mihi votum illud de veſtitu Eremitico, & cruce geſtandis, jam per ſe ceſſâſſe, ut dicam *num. 341.* quando proponam cauſas, quibus votum per ſe initio validum deſinat valere.

Breviter hæc dicta ſunto, de illo Caſu extraordinariè pii hominis, qui an deliquerit differendo quoad eſſet inauguratus Sacerdotio, quia non petiit, qui me conſuluit, non eſt cur hic diſcutiam, diſcuſſionis tamen fundamenta jeci *Caſ. 3. num. 88.* Nunc accingo me ad breviter expedienda, quæ de ceſſatione votorum in genere, & in ſpecie Reſervatorum tradunt veroſimiliùs, aut certò Doctores. 337

Quæritur igitur I. *Quot modis generaliter ceſſet, ſeu tollatur, extinguatúrve obligatio voterũ?* 338

Reſp. Ceſſat quatuor modis 1. Per ſe ipſam, ut jam jam dicam. 2. Per irritationem iis modis, quos exhibui toto *Caſ. 6.* qui ſunt intelligendi etiam de Reſervatis. 3. Per diſpenſationem. 4. Per commutationem.

Ceſſat per ſe ipſam obligatio, tum quando præteriit tempus, ad quod ſolum voluit ſe vovens adſtringere, tum quando ceſſat cauſa finalis, & præcipuum motivum, ob quod eſt editum votum, ut ſi voviſti, te tria Roſaria recitaturum

Digitized by Google

turum pro obtinenda patri tuo decumbenti ſanitate, is autem cedat è vivis, priuſquam recitaveris tertium, ſeu culpabiliter, ſeu inculpabiliter omiſeris illud tertium, tum quando materia voti, quæ ab initio erat honeſta, poſſibiliſque incipit eſſe vel inhoneſta, ſeu prohibita, vel impoſſibilis: tum quando fit tanta rerum mutatio, ut ſi præviſa fuiſſet, emiſſum votum non fuiſſet juxta ea, quæ dixi *Caſ.4. n.114.* ex
339 Molina. Haud tamen permittit praxis Eccleſiæ, ut vota ſubſtantialia Religionis, aut vota ingrediendi Religionem, vel caſtitatis perpetuæ tam facilè, quàm alia cenſeantur deſinere propter ſupervenientem mutationem improviſam. Denique notanda eſt illa Regula Juris: *Tunc ceſſat obligatio, quando in eum caſum incidit, à quo incipere non potuit, Leg. Pluribus.* §. *Etſi placeat*
340 *ff. De verb. oblig.* Unde ſicut votum, quod fuit initio impoſſibile, ſeu de materia impoſſibili, aut vetita, ita tunc extitit ab initio invalidum, ob illam impoſſibilitatem, vel inhoneſtatem, ac prohibitionem, ut pergat eſſe invalidum, etſi materia illa incipiat fieri honeſta, vel poſſibilis (niſi fortè intenderis te obligare caſu, quo licitè, & validè poſſes) ita etiam viceverſa ſi fuit initio validum, quia poſſibile, & honeſtum, reddetur invalidum per ſe, quando incipiet eſſe de re turpi, aut vetita.

341 Ex quibus doctrinis communi calculo admiſſis reſolvi poſſunt innumeri Caſus, & inter hos Ile de noſtro Mariano vovente peregrinationem Romanam cum veſte Eremitica, & cruce, nec enim decet hiſce temporibus, ut ullus ſacerdos eo habitu, & geſtatione conficiat tantum iter. Nec neceſſe eſt petere diſpenſationem circa Statuta Synodalia, vetantia, ne Clerici in Majoribus utantur alio habitu, quàm Clericali, fruſtrà enim petetur, lex autem non obligat ad actus fruſtraneos.

342 Quòd ſi pars una voti compoſiti ex pluribus, evadat impoſſibilis (Theologi, & Juriſtæ vocant etiam abſolutè impoſſibilia illa, quæ ſine peccato fieri nequeunt) altera manente poſſibili, videndum, utrùm votum de parte poſſibili fuerit emiſſum dependenter à reddito impoſſibili, an verò independenter? Si dependenter, extinctâ obligatione primi extinguitur & ſecundi. Non extinguitur extincto primo, ſi nulla fuit dependentia illius ab hoc, ſicuti, neque integre extinguuntur, ſed tantùm ſuſpenduntur ea, quorum executio habens tractum ſucceſſivum, eſt impoſſibilis aliquot diebus, aut menſibus incluſis in talibus votis, at deſinit eſſe impoſſibilis ſequenti tempore itidem incluſo in iis votis: ut quando voviſti jejunare omni ſabbato totius Anni, redditur autem ob infirmitatem v.g. impoſſibile jejunium per quintum, ſextúmque menſem, certè obligatio redibit poſt ſextum, quia *utile per inutile vitiari non debet.* Vide plura *Caſ.2. num.76.*

343 Cæterùm illi tres poſteriores modi, quibus dixi *num.338.* ceſſare obligationem votivam, differunt in hoc, quòd irritatio, & diſpenſatio pura tollant quidem omnem obligationem directè, vel indirectè profectam ex voto, & in hoc differant à commutatione, utpote quæ relinquit obligationem faciendi aliquid loco illius, quod remiſſum fuit, at irritatio proveniat à poteſtate dominativa, & merè ſæculari, quia naturali, itémque gubernativa temporali, ſicuti obſervavi *Caſ.6. num. 191.* diſpenſatio verò à Juriſdictione ſpirituali, ſicuti & commutatio, ſaltem quando hæc fit in opus minùs bonum. Quæ quidem diſpenſatio eſt nihil aliud, quàm integra relaxatio Voti in iis circumſtantiis, in quibus obligaret votum, ſi non adeſſet diſpenſatio.

Quamquam Ægidius Coninck *Tom. 2. in 3. Part. quæſt.83. art.6. num.293.* contra communiorem cenſet, diſpenſationem eſſe actum dominii (ſpiritualis) eò quòd ſicut Vicarius Regis ex autoritate Regis remittens rem promiſſam Regi, utitur poteſtate dominii, quod Rex habet circa rem promiſſam ſibi, ita etiam Papa diſpenſans in voto, aliáve Lege poſitiva divina utatur poteſtate, qua potitur Deus in rem ſibi obſtrictam per votum. Quæ doctrina eſt probabilis, & ſecundùm illam ſolvuntur varia dubia, præſertim illud, quomodo Papa diſpenſando in votis non diſpenſet in lege naturali. 344

Et quia diſpenſatio propriè, & prout à commutatione diſtinguitur, tollit omne onus annexum voto, idcirco diſpenſationes matrimoniales, quæ vel à Dataria, vel à Pœnitentiaria Romana ſolent expediri, non ſunt puræ diſpenſationes, ſed mixtæ cum commutatione, & ſæpe valde operoſa, ut Lector cernet in communi forma diſpenſandi cum conjugibus inceſtuoſis, quam exhibeo in Quinario *Tr. 5. cap.37. ſect.5.* explicóque ſingulas ejus clauſulas, adeóque viginti ſex. His generatim obſervatis 345

Quæritur II. *Cuinam competat poteſtas diſpenſandi in Votis tam reſervatis, quàm non reſervatis.* 346

Reſp. I. Poteſt Pontifex in omnibus omnino votis diſpenſare, & ſingulariter in voto caſtitatis ſolenni, etiam Religioſorum ad contrahendum Matrimonium. Ita ſentiunt non ſolùm communi calculo Canoniſtæ, quorum ultra triginta nominat Barboſa *in cap. Cùm ad Monaſterium. De ſtatu Regul. num.13.* intérque hos optimè iſtud argumentum tractat Navarrus ſummus æquè Theologus, ac Canoniſta *in Conſil. Lib. 3. Conſil. 38. De Voto*, ſed etiam vel omnes, vel ferè omnes Theologi hujus ſæculi poſt plurimos ſuperioris contra Thomiſtas minimè nunc audiendos, quandoquidem Pater Joannes Azor noſter *Part. 1. Inſtit Lib. 11. c.2.* Cenedus *Collect. 124.* Barboſa *loc. cit.* Lezana in Conſultis *Conſult. 11. num. 10.* nominant tot (ſeptem, inquam,) Pontifices Summos, qui re ipſa diſpenſârint, additis nominibus diſpenſatorum, & teſtium teſtificantium de his diſpenſationibus, quas inter ſummè notanda illa,

Digitized by Google

tam, quam fecit Alexander III. Juris Pontificii magnam partem conditor, quàm quæ peracta eſt (ſi fides habenda eidem Lezanæ, & iis, quos citat) à Gregorio XIII. æquè docto, ac pio Papa cum uno P. Provinciali Sacri Ordinis Capucinorum, ut vitio verti non debeat Lezanæ *loc. cit.* poſt noſtrum Azorium ſcribenti, eſſe valde licentioſum, & indignum graviſſimo Doctore (Dominico Soto, cui adhærent Neoterici quoque Thomiſtæ) quòd dubitaverit de veritate harum hiſtoriarum, vel putaverit, Pontifices erráſſe diſpenſando. S. Thomas, cujus autoritate ſe muniunt Thomiſtæ reſpectu Monachorum (nam reſpectu Sacerdotum minùs repugnant) tribuit *in 4. ſentent. diſt. 38. quæſt. 1. art. 4.* Pontifici poteſtatem hîc diſpenſandi clariùs, & ineluctabiliùs, quàm deroget *in 2. 2. quæſt. 88. art. 11.* cùm ergo nolint fateri, ut certè non vult Mariales, S. Doctorum unquam aberráſſe à vero, adeóque non admittant recantáſſe in Summa quidquam eorum, quæ tradidit in libris *ſentent.* cur verba expreſſa in *diſt. art. 11.* non explicant eò potiùs, quo alii Theologi, modo, quàm tacitè, vel expreſſè ſentiant, tot Pontifices laboráſſe ignorantia Juris Naturalis, Divini, Canonici?

347 Ergo eſt omnino tenendum, Pontificem pollere poteſtate diſpenſandi in voto caſtitatis ſolenni edito non ſolùm in ſuſceptione Subdiaconatûs, ut apertè conceſſit ipſe S. Thomas, ſed etiam in Profeſſione Religioſa, non quidem ita, ut Monachus eo ſolutus voto pergat eſſe Monachus, illud enim votum eſt unum è ſubſtantialibus Ordinis Religioſi, & hoc ſolum voluit S. Thomas *cit. art. 11.* ſed ut deſinens eſſe Monachus incipiat eſſe maritus, quòd nunquam inficiatus eſt S. D.

348 Cæterùm dum Pontifex diſpenſat cum illigatis voto ſimplici caſtitatis, non diſpenſat integre in toto voto, ſed ſolùm in parte, ſeu reſpectu copulæ conjugalis cum una unica conjuge, ut latè explicat Cardin. de Lugo *in Reſponſ. Moralib. Lib. 6. dub. 8. toto*; inde rectè inferens, tale votum etiam poſt diſpenſationem Pontificiam manere quoad alias partes caſtitatis reſervatum, adeóque reum eſſe voti fracti, qui diſpenſatus committit adulterium.

349 II. Quiſque Epiſcopus pollet jure diſpenſandi in omnibus ſuorum ſubditorum votis, quæ Papa ſibi non reſervavit. Ita omnes. Nomine *ſubditorum* intelliguntur etiam Religioſi non exempti, item advenæ, & peregrini, qui per majorem Anni partem habitârunt in eorum Diœceſi, ut ſunt literarum ſtudioſi, famuli, famulæ &c.

III. Eâdem poteſtate erga ſuos ſubditos gaudent Prælati Regulares. At nec Parochi, nec Decani, aut Confeſſarii per ſe loquendo. Omnes Doctores teſte Sanch. *Lib. 8. De Matr. Diſp. 9. num. 27.*

IV. A reſervatis quinque licèt per ſe nequeant abſolvere Epiſcopi, ut vidimus ſuprà, poſſunt tamen per accidens. Et in primis quidem, quando ſunt emiſſa ſub conditione pœnali, tunc enim deſinunt eſſe reſervata. Suprà *num. 328.* ſicuti & ſatis probabiliter tunc deſinunt eſſe talia, quando ſunt ſub alia conditione de futuro emiſſa ex amore alicujus boni per ea obtinendi, vel horrore mali, per ea avertendi. Suprà *num. 325. & 329.*

350 V. Idem Epiſcopus diſpenſat tanquam delegatus Sedis Apoſtolicæ in prædictis votis, quando advenit gravis cauſa, & nequit ſine periculo animæ expectari diſpenſatio Papalis, ut quando quis obſtrictus voto caſtitatis verſatur in præſenti periculo (qua de re vide ſuprà *num. 280.*) fornicationis, pollutionis &c. niſi ducat uxorem, aut impregnavit puellam, quæ exponetur probro publico, ſi exſpectetur diſpenſatio Papalis pro Matrimonio. Quod intellige de voto caſtitatis ſimplici, nam ſolenne, quod adhæret Ordini Sacro, non tollet validè Epiſcopus ob ullum ejuſmodi malum avertendum. Intellige quoque juxta Sanch. *loc. cit.* & multos alios in ſolo caſu, quo non adeſt facilis recurſus ad Nuntium Apoſtolicum. Sed hanc limitationem negant, & quidem probabiliter judice Laymanno *num. 17.* Henriquez, Avila, alii, hiſque adhærentes Sanctgallenſes *cit. q. 6. dub. 5.* inſuper arbitrante Rodriquezio *Tom. 2. qq. Regular. q. 46. n. 9.* parochum poſſe in Epiſcopi, & Nuntii abſentia, & periculo fornicationis remittere obligationem voti. Ego ratus, hanc doctrinam repugnare praxi omnium, non auſim eam probare, ſed potiùs obſervo pro praxi, quando Epiſcopus diſpenſat, ut delegatus Sedis Apoſtolicæ, id facere ſolùm reſpectu unius Matrimonii, & actuum annexorum eidem, ut deducitur evidenter ex iis, quæ Cardinalis de Lugo loco, quem ſignavi ſuprà *n. 348.* diſſerit.

351 VI. Votum caſtitatis perpetuæ, quod conjugatus emiſit ante Matrimonium, poſſe à Religioſis Mendicantibus commutari pro petitione debiti, perſuaſum habet poſt alios plures Antonin. Diana *Part. 11. Tract. 8. Reſ. 16.* falſitatis damnans Leandri opinionem contrariam, de quo tu videris. Saltem iidem Religioſi diſpenſant in omnibus votis non reſervatis Papæ, etiamſi ſint firmata juramento. Suarez *Lib. 6. De voto num. 14.* atque in favorem tertii, modò nondum ſint ab hoc acceptata, ſicut & in iis reſervatis, in quibus Epiſcopus diſpenſat ex ordinaria poteſtate, adeóque quando ſunt conditionata. Sanchez *Lib. 4. Mor. c. 54.* poſſumúſque etiam extra Confeſſionem ita diſpenſare: Diana *loc. cit.* Excipe vota peregrinationis ultra duas Dietas, ſeu 40. milliaria Italica, nam in his nequeunt diſpenſare Religioſi.

352 VII. Quando Papa votum reſervatum commutavit in aliam materiam, ut e. g. votum caſtitatis in Confeſſionem menſtruam, diſpenſabit, vel commutabit is, qui pollet juriſdictione in alia communia vota.

353 VIII. Ut diſpenſatio ſit valida, requiritur juſta

Digitized by Google

juſta cauſa, ut docent omnes, etenim jus ſuperioris nemo validè remittit ſine cauſa rationabili: Cenſetur autem adeſſe cauſa rationabilis, & juſta, tum quando votum editum eſt in aliqua perturbatione, ut e. g. in magno metu, item indiſcretè, ut plerumque adoleſcentes, tum quando votum difficulter ſervatur ſine prævaricatione, tum quando magna aliorum utilitas poſtulat diſpenſationem. Quia verò Confeſſarii ſæpe dirigere debent pœnitentes circa modum petendi diſpenſationem Papalem in votis, ideo operæ pretium erit accuratè legiſſe ea, quæ P. Sanchez tradit *Lib. 8. De Matrim. Diſp. 34. num. 35.* & quæ nos in Quinario *Tract. 5. cap 47. num. 286.* quæ enim illic dixi de diſpenſatione pro impedimento ex inceſtu occulto, eadem obſervanda, dum petitur diſpenſatio pro Voto occulto.

354 IX. Tametſi communis ſententia S Thomæ tenet, Papam non poſſe diſpenſare in lege naturali, lex autem naturalis jubet præſtari Deo id, quod ei prudenter, piéque promiſſum eſt; attamen hæc ipſa lex id non præcipit ſemper, & ubique, ſed ſolùm quamdiu non adeſt juſta cauſa eximens à præſtatione, adeſt autem tunc juſta cauſa, quando Papa loco Dei remittit id, quod Deo debebatur.

355 Quæritur III. *Quænam breviter ſcienda ſint de votorum commutatione, tum extra Iubileum, tum tempore Jubilei.*

Reſp. Sequentia. I. Quiſque præditus jure diſpenſandi, pollet etiam jure commutandi, qui enim poteſt remittere totum debitum, poteſt & partem, non autem quivis valens commutare valet etiam diſpenſare, non enim qui poteſt minus, poteſt & plus. Suarez *cap. 12.* cum plurimis contra Sanchez *cap. 53. num. 4.* & alios, negantes primam doctrinam de illo, qui ex ſolo privilegio diſpenſat.

356 II. Quiſque habet jus ſuum votum commutandi in opus omnibus ſpectatis conducibilius ſaluti ſuæ, & ſingulariter in ordine ad finem intentum à vovente, ut ex communi tradunt Leſſius *cap. 40. num. 101.* Sanchez *loc. cit. cap. 56. num. 6.* optimè hanc rem declarans cum Azor *Tom. 1 Lib. 11. cap. 18. quæſt. 3.* Et ratio eſt, quia *propoſitum non infringit, qui in melius mutat* cap. pervenit. *2 De jurejur.* Itaque qui pro obtinendo dono caſtitatis per interceſſionem Deiparæ vovit, ſe quotidie oraturum parvum officium de Conceptione Immaculata, licitè commutabit in votum de faciendo quotidie accurato examine circa caſtitatem, & facienda bona diſciplina quoties cogitatione, verbo vel opere deliquerit deliberatè venialiter contra illam Angelicam virtutem. Ratio eſt, quia ſi placuiſti Deo offerendo ipſi rem minus conducibilem tuæ ſaluti, & conſequenter minùs hic & nunc gratam illi, cujus voluntas eſt ſanctificatio noſtra, utique magis placebis offerendo ipſi aliquid, ſpectatis omnibus circumſtantiis, manifeſtè magis facturum ad tuam perfectionem. Quæ ratio gignit probabilita- 357
tem ſpeculativam, & fortè practicam opinioni Valentiæ, Sayri, Arragonii, extendentium eam etiam ad vota reſervata, quamvis diſſentiat cum pluribus Sanchez *cap. 52.* agnoſcens tamen, & meritò, poſſe omnia reſervata commutari in votum Religionis propria autoritate, & negans (ſuffragante ipſa, ni fallor, certa praxi ſaltem reſpectu voti caſtitatis) poſſe ullum reſervatum proprio arbitrio mutari in aliud diverſum à Voto Religionis. Et verò permittunt Jura, & Doctores autoritate propria commutari vota, quibus effectus es membrum Ordinis imperfectioris, aut Monaſtici, in perfectiorem, & Mendicantem.

358 III. Eſt quoque ob autoritatem Majoris, Medinæ, Henriquezii relatorum à Sanch. *cap. 49. num. 16.* itemque Cotonii *Lib. 1. Controverſ. 12. cap. 3.* Bartholomæi à Fauſto, quem refert Diana *Part. 3. Tr. 11. Reſol. 48.* & Villalobos, quem iiſdem jungit Diana *Part. 3. Tr. 5. Reſ. 25.* contra Sanch. & plurimos alios probabile, quòd quiſque votum ſuum (non reſervatum) propria autoritate licitè, validéque commutet in rem evidenter æquè ſibi proficuam ad ſalutem, fateturque Suarez *Lib 6 c. 20. n 4* hanc ſententiam eſſe probabilem, cujus ratio eſt, quia cultui Dei, noſtræque ſaluti nihil derogatur, quando aliud æquè nobis bonum opus præſtamus, ac illud, quod vovimus, eſtque hoc verum licèt id votum ſit editum in favorem tertii, qui nondum acce-
ptavit. Coton. *loc. cit. num. 16.* Ut verò valida 359
ſit commutatio, neceſſe non eſt, dicas expreſſè, & formaliter: *Volo hoc meum votum commutare in illud opus bonum*, ſeu: *Voveo, me hoc facturum loco mei prioris voti*, ſed ſufficit, modò decernas loco tui voti hoc certum opus peragere, & practicata aliquamdiu hac commutatione poteris, ſi lubeat, redire ad prius votum. Et verò vota omnia tam perſonalia, quàm realia commutari facto ipſo in profeſſionem Religioſam, ſeu ſolennem tradit Pellizarius in Man. Regular. *Tom. 1. Tract. 3. cap. 4. num. 19.* cum aliis contra Buſenbaum, & alios diſſentientes quoad perſonalia. Verùm Anno 1661. ſecutus fui conſulendo doctrinam Pellizarii.

360 IV. Quin Leſſius *cit. cap. 40. num. 105.* Vivaldus, & plures alii contra alios faciunt Confeſſario jus comutandi votum (non reſervatum) ſui pœnitentis in rem æquè bonam. Quæ doctrina utique vera eſt reſpectu Confeſſarii Jubilearis, & etiam in ordine ad tres ex ſe reſervatas peregrinationes, ut patet ex Bullis communiſſimis Jubilæorum extra Romam. An verò tempore Jubilei Romani, ſeu Anni Sancti competat Romanis Confeſſariis aliqua poteſtas in peccata reſervata, ac Vota diſputo latè, propter rationes dubitandi omnino novas, in Quinario. *Tract. 3. Toto cap. 48.*

361 V. At verò in rem minùs bonam nemo planè validè commutat, niſi præditus poteſtate diſpenſandi, aut ſaltem privilegio commutandi,

di, quale privilegium datur tempore Jubilæi, cujus vi commutari poſſe omnia, exceptis caſtitatis, & Religionis, in opus aliquanto minùs bonum tenent ii, quos refero in Quinario *Tr. 3. cap. 39.*

362 VI. Ut commutatio licitè fiat in opus melius, non exigitur peculiaris cauſa, ut in æquè bonum, ſufficit voluntatis in hoc major inclinatio. Leſſius *num. 110.* conſentiente Laymanno *cap. 8. num. 21.* in caſu, quo vovens inſtanter petit commutationem. Quando dubitatur, an opus ſit æquale, ſufficit notabilis moleſtia in exequendo, vel magna fragilitas cum periculo violandi, vel repugnantia patris, vel mariti, etiam circa vota non præjudicantia eorum poteſtati. Leſſius *loc. cit.* At quando commutatio eſt facienda in opus aliquanto minùs bonum, exigitur cauſa urgentior, non tamen neceſſariò aliqua, quæ obſiſtat executioni prioris voti. Laymannus *loc. cit.*

363 VII. Dixi quidem in Quinario *cit. Tract. 3. cap. 39. num. 300.* me non legiſſe, qui neget, eſſe in commutatione peregrinationum habendam rationem expenſarum faciendarum in itu, at lectis poſtea iis, quæ *Caſ. 7. num. 241. & ſeqq.* retuli ex Palao, & Tamburino, tunc nondum à me lectis circa hanc materiam, judico, hoſce duos autores negaturos hanc obligationem, quam etiam apertè negant Henriq. Rodriq. Graffiis, Angles apud Sanchez *cit. cap. 56. num. 16.* Faciunt clarè huc ea, quæ concluſi ſuprà *cit. Caſ. 7. num. 254. & ſeqq.*

364 Quæritur IV. *Quomodo ſint doctrinæ de commutatione votorum practicandæ ſingulariter tempore Jubilei.* Reſpondeo iis modis, quos ſuggeſſi, declaravi, probavi in Quinario *cit. Tract. 3.* ſeu de Jubileo *Quintuplici*, in quo reſolvo ſequentia dubia facientia ad hunc locum.

I. Quænam generatim obſervanda ſint circa votorum commutationem tempore Jubilei. *cap. 37. quæſt. 103. num. 282.*

II. Quænam vota commutandi poteſtas detur in Jubileo, an etiam jurata. *cap. 38. num. 286.* An pœnam jam incurſam ob tranſgreſſionem voti *num. 288.* An vota in favorem hominis, aut ad honorem alicujus Sancti emiſſa *numero 288 & 289.* Qualia alia in ſpecie vota. *n. 290. & ſeqq.* Et ſingulariter quid tunc agendum circa vota *impuberis. 295.* Et circa illum, qui petit commutationem voti, ſed abſque ulla neceſſitate, aut rationabili cauſa. *num. 299.*

365 III. In quas res ſit practicè loquendo facienda commutatio. *num. 301.* & quando *301.* An in utraque hebdomade Jubilei, adeóque bis. *num. 302.* Et an ita dicendo: *Commutato tuum votum in illam materiam, quam hic vel ille vir prudens judicârit poſt tres, decem, triginta dies eſſe ſubrogandam tuo voto. num. 305.* vel ita dicendo: *Commutabo poſt unam, duas hebdomadas, ubi rem meliùs expendero. num. 307.* Et an illa, quorum commutationem pœnitens non petiit tempore Jubilei, ſeu ex oblivione, ſeu dedita opera *num. 308. & 309.* reſpondeo autem ad hanc ultimam quæſtionem itidem affirmativè ex fundamento frequentiſſimi uſûs, quòd ſcilicet is, qui perfecit omnia præſcripta pro Jubileo, poſſit etiam decennio poſt elapſum tempus Jubilei petere illos favores circa abſolutionem à caſibus reſervatis, & commutationem votorum, quos poſtulare poterat ipſo tempore Jubilei, & quidem petere extra Confeſſionem, ut exprimo ibidem *num. 283.* Ad hoc fundamentum traditum *cap. 32.* illius Tractatûs *num. 242.* me & te, mi lector, remitto *cit. num. 307. 308. 309.*

366 IV. Minutim *cap. 42. num. 311. & ſeqq.* noto, & explico, cùm votum caſtitatis non ſit reſervatum, niſi ſit caſtitatis & perpetuæ, & perfectæ. quænam vota caſtitatis imperfectæ non ſint reſervata, tam in cœlibibus, quam in conjugatis, quæ etiam perfectæ non reſervata. Illic dictorum cognitio, ſicuti & memoria fundamenti traditi *cit. num. 242.* haud parùm prodeſſe poſſunt Confeſſariis, non multum verſatis (& prô dolor, quàm magnus eſt horum numerus?) in lectione practicorum Theologorum.

367 Poſtremò refero *in cap. 42.* ejuſdem tractatus, & exhibeo paradigmata, & exempla, ſicut & poſt jam excuſum illum librum video exhiberi à Cotonio *Lib. 1. Controverſ. 12. num. 48.* poſt P. Tamburinum illarum commutationum, quas viri ſapientes, & pii cenſuerunt poſſe tuta conſcientia fieri circa vota peregrinationis: non ineundi Matrimonii: ſuſcipiendi Sacerdotii: Jejunandi omnibus per totam vitam Sextis feriis: Non admittendi ullum peccatum adverſus caſtitatem: Ingrediendi Ordinem Prædicatorum, denique pro pluribus ejuſmodi paradigmatis remitto Lectorem ad P. Sanch. *cit. Lib. 4. De voto cap. 90.* qui, meo judicio, omnium optimè ad praxin ſcripſit de materia Votorum, quorum, quatenus reſervata ſunt, rationem adhuc aliquantum elucido reſponſo ad hunc

Caſum Fictum, ſed Facto perſimilem.

368 *LEopoldus vita periclitans in mari Adriatico, defigens ſalutis anchoram in Patrocinio Deiparæ, nec dubitans de ſuffragio dixit: Virgo, & Mater DEI, voveo me & ad tuam domum Lauretanam, & ad limina Apoſtolorum Petri & Pauli peregrinaturum, ubi tua ope materna appulero ad littus Venetum, appellam autem uti ſpero.*

Dico, hunc fictum Caſum eſſe perſimilem Facto, quia eſt formaliter idem cum hoc Voto Auguſtiſſimi

FER-

Digitized by Google

FERDINANDI II.

369 *Qui accepto nuntio de ſummo diſcrimine ſibi alicunde imminente ſpem omnem in Deo poſitam habens nihil habebat prius, quam ut divinum imploraret auxilium, & uno Deo, inſpirante votum concepit, ac tantam poſt hoc felicis eventus ſpem hauſit, ut altera ad ſe luce venientem Confeſſarium, divini jam pene certus patrocinii his verbis compellârit: Pater moneat me opportuno tempore votum ut perſolvam; Vovi heri dotem Domui Probationis S. Annæ, ex hoc periculo ubi evaſero, evadam autem ut ſpero, brevi.*

Refero verba, quæ ex ore illius multò Piiſſimi Cæſaris, & Regis excepta poſteritati conſignavit P. Gulielmus Lamormainus in Libello, cui titulus: *Ferdinandi II. Romanorum Imperatoris* VIRTUTES, virtutes equidem ſummæ, eæque omnes, quas in ſummo Principe Chriſtiano requiras. Vides autem, quod fortè vix aliàs unquam legeris, adjici huic voto Auguſtali clauſulam *Ubi*, ſeu *Quando*, quæ licèt ſit apud Teutones æquivoca, ſignificans videlicet tum conditionalem: *Si*, tum abſolutam: *Quando* ſeu: *Quo tempore*, attamen hæc æquivocatio eſt Latinis inſolita.

370 Quæri igitur poteſt haud abſque ratione: *Utrùm votum talibus verbis conceptum debeat haberi pro conditionato?* Cardo autem difficultatis in hoc vertitur: utrùm clauſula *Ubi* indicet in ejuſmodi voto intentionem hypotheticam, an abſolutam, non tamen exequendam ante adventum eventûs ſperati? Quæ difficultas premit in ordine ad praxin, quia ſi vocula *Ubi* accipiatur hypotheticè pro *ſi*, poterit probabiliter tam Epiſcopus extra Jubileum diſpenſare, quàm Regularis Mendicans etiam extra Jubileum commutare alterum votum Leopoldi, ut liquet ex dictis ſuprà *num. 329.* nullus autem horum poterit extra Jubileum mittere falcem in hac meſſem, ſi vocula *Ubi* accipiatur propriè, & rigidè pro Quando, ſeu *poſtquam*: Si Leopoldus linguâ Teutonicâ edidiſſet ejuſmodi votum, & ſimiliter Germanus, non multùm gnarus linguæ latinæ uſus eſſet his ipſis verbis, haberem id votum pro propriè hypothetico, quia in dubio, ſnque æquivocatione recurrendum eſt ad uſum communem juxta apertiſſimam legem *Labeo. ff. De ſupell. leg.* ſtatuentem verba eſſe ex *uſu communi exaudienda*, communiſſimus autem uſus Germanorum eſt, ut quando in votis utuntur particula Wann, ſignificante apud ipſos tam *Si*, quàm *Quando*, ſeu *Ubi*, accipiant hypotheticè, non abſolutè, ſicuti & mediocriter tincti lingua latina Studioſi Rhetorices, Theologiæ, imò & plurimi Sacerdotes, promiſcuè utentes illis duabus clauſulis *Si*, & *Quando*, ſeu *Ubi*, cùm ſoleant etiam inter Germanos peritiores, diſtinguere ſicuti ſanè debent. At quia Pater Lamormaini fuit alienus ab illo idiotiſmo Germanico, accepit utique voculam *Ubi* propriè pro *Quando*, ſeu *Poſtquam*, atque ita intellexiſſe exiſtimavit ipſummet Imperatorem, ſi fortè ſuum votum retulit lingua Germanica (de quo dubitari poteſt, cùm fuerit illi, qui ſe Regem Romanorum eſſe noverat, familiariſſima lingua Romana) ſuo illi Confeſſario, pro quibus duabus particulis ſi ſumpſit Leopoldus τὸ *Ubi*, obligavit ſe voto abſoluto, non autem conditionali. Et certè nemo negabit, quin tale votum poſſit ita explicari: *Quia planè confido, me ope Deiparæ eluctaturum ex hoc diſcrimine, voveo fore ut me conferam Lauretum, & inde Romam, mox ut pervenero Venetias.* Quæ explicatio, ſeu locutio excludit omnem dubitationem circa illam ambiguam ſignificationem: Optimè aget Confeſſarius Germani uſi ſua æquivoca particula, ſi examinet, quo ſenſu eam protulerit, in dubio autem accipiet pro hypothetica particula, & commutabit tempore Jubilei, vel etiam pòſt, quemadmodum declaro hoc

Caſu Muliebri.

Lucretia vidua ſanctè vovit, ſe nulli amplius nupturam, triennio pòſt pœnitet voti non ſine cauſa rationabili: Aperit ſuo parocho votum, & deſiderium tranſeundi ad ſecunda vota, unà cum cauſa, cur hunc tranſitum poſcat. Interrogor ſcripto: Quì cenſeam conſulendum Lucretiæ? 371

Reſpondi I. Poſſe diſpenſari à D. Vicario Generali, licèt enim id votum ſit votum, & caſtitatis, & perpetuæ caſtitatis, non tamen eſt votum perfectæ, & idcirco non reſervatum. Suprà *num. 370.* 2. Poſſe quoq; commutari tum à Confeſſariis Ordinum Mendicantium etiam extra Jubileum: tum etiam extra Jubileum à quovis ſacerdote, à quo poterat Lucretia commutationem petere tempore Jubilei, ſi quod ipſa Lucretia lucrata fuit poſt editum votum; cùm hoc non ſit reſervatum, ex dictis ſuprà *numero 370.* & jus petendi commutationem duret etiam tranſacto Jubileo per fundamentum traditum ſuprà *num. 365.* & quidem extra Confeſſionem *ibid.*

VOTA, AN ET QUATENUS IN DUBIO OBLIGENT, INTERPRETANDAQUE SINT.

CASUS XII.

Bonæ Animæ:

SUMMARIUM.

Caſus uxoris dubitantis an non voverit caſtitatem, hoc ipſo quòd dubitet an non voverit Reli-

 gionem:

Digitized by Google

gionem: ideóque à Confeſſario prohibita petere debitum. 372.

Reſolutio hujus Caſus. 373.

Supponenda Confeſſariis, ut Vota dubia faciliùs expediant. 374. & *ſeqq.*

Quid agendum dubitanti an votum aliquod emiſerit? 380.

Quid dubitanti an voverit Religionem in genere tantùm: vel certam in Specie? 381.

Quid dubitanti an voverit Caſtitatem perpetuam, aut temporalem? 382.

Quid dubitanti an voverit Perſeverantiam in Religione, necne? 383.

Quid illi, qui ſcit ſe emiſiſſe Votum, at dubitat an animo ſe obligandi? 384. & 388.

Tres Regulæ ex Sanchez ad dignoſcendum propoſitum a Voto. 387.

Quid reſolvendum ab illo, qui dubitat, an tempore voti habuerit ſufficientem uſum rationis. 390. & 391.

Quid faciendum dubitanti, an materia voti ſit licita vel non? & non habenti quem conſulat? 392.

Quid illi, qui dubitat an executio Voti ſit poſſibilis, vel non? Ibid.

Quid dubitanti, an cauſa ceſſans voti fuerit finalis, vel impulſiva tantùm? 393.

Quid aget dubitans an voturus fuiſſet, ſi ſupervenientes graves difficultates prævidiſſet? Ibid.

Ad quid obligandus ille, qui nec quantitatem, nec qualitatem voti determinavit? Ibid.

Quid ſi quis dubitet, an intenderit ſe obligare ad ſupplendos Voti defectus? Ibid.

Quid agendum ſcienti ſe voviſſe Caſtitatem & Religionem, ſed dubitanti an illam dependenter ab hac? 304.

Quid illi, qui dubitat, an Renovationes ſuæ Profeſſionis invalida fuerint veræ Ratificationes, vel renovationes puræ? Ibid.

Reſolutio recentis Caſus in materia Votorum dubiorum 395.

372 *Marcella jam Matrimonio juncta dubitat, an ante connubium voverit caſtitatem, idcirco autem anxia, quòd dubitet, an voverit ſe ingreſſuram alterum è duobus Monaſteriis, ad quorum unum petiit quidem admitti, ſed repulſam paſſa eſt, anceps nunc hæret, utrùm etiam petierit admitti ad alterum? Aperit hæc dubia Confeſſario, jubet hic eam abſtinere à petitione, non autem à redditione debiti. Rogor ego in Majo Anno 1669. ſententiam à quodem præſigni parocho. Quid reſpondendum autem fuit?*

373 Reſpondi, Confeſſarium in primis fuiſſe rigidiorem æquo, quandoquidem Confeſſarius non debet pœnitenti laqueum injicere abſque neceſſitate. *Cap. De viduis. 27. quæſt. 1.* Ex una autem parte mulieres ſæpe difficulter abſtinent à petitione, ſaltem indirecta, debiti, ergo his injicitur laqueus interdicendo eis petitione. Ex altera autem parte nulla aderat neceſſitas, eſt enim probabiliſſimum, quòd in ejuſmodi caſu non ſit habenda ratio practica dubii, ut jam jam videbimus, Confeſſarius autem tenetur ex charitate ſequi tunc probabiles opiniones, quando ſectando ſeveriores conjicit pœnitentem in periculum peccati formalis, ut liquet ex iis, quæ diſſero in Quinario *Tract. 1.* ſeu *Clypeo Clement. Judic.* quem caſſo ictu petiit Stephanus à S. Paulo, ut demonſtro in Exper. Append. ad Tract. 1. fol. *decimo* Editionis Venetæ. (fol. 15. hujus Edit. Monacenſ. 2.) Reſpondi deinde, eundem Confeſſarium erraſſe, dum ſuppoſuit, votum caſtitatis includi in voto ingrediendæ Religionis, cùm ne quidem includatur in voto ſuſcipiendi poſtridie Subdiaconatum, ut noto in Quinario locis; quæ indicavi Caſ. præced. *num. 366.* Porrò quia multò frequentiſſimæ quæſtiones, & caſus contingunt, & proponuntur circa dubia vota, quò Confeſſarii faciliùs illa expediant, ſupponenda ſunt ſequentia.

I. In dubio melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem. Hanc Regulam trado, explico, firmo in Quinario *Tract. 1. num. 116.* & *Tract. 3. num. 294.* 374

II. Quidquid adſtringendæ obligationis eſt, id niſi palàm verbis exprimatur, omiſſum intelligendum eſt. Text. *Leg. 99. ff. De verb. obligat.* Etenim facta non præſumuntur, ſed probari debent. *Leg. 1. Cod. De probat.* 375

III. Nominatim obligationes gratuitæ ſunt potiùs reſtringendæ, quàm ampliandæ. Laymann. *Lib. 5. Tract. 5. cap. 6. num. 14* quia videlicet actus cenſetur in dubio eſſe ita geſtus, ut ſit gerenti, quàm minimè oneroſus. Jac Menochius *De præſumpt. Lib. 6. tota præſumpt. ſexta*, probans multis autoritatibus, & declarationibus, ſicut nec præſumitur quiſquam voluiſſe imponere ſibi onus; aut obligationem, niſi manifeſtè conſtet. Palaus *Part. 1. Tract. De Legib. Diſp. 3. punct. 2. num. 12.* 376

IV. In dubio eſt tutior pars eligenda, eligenda, inquam, ex ſolo conſilio, non ex præcepto, ut oſtendi in Quinario *Tract. 1. numero 156.* 377

V. Semper ſervatur hæc Regula, quòd in dubio votum non obliget formaliter loquendo. Sic loquitur Suarez *Lib. 4. De voto cap. 6. num. 2.* Id eſt, quando perpenſis omnibus circumſtantiis, & omnibus præſumptionibus aptis ad tollendum dubium, nihilominus tamen rationabiliter dubitas, an emiſeris hoc, aut illud votum, aut cum neceſſariis ad voti conſtitutionem, poteris te habere perinde, ac ſi nôſſes, te non voviſſe. Dico: *Conſideratis omnibus*, ſæpe enim fit, ut res maneat dubia ſub hac, aut illa conſideratione, at deſinat ſub alia conſideratione, ſeu poſt conſiderationem alicujus alterius rationis, & fundamenti eſſe dubia, ſed fiat moraliter certa. Hanc Regulam Suarezia- 378

nam

nam nixam Axiomatis *num. 373. 374. 375.* re-
præſentatis cum adducta explicatione ſubaudi
in omnibus jamjam adferendis reſolutionibus
practicis.

379 VI. Denique prima & præcipua ratio eſt
habenda intentionis, quandoquidem nemo ſe
obligat, qui non habet animum ſe obligandi,
& proinde omnium votorum ſenſus, & obliga-
tio deſumenda ſunt in dubio ex intentione jux-
ta Regulam ultimam *De Reg. jur. in 6.* ſi de ea
conſtet certò, vel probabiliter. His ſuppoſi-
tis.

380 Dico I. Dubitans, an votum aliquod emi-
ſerit, debet, priuſquam agat contra illud, co-
gitare, utrùm revera ediderit, necne? Si nihil
certi deprehendere poſſit, ſed remaneat dubi-
us, aget perinde ac ſi nôſſet, ſe nullo voto eſſe
obſtrictum. Suarez *cit. Cap. 6.* & apertè ſequi-
tur ex Axiomatis ſuprà allatis, ac nominatim
ex Regula Suareziana, quibus adde, quòd ne-
mo ſit ad ſolutionem certam adigendus pro de-
bito incerto. Ex quibus deduces cum Diana
Part. 4. Tract. 3. Reſ. 10. & aliis apud ipſum
ſequentia.

381 I. Certus, ſe emiſiſſe votum Religionis,
dubitans verò, utrùm Religionis in genere, an
verò hujus, aut illius particularis, eliget è non
Militaribus quam voluerit, quia in tali dubio
non tenetur credere, ſe potiùs hanc, quàm il-
lam elegiſſe, quandoquidem factum non præ-
ſumitur, ſed probari debet.

382 II. Certus ſe voviſſe caſtitatem, dubitans
verò utrùm perpetuam, an temporalem, im-
memor quoque verborum, quibus uſus eſt, ſa-
tiſfaciet conſcientiæ amplectendo temporalem,
ſeu uſque ad conjugium, ſecùs ſi meminiſ-
ſet, ſe dixiſſe: *Voveo caſtitatem.* Vide Matth.
Stoz in Inſtruct. confitendi *n. 374.*

383 III. Certus ſe voviſſe Religionem, at du-
bius, an perſeverantiam in illa, non tenetur
perſeverare, ſicut nec tenetur totum Roſari-
um, ſeu Pſalterium recitare, memor ſe voviſſe
recitationem Roſarii, at ambigens, an totius.
Ita Diana probabiliter, reipſa tamen primam
reſolutionem nego conformiter doctrinæ tra-
ditæ ſuprà *num. 295.* ex Leſſio, & Laymanno,
nam in dubio non eſt præſumendum delictum,
ut mox dicam.

384 IV. Similiter ſciens, ſe ediidiſſe votum,
dubitans autem, an cum animo ſe obſtringen-
di, cenſebit ſe obligatum. Diana *ibid.* contra
Alphonſum Leonem. Et ratio generalis, (ſe-
cundùm quam etiam limitari debet noſtra con-
cluſio,) eſt, quòd, quando aliqua præſumptio
militat pro emiſſione reali voti, debeat in du-
bio ſtari pro voto, non pro libertate, id eſt de-
beat illud dubium pelli, & loco illius formari
opinio, quòd revera adfuerit prædictus animus.
Siquidem præſumptio habetur pro veritate i-
pſa, quamdiu non eliditur alia vel majore, vel
ſaltem æquali. Peckius *in Regul. 44.* in 6.

385 Militat autem in noſtro caſu præſumptio
pro emiſſione reali voti hæc triplex, quòd vi-
delicet quiſque præſumatur, ac rationabiliter
judicetur, & velle actum gerere juxta ſuam na-
turam, & nôlle graviter peccare, cùm in du-
bio non ſit præſumendum delictum, & velle eo
modo ſe gerere, quo cæteri homines. Atqui
in primis de natura voti eſt obligatio: & non
poteſt ſine grandi ſcelere quis promittere Deo
aliquid, ſaltem gravis momenti, ſi non habe-
at animum ſe obligandi, & denique inter mille
non eſt reperire unum, qui ſciens, quid ſit vo-
vere, non habeat animum ſe obligandi.

Haſce tres præſumptiones expreſſi hîc, quia 386
una, aut plures ex eis applicanda erit quibuſ-
dam ſecuturis reſolutionibus. Quibus addo,
te eſſe liberum obligatione voti, etſi ſtatueris
firmiter, te hoc, aut illud præſtiturum ad ho-
norem Dei, ſi re bene expenſa remaneas dubius,
utrùm illud tuum ſtatutum, decretum, & pro-
poſitum elicueris, cum pollicitatione exequen-
di, hoc enim ipſo quòd de hoc dubitas, dubi-
tas etiam de ſubſtantia voti, utpote eſſentiali-
ter exigentis promiſſionem, ideòque patroci-
nantur tibi verè Axiomata allata ſuprà *num.*
373. & *374.* Conſentit Sanchez *Lib. 4. De vo-* 387
to Cap. 5. ſubdens tres Regulas percommodas.
Prima eſt hæc: Si non ita diu poſtquam ſtatuiſti
aliquid facere, dubites an promiſeris, judica-
bis non promiſiſſe, quia non tam facilè, & ci-
tò obliviſcimur magnarum promiſſionum. Se-
cunda: Quando verba, quibus uſus es, non ſi-
gnificant ſuapte natura promiſſionem, præſu-
me in dubio, te non promiſiſſe, quia & facta
probanda ſunt, non autem præſumenda, & ver-
ba ſolent concordare cum intentione, niſi illa
verba pronuntiâſſes per modum cujuſdam pa-
cti, ut ſi dixiſſes: *Domine Deus redde mihi ſani-*
tatem, & peregrinabor Lauretum, juxta dicta
ſuprà *num. 13. & ſeqq.* Tertia: Si verba, quæ
uſurpâſti, ſignificant ex ſe promiſſionem, in
dubio præſumes te promiſiſſe, quia præſumere
debes, mentem tuam concordâſſe cum verbis.
Nemo enim cenſetur dicere id, quod non ha-
bet in mente. Leg. *Labeo* ff. *De ſupell. legata.*

Dico II. Qui ſcit ſe emiſiſſe votum, at du- 388
bitat, an cum intentione ſe obligandi, tenetur
ſe gerere, perinde ac ſi liquidò ſciret, ſe habu-
iſſe illam intentionem. Quia in dubio præſu-
mitur quis geſſiſſe ſuum actum eo modo, quo
exigit natura actûs. Suprà *num. 383.* & gene-
ratim verba ſunt de ſe ſufficientia ſigna animi,
juxta Leg. *Labeo* nunc primùm allegatam. Diſ- 389
ſentit tamen ab hac communi doctrina P. Tam-
burinus in Decal. *Lib. 1. cap. 7. §. 7.* verb. *Vo-*
tum num. 6. negans noſtram concluſionem id-
circo, quòd, qui dubitat de intentione ſe obli-
gandi, dubitet quoque de eſſentiali parte voti,
verba autem faciant præſumptionem in ſolo
foro externo, non in interno. Sed negatur ob-
ligationem eſſe de eſſentia voti, cùm ſit
tantùm proprietas, & ſoleat in foro in-
terno ſtari præſumptionibus fori externi,
quan-

Digitized by Google

quando nihil ſuppetit in contrarium. Si tamen dubitas, an ſciveris, quòd votum pariat ex ſe obligationem gravem in materia gravi, ſat probabile eſt, te non obligari voto, quia tunc votum non eſt in poſſeſſione. Si autem nôſti, te habitualiter ſciviſſe, obligationem talem adhærere voto, dubites autem, utrùm fueris actualiter memor hujus tuæ ſcientiæ, & obligationis, innuunt quidem Doctores, eſſe te revera obſtrictum, cenſeo tamen, id negari poſſe ſine manifeſta falſitate, cùm toties ſubrepat nobis oblivio, atque inadvertentia actualis, & facta non præſumantur.

390 Dico III. Quando omnibus ſpectatis dubitas, utrùm, quando voviſti, habueris ſufficientem uſum rationis, liber es voto, quandoquidem & facta non præſumuntur, & perfecta deliberatio exigitur ad votum. Potes autem dubitare de hoc ſufficienti uſu, vel ideo, quia dubitas, an emiſeris ante ſeptennium ætatis, ſeu potiùs ante illud tempus, in quo ſolet juxta dicta ex S. Thom. & Suarezio ſuprà *Caſ. 6. num. 165.* in pleriſque tui climatis, regionis, & conditionis oriri perfectus uſus rationis, ſeu doli capacitas, & tunc es liber voto, quia dubitas de conditione eſſentialiter requiſita ad votum, juxta nunc primùm dicta. Vel quia licèt ſcias, te fuiſſe jam ſeptennem, attamen dubitas, an tunc jam perveneris ad perfectum uſum rationis, & tunc, quidquid generatim dicat Diana *cit. Reſ. 10.* Sanchez *Lib. 4. De vot. cap. 1. num. 14* & alii ſatis communiter, non teneris præſumere te fuiſſe jam præditum uſu rationis ſufficiente, ſaltem ſi ſis è gente ſeptentrionali, quia non debes præſumere te ſapuiſſe, antequam ſoleant alii ejuſdem climatis, nationis &c. ſiquidem *communiter nobis reſpiciendum eſt id, quod fit in pluribus.* S. Thomas relatus ſuprà *num. 165.* uſus autem rationis ſufficiens non adeſt, in illis oris communiter ſtatim poſt primum ſeptennium expletum. Sicuti probo *cit. num. 165.* & conſentiunt à fortiori S. Thomas, ac Suarez relati *num. 167.* quem locum Suarezii nequeo concordare cum eo, quod præmiſerat *Lib. 4. De vot. cap. 6. num. 6.* videlicet, eſſe poſt primum ſeptennium ætatis, præſumendum in dubio, de ſufficiente ad hoc judicio.

391 Non tamen aſſentior Dominico Soto ita ſcribenti apud eundem Suarez *num. 5. cit. Cap. 6. Quoties votum eſt factum ante legitimum tempus pubertatis, non obligatur in conſcientia, niſi vovens ſit certus, quòd tunc habuerit uſum rationis, aut nulla, aut tenuiſſima apud minùs prudentes reliqua fiat dubitatio contraria opinionis.* Non, inquam, aſſentior huic tametſi magno Doctori, quia video, judicium, & praxin modernorum Doctorum, & Confeſſariorum obſtare, maneo autem conſtans in eo, quod *num. 167.* ſcripſi de ſeptentrionalibus pueris & puellis. Ac proinde ſi Germanus puer novit, ſe quidem poſt primum ſeptennium ætatis emiſiſſe votum aliquod, dubitet autem, an ante nonum Annum expletum? præſumam non fuiſſe ſatis gnarum rei, quam gerebat, niſi contrarium appareat ex ſingulari indole, aut inſtitutione, etenim in dubio recurrendum eſt ad communiter contingentia. Quid verò ſentiendum, quando dubitatur, utrùm ob vehementiam metûs, aut alterius paſſionis abſuerit requiſita deliberatio, liquet ex dictis *num. 169. & ſeqq.*

Dico IV. Quando omnibus conſideratis dubitas, utrùm materia voti ſit licita, an illicita, nec habes opportunitatem interrogandi ſuperiorem, aut peritiorem te, non teneris implere, quia non teneris te exponere periculo faciendi aliquid diſplicens Deo, dum cupis ipſi placere, bonum enim eſt ex integra cauſa. At ſi pateat aditus ad ſuperiorem, credit Suarez *Cap. 6. num. 12.* contra Sanch. *Cap. 6. num. 8.* Palaum, & Bonacinam *De voto quæſt. 2 punct. 4. §. 2. num. 6.* te obligari ad petendam ab eo interpretationem, vel diſpenſationem, quam utique petes, ſi dubites an materia ſit indifferens. Quando autem dubitas, an executio ſit poſſibilis nec ne, tentabis, ſi certus ſis, non impendere tibi inde notabile incommodum. Secùs ſi prudenter timeas, juxta ea, quæ de cauſis excuſantibus ab auditione Sacri, & recitatione Breviarii dixi in Experientiis *Tract. V. n. 469. & ſeqq.* 392

Dico V. Quando ceſſavit cauſa, ob quam emiſiſti votum, ambigis autem, fuerítne finalis, an impulſiva juxta deſcriptionem indicatam *num. 126.* potes juxta multos cenſere, fuiſſe finalem, adeóque ceſſâſſe obligationem. At non potes juxta Sanch. *Cap. 2. num. 5.* nam poſſeſſio libertatis non favet tunc tibi, ſicut nec favet, quando facto voto ſuperveniunt tam graves difficultates, ut dubites, utrùm fuiſſes, ſi eas prævidiſſes, incluſurus illas, nec ne, ideóque rectè jubet idem Sanchez te ſtare tuo voto, quandoquidem votum eſt in utroque caſu in poſſeſſione, non verò tua libertas, quam conſtat tibi eſſe amiſſam per emiſſionem certam voti. 393

At quando emiſiſti votum; quod neque ſecundùm quantitatem, neque ſecundùm qualitatem limitâſti, potes in dubio dare, aut facere id, quod te minùs gravat, quia es tunc in poſſeſſione tuæ libertatis reſpectu majoris, aut præſtantioris. Facit lex: *Quidquid adſtringenda* deſcripta ſuprà *num. 374.* itémque Regula ex Menochio adducta. Vide tamen limitationem, quam attuli ſuprà *num. 89.* & Caſum adferendum infrà *num. 416.* Item ſciens, te voviſſe jejunium pro certo aliquo die, vel hebdomade, dubitas autem an intenderis, ita te obligare, ut, ſi vel culpabiliter, vel inculpabiliter omitteres, obligareris ſupplere alio die, negat rectè Laymannus *Cap. 2.* obligari te ſupplere, propter Regulas jam primùm citatas. At ſine dubio teneris repetere votum, ſi ſis anceps,

jámne

jàmne expleveris, & nondum effluxerit tempus, cui illud fortè alligaveras, ſiquidem votum eſt tunc in poſſeſſione.

394 Dico VI. Sciens te voviſſe caſtitatem, & Religionem, at hærens, an illam dependenter ab hac, non teneris ſervare caſtitatem, ſi non admittaris ad Religionem. Sanchez *Cap. 16.* ſicuti declaravi vero exemplo *num. 304.* Et qui fecit aliquod votum ob aliquam cauſam invalidum, quod tamen poſtea renovavit, in dubio utrùm, quando renovavit, ſciverit fuiſſe invalidum nec ne, item utrùm renovando voluerit illud tantùm repetere, an ratificare, ſeu addere illi omne robur quoad poſſet, non eſt, cur præſumat illam ſcientiam, hâncque voluntatem. Sanchez *Cap. 1. num. 39.* Vide Dianam *Part. 4. Tract. 3. Reſol. 49.* ubi in contingentia facti tradit hæc duo: Primum, quòd qui edidit profeſſionem ex ignorato impedimento invalidam, quam ſæpius renovavit, ſi ante elapſum primum quinquennium comperiat impedimentum, dubitet verò, utrùm illa renovatio fuerit pura renovatio, an propriè confirmatio, & ratificatio juxta dicta *Caſ. 6. num. 178.* poſſit præſumere, ſe tantùm renovâſſe, & proinde, quòd poſſit redire ad ſæculum, non item, ſi jam elapſo quinquennio manifeſtetur impedimentum. In primo enim caſu jus non præſumit, renovationem fuiſſe veram ratificationem, at in ſecundo id præſumit Concilium Tridentinum De Regular. *Seſſ. 25. cap. 19.*

395 His jam deſcriptis ab Amanuenſi, adeóque 19. Januar. hujus Anni 1672. *mittitur ad me à Reverendiſſimo D. Vicario Generali juvenis circiter 25. Annorum ruri natus, at aliquanto liberalioris indolis, quàm eſſe ſoleat agreſtium, examinandus circa vota caſtitatis, & Religionis, ex eo autem non potui ullis interrogationibus plus expiſcari, quam quòd valde ſeriò dixerit, & quidem ruri abhinc triennium*: O Mater Dei nolo ullam unquam ducere uxorem, ſed volo te habere pro uxore, & volo fieri Religioſus. *Cùm percontarer, utrùm fuiſſet uſus verbis*: Voveo: Promitto: Me obligo, *reſpondit, ſe non meminiſſe, quòd eſſet uſus, poſſe quidem fuiſſe uſum, attamen veroſimilius ſibi videri, nihil ejuſmodi prolocutum ſe eſſe. Inſtiti, an poſt illa ſua verba putârit, ſe peccaturum mortaliter, ſi uxorem duceret? Negavit, ſe hoc putâſſe.*

Ex quibus concluſi, eſſe applicandum ipſi reſponſum, quod ex Navarro retuli *num. 10.* & reſolutionem generalem datam *num. 378.* Nihilominus, quia paratus erat ad quietandam conſcientiam, petere ad cautelam aliquam diſpenſationem, cum onere quater in Anno per totam vitam Sacramentis Confeſſionis & Communionis animam mundandi, muniendíque, ſuaſi, ut hac ratione diſpenſaretur, cùm & ſoleat Papa ita diſpenſare, & ejus ſtylus ſit inferioribus ſequendus. Text. in *Cap. In cauſis. De ſent. & re judic.* Et poterat utique Illuſtriſſimus Dominus Ordinarius, conſequenter in hac ſaltem Diœceſi, ejus Generalis in Spiritualibus Vicarius id præſtare, ſiquidem vota non ſunt reſervata, quàndo non conſtat fuiſſe edita, ſed eſt dubium de iis, ſeu utrùm interceſſerit nec ne promiſſio vera. Suprà *num. 330.* Sciſcitatus quidem ſum, utrùm illo ſuo facto voluerit ſoli B. Virgini facere rem gratam, ſed reſpondit, ſe etiam de Deo cogitâſſe.

FARRAGO VARIORUM CASUUM, ET VERORUM.

IN hac Farragine proferam multos Caſus deciſos jam ab aliis & non deciſos, quorum 396
pleroſque omnes etſi potui locare ſuis propriis ſedibus, placuit tamen certa de cauſa hîc conjungere, ſicuti feci in Alphabeto Baptizantium *Caſ. 20* Statuo autem in fronte hujus Farraginis hunc

CASUM XIII.

Pietatis Diſputabilis.

SUMMARIUM.

Caſus voventis peregrinationem ad Sepulchrum P. Bernardi Colnagi. 397.

Quomodo liceat nondum Beatificatos colere? 399. & ſeqq.

Caſus Archiep. Strigonienſis, à Rege Hungariæ licitè impediti ab executione voti. 404.

Caſus Filii Regis Hungariæ recipientis Votum Patris moribundi, quod Papa ſub Anathemate juſſit eum exequi. 405.

Caſus Promittentis Deo, quòd nolit mori in ſæculo, cum intentione ingrediendi Religionem certam. 406.

Caſus voventis Religionem ſi Frater ejus Romam veniret, qui tamen per decem Annos exſpectatus non venit. 407.

Caſus violantis Votum Religionis per nuptias: ſed poſt varias calamitates petentis, & facilè impetrantis à marito licentiam intrandi. 408.

Caſus voventis alicui Sancto mille Scuta, quæ tamen poſtea videbantur neceſſariò impendenda in dotem Sororis, & duarum filiarum quas acquiſivit. 410.

Caſus voventis Ferias Sextas tranſigere in Pane & Aqua, quæ tamen Aqua modicè ſumpta non levabat ingentem ſitim: largè verò potata morbum creabat. 414.

Caſus Parturientis, ex præſumpta facultate viri Aram voventis & dicentis Religioſo: Dabo vobis, (*pro Ara*) quidquid petieritis. *Quibus tamen duo millia petentibus, ſexcenti tantùm floreni dati. 416.*

Caſus ſexies ingreſſi, & Sexies egreſſi Religionem, quam voverat, & nihilominus fluctuantis in utramque partem. 417.

Caſus obtinentis votorum Commutationem in Inabiles,

Digitized by Google

bileo, quod tamen defectu unius operis requiſiti lucratus non eſt. 418.

Caſus interrogantis an Votum non ludendi aleis, quod ruri degenti facile erat: nunc autem in urbe Socii difficile reddunt, commutari poſſit? 419.

Caſus ſatiſfacientis quidem uni, non item alteri Voto propter gravia impedimenta, & emergens dubium an revera alterum voverit? 421.

Caſus dubitantis an nomine Roſariorum, quæ voverat, intellexerit totum Pſalterium vel tantùm tertiam partem? 421.

Caſus illius, qui vovit, ſe nec ullam Prælaturam, nec Sacerdotium ſuſcepturum. 425.

Caſus illorum, qui Votis ſuis addunt aliquam particulam, excludentem alia omnia. 426.

Citantur variæ quæſtiones de votis alibi tractatæ. 427.

An votum Nobilis Neapolitani de præſtandis omnibus Sumptibus neceſſariis ad Canonizationem P. Bernardi Colnagi fuerit licitum & validum? 430. & ſeqq.

397 *Nicoſiæ erat Novennis puer, qui non modò cum deficiente Luna defectum mentis perpeti ſolitus menſtruum furebat furorem, ſed & podagræ doloribus conficiebatur. Mater triſti ſpectaculo tandem feſſa ad Bernardi preces confugit, & ſe, ſi puero mens, ſanitáſque conſtaret, cum eodem ad Patris tumulum acceſſuram voti Religione obſtrinxit. Vix aliquot lapſæ erant hebdomadæ, cùm pedes ad iter convaluerunt, & integra, peracto voto, corporis, animíque ſanitas, tot Annorum incurabilem morbum ſecuta eſt.*

398 Secuta, inquam, eſt, teſte noſtro Joanne Paulino in vita Venerabilis Patris Bernardi Colnagi, illuſtriſſimâ ſplendore ſummarum virtutum, miraculorum plurimorum, luculentiſſimorum *Lib. 1. cap. 19. §. 10.* Quæret autem fortè quiſpiam, *ſitne fas venerari tum votis, tum precibus publicis homines illuſtres quidem fama ſanctitatis, at nullo publico Eccleſiæ teſtimonio honoratos.* Ad quam

399 Reſpondeo I. Non licere honorare precibus, quæ ab Eccleſia inſtitutæ ſunt pro ſolis Sanctis, aut Beatis, cùm ne quidem relatos in numerum Beatorum licitè colamus Litaniis, & aliis precibus inſtitutis pro ſolis Sanctis Canonizatis, ut pluribus declaro in Experientiis *Tract. 3. in Appendice 1. lit. O. & P. Caſ. 20.* Venetæ (non autem priorum) editionis.

Reſp. II. Neque etiam fas eſſe tales colere eo publico cultu, ſeu Votivo, ſeu precatorio, qui adhibeatur tanquam Cœliti nomine alicujus communitatis conflatæ ex viris, fœminíſque. Ratio eſt, quia bullæ Pontificiæ vetantes, ne imagines illorum, qui nullam ab Eccleſia habent approbationem ſanctitatis, exponantur publicè cum radiis, aliiſque ejuſmodi ſignis ſanctitatis, à potiore vetant cultum ſuſceptum nomine totius talis communitatis, ut ſi oppidum, aut pagus itaret cum parocho ſupplicum ritu ad tumbam alicujus celebrati nomine ſanctitatis, atque ibi nuncuparet pro neceſſitate publica votum, ad honorem illius piè defuncti. Et ſingulariter debet id caveri iſta ætate, qua in Rota Romana, quando agitur de aliquo adſcribendo tabulis Beatorum, tam ſeriò inquiritur, fueritne publico cultu honoratus. Siquidem reſponſio ad hanc quæſtionem affirmativa reddit difficiliorem, lentiorémve approbationem.

Unde, licèt noſtri Patres Friburgenſes in 400
Helvetia nequeant inhibere, quò minùs multi utriuſque ſexus homines confluant ad ſepulchrum Venerabilis Patris Petri Caniſii, ceu certò, eorum opinione, magni Sancti, eíque imponant ſerta, & anathemata, nequaquam tamen iidem noſtri Patres exponunt ea anathemata conſpectui publico, interim rati, agi piè à ſe, dum recurrente annua memoria ejus pii obitus, quæ incidit in feſtum S. Thomæ Apoſtoli, conveniunt in ejus olim cubiculo, nunc in conſecratum Oratorium converſo, ibíque recitant conſuetas omnium SS. Litanias.

Reſp. III. Fas omnino eſt, votis, alióque 401
ſed privato, cultu Religioſo proſequi Lipſana, adeóque ſepulchra virorum, mulierúmque defunctorum cum opinione eximiæ Sanctimoniæ, conſtantiſſima, atque multis, juxta commune prudentiſſimorum hominum judicium, indubitatis miraculis. Ratio eſt primò, quia id factitatum eſt perſæpe cum illis *Sanctis*, qui hoc, & ſuperiore ſæculo ſunt Eccleſiæ elogio declarati Amici Dei. 2. quia habetur de talium receptione in Cœlum ferè tanta certitudo moralis, quanta de veritate Chriſti Corporis reali in Euchariſtia, hîc & nunc conſecrata ab eo, qui habetur indubitanter pro vero Sacerdote. Atqui talem hoſtiam proſequimur adoratione non modò privata, ſed etiam publica, geſtando per plateas, exponendo comprecationi quadraginta horarum, cur igitur ſit nefas adhibere privatam (Eccleſia meritò prohibet publicam) Religioſam venerationem tali viro, tali fœminæ, quales hic deſcribimus! Et verò ad licitè aliquem è Chriſtianè defunctis invocandum in auxilium, non exigi fidem infallibilem de ejus actuali beatitudine, confirmatur inde, quòd ſit quidem articulus fidei, omnes Canonizatos regnare in Cœlo, non item Beatificatos, ut latè oſtendo in Experientiis *Tract. 3. Caſ. 20. Venetæ editionis*, atqui licitiſſimè colimus precibus, & votis privatim quemlibet omnino Beatificatum.

Voco autem etiam illum cultum *privatum*, 402
qui cùm non ſit ſuapte natura publicus, ut ſunt Miſſæ Sacrificium, & Horæ Canonicæ, ſed privatus, ut genuflexio, pia exoſculatio &c. fit loco publico, adeóque in Eccleſia, dummodo fiat à perſona privata, ut privatâ, ſecùs ſi fieret à per-

Digitized by Google

à perſona aut publica, aut privata nomine totius Communitatis magnæ, aut Notabilis. An verò ſi communitas ſit parva, parvæque autoritatis, liceat ejus nomine quidpiam ejuſmodi præſtare, nolo decidere.

403 Hoc ſolùm infero propriè ad hunc locum ſpectans, tolerari poſſe à parochis, atque aliis præſidibus locorum piorum, ut Chriſtiani, qui vota nuncupârunt ad viſendos cineres ſimilium iis, de quibus hactenus, piè, religioſéque exequantur ea, & ſi offerant cereos, imagines, ſeu ſtatuas repreſentantes hanc, aut illam miraculoſam ſanationem, admittant, dummodo non exponant publico ſpectaculo, ſed aſſervent e. g. uſque ad tempus ſolennis Apotheoſeos. *Omnia ſunt licita, quæ nulla Lege prohibita ſunt*, inquiunt Jure Conſulti. Atqui nulla lex, quam nôrim, prohibet quidpiam eorum, quæ hîc aſſero poſſe in praxin, uſúmque redigi. Alia ad præſentem Caſum, & rationes reperiet lector in Append. 1. *lit. O.* & *P.* quam attexui citat. Caſui XX.

404 Huic Cardinali, & idcirco locupletiùs examinato Caſui jungo ſuccinctiùs ſequentes.

I. *Eſt Archiepiſcopi Strigonienſis, qui voverat quidem proficiſci (quàm primùm) ad ſepulchrum Domini, ſed quia Rex Ungariæ ſenſerat conſilium, & auxilium ejus ſibi profuiſſe in Regni perturbatione, & proinde utilitatis ejus non modicum derogaret, ſi Ieroſolymam regno pergeret impacato*, conſultus Alexander tertius reſpondit: *Non eſt voti dicendus tranſgreſſor, qui, quod vovit, autoritate Sedis Apoſtolicæ diſtulit adimplere* Cap. *Non eſt. De Voto & vot. redempt.*

405 II. *Eſt Andreæ Regis Ungariæ, cujus parens agens in extremis, votum, quod voverat Domino Ieroſolymitanam provinciam in forti manu viſitare, ſub interminatione maledictionis paternæ commiſerat dicto filio exequendum, hicque promiſerat, ſe ſine dilatione impleturum.*

Huic tunc Duci, poſtea Regi mandat idem Alexander ſub pœna anathematis incurrendi, juriſque ad regiam ſucceſſionem amittendi, ut mox pareat voto. Refertur hæc ſententia Cap. *Licèt. De vot. & vot. redempt.* ex quo apparet eſſe verum id, quod ſuprà *num. 44.* dixi de gravitate culpæ, quam contrahunt filii non exequentes parentum vota, quæ ſuſceperunt adimplenda: ſaltem quando ſunt de re pergravi.

406 III. *Eſt illius, qui dixit*: promitto Deo, quòd nolim unquam mori in ſæculo, *cum intentione ingrediendi aliquando certam quandam Religionem, at poſtmodum pœnituit verborum, eò quòd factus poſt votum ſacerdos ſæcularis, putet ſe plus boni praſtiturum in ſæculo, quàm in Religione.*

Conſultus Navarrus *Lib. 3. conſ. De vot.* reſpondit, iis verbis non indicari votum, eò „ quòd dicens: *Promitto Deo, me non moriturum in ſæculo*, non ſignificet in rigore, quòd promiſerit ingreſſum in Religionem, ſed ſolùm quòd promiſerit non velle mori in ſæculo, aut, ad ſummum, velle intrare illam Religionem, atqui aliud eſt: *promitto intrare hanc Religionem*, aliud: *promitto velle intrare*, ſicut aliud eſt aſcendere arborem, & velle aſcendere, item aliud: *volo vendere*, aliud: *vendo.* „

Ita Navarrus, cujus Gloſſator ſubdit, hoc reſponſum eſſe cautè legendum, addo & ego. Certè idem Navarrus in conſilio mox ſequenti, adeóque ſeptimo reſpondet totum contrarium de dicente, *promitto mori in Religione.* Subſcribo autem eidem Navarro reſolventi, cauſam, quam attulit ille conſulens, eſſe ſufficientem pro impetranda diſpenſatione, & ſatis innuenti, non ſufficere, ut ſponte contraveniatur illi voto, ſi verè fuit votum.

IV. *Eſt illius, qui vovit ingreſſum Religionis, ſi frater ejus Romam veniret. Exſpectatus decem Annis non venit. Quæritur, utrùm ille vovens potuerit ducere uxorem.* 407

Reſpondit Navarr *Conſil. 15.* non poſſe, priuſquam accedat major probatio mortis fratris, additque, hoc votum non poſſe tolli niſi per Papam, cùm ſit reſervatum. Ego illum voventem interrogâſſem, fueritne ejus intentio exſpectare tamdiu? Reſpondenti negativè ſtatim habuiſſem fidem, quia tam diuturnæ exſpectationes ſunt perraræ, & proinde non præſumendæ, adſtipulor autem quoad relaxationem. Etſi enim illud votum videatur fuiſſe propriè conditionatum, attamen non videtur ſimile iis conditionatis, quorum diſpenſationem Epiſcopis, commutationem Confeſſariis tempore Jubilei, religioſiſque privilegiatis conceſſi ſuprà *num. 325.*

V. *Eſt illius mulieris, quæ poſt votum intrandi Religionem nupſit, nupta ſuſcepit liberos, ſed poſtea mortuos uno excepto. Paſſa in eo Matrimonio multas graves calamitates, credit, eas eſſe ſibi immiſſas ideo, quòd primam fidem fregerit. Quare aperit marito illud ſuum votum, petit ab ipſo, facillimeque impetrat facultatem tranſeundi ad Religionem, nec ullum ampliùs ſubeſt obſtaculum. Quæritur, an teneatur uti facultate, libentiſſimè, & etiam cumpio hortatu conceſſa à marito?* 408

Navarrus *Conſil. 17.* prolixiùs, ac ſolet, diſputans in utramque partem rectè reſpondet negativè: tum quia votum illud videtur per conſummationem Matrimonii fuiſſe ſuſpenſum, ſaltem uſque ad conjugii diſſolutionem per mortem mariti: tum quia per idem Matrimonium acquiſivit illa mulier verum jus ad petitionem quoque debiti, non enim habet minus juris ad iſtud, quàm ad bona hæreditaria, & alia: tum denique quia non videtur fuiſſe ejus mens, obligare ſe ad Religionem poſt tam multos Annos præſertim in Matrimonio tranſactos. 409

VI. *Eſt mariti, juvenis nobilis, qui habens* 410

conjugem morti proximam, turbatus dolore vovit cuidam Sancto mille ſcuta, ſi uxor convaleſceret, quæ & convaluit. Supervenit mors parentis ejuſdem juvenis, qui reliquit multa debita, & filiam Virginem indotatam, & natæ ſunt eidem juveni duæ filiæ. Quæritur, utrùm Papa poſſit juſtè illa mille ſcuta commutare in dotem ſororis, & duarum filiarum.

Reſpondit Navarrus *Conſil. 33.* affirmando: tum quia Papa poteſt relicta in aliquos uſus pios commutare in alios etiam pios. Clement. *Quia contingit. De Relig. domib.* tum quia donatio alicujus rei facta principaliter alicui, cum adjectione, ut eam det alteri tertio, poteſt revocari, quoad illum tertium volente donatario principali. At Deus eſt in hoc Caſu donatarius principalis, qui videtur velle fieri talem mutationem, quando ejus Vicarius judi-
411 cat faciendam. Ego quidem probo hanc reſolutionem, poſito, quòd id votum fuerit, ut prudenter ſupponitur, factum non ipſimet Sancto, ſed Deo, juxta dicta *Caſ. 1. num. 21.* Si enim factum fuiſſet principaliter Sancto tum Eccleſia illius Sancti acquiſiviſſet jus ad dicta mille ſcuta *Leg. Quoties. Cod. De donat.* ideóque Papa non potuiſſet, poſt acceptationem, commutare ſine conſenſu illius Eccleſiæ, ut ſatis innuit ipſe Navarrus.

412 Ad hæc cenſeo, probabiliter non fuiſſe opus ulla commutatione, tradit enim Navarrus, illum juvenem habuiſſe in ſuis bonis non plus, quàm quatuor millia ſcutorum, è quibus ſi debuiſſet detrahere mille ad ſolvenda illa *multa debita* patris (& verò debuiſſet, ſi hæreditatem adiiſſet, & quis dubitet eam aditurum fuiſſe, etiam ad tuendum honorem genitoris?) atque ad dotandam ſororem, remanſiſſent pro ipſo, uxore, filiabus alendis, dotandis tria millia ſcutorum, quæ ſanè Summa tam parva eſt, reſpectu familiæ nobilis, ut non videatur reperiri è centum unum, qui faciendo votum proportionaliter ſimile præſenti, non tacitè excipiat: *niſi duæ, vel plures proles naſcantur ex noſtro Matrimonio.* Atqui præſumitur in dubio quiſque vovere eo modo, quo ſolent ſuæ conditionis homines. Suprà *num. 113.*

413 Nihilominus tamen judico, eſſe veroſimilius, neceſſariam fuiſſe commutationem, vel diſpenſationem, idcirco quòd ex una parte exprimatur in ſpecie facti, utrumque conjugem fuiſſe adhuc Juvenem. Ergo non fuit improviſa ſuſceptio unius, aut etiam duplicis ſobolis. Ergo etiam incluſit ſuo voto iſtum caſum, cùm etiam videatur ita efflictim amâſſe conjugem, forſitan ob mores verè nobiles, ut quaſi pro nihilo duceret præ eâ millena ſcuta, ex altera autem parte permittitur *Leg. Si toties, & Leg. Si mater. Cod. De inoff. donat.* patri, inofficioſæ, ſeu liberis præjudicantis donationis revocatio uſque ad legitimam, habuiſſent autem illæ duæ filiæ, ſtando legibus juris Cæſarei, quibus etiam Italia regitur, ſuam è 4. millibus plusquam legitimam, etſi fuiſſent detracta illa mille, quandoquidem habens non plures, quam 4. liberos, non tenetur his relinquere, niſi tertiam partem bonorum. atqui Eccleſia æquiparatur filiis. DD. ex Authent. *Si mulier. Cod. De ſacroſ. Eccleſ.* Vide Clarum in *Pract. Crim. quæſt. 22. n. 2.*

VII. *Eſt cujuſdam preſbyteri, qui vovit tranſigere in pane, & aqua omnes ferias ſextas, ſed ſucceſſu temporis experitur ſitim propè intolerabilem, quam ſi reſtinguere velit aquâ, prudenter timet notabilem invaletudinem. Rogat ergo me literis 2. Septemb. Anni 1660. datis, ut ſe juvem, quâ poſſim ratione, ſubdens, ſe paratum eſſe dictis feriis vel jejunare, ſed non ſine potu vini, vel prandere, ac veſperi cœnare.* 414

Ego, qui & polleo privilegio noſtro Ordini communi commutandi vota non reſervata etiam extra forum Sacramentale, & noveram, illum ſacerdotem fuiſſe poſt id votum, nunquam ratificatum, non ſemel potitum Jubileo extraordinario, ac proinde adeptum eſſe favores Jubileo annexos, & poſt tranſactum jam tempus Jubilei fruendos ea ratione, quam indicavi ſuprà *n. 365.* commutavi ipſe illud tam rigidum ſimul, & periculoſum (noveram optimè hominem) jejunium in collatiunculam veſpertinam cum vino, permiſſo prandio cum aqua, & in examen veſpertinum conſcientiæ eo die faciendum, ac litanias B. V. recitandas. At quando in dictam feriam ſextam incidet jejunium Eccleſiaſticum, permiſſo prandio, & communi cæteris ſacerdotibus, cum aqua, collatiunculâ veſpertinâ, indixi examen conſcientiæ veſpertinum per octo ſequentes dies.

Hæ commutationes erant utique & æquivalentes illi jejunio, & magis proficuæ animæ voventis, quapropter videntur mihi nunc quoque poſſe fieri in tali caſu. *Vacuus venter non orat libenter*, ut fertur vulgari parœmia, atqui ſacerdotes debent offerre, & orare pro populo juxta Apoſtolum ad Hebr. Imò ſi judicio unius, alteriúſve prudentis viri impendiſſet ipſi periculum ægritudinis ex abſtinentia à vino, non modò ceſſâſſet obligatio voti, quoad abſtinentiam à vino, ſed etiam probabiliter, & conſequenter obligatio non prandendi, cœnandíque, quia videtur voviſſe illam formam jejunii, & non aliam. In caſu autem de certitudine contrariæ intentionis, aut etiam in dubio, videtur ſtandum reſolutione, quam poſt illud meum reſponſum Legi in Tamb. *cit.* §. *6. n. 16.* ubi reſolvit, quòd ſcilicet talis teneatur ſervare jejunium more ordinario, quin imò teneatur veſci lacticiniis, ſi nequeat edere piſces. Sed & Cotonius *Lib. 1. Controv. 2. n. 8.* in fin. ſcribit ex eodem P. Tamburino, jejunium in pane, & aqua rectè commutari in recitationem integri Roſarii (ſeu pſalterii) genibus flexis, addita verberatione corporis, vel in eleemoſynas competentes facultatibus voventis, vel meliùs in Confeſſionem & Communionē: in actū contritionis, vel amoris Dei, & jejuniū, addita recitatione coronæ B. V. celebrationem 415

tionẽ Miſſæ, in cõmunionẽ, & recitationẽ officii, vel coronæ Virginis, vel in eleemoſynas, vel in jejunium. Aliarum commutationum modos reperies loco, quem ſignavi ſuprà. Vide etiam ea, quæ partim ex inſtituto, partim remiſſivè ſcripſi ſuprà *num. 92.* & *ſeqq.* reſpectu illius, qui vovit abſtinentiam à vino ſeu perpetuam, ſeu temporalem.

416 VIII. *Mulieris, quæ inſciò marito (prudenter tamen de ejus voluntate præſumens, & rationabiliter) vovet, ſe aram fieri curaturam indifferenter cuicunque templo, votúmque cuidam Religioſo aperit, à quo mox preces, & Sacrificia ad hanc intentionem offeruntur. Urget mulier, inſtátque ut fervidè orent, ſe*, quidquid petituri forent, *daturam. Religioſus ille unà cum toto monaſterio, audito felici partu dictæ fœminæ, precéſque exauditas, effectúque ſecuto adſunt; duóque millia florenorum petunt pro ara, quam erigere jam cœperant, maritus horret ad petitionem, indignatur, dat tamen ſexcentos thaleros. Nunc hæret illa mulier anxia, an voto fecerit ſatis, præſertim cùm dixerit*: Dabo vobis, quidquid petituri ſitis. *Rogo multùm R.V.*

Ita ad me quidam Prælatus Religioſus, cui, utpote ſapienti, & docto reſpondi breviter. Vel illa fœmina habet in paraphernalibus tantum, quantum pollicita eſt, vel non habet? Si non habet, irritum eſt ejus votum, quatenus excedit voluntatem, conſenſúmque mariti juxta ea, quæ ex omnium conſenſu tradidi ſuprà *num. 214.* Si habet, vel horum etiam adminiſtratio eſt penes maritum, ſicuti eſſe in multis locis noto in loco, quem allego *cit. numero 214.* & tunc ſubſiſtit reſolutio paulò antè data, vel eſt ſolùm penes uxorem, & tunc probabile eſt, pendenda eſſe illa duo millia, eſto improbet maritus, utpote qui per ſe loquendo caret, ut ſic, jure improbandi. Quia tamen *num. 212.* ſcripſi, omnia vota uxoris eſſe ex multorum præſtantium Doctorum ſenſu æquè, ac filiæ impuberis, irritabilia à marito, idcirco poteſt mulier, de qua hic Caſus, ſalva conſcientia ſequi illam tam multorum opinionem, non obſtante quòd dixerit: *voveo me daturam, quidquid petieritis.* Etenim promiſſio etiam jurata, & generalis non extendit ſe non ſolùm ad res certò ſubjectas aliorum arbitrio, ſed neque ad illas, quæ & probabiliter ſolùm ſubjacent tali arbitrio, & inſuper alienari nequeunt ſinè turbatione pacis domeſticæ, amoriſque conjugalis imminutione, ut deducitur ex tradendis circa clauſulam *Quidquid* infrà *num. 465.* & ſingulariter non debet ea hîc movere ſcrupulum, utpote directa non ad Deum, ſed ad ſolos Religioſos, ut loquitur ipſa ſpecies facti. Ergo clauſula: *Quidquid* relinquit ipſum votum in eo ſtatu, in quo ipſum locavêre priora verba, quæ quia tangunt altare indeterminatum quoad quantitatem pretii, fit, ut poſſit ei applicari illa omnium ſententia, quam *num. 80.* expreſſi de votis verſantibus circa materiam indeterminatam quoad quantitatem, & qualitatem.

417 IX. *Eſt viri egregiè docti, qui narrat, ſe frequenter voviſſe ingreſſum Religionis, & intrâſſe illam ſexies, & ante finitos Annos probationis exiiſſe, & nihilominus impugnatur cogitationibus repellentibus illum à Religione, eò maximè, quòd abeſt ab eo alacritas, & devotio proſequendi eam, & perſeverandi, licèt putet, ſe etiam voviſſe perſeverantiam in Religione aliqua faciendam, & propendeat in perſuaſionem, quòd non ſalvabitur, ſi in ſtatu ſæculari moriatur.* Quærit, quid ei faciendum?

Quæſivit, inquam, ex Navarro, poſt multà valde pia documenta tradita concludente, videri ſtatum ſacerdotalem in ſæculo conducibiliorem ad ſalutem hujus hominis, non obſcurè tamen indicante *num. 2.* petendam fuiſſe à Pontifice diſpenſationem, ſeu commutationem. Vide eum *loc. cit. Conſil. 35.*

418 X. *Eſt illius, qui primâ hebdomade Jubilei confeſſus cum propoſito perficiendi omnia opera præſcripta, quæ nondum perfecerat, petit, obtinétque commutationem quorundam votorum, poſtea tamen deflectens à propoſito, omittit unum ex illis operibus. Quæritur utrùm prior commutatio valuerit, & ſi valuit, utrùm nihilominus redeat prior obligatio votorum.*

Valuiſſe fatetur, & rectè Beja in Reſp. *Var. Caſuum Part. 3. Caſ. 20.* egóque probo in Quinario *Tract. 3.* ſeu de Jubileo Quintuplici *Cap. 39. num. 303.* addit tamen, revixiſſe illud votum, ſeu ejus obligationem, ſicut reviviſcit excommunicatio, quando non præſtatur id, ſub cujus præſtandi promiſſione fuerat impertita abſolutio. Verùm eodem *num. 303.* nego illam reviviſcentiam, idcirco quòd commutatio non fiat ſub conditione, ſicut abſolutio à cenſura, ſed ſimpliciter, & abſolutè.

419 XI. *Eſt illius, qui voto non ludendi aleis obſtrictus ſervavit facilè illud per aliquot Annos, utpote ruri degens, at poſt commigrationem in urbem nequit, niſi difficillimè obſervare, propter ſollicitationem ſui ſimilium.* Quæritur an commutari poſſit?

420 Reſpondet Beja *Part. 4. cap. 9.* poſſe utique etiam diſpenſari in eo, quòd licèt ludus alearum perrarò exerceatur ſine peccato, attamen ſit ſatius dare per diſpenſationem facultatem conjiciendi ſe in periculum leviorum peccatorum ſolitorum admiſceri tali ludo, quàm gravium, frequentiúmque tranſgreſſionum voti de non ludendo. Placet hæc reſolutio. Verùm de hac materia fuſiùs agemus *num. 524.* quando tractabimus de Juramento non ludendi.

421 XII. *Illius, qui ſibi reſtitutus ex perículoſa ægritudine, idque ope Deiparæ, ut credebat, promiſit huic, ſe daturum nomen Congregationi Sacratiſſimi Roſarii, addidit quoque, ſe quot diebus ſabbatinis interfuturum Sacro, ſi commodè poſſet,*

ſet. Satiſfecit quidem primæ parti voti, at non ſecundæ propter longum iter, aliaque gravia impedimenta, incipitque dubitare, utrùm auditionem Sacri revera promiſerit, ſicut ſpopondit ingreſſum in Sodalitatem Roſarii. Ad quid tenetur ſtante iſto dubio?

422 Reſpondi, ſi primis diebus putavit, ſe voviſſe etiam Sacrum, fruſtrà nunc dubitat, quia in dubio præſumitur quiſque exercuiſſe actum potiùs honeſtum, & laudabilem, quàm vitioſum, & vituperabilem, ut eſt falſum judicium. Si tamen interea temporis nullum formavit judicium in alterutram partem, cenſui, ipſum ſtare poſſe doctrina allata *num. 373.* quòd videlicet non ſit obligatus, hîc enim favet ipſi poſſeſſio libertatis ſat manifeſtè.

423 XIII. *Illius, qui vovit ternam recitationem Roſarii per hebdomadem, ſed dubitat, utrùm totius Pſalterii, an verò tertiæ partis, cùm jam à multis Annis ſolitus fuerit recitare modò totum, modò tertiam partem.*

Reſp. Ex Regula Menochii relata *num. 376.* cùm ex conſuetudine illius nequeat probabiliter decidi quæſtio, præſumendum eſſe pro leviore onere, ſaltem in Germania, in qua nomine *Roſarii* venit communiſſimè tum Pſalterium: tum tertia pars, ſeu quinque, vel etiam ſex decades, ſicut obſervavi in Quinario *Tract. 4. De indulgent. Part. 2. cap. 15. num. 407.* non obſtante, quòd Navarrus illic relatus neget, eſſe lectum à ſe ullum, qui congeriem ex 63. *Ave Maria,* & 7. *Pater noſter* appellet Roſarium, adeóque recitantes Roſarium, ſeu Coronam ex 63. vel etiam 53. ſalutationibus Angelicis, non poſſe lucrifacere indulgentias abſolutè

424 impertitas orantibus Roſarium. E quo Roſario votivo 53. vel 63. ſalutationum ſi quis omittat ternas, vel quinas, aut fortè etiam denas, non videtur mihi damnandus de mortali, cùm hujuſmodi omiſſio non videatur, præſertim reſpectu 63. ſalutationum, eſſe materia gravis. Poterit verò, talis Roſarium illud recitare alternatim cum ſocio, ſi lubeat, P. Tambur. in Decal. *Lib. 3. cap. 10. §. 6. num. 5.* Cotonius *Lib. 1. Controverſ. 12. cap. 2. num. 5.* cùm cenſeant moderni Theologi, eſſe Roſarii ex voto recitandi eam rationem, quæ eſt recitandi ex pœnitentia ſacramentali. Ego autem in Experientiis *Tract. 5. num. 694.* ſcripſi, poſſe roſarium ex pœnitentia recitandum perſolvi alternatim cum ſocio, idcirco eſt conſequenter vera hæc reſponſio; & præmiſeram *num. 675.* aſſentiente Cotonio *loc. cit.* nihil obſtare, quò minùs tale Roſarium recitetur per partes, tempore disjunctas. Sicut etiam nihil obeſt, quò minùs voto de audiendo quotidie Sacro ſatiſfacias die feſto, aut Dominico, ſi audias unum unicum. Tambur. *loc. cit. num. 4.* niſi fortè aliud intendiſſes. Item, quando voviſti te auditurum uno die duas Miſſas, ſatiſfacies, niſi de contraria intentione conſtet poſitivè, audiendo ſimul duas. Molfeſius apud Coton. meritò dubitantem de hujus reſolutionis veritate.

XIV. Illius, qui vovit, ſe neque ullam 425
prælaturam, neque etiam ſacerdotalem Ordinem ſuſcepturum. Etenim hoc votum eſſe quoad primam partem validum, jam indicavi *numero 71.* & tenet Cotonius *loc. cit.* citans etiam noſtras Conſtitutiones approbantes tale votum, idque perſuadent tum exempla tam multorum Sanctorum, & nominatim S. Conradi Epiſcopi loci, in quo hæc ſcribo, refugientium infulas Epiſcopales, & minimè dubitantium, quin præſtarent Deo rem gratiorem, ſi detrectarent quoad poſſent, quàm ſi ſtatim ſubjicerent iis ſuos vertices: tum pericula, quibus, prô dolor, nimis multi ſuccubuêre per hæc XVI. ſæcula Chriſtianitatis. At quoad ſecundum negat Suarez *Lib. 2. De vot.* ſubſiſtere, cùm unâ ex parte ſit de re honeſtiſſima, uti & Epiſcopatus, & ex ſe non expoſita tot periculis, ob quæ Epiſcopatus videatur meritò refugiendus etiam prætextu voti. Verùm aſſentior Tamburino *loc. cit. Cap. 15. §. 4. 5.* approbanti id votum ex ea humilitate, ex qua S. Franciſcus recuſavit.

XV. Illorum, quorum alii vovent ſe recitaturos Roſarium, Litanias, aut Pſalmos pœnitentiales flexis genibus, & non aliter, auditu- 426
ros die ſabbati Sacrum de B. Virgine, & non aliud, largituros eleemoſynas civibus, at non extraneis, condituros teſtamentum in favorem hoſpitalis, & non alterius piæ cauſæ &c. Etenim conſequenter ad id, quod ſcripſi *num. 71.* reſpondeo cum Tambur. *loc. cit. num. 7.* ſubſiſtere hæc, & ſimilia vota, ita tamen, ut qui ſic vovit, poſſit commutare in rem meliorem, ſicut facilè fieri poteſt, ut eleemoſyna data extraneo ſit acceptior Deo, & Angelis, quàm data hoſpitali.

XVI. Eſt conflatus ex iis votis, quæ pro- 427
poſui, & ediſſerui in Experientiarum diverſis Tractatibus, & quorum lemmata, unà cùm locis, quibus reperiri poſſunt, hîc ponam, fortè præſtaturus rem gratam non uni, ſed pluribus animarum curatoribus, ideóque hîc etiam indicabo quæſtiones de voto reſolutas in eodem Volumine. Itaque ex illic reſolutis 1. Peccat 428
mortaliter negligens Miſſam voto promiſſam *Tract. 5 num. 52.* 2. Voto obligatus ad aliquod notabile opus faciendum, ſi perficiendo illud expreſſè dicat, ſe nolle tunc ſatiſfacere voto, tenetur repetere. Ibid. *num. 106.* 3. Voto promiſſæ preces ſunt probabiliter ſub mortali recitandæ ſine voluntariis diſtractionibus ſi ſint longæ. Ibid. *numero 856.* 4. Votum de confitendis venialibus, ſi talis Confeſſio accidat difficilis, obligat ſub mortali *Tractat. 6. numero 307.* 5. Votum ſimplex caſtitatis in homine ſæculari non dirimit, ſed impedit Matrimonium *Tractat. 9. numero 84.*

quo-

Digitized by Google

quomodo? 89. 6. Potuit Epiſcopus diſpenſare in voto caſtitatis reſpectu cujuſdam, de qua eſt ſermo *Tract. 9. num. 81.* 7. Quemvis eſſe optimum interpretem ſuæ votivæ promiſſionis, declaratur ibid. *n. 94.* 8. Paulò priùs *num. 87.* declaravi, quid agendum eſſet illi, qui voto caſtitatis obſtrictus promittit Matrimonium ſub conditione, quæ poſtea ſupervenit. 9. Votum ſolenne caſtitatis dirimit Matrimonium contrahendum *Tract. 9. num. 148.* ſicut & Ratum jam contractum dirimitur per votum profeſſionis Religioſæ ſupervenienſ. *Tract. 10. num. 635.* 10. Votum ineundi Matrimonium vel cum hac perſona certa, vel ob ſolam gratiam Sacramenti recipiendam non obligat. Ibid. *num. 42.* & *406.* 11. Quomodo obliget votum Matrimonii, in remedium concupiſcentiæ. Ibid. *num. 42.* & *408.* 12. Quomodo votum caſtitatis, aut Religionis dirimat ſponſalia. Ibid. *num. 99.* Quid ſi ſponſa ſit imprægnata? *num. 100.* & *318.* 13. Et quid de voto ſuſcipiendi Ordinem Sacrum? *n.*
429 *319.* 14. Quomodo votum caſtitatis perfectæ, vel imperfectæ, adeóque non petendi debitum obliget, & quis in eo diſpenſet, explico *in cit. Tract. 10. num. 626. & ſeqq.* 15. Singulariter excutio votum, quod nova conjux emiſit de non reddendo debitum primis tribus diebus, vel primis duobus menſibus Matrimonii *numero 608.* & *629.* Omitto alia varia de voto, quæ deſumpta ex iiſdem Tractatibus indicavi in decurſu hujus libelli. At non omitto reſolutionem hujus

Voti Pretioſiſſimi.

430 N*Eapolitanus vir nobilis, & copioſus Bernardum magni fecerit oportet, utpote qui maxima, quam de Patris Colnagi eminente ſuper cæteros virtute conceperat, exiſtimatione ductus, voti Religione ſe obſtrinxit ad omnes, qui ad pompam ſolennem renuntiando inter Sanctos Bernardo neceſſarii fuerint, ſumptus prolixè repræſentandos.*

431 Fidem habeo P. Joanni Paulino *in Lib. 1. cap. 20. §. 9.* Vitæ P. Bernardi Colnagi, de quo ſuprà *num. 397.* ſicuti & fidem habeo literis Roma datis ad me, ſatiſfacientibus meæ petitioni, qua occaſione hujus ipſius Caſus Pretioſi, rogabam die 30. Novemb. præcedentis Anni 1671. ut, quoniam erant ad nos perlata tam ferè incredibilia nova de expenſis factis in nuperam Canonizationem Novorum Quinque Sanctorum, ſcriberet mihi nonnulla de hoc argumento ſpecialia, eáque certa. Reſcripſit autem 2. Januar. hujus auſpicatò inchoati Anni 1672. breviter, & ſufficienter ad inſtitutum in hæc verba: „Canonizatio Quinque SS. peracta menſe Aprili ſuperioris Anni ſtetit quoad apparatum in ſola Baſilica ad S. Petri in Vaticano centum viginti quinque millibus Scutorum Romanorum, ita ut in ſingulos Sanctos fuerint illic expenſa 25000. ſcutorum, præter alios in aliis Eccleſiis Ordinum quatuor, quorum membra fuerant olim ii quinque Cœlites, ſumptus factos.

Ex quibus pronum eſt inferre, quanta vis 432
auri, argentíque neceſſariò ſit eroganda in ſolennem pompam unius, vel duorum, quando unus ſolùm, aut duo (quod ordinarium eſt) oraculo Pontificio inſeruntur albo regnantium in Cœlo hominum. Cùm igitur certum ſit, tam ingentes fieri quandoque expenſas in unum aliquem è Beatorum claſſe inſcribendum claſſi Sanctorum, ut integra, eáque opima patrimonia poſſint in hunc finem exhauriri, ſciſcitabitur fortè quiſpiam, utrùm votum viri illius nobilis fuerit licitum, validúmque. Ratio dubitandi hæc unica occurrit, quòd videri poſſit votum illud fuiſſe expoſitum ingenti periculo magnarum litium, conjunctarum cum maxima exacerbatione hæredum vel neceſſariorum, vel non neceſſariorum quidem, ſed talium, qui eſſent veroſimiliter ſucceſſuri ex teſtamento, vel ab inteſtato, non videtur autem vel Deo, vel Dei amicis probari Votum, cujus obſervatio redundatura ſit in tantam indignationem hominum etiam proborum, & conſequenter ipſammet offenſam divinam. Sicut enim quæ propter charitatem ſunt inſtituta, non debent militare contra charitatem, ut alii, aliíque referunt ex S Bern. ita neque contra Deum illa, quæ ſuſcipiuntur ex pietate in ipſum Deum, ejúſque amicos nimis honoratos.

Reſpondeo in primis, me minimè dubitare, 433
quin id votum fuerit Deo pergratum in concreto, & à parte rei. Nam & objectum fuit apertè Religioſum valdè, & non modò eſt generatim quiſque rerum ſuarum moderator, atque arbiter Leg. *In traditionibus, ff. De pact.* ſed etiam quiſque exercens aliquod ex ſe pium opus, præſumendus eſt exercere illud in numero, pondere & menſura, quibus debet exerceri, cùm bonum ſit ex integra cauſa, & quiſque naturaliter præſumatur rectè agere ea, quæ agit Leg. *Meritò, ff. Pro ſocio,* ibique DD. Deinde nec illi voto, 434
ex ſe tam heroico quidquam detraxit periculum magnæ indignationis, excitandæ in animis hæredipetarum non neceſſariorum, non indigentium, utpote cujus rationem nullam eſſe habendam docuit ille ipſe qui dixit: *An non licet mihi facere quod volo? an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Bona opera eſſe intermittenda, aut differenda propter ſcandalum puſillorum, non autem propter aliorum, docet nos vera Theologia cum S. Thom. *2. 2. quæſt. 43. art 7.* & *Redemptio animæ viri divitiæ ejus. Proverb. 13.* Qua ſententia utitur S Auguſt. *hom. 15. inter 50.* ad perſuadendam bonorum erogationem in pias cauſas. Idem eſto

judicium de hæredibus neceſſariis, ſi, & quatenus illud votum non minuit legitimam partem eis debitam, jure enim ſuo utens circa pias præſertim cauſas, non ſolùm nulli facit injuriam, Leg. *Injuriarum.* & *Leg. 1. ff. De injur.* ſed etiam ſequitur exemplum illorum, quorum ingenti gaudio offerentium Deo ſua vota, & dona, voluntatem ut cuſtodiret Deus precabatur David. *1. Paralip. Cap. 29.*

435 1. Quæritur II. *An, ſi contingat nobilem illum Neapolitanum è vivis eripi, antequam P. Colnagus referatur in Faſtos Eccleſiaſticos, incumbat filiis, aut nepotibus videntibus, audientibus id, quod ipſe cupivit videre, & audire, & non vidit, teneantur facere ſumptus, quos promiſit teſtator.*

Reſpondeo illâ omnium voce decantata ſententia S. Gregorii Papæ: *Ultima defuncti voluntas omnibus modis implenda eſt.* Cap. *Ultima. 13. quæſt. 2.* Quæ ſententia petit directè hæredes. Eſt autem, ſeu fuit utique ultima Nobilis illius voluntas, ut hæredes exſolverent id, quod ipſe promiſerat Deo. Faciunt huc ea, quæ de votis realibus teſtatorum implendis ab hæredibus tradidi ſuprà *num. 38.* & *47.* Excipe: niſi præſtatione illius voti realis minueretur legitima liberorum, etenim legitima non recipit ullum gravamen *Leg. Quoniam* & *Leg. Sancimus Cod. De inoffic. teſtam.* quas leges cùm DD. intelligant expreſſè etiam de piis legatis, intelligent etiam de votis realibus.

VOTIFRAGORUM REATUS, ET POENÆ.

CASUS XIV.

Cavendus.

SUMMARIUM.

Caſus militis graviter puniti à B. V. Cellenſi, quòd non deſeruerit militiam ſicut voverat. 436.

Quanto Crimine ſe obſtringant Votifragi? 437.

Continet eminenter malitiam Sacrilegii. Ibid.

Repugnat per ſe loquendo ſoli fidelitati, per accidens autem non rarò etiam gratitudini. Ibid.

Circumſtantiam tamen ingratitudinis Votifragus in Confeſſione non neceſſariò debet exprimere. 438.

Proponitur objectio, quòd Deus illam ingratitudinem ſæpe puniat relapſu. Ibid.

Affertur Exemplum ejuſmodi relapſûs. 439.

Solvitur objectio. 440.

Reſolvitur Caſus initiò propoſitus. 441.

In Jure Canónico non reperitur ſtatuta pœna in Votifragos generatim, ſed tantùm in aliquos in particulari. Ibid.

Recenſentur autem Varia Exempla Votifragorum divinitus punitorum. 443. & ſeqq.

Singulariter alicujus viri nobilis, quem ſuus equus docuit ſervare Votum. 447.

O Librius miles, adductus à ſuo Duce in certum diſcrimen vitæ, vovit Deiparæ, ſe & inviſurum ad ejus Cellenſe templum, & militiæ, utpote in qua ſe perire corpore, & animo cernebat, miſſurum nuntium, ſi evaderet præſentaneum periculum. Evaſit: ad aram Virginis in genua ſe compoſuit immortales matri gratias ferre ſe dixit, ob periculum capitis à ſe averruncatum, tacita tamen mente ſententia ſtabat, ſagum, & ſagi vitia non exuere. Virgo data ſibi verba ſenſit, quaſi colaphum infregiſſet, plauſibili ictu ſolo afflixit, mens quoque miſero lapſa. Sæpe rogatus quorſum inſolenter ceſpitaret? Altos cum lachrymis gemitus traxit. Poſtquam mentem, ac verba iterum in poteſtate habuit, ſe cecidiſſe clamavit, quòd promiſſis integrè non ſteterit. 436

Eſt hoc LI. ex CC. prodigiis, quæ memoriæ prodidit ſcriptor, de quo memini *num. 265.* cujus occaſione

Quæritur I. *Quanto crimine ſe alligent, qui non reddunt Deo vota, quæ diſtinxerunt labia eorum?* 437

Reſp. Lethali, ſi abſque legitima cauſa prævaricentur in materia gravi juxta dicta *num. 82. & ſeqq.* quod peccatum eſt per ſe loquendo repugnans formaliter ſoli fidelitati, eminenter continens malitiam ſacrilegii. Suarez *Lib. 5. De vot. Cap. 3.* Tambur. in Decal. *Lib. 2. cap. 6. §. 3. num. 13.* ſolùm eminenter, inquam, quia nihil ſacrum violatur, ſed immediatè negatur Deo id, quod fuerat ei promiſſum. Unde fit, ut omnium votorum tranſgreſſio ſit per ſe ejuſdem ſpeciei, probandáque ſit doctrina, quam de Confeſſione votifragorum in materia caſtitatis tradidi *num. 23.* Non rarò tamen adverſatur per accidens ejuſmodi tranſgreſſio, gratitudini quoque. Quando videlicet editum eſt vel in eum finem, ut obtineatur aliquod beneficium à Deo, quod revera eſt divinitus obtentum, vel in gratiarum actionem pro jam ante nuncupationem voti accepto; negari enim non poteſt, quin huic infidelitatis notæ affricetur etiam macula ingratitudinis.

At: *Eſtne tam turpis, ut opus ſit exprimere in Confeſſione dicendo: Semel prævaricatus ſum votum de re gravi, quod emiſeram ob beneficium cœlitus exorandum, aut jam antè impertitum?* 438 Videns ex unà parte, ingratitudinem à Theologis annumerari communiter peccatis ſolùm venialibus, ex altera non fieri ab iis diſtinctionem inter illam ingratitudinem, quæ reperitur

in

in præſenti materia, & illam, quæ in aliis, ut quando homines ſunt tam ſegnes in gratiarum actione pro tot generalibus, & ſpecialibus corporis, animique beneficiis collatis à Deo, nolim ego primus damnare ſacrilegii Confeſſionem, in qua non fuiſſet expreſſa illa circumſtantia formalis, quodammodo ingratitudinis. Vide Suarez *cit. Cap. 3.* accuratè excutientem malitias inſitas tranſgreſſioni votorum. At inquies: *Deus perſæpe illam ingratitudinem plectit relapſu in illam ipſam foveam, è qua priùs tam benignè eduxerat votifragum*, ut liquet cùm aliis ſexcentis: tum hoc

Caſu bis Capti.

439 *Qui à ſuis inimicis detruſus in carcerem obſcuriſſimum, atque inſuper pedibus, manibúſque catenatus vovit, ſe S. Guilielmi Eremitæ cellam quantocyus, ac rectà piè inviſurum, ſi ejus patrocinio vinculis liberaretur. Voto edito cadunt è pedibus, manibúſque compedes, ac manicæ, exit ipſe inobſervatus è carcere, domum currit, non ad cellam S. Guilielmi. Sed tantum flagitium (ſcribit vitæ autor) non impune tulit. Quin imò poſt modicum tempus juxta atrium domûs ſuæ captus, & denuo carceri mancipatus pejora prioribus pertulit. Audiant hoc, & paveant, qui juſta ſua vota ſemel emiſſa non verentur irritare.* Hoc monito hanc votifragi ultionem claudit autor M. S. apud Joann. Bollandum 10. *Febr.* in vita S. Guiliel. Eremitæ.

440 Reſp. 1. Ad objectionem conſtare ex divinæ ſcripturæ interpretibus doctiſſimis, fuiſſe à Deo non ſemel graviſſimis plagis, mortéque ipſa plexas noxias veniales, ut de plaga Ozæ, Bethſamitarum, Davidis jubentis numerari populum, Ezechiæ oſtentantis ſuos theſauros Legatis Babylonis Regis ſentiunt alii, atque alii.

Reſp. 2. Non liquere, quòd Deus voluerit aut ſolùm, aut primariò tam ſeverè animadvertere in illam ingratitudinem. Quin potiùs, cùm ſit apud omnes in confeſſo, irreligioſam infidelitatem, ſeu perfidiam, quæ eſſentialiter adhæret gravi violationi datæ Deo fidei, mereri omnes hujus, & futuri ſæculi pœnas, ac tormenta, nihil autem certi nobis conſtet de hoc merito reſpectu ingratitudinis abſtractæ à perfidia, non eſt, cur cogitemus, eas plagas fuiſſe aut primariò inflictas propter ingratitudinis labem, aut hanc accenſeri à Deo culpis mortalibus, quamvis minimè dubitandum ſit, quin & Deus velit, eas pœnas extendi etiam in ultionem ingratitudinis, & ſæpiſſimè abſtineret à tanto ſupplicio, niſi accederet tanta ingratitudo, quod quidem veriſſimum eſſe fortè olim coram toto mundo fatebitur ille bis captus, de quo hic præſens Caſus.

Quod attinet Olibrium, de quo *num. 438.* 441
luit is tantam pœnam idcirco vel maximè, quòd piſcator tam graviter ictus non ſapuerit, ſed deſtinârit inſtar canis redire ad vomitum. Cæterùm licèt extent in jure canonico variæ pœnæ decretæ in varia crimina, non reperio tamen ullas ſtatutas in votifragos generatim, etſi ſpeciatim Cap. *Porrectum. De Regul.* jubeatur compelli ad ſervandum votum is, qui vovit Religionem, & in ipſos Religioſos tum proprietarios: tum vel maximè apoſtatas reperiantur determinatæ partim in jure antiquo, partim in Bullis extravagantibus, nominatim in Clementina ſimul & Urbana *De largit. muner.* graves pœnæ.

Porrò quia compertum mihi eſt, ab iis, in 442
quorum gratiam præcipuè conſcripſi meos libellos Alphabeticos, videlicet Dominis Parochis lectitari ſedulò, quos hucuſque prelo commiſi, exhibebo hîc è plurimis nonnulla exempla eorum, qui non ſecùs, atque Olibrius noſter, fuêre divinitus caſtigati ob ſuam perfidiam in Deum. Hic breviculus elenchus ſimul & ſynopſis inſerviet concionibus, Catecheſibus, & quandoque farciendis invectivis in votifragos, quorum haud paucos eſt ubique reperire.

Exemplum III. (Primum, & Secundum 443
propoſui ſuprà) eſt mulieris pauperculæ, *quæ cùm emiſſet ſemidenario, quem Virgini Matri ſe oblaturam voverat, obſonium in prandio Paſchalis ſolennitatis, nocte mox inſequente invaſit eam adeò crudelis utriuſque manus digitorum contractio verſus volam, ut ungues penetrarent ingenti cum cruciatu dextram, ſiniſtrámque. Nec ſanitas rediit, donec agnita petiit ſua culpa veniam ſupplex ad lipſana S. Germani Epiſcopi Pariſienſis.* Tympius in *Theatro Vindict. V. Vota violant.* Junge huic ob ſimilitudinem pœnæ illud, quod de accipitre referam inferiùs *numero. 751.*

Exemplum IV. Eſt illius, *qui votum in-* 444
grediendi Ordinem FF. Minorum propria autoritate mutârat in Ordinem Canonicorum Regularium, poſtmodum ad extrema deductus renuit ſuſcipere extrema Sacramenta, aſſerens, apparuiſſe ſibi Chriſtum Judicem, qui dixerit: Vocavi & renuiſti. Ideo vade ad pœnas inferni: *Quo dicto efflavit animam.* Sic, inquam, efflavit teſte S. Antonino, *3. Part. Tit. 24. cap. 9. §. 7.*

Exemplum V. VI. VII. VIII. illius, *qui* 445
patrocinio S. Sigeberti liberatus Cacodæmone, ejus corpus miſerabiliter torquente, promiſit cenſum annuum quatuor Nummorum, ac perſolvit biennio, at cùm neglexit Anno tertio, priſtinus hoſpes eum inſedit, nec receſſit, niſi poſt editam

ad ſacros cineres S. Sigeberti, promiſſionem ſtandi inpoſterum fide obligata.

Hanc tragœdiam reperies pluribus deſcriptam apud noſtrum Bolland. *ad 1. Febr.* in vita S. Sigeberti *fol. 240.* cui exemplo junge illud, quod Surius *Tom. 5. ad ſeptim. Novemb.* refert in vita S. Engelberti *fol. 169.* de juvene Monacho, *qui tribus menſibus dirè vexatus paralyſi, conſanatus autem ab illo ſancto Epiſcopo, poſtquam ſe obſtrinxerat voto ad certas preces ejus honori quotidie perſolvendas, ſed negligens officii*
446 *relapſus eſt in morbum priorem.* Ad 23. diem ejuſdem Novembr. *fol. 606.* in vita S. Trudonis, teſtatur idem Surius, fuiſſe quemdam, *qui poſt editum caſtitatis (hortatu hujus Sancti) votum uxorem duxerat, fuiſſe ab eodem Divo in ſomnis non ſolùm graviter increpitum, ſed inſuper juſſum deſperare de prole ſuſcipienda, atque in ſignum certi vaticinii fuiſſe virgâ ita percuſſum in femore, ut turpiter claudicârit uſque ad mortem.*

Idem Surius *ad 3. Septemb.* in vita S. Remacli Epiſcopi deſcribit turpem plagam, *qua punitus fuit, qui arietem voto promiſſum ſancto Remaclo voravit ipſe cum aliis.* Coronidem toti tractationi de voto, ac ſingulariter de pœnis non ſtantium ſuis votis imponet

Equus Votifragi Doctus.

Willimari, inquam, viri nobilis, qui gra- 447
vi morbo laborans vovit, ſe, ſi S. Gallum Abbatem haberet ſoſpitatorem, monaſterio ejus oblaturum eſſe equum ſuum. Auditur votum, convaleſcit derepente. Cunctatur Willimarus implere, quod promiſit. Aliquamdiu poſt accedit locum nomine S. Galli illuſtrem, non animo faciendi ſatis pollicitationi, ſed alium comitandi gratia. At dum repetiturus domum parat conſcendere equum, hic nec ſeſſorem admittere, nec loco moveri vult. Quare doctus ab equo ſervare fidem Deo, ejuſque Aulicis datam, perſolvit, quod debebat. Rei geſtæ teſtis eſt locuples Wallafridus Strabus ſcriptor graviſſimus *Libro. 2. vitæ & geſtorum S. Galli.*

Hæc ſufficiant de primo, & præcipuo argumento hujus Alphabeti, accingo me ad ſecundum.

PARS

PARS SECVNDA,

DE

JURAMENTO.

JURAMENTI RATIO, ET DIVISIO.

CASUS XV.

Turcicus execrandus.

SUMMARIUM.

Formula Jurandi Turcarum Imperatoris. 448.
Quid ſit Juramentum? 450.
Cur etiam vocetur Juſjurandum & Sacramentum? 451.
Solvuntur tres objectiones contra Definitionem Juramenti. 452. *& ſeqq.*
Chriſtus non prohibuit Chriſtianis omnia Iuramenta. 455.
Tres Conditiones requiſita ad licitum Iuramentum. 456.
Quomodo delinquat, qui ſine his jurat? 458.
Tertia Conditio declaratur Iuramento Herodis. 460. 464.
Et alio Conſiliarii Principis, pandentis Legato Secretum, & Iurantis rem ita ſe habere. 463.
Quotuplex ſit Iuramentum? 468.
Quid per ſe ſtans: & Execratorium? Ibid.
Quid Iuramentum Per Deum expreſſè: & Per Deum implicitè? 469.
Quid Aſſertorium, Promiſſorium, & Comminatorium? Ibid. & 471.
Quid Iuramentum Calumnia. Solenne. In Litem. Voluntarium ſeu Conventionale. Iudiciale. Suppletorium. Deciſivum? 470.
Quid Iuramentum praſtitum Soli Deo. Deo & Creatura Rationali ſimul. Soli Creatura Rationali? 473.
An, & quibus Verbis, vel aliis ſignis ſufficienter exprimantur? 474. *& ſeq.*
Examinatur Iuramentum num. 448. *propoſitum.* 476.
Quid cenſendum de Iuramento Patriarcha Ioſeph: Per ſalutem Pharaonis &c. 477.
Referuntur alia Octodecim Formula Iurandi. 479. *& ſeq.*
Quid conſiderandum judicaturo de talibus Formulis? 481. *& ſeq.* *& ſeqq.*
Examinantur pradicta Octodecim Formula. 483.
Omnia Iuramenta & Perjuria ſunt ejuſdem ſpeciei, niſi accedat Blaſphemia, Execratio &c. 490.

448 P*Annoniæ tyrannus Solymannus Anno* 1530. *confœderationem, quam iniit cum Joanne Pannoniæ, ſeu Ungariæ Rege minimè laudando, ſancivit hoc jurejurando: Ego Sultanus Solymannus Schyack Imperator Turcarum inviĉtiſſimus juro ad omnipotentiam Dei altiſſimi, omnipotentis ſanĉtitatem, ſplendorem, & bonitatem divinitatis ſuæ, ad firmamentum cœli, Solem, Lunam, Stellas, ac ad regnum, & Sanĉtiſſimum Machometem proavum, avum, patrem, matrem, lac, ac panem meum, gladium, animam, ac vitam meam, ac omnium Bozermannorum circumciſorum ſalutem, quòd te fratrem meum juratum Joannem Regem quacunque neceſſitate non relinquam, & ſi promiſſioni meæ non ſatiſfacerem, ex tunc ira Dei Summi, & ejus juſtitia ſuper caput meum veniat, & in totum diſperdat, & quidquid corpus meum attinget, altiſſimus Deus convertat in petram, at firmamentum terræ me ambulantem non ſuſtineat, ſed terra ipſa in duas partes dividatur, ac me totum corpore, & animo abſorbeat.*

Hanc execrativi juramenti perquam impii 449
formulam exhibet Balthaſar Conradus Zahnnius *Lib.* 3. *De mendacio, cap.* 2. *num.* 23, examinandam infrà *num.* 476. At repræſentatam idcirco à me, quia & attingit hæc una formula argumenta variarum quæſtionum proponendarum in decurſu, & facit ad ſtimulandos omnes Chriſtianos, ut ſemper omni ope, & opera juvent ſuos Principes arma moventes in perfidos Turcas, qui juratam fidem ſæpe ſervant aliquot Annis, at poſtmodum imitantur Solymannum, qui inſuper habito illo tam horribili juramento, undecim Annis pòſt, Budam Ungariæ Caput, dolo: alia loca vi cepit, ſuique juris ſine ullo jure fecit. Et tamen memini audiſſe me abhinc Annos plus triginta magnæ virum autoritatis dicentem, à Turcis fœdera ſervari ſanctiùs, quàm à Germanis (Germanus non erat is, quo de loquor) Principibus etiam omnino ſupremis.

Supponendum autem eſt, juramentum ex 450
omnium Theologorum, & Jureconſultorum conſenſu, cujus teſtis eſt Suarez *Tom.* 2. *De Relig. Tract.* 4. *Lib.* 1. *cap.* 1. eſſe invocationem divini nominis, in teſtimonium alicujus rei, ſeu

Digitized by Google

ſeu eſſe actum, quo conamur Deum permovere, ut infallibile teſtimonium perhibeat alicui dicto, vel facto noſtro. Vide S. Thom. *2. 2. quæſtione 89. art. 1.* Itaque requirit juramentum neceſſariò influxum intellectûs, & voluntatis, voluntatis quidem, quia nemo invocat Deum in teſtem, niſi velit, ſeu habeat propoſitum invocandi, ideo autem requirit influxum, actionémque intellectûs, quia voluntas habendi teſtem debet exprimi, non exprimitur autem ſufficienter niſi per intellectum, adeò ut juramentum ſit formaliter in intellectu, non in voluntate.

451 Hinc patet, juramentum meritò vocari etiam Juſjurandum. Etenim juſjurandum dicitur à Jure, vel quia id, quod juratur, pro lege habendum eſt, & veluti jus ſtrictè ſervandum, ut clarè indicatur in *Leg. 5. §. Dato. ff. De jurejur.* vel quia divinum nomen pro jure veritatis conſtituitur, quaſi Deum jurare non ſit aliud, quàm eum pro jure veritatis conſtituere, aut jus veritatis reddere Deo, cui velut ipſiſſimæ veritati propriè competit dictorum omnium, & conventorum veritatem ſua autoritate ſtabilire. Covarruvias *in cap. Quamvis, Part. 1. num. 2.* Meritò quoque juramentum à Latinis dicitur Sacramentum, eò quòd teſte Feſto apud Covarr. *loc. cit.* Sacramentum ſit id, quod juriſjurandi ſacratione interpoſita geritur.

452 Porrò ex allata juramenti definitione ſequi videri poſſint tria inconvenientia. Primum, quòd juramentum ſit precatio, adeóque jurare ſit orare. Alterum, quòd Concionatores allegantes hunc, aut illum textum ex ſcriptura ſacra, ad firmandam veritatem dictorum, jurent, hac enim ratione vocant Deum teſtem. Tertium, quòd omnis jurans tentet Deum, utpote petens ab eo, ut manifeſto ſigno teſtetur, & patefaciat eſſe ea vera, quæ aſſerta ſunt.

453 Verùm reſpondetur ad primum, Deum in juramento invocari quidem à nobis teſtem, at non per modum orantium, ſed per modum ſiſtentium teſtem, ſicuti quando dicimus: *Teſtem hujus mei dicti invoco, aut ſiſto Cajum*, non dicimur ut ſic rogare Cajum. Leſſius *De juſtit. cap. 42. num. 2.* quamvis Valentia *Tom. 3. Diſp. 5. quæſt. 7. punct. 1.* apertè fateatur, jurationem, ſeu juramentum eſſe verè orationem. At revera quando Teutones jurant per Sacramenta, non cenſentur orare.

454 Ad alterum, concionatores non invocant Dei teſtimonium dandum, ſed utuntur jam dato, edito. Ad tertium reſpondet S. Thom. *art. 9.* jurantem non petere abſolutè, ut Deus tunc, cùm juratur, edat aliquod ſignum in teſtimonium veritatis, ſed ut vel tunc promat, vel ſaltem in die Judicii extremi, in quo etiam publicè convinci de perjurio timent omnes Chriſtiani. Adde, quòd Deus non ſemel præſentaneo ſupplicio, eóque publico caſtigârit temeratores ſuæ autoritatis, ut videbimus *Caſ. XIX. num. 701. & 702.* Interim infertur.

I. Juramentum eſſe actionem ex ſe ſanctam, 455
elicitámque à virtute Religionis, ac delirare Anabaptiſtas, dum Chriſtianis interdicunt omni juramento, hoc ſuo commento damnantes Apoſtolum Paulum, qui in ſuis Epiſtolis toties juravit. Cùm autem Chriſtus *Matth. 5.* dicit: ***Ego autem dico vobis non jurare omnino, neque per cœlum &c.*** illa particula ***omnino*** non accipitur pro: ***nunquam***, ſed pro ***nullo modo***, ut patet ex litera, nullo, inquam, modo extra neceſſitatem, vel utilitatem.

II. Ut enim juſjurandum ſit actus licitus, 456
debet eſſe præditus tribus conditionibus, quas inſinuavit (expreſſit autem S. Thom. *art 3.*) Jeremias Vates. *cap. 4.* docens: ***jurabis***: ***Vivit Dominus***: ***in veritate, & in judicio, & in juſtitia.*** Quæ verba explanans D. Hieronymus ait: ***Animadvertendum, quòd juramentum hos comites habet***: ***Veritatem, Judicium, & juſtitiam.*** Eatenus habet veritatem, quatenus id, quod juramus, arbitramur ita ſe habere, ſicut juramus, eſto præter noſtram opinionem ſit falſum. Unde Cotonius *Lib. 1. Controv. 11. n. 11.* Sotum vocat nimis ſcrupuloſum, dum ſcribit, ſe exiſtentem in Hiſpania non audere jurare, Romam ſtare, eò quòd poſſit fieri, ut tunc non ſtet ampliùs. Addit, licèt teſtis peccet, ſi in judicio, ſeu coram tribunali abſolutè juret hoc, aut iſtud, quòd ſolùm audivit ex fide digno, ita ſe habere, non tamen peccare, ſi juret extra judicium, modò credat, illum, ex quo audiit, eſſe fide dignum. An licitè quem inducam ad jurandū verum contra ſuam conſcientiam? Reſolvam ***num. 645.*** Dicimur jurare in ***judicio***, quando juramus eo tempore, quo neceſſitas, vel utilitas poſtulat, alioquin eſſet aſſumere nomen Dei in vanum. Dicimur denique jurare in ***juſtitia***, quando confirmamus jurejurando rem non prohibitam ita confirmari, ſicut prohibemur noſtra prava propoſita firmare juramento.

Etſi autem poſitis hiſce tribus conditionibus juramentum ſit actus honeſtus, non tamen 457
eſt adhibendum ſine neceſſitate, vel utilitate, ſiquidem juramentum eſt juxta S. Thomam *art. 5. in corp.* inſtar medicinæ, juxta Leſſium *cit. Lib. 2. cap. 13. num. 15.* inſtar torturæ ſpiritualis; atqui neque medicina, neque tortura adhibenda eſt abſque neceſſitate, vel notabili utilitate.

III. Eſt autem inter indicatas tres conditiones hoc diſcrimen, quòd qui contra primam 458
delinquit ſeu ſciens, ſeu dubitans, delinquat mortaliter, etſi juretur de re minima, nec enim poteſt vacare gravi irreverentia velle Deum facere teſtem etiam minimæ falſitatis, ſive ſciatur eſſe falſum id, quod dicitur, ſive tantùm dubitetur an ſit falſum. Qui delinquit contra
ſecundam conditionem, licèt per ſe loquendo 459
non delinquat niſi venialiter, quia non niſi levem irreverentiam facit Deo tam facilè, atque ſine rationabili cauſa uſurpans ejus nomen, teſti-

teſtimoniúmque, quia tamen ſicuti à parvis, minutiſque furtis ſternitur via ad majora, ita ex juramentis abſque honeſta cauſa factis inducitur inclinatio ad jurandum non attendendo, ſitne id, quod Jurejurando confirmamus, veritati conſonum nec ne, & conſequenter ad pejerandum, idcirco meritò reprehenditur infinitorum hominum conſuetudo, qui ad quodlibet propè aſſertum jurant *per Deum*, quos inter eſt plurimos è Germanis reperire, qui ut falsò, vel verè credantur vidiſſe Padum, Tiberim, Rhodanum, aut Sequanam, dicunt ad tertium quodque verbum: *Par Dieu: per Dio. Iurationi non aſſueſcat* (monet Siracides c. 23.) *os tuum, multi enim caſus in illo.* Ne ſcilicet jurando ad facilitatem jurandi perveniatur, & ex facilitate jurandi ad conſuetudinem, & è conſuetudine in perjurium decidatur. S. Auguſt. *Lib. De mendacio.* circa medium, monentibus paſſim Doctoribus, illum, qui ita frequenter jurando ſine neceſſitate contraxit conſuetudinem falsò, (ſeu advertenter, ſeu inadvertenter) jurandi, obligari ſub mortali dare operam, ut extirpet illam conſuetudinem, an verò, & quatenus tenearis te hujus non extirpatæ reum agere in foro pœnitentiali, explicavi in Experient. *Tract. 7. Caſ. 18. num. 586.*

460 Tertiam conditionem quod attinet, ejus transgreſſio quantam contineat culpam declarat deciſio hujus

Caſûs Herodiani Juramenti.

Cum introiſſet filia Herodiadis, & ſaltâſſet, & placuiſſet Herodi, Rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi. Et juravit illi, quia quidquid petieris, dabo tibi, licèt dimidium Regni mei &c. propter juſjurandum, & propter ſimul diſcumbentes noluit eam contriſtare, ſed miſſo ſpiculatore &c.

461 Circa quod juramentum obſervandum eſt, illam promiſſionem juratoriam fuiſſe ex intentione hujus impii Regis ſaltem virtuali, ſi non formali, extenſam ad res vel etiam illicitas, vel ſolùm ad licitas? Si ad ſolas, & omnes licitas, fuit ſtultum juramentum, repugnat enim rationi obligare ſe ad quodlibet licitum, ſeu nulla lege vetitum præſtandum, adeóque ad dimidiam partem Regni dandam ob tantillam voluptatem, quantillam adfert ſaltatio filiæ unius publicæ adulteræ.

462 Si verò etiam ad nefaria præſtanda, permittendáve voluit ſe hypotheticè obligare ille Chriſti irriſor, nunc autem Orci ludibrium, admiſit eo juramento primò crimen cujuſdam blaſphemiæ, certè maximæ inhonorationis Numinis divini, non enim poteſt non redundare in Dei contumeliam, velle ſe, ſuáque invocatione ejus nominis, ac teſtimonii obſtringere ad patrandum aliquod grande ſcelus. Imò ſatis credibile eſt, etiam fuiſſe duplex crimen patratum in hoc Caſu

Perfidi Conſiliarii Principis.

Qui grandi pecunia corruptus à legato Principis N. prodidit huic arcanum arcaniſſimum, quia verò legatus nolebat ei fidem habere injurato, juravit per omnia ſacra, ita ſe rem habere. 463

In primis enim noxam lethalem contraxit adverſus fidem datam ſuo Principi, ut deducitur manifeſtè ex iis, quæ de juramentis conſiliariorum trademus infrà *n. 564. & ſeqq.* Rurſum meritus fuit idcirco infernum, quòd iniquiſſimam ſuam revelationem roboraret teſtimonio divino. Suarez *Lib. 1. De Iuram. cap. 3. num. 6.* cum omnibus. Si tamen divinum nomen aſſumatur in robur propoſiti de patrando ſolo veniali peccato, aut in robur revelationis ſolùm venialiter malæ, ſatis veroſimile eſt, non contrahi ut ſic, niſi venialem irreverentiam in Deum.

Ut verò ad juramentum impii Herodis revertamur, primæ reſolutioni datæ *num. 462.* ſubjicio, tum illam S. Ambroſii relatam can. *Unuſquiſque. 22. quæſt. 4.* ſententiam: *Turpe, quòd regnum pro ſaltatione promittitur, crudele, quòd mors Prophetæ pro juriſjurandi Religione donatur*, tum hanc reſolutionem ſecundam, quòd tot ſpecies peccatorum mortalium admiſerit, quot diverſa ſpecie mala venerunt ipſi in mentem, dum ſeriò, & ſine exceptione dixit: *Quidquid petieris, dabo tibi*; eſt enim recepta doctrina, quòd, qui uno interno actu voluntatis intendit diverſa ſpecie mala, patret hoc ipſo vel diverſa ſpecie peccata, vel unum quidem, ſed inquinatum diverſis ſpecie malitiis neceſſariò explicandis in Confeſſione, ſecundum ea, quæ dixi in Quinar. *Tract. 5. cap. 9. num. 73.* 464

Dices: Ille nunc infernalis titio expreſſè dixit: *Quidquid petieris*, vocula autem *Quidquid*, eſt univerſaliſſima, nec ullam recipit reſtrictionem. Barboſa *Dict. 73.* ergo intendit Herodes omnia omnino mala patrare ad velificandum improbæ ſaltatrici, ergo commiſit vel infinita peccata numero diſtincta, vel unum infinitis malitiis ſpecie diverſis infectum. Reſpondetur negando conſequentiam, partim quia non poteſt dari ullum infinitum actu præter Deum, partim quia illa tam prava voluntas non contrahit malitiam formalem, niſi illorum peccatorum, quæ tunc ſaltem ſub dubio apprehenduntur, ſicuti ex Arriaga explicavi in Quinario *cit. cap. 9. n. 79.* Notat verò Suarez *loc. cit. Lib. 2. cap. 32. num. 12.* illum, qui jurat, ſe facturum, quidquid alter præceperit, intelligendum eſſe de illo ſolo, quod fieri poteſt ſine peccato, & tanta difficultate, ut non ſit veroſimile quòd voluerit, ſe ad eam ſubeundam obligare. Vide hanc in rem perappoſitum Caſum *num. 416.* 465

IV. Quan-

Digitized by Google

466 IV. Quandoquidem juramentum propriè dictum continet eſſentialiter invocationem divini Numinis, liquet, illas propoſitiones, quibus juratur per unam, aut plures creaturas, non eſſe accenſendas juramentis propriè dictis, niſi aſſumantur illæ creaturæ, quatenus referuntur aliqua ratione ad Deum, ita ut potiùs per Deum in iis incluſum, per eas indicatum juretur, quàm per ipſas, ut quando juratur per cœlum, quod eſt ſedes Dei, per terram, tanquam aliquod quaſi ſcabellum pedum divinorum, per ſalutem, aut ſolium regis terreni, tanquam res à ſingulari providentia divina pendentes. Clariùs hoc patet in exemplis, quibus Chriſtiani jurant per Crucem Sanctam, per Sacramenta, &c.

467 In his exemplis juratur per ſimplicem atteſtationem. At verò per execrationem tunc, cùm jurantes toties dicunt: *Dæmon me rapiat: vivus hinc non abeam, ni vera loquar, per animam meam ita eſt*, tunc enim devovetur Deo vita, & anima punienda, caſu quo fallat ita loquens. Explicata definitione juramenti.

Quæritur I. *Quotuplex ſit juramentum?*

468 Reſp. Prætermiſſis aliis diviſionibus aliud juramentum eſt, in quo Deus advocatur ſolùm ut nudus teſtis, aliud per execrationem, qua advocatur non ut ſimpliciter, & nudè teſtis, ſed ut teſtis vindicans falſitatem, ſolétque primum juramentum dici juramentum *Per ſe ſtans*, at ſecundum appellatur *Execratorium*, ſive nos ipſos, ſive noſtra Deo per illud peculiariter obligemus ad vindictam. Quamvis autem obligemus nos ad vindictam etiam tunc, cùm ſcientes pejeramus, ſatis tamen veroſimile eſt, non admitti à nobis præter crimen lethale perjurii aliud etiam lethale contra charitatem propriam, eò quòd rariſſimè fiat, ut tunc ſeriò optemus nos à Deo tam graviter puniri, etiam dum admittitur grave perjurium execrativum. Si autem verum eſt, quòd, qui pejerant ad altare S. Antonii, ſtatim plectantur, ut ex Cajet. refert Leſſius *cit. cap. 42. num. 9.* foret utique reus duplicis illius peccati, qui falſum juraret ad illam aram.

469 Rurſum juramentum aliud eſt *Formaliter, & expreſſè per Deum*, aliud per creaturam expreſſè, *Implicitè* autem *per Deum*, juxta dicta *num. præced.* Aliud merè *Aſſertorium*, aliud *Promiſſorium*, aliud *Comminatorium*. *Aſſertorium* merè eſt juramentum per ſe ſtans, quo præciſè aliquid aſſeritur, vel negatur eſſe verum: *Promiſſorium*, quo intendimus nos alteri obſtringere: *Comminatorium*, quo minamur alteri aliquod malum. Itaque differunt iſta juramenta in eo, quòd per merè *Aſſertorium*, ſeu quatenus *Aſſertorium* ſolummodo intendamus dictis noſtris conciliare fidem, per *Promiſſorium* inſuper intendamus nos obſtringere alteri. Denique in *Comminatorio* volumus nos obligare, non utique ei, cui pœnam minamur, ſed abſolutè ad infligendam alteri pœnam, ut nempe conſtricti reverentia juramenti non audeamus eam remittere. Hanc diviſionem juramenti tradit Leſſius *dub. 2.* aliis multis juramentum abſolutè dividentibus in *Aſſertorium*, & *Promiſſorium*, atque ſub *Promiſſorio* intelligentibus *Comminatorium*, quod & nos aliquando faciemus.

Hiſce juramenti diviſionibus, ſeu ſpeciebus 470
familiaribus in ſcholis Theologorum addo non importunè ex jureconſultis ſequentia juramenta. 1. Eſt *Calumniæ*, præſtari ſolitum à litigatoribus, éſtque illud, quo actor, vel reus jurat, ſe exiſtimare, quod habeat juſtam cauſam. 2. Eſt *Solenne*, quod ab aliis *Corporale* appellatur, *Corporale* verò dicitur, quod fit tactis Evangeliis, vel elevatis digitis ſeu, ut ſolent mulieres in his partibus, admota pectori manu. 3. Eſt juramentum *In litem*, quo juras, rem de qua litigas, à te tanti, aut tanti æſtimari. 4. *Voluntarium*, ſeu *Conventionale*, quo extra judicium juras coram adverſario, te ſtaturum hac, aut illa conditione, ſicuti *Iudiciale* eſt id, quod fit coram judice, & quidem aliquando in ſupplementum probationum, & vocatur *Suppletorium*, ſicut illud dicitur *Deciſorium*, ſeu *Deciſivum* litis, quo præſtito fertur ſententia deciſiva, & finitiva litis, ſaltem coram illo judice, coram quo juratum eſt.

V. Quò meliùs intelligatur natura jura- 471
menti *Aſſertorii*, & *Promiſſorii*, prout diſtinguitur à *Comminatorio*, notandum eſt, materiam, circa quam juramentum immediatè verſatur, eſſe actionem aliquam contingentem, atque à nobis aliquo modo dependentem, dum enim juramus, hoc, aut illud à nobis, aut etiam à Cajo eſſe factum, vel faciendum, ſignificamus, nos vel ſcire, vel opinari eſſe factum, ut proinde immediatum objectum juramenti ſit noſtra ſeu ſcientia certa, ſeu opinatio de re facta, vel facienda. Similiter quando ſub jurejurando aliquid promittimus alteri, ſignificare volumus, nos & habere verum animum præſtandi, & cenſere, quòd re ipſa præſtituri ſimus, quod ipſum dicendum eſt de comminatorio juramento.

Eam ob rem rectè notant paſſim DD. in omni 472
juramento promiſſorio, & comminatorio includi Aſſertorium, quo ſcilicet aſſerimus nos ſcire, aut opinari, aliquid factum eſſe, fieri, aut faciendum, haberéve animum faciendi. Hoc *Aſſertorium* incluſum in *Promiſſorio*, ſi ſit veritati conforme, erit & conforme *Promiſſorium*, quidquid denique ſequatur, etſi quippe vel inculpabiliter, vel etiam culpabiliter omittas præſtare id, quod te facturum promiſeras, erit nihilominus tuum juramentum verum, modò habueris ſincerum animum exequendi, & conſequenter ſaltem opinionem, quòd re ipſa eſſes executurus. Non tamen eſt de ratione juramenti etiam promiſſorii promiſſio, ſicut enim potes ſine ulla promiſſione, & tamen ſeriò dicere: commodabo tibi cras meum equum, ita

etiam

Digitized by Google

etiam potes ſine pollicitatione dicere: *Iuro, me tibi cras daturum mutuos decem aureos.* Quia tamen communiſſimè promiſſio involvitur in juramento *Promiſſorio*, idcirco appellatur *Promiſſorium*, à nonnullis autem juramentum de futuro tunc appellatur juramentum *per ſe ſtans*, quando non additur promiſſio: Bartol. apud Laymannum *Lib. 4. Tract. 5. cap. 4. n. 5.*

473 VI. Omne juramentum de opere futuro præſtatur vel Deo ſoli, vel Deo, & creaturæ rationali, vel huic ſoli. Tunc dicitur præſtari Deo ſoli, quando ex eo non emergit ulla obligatio erga creaturam ullam, ut cum dicis: *juro me futurum Clericum: juro, quòd ſim te verberaturus donec nec pedes, nec manus movere queas*, hócque juramentum obligat inſtar voti juxta communem doctrinam. At cenſeris præſtare Deo, & creaturæ juramentum, quando juras te ad honorem Dei daturum ſtipem huic, aut illi pauperi. Quantam tamen obligationem pariant hæc juramenta poſteriora dicemus *Caſ. 16.*

474 VII. Juramentum factum ſoli Deo non eget verbis ullis, ſicuti nec factum alicui Cæliti. Imò nec poſſumus prudenter uti erga Deum juramento de re præſenti, aut præterita, *Aſſertorio* verbali, aut mentali, cùm enim ſcrutator ſit cordium, noſtráque omnia habeat notiora, quàm nos ipſi, ſtultè dicimus (niſi in Ordine ad nos ipſos excitandos) verbis ſeu mentalibus, ſeu vocalibus: *Iuro per te, mi Deus, quòd te amem plus, quàm me, vel tuam Matrem*, at verò poſſumus propriè, & prudenter jurare, nos hoc, aut illud facturos in ejus honorem, non ut eum reddamus certum de noſtro animo, vel opinione ſecuturæ reipſa executionis, ſed ut nos verborum noſtrorum memores, Religione Juramenti impulſi permaneamus conſtantes in propoſito.

475 Imò nec eſt per ſe loquendo neceſſe uti verbis propriè dictis, quando juramento nos obſtringimus homini, ſufficiunt enim per ſe loquendo, qualiacunque ſigna exteriora indicantia, Deum vocari à nobis in teſtem, adeóque etiam ſufficiunt illa verba, quæ juxta ſenſum Grammaticalem nullo modo ſignificant juramentum, modò ex uſu illud ſignificent, ſeu æquè habeantur pro verè, & propriè dicto juramento, ac ſi eſſet expreſſè dictum: *juro per Deum ita ſe rem habere.* Eam ob rem examinandus eſt hîc ſenſus deſcriptorum *num. 448.* & ſequentium verborum, & juramentorum.

476 Et primò quidem quod attinet juramentum Solymanni, deſcriptum ſuprà, fuit, & non fuit verum juramentum. Verum fuit juramentum, quatenus exprimebat invocationem Altiſſimi Dei, ejúſve divinorum attributorum. Nullum autem propriè, aut ſi aliquod, certè impiiſſimum, & ſtultiſſimum, reſpectu aliquorum ibi memoratorum. Impiiſſimum, dum autoritatem ſpurciſſimi Mahometis æquabat divinæ. Stultiſſimum, vecordiſſimum, dum jurabat ad proavum, lac, & gladium ſuum. Rationem execratorii juramenti tam luculenter expreſſit idem tyrannus, quàm poſtea meruit vim ejus experiri.

Deinde ſequitur, quid cenſendum de hoc juramento Joſephino. 477

Iam nunc experimentum veſtri capiam: Per ſalutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater veſter minimus.

Balthaſar Zahnnius jureconſultus Calvinicola ſatis cæteroquin modeſtus, etiam dum ſcribit de Papa, nihilominus tamen, *in Tract. De mendacio. Lib. 3. cap. 2. num. 5.* non eſt veritus ita ſcribere: *Lapſus eſt in hoc Ioſeph, quòd agens in Ægypto juravit per vitam Pharaonis, cùm diceret*: Ita vivat Pharao. *Geneſ. 42. v. 16. & 19. imitatus ſcilicet Ægyptios, per vitam Regis jurare ſolitos, quemadmodum Ethnici per genios Imperatorum jurârunt.* Ita ille, de quo rectiùs ſcripſeris, ipſum (fortè immemorem Legis, *Si quis major annis. Cod. De tranſ.* quòd Chriſtianiſſimi Impp. Arcadius, & Honorius tantam vim tribuerint juramento per *ſalutem Principum*, quantam invocato Omnipotentis Dei nomine præſtito) eſſe lapſum, & graviter lapſum. At piè, & verè ſcripſit S Thom. *quæſt. 89. art. 6. in corp.* Joſephum juraſſe juramento, vel ſimplici per Deum, autorem, conſervatorem vitæ Pharaonis, vel execratorio obligan-
do vitam Pharaonis Deo, ſi falleret. Poteſt ſa- 478
nè alterutro modo explicari hoc juramentum, ergo debet, propter generalem Regulam, quam de Sanctorum factis, & dictis interpretandis in meliorem partem tradidi ex noſtro Serario ſuprà *num. 55.* Minùs utique Matiscurienſibus, quàm Joſepho pepercíſſet Zahnnius, ſi legiſſet in Vita Religioſiſſimi P. Petri Forerii Canonici Regularis, *Lib. 1. cap. 11.* eos non niſi per hunc laudatiſſimum Parochum ſuum juraſſe.

Sequitur quoque ex dictis, quid pronuntian- 479
dum ſit de ſequentibus juramentis, ſeu juramentorum, vel quaſi juramentorum formulis, uſu quà bono, quà malo receptis. I. eſt: *Iuro*, dubitatur enim, utrùm hoc ipſum verbum abſolutè prolatum contineat juramentum? II. eſt: *Teſtor Deum*: *Per Deum ita eſt.* III. *Deus ſit mihi teſtis.* IV. *O Deus eſto mihi teſtis.* V. *Scit Deus, me verum dicere.* VI. *Deus eſt mihi teſtis.* VII. *Tam eſt hoc verum, quàm Deus eſt in cœlo.* VIII. *Ie renie Dieu: Renego Deum, niſi ita ſit.* IX. *Per caput Dei ita eſt.* X. *Per 100000. Sa-*
cramentorum te mactabo. XI. *Per meam fidem:* 480
in bona fide: per fidem boni Chriſtiani: per meam animam: per meam conſcientiam: per meam ſacerdotalem dignitatem ita eſt. XII. *Tam verum hoc eſt, quàm verum eſt, me eſſe ſacerdotem: eſſe Pratorem.* XIII. Auff mein Ayd / auff Biedermans Trew es iſt jhm alſo: *Par mon ſerment. En foy d'homme de bien*: XIV. *In bona veritate*: Verè: profectò ita eſt. XV. *Sim nequam: ſim fur*, niſi ita eſt. XVI. *Amputetur mihi naſus, ſi mentior.* XVII. *Dæmon me rapiat*: *Vivus*

 non

Digitized by Google

non abeam hinc: *Deus me puniat, ſi falſum loquor ſciens.* XVIII. *Per vitam Dei ita eſt.* Alias quaſdam formulas, quæ apud multos Acatholicos non habentur pro juratoriis, meritò autem habentur à Catholicis, referam infrà *Caſ. XIX. num. 684.* ex Zahnnio.

481 VIII. Ut judicari queat, utrùm qui uſus eſt hac, aut illa formula, re ipſa juraverit nec ne, eſt primò omnium examinanda intentio, utpote quæ eſſentialiter æquè requiritur ad juramentum, atque exigitur ad votum. In dubio, utrùm habueris intentionem vocandi Deum in teſtem, ſeu, quod idem eſt, jurandi, examinanda ſunt verba, quibus es uſus, ſi enim noveras, iis communi uſu loquendi indicari juramentum, præſumes in tali dubio te jurâſſe, niſi aliud perſuadeant circumſtantiæ loci, temporis perſonæ tuæ &c. nam homines communiter utuntur verbis eo ſenſu, quo ipſorum domeſtici, vicini, coævi. Nec tam facilè præſumendum eſt, te propriè jurâſſe, poſtquam firmiter propoſueras non jurare, ut priùs. Vice verſa perſonæ juramentis aſſuetæ præſumuntur communiter jurâſſe, quando verba ipſarum ſunt communia ſigna juriſjurandi, at qui perrarò jurant, non ſunt in dubio judicandi jurâſſe ſaltem deliberatè, & præſertim contra veritatem.

482 Quamvis autem in foro externo, ut judex prudenter pronuntiet, aliquem eſſe, aut non eſſe reum juramenti, ſeu obſtrictum juramento, debeat etiam alias, præter verba, circumſtantias perpendere, communiter tamen habet potiſſimam rationem verborum, quia ſicuti ſuprà retuli ex decantata *Lege Labeo. ff. De ſupell. legat.* nemo cenſetur dicere, quod non habet in mente, & *lingua oris eſt tuba cordis*, ut alibi refero ex Baldo.

483 Speciatim autem quod attinet formulas loquendi productas ſuperiùs *num. 479.* & *480.* eſt communius judicium ſapientum, quòd, qui præciſè dicit: *Iuro*, revera non propriè juret, ſed, ut cenſeatur jurâſſe, requiri, ut addiderit aliquid. Certè qui exigunt ab aliquo juramentum formale, videntur non eſſe contenti illo ſolo verbo. Verùm, & ſingulariter attendendus hîc genius loci, & utentis hoc verbo. II. & III. formulæ continent haud dubiè per ſe juramentum, non item IV. quæ eſt potiùs precatio mera, quamvis & tunc ſit juratoria, quando, ut ſæpe fit, uſurpatur tanquam juratoria.

484 V. & VI. Formulæ ſi accipiantur merè aſſertivè, id eſt, ſi ſolùm per eas aſſeremus, cognoſci à Deo illa, quæ proferimus, & proinde eſſe eorum teſtem infallibilem, revera non juramus, ut ſatis liquet ex definitione juramenti, hujúſque explicatione ſuprà *num. 450.* & *ſeqq.* Si verò proferas, ut perſæpe contingit, per modum invocantis teſtimonium divinum, cenſeberis meritò jurare. VII. Formula videtur ex ſe juratoria, eò quòd divina revelatio de creationis, déque Dei in cœlo exiſtentia, aſſumatur in teſtimonium. Crebrò tamen tales locutiones non tam aſſumunt in teſtimonium veritatem à Deo revelatam, quàm inſtituunt comparationem inter veritatem à Deo revelatam, & illam, quæ eorum opinione ineſt dictis ipſorum. Ut proinde rei ſint gravis blaſphemiæ, imò & tacitæ hæreſis, ſi ea, quæ ipſi tunc aſſerunt, ſint vel apertè, vel dubiè falſa, niſi fortè, ut fit, utantur hyperbolicè, & impropriè tali comparatione.

VIII. Eſt blaſphemia in imum tartarum cum ſuo autore detrudenda. IX. Eſt juramentum, ſed ferè junctum blaſphemiæ, ut etiam notat Peckius *in Reg. 58. in 6.* quia plerique, qui per membra Chriſti (ut gens Gallica, intoleranda prorſus libidine facit) jurant, ea nominant tanquam abjectum quid, & vulgare, quod non poteſt non eſſe horrenda, execranda blaſphemia, uti eſt etiam illa Germanorum: per tonnas, & milliones Sacramentorum, per deſpectum enim, aut vilipenſionem exprimunt hunc falſum numerum, nec propriè jurant. Dixi: ferè, per ſe enim loquendo non facit contumeliam Chriſto, qui per ejus honeſta membra jurat, ut rectè Tamburinus *Lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 4.* Vide, quod dicam ad formulam jurandi 18. & plura infrà *num. 732.* 485

Formula XI. continet plures vulgares aliquid affirmandi modos, de quibus noto, inprimis non contineri juramentum illis verbis: *Per meam fidem*, quam etiam deſignas, quando dicis: *In fide boni Chriſtiani*, eſt quippe perinde, ac ſi jurares (impropriè) per fidelitatem, ſeu ſinceritatem adhibendam à bono Chriſtiano, ſecùs ſi diceres: *In fide Chriſti, in fide Chriſtiana.* Deinde cùm juras per tuam conſcientiam, ſolùm ſignificas, eſſe te habendum pro homine flagitioſæ conſcientiæ, ſi tunc fallas, ſicuti etiam quando uteris poſteriore modo formulæ XIII. At cùm te per animam tuam jurare dicis, multi putant, te ſpectato ſaltem communi uſu jurare, vel ideo quòd per illam juras tanquam clariſſimam Dei imaginem, vel quòd eam peculiariter velis Deo obligare, quo pacto eſt juramentum *Execratorium*, maximè ſi dicas, te jurare ſuper animam tuam, ſeu: ſub periculo animæ tuæ, ut contra Zahnnium dicam *num. 695* longè clariùs ſi dicas: *Sub pæna excidendi æterna beatitudine.* Ibid. contra eundem. 486 487

Præterea cùm ſacerdos per ſuam ſacerdotalem dignitatem, Princeps per ſuam Principalem Celſitudinem ſe jurare ait in familiari, ſeu extrajudiciali colloquio, vel actu, non eſt communiter cenſendus jurare propriè, ſecùs quando in contractu, aut coram judice, ut liquet *ex Leg.* quam retuli *num. 477.* Certè quando tales ita loquuntur in iis circumſtantiis, in quibus ſolet exigi propriè dictum juſjurandum, debent in foro tam externo, quàm interno præſtare ea, quæ illi, qui dixerunt: *Juro per hæc Sancta Evangelia.*

Sicut

Digitized by Google

488 Sicut & tu, ſi quid pollicearis per *tuum Iuramentum*: *Par ton ſerment*, ut loquuntur Galli. Auff dein Ayd/ ut Germanj, ut indicatur in formula XIII. Etſi enim quando nemine exigente juramentum à te, profers ejuſmodi verba, non ſit præſumendum velle te jurare; quandoquidem ex una parte infiniti utuntur his verbis in rebus quà facetis, quà fictis, ex altera præſumendum non eſt, tam multos velle pejerare; aliud tamen eſt, quando ita loqueris vel in judicio, vel quando teneris ex pacto tacito vel expreſſo jurare. Laymannus *cit. Tract. 5. cap. 2. num. 8.* tametſi videtur contrarium ſentire Zahnnius infrà *num. 684.* loquens etiam de illa formula: An Aydſtatt. Sanctgallenſes in ſuo multùm commendando Curſu Theolog. *Tom. 7. Tract. 1 ſect. 3. quæſt. 5. dub. 1.* ſic diſſerunt I. In foro judiciali ea verba juramenta cenſentur, puta ſi Judex dicat: Lob an auff dein Ayd/ quia hæc eſt judicis intentio, qui juramentum exigit. II. Si quis extra judicium ea verba ad confirmationem dicti, vel promiſſi adhibeat, & animus alioqui, ſeu intentio actu jurandi deſit, non ſunt juramenta, ſed dictum; vel promiſſum loco juramenti, ut ſenſus verborum ſit: *Tam certum eſto meum dictum, vel promiſſum, ac ſi juratum ſit.* III. Nihilominus verba illa in vulgari etiam ſermone plerumque juramentum continent, ſi deliberatè proferantur, quia teſte Sanchez *Lib. 3. Moral. cap. 2. n. 1.* ad juramentum ſatis eſt, velle uſurpare verba in eo ſenſu, quo ſecundùm aliorum ita jurantium conſuetudinem uſurpantur: Conſuetudo autem apud nos Germanos eſt, ut illa verborum formula pro juramento accipiatur. Ita illi in Helvetia, aliter Zahnnius in Saxonia, ubique autem Clerici, & Religioſi ab hiſce verbis extrà neceſſitatem abſtinento, ſi ſcandalum nemini dare velint.

489 Formula XIV. XV. XVI. non continent Sacramentum, ſeu juſjurandum, multi tamen ſibi perſuadentes, interpoſitionem cujuſvis fidei, aut veritatis ſufficere ad juramentum, uſi formulis XI. & XIV. tenentur Religione juramenti, qua liberi erunt, ſtatim ut intellexerint errorem, non tamen tunc erunt liberi, cùm falsò arbitrati, per hæc verba ſignificari peculiarem relationem ad Deum, ſeu divinum teſtimonium, eo uſi ſunt citra neceſſitatem, vel utilitatem, Suarez *cap. 13.* Forma XVII. eſt nimis clarè ſpecies juramenti. XVIII. eſt etiam ſpecies juramenti per ſe non illicita, quid enim eſt aliud Vita Dei, quàm Deus ipſe? Vide Tamburinum *loc. cit. num. 23. & ſeqq.* ubi rectè obſervat, illius dicti: *Per Vitam Dei*, non eſſe hunc impium ſenſum: *Pereat Vita Dei, ſi mentior*, ſed hunc in ſacra ſcriptura uſitatum: *Vivo ego: Vivit Dominus: quam verè Deus vivit vita* (per ſimilitudinem) *verè ſe res habet ut loquor.*

490 His de juramento generatim ſumpto, addendum eſt, omnia juramenta, & conſequenter omnia perjuria eſſe ejuſdem ſpeciei, & differre ſolo numero, proinde communiter ſufficere, ſi quis in confeſſione dicat: *Toties, aut toties juravi: toties pejeravi*, niſi fortè aliqua juramenta continuerint vel blaſphemiam, vel exſecrationem ſeriam. Plura de hiſce, & aliis quibuſdam jurandi formulis adferam *n. 684 & 685.*

IURAMENTI PROMISSORII OBLIGATIO.

CASUS XVI.

Græcanicus, Latinis Peregrinus.

SUMMARIUM.

Caſus Viri Nobilis jurantis qualibet Feria 3. jejunare, ſed non cogitantis de Sancto Paſcha. Quem Patriarcha Conſtantinop. conſultus juſſit tunc libere veſci carnibus. 491.

Græci omnes dies ſolennes vocant Paſchata & Paſchales. 492.

Occaſione hujus Caſûs quæritur generaliter: quouſque ſe extendat Iuramentum Promiſſorium? Ibid.

Pro reſolvenda hac quæſtione ponuntur 4. Fundamenta. Ibid.

Fundam. 1. Iuramenti Promiſſorii obligatio eſt in dubio interpretanda ut Voti. 493.

Fundam. 2. In omni honeſto Iuramento Promiſſorio ſubintelliguntur aliquæ conditiones. 494.

Prima. Si potuero. 495.

Secunda. Salvo jure Superioris. 497.

Tertia. Si non ſponte remiſerit (imò probabiliter, ſi perſuaſus conſenſerit) is cui juràſti. 498. & ſeq. (*& ſeqq.*

Quarta. Si res in eodem ſtatu permaneat. 501.

Fundam. 3. Iuramentum Promiſſorium *ſortitur Conditiones & Qualitates actûs, cui adjicitur. 504. & ſeq.*

Fundam. 4. Ea ignorantia tollit, & non tollit obligationem Iuramenti, quæ tollit, & non tollit Voti. 506.

Reſolvitur Caſus n. 491. propoſitus. 507.

Quomodo tollatur Iuramentum Promiſſorium? *508.*

An tenearis præſtare id, quod juràſti te præſtiturum ſed ſine intentione te obligandi, vel ſtandi promiſſis? Ibid. ad finem.

Quadratus Vir nobilis juravit qualibet feria tertia jejunare, & carnibus abſtinere, non cogitans de Sancto Paſcha. Lucas Patriarcha Conſtantinopolitanus conſultus ab Imperatore Commeno, utrùm illud juramentum complecteretur illas etiam ferias tertias, in quas incurrit dies Paſchatis? Reſpondit abſolutè, atque illimitatè, illum virum nobilem non teneri juramento, ſed poſſe libere veſci carnibus, nec obligari jejunare; eò quòd non congruenter die ſancto Paſchæ, 491

quo lætari convenit, abſtineatur carnibus, & ſervetur jejunium.

492 Ita ex Balſamone refert P. Raynaudus operum *Tom. 10. Tract. De Gladio, & Pileo fol. 591.* hunc Caſum, ac reſponſum, quem caſum appello Latinis ideo *peregrinum*, quòd in eo ſupponatur, feſtum diem Paſchæ cadere aliquando in Feriam Tertiam. Sed cauſam admirationis tollit eruditiſſimus Raynaudus, obſervans, omnes dies ſolennes appellari Paſchata, & Paſchales à Græcis, quadrat autem apprime ad argumentum in hoc toto *Caſ. XVI.* tractandum, illud juramentum, utpote à cujus reſolutione pendet reſponſio ad generalem, ſummique momenti quæſtionem, quouſque videlicet extendat ſe juramentum *Promiſſorium*, ſeu cum qua reſtrictione, ampliatione ſit interpretandum? Quem in finem ſtatuenda ſunt hæc quatuor fundamenta.

493 Fundamentum I. Juramenti *Promiſſorii* obligatio eſt in dubio interpretanda eo modo, quo Voti. Inprimis enim Canoniſtæ communiter apud Suarez *Tom. 1. De Relig. Lib. 3. De juram. cap. 2. num. 1.* ſcribunt, votum, & juramentum eſſe in hoc paria, & S. Thom. *2. 2. quæſt. 89. art. 9.* atque alii cum Suarez *loc. citat. n. 7.* cenſent, majorem eſſe obligationem voti, quàm Juramenti *Promiſſorii*, è diverſo contendit Medina, & alii apud Suarez *loc. cit. num. 2.* majorem eſſe Juramenti *Promiſſorii* obligationem, quàm Voti. Ego cenſeo, vel Canoniſtarum, vel S. Thomæ opinionem eſſe veriorem, adeoque obligationem juramenti non eſſe in dubio rigidiùs interpretandam, quàm voti. Conſequenter argumenta, quibus ſup. *Caſ. XII.* probavimus, vota eſſe in dubio interpretanda in partem mitiorem, favorémque voventis, iiſdem convincitur eſſe hoc quoque modo in dubio intelligenda juramenta, eorúmque obligationem. Conſentit rurſum aperte Suarez *Lib. 2. De juram. cap. 32. num. 7.* cum aliis ex inſtituto docens, juramentum eſſe generatim ſtricte interpretandum propter rationes allatas *citat. Caſ. XII.* nec obſtare, quod videatur juramentum eſſe in favorem Religionis, adeóque latè interpretandum, nam Religio non promovetur interpretando juramentum latiùs, quàm intendit jurans, vel ejus verba cogunt interpretari. Imò, quò fuerit benignior interpretatio, eò frequentius obſervabitur, tantò autem infrequentiùs, quanto durior accidet interpretatio, ut ſapienter obſervat idem Suarez, reſpondens ad Jura in ſpeciem contraria.

494 Alterum fundamentum eſt hoc, quod videlicet in omni honeſto juramento *Promiſſorio* ſubintelligantur aliquæ conditiones, ac limitationes, tametſi verba, quibus conceptum eſt, ſint univerſaliſſima. Eas conditiones exprimunt partim Gloſſa *in Cap. Quemadmodum. De jurejurand.* partim Doctores referendi in decurſu.

Prima eſt hæc: *Si potuero*, quia impoſſibilium nulla eſt obligatio. Quæ conditionaliſ intelligitur non ſolùm de potentia naturali, ſeu phyſica, ſed etiam de morali, eáque duplici, videlicet ut poſſimus ſine & peccato, & pergravi incommodo, ſeu difficultate, moraliter enim dicitur id eſſe impoſſibile, quod facere non poſſumus ſine peccato, ſiquidem id ſolùm poſſe dicimur, quod de jure, & honeſte poſſumus, *Text. Leg. Nepos. ff. De verb. ſignif.* & denique juramentum non debet eſſe vinculum iniquitatis *cap. Cùm contingat. De jurejur.* Illud quoque vocamus moraliter impoſſibile, quod fieri nequit ſine maxima difficultate, etenim univerſim cenſentur eſſe impoſſibilia (moraliter) quæ impleta pietatem, exiſtimationem, aut verecundiam noſtram lædunt, inquit Paulus *Leg. Generaliter ff. De verb. obligat.* 495

Impoſſibilitatem, quæ ex ſumma difficultate naſcitur, vocant jure conſulti impoſſibilitatem *Ex facto* Peckius *in Regul. 6. in 6. n. 6.* priorem illam appellans impoſſibilitatem *Iure*, ſeu *De Iure.* Si tamen difficultas, ſeu impoſſibilitas moralis de facto erat jam tibi perſpecta, quando juráſti, cenſeris te obligáſſe etiam ad illam exantlandam; ſecùs ſi fuit improviſa, ſicuti & quando juraſti te facturum quidpiam, quod poſt juramentum eſt redditum impoſſibile ex una, remanens autem poſſibile ex altera parte, teneris & non teneris implere eo modo, quo explicavi *num. 76.* 496

Altera conditio adhærens juramento eſt hæc: *Salvo jure ſuperioris.* Nam in cap. *Non eſt, De vot. & vot. redempt.* dicitur: *Non eſt Voti* (aut juramenti) *dicendus tranſgreſſor, qui, quod vovit, autoritate Sedis Apoſtolicæ diſtulit adimplere.* 497

Tertia conditio eſt hæc: *Si non remiſerit ſponte is, cui juratus promiſi.* Tum quia volenti non fit injuria; tum quia cùm non poſſis invitum compellere ad acceptandum, hoc ipſo non teneris obtrudere remittenti. Nec dubium eſt de veritate hujus doctrinæ in caſu, quo promiſſarius, ſeu is, cui promiſiſti, remittit juramentum idcirco, quia res ei promiſſa vel non eſt ei grata, vel grata quidem, at remittit in tuam gratiam, eò quòd videat eſſe tibi ſerum ſtare juratâ promiſſione, qua te illi ſoli obſtrinxiſti. At verò controverſia eſt de fundamento, quo nititur reſolutio affirmativa hujus 498

Caſus ſat antiqui.

Quodvultdeus jurejurando promiſit, ſe ad honorem DEI eſſe donaturum certo Monaſterio quingenta ſcuta, aut Imperiales thaleros. At poſtmodum pœnitens promiſſi efficit per intercessionem cujuſdam alterius Prælati, ut Abbas cum Conventu remittat promiſſum, reddatque ſyngrapham, qua ſe obſtrinxerat. Quæſitum fuit, an Quodvultdeus poſſit ſecurus ſtare illa condonatione? 499

Ego

Ego jam abhinc plus triginta Annis reſolvi, tametſi probabilior opinio Suarezii *De Juramento Lib.2. cap.39. num.8.* inficiatur, id fieri poſſe, contrarium tamen eſſe probabile, & practicè tutum. 1. Quia ita ſentiunt Sanch. *Lib. 1. De Matrim. Diſp.52.* & alii; quibus contra alios rurſum adhæret *Lib.3. Moral.* ſeu *De Iuram. cap.20. num.7.* Adhæret & poſt datam illam meam reſolutionem editus P. Tamburin. *Lib.3. in Decal. cap.7. §.2.*

500 2. Quia licèt illud juramentum ſit principaliter factum ad honorem Dei, attamen habuit neceſſarium reſpectum ad Monaſterium, hujúſque utilitatem, ac voluntatem; ſi igitur Monaſterium abſque vi, metu, fraude juri ſuo cedat; ceſſat eſſentialis dependentia à Monaſterio, ergo & jus divinum. Certè qui ita vovet, non intendit ſe obligare Deo in caſu, quo Monachi vel recuſabunt donationem tanquam fortaſſis ſementem multarum diſcordiarum, oblocutionum, vel remittent non inviti ad inſtantiam mediatam aut immediatam polliciti, ſecùs ſi juràſſes te in honorem Dei eſſe daturum centum aureos pauperibus indeterminatis, etſi enim aliqui ex his remitterent, non eſſes idcirco liber, quia hi non repræſentant moraliter alios pauperes. Secùs etiam, ſi illa 500. ſcuta fuiſſent promiſſa Deo, & Monachis in aliquem certum pium uſum, ut è. g. in aliquam aram erigendam cultui alicujus Sancti, tunc enim non poſſet Monaſterium validè remittere juramentum, iis non præjudicioſum, utpote cujus ceſſio cederet in in minutionem cultus illius Sancti, & Dei. Vide alia plura in hanc rem exempla apud Sanchez *cit. cap.20.*

501 Quarta conditio in juramento imbibita eſt hæc: *ſi res in eodem ſtatu permaneat.* Omnes DD. ex *Leg. Cùm quis. ff. De ſolut.* & *cap. Quemadmodum. De jurejur. §. Quod ſi* & Gloſſa *Ibid.* ab omnibus admiſſa, declarátque Pontifex hanc conditionem exemplo ſponſæ, quæ poſt ſponſalia amiſit oculos, vel naſum. Ratio fundamentalis eſt, quia res omnes humanæ ſunt infinitis mutationibus obnoxiæ, quare aliæ faciunt rei promiſſæ executionem planè nefariam, aliæ ſummè difficilem, præter omnem opinionem; ita ut ſæpe aut ſceleratè, aut præter omnem ſuam intentionem ageret, ſi quis promitteret ſe ſtaturum promiſſis in quemcunque tandem ſtatum res deveniret, ergò quando jurati pollicemur quidpiam, noſtra intentio nec expreſſè, nec implicitè complectitur omnes omnino circumſtantias objecto promiſſo superventuras, ergo rectè dicimus, quemvis prudentem, dum ſe Sacramento obligat ad aliquid faciendum, vel omittendum, ſubintelligere tacitè; & virtualiter hanc conditionem: *ſi res in eodem ſtatu permaneant, in quo ſunt.*

502 Quia tamen, ut indicavi, ſingulis momentis vel nos ipſi, qui fidem dedimus, vel ea, quæ, & quibus promiſimus, mutantur, & nunquam in eodem permanent ſtatu, ne noſtræ pleræque promiſſiones ſint prorſus irritæ cum incredibili damno commercii humani, conditio, quam expreſſimus, non eſt tam rudi minerva intelligenda, perinde ac ſi velimus, nos juramenti noſtri vinculis exſolvi, quoties res deſinunt eſſe in illo prorſus invariato ſtatu, in quo erant, quando editum fuit juramentum, ſed debet poſita Regula, ſeu conditio intelligi cum grano ſalis, alioquin malè ſapiet, ut alicubi loquitur Pax Jordanus, quod granum ſalis conſiſtit in vero intellectu

Hujus Regulæ:

Tunc non permanet res in eodem ſtatu, quando ſupervenit tanta mutatio, quanta ſufficeret ad reſcindendam ſeriam quidem, at nudam, ſeu nullo juramento veſtitam promiſſionem. Ratio hujus Regulæ eſt hoc 503

Tertium, & ſummè notandum Fundamentum.

Juramentum Promiſſorium *ſortitur conditiones, & qualitates actûs, cui adjicitur,* adeóque auget obligationem tantùm *intenſivè*, non *extenſivè*; non auget, inquam, extenſivè, quia promiſſionem non ſolet extendere ad plures caſus, quàm ea extenderetur, ſi non veſtiretur juramento; auget verò ſemper intenſivè, quia efficit, ut promiſſio, cui adjicitur, obliget ſeveriùs, ſeu cum fortiore vinculo, quia juramentum ſuperadditum adjicit vinculo ſolius fidelitatis vinculum Religionis. 504

Hoc fundamentum probatum plurimis Theologiæ, & Juriſprudentiæ peritis, multis autem rudibus paradoxum tradit in ſpecie Sanchez *De Matrim. Lib. 1. Diſp.52.* & latè explicans Suarez *cit. Lib.2. De Iuram. cap.32.* Et pro hoc fundamento laudat tum Suarez, tum maximè Barboſa in Axiomat. *verb. Iuramentum* tot Jureconſultos, ut meritò accenſeat hic Doctor juridicis Axiomatis hæc duo pronuntiata: *Iuramentum regulatur ſecundùm naturam actus, cui additur*: Item: *Iuramentum non auget* (extenſivè) *obligationem, ſed ei intra ſuos limites manenti addit Religionis vinculum.* Quæ duo pronuntiata deſumpſit Barboſa ex Cardinale Tuſco *verb. Iuramentum. concluſ.507.* teſtante plurimos DD. apud Romanum *conſil.209.* nominari pro utroque, eſſéque communi calculo receptum, ſcribit ex Alexandro *conſil 37. Lib.5.* ſubdens hanc explicationem: *Iuramentum regulariter non extendit contractum, neque in eo contenta, ſed habet ſe inſtar confirmationis,* quod declarat ipſe pluribus inſtantiis, & Pax Jordanus Elucubrat. *Volum. 3. Lib. 14. Tit. 22. num 107.* ſic ſtatuit: Juramentum (*Promiſſorium*) admittit omnes exceptiones provenientes ex natura contractus &c. Unde eo modo inter-

Digitized by Google

interpretandum erit, quo interpretatur. & explicatur ipſa obligatio.& promiſſio conſiderata per ſe, juramento *circumſcripto*, id eſt ſecluſo.

505 Excipe tamen ab hac Regula, & fundamento caſum illum perfrequentem, expreſſúmque à Leſſio *Lib. 2. De juſtit. dub. 6. num. 32.* Quo ſcilicet exigitur juramentum ea intentione, ut excludantur vel includantur conditiones, quæ inerant, vel non inerant nudæ promiſſioni.

506 Ex hoc tertio fundamento ſequitur hoc IV. fundamentum: *Ea ignorantia tollit, & non tollit obligationem juramenti, quæ tollit, & non tollit voti?* Etenim obligatio voti æquè fundatur in natura actûs, ac fundatur obligatio juramenti, igitur ignorantiæ allegatio ſe habebit reſpectu juramenti in ordine ad caſus incluſos, vel non incluſos in juramento laborantis ignorantia, eo modo, quo reſpectu voti, illum autem modum, ſeu potiùs modos ediſſerui ſuprà *Caſ. 4.*

507 Haſce generales doctrinas de obligatione juramenti partim declaro, partim applico plurimis Caſibus generalibus, & individuis exprimendis ſequenti capite, vel Caſu XVII. priùs tamen reſolvendus Græcanicus, deſcriptus ſuprà *num. 491.* ac dicendum in primis: ſi ille Quadratus *per diem Sanctum Paſcha* intellexiſſet ſolum diem Natalis Domini, ejus juramentum probabiliter non obligâſſet eo Anno, quo id feſtum occurriſſet feria tertia, nam, ut vidimus *num. 115.* graves DD. negant, voto jejunandi qualibet feria Sexta comprehendi, in dubio, diem natalem Chriſti, atqui juramentum Deo factum obligat inſtar voti. *Suprà 473.*

At quia idem Nobilis utique noverat, multò ſæpius fieri, ut aliquod indeterminatè feſtum ſolenne cadat in Feriam Tertiam, quàm in Sextam cadat natalis Domini, & DD. ni fallor, obligarent illum feria Sexta jejunare diebus Aſſumptionis, Epiphaniæ & aliis ſolennibus, incidentibus in Feriam Sextam, ſi abſolutè voviſſet jejunare qualibet Feria Sexta, idcirco videlicet, quòd prudenter præſumeretur voluiſſe ſuo voto includere hoſce dies, utpote minimè improviſos, quia frequentes, reſpectu jam unius, jam alterius, eam ob rem non ſubſcribo reſponſo patriarchæ Conſtantinopolitani, etſi videatur approbare P. Raynaudus loco, quem notavi *cit. n. 491.* niſi in caſu, quo ita repente emiſiſſet illud juramentum, ut non ſuppetiviſſet ſat temporis ad examinandam illam univerſalitatem Feriæ Tertiæ, aut Sextæ.

508 Dictis de obligatione juramenti *Promiſſorii* adde hoc. Quando juramentum factum eſt ſoli Deo, tolli iis modis, quibus votum relaxari dixi *num. 338.* adeóque etiam à Confeſſariis Ordin. Mendicantium. Tamburinus mox citandus *num. 9* ob toties repetitam, & repetendam æquiparationem voti, & ejuſmodi juramenti, quam doctrinam meritò extendes ad juramenta facta Deo, & homini ſimul, ſeu etiam in favorem hominis, habebis enim præter illam æquiparationem adſtipulantes cum Tamburino *cit. cap. 7. §. 1. num. 3.* multos ex doctoribus mox referendis. Siquidem loquendo de juramento facto ſoli homini multi quà Theologi, quà Canoniſtæ abſolutè aſſerunt, multi abſolutè negant, juramentum præſtitum in favorem ſolius hominis, ſeu homini, jámque acceptatum, poſſe relaxari à Magiſtratu civili, horum multos nominat Diana *Part. 1. Tract. 1. Reſolut. 114.* & Cardin. De Lugo *Tom. 2. De juſtit. Diſp. 22. ſect. 8. num. 237.* qui *num. 238. & 239.* eos quaſi concilians ſcribit, ea juramenta poſſe indirectè relaxari à ſuperiore ſæculari, quando bona, de quibus eſt præſtita promiſſio juratoria, ſubſunt ejus juriſdictioni, directè autem à ſolo ſuperiore Eccleſiaſtico, adeóque ab Epiſcopo, vel Abbatibus potientibus juriſdictione quaſi Epiſcopali, quando is, qui juravit, ſubeſt hujus poteſtati, ſeu juriſdictioni ſpirituali, ſicut è diverſo à ſuperiore temporali, quando is, cui juratum eſt, agnoſcit illum pro ſuperiore. Ego in hac diſcordia, de qua etiam vide Palaum *Part. 3. Tract. 14. Diſp. 3. punct. 6.* & Sanctgall. *loc. cit. dub. 4.* fusè, ac doctè cenſeo. 1. Eſſe ſtandum conſuetudine cujuſque loci. 2. Abſtrahendo ab hac poſſe eſſe locum præventioni, hoc enim jus concedit tanta diſcordia ſapientiſſimorum virorum.

Adde quoque ex Cotonio *Controv. 11. cap. 2.* & citatis à Diana *Part. 5. Tract. 14. Reſol. 33. & 34.* itémque *Part. 9. Tract. 10. Reſ. 17.* controverti à Doctoribus, utrùm tenearis præſtare id, quòd te præſtaturum juratus promiſiſti, ſine intentione vel te obligandi, vel ſtandi promiſſis. Et verò Sanctgallenſes *loc. cit. dub. 3.* ad primam quæſtionem reſpondent negativè, ad ſecundam affirmativè.

JURAMENTORUM PROMISSORIORUM CONGERIES.

CASUS XVII.

Germani minimè Germani.

SUMMARIUM.

Congeries hæc conſtat Caſibus tum Generalibus, tum Specialibus, ſeu Individuis. 510. in fine.

Caſus Generales.

Primus *eſt dimiſſorum è Juſto Carcere, & jurantium ſe redituros tempore condicto. 509. & 511.*

Secundus *Illorum, qui metu injuſto compulſi jurant hoc aut illud. 514.*

Tertius *Miniſtrorum publicorum Reipub. jurantium fore ſe contentos ſtipendiis aut pretio taxato à Magiſtratu. 515. 530.*

Quartus *Jurantium ſe obſervaturos hac aut illa Statuta &c. 516. 536.*

Quintus *Jurantium ſe non practicâſſe, ſeu pecunia non prenſâſſe hoc aut illud publicum Officium. 517.*

Sextus

Sextus *Jurantium ſe pecunias donaturos amico, ſed poſtea incidentium in egeſtatem, & plurium ſimilium. 519.*

Septimus *Jurantium ſe hoſti non ignoturos, non ſalutaturos, non acceſſuros nuptias, non daturos pecunias mutuas. 520.*

Octavus *Iurantium ſe facturos, quod Legibus Civilibus prohibetur: aut non facturos quod iiſdem mandatur. 522.*

Nonus *Iurantium ſe non ampliùs luſuros chartis, aleis, conis &c. 524.*

Decimus *Parentum Iurantium ſe graves pœnas repetituros à filiis & alia ſimilia quaſi minantium ſub juramento. 528.*

Undecimus *Gubernatorum Urbis, Alumnorum, Scholarium, Scribarum, Officialium, ſe hoc vel illud ſervaturos. 530.*

Duodecimus *Celebrantium varios contractus jure invalidos. 531.*

Caſus Individui.

Primus *Iudicis Iurantis reo ſe eum dimiſſurum ſi veritatem fateretur, ſed faſſum mitiore tantùm morte afficientis. 533.*

Secundus *Iurantis ſe non parſurum patriæ, donec necem Agnetis, quam amabat, vindicâſſet. 538.*

Tertius *Reguli Catholici cum Hæretico paciſcentis in cauſa Religionis. 540.*

Quartus *De Repub. Helvetica. 546.*

Quintus *De inſtrumento Pacis Oſnabrugenſis & Monaſterienſis. 550.*

Sextus *Iurantis ſe nemini communicaturum ſecretum medicamentum contra febres malignas. 554*

Septimus *Nolentis prodere artem curandæ podagræ, prætextu Voti. Quid ſi prætextu Iuramenti? 556.*

Octavus *Ingenioſè utentis promiſſione juratâ ad occultam compenſationem. 558.*

Nonus *Senatoris ſecreta Conſilii lepidè tegentis. 560.*

Subjunguntur Quæſtiones duæ generales de Iuramento Vaſallorum ſeu Fidelitatis. 569. & ſeqq.

509 R*Adbodus toparcha Wellenburgenſis filius bello ex parte hoſtis juſto, captus, ductúſque Landſpergam, vitam, libertatémque mille ducentis florenis pactus, datis vadibus, dictáque die, qua ſe ſiſteret, è carere dimittitur. Credebatur fidem eſſe præſtaturus, verùm nec illi fides, nec voluntas præſtandæ pactionis. Ut tamen perfidiam tegeret, uſus eſt inſulſo vaframento. Monachium clàm, atque inobſervatus irrepit, indéque pariter erepit ad ſuos: tum obtendit, ſe utique rediiſſe, & liberâſſe fidem. Iſta nequitia tam ægre Auguſtanos (vicinos) habuit, ut rati, id genus fraudis, in Germano homine velut publicum crimen à quolibet eſſe vindicandum, Joannis Ducis (Bavariæ, à quo captus erat Radbodus) ſuóque nomine, Wellenburgo patriâ nebulonis ſede, ſolo æquata, captum, reúmque perfidiæ, capite condemnârint.*

Admenſus ſum verba Joannis ab Adelzreiter in Boicæ gentis Annalium *Part. 2. lib. 6. n. 33.* meritò indignantis, patratum id crimen ab homine Germano, illius, inquam, gentis, quam non ſemel alienigenæ ſuperioribus bellis damnârunt, ſed imitandos potiùs, quàm deſpiciendos, ridendæ ſimplicitatis, aut etiam ſtoliditatis, ob nimis, ut dictitabant, Religioſam pactorum, conventorum fidem ſervatam. Fuit ſanè ille Radbodus Germanus ortu, ſed turpi hoc facto non Germanus. Qui cur ab hiſtoriographo cohoneſtetur (ſcilicet) titulis *perfidi, inſulſi, nefarii, nequam, & nebulonis,* patebit ex jam jam dicendis, differam enim generatim de juramenti Religione ſervanda à captivis dimiſſis, daturus deinde reſolutionem plerumque breviſſimam, plerumque breviſſimè proponendorum, reſolvendorum plurimorum Caſuum generalium, atque ſpecialium, ſeu individuorum, quibus declarabitur, & ſtabilietur veritas quatuor fundamentorum, quæ ſtatui in præcedente Caſ. XVI. & nonnullorum ex dictis Caſ. XV. 510

Sit igitur Caſuum generalium hic

Caſus I. *Dimiſſi è juſto carcere, ſed jurantis, ſe rediturum tempore condicto.* Hunc generalem Caſum ſtatuo primo loco, ne multùm differam productionem cauſæ, cur Radbodus Germanus non Germanus fuerit tam nigro theta notatus à Bavaro hiſtoriographo. Dicendum enim eſt generatim, eos, qui juſto carcere detenti dimittuntur certa de cauſa ad ſuos lares, aliòve, ſed priùs præſtito juramento ſe rurſum ſiſtendi, obligari ſub mortali ſe ſe ſiſtere. Intelligo autem per carcerem juſtum, etiam illum, quo detinentur capti in bello non manifeſtè injuſto, ſed utrinque fulto rationibus probabilibus. 511

Ratio reſolutionis eſt, quia juramentum ſortitur conditiones, & naturam actûs, cui adjunctum eſt. Suprà *num. 504.* promiſſio autem de redeundo cùm ſit de re pergravi, & plurimùm concernente humana commercia, pacémque publicam, non poteſt ſaltem in caſu, quo juſtè fuit exacta, præſtitáque, non inducere obligationem mortalem, ergo juramentum ſuperadditum illi obligat ſub mortali peccato irreligioſitatis in Deum, eſto ex reditu immineat, quam priùs erat promeritus, mors juſta, ut tradunt omnes Theologi teſte Suarez *De juram. Lib. 2. cap. 10. num. 14.* niſi fortè dicas, juramentum ideo fuiſſe exactum, ut illa promiſſio ad plures caſus ſe extenderet, quàm ſi non fuiſſet juramento firmata juxta doctrinam Leſſii ſuprà *n. 505.*

Digitized by Google

512 Sicuti autem promiſſiones nudæ ſimul & juſtæ, intelligi debent juxta prudentem, rationabilémque intentionem promiſſarii, ſeu promiſſionem exigentis, non autem cum æquivocationibus, & amphibologiis (quas tamen eſſe tunc in promiſſione jurata licitas, quando ſunt licitæ in non jurata tenet Leſſius *cit. Cap. 42. n. 48.* ſi exigat notabilis cauſa) vafricie, ac dolo, ſic enim nulla pacta ſubſiſterent, ita etiam vel maximè ab illis inſulſis ſubtilitatibus abhorrent promiſſiones juramento ſolidatæ, ut loquar cum Impp. Arcadio, & Honorio *in Leg. Si quis major annus. Cod. De tranſ.* Quapropter nomine Germani fuit indignus Radbodus, cùm Teutones, nulli nationi in ſervanda fide ſecundi, execrentur ejuſmodi artes.

513 Addo, eſſe plurimorum probatiſſimorum Theologorum opinionem aut veram, aut vero ſimillimam, illum quoque eſſe perjurii (utor hoc vocabulo in eo ſenſu, in quo aſſolent Jureconſulti referendi *num. 579.*) reum, qui etiam ad injuſtum carcerem non redit, ad quem ſe rediturum ſpoponderat ſub jurejurando. Ita cæteros inter ſentiunt Leſſius *Cap. 42. dub. 6.* Suarez *cit. num. 14.* atque alii apud eum hoc extendentes ad caſum, etiam quo poſt reditum eſſet injuſta, non improviſa tamen mors inferenda.

Ratio eſt, quia talis reditus eſt licitus non obſtante ejuſmodi periculo antè præviſo, ergo juramentum fuit de re licita, ergo poteſt executioni mandari ſine detrimento æternæ ſalutis, ergo debet juxta cap. *Si verò. De jurejur.* ſervari, quandoquidem fuit idcirco exactum, ut excluderetur allegatio metûs injuſti. Unde ſubjungo hunc generalem

514 Caſ. II. Illius, qui metu injuſto compulſus juravit, ſe latroni daturum mille aureos, non repetiturum debitum, venditurum etiam cum gravi ſuo damno hanc domum, hoc prædium &c. Dicendum enim eſt cum eodem Leſſ. Suar. Sanctgallenſ. *Tom. 7. Tract. 1. Sect. 3. quæſt. 5. dub. 3.* multiſque aliis obligari ad ſtandum juramento, & ratio eſt: tum quia juramentum ſervandum eſt, quando ſine diſpendio æternæ ſalutis ſervari poteſt juxta *cit. Cap. Si verò*: tum quia non immeritò præferimus ſpeciali utilitati communem, & minori majorem; Text. Cap. *Licèt De Regul.* Imò bonum privatum eſſe publico poſtponendum, & è duobus malis minus eligendum docet lex naturalis, & politica, atqui ſummè intereſt publicæ utilitatis, ſtare ejuſmodi juramentis, tametſi extortis metu injuſtò, orientúrque longè majora mala, ſi non ſtetur his juramentis, quàm ſi ſtetur. Nihilominus tamen poteſt, qui ita juravit, petere à Pontifice relaxationem juramenti *cit. Cap. Si verò*, & Gl. *ibid.* communiter recepta, niſi etiam juraverit, ſe non petiturum. Illi, qui injuſtè extorſit juramentum non competere ullam actionem in ullo foro notant ex communi Sanctgallenſ. *loc. cit.*

Caſus III. *Miniſtrorum publicorum Reipublicæ jurantium, fore ſe contentos ſtipendiis, aut pretio taxatis à magiſtratu.* qui quidem non ſunt perjuri accipiendo occultè plus, ſi ſtipendia, & taxa certò non ſufficiant juſtiſſimæ prætenſioni. Poſſunt quippe prudenter præſumere, non eſſe voluntatem probi magiſtratus, ut tale juramentum obliget cum pernicie ipſorum tangente non unam aliquam particularem ex cauſa particulari, ſed communitatem talium miniſtrorum. Ideo Oenopolæ, piſtores, laniones, & alii, qui merces reipublicæ neceſſarias vendunt, non peccant admiſcendo aliquid aquæ, vel minuendo pondus panis, carniúmque, quando ſpectato communi rerum curſu evidens eſt, fore ut damnum ſubeant, ſi ſtent taxa publica. Rebellus *De oblig. juſtit. Lib. 9. cap. 10.* cum pluribus, Sanchez *Cap. 14.* & alii. Generalis ratio deſumitur tum ex tertio fundamento: tum inde, quòd juramentum ſit ſtrictè interpretandum. Suprà *num. 493.* non igitur extendendum ad caſum valde detrimentoſum. 515

Caſus IV. *Iurantium ſe obſervaturos hæc, aut illa ſtatuta*, atque leges communes, intelligitur enim illud juramentum de ſtatutis tunc jam latis, non autem de ferendis, & quidem ſervandis juxta differentiam ſtatutorum, mentem Legiſlatoris, conſuetudinem, interpretationémque communem. Silveſter *Verb. Iuramentum*, Azor *Tom. 1. Lib 10. cap. 1.* Laymann. *Cap. 9. num. 2.* Quare ſi lex non ſit tanti momenti, ut ſecluſo juramento obligaret ſub mortali, quamvis juraveris, te illam ſervaturum, non peccabis niſi venialiter, eam tranſgrediendo. Imò nec venialiter quidem, ſi ea lex citra juramentum ſumpta obliget te ſolùm ſub mulcta æris, vel cutis pendenda. Joan. Andr. Hoſtienſ. alii cum Sanchez *cit. Lib. 3. cap. 14. num. 2.* Ratio petitur ex fundamento tertio *num. 504.* & confirmatur, quia non juráſti ſimpliciter te facturum, aut omiſſurum rem Lege præſcriptam, prohibitámve, ſed facturum, vel omiſſurum prout in Lege per conſuetudinem interpretatâ continetur, ergo ſi in Lege per conſuetudinem elucidatâ non continetur niſi reatus culpæ venialis, aut merè civilis exſolvendæ mulctâ pecuniariâ, juramentum non invehet mortalem reatum. 516

Caſus V. Jurantium, *ſe non practicâſſe*, ut appellant Friburgenſes Helvetii, ſeu pecunia non prenſâſſe hoc, aut illud publicum officium. Sæpe enim olim interrogatus reſpondi, in primis ſtatutum Friburgenſium non videri duntaxat pœnale, ſed ex mente juſtiſſima ſupremi Magiſtratûs obligare in conſcientia, & quia eſt de re gravi (niſi enim obſervetur, patebit ſolis divitibus, & perſæpe minùs idoneis aditus ad officia, & dignitates, imò multi effundent fruſtra magnam patrimonii liberis alendis neceſſarii partem) eam ob rem exiſtimavi obligare ſub mortali, ſed ſolùm tamdiu, quamdiu 517

Ma-

Digitized by Google

Magiſtratus non diſſimulabit graviter animadvertere (ut animadverſum eſt non ſemel) in manifeſtos ambitûs, ſeu practicationis.

518 Quòd ſi aut prenſâſti, ſed modo non prohibito per Statutum, vel prenſâſti modo vetito, attamen tua prenſatio non habuit ullum effectum, eò quòd ſis e.g. promotus ſuffragiis illorum, cum quibus nihil pactus fuiſti, poteris jurare te non practicâſſe, quia reſpondebis juxta mentem legiſlatoris, petentis juramentum duntaxat circa practicationem efficacem. Leſſius *cit. Cap. 42. num. 48.*

519 Caſus VI. *Jurantis ſe pecunias donaturum amico, ſed poſtmodum incidit in egeſtatem. Preſtaturum illi ſuam operam, ſed ejus filia corripitur morbo, egétque opera patris. Empturum domum Caji, quam poſteà deprehendit eſſe infeſtam muribus.* In his caſibus non eſt neceſſariò ſtandum juramento. Molina *Tract. 2. De juſtit. Diſp. 272.* ſicut & quando iurâſti, te ſtaturum contractu domus à te venditæ, deprehendis autem poſtea te graviter læſum, potes agere ad ſupplectionem pretii. Leſſius *cit. Cap. 42. dubit. 9.* propter rationem Fundamenti tertii.

520 Caſus VII. *Jurantis ſe hoſti non ignoturum, nunquam illum ſalutaturum, ad ejus* (etſi proximi conſanguinei) *nuptias non acceſſurum, nulli daturum mutuas pecunias.* Nam primo, & ſecundo caſu clarum eſt, juramentum non habere vim obligandi, cùm nequeat eſſe vinculum iniquitatis, quod & dic de tertio, ſingulariter, ſi eſt id juratum propter offenſam acceptam, tunc enim eſt ſpecies vindictæ illicitæ Chriſtianis. Sicuti fieri poteſt, ut ſit tanta neceſſitas petentis à te mutuum, vel fideiuſſionem, ut tenearis ex charitate, & proinde nulla ſit habenda ratio juramenti, ſed potiùs Religio ejuſmodi juramenti accenſenda ſuperſtitionibus, ut colligetur ex dicendis *Caſ. 22.* adeóque oportet id temporis memorem eſſe moniti Auguſtiniani Cap. *Magnæ. 22. q. 4.* relati: *Magna ſapientia eſt, revocare hominē, quod malè locutus eſt.*

521 Cæterùm fideiuſſores ſunt toties devoluti in graviſſima incommoda, ut damnandus non ſit peccati, qui habet propoſitum, aut ſuæ uxori præſtat juramentum nunquam pro ullo (niſi clarè exigat debitum Chriſtianæ charitatis) fide jubendi, ſeu fidem ſuam obſtringendi, præſertim hoc tempore, quo invaluit contrarius legibus mos, vexandi fideiuſſorem, ut primùm emergit minima circa principalem debitorem, etiam non excuſſis ejus facultatibus, difficultas, qui certè ſubibit olim duriſſimum judicium, ſi fideiuſſorem non præſtet indemnem, & nominatim, ſiquando fideiuſſit Eccleſia Cathedralis, Collegiata, & maximè ſi Regularis. & Monaſtica. Vide Navarrum in Manuali *Cap. 12. num. 36.* & Sanchez *Lib. 4. Moralium*, ſeu de Voto *Cap. 8.*

522 Caſus VIII. *Jurantis ſe hoc aut illud legibus civilibus vetitum facturū, aut non facturū id, quod leges civiles mandant fieri.* Si talium legum finis primarius ſit bonum hujus, aut illius privati hominis, cenſet Sanch. *Lib. 1. De Matrimon. Diſp. 32.* Suarez *cit. Cap. 20.* ſubſiſtere hoc juramentum, ſecùs ſi ſit de objecto primariò tendente ad bonum publicum: Verùm quia eſt in praxi difficile cognoſcere, utrùm hæc aut illa lex reſpiciat principaliter ſolum bonum privatum, cùm præſertim omnis lex tendat ad bonum publicum, ideo expeditiùs dicitur cum Caſtro Palao *de juramento Diſp. 2. quæſt. 8. num. 8.* ac Tamburino *Lib. 3. cap. 3. §. 5. num. 42.* juramentum de rebus Lege civili (quæ non ſit contraria Canonicis) vetitis, vel præceptis non ſubſiſtere. ſubſiſtere ſi ſit de re, ad quam ſe ſolùm permiſſivè habet lex civilis, ſeu expreſſè permittit non fieri, at non inhibet. Sicut permittit non ſolvi id, quod luſu amiſiſti, non ſolvi à filiofamilias mutuum, quod accepit inſcio patre: non ſolvi uſurario uſuras. His enim legibus non obſtantibus omnia hæc ſolvi debent poſt juramentum de iis ſolvendis editum. Ideo enim exigitur juramentum, ne quis utatur legis beneficio.

Cùm autem omnes Canonicæ leges latæ ſint in bonum animæ, ideóque omnes, (exceptis iis, quas Gratianus in Decreto collegit ex Patribus, vel Conciliis particularibus) Chriſtianos obligent in conſcientia, fatetur ipſemet Suarez cum omnibus aliis, nullum robur habere ullum juramentum adverſans earum diſpoſitioni. Vide plura hanc in rem infrà *num. 531.* & *ſeq.* 523

Caſus IX. *Jurantis ſe non ampliùs luſurum chartis, aleis, conis &c.* In primis cùm ſit chartarum eadem, quæ alearum ratio, in utroque enim luſu dominatur fortuna, aut dolus potiùs, quàm innoxia ars, cùm præterea uſus aleæ ſit communiſſima cauſa, vel occaſio variorum peccatorum, jámque olim creditum fuerit, aleatorem optimum, eſſe peſſimum, eſt in confeſſo apud omnes Theologos, ejuſmodi juramentum eſſe ſanctum, ideóque ſanctè obſervandum, imò ſuadendum omnibus ſaltem Clericis, quibus animus prurit in talem luſum, cùm præſertim in Cap. *Clerici. De vit. & hon. Cleric.* ex Concilio Generali Lateran. ſub Innocentio 3. ejuſmodi luſus interdicatur Clericis. 524

Audio quidem, nullam, aut propè nullam hujus Canonis haberi variis in locis à permultis rationem, ita ut impunè impendant propè quotidie tres, quatuor plures horas luſui alearum, aut chartarum, amittant una ſeſſione, ut vocant, alii decem, alii viginti, ne dicam plures aureos è beneficiis Eccleſiaſticis, Miſſæ Sacrificiis (vah probroſiſſimum factum!) collectos, ut proinde cenſeam, illum Canonem eſſe iis in locis uſu contrario abrogatum, ſaltem quando non admiſcentur alia gravia inconvenientia, vel ſcandala. Nihilominus tamen habeo cum omnibus, ut dixi, Theologis, pro valido juramentum de abſtinendo perpetuò à luſu chartarum, alearúmque, ſicuti & generatim 525

ſub-

ſubſiſtit juramentum de vitando omni etiam honeſto luſu, qualis etiam eſt jactus globi ad conos dejiciendos, editum ex motivo vel ſe ſe mortificandi, ut phraſi Aſcetica utar, vel conſervandi animum in majore aptitudine ad orandum &c. Sicut è diverſo ferè certum eſt, non eſſe habendam rationem juramenti de non ludendo cum Cajo, aut Titio, ſi interea adſit animus ludendi cum aliis, niſi fortè ſubſit prudens ratio, quare nolis cum hiſce ludere e. g. quia hi ſunt rixoſi, movent tibi bilem, nequeunt ſatiari luſu &c. Sed nec probamus juſjurandum de nullo etiam honeſto ludo cum ullo prorſus homine, ullo tempore exercendo, cùm revera poſſit occurrere caſus, quo præſtetur res Deo grata ludendo, non autem non ludendo, ut nos docet vel exemplum S. Franciſci Xaverii. In dubio, an dum juráſti non luſurum, intenderis excludere ſolum luſum immoderatum, an moderatum, permittit tibi Tambur. *Lib. 3 cap. 3. §. 5. num. 57.* moderatum, quia juramentum tale eſt inſtar voti interpretandum. Supra *num. 493.* atqui vota eſſe in dubio interpretanda in mitiorem partem oſtendimus ſuprà *num. 380.*

516 Cæterùm, ut qui juravit, ſe vel tota vita, vel uno menſe, uno Anno non luſurum, nôſſe queat, delinquátne mortaliter, an ſolùm venialiter ludendo poſt ejuſmodi juſjurandum, ſeu, ut vocant, abjurationem ludi, examinanda eſt in primis intentio, ſeu cauſa motiva, & finalis, ob quam eſt facta abjuratio: an videlicet ob conſervationem pacis domeſticæ, periculum amittendæ multæ pecuniæ, pretioſi temporis jacturam, mortificationem in honorem Dei, periculum rixarum, & blaſphemiarum. Si enim ludo te idcirco abdicáſti, ne te exponeres periculo perdendi prodigè multùm pecuniæ, expertus te communiter jacere valde infelicem aleam, gravitas culpæ deſumenda eſt non ex diuturnitate temporis, quod triviſti ludendo, ſed ex quantitate pecuniæ, cujus (non ſine incommodo familiæ &c.) perdendæ diſcrimini te expoſuiſti. Si enim non ſuberat morale periculum perdendi quidpiam noxium familiæ, animæ tuæ &c. comburendo totum diem luſu alearum, non damnabo te de mortali. At damnabo, ſi vel horulam impendas cum morali periculo adeundi jacturam 10. 20. 100. 1000 aureorum neceſſariorum conſervationi pacis domeſticæ, ſuſtentationi familiæ, ſolvendis debitis &c. Aut ſi non ſubfuit periculum perdendi multum, at diu luſiſti poſt juramentum de non ludendo emiſſum, ut te privares voluptate luſûs. Sicuti è diverſo abſolvam te à gravi noxia, ſi cum hominibus notoriè pacificis ludas poſt juramentum ob ſolum metum rixarum emiſſum. Vide de his & pluribus Sanchez *Lib. 3. Moral. Cap. 18.* meritò addentem, juramento non ludendi non obſtare, ſi pecunias des alteri, ut nomine tuo videntis, lætantis ludat, obſervante Diana *Part. 7. Tract. 9. Reſ. 58.* illum, qui juravit quidem ſe non luſurum, at dubitat, an cum intentione non ludendi etiam loco alterius, poſſe non obſtante juramento ludere alterius loco ſeu nomine, quandoquidem ludentes ſuomet lucro, & damno ferventiùs id faciunt, quàm ſi ageretur res aliena. Obſerva & tu rem planè indignam homine Chriſtiano, quòd multi luſores debita ex luſu contracta fideliùs ſolvant, quàm contracta ex emptione, mutuo, fundatione in pias cauſas facta à majoribus cum interminatione divini judicii, niſi præſtentur. Multi enim horum claudunt aures exigentibus etiam in magna neceſſitate ejuſmodi debita, utramque autem manum plenam 100. 1000. aut pluribus aureis aperiunt colluſori uno, alteróve die poſt finitum luſum dictitantes, hoc eſſe CavallIericum. Certè gemitus creditorum ita ſurda aure præteritorum penetrant cœlos, & evocant ultionem in bonis animæ, corporis, honoris, fortunarum, multorum ex illis, ut vocantur, Equitibus.

At, *quid ſi vidua juravit, ſe, ut teſtetur mæſtitiam, quam perſentit ex morte conjugis, non luſuram, tenebitúrne juramento?* P. Tambur. *loc. cit. Cap. 15. §. 4. num. 3.* negat votum ejuſmodi valere, eò quòd ſit vanum, nec Deo gratum. Idipſum diceret, ſi illa mulier juráſſet, tunc enim præciſè, ut ſic fuiſſet juramentum per ſe ſtans, & proinde obligans inſtar voti; juxta dicta *num. 472.* utique autem non negaret Tamburinus obligationem veram, ſi id juramentum editum fuiſſet in gratiam affinium, juramentum enim in gratiam hominis obligat, etſi ſit de re omnino indifferente. Plura de luſoribus, corúmque fraudibus infrà *num. 666. & ſeqq.* 527

Caſus X. *Patris jurantis, ſe graves pœnas repetiturum à filio. Heræ jurantis ſe non ſervaturam diutius hanc, aut illam ancillam. Fratris, vel condiſcipuli ſe apud patrem, vel magiſtrum accuſaturum fratrem, condiſcipulúmque. Mercatoris, ſe hanc mercem non viliori pretio venditurum, non majori empturum. Aulici, ſe non priorem ſeſſurum, priorem ingreſſurum domum.* Qui quidem omnes delinquunt mortaliter, ſi non habeant intentionem (& verò conſuevi mercatores, circumforaneos ſingulariter, interrogare de illa intentione) faciendi id, de quo faciendo jurant. Suprà *num. 472.* At rarò peccant non faciendo quod ſeriò juràrunt ſe facturos, ut quando pater videt, filium alia ratione, quàm verbis emendatum iri, vel maternis lamentis domum impletum iri, ſi cædatur filius albæ gallinæ. Idem dic de fratre, & condiſcipulo, quando vel ex ſola æmulatione, vindictáve edidit illud de accuſando juramentum, vel advertit, accuſationem criminis alia ratione emendabilis, fore aut inutilem, aut ſibi detrimentoſam, quia ubique audiet *Vulpes, Delator, Poſtilio &c.* Denique heræ communiter non ex motivo virtutis, ſed impatientia jurant, 528

rant, ſe dimiſſuras ancillam hanc, & illam, ideo ut ſic non delinquunt ſervando eam.

529 Juramentum mercatorum, vel aulicorum non fit propriè ulli homini, ſed eſt juramentum per ſe ſtans, juxta dicta *num. 469.* & *472.* adeóque ſi obligat, obligat reſpectu ſolius Dei, cujus honori nihil accedit, nihil decedit, eſto emas cariùs, quàm te ſoluturum juraveras, aut ad inſtantiam alterius præcedas. Vide plura infrà *num. 529.*

530 Caſus XI. *Gubernatoris urbis, Alumni Collegii, Scholarium, Scribarum, & diverſorum officialium.* Eſt enim de his generatim obſervandum, tametſi jurent ſe hoc aut iſtud Statutum eſſe ſervaturos, attamen non obligari ſervare alio modo, quàm ſit uſu receptum, ita ut ſi ſit receptum ſolùm ut pœnale, ejus prævaricatio non reddat reum culpæ ullius coram Deo. Suprà *num. 516.* Nec etiam delinquant, ſi ultra taxam Lege præſcriptam accipiant quid pro juſta mercede, modò hæc acceptatio nitatur legitima conſuetudine, quæ pro tunc non adeſt, quando talia accipiuntur clàm, & puniuntur, ubi reſcivit Princeps. Tamburin. *cit.* §. *5. num. 53.* qui *num. 55.* loquens de juramento Alumnorum Pontificiorum non ſuſcipientium Clericatum in ſæculo, ſed mox ingredientium qualemcunque Religionem, ſentit leniùs, quàm moderna praxis, Dilingæ, e. g. permittat, primo triennio poſt abſoluta ſtudia.

531 Caſus XII. *Eſt celebrantium varios contractus jure invalidos.* Dubitatur enim, utrùm juramentum iis ſuperadditum addat ipſis aliquod robur. Et in primis quidem ſi contractus ita ſit invalidus jure naturæ, aut poſitivo, ut nequeat ſtari illo ſine peccato, utique juramentum nihil valebit. Quia & non poteſt eſſe vinculum iniquitatis, & non eſt obſervandum juramentum, quo malum incautè promittitur, S. Ambr. relatus Cap. *Non eſt. 22. quæſt. 4.* & vel maximè habet tum locum Regula *58. in 6. Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum.* Deinde ſi ſit ita invalidus jure, ut jus non prohibeat quidem talem contractum, nolit tamen ei aſſiſtere, adeóque ſit tantùm idcirco præciſè invalidus, quod jus nolit ei aſſiſtere, ſeu admittere actionem contra nolentem eo ſtare, tunc juramentum ita firmat illum contractum, ut graviter peccet contra Religionem, qui ei contravenit, quandoquidem juramentum ſervari debet, quando po-

532 teſt ſine diſpendio æternæ ſalutis. Tertiò, quando idem contractus eſt in ſe validus jure naturæ, at permittitur reſciſſio illius, jurans ſe non reſciſſurum, nec petiturum facultatem reſcindendi, tenetur non petere, & quidem juxta Sanchez *cit. Lib. 3. cap. 12. num. 12.* ex debito juſtitiæ contra Tamburinum. Sicut idem Sanchez *num. 11.* præmiſerat cum innumeris contra alios generatim, quando contractus eſt jure vel civili, vel Canonico nullus, ſeu irritus, ita ut ne naturalem quidem inducat obligationem, quia jus non vult inde oriri obligationem juſtitiæ, attamen accedente juramento oxoriri talem obligationem, ſi abſque peccato ſervari poſſit. His generalibus caſibus ſubjicio ſequentes Individuos:

I. Judicis Doloſi.

Qui cùm in vinculis haberet reum furti ſacrilegi, at nulla dum legitima probatione, propriáve Confeſſione convictum, jurejurando promiſit, ſe dimiſſurum illum, ſi veritatem fateretur. Faſſus eſt hic ſcelus ſequens fidem judicis, qui tamen poſtea morte, ſed lentore, quàm jura ſtatuant, affecit. Quæſitum fuit, quid de hoc promiſſorio juramento ſentiendum. 533

Exiſtimavi ego, & etiamnum ſentio, in primis ſi judex, qui illo dolo extorſit Confeſſionem, juravit ſine animo ſtandi juramento, peccâſſe mortaliter. Ratio eſt: tum quia admiſit verum perjurium. Suprà *num. 472.* tum quia *per judicium injuriis aditus patere non debet* Text. Cap. *Nonnulli. De Reſcript.* magna autem injuria afficit reûm judex, ſi fictè promiſſa impunitate extorqueat à reo confeſſionem criminis ſine animo ſtandi promiſſione. 534

Unde non ſolùm longè probabiliùs negant contra Archi-Diaconum, & alios relatos à Farinacio, Covarruvias, atque alii ab eo relati, itémque Farinacius, æquè juris, ac Theologiæ ſcientiſſimi Martinus Delrius *diſquiſit. Magicar. Lib. 5. Sect. 10.* ac Layman. *Lib. 3. Tract. 6. cap. 5. num. 13.* licitam eſſe ejuſmodi fictam promiſſionem, ſed inſuper juramenti Religio illam damnat ad ſcalas Gemonias, & quidem ſive apertis verbis promittatur ejuſmodi impunitas, ſive tectis, & æquivocis, e. g. dicendo: *alam te tota vita* (ſcilicet uſque ad extremum ſupplicium.) Vel dicendo: *Proderit tibi ad vitam* (ſubaudi: æternam) *ſi verum faſſus fueris.* 535

Nec patrocinantur ſententiæ Archidiaconi Rex Salomon ſimulans, ſe infantem unius è duabus meretricibus ſecaturum in duas partes. Aut Carolus M. ſimulando jubens ſuſpendi patrem, & filium, ut cognoſceret, uter horum commiſiſſet homicidium, cùm eſſe ab alterutro, non autem ab utroque patratum conſtaret, neque Claudius Cæſar, &, ni memoria me fallit, etiam Theodoricus Gothorum in Italia Rex, dum matrem negantem, quemdam juvenem, qui verè ejus filius erat, eſſe ex ſe genitum, coëgit verum fateri mandando, ut ea illi nuberet, ſe dotem ſuppeditaturum, cujus defectum ipſa objiciebat. Etenim horum trium nullus fuit mentitus, cùm nullus eorum admiſerit ſimulationem propriè dictam, & deſcriptam à me in Quinario *Tract. 5. cap. 51. num. 39.* & quæ ex mente S. Thomæ eſt reale mendacium. Fraus, & mendacium, quo illaqueari facilè poſſit mi- 536

ſer

ſet reus, à judice ceu viro bono, & ſanctæ, ſimpliciſque veritatis amantiſſimo abeſſe debet. Zahnnius de mendac. *Lib. 2. cap. 48.* ex Farinacio, & Carpzovio ſubdens (quod probè nota) ſi commiſſi atrocis ſceleris autor nequeat aliter comperiri, quàm promiſſa immunitate, ſi ſe prodat, non ſolùm illum eſſe hac donandum, ſi ſemet prodat, ſed etiam ſocios, quos nominat, ſi hi ſe ſiſtant ante inquiſitionem cœptam poſt Confeſſionem primarii, qua tamen de re dubitant alii teſte Zahnnio.

537 Exiſtimavi 2. Si reus cognita poſt ſuam confeſſionem nequitia judicis, eam revocavit, non poſſe affici extremo ſupplicio, niſi aliunde convincatur. Clarus *Lib. 5. quæſt. 55. num. 9.* referens Boſſium teſtantem, quòd viderit ſemper ita ſervari, & ipſemet Clarus etiam teſtatur, ſemper in Ducatu Mediolanenſi obſervatum fuiſſe, & quotidie obſervari. Loquitur autem uterque de judice ſupremo, ſive illo, qui vel conſuetudine, vel privilegio habet jus vitam donandi reo mortis. At de judice inferiore cenſet cum Covarr. non eſſe ab eo puniendum pœna ordinaria, niſi accedant alia indicia, quæ illum gravent. Ego cum Laymanno dicò: *Ubi ordo iuris non eſt ſervatus, non poteſt condemnari reus.* S. Thom. *2. 2. quæſt. 69. art. 4.* atqui non ſervatur ordo juris, quando ejuſmodi fraudes adhibentur ad Confeſſionem extorquendam.

II. Principis amore Cæci.

538 *Alberti, inquam, Erneſto Bavariæ Duce geniti, qui quòd pater Erneſtus Agnetem quandam chirurgi filiam, Alberti pellicem, imò jam deſignatam conjugem, aquis ſuffocari mandâſſet, juravit, ſe nec patri, nec patriæ parſurum, donec Agnetis ſuæ necem vindicâſſet.*

539 Dicendum eſt, hoc juramentum minimè obſervandum fuiſſe 1. Quia Erneſtus potuit in illam pellicem animadvertere ſupplicio capitis, ut eruditè probat Adelzreitter Annal. Boicor. *Part. 2. lib. 7. ad Ann. 1436.* quo loco deſcribit hoc patris, & filii factum. 2. Quia eſto parens egiſſet injuſtè, ſcriptum tamen eſt: *Mihi vindicta, & ego retribuam* Deuteron. *32. verſ. 35. & ad Hebr. 10. verſ. 30.* adeóque Deo, & Magiſtratui, qui Dei miniſter eſt in vindictam malorum. *Rom. 13.* relinquenda eſt vindicta, ſingulariter quando injuria, cujus vindicatio quæritur, non redundat in Deum, & Eccleſiam. S. Thom. *2. 2. quæſt. 108. art. 1. ad 4.* quia igitur uramenti Religio neminem compellit ad peccatum, clarum eſt, illud juramentum Alberti non fuiſſe obligatorium. Sicut nec fuit olim nonneminis, qui videns nonneminem, à quo ſe graviter læſum ſibi imaginabatur, juravit, ſe vel jus ſuum proſecuturum coram judice, vel neſcio quot millenos florenos pactione extorturum ab adverſario, nec voluit à propoſito valde inhumano (ut cenſebant multi) recedere, cauſatus Religionem juramenti, quam fuiſſe planè vanam, & ſuperſtitioſam liquet ex nunc primùm dictis, omniúmque Theologorum conſenſu.

III. Reguli Catholici cum Hæretico paciſcentis in cauſa Religionis.

Hic Regulus metu maximorum malorum ſpiritualium, & temporalium jurejurando promiſit alteri Regulo heterodoxo, ſe in ſuo quodam pago non modò toleraturum eſſe miniſtrum ſectæ acatholicæ, ſed etiam puniturum ſuos illius pagi incolas ſubditos, ſi apertè, vel occultè ullum Sacramentum reciperent de manu ſacerdotis catholici, aut certè permiſſurum, ut heterodoxus (à quo non poterat non exſpectare niſi ſententiam per accidens ſummè reo noxiam) animadverteret in eos. Eſtne catholico ſtandum hoc jurejurando? 540

Interrogatus ego literis ab hinc Annos non omnino duodecim reſpondi. I. Si illud juramentum fuit licitè præſtitum, poſſitque abſque offenſa Numinis hodiéque ſervari, ſervandum eſſe. Ratio deſumitur ex toties allegato Cap. Quanto. *De jurejur.* quòd ſcilicet juramentum licitè præſtitum obliget, ſi obſervari queat abſque diſpendio ſalutis, cùm *nihil ſit tam congruum fidei humanæ, quàm ea ſervare, quæ placuerunt, Leg. 1. ff. De pact.* ſitque *infamis, qui fidem non ſervat Leg. Si quis fidem. Cod. De tranſaction.* Eſtque hæc generalis doctrina ita perſuaſa omnibus catholicis Theologis, & Jureconſultis, ut certum ſit, hæreticos miniſtros contra ſuammet conſcientiam, ac veritatem agere, dum identidem ſcribunt, eſſe doctrinam Jeſuitarum, aliorúmque doctorum orthodoxorum, quòd fides ſervanda non ſit hæreticis. Eſt omnino ſervanda his fides, ſi data fuit licitè, ſervaríque poſſit licitè, nec iidem catholici habeant jus uſurpandi illam à Bonifacio VIII. traditam Regulam: *Fruſtra ſibi quis fidem poſtulat ab eo ſervari, cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat*, eſto recuſet ob impotentiam. Peckius *in cit. Regulam*, nedum ſi ex perfidia, ut toties ante, & poſt tranſactionem Paſſavienſem fecêre plures heterodoxi. 541

II Et verò Miniſtri acatholici tolerantiam quod attinet, potuiſſe ſalva conſcientia, atque in certis circumſtantiis deduci in pactum jurejurando firmatum, dicent omnes illi Theologi, & Principes, qui *Inſtrumentum pacis*, ut vocant, ratum habuêre, in illo enim Inſtrumento, ſeu Pace Oſnabrugenſi, & Monaſterienſi 542

enſi continentur tales innumeræ pactiones, quarum vi Principes heterodoxi innumeris Eccleſiis Regularibus, & ſæcularibus impoſuerunt, vel jam antè impoſitos manutenent Prædicatores Verbi Lutherani, & Calviniani.

543 III. Illud tamen juramentum non potuit licitè, validéque fieri, & proinde nec obſervari debuit, aut debet, ſi extenſum eſt & ad magiſtratum Catholicum punientem, & ad caſum, & articulum, quo acceptio Sacramenti eſſet neceſſaria neceſſitate aut medii, aut præcepti divini, tunc enim evidenter extenderet vim ſuam relata ſuprà *num. 495.* Regula, & Canon capituli in malis *22. quæſt. 4.* ubi dicitur: *In malis promiſſis reſcinde fidem*: *Impia eſt promiſſio, quæ ſcelere completur*, Iſidor. *in ſynonymis Lib. 2.* & *eſt etiam contra officium nonnunquam ſolvere promiſſum.* cap. *Eſt etiam, 22. quæſt. 4.* & denique *pactum rei turpis de jure vel de facto nullam obligationem inducit. Leg. fin. De pact.* foret autem pactum rei turpis, ſi comprehenderet etiam caſum, quo æger verſaretur in probabili periculo damnationis æternæ, niſi reciperet unum, alterúmve ex Sacramentis extremis: Et cederet utique in evidentem contemptum Religionis catholicæ, ſi magiſtratus catholicus puniret vel ſacerdotem, vel laicum præbentem, recipientémve unum ex his Sacramentis.

544 IV. At verò potuerunt intervenire ejuſmodi circumſtantiæ, ut regulus catholicus, de quo Caſus, licitè promitteret, ſe permiſſurum negativè, id eſt non obſtiturum, quò minùs acatholicus mulctaret miniſtrum catholicum, & illum, cui eſſet miniſtratum Sacramentum. Ratio à poſteriori petitur ex nominato Inſtrumento Pacis *fol. 24. & ſeqq.* ibi enim continetur non una, ſed plures ejuſmodi pactiones. A priori autem probatur. Quia talis permiſſio non eſt intrinſecè mala, cùm & Deus ipſe permittat, & non contineat propriè ullam cooperationem ad malum. Ergo poſſunt intervenire tam graves circumſtantiæ, ut etiam in pactum

545 deducatur. Eſt infallibilis Regula, quòd è duobus malis minus ſit eligendum. Póteſt autem fieri, ut quandoque longè minora damna patiatur Religio catholica, ſi ineatur talis pactio, quàm ſi non ineatur. Caveant autem Theologi, ne nimis multùm fidant conſiliariis Principum, ſtatuentibus tanquam certam, & indiſputabilem Minorem Propoſitionem illius impliciti Syllogiſmi, cujus Majorem ſolam conſueverunt ſubjicere judicio Theologorum. Mihi enim conſtat, fuiſſe aliquando ipſis graviter impoſitum in conſultatione ſummi momenti: Saltem hoc obſervent, ut non reſpondeant niſi hypotheticè: *Si relatio veritate nititur.* Non legi in ullo divinæ ſcripturæ libro de conſiliariis id, quod de Principibus: quod eorum *aures* ſint *ſimplices*: Eſther. *ultim.*

Caſui prædictorum Regulorum (nôrunt etiam ſemidocti, quales nomine Reguli deſignet vetus, & novum teſtamentum) affinis eſt, quem propono

IV. De Republica Helvetica Catholica N.

Quæ habens in quandam Præfecturam acatholicam imperium alternativum cum alia acatholica republica præficit ei alternis ſeu bienniis, ſeu quinquenniis è ſuo corpore gubernatorem, ſeu Præfectum, qui priuſquam ineat præfecturam, debet ſe ſiſtere magiſtratui acatholico, præſtare ei homagium, ac nominatim jurare, ſe mulctaturum illos, ex ea præfectura acatholicos, quos nôſſet peregrinatos eſſe ad totius Helvetiæ ſacratiſſimam (utpote ab ipſo Chriſto Domino conſecratam) *ædem Einſidlenſem, ſeu Eremitanam. Quæſitum ex me fuit olim, ſítne pium, an impium hoc juramentum.* 546

Reſpondi, eſſe impium per ſe, & in abſtracto, non impium per accidens, & in concreto: 547 Quia ſcilicet ex una parte reſpublica illa catholica non ſolùm ſpoliaretur tota illa toparchia, in qua complures catholici, qui cogerentur ejurare ſanam Religionem, ſed etiam eadem ſummè orthodoxa reſpublica conjiceretur in extremum diſcrimen, ſi Neopræfectus recuſaret facere, quod omnes ſui anteceſſores à plurimis Annis. Ex altera autem parte, ſicut illa promiſſio eſt impia, quæ ſine ſcelere compleri nequit *Cap. In malis, 22. quæſt. 4.* ita è diverſo labe caret per ſe, quæ ſine labe compleri poteſt, argum. cit. capit. *In malis.* Sicuti revera poſſunt ex diſſimulatione talium peregrinationum emergere tam gravia mala publica, ut magiſtratus etiam catholicus licitè interdicat ſub reatu pœnæ.

Hanc reſponſionem approbare debent omnes architecti Inſtrumenti Pacis, atque illi 548 viginti Theologi, quos nominat Caramuel in ſua Synopſi. Recepta eſt doctrina Theologica, quòd civis innocens poſſit tradi tyranno illum mactaturo, punirique ſi conſtanter, ſeu contumaciter renuat ſe illi ſiſtere, ſi non poſſit aliter averti ſummum malum à tyranno impendens patriæ. Quid ni & ſub pœna inhiberi illa peregrinatio minimè neceſſaria ad ſalutem æternam conſequendam? prohiberi, inquam, illa, quæ, & quatenus nequit ita fieri occultè, quin deveniat in notitiam heterodoxorum.

Quia verò facta eſt hìc indirectè bis, térvementio Inſtrumenti Pacis propono, & reſolvo 549 hunc

V. Caſum de Inſtrumento Pacis directè.

550 *Ranutius laicus catholicus nactus eſt titulo emptionis, vel hæreditatis Præpoſituram A. quam acatholicus jam pridem occupatam retinebat munitus pactione pragmatica Pacis Oſnabrugenſis, & Monaſterienſis. Quæſivit inſignis quidam Dominus è vicina Rhetia, cenſerémne, illum Ranutium eſſe in foro Poli, & Fori juxta Inſtrumentum Pacis fundatum in poſſeſſione dictæ Præpoſituræ.*

551 Quæſivit, inquam, ſcripto ex me, at ignoro, quo animo, ſeu intentione, quandoquidem vix meum acceperat reſponſum, cum miſit mihi, additâ gratiarum actione, folium typis excuſum, editúmque ab Anonymo J. C. teſtante, fuiſſe illam ipſam quæſtionem oblatam decisioni Facultatis Theologicæ, ac deprehendi, fuiſſe Anonymum illum ejuſdem, cujus ego, mentis, quam nunc quoque aperio breviſſimè, ac

552 Dico I. Illum Catholicum A. non obſtante eo juramento, quo ſancitum eſt ab utriuſque religionis partibus intereſſatis Inſtrumentum, quid quid ſit de foro fori, de quo quid tunc ſcripſerim, nihil attinet hîc repetere, non poſſe dici, eſſe in foro poli, foro, inquam, prorſus indeclinabili, & ſeveriſſimo, legitimum poſſeſſorem memoratæ Præpoſituræ. 1. Quia omnia jura canonica obligantia omnes Chriſtianos ſervos, & dominos, reddunt omnes laicos incapaces omnium bonorum Eccleſiaſticorum, ſingulariter Beneficiorum, ſine inſtitutione canonica. Ea jura nominatim exprimit Gloſſ. marginalis ad Concil. Trident. *Seſſ. 22. cap. 11. De reformat.* Quibus adde Regulam primam *De Reg. jur. in 6.* Ac declarationem, quam *in citat. locum* Tridentini deſcribit Joannes Gallemart. Atque Bullas, quas unà cum doctoribus producit Auguſtinus Barboſa in illud ipſum *Cap. Synod. Trident.* expreſſis pœnis, quarum reos ſe reddunt prætenſi poſſeſſores ejuſmodi bonorum, non muniti autoritate Apoſtolica. Nec ullus ſincerus Catholicus revocavit hoc unquam in dubium.

553 Veritas datæ reſolutionis inde etiam clara eſt, quòd in toto Inſtrumento Pacis lecto, relecto à me non reperiatur apex, quo catholici principes, qui ſua autoritate, vel jurejurando roborârunt illam pragmaticam ſanctionem, pacti ſint de ullis bonis Eccleſiaſticis acquirendis, occupandis, poſſidendis ab aliquo catholico contra ſcita ſacrorum Canonum, quidquid tandem conceſſum ſit acatholicorum armatæ poſtulationi, in illa fatali per ſe (ſed Deo infatuante conſilia illorum ita per accidens felici, ut, quod memoravi perſæpe, plures Comitum, Marchionum, Ducum, Regia, denique dignitate, & ſanguine illuſtriſſimi tranſierint è Lutheri, & Calvini caſtris ad Catholica hiſce viginti quatuor Annis extortæ pacificationis, quàm intra octoginta Annos antegreſſos) aris orthodoxis conſtitutione, ergo non eſt ullus articulorum prædicti Inſtrumenti extendendus ad dictæ Præpoſituræ poſſeſſorem, vel quaſi, cùm & juramentum promiſſorium ſit ſtrictæ interpretationis. Suprà *num. 493.* junctis juribus, quæ allegavi ſuprà *num. 375. & ſeqq.* & quod eſt in tranſactione omiſſum, pro omiſſo habendum ſit, Zaſius Reſp. *Decad. 7. Reſp. 64.* ſingulariter, quando fuit inita ex metu graviſſimorum malorum. Tunc enim habetur pro odioſiſſima, indignáque omni favore. Menoch. *Lib. 1. Vot. 1. num. 136.*

VI. Juramentum Medici nimis Religioſi.

Medicus quidam empiricus, ſecreti cujuſdam medicamenti contra febres malignas cônſcius, cum juramento promiſit ſuo magiſtro, ſe nemini illud communicaturum, niſi uni ex conſanguineis ejuſdem magiſtri. Quæſivit Empiricus: An nihilominus poſſet aliis communicare? 554

Interrogatus ab hoc ipſo medico P. Thom. Tamburin. ut teſtatur ipſe *Lib. 3. Decal. cap. 3. §. 5. num. 65.* remiſit illum ad Fagundez in *Decal. Lib. 2.* & Suarez *Lib. 2. De juram. cap. 17. num. 11.* meritò tenentes, ejuſmodi homines non teneri vi juramenti ſervare tunc ſecretum, quando nequit eo ſervato conſervari vita proximi, juxta ea, quæ de occultarum artium, ſeu experimentorum communicatione tradit S. Thom. *Quodlibeto 12. art. 21.* ubi abſolutè negat, juramentum de non communicanda notitia alicujus experimenti obligare, quando repugnat charitati vel conſilio. Si autem poſſit aliter juvari æger, cenſeo cum Majore, & aliis apud Suarez, juramentum eſſe ſervandum, quando fuit exactum, & præſtitum in verum, & reale commodum illius, qui communicavit, potuit enim hic in tali caſu obligare conſcientiam alterius. Si autem eo mortuo reveletur, & publicetur, permittet D. Thom. evulgationem. Unde apparet, quid idem Sanctus fuerit reſponſurus ad hunc Caſum 555

VII. Alterius Medici, Podagricis non ſat æqui.

Is quippe ſibi perſuadebat, ſe pollere arte certò pellendi, eliminandíque podagram. Nequiit tamen unquam induci, tametſi officioſiſſimus in omnes etiam tenuis fortunæ, illam ut adhiberet, aliúmve doceret, obtendens votum de non uſurpanda illa ſcientia emiſſum, duntaxat 556

ob

Digitized by Google

ob periculum vanæ gloriæ, & complacentiæ, poſt felicem eventum infeſtatura ipſius animum. Quid ſi votum illud jurejurando firmaſſet?

557 Hunc Caſum, quatenus erat ſolo veſtitus voto, retuli verbulo in Quinar. *Tract. 5. cap. 10. num. 17.* ubi plura de podagra appendice temulentiæ. At non aperui meam mentem, eò quòd is medicus eſſet adhuc in vivis. Sed quia nunc vita inculpata, multiſque virtutibus illuſtri functus eſt, liberiùs ſcribo, videri mihi futurum, ut S. Thomas juberet eum non obſtante illo vanæ gloriolæ periculo per gratiam divinam non difficillimè ſuperabili, in primis juvare illos, à quorum ſanitate pendet ſuſtentatio domeſticorum, vel perutilis functio officiorum Eccleſiaſticorum, & politicorum, tunc enim dixiſſet S. Thom. ex Iſidoro: *In turpi voto muta Decretum. Cap. In malis. 22. quæſt. 4.* Deinde & illos, quos ſine propria culpa contractus ille morbus cruciabiliſſimè habet. Imò moviſſem ego ipſe ſcrupulum, juſtúmque metum diuturnioris purgatorii, ſi cogitaret ſecum tumulare tantam, & verè publico vel neceſſariam, vel ſummè utilem artem. Juramenti Religio non fuiſſet me moratura, utpote nixum autoritate Doctoris Angelici, eáque ratione, quòd & ſcriptum ſit: *quod in antè voviſti, ne facias.* citato can. *In malis*, & votum, ac juramentum ſoli Deo factum debeat eſſe de meliore bono, eſt autem melius bonum, etiam ſuppoſito periculo vanæ gloriæ, propagare in poſteros ejuſmodi ſcientiam, quàm ſuo inferre ſepulchro. Requieſcat in ſancta, ſanctiſſima pace.

VIII. Ingenioſè utentis occultâ compenſatione.

558 *Cum enim quidam Titius nequiret, ſine notabili incommodo, extorquere à quodam ſuo conſobrino ſolutionem centum aureorum, debitorum ex emptione equi petiit ab ipſo venditor centum aureos mutuos, impellente illum ad hoc aliquali præſente neceſſitate, jure tamen jurando, ſe infrà menſem* redditurum, *at non* reddidit, *alia ratione, quàm dicendo ſe tantundem remittere conſobrino, quantum hic deberet ex equo empto.*

559 Delata controverſia ad P. Tambur. pronuntiavit *cit. Cap. 3. §. 5.* pro Titio. Pronuntio & ego, re enim vera reddo tibi quod debeo, ſi ſolvam, quod tibi debeo, ſolvo autem, quando tantundem do, quantum debeo, do autem tantum, quando cedo certo jure exigendi hic & nunc à te tantum, quantum debeo hic & nunc. Et verò nihil eſt hac ætate communius, quàm ut dicaris tunc expungere, deleréque debitum pecuniarium, quando creditori tradis adeptam emptione, vel hæreditate ſyngrapham ſuam obligatoriam in ſolutum. Addit P. Tambur. hanc ex Bartolo rationem, quòd is, non ſit perjurus, qui juſtam habet excuſationem non ſolvendi, ut ſanè habet ſimilis noſtro Titio, ſed non capiunt omnes verbum hoc, magni enim domini perſæpe exigunt rigidè à ſuis ſubditis ea, quæ ipſis debent illi ipſi, quibus & ii ſunt obſtricti.

IX. Senatoris ſecreta lepidè tegentis.

Lucernates conſultabant Anno 1639. magna ſententiarum concertatione, eſſéntne militares ſuppetiæ mittendæ Coronæ Gallicæ, quas hæc petebat. Diuturna, præter morem, ſeſſitatio in Senatu, impulit unam, alterámve matronam, ut ſeriò admodum ſciſcitaretur ex ſenatore, obviam facto, ecquanam, per Deum immortalem, cauſa extitiſſet protracti ad ſecundam, tertiámve pomeridianam Senatus? Is ingenioſo, ridiculóque Commento luſurus ſimul, & eluſurus muliebrem curioſitatem: Reſpondit, fuiſſe conſultatum, quid agendum foret, ut pluviæ, quas exigebat diuturna ſiccitas, impetrarentur? Demum pedibus itum in ſententiam exiſtimantium, ſuadentium ut, quoniam ſexus fæmineus tam bellè calleat artem ciendi tempeſtates, imploraretur opera unius, alteriúſve ex dexterioribus materculis. Quo reſponſo data in ruborem matrona, dedit ſe in pedes, aliis materiam diverſorum affectuum. 560

Incolebam id temporis eam (poſtea triumphatricem) urbem, principem inter Catholicas in Helvetia, cùm muliebris curioſitas fuit lepido illo commento caſtigata. Quæret fortè nonnemo, utrùm Sacramentum de ſecreto celando, quo ſolent oppeſſulari ora ſenatorum Urbicorum, Principum Conſiliariorum, ita graviter obliget, ut ſit fas mendacio ſaltem jocoſo celare ſecreta, ſi aliter celari nequeant, ac proinde quouſque obliget juramentum de non pandendis iis, quæ ſecreto tractata ſunt in conſultationibus? 561

Reſpondeo I. Si ſtetur judicio, ſimul & moribus plerorumque politicorum, eſt vel nimis ſcrupuloſi, vel etiam ſtupidi ingenii dubitare, ſitne fas mendacio ſaltem jocoſo locum dare, quando nequit aliter occultari ſecretum ſummi momenti, commiſſum ſub juramento. Verùm ſi de ea quæſtione conſultus fuiſſet unus è ſapientiſſimis ſimul & religioſiſſimis Principibus ſui ævi, videlicet Guilielmus Leopoldus Archi-Dux laudatiſſimæ memoriæ, id fuiſſet 562

Digitized by Google

inficiaturus, quemadmodum referam *Caſ. 18. num. 594.* & meritò. Quo loco & ſingulariter *num. 589.* ſtatuam ex communi ſenſu omnium hujus ſæculi Theologorum, nullum etiam leviſſimum mendacium licitè adhiberi, ad quodcunque vel malum avertendum, vel bonum procurandum.

563 Gratis autem ſupponitur, poſſe dari caſum, inquo nequeat ſine mendaciolo vitari ſeu parvum, ſeu maximum malum, quandoquidem omne id, quod efficeretur mendaciolo, præſtari poteſt licita æquivocatione, ſeu mentali reſtrictione, ut explicabimus in ſequenti *Caſ. 18.* Sanè omnium ſecretorum ſecretiſſimum, & ſanctiſſimum eſt arcanum Confeſſionis, & tamen Religio illius poteſt ſemper, omnino ſemper æquè per æquivocationes, aut reſtrictiones licitas ſarta tecta ſervari, ac poſſet per palmare mendacium, ut liquet ex iis, quæ tradidimus in Experientiis *Tract. 7. Caſ. 22. num. 840.* & *841.* Et verò potuit ille mali doli expers Lucernas Senator ea ipſa verba, quæ ſuprà repræſentavi, uſurpare ſine mendacio etiam jocoſo, quia per Jroniam, Ironia verò non eſt propriè, & per ſe mendacium.

564 II. Senatores, & Conſiliarii Principum, debent eſſe tenaciſſimi arcanorum: tum quia locus, in quo agitabantur olim à Græcis conſultationes, appellabatur *Silentium*, & *Silentiarium.* Adamus Contzen *Politicorum Lib. 7. cap. 13. num. 7.* tum quia *character hominis prudentis eſt taciturnitas, atque ſilentium.* Petrus Forerius Vitæ *Lib. 2. cap. 11.* tum quia libertas vulgandi aliis ea, quæ tractata in ſecreto ſunt, ſummè eſt noxia principi, ac reipublicæ. Sicut è diverſo ſaluberrima fides ſilentii, ut non ſemel magno ſuo commodo, non minore aliorum malo expertum eſſe noſtra ætate unum è Summatibus Chriſtianitatis ferunt: tum denique quia eſt habenda ratio maxima juramenti, de ſervando ſecreto præſtiti. *In Senatu dicta, geſta, judicata, æterno ſilentio teguntо, nihil injuſſu Cæſaris revelanto.* Eſt hæc Spirenſis Curiæ lex expreſſa, multarum aliarum tacita.

565 III. Non tamen damnandus de mortali, quiſquis aperit aliquod ſecretum, etiam poſt illud juramentum generatim editum, & fortè quotannis renovatum. Ratio eſt primò, quia quandoque lex divina, & naturalis mandat, ut non obſtante Religione juramenti, aliquid manifeſtetur uni, vel pluribus. S. Thom. *2. 2. q. 70. art. 2.* 2. Quia uſus communis docet, illos ipſos, qui ſilentium exigunt, nec re ipſa velle, nec rationabiliter poſſe (ob fragilitatem humanam) velle, ut gravem culpam incurrant, qui qualecunque etiam minimum ſecretum revelant, ſed potiùs ratam habere illam communem doctrinam Theologorum, quòd qui jurat, ſe ſervaturum ſecretum rerum in ſenatu urbico, vel conſilio Principis cognitarum, non teneatur id ſervare, niſi quatenus materia poſtulat, ut ſcilicet non peccet graviter, ſi non magni interſit ſecretum ſervari: lethaliter, ſi multum interſit (ut ſanè ſæpiſſime) ſervari ſilentium. Et verò non niſi venialis culpæ reum eſſe illum per ſe loquendo, qui negligit 566
rem præſtare parvam ſub juramento promiſſam ſequitur ex fundamento poſito ſuprà *num. 504.* traditque in terminis contra alios Sanchez *Lib. 3. Moral. cap. 4. num. 23.* loquens de caſu, quo res illa jurata eſt vel partiale, vel etiam totale objectum juramenti. Vide infrà *num. 582. 649.* &, ſi placet ea, quæ de ſecreto tacito, & expreſſo ſcripſi in Quinario *Tract. 5. cap. 9. Sect. 10.* & nominatim de illo, quod ſolet, ſine ulla intentione confitendi ſacramentaliter, credi ſacerdotibus dicendo: *Dico hoc Ra. Va. ſub ſigillo Confeſſionis.*

IV. Licèt verò materia ſereti ſit perſæpe levis in ſe, attamen ſuperveniente juramento evadit gravior idcirco, quòd incipiat vileſcere Religio juramenti, quando ſcitur, arcanum eo munitum revelari temere, & nulla gravi cauſa ſuppetente. 567

V. Et eſt omnino conſiliariis præſertim ſummorum Principum ſexcenties repetenda aurea ſententia, ſeu adagium Latinorum, & Græcorum teſte Navarro *Commentar. 66.* ſeu *De denuntiatione num. 402. Res Sacra Conſultor: Res Sacra Conſilium: Res Sacra Conſultatio.* Vim adagii clariùs, & in ſpecie ediſſeret ſequens 568

Quæſtio de juramento Vaſallorum, ſeu Fidelitatis.

IN Lib. 2. Feudorum *Tit. 7. cap. 5.* exhibetur Vaſallis hæc formula jurisjurandi: 569
Ego Titius juro ſuper hæc ſancta Dei Evangelia, quòd ab hac hora in antea, uſque ad ultimum diem vitæ meæ ero fidelis tibi Caio Domino meo contra omnem hominem, excepto Imperatore, vel Rege, id eſt: Ego juro, quòd nunquam ſcienter ero in conſilio, vel auxilio, vel in facto, quòd tu amittas vitam, vel membrum aliquod, vel quòd recipias in tua perſona aliquam læſionem, vel injuriam, vel contumeliam, vel quòd tu amittas aliquem honorem, quem nunc habes, vel in antea habebis, & ſi ſcivero, vel audivero de aliquo, qui velit aliquod iſtorum contra te facere, pro poſſe meo, ut non fiat, impedimentum præſtabo. Et ſi impedimentum præſtare nequivero, quàm citò potero tibi nuntiabo, & contra eum, prout potero, auxilium præſtabo &c.

Hoc juramento aliqua, ut liquet, fieri mandantur, alia ne fiant inhibentur. De his & illis 570

Quæritur generatim I. *Utrum Vaſallus teneatur vi hujus jurisjurandi cum periculo mortis* impe-

Digitized by Google

impedire ea mala, præſtare ea bona, quæ hîc exprimuntur?

Reſp. I. Generatim tenetur & non tenetur, prout notaria conſuetudo declarat teneri, & non teneri. Etenim hîc quoque in ſpecie locum habere Leges & Canones de vi Conſuetudinis loquentes, tradit alios inter Rudolph. Schraderus in Tract. De Feudis. *Part. 6. cap. 6. num. 22.* ſcribens: *Conſuetudo vim juramenti fidelitatis, ſive obligationem ex ea deſcendentem interpretatur, extendit, & reſtringit.*

571 II. Idem Schrader, *loc. cit. num. 55. & 56.* ſubdit hæc verba ſine ulla prorſus explicatione, aut reſtrictione: *Vaſallus excuſatur à ſervitiis, ſi non abſque periculo certiſſimo vitæ ſuæ Domino auxilia præſtare poſſit. Felinus in Cap. Ego N. De jur. num. 5.* (in quo Capitulo, ut per Parentheſin dicam, proponitur juramentum, quo Epiſcopus ſe obſtrinxit ſummo Pontificii.) *quia non tenetur vaſallus ſalutem atque vitam Domini propriæ ſaluti, neque vitæ præponere.* 572 *Gloſſ. Cap. 1. Quibus modis Feud. amitt.* Ita Schraderus citans plures. Verùm hæc doctrina ita ſiccè, & univerſaliter tradita, atque intellecta repugnat veritati, & communi Theologorum, qui ſanè ſunt in hac materia conſcientiam petente audiendi præ Jureconſultis. Tradunt autem omnes Theologi, ac nominatim Societatis noſtræ poſt S. Thom. *2. 2. quæſt. 26. art. 3. in Corp.* Subditum teneri vitam exponere pro ſalute Reipub. adeóque pro Capite, ſeu Principe, à quo multùm pendeant Reipub. commoda.

573 Probatur ratione qua utitur ipſe S. D. quia ſcilicet natura ipſa docet, bonum totius (& quidni Capitis talis, quale deſcribimus?) præferre bono privato, ſeu alterius ignobilioris partis. Ergó ſi Principis ſalus ſit neceſſaria bono publico, aut multum utilis, tenebitur ſubditus, ut eſſe ſolent Vaſalli, vitam exponere
574 certo periculo, ut ſervetur Princeps. Accedit quòd ſubditus graviter delinquat, occidendo etiam ſolius ex ſe juſtæ defenſionis cauſſa ſuum Principem, eſto & hic ipſum actu invadat injuſtè, quando ſalus Reipublicæ plurimùm pendet ab eo. Ludov. Molina noſter *Tract. 3. De Juſtit. Diſp. 14.* Layman. *Lib. 3. Theol. Moral. Tract. 3. cap. 3. num. 1.* etſi utroque jure ſit recepta Regula: *Vim vi repellere licet*, ergo non debet his præſertim temporibus, quibus plurium Vaſallorum fides in Principes tam lubrica exſtitit, doctrina illa Schraderi proponi tam illimitatè, ſed reſtringi ad vaſallos, quà præciſè vaſallos, ſeu obtinentes à Principe feuda, non autem ad illos, qui ſimul ſunt veri ſubditi domini, à quo feudum poſſident.

575 Quæritur II. *Nominatim de ſecreto improbæ machinationis in Principem manifeſtando à Vaſallo.*

Reſp. Liquet ex formula juramenti, eſſe per ſe manifeſtandum, non obſtante juramento, quo quis ſe devovit omnibus Cacodæmonibus, ſi patefaceret, quia videlicet juramentum nec eſt, nec eſſe debet vinculum iniquitatis. Eſtque hæc doctrina vera, etiam quandò es civis illius urbis, quæ tota conjuravit in caput Regis, Ducis ſui, tuíque. Ita ſingulariter obſervat Silveſter verb. *Secretum.* Ratio eſt, quia talis Vaſallus debet magis diligere ſuum dominum, & principem, quàm ſuam civitatem, eò quòd bonum principis ſit commune. Silveſter *ibid.* ergo non erit reus perjurii, ſi juramentum præſtitum principi præferat juramento præſtito ſuæ communitati.

Dicta de obligatione ſecreti ſingulariter magnis principibus promiſſi, obligantíque, 576
conſigno obſervatione, quam ſuggerit ſapienter, providéque Contzen noſter *Quid faciendum ſit judicent multi: Quid facturus ſis ſciant pauci, & aliquando præter te nullus.* Comburam tunicam meam intimam, ſi conſiliorum meorum gnaram eſſe ſciero, ajebat Petrus Arragonum Rex. Nec immeritò, *res enim magnæ ab eo ſuſtineri non poſſunt, cui tacere grave eſt.* Q. Curtius *Lib. 4. Hiſt.* Plures particulares eventus, in quibus adeſt, vel non adeſt perjurium propriè, ſeu ſtrictè, & impropriè vel latè dictum elucidabo ſequenti Caſu utpotè qui eſt

DE PERJURIO, ET MENDACIO IN GENERE.

CASUS XVIII.

Steurarum, ſeu Collectarum.

SUMMARIUM.

Caſus jurantis ſe totam ſuam ſubſtantiam indicaturum, & tamen reticentis 40. florenos. 577.

Tres Definitiones Perjurii, quarum duæ priores communes quidem ſed ſola Prima propria. 578. & ſeq.

Diſcrimen eſſentiale inter Perjurium primo & ſecundo ſenſu ſumptum. 580.

Quid ſit Mendacium? 583. & ſeqq.

Apud Gellium differunt mendacium dicere & mentiri. 584.

Apud Theologos falſum dicere & mentiri. 585.

Sententia ex S. Auguſtino. 586.

Etiam vera dicens poteſt mentiri, & perjurus eſſe. 587.

Intentio alios decipiendi non eſt de eſſentia Mendacii. 588.

Omne Mendacium eſt ita intrinſecè malum, ut in nullo caſu liceat, quidquid ſcripſerint duo aut tres ex PP. 589.

Probatur ex variis textibus S. Scripturæ. 590.

Nominantur pauculi nunquam mentiti. 591.

Calviniſtæ & Lutherani docent fas eſſe mentiri, ſi quis agat cum infante, & amente. 592.

Digitized by Google

Leopoldi Guilielmi Archiducis Candor animi. 594.

Solvitur Objectio petita ab Exemplis SS. Veteris teſtamenti, qui videntur mentiti. 596. & ſeqq.

Simulatio propriè dicta eſt Mendacium reale, non autem fictio Ioſue aut Chriſti. 599.

Diligenter advertendum diſcrimen inter hos duos actus: Volo currere ut hoſtis falsò putet me fugere. *Et:* Volo currere, quia prævideo fore, ut hoſtis meum curſum habeat pro fugâ. 600.

Æquivocationes non ſunt mendacia. 601. & ſeqq.

Exempla Culpabilis: & inculpabilis æquivocationis. 603. & 604.

Quando Superior aut Iudex legitimè interrogant, non licet uti æquivocatione, niſi agatur de vita &c. 605.

Sed & ipſi Iudices ac Superiores tenentur ſaltem in Cauſis Vitæ aut famæ abſtinere à technis Verborum. Ibid.

Caſus deteſtandus Iudicis æquivocantis. 606.

Quandonam in Materia fidei liceat, vel non liceat æquivocare? 607. & ſeqq.

Factum Theodoræ Imperatricis. 608.

Et opificis Catholici. 609.

Non licet æquivocare in Confeſſione Sacramentali. 610.

Nec in materia Iuſtitiæ cum damno alterius. Ibidem.

Nec in fœderibus & pactis publicis. 611.

Exempla graviter in hoc delinquentium. 612. & ſeqq.

Licita eſt privato erga privatum hoſtem aut graſſatorem: non autem Principi, etiam erga conductum proditorem. 615. & ſeq.

Reſtrictiones mentales per ſe loquendo non ſunt mendacia. 618.

Refutatur Zahnnius ſcribens: paria eſſe mentiri, & veritatem celare. 620.

Reſtrictioni mentali rariùs datur locus, quàm æquivocationi. 621.

Quandoque tamen eſſe licitas, probatur. 622. & ſeqq.

Reſolvitur Caſus num. 577. propoſitus. 624. & ſeqq.

Et alius negotiatoris diſſimulantis in Cenſu 6. millia florenorum. 632. & ſeq.

Refertur inſigne Dictum & Factum Ferdin. II. Imperatoris, contra fraudulentum Aulicum. 636.

Quomodo juvanda inceſta timens certum ſupplicium ſi prodat Patrem prolis. 639?

577 *Stichus obligatus juramento, præſtito ab ipſo, totâque communitate, indicare ſuam totam ſubſtantiam, & conſequenter pendere principi aliquotam partem ſtatuto determinatam, indicat quadraginta florenis, ſeu circiter 24. Scutis Romanis minùs quàm reperiat in ære parato. Quærit poſtmodum ex Confeſſario 1. An deliquerit mortaliter adverſus Religionem jurisjurandi diſſimulando, & implicitè negando illos 40. florenos? 2. An teneatur reſtitutionem aliquam facere Principi? 3. An ſit futurus in ſtatu damnationis æternæ, ſi inpoſterum utatur tali diſſimulatione?*

Confeſſarius ille me convenit, pauculis diebus priuſquam mandarem Chartæ hunc XVIII. 578
Caſum, cujus Reſolutio hypothetica eſt facilis, abſoluta difficilis. Facilis hypothetica, peccavit enim mortaliter peccato perjurii, ſi Statutum de indicandis omnibus bonis, dandâque ex iis portione aliqua Principi, obligat in conſcientia, & ſub mortali, etiam in ejuſmodi quantitate; deliquit autem ſolùm venialiter, ſi illa ipſa lex obligat in tam parva quantitate non niſi ſub veniali: imò nec venialiter, ſi eadem lex ſit tantùm pœnalis, juxta Doctrinam Navarri in Enchir. *Cap. 23. num. 55. junct. num. 60.* & multorum aliorum relatorum à Cardin. De Lugo. *De Iuſtit. Diſp. 36. Sect. 4.* contra communiorem, & veriorem ejuſdem Cardinalis. Rationem hujuſce hypotheticæ reſolutionis dabo *num. 626. & ſeqq.* ubi priùs *num. 625.* aperuero, quid re ipſa videatur fuiſſe reſpondendum illi Sticho. Nunc neceſſariò

Quæritur I. Quid ſit Perjurium? Reſp. 579
Perjurium eſt Romanis, adeóque Oratoribus, Hiſtoricis, Juriſperitis idem, quod falſum juramentum, ſeu juratum mendacium, idem quoque ipſis communiſſimè, quod juſjurandum violatum, ſeu non ſervatum. Hanc utramque deſcriptionem admittunt quidem Theologi, ita tamen, ut priorem ſolam habeant pro deſcriptione perjurii rigidè, preſſè, propriéque dicti, poſteriorem accommodent ſoli latè, & aliquo modo impropriè dicto perjurio. Utrique huic deſcriptioni additur Tertia ſatis impropria, qua videlicet vocatur is perjurii reus, qui juravit ſe quidpiam mali facturum. Exemplum ex S. Hieronymo refert Gratianus *Cap. Qui Sacramentis, 22. quæſt. 4.*

De Tertia hac ſignificatione dictum aliquid 580
num. 520. & 528. ſicut & de Secunda *numero 472.* & addemus hîc adhuc aliqua, potiſſimùm tamen tractaturi de prima, potiſſimáque apud Theologos ſpecie perjurii, præmittentes eſſentiale diſcrimen inter Perjurium primo & ſecundo ſenſu, ſeu ſignificato & modo, conſiſtente in hoc, quòd perjurus primo modo conſtituat Deum teſtem falſitatis: propriè enim & jurat, & falſum jurat, adeóque peccat mortaliter, etſi rem minimam falsò aſſerens, ſeu dubitans, ſeu ſciens eſſe falſum, monente tamen Caramuele *in Theolog. Præter-intentionali, Præcepto. 2. numero 2260.* quando

Digitized by Google

do prudentes aliquem caſum narrant, firmando narrationem juramento, non velle juramento firmare ſingulas narrationis circumſtantias, ſed hiſtoriæ ſubſtantiam, & ea, quæ ad ejus notitiam, gravitatem, aut autoritatem conducunt, non verò omnino indifferentes, perjurus autem ſecundo modo non conſtituat Deum teſtem falſi, quia revera tunc non jurat, quando non ſtat fide jurata, eſto priùs juraverit, juravit enim tunc juxta ſuam, ut ſupponimus, conſcientiam, quia juxta propoſitum, quod habebat in animo, ergo non eſt, cur dicatur conſtituere Deum teſtem falſitatis.

581 Neque dicas, per juramentum *Promiſſorium* Deum conſtitui fidejuſſorem de præſtando reipſa hoc, aut illo, quod nos facturos juramus, fidejuſſoris autem eſſe, ut vel verbis, vel annutu ſuo fidem faciat fore, ut ſolvat is, pro quo fide jubet, negatur enim ſuppoſitum, de quo vide Suarez *Lib. 3. De juram. cap. 18.*

582 Ex quo patet, malitiam infidelitatis commiſſæ tunc, quando illicitè non ſtatur promiſſione jurata, non aggravari intra ſuam ſpeciem, ex eo, quòd non fuerit ſatiſfactum pollicitationi, ſed, ut dignoſci queat, utrùm non implendo promiſſionem homini juratam, delinquatur mortaliter, nec ne, expendendum eſſe, utrùm promiſſio ſpectata ſeorſim à juramento inducat obligationem ſub reatu culpæ mortalis, venialiſve, talem enim & non majorem contrahet illa infidelitas, ſuperveniens autem juramentum, addet peccato infidelitatis, ſeu perfidiæ malitiam irreverentiæ, & irreligioſitatis in Deum, quæ irreligioſitas videtur intra latitudinem peccati mortalis, & venialis creſcere ea proportione, qua creſcit perfidia. Unde non aſſentimur Leſſio *cit. cap. 42. dub. 5.* Cotonio *cit. Controverſ. 11. cap. 2.* contra communiorem Soti, & aliorum, cum, & apud Dianam *Part. 5. Tract. 5. Reſol. 4.* neganti dari parvitatem materiæ in juramento etiam *Promiſſorio*, ſed dari tenent etiam Sanctgallenſes *loc. citat. dub. 3.* Vide ſuprà *num. 565.*

583 Porrò quia perjurium eſt mendacii ſpecies, & fœtus primogenitus hujuſce venuſtiſſimæ, ſcilicet, matris, aut patris.

Quæritur non importunè II. *Quid ſit Mendacium, & quæ de eo, déque æquivocatione, & reſtrictione mentali ſint ſingulariter ſcienda.*

584 Reſp. Sequentia: *Inter mendacium dicere, & mentiri diſtat: qui mentitur, ipſe non fallitur, ſed alterum fallere nititur, qui mendacium dicit, ipſe fallitur, & non fallit quantum in ſe eſt. Vir bonus præſtare debet, ne mentiatur, prudens, ne mendacium dicat, alterum incidit in hominem, alterum non.* Ita Grammaticatur, ſimul & Philoſophatur Aulus Gellius *Noct. Attic. Lib. 12. cap. 11.*

585 Itaque lingua latina differunt *mentiri*, & *mendacium dicere*, non autem Teutonica, & Theologica, Teutones Theologi unà cum Gallis atque Italis, diſtinguunt quidem, falſum dicere à mentiri, non autem mendacium dicere à mentiri, ii enim ſecuti, ut par eſt ſtylum ipſius divinæ ſcripturæ, confundunt hæc duo, ajúntque proferri quidem à te falſum, quoties etiam ignoranter aſſeris aliquid alienum à vero, at tunc ſolùm & ſemper te arguunt Mendacii, quando loqueris contra mentem, ſeu ſit verum, ſeu falſum à parte rei id, quod aſſeris, vel negas. *Ille enim mentitur*, inquit S. Auguſtinus Lib. ad Conſentium de Mendacio. cap. 4. 586
Qui aliud habet in animo, aliud verbis, vel quibuſlibet ſignificationibus enuntiat. Ex quo fit ut aliquis poſſit falſum dicere non mentiens, ſi putat ita eſſe ut dicit, quamvis non ita ſit, & ut poſſit verum dicere mentiens, ſi putat falſum eſſe, & pro vero enuntiat, quamvis reipſa ita ſit, ut enuntiat, ex animi ſui ſententia, non ex ipſarum rerum veritate vel falſitate mentiens, vel non mentiens judicandus. Hactenus Theologorum Phœnix, Aliique poſt ipſum Theologi.

II. Ex quibus verbis S. Auguſt. infertur inprimis illos decipi, qui cum deprehendunt rem 587
ita ſe habere, uti contra mentem affirmabant, blandiuntur ſibi, quaſi non eſſent Rei mendacii coram Deo, liquet enim eos errare, ac veri perjurii damnandos, ſi eorum aſſeveratio fuit veſtita Juramento. Deinde Mendacium eſſe duplex, ſcilicet Verbale & Reale. Verbale quo utimur verbis vocalibus aut ſcriptis: Reale, quo aliis ſignificationibus, ut loquar cum S. Auguſtino, adeóque nutibus, geſtibus &c. & ſingulariter propriè dictâ ſimulatione, ut videbimus inferiùs.

III. Licèt, quando mentiuntur homines, or- 588
dinariè id faciant cum expreſſâ intentione decipiendi audientes, ideſt eis injiciendi falſam opinionem, falſúmque judicium, attamen hæc intentio expreſſa, directáque non eſt de ratione mendacii. S. Thom. *2. 2. quæſt. 110. art. 1. in corp.* cum communiore P. Raynaudi *Tract. De Æquivocatione cap. 2. num. 7. & 8.* etenim eſſentialis malitia mendacii conſiſtit in hoc, quòd verba noſtra ſint difformia Judicio, ſeu Opinioni noſtræ, ſeu in eo, quòd habeamus aliud corde clauſum, aliud linguâ promptum, quod dum fit, adeſt quidem implicita, ſeu indirecta voluntas decipiendi alterum, inducendíque in errorem, nequaquam tamen eſt neceſſariò adjuncta expreſſa intentio, ut oſtendit ingenioſo exemplo S. Auguſtinus *loc. cit.*

IV. Omne mendacium eſt ita malum, intrin- 589
ſecè, ut in nullo prorſus caſu ſit fas mentiri. Sic docuit variis locis conſtantiſſimè S. Auguſtinus, ejúſque fidelis ſectator S. Thom. omnéſque nunc Theologi, quidquid in contrarium ſcripſerint duo, tréſve ex Patribus, quibus opponuntur plures alii nominati à P. Raynaudo
cit. Tract. De Æquivocat. & reſtrict. ment. Equi- 590
dem divina ſcriptura tam ſeveram cenſuram fert de mendacibus, mendaciiſque generatim, & ſine ulla expreſſa limitatione, ut attentis, quibus utitur, & prout jacent, verbis, ſit Theo-

logo haud paulò difficilius defendere, aliqua mendacia eſſe venialiter duntaxat mala, quàm non omne mendacium eſſe peccatum mortale, quàm enim gravia, & illimitata ſunt illa pronuntiata: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Pſal. 5. *Os, quod mentitur, occidit animam.* Sap. 1. *Abominatio eſt Domino labia mendacia.* Prov. 12. *Os bilingue deteſtor*: Prov. 8. *Non intrabit in eam* (cœleſtem Jeruſalem) *mendacium faciens*, Apoc. 21. Et denique: *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & ſervientes idolis, & omnis qui amat, & facit men-*
591 *dacium.* Apoc. 22. Ubi nota, non ſolùm ſignum univerſale *Omnis*, ſed mendacii conjunctionem cum homicidio, veneficio, idololatria, quæ quidem ſunt apertè lethaliſſima crimina, & eliminantia è regno cœleſti, & tamen non ſolùm reperire eſt longè pauciſſimos etiam Sanctos, de quibus extet expreſſum ſimul & authenticum teſtimonium, quo honoratur B. Nicolaus De Flue Eremita Helvetus, in quarta Lectione Officii hoc Anno 1672. autoritate Illuſtriſſ. Domini Nuntii Lucernenſis typis vulgati, illic enim legere eſt hoc elogium: *Pueritiam ſine ulla mendacii labe exegit*, aut extet illud non quidem tanta, perquam tamen probabili
592 autoritate nixum elogium, quod de piiſſimæ memoriæ Patre Goſwino Nickel Societatis noſtræ olim Præpoſito Generali, atque P. Ægidio Coninck non infimi ſanè ſubſellii Theologo, eos videlicet nunquam eſſe mentitos, ſed etiam Hugo Grotius, & alii Calviniſtæ, ac Lutherani apud Raynaud. *loc. cit. num. 14.* à quibus non diſſentit Zahnnius *De Mendac. Lib. 1. cap. 49. num. 5.* audent libere ſcribere, fas eſſe mentiri, ſi agat quis cum infante, & amente: Superior cum ſubdito: medicus cum infirmo: alius cum non ægre ferente ſe ludificari, & denique *quoties natura mihi ad meas, vel alterius res tuendas dat jus in res alterius*, adeòque licet judice Grotio impunè mentiri hoſtibus.

593 Et verò eſt hoc dogma Calviniſtarum ita fixè impreſſum moribus tam multorum Chriſtianorum, ut, prô dolor, totus mundus ſit plenus mendacibus, & quidem paſſim talibus, quos nullo modo pudeat uti, imò quos delectet dici eſſe uſos mendacio vel jocoſo, vel officioſo, cùm tamen plerique, ceterà honeſtiores, non niſi ferro vindicandum putent, ſi poſteaquam aërem inceſtàrunt aliquot millionibus mendaciorum officioſorum, jocoſorum, & fortè aliquot myriadibus leviter pernitioſorum, eos quis compellet titulo tanto jure iis conveniente, quanto convenit iiſdem epitheton Aulici, Mercatoris, Militis &c. Abludunt autem hi à moribus & ingenio imitandi omnibus Principibus

Leopoldi Guilielmi Archiducis & Epiſcopi.

594 *QUi tria hominum genera & naturæ, & virtutis inſtinctu averſabatur: Mendaces, Adulatores, Impudicos, Veritatis ipſe, candoris, & Puritatis amantiſſimus. Mendaces conſtanter* Diaboli filios *appellabat, turbandis Aulis, & hominum commercio natos. Cùm, ut ſolent ſerpere, & quandoque Principum auribus ingeri Machiavelli dogmata, ad boni Legati artes requiri audiviſſet, ut is probè, & per artem mentiri ſciat: At, inquit, nec ut mundus univerſus ſaluti aſſeratur, vel leve mendacium eſt proferendum. Quì ergo vel ad mandatum, vel ad emolumentum Legantis mentiri liceat?*

Nihil addo, nihil demo verbis graviſſimi 595
Scriptoris, R. P. Nicolai Avancini, nunc Græcenſis Collegii Rectoris, qui *Part. 1. cap. 1.* lectu digniſſimi Libri *De Virtutibus* laudatiſſimi illius Archiducis, hæc ipſa memoriæ tradidit. Quod verbo docuit Leopoldus Guilielmus, didicit ab Auguſtiſſimo parente Ferdinando Secundo, cujus factum, & dictum, æri, auro, animis omnium, præſertim Principum incidendum, inſculpendum proferam in medium infrà *num. 636.* Prius tamen quia facta mentio Legati, ſuadeo cuivis Confeſſario Legati ſincerè Chriſtiani, ut ipſi ſuggerat nonnullas ex iis præceptionibus, quas Reverendiſſimus & pietate, ſapientiáque Clariſſimus P. Petrus Forerius, Canonicorum Regularium Salvatoris noſtri Reformator, & Generalis, ſcripto tradidit Marchioni de Ville, Ordinario quaſi Legato Lotharingiæ Ducis, inque ejuſdem beatiſſimæ memoriæ Reformatoris Vitæ *Lib. 2. cap. 11. edit. Latinæ* deſcribuntur à R. P. Dominico Biſſelio, Ord. S. Auguſtini Auguſtæ Vindelicorum.

V. Potiſſima ratio, qua poſſet in dubium re- 596
vocari illa nunc minimè dubia doctrina de nunquam mentiendo, petitur ex dictis, factiſque Sanctorum Abrahæ, Saræ, Judith, aliorum & aliarum, quos uſos fuiſſe mendaciis Officioſis videtur negari non poſſe prudenter. S. Auguſtinus *Lib. cit. De Mendacio, cap. 5.* prolatis 597
aliquibus talibus exemplis generatim docet, omnia ejuſmodi facta, dictáque Sanctorum eſſe ita intelligenda, ut per verba, & facta ſua intenderint præſignificare, & figuratè indicare rem aliquam verè futuram, ideóque nihil falſi à parte rei locutos fuiſſe, licèt conſiderata in ordine ad ea, quæ tunc objiciebantur oculis, vel auribus audientium, & videntium, eſſent falſa, quia tamen non intendebant Sancti illi ſignificare talia, idcirco non fuiſſe mentitos.

S. Thomas verò de quibuſdam concedit fuiſ- 598
ſe locutos contra mentem. Nicolaus Serarius conatur ingenioſè Sanctam Juditham vindicare ab omni planè mendacio, cùm tamen nullus eorum Sanctorum, qui videri poſſint eſſe mentiti officioſè, difficiliùs purgari poſſit, quàm ſancta illa vidua. Rationem generalem eos vindicandi, quoad poſſumus, protuli *num. 55.*

Sed

Digitized by Google

Sed quidquid ſit, dico cum S. Ambroſio *Lib. 1. De Abraham* Non utique vitia Patriarcharum expoſuit (ſubaudi: imitanda) Scriptura, ſed ut tu diſceres, quod caveres. Inſtruunt enim nos Patriarchæ non ſolùm docentes, ſed etiam errantes. Doceat & nos ille Venerabilis P. Petrus Forerius, de quo paulò antè, cujus erat, hæc aurea gnome: *Mendacium inſtar blaſphemiæ habetur à puero.* Vitæ *Lib. 1. cap. 1.*

599 VI. Quæ hactenus dixi de mendacio, dicámque *num. 658. & ſeqq.* tametſi principaliter conveniant mendacio Verbali, re tamen vera conveniunt etiam Reali, ſeu ſimulationi propriè, non autem impropriè dictæ, quam propriè dictam eſſe annumerandam mendaciis probo in Quinar. *Tract. 5. cap. 50. num. 63. & cap. 51. num. 39.* quibus explico, quid ſit propriè & impropriè dicta ſimulatio, quid fictio; quomodo Joſue ſimulando fugam non fuerit realiter mentitus, ſicut nec Chriſtus Dominus fingens ſe ulteriùs pergere velle.

600 Obſervo quoque latum diſcrimen inter hos duos actus mentis: *Volo currere, ut hoſtis falsò putet, me verè, & ex metu fugere.* Et: *Volo currere, quia prævideo, fore ut hoſtis meum celerem curſum habeat pro turpi fuga, & ideo me inſequatur, incidátque in ſtructas inſidias.* Primus ille actus eſt peccaminoſus: Alter non item.

601 VII. Multi magni Doctores probabiliſſimè contra alios negant, ullam æquivocationem, ſeu amphibologiam eſſe neceſſariò, ſeu per ſe mendaciis annumerandam. Ita non minor Theologus Moralis, quàm Canoniſta Navarrus conſtanter defendit *in cap. Humanæ aures, in Man. cap. 12.* & alibi, item Suarez, Leſſius, Sanchez, Raynaudus *cit. Tract. De Æquivocatione cap. 3.* Lezana *in Summa* verb. *Juramentum* declarans exemplo Religioſi, qui portans aliquid, ex quo jure non debeat gabellam ſolvere, vel quia eſt injuſta, vel quia Religioſi ſunt immunes, & interrogatus à cuſtodibus eo fine, ut gabellam ſolvat, jurat, ſe nihil portare, intelligendo mente: *Ex quo gabellam ſolvere debeat.* Subſcribunt denique recentiſſimè Sanctgallenſes toties *cit. quæſt. 5. dub. 3.* inducentes etiam varias inſtantias, & inter has cum Lezana poſt Toletum, illam de profecto ex urbe quidem infecta peſte, ita tamen per illam tranſeunte, ut moraliter ſit certus, non potuiſſe afflari ulla lue.

602 Intelligo autem æquivocationis nomine alicujus vocabuli habentis duas ſignificationes uſum in ſignificatione rariore, ut ſi interrogatus, an videris aliquando Cæſarem, quem non propriè, ſed tropicè, ſeu ejus effigiem ſolam vidiſti ſæpiſſime, reſpondeas gloriando: *Vidi millies Cæſarem*, hoc vocabulo deſignans ejus ſeu tabulam, ſeu ſtatuam. Harum æquivocationum aliquæ ſunt perfrequentes, aliæ perraræ, aliæ adhibentur in cauſis ludicris: parvi momenti reſpectu vilium perſonarum, aliæ autem in magni momenti, & coram judice, confeſſario, negotio concernente ſalutem mentis, & corporis &c. ita ut vel juſtitia, vel charitas, vel alia virtus rigidè exigat apertam veritatis Confeſſionem.

VIII. Et verò nullam æquivocationem eſſe per ſe loquendo propriè mendacium patet inde, quòd æquivocatione utens non neceſſariò habeat judicium difforme à verbis, quibus utitur, in qua quidem difformitate conſiſtit ratio mendacii. Suprà *num. 588.* ſed revera habeat in animo id, quòd ejus verba æquivocè ipſi ſonant, ut liquet ex exemplo ſuperiùs adducto, qui enim per voculam: *Cæſar* intelligit Cæſaris effigiem, quam revera vidit, dicendo: *Vidi Cæſarem*, dicit ipſiſſimam veritatem, verè enim vidit idipſum, quod tunc aſſerit eſſe viſum à ſe, ergo verba concordant cum mente, ergo non mentitur, ergo non neceſſariò, & formaliter, & directè intendit ut ſic, aliud ſignificare verbis, quàm habeat in animo. Hoc verum eſt, quòd ex ratione circumſtantiarum prævidere quis meritò poſſit, fore ut, qui ſic loquentem audit, apprehendat ipſum verum (cui Neſtoreos Annos largiatur Deus) Cæſarem, ſed eſt aliud formaliter intendere, ut quis decipiatur, aliud prævidere, quòd decipietur, ſeu dare occaſionem deceptionis, falſique judicii, quam occaſionem quia communiter tenemur non dare, alioquin everteretur commercium humanum, exorirentúrque alia gravia mala, idcirco nefas eſt paſſim uti illis æquivocationibus, quæ paſſim, & communiter intelliguntur in alio ſenſu, quàm ſit ille, quem apprehendimus, dum æquivocamus. 603

Et quia incidit ſermo de imagine ſumpta pro prototypo, obſerva fuiſſe meritò injuſtitiæ damnatum Ariſtotelem Cyrenæum, qui referente P. Raynaudo *loc. cit. cap. 4. n. 12.* pollicitus, ſe Laidem ducturum Cyrenem, ſi modò ipſa ſibi opem ferret, in quibuſdam difficultatibus bellicis, re per Laydem confecta juratam promiſſionem eluſit delata Laidis imagine Cyrenem.

Haud tamen, quiſquam, ut reor, reprehendet æquivocationem in negotio ludicro ſimilem huic

Conſtantienſi Eutrapelitæ.

Cum enim vicini mæſti quererentur, ſe (id eſt ſuas vites, ita enim loquuntur Conſtantienſes) perquam graviter vapulâſſe à grandine (vel pruina) quaſi lætabundus repoſuit: At ego, Deo ſint laudes, non vapulavi; uſus videlicet præſentiſſimo remedio. Quonam autem illo? quærunt ii? Manſi domi, ſubdit hic, grando nequiit tegulas penetrare, ac proinde nec me ferire. Et malo etiam de talibus pronuntiare, uſos eſſe amphibologiis, quàm jocoſo mendacio, conſiſtentéque 604

que in hoc, quòd mentiens jocoſè loquatur quidem contra mentem, alioqui non mentiretur, at ſæpe careat etiam indirecta voluntate decipiendi, utpote qui prævideat fore, ut qui audiet, facilè animadvertat, ipſum mentiri, velléque ſuo mendacio ingenioſo alios exhilarare.

Porrò quatenus ſit nominatim confeſſariis licitum, vel etiam permiſſum ſcuto æquivocationum, vel Reſtrictionum protegere arcanum Confeſſionis, in Experientiis *Alphab. Confeſſar. num. 840.* aperui.

605 IX. Nominatim verò quando ſuperior, aut judex interrogant legitimè, debet à reſponſione abeſſe omnis inſulſa, raróve uſurpata, & ab ejus juſta mente aliena æquivocatio, niſi fortè agatur e. g. de vita alicujus, hic enim ſi videat, nihil ad ſententiam contra ſe capitalem deſiderari, niſi propriam Confeſſionem, multi etſi minùs probabiliter, ut videre eſt apud Raynaudum *Tract. De Æquivocat. cap. 4. num. 6.* (loquentem etiam de caſu, quo dubium eſt, an judex legitimè procedat) probabiliter tamen cenſent, eſſe tunc locum æquivocationi. Similiter & ipſe judex, & ſuperior, ſaltem in cauſis concernentibus vitam, ac vitæ ſupparem æſtimationem, bonúmve nomen, tenentur abſtinere illis fraudulentis verborum technis, quas exhibui *num. 535.* longè magis ſimili ei, quam repræſentat hic

Caſus deteſtandus, Prædicandus.

606 *Cum videlicet judex è gente, quam non nomino, habens in vinculis maritum perhoneſtæ fœminæ, atque ab hac efflictim rogatus promiſit ſe redditurum ei maritum, ſi ipſa priùs faceret ſibi copiam corporis. Ubi verò hæc amorem conjugalem prepoſuit, etſi ægerrimè, pudicitiæ, juſſit conſceleratus adulter maritum interfici, interfectíque cadaver oſtendit miſerandæ inquiens*: En reddo tuum tibi maritum, *uſus deteſtanda prorſus æquivocatione, quam compertam plexit ſumma laude dignus Marchio Gonzaga Inſubriæ Gubernator. Mandavit enim, ut trifurcifer ille viduam acciperet (reparando ejus honori) in uxorem. Acceptâ, capitale ſupplicium de eodem ſumpſit, atque inſuper omnes ejuſdem facultates addixit viduæ.* Hoc ſeu comicum, ſeu tragicum facinus refert ex Baſil. Pontio Raynaudus, *loc. cit. num. 6.*

607 X. Idem Raynaudus alleg. *cap. 4.* probat, nefas eſſe æquivocatione uti in negotio fidei, & Religionis tunc, quando ea videtur continere: profeſſionem falſæ Religionis: licere autem ſi tunc ſit animus ſolùm occultandi, ſeu diſſimulandi, adeóque non profitendi hîc & nunc (quia non adſunt circumſtantiæ obligantes ad poſitivam profeſſionem orthodoxiæ) quod declarat hoc

Facto Imperatricis.

Theodora videlicet nupta Theophilo Iconomacho, quæ deprehenſa in cultu ſacrarum imaginum dixit, Se ſpeculum pro more mulierum conſuluiſſe, idcirco uſa, ſicut ſuſpicor, hoc ambiguo vocabulo ſpeculi muliebris, quòd Sanctorum imagines ſint vera moralia ſpecula Chriſtianorum. Unde petes reſolutionem hujus 608

Caſus aliquando mihi propoſiti.

Videlicet de Opifice, qui à privato homine Lutherano interrogatus, eſſétne Religionis Evangelicæ? intelligente per hanc Lutheranam. Reſpondit (ut evaderet aliquas tricas) ſe omnino eſſe ſectatorem Religionis Evangelicæ, deſignans per hanc Catholicam, quæ procul dubio eſt verè, illa falſò Evangelica. Patet ab Exemplo Theodoræ non peccâſſe, ſicut nec meo judicio peccaret, qui conſtitutus in anguſtiis, & interrogatus à Calviniſta, ſitne Religionis Reformatæ? Reſponderet affirmativè, eò quòd Catholica Religio ſit quoad mores ſæpè in Conciliis reformata, præſertim in Tridentino, in quo tot Canones *De Reformatione.* At verò ſi quis coram magiſtratu Lutherano, Calviniano uteretur hiſce æquivocationibus, feriret eum illa Chriſti comminatio: *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet &c.* Luc. 9. v. 26. 609

Nefas eſſe pœnitenti uti in Confeſſione ſacramentali æquivocationibus probat latè, & declarat idem Raynaud. *loc. cit. num. 5.* intelligendus de materia ſpectante propriè ad Confeſſionem. Idem *num. 10.* negat æquivocationibus locum in materia juſtitiæ, quando ſcilicet eæ vergerent in damnum proximi, ſecùs ſi in tuum commodum ſine damno tertii. 610

Idem *num. 12.* arcet à fœderibus, & pactis publicis inuſitatas æquivocationes, & meritò, quia nulla pacta, & fœdera forent firma, adeóque bellorum nullus foret finis, ſi una paciſcentium pars alteram circumveniret doloſis, ambiguiſve pactionibus. Unde minimè imitandus eſt Cleomenes, qui pactus cum hoſte inducias triginta dierum, hoſtiles agros vaſtabat de nocte, ajens ſe locutum de die, non de nocte. Et quis ferat æquivocationem 611

Romani

Romani minimè Romani?

612 L*Abeonis, inquam, qui pactus cum Antiocho debellato, ut hic Romanis daret dimidiam partem ſuarum navium, ſervaret alteram ipſe ſibi Antiochus, mox mandavit omnes, & ſingulas ſecari per medium, atque relinqui Regi ſingulorum dimidiam partem, hácq; fraude privavit Antiochum tota claſſe.*

613 Quis non ſtomachetur erga factum Alexandri indignum Alexandro? *Siquidem ubi dedititiis promiſit immunem omni malo egreſſum ex urbe, quam obſederat, foras progreſſos mandavit interfici. Punicum hoc factum excuſans inde, quòd ſpoponderit quidem egreſſum incolumem è civitate, quem & præſtitiſſet, nihil autem eſſet pactus de jam egreſſorum ſalute*, ſicuti refert, ac meritò improbat Raynaudus.

614 Alexandri vafritiem imitatus noſtra ætate eſt

Bernardus Dux Weinmarius.

Q*ui Friburgo Briſgojæ deditione capto, dimiſit quidem ex pacto militem præſidiarium, atque Religioſos, cum iis, quæ quiſque ſecum acciperet, at vix horæ quadrante digreſſos ab urbe aut mandavit, aut certè poſitivè permiſit (nam luſa tragœdia ipſo inſpectante) omnes, ipſum adeò tribunum Eſcherum, ſpoliari, alios ſola pecunia, alios etiam veſtibus, ac impedimentis; fortè ratus, eſſe ſatiſfactum pollicitationi de dimittendis incolumibus.*

615 XI. Locum eſſe æquivocationibus reſpectu hoſtis privati, aut graſſatoris tenet cum communi idem Raynaudus *num. 15.* ita quidem, ut privatus licitè cum privato æquivocet, at illicitè Princeps, qui datâ ſyngraphâ promiſit ſecuritatem. Sicut & proditori (quem nemo amat, etſi multi ament proditiones) eſt peractâ nequitiâ perſolvenda merces, quæ erat promiſſa, quandoquidem datur non directè propter ſcelus, ſed propter periculum, in quod ſe conjicit proditor, ac propter emolumentum, quod, qui proditorem conſtituit, accipit non leve peracta proditione. Quare non probat Raynaudus factum Caroli IV. erga proditores

Philippi Auſtriaci.

616 C*Ujus gentilitio candori cùm turpiter impoſuiſſent tres belli duces, ſeu tribuni, corrupti à Carolo pollicitatione magnæ pecuniæ: dedit hic adulterinam cum hoc vero quidem, at contrario pactis epiphonemate:* Adulterinum aurum adulterino compenſatur operi, *ut refert, pluribus hanc proditionem, ejúſque effectum deſcribens Albertus Cranzius in Saxonica hiſtoria* Lib. 9. cap. 37.

Erant quidem illi proditores digni verâ, non 617
adulterinâ reſte, & laqueo, ſi deprehenſi fuiſſent à Philippo, at non fraudulenter ludendi præſertim à Cæſare, cujus ingenio, & conſuetudini in dolis exercitatis opponam paulò pòſt indolem Ferdinandi II. Auſtriaci.

XII. Sicut æquivocationes per ſe loquen- 618
do carent labe mendacii, ita etiam carere poſſunt omnes reſtrictiones mentales, intelligendo per haſce illas locutiones, quarum verba, præciſè ut ſonant accepta, continent falſitatem, at juncta aliis, quæ tunc reſervantur, ſubaudiuntúrque expreſſè in animo, nihil falſi continent, ut declaro

Caſu ridiculo.

I*Llius, qui increpitus ob pridianam ebrie-* 619
tatem, atque inſolentias in ea perpetratas, juravit per Jovem Lapidem, ſe non fuiſſe ebrium. At convictus teſtibus, mendaxque pœnam luiturus excepit, ſe non eſſe mentitum, quandoquidem negando ſe fuiſſe ebrium ſubaudiverit voculam: Lacte, *ſit autem certò certius, ſe ex lacte non contraxiſſe temulentiam.*

Ego enim jam pridem & ſenſi, & docui ver- 620
bo, ac typo, talem minimè fuiſſe mentitum, cùm revera nihil dixerit contrarium ſuæ menti, eſto Zahnnius *Lib. 1. De Mendac. cap. ult. num. 1.* ſcribat, paria eſſe mentiri, & veritatem celare, & cùm mentiri nunquam debeamus, conſequenter teneamur ſemper verum dicere. Certè apertam falſitatem continet tam conſequens, quàm antecedens, ut ſexcentis inſtantiis Chriſti Domini, Sanctorum, ſapientiſſimorum demonſtrari poteſt.

Raynaudus noſter illo toties citato Tracta- 621
tu *De æquivocatione*, rectè quidem docet, ubi fas eſt uti reſtrictione, ſeu ut alii appellant, reſervatione mentali, fas quoque eſſe adhibere æquivocationem. At non autumo eſſe ſimiliter dandum locum reſtrictioni, quando datur æquivocationi, quia uſus reſtrictionis mentalis & ſolet ſæpius ingerere auditori falſum ſenſum, quàm æquivocatio, & deprehenſus ab auditore in negotio aliqualis momenti, ciet majorem indignationem, quàm uſus æquivocationis, ſeu Amphibologiæ, ſiquidem utens reſtrictione poteſt abſque ullo mendacio reſervare in animo talia verba, quæ ſi exprimeret, redderent quidem juncta verbis ore prolatis ſenſum planiſſimum, veriſſimum, at eorum copulatio cum exteriùs prolatis eſſe poſſet tam inaudita, ut vix Angelus, ne dum homo eſſet divinaturus, ea hic & nunc eſſe adhibenda, vel adhibita, ſicuti illa inſulſiſſima, quamvis dulciſſimi lactis inſtantia declarat.

Nihilomi-

Digitized by Google

622 Nihilominus tamen poſſe quandoque non ſolùm abſque omni mendacio, quod mihi perſuaſiſſimum eſt, ſed etiam prudenter, & ſapienter uſurpari reſtrictiones, reſervationéſque, probabilius mihi eſt (quidquid repugnet recentiſſimus Coton. *cap. 1. num. 18.*) ex iis, quæ citatus Raynaudus *à Cap. 8.* allegati Tractatus per plura ſequentia diſſerit, nominatim verò fortiter, & perbene urget *Cap. 10. num. 8.* verba Chriſti Domini *Matth. 24.* & *Marc. 13.* qui interrogatus, quo tempore eſſet peritura urbs Jeroſolymitana, periturus orbis, reſpondit: *De die autem illo, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque filius, niſi pater.*

623 Quæ verba, ut ſonant, ne æquivocationem quidem ullam aptam admittunt, & tamen reipſa veriſſima ſunt, ergo ideò ſolùm, quòd in iis Chriſtus Dominus aliquid ſubaudierit, quod ſi expreſſiſſet exteriùs, Apoſtoli habuiſſent proniſſimum, & perfectiſſimum ſenſum illorum, expreſſit autem S. Auguſtinus *in Pſal. 36.* his verbis: *Quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus magiſter nobis miſſus eſt, etiam filium hominis dixit neſcire illum diem, qui in magiſterio ejus non erat, ut per eum ſciretur à nobis.* Igitur cùm dixit Chriſtus: *Nec filius ſcit de illo die*, ſubintellexit: *Vt magiſter*, tametſi ſciverit ut Deus, imò ut homo per ſcientiam infuſam, & viſionis.

Huc apprimè facit reſponſum S. Felicis Nolani, qui ab emiſſariis tyranni interrogatus, *ubi eſſet Felix*, *neſcio*, *inquit*, *Felicem*, *quem quæritis. Nec prorſus fefellit, nemo enim ſe ipſum facie novit.* Ita ſcribit, narrat, & explicat ingenio æquè, ac ſanctitate Clariſſimus Beda presbyter in Vita S. Felicis apud Joan. Bollandum ad XIV. Januar. *cap. 2. num. 11.* Prorſus fefelliſſet, & infeliciter in almam veracitatem impegiſſet Felix, ſi non ſubaudiſſet voculam: *Facie*, aut aliquid aliud. Subſcribunt præter alios huic doctrinæ noviſſimè Sanctgallenſes *cit. quæſt. 5. dub. 2.* declarantes variis inſtantiis, etiam in caſu juriſjurandi.

624 Atque ex diſputatis, vel propoſitis hactenus, decidenda eſt triplex quæſtio, quam de Sticho declinante verbo, & facto perſolutionem Steuræ, ut nominamus in Germania, ſeu collectæ, ſicuti ordinariam ſteuram vocari vult Beſoldus in Theſauro verb. Steür movit ille, de quo initiò hujus XVIII. Caſus, adeóque *n. 577.* retuli.

625 Dicendum enim eſt I. Dum juravit expreſſè, vel implicitè, ſe in ære parato non habere niſi viginti e.g. florenos, cùm recordaretur haberi à ſe ſexaginta, peccâſſe peccato propriè dicti perjurii, adeóque lethaliter, ſi nihil aliud intellexit in ſuo animo, quàm indicent hæc verba, ſic enim fuit propriè mentitus, & conſequenter uſus perjurio propriè, ſtrictéque dicto: quale perjurium ſemper continet noxam lethalem, niſi excuſet conſcientia erronea. Addere debebat confeſſarius paternam monitionem de cavenda inpoſterum hujuſmodi defraudatione ob rationes adſerendas *num. 631.* haud tamen erat injungenda ipſi ſub gravi reatu, ſeu declaranda gravis obligatio faciendæ compenſationis, ut liquebit ex dicendis.

626 Dicendum II. Non eſſe ſpeculativè improbabile, quòd Stichus potuerit labem perjurii, & alterius gravioris peccati evadere utendo reſtrictione mentali hac: *Non plus quàm viginti, quos teneor, ſi tamen teneor, indicare.*

Hæc reſponſio ſupponit tria: primum, quòd intentio principis, aut magiſtratûs nequaquam ſit adeò ſevera, ut implicitè, vel explicitè velit ſub gravis culpæ reatu conſtringere ſubditos (forenſibus enim imponi non poſſe tradunt innumeri apud Gabrielium *De jure immunitatis concl. 2.* quos ſequitur Diez de Mena *quæſt. 21. num. 290.*) ut præſtent ſinguli ejuſmodi Steuram, ſeu Tributum, ſine ulla diminutione, foret enim ejuſmodi intentio, atque Statutum inutile, quia nemo obſervaret. 2. Foret occaſio innumerorum peccatorum, adeóque injiceret fruſtra laqueum, contra ſententiam *cap. De viduis. 2. 27. quæſt. 1.* 3. Innumeræ leges naturales, divinæ, canonicæ, & civiles etſi latæ de objecto capaci mortalis noxæ, attamen ob parvitatem materiæ admittunt excuſationem à mortali, quidni & iſta? Unde Leſſius *Lib. 2. De juſtit. cap. 33. dub. 8. num. 56.* exigit defraudationem in ſumma notabili.

627 Alterum ſuppoſitum eſt, quòd Statutum de indicanda tota ſua ſubſtantia, contra quod deliquit Stichus, ſit aut ſimile, aut non multùm diſſimile, ſeu non multò rigidiùs, quàm celeberrimæ Urbis, ſeu Ampliſſimi Senatus Conſtantienſis, cujus quidem Senatus conſultum uſu receptum, & quotannis proponi ſolitum civibus, in ejus verba jurantibus mandat, ut ſinguli cives annuatim contribuentes ex univerſa tam mobilium (excipiendo communes veſtes, communémque ſupellectilem) quàm immobilium ſubſtantia, ſeu corpore, non plus quàm quadringenteſimam portionem, videlicet è centum florenis duntaxat quindecim crucigeros.

Tertium ſuppoſitum eſt id, quod *num. 605.* innui brevicula parentheſi, quòd videlicet non peccet, qui erga ſuperiorem, hujúſve locum tenentem utitur æquivocatione (eſt idem hic judicium de reſtrictione) non difformi ab ejus mente, ſeu voluntate, ac mandato, qua de re aliquot inſtantias adferam *num. 629. 640.* & *653.*

628 His ſuppoſitis potuit non improbabiliter ſpeculativè loquendo Stichus, poſſúntque omnes ei ſimiles ſine perjurio, adeóque mendacio, & alio graviori peccato profiteri, ſe poſſidere ſolùm 60. 100. 1000. florenos, cùm illorum arca contineat inſuper alios 40. Ratio eſt, quia inprimis illa quota, quam deberent pendere ex diſſimulatis 40. florenis non excedit ſummam ſex crucigerorum, quos ſi

ſub-

Digitized by Google

ſublegeres alicui non tenuiſſimæ fortunæ civi, excuſarent te à mortali innumeri Theologi, confeſſariique, ergo longè magis, ſi non des fiſco, tum quia fiſcus communiter (etſi ſubinde fallò) annumeratur divitibus, utpote qui & ſemper ſit ſolvendo, & ſit immortalis. Bartolus, & Baldus apud Bertachin. *in verb.* Fiſcus, tum quia in æſtimatione hominum, ex qua maximè pendet determinatio quantitatis requiſitæ ad mortalem læſionem juſtitiæ commutativæ, exigitur ad conſtituendum mortale crimen injuſtæ læſionis in fortunis, quando hæc fit per modos à furto diſtinctos, major quantitas, quàm per furtum, adeóque rei conſtitutæ non ſolùm in dominio, ſed etiam inſuper in poſſeſſione damnificati, atqui Steuræ ſeu Collectæ, quas negant doloſè ſubditi, non ſunt in dominio, aut poſſeſſione principis, aut Reipublicæ.

629 Suppoſita hac probatione rationis productæ *num. præced.* infertur, mentem principis, cui ſubeſt Stichus, non eſſe, ut Stichus teneatur ſub gravi reatu indicare illos 40. florenos, ergò licet uſus fuiſſet Stichus propriè dicto mendacio, non egiſſet graviter contra mandatum ſui Domini, ergo vel non niſi leviter, imò fortè ne leviter quidem deliquit in ejus legem, ſi habens in arcula ſexaginta florenos duntaxat, fecit hanc reſtrictionem Mentalem: *Non habeo niſi viginti florenos, quos graviter tenear, ſi tamen teneor in conſcientia, tibi manifeſtare.* Tametſi enim dixi *numero 605.* non eſſe utendum æquivocationibus, conſequenter nec reſtrictionibus, ſeu reſervationibus mentalibus, quando agitur cum ſuperioribus, & judicibus, ibidem tamen expreſſi clauſulas, quarum ponderatio juſtificat hoc reſponſum, ſicuti & communiſſima doctrina de permiſſa illa æquivocatione, aut potiùs reſtrictione, quam reſpectu profecti ex urbe aliquantum infecta peſte retuli *num. 601.* Item recepta doctrina, quòd & Clericus jure exemptus à gabellis jurare poſſit coram importuno telonario, ſe nihil deferre. Suprà eodem *num. 601.* & qui jam ſolvit mutuò acceptum, id tamen probare cùm non poſſit urgente judice ut ſolvat, negare poſſit cum æquivocatione accommoda, ſe quidquam unquam accepiſſe mutuum. Denique huc apprimè facit reſolutio, quam doctiſſimus ſimul & piiſſimus Navarrus dedit ad Caſum referendum *num. 640.*

630 Ex quo ulteriùs infertur, illum Stichum ſub mortali non fuiſſe obligandum ad faciendam tantillæ rei reſtitutionem, ſeu potiùs compenſationem, neque negandam fuiſſe ipſi abſolutionem, tametſi careret propoſito manifeſtandi Anno ſequenti, quo rurſum facienda erat collecta, illud reconditum peculiolum, cùm non videantur tam exiguarum rerum defraudationes factæ ſolùm ſemel in Anno ſufficere ad illam diverſorum furtorum parvorum unionem, quam exigunt Doctores differentes de ea in materia de furto.

Quia tamen perſæpe urgentur principes, ac principibus ſuppares Reſpublicæ longè majoribus neceſſitatibus circa bonum publicum, quàm aut nôrint ſubditi, aut ab his, multò minùs ab hoſtibus noſci expediat, in harum autem neceſſitatum ſubſidium indicuntur vel maximè illæ, de quibus hîc diſſerimus, Steuræ, ſeu Collectæ, & Contributiones, quia deinde plerique nec ſunt hiſce reſtrictionibus aſſueti, nec uſſuefieri debent, aut poſſunt abſque periculo plurium grandium peccatorum, diſcriminéque, ne à defraudatione parvæ ſummæ devolvantur ad majorem, quia inſuper practica ſectatio illius ſpeculativè non improbabilis, de qua ſuprà *num. 626.* ſententiæ poteſt gignere magnas in Reſpublica turbas, idcirco exiſtimo eſſe minimè (caſu, quo non conſtat Steuras non expendi in utilitatem publicam) ſequendum in praxi aut exemplum Stichi, aut doctrinam Navarri, & proinde magnopere hortor omnes confeſſarios, ut, qua poſſunt ratione, inducant ſuos pœnitentes, ad fideliter, atque integre pendendum id, quod Statutum communi receptum uſu præcipit, partim quia ultra rationes à me in medium productas, ſcriptum eſt: *Cui tributum, tributum* Epiſtol. ad Roman. 13. partim quia ſinguli ſubditi ſentiunt exiguum commodum, diſſimulando parvas ſummas, at princeps magnum damnum, quando à ſingulis è 20. 30. 100. millibus capitum, negantur modicæ partes. Et denique debet ſubditos movere metus grandiſſimæ mulctæ, quam alicubi Annis abhinc non omninò viginti ſenſerunt, aliqui hæredes, in quorum hæreditate nondum diviſa cùm reperta eſſet ſumma perquam notabilis, cujus non fuerat facta illo Anno mentio, ceſſit tota in jus fiſci, ſolùm aliqua portjuncula dono relicta hæredibus. 631

At fortè percontaberis, quid cenſendum de facto ſimili 632

Hujus Negotiatoris.

Qui è tenuiſſima fortuna evectus per negotiationem laborioſam ad opes facilè viginti quinque millia florenorum æquantes, pèndit quidem annuatim ſuo principi aliquotam ſuæ ſubſtantiæ, at reſervat ſeorſim in neceſſitates improviſas ſex millia florenorum, ſeu bis mille ducatos, nihil de hiſce principi, ſeu Reipublicæ præſtans, aut præſtare cogitans.

Novi hominem plurium hinc dierum itinere diſtantem, ſciens eſſe virum integrum, atque ſuam hanc diſſimulationem communicâſſe cum uno, alteróve viro gravi, & docto, qui nullum ei hac ſuper re movit ſcrupulum. Ego non moverem magnum, ſi notoriè conſtaret principem illum aut nihil, aut ferè nihil laborare pro bono publico, ſed totum intentum 633

 eſſe

eſſe venationibus, aliiſque ludicris occupationibus, vel expendere tributa in uſus nihil proficientes publico: in aulam apertè nimis pompoſam &c. Rurſum non moverem fortè magnum, ſi negotiator ille habens principem ſuo dignum titulo tantùm ſemel diſſimulâſſet, etenim ſaltem in tantillo darem locum ſententiæ Navarri relatæ ſuperiùs *num. 578.* darem & non imprudenti præſumptioni, quòd una ejuſmodi defraudatio non valde ſit contraria menti principis, at quia non dubito, quin continuatio valde illi adverſetur, & meritò, ſi, ut in dubio ſupponendum eſt, erogat in patriæ neceſſitates, eam ob rem damnarem de mortali tale propoſitum, juberétque Cardinalis de Lugo *cit. ſect. 4.* cum communi reſtitui ſummam ſingulis Annis negatam.

634 Ex quibus liquet ſitne aſſentiendum Ludovico Beja, rigidè intellecto, is enim licèt in Reſponſionibus Caſuum *Part. 1. Caſ. 10.* fusè ſimul, & doctè propugnet ſententiam Navarri, de qua ſuprà *num. 578.* Nihilominus tamen *ibid.* ſub finem ſic loquitur: *Ille, cui cuſtos, ſeu conductor gabellarum defert juramentum, ſi acceptet, & non plenè veritatem manifeſtet, perjurium committit, cum obligatione reſtituendi, quidquid tunc de gabella juſtitia fraudavit.* Teſtatur inſuper Cardin. de Lugo *cit. ſect. 4.* etiam illos, qui adhærent ſententiæ Navarri ſuprà relatæ, convenire omnes (de quo tamen dubito) in hac doctrina.

635 Præclarum Colophonem impono tam prolixæ diſſertationi circa pertinentia directè, vel indirectè ad hunc Caſum XVIII. eſt autem is

Dictum, Factum Ferdinandi II.
omnibus Principibus imitandum Dictis, Factis.

636 E*X Aulicis (Ferdinandi nondum tunc Corona Imperiali redimiti) quiſpiam popoſcerat ab illo, atque impetrârat commendatitias. Reſciit hoc ex aulicis alius primario munere, & gratia nobilis apud Ferdinandum, arbitratúſque, eas literas ſuis obfuturas rationibus, adit clàm Aulæ Cancellarium, quaſi ab Archiduce veniſſet, ac ſignificat, literas illas poſſe quidem expediri, ac tradi, at voluntatem Principis eſſe, ut ſuus illas Cancellarius comitetur, viróque principi, cui aulicus commendaretur, ſignificet, Archiducem commendatitias haud negare potuiſſe, ne, qui petierat, triſtis abiret: cæterùm ſibi fore pergratum, ſi nullum faceret commendationi locum, non videri, quod aulicus petebat, è re aut poſtulantis eſſe, aut poſtulati. Miratus eſt hominis verba Cancellarius, cúmque candorem Principis nôſſet, veritus eſt fraudem in aulico. Ad Archiducem ſe confert, quæ acceperat mandata, exponit. Vix æquè quiſquam vidit Ferdinandum commotum, ac eo tempore Cancellarius:* Ergóne, *inquit*, homo iſte fucatum me, fallacem, fictúmque eſt auſus fingere? Malo quovis in genere malè audire, quàm in hoc. Has artes meus candor non habet, nec habebit unquam. Tu exequere, quod dixi, ille munere, ac aula ſine ulla mora excedat. Nec in me, nec in mea aula dolum patiar, aut fraudem.

Sic per calamum Patris Guilielmi Lamormaini in *VIRTUTIBUS* Ferdinadi II. *cap. 12.* ipſe Ferdinandus, à quo imbibit ejus digniſſimus filius Leopoldus Guilielmus illam mendacii ſummam deteſtationem, quam expoſui *num. 594.* & quia eandem tam raram virtutem ex illo hauſerit ejus cancellarius, explevit tunc partem elogii, quo Cancellarium condecorat Bartholomæus Chaſſaneus *De Gloria mundi Part. 7. concluſ. 7. §. proinde* ſcribens: *Cancellarii oculis velut emiſſitiis principem circumſpicere omnia, ac perluſtrare, ne quid uſquam ſubſultet non ſuo loco poſitum, credunt.* Summus Orbis Moderator inſtruat omnes aulas Cancellariis illi Ferdinandeo ſimilibus. 637

Sed ecce jam cœperam conſcribere hunc Colophonem, cùm accipio ex longinquo literas, & rogor, quî ſentiam conſulendum 638

Miſerrimæ Creaturæ,

Q*Uæ gerens uterum ex inceſtu cum conſanguineo in primo gradu, certò afficietur extremo ſupplicio, niſi nominet patrem alium à vero. An id poterit ſine peccato?*

Reſpondi, poſſe, utendo æquivocatione convenienti. 639

Rationem hujus reſponſi potet Lector ex prima illarum XXI. Appendicum, quas aſſui calci Experientiarum Theologicarum *in Editione prima, ſeu Monachienſi*, quam tamen Appendicem transtuli poſtmodum in editione altera, ſeu Veneta ad proprium locum, nimirum ad Caſum IV. Tract. II. ſeu Alphabeti *Baptizant.* multis aucti, ſingulariter illa quæſtione, utrùm ejuſmodi miſera creatura licitè (ut viſum nonnemini, non autem mihi) corrumpat pecuniis alium, qui etiam juratus deponat apud judicem (æquivocando) ſe eſſe genitorem? Illic *num. 163. ad finem* dicta, & probata judicio graviſſimorum virorum uſurpet prudens Lector pro re nata.

ALIA

Digitized by Google

ALIA VARIA DE JURAMENTO, MENDACIO, PERJURIO COLLECTIM, ET BREVISSIME REFERUNTUR.

CASUS XXI.

Navarræus.

SUMMARIUM.

Caſus Matris compenſantis occultè expenſas in filiam factas ex bonis ejuſdem Filiæ. 640.
Quæſitum à Martino Navarro: An mater jurare poſſit ſe Filiæ nihil debere? Ibid.
Reſolutio illius approbatur. 641.

640 *TErentia fecit multas expenſas pro filia, quas cùm eſſet illius negotiorum geſtrix, ex bonis dictæ filiæ repetiit. Quæritur an in reddendis rationibus jurejurando affirmare poſſit, ſe nil, quod ad dictam filiam pertineat, retinere, nec quidquam ei debere?*

Martinus Navarrus interrogatus reſpondit *Lib. 3. Conſil. 4. De jurejur.* Si illas expenſas fecit animo donandi, ſeu non repetendi, fore perjurii ream inficiando, quidquam habere, quod pertineat ad filiam. Si verò expendit ſua bona tanquam geſtrix negotiorum, & cum tacita ſaltem intentione repetendi compenſationem ex bonis filiæ, poſſe etiam juratam coram judice negare, ſe quidquam aut habere, quod ſpectet ad filiam, aut ab hac accepiſſe. Ne tamen mentiatur ita loquendo, debere intra mentem ſuam juxta intentionem prudentem judicis ita intelligere: *A mea filia nihil accepi, nihil habeo, quod tenear in foro externo confite-*
641 *ri me accepiſſe.* Hanc ſapientiſſimi, & Religioſiſſimi Navarri æquivocationem probabis, ut ſpero, Lector, atque inſuper æqui boni facies tria, quæ ſubnecto Collectanea non importuna declarandis, locupletandis iis, quæ de juramento, mendacio, perjurio exhibui quatuor proximis Capitibus, ſeu *Caſu 15. 16. 17. 18.*

COLLECTANEUM I.

De Juramento.

SUMMARIUM.

Referuntur varia quæſtiones de Juramento in Experientiis reſolutæ. 642.
Referuntur alia in Quinario Tractata. 644.
Perſonæ dubia an Juramentum ab illis exigi poſſit. 645.
Nonnulla de valore & Efficacia Juramenti. 646.
Varia ex Thoma Sanchez de Juramento 648. & ſeqq.
Caſus quinque ex Diana, in quibus ait Æquivocationes & Reſtrictiones mentales eſſe licitas. 653.
Venerab. Petrus Forerius interrogatus à Viſitatore Diœceſano: In qua claſſe ſtuduiſſet? Reſpondit: In Quarta. 655.
Afferuntur ex Seraphino de Seraphinis 12. præcipua Privilegia Juramenti. 656.
Nonnulla de diſpenſatione in Juramentis. 657.

I. IN Experientiis reſolvo de Juramento ſequentia. 1. Utrùm ſoluta mulier uterum geſtans, aut jam enixa prolem, adacta juramento ad indicandum Patrem, licitè alium nominet, tum quando imminet periculum ſolius infamiæ, tùm quando etiam mortis. Locum ſignavi ſuprà *num.* 634. 2. Quomodo juramentum accedendi poſt abſolutionem datam ab inferiore, ſedem Apoſtolicam ſit intelligendum. *Tract. 7. numero 145.* 3. An ſolitus parvas res firmare falſo juramento, at ignorans peccari à ſe mortaliter, ſit à Confeſſario docendus veritatem, *Tract. 7. num. 318.* 4. Quomodo confitenda conſuetudo pejerandi *num. 586.* 5. An juramentum ſuppletorium probationis habeat locum in cauſa ſponſalitia, & ſtrictè matrimoniali *Tract. 10. num. 91.* 6. An ſola fama ſufficiat ad deferendum juramentum. *num. 93.* 7. An juramentum deferatur illi, contra quem eſt juris præſumptio. *Tractat. 10. num. 94.* 8. Sitne reo potiùs quàm actori deferendum. *num. 100.* 9. Juramentum ſtandi ſponſalibus quando ſit neceſſariò ſervandum *num. 135.* ſingulariter quando ſecunda ſponſa fuit imprægnata. 10. Juranti ſe ab hoc aut illo imprægnatam, an ſit credendum *n. 186.* 11. An credendum juranti adverſus ea, quæ priùs aſſeruerat. *num. 416.* 12. An animus, ſeu ea, quæ ſunt in animo, ſufficienter probentur juramento 712. & 715. 642 643

II. In Quinario tracto de juramento ſequentia: Jurans falſum in ebrietate an juret propriè. *Tract. 5. cap. 19. num. 43.* An aggravetur peccatum ebrietatis ob falſa juramenta, quæ fuerant præviſa. *Ibid.* Teſtis injuratus non eſt admittendus *Tract. 5. cap. 42. num. 51.* At ejus juramentum non eſt de jure divino *num. 105.* Papæ etiam non jurato creditur teſtanti contra alium *num. 101.* Quid jurare debeat teſtis *cit. cap. 42. num. 106.* Actor præſtat juramentum calumniæ *num. 167.* Quomodo ſoleant jurare Nobiles Germani *num. 101.* Quomodo fœminæ. *Ibid.* Adde ex Carpzovio, & Zahnnio *De Mendac. Lib. 3. cap. 4.* (etſi acatholicis,) juramentum non eſſe facilè deferendum Clericis, & Religioſis, maximè ſi agatur de cauſa Eccleſiaſtica, cui addicti ſunt, cùm horum promiſſio ſaltem Religioſa æquiparetur juramento. Weſembeckius *Conſil. 23. Part. 1. num. 56.* 644

III. Etſi communis ſententia fert, non eſſe deferendum juramentum illi, quem prævidemus, aut etiam rationabiliter præſumimus pejeraturum. Pax Jordanus *Elucubrat. Volum. 3. Lib. 14. Tit. 22. num. 50. & 51.* quia regulariter non debemus alteri dare occaſionem peccandi, (unde non eſt juvenibus injungendum ju- 645

ramentum, utpote de quibus prudenter timetur, ne pejerent, *Cap. Pœnitentes. diſt. 50.* Jordanus *loc. cit. num. 54.*) attamen judex tenetur etiam à veroſimiliter pejeraturis petere juramentum, alioqui ſe redderet ſuſpectum adverſario. Jordan. *num. 15.* ſicut & (quidquid tam abſolutè neget idem Doctor) puberes etiam ante Annum vigeſimum ætatis poſſunt in cauſa civili (eſto non in criminali) jurare, ut docui in Quinario *Tract. 5. cap. 42. num. 10.* & Lugo *De juſtit. Tom. 2. Diſp. 22. ſect. 8. num. 313.* teſtatur, multos ſentire, contractum firmari juramento etiam proximi pubertati, ipſe autem requirit pubertatem. Teſtatur & Cotonius *cit. Controverſ. 11. cap. 1.* eſſe communem quidem ſententiam, quòd non liceat inducere ad jurandum verum, quod jurans ignorat, attamen diſſentit à Diana *Part. 5. Tract. 7. Reſol. 14.* poſt Hurtadum rato, à te non peccari, ſi inducas ad jurandum falſum, quod tamen exiſtimat eſſe verum, ut e. g. ſi ego falſò putans te toto Anno fuiſſe aſſiduum in ſcholis, ad tuam inſtantiam jurem, ita ſe rem habere. Vide Azorium *Part. 1. Lib. 10. cap. 11.* Suarez *De juram. Lib. 3 cap. 14. num. 18.* Tamburin. *cit. Lib. 3. cap. 1. §. 6. num. 7.* Cardin. de Lugo *De juſtit. Diſp. 29. n. 2.* & reperies fundamenta utriuſq; ſententiæ, ſicut & quòd licitè exigas in re non parvi momenti juramentum ab illo, de quo propriè dubitas, an non ſit pejeraturus.

646 IV. Tradit quidem Jordanus *loc. cit num. 86.* quòd juramentum non ſuppleat defectum conſenſûs, adeóque non extendatur ad incogitata, ſubdit tamen *n. 94.* ſufficere, ſi fuit cogitatum in genere, & *n. 97.* juramentum habere hoc in ſe, ut interpoſitum in aliquo actu, ſi non valet eo modo, quo interponitur, valeat tamen, ut valere poteſt, & *n. 98.* juramentum habere vim expreſſi, ſeu ſpecialis expreſſionis, quæ doctrina etſi locum habeat in foro externo, in interno tamen non habet, quando conſcientia dictat, nequaquam fuiſſe intentionem jurantis ſupplere illos defectus, etenim generalis doctrina: *Voluntas in omnibus dominatur Leg. in conventionibus 219. ff. De verb. ſignif.* veritatem obtinet etiam in juramentis, ſicuti & com-
647 munis Theologorum, & Jureconſultorum fert, quamvis jurans habeat tempore juramenti voluntatem auferendi ſibi poteſtatem valide faciendi quid contrarium ſuo juramento, attamen poſſe utique fieri, ut actus, qui illi juramento contrarius geretur, ſit planè validus. Jord. *n. 102.* Et Lugo *Tom. 2. De juſtit. Diſp. 22. num. 218.* tradit hanc Regulam univerſalem: Ratione juramenti præcedentis contrarii, actus contrarius ſubſecutus, qui alioqui validus eſſet, non fit invalidus præciſè, & immediatè propter perjurium in eo commiſſum.

648 V. Notanda ſunt ex communi Sanchezii de juramento ſequentia: 1. Juramentum factum ſoli Deo tranſit, & non tranſit ad hæredes eo planè modo, quo ſumus de Voto locuti ſuprà *n. 37. & ſeq.* ſicut & factum homini licèt tranſeat quandoque ad hæredem, aut ſucceſſorem, non tamen tranſit quoad vinculum Religionis, nec enim contra Religionem peccat, adeóque nec perjurii latè dicti reus eſt hæres, qui non præſtat creditori ea, quæ teſtator jurârat ſe præſtiturum. Sanch. *cap. 13. n. 1. & ſeqq.* At viceverſa qui tibi jurato promiſit quidpiam, ac non præſtitit ante mortem tuam, tenebitur vi juramenti præſtare hæredibus tuis *n. 6.* & qui alicui promiſit obedientiam non propter ejus perſonam, ſed propter dignitatem, tenebitur obedire ſucceſſori in eadem dignitate *n. 7.* & ſequentibus declarans an, & quatenus quis poſſit jurare per Procuratorem? Et an ſufficiat ad hoc generale mandatum?

2. Non tantùm juramentum ſervandi in ge- 649
nere ſecreta obligat pro ratione materiæ, in quam cadit illud ſecretum, ut videlicet delinquatur ſolùm venialiter, ſi parùm interſit, eſto vulgetur arcanum, ſed etiam vera eſt hæc doctrina licèt in ſpecie, & in individuo juratus promiſeris te hoc numero ſecretum nemini manifeſtaturum *n. 5.* verè enim gravitas culpæ adhærentis revelationi ſub juramento illicitè, dijudicanda eſt juxta materiæ, quæ detegitur, gravitatem, vel levitatem, non autem juxta Religionem juramenti. *Ibid.* Hinc Scho- 650
laſtici tranſgreſſores præcepti Rectorum Academicorum ſub pœna juramenti præſtiti, non ſunt rei gravis culpæ, ſi materia non ſit gravis, eſto fortè Rector velit graviter obligare *n. 6.* ut quando e.g. non comitantur Rectorem Magnificum, in diebus ſolennibus, aut geſtant veſtes pretioſiores, quàm permiſſæ. *Ibid.* Et quamvis in ſpecie juraveris, te obſervaturum hoc, aut illud Statutum, ſi tamen id non eſt uſu receptum, non delinques non obſervando illud *num. 9.* & ne quidem tunc, quando, poſtmodum fortè uſu recipietur *num. 12.*

3. Quando juramentum aliquod præſtatur 651
ab aliqua univerſitate, illud tamen major pars Comunitatis non obſervat, tu non teneris obſervare. Idem P. Sanchez *cap. 15. n. 2.* Et quando aliqua Univerſitas juravit, ſe hoc, aut illud Statutum obſervaturam, poteſt, & non poteſt revocare id ſtatutum. Poteſt caſu, quo non fuit ſuperadditum juramentum de non revocando, tunc, quando in id ſtatutum jurant ſingulæ perſonæ, ut ſingulares, quod evenit, quando jurant id, quod ſingulorum obſervantiam ſeorſim concernit e. g. juramentum non exeundi domo noctu ſine lucerna: nullus niſi Matriculæ inſcriptus vocem habeat activam, vel paſſivam. Et hæc doctrina vera eſt, etſi tale Statutum ſit à ſuperiore confirmatum. Non poteſt 652
autem revocari tunc, quando ſinguli quidem jurârunt, non tamen ut ſingulares, ſed ut Univerſitas quædam, quod contingit, quando jurant id, quod non per ſingulas perſonas ſeorſim implendum eſt, ſed conjunctas nomine Univerſitatis, ſeu collegialiter. Ut ſi ſtatuant non admittendam perſonam aliquam ad eam univer-

ſitatem,

Digitized by Google

ſitatem, niſi his,& illis conditionibus affectam, vel nullum admiſſum iri ultra hunc, vel illum determinatum numerum. Idem Sanchez *cap. 15.* ſubdens *n. 5.* quòd non tantùm nequeant ſinguli revocare hoc juramentum, ut per ſe notum eſt, ſed neque ipſa Univerſitas congregata, niſi propter favorem, & bonum publicum, ergo recurrendum eſt pro liberatione ad Epiſcopum.

653 VI. Diana *Part 3. Tract. 6. Reſol. 30.* ſcribit ex autoribus Claſſicis, æquivocationes, amphibologias, & reſtrictiones eſſe licitas in his caſibus. 1. Clericus interrogatus in porta civitatis, an deferat aliquid ex iis, de quibus ſolet ſolvi gabella, ſeu vectigal, licitè jurabit, ſe nihil (ſubaudi, quod indicare teneatur) habere. 2. Si ſecretò reſtituiſti, ſed hoc probare nequeas, 100. aureos, quos debebas ex mutuo, licite jurabis coram judice volente ad inſtantiam partis compellere te ad iterum ſolvendum, te nihil debere, ſicut & quando debes ſolùm 50. & petuntur à te 100. ſubintelliges enim, te non debere eo modo, quo petit actor, & quando me rogas, ut tibi dem mutuos 100. aureos, licitè negabo cum juramento me habere (ſcilicet ut tibi dem mutuum) ſi prævideam, te mihi non reſtituturum, niſi cum magna mea incommoditate.

654 3. In interrogationibus communibus: *quid comediſti? quo pergis? quid novi eſt?* dicere potes (citra juramentum) te nihil comediſſe ſubaudiendo: *Quod tibi debeam dicere.* 4. Et ſi occidiſti Petrum in tuam juſtam defenſionem, poteris coram judice jurare, non eſſe à te (ſubaudi: injuſtè) occiſum, ſi videlicet nequeas probare, interceſſiſſe, qui tamen revera interceſſit, titulum juſtæ defenſionis, ſicut & quando probabilius eſt, taxam hujus aut illius mercis eſſe nimis parvam, ideòque uteris occultè falſo pondere, poteris coram judice negare cum juramento, te uſum falſo pondere, ſubintelligendo: cum injuſto damno emptoris. 5. Jurans cum æquivocatione, ſeu amphibologia abſque cauſa legitima, probabiliùs peccat mortaliter, quamvis & contrarium ſit probabile, quando nullum inde cuiquam damnū emergit. Ita Diana. At fuit non modò ab omni alienum habe, ſed omni dignum laude hoc à ſolerti humilitate dictatum

Reſponſum Venerabilis Petri Forerii.

655 *QUi à Viſitatore Diœceſano demirante ea, quæ geſta eſſe à Petro cognoverat, interrogatus in qua Claſſe ſtuduiſſet, galericulo manu prehenſo ad terram uſque reverenter ſeſe inclinans reſpondit, in quarta ſe claſſe ſtuduiſſe, quo reſponſo obſtupefactus, qui Petrum priùs non niſi ex celeberrima fama noverat Viſitator, retulit ipſimet Epiſcopo, mirari ſe, hominem aliquem, qui non niſi in quarta claſſe* (id eſt Grammatica) *operam literis dediſſet, res tam mirabiles efficere poſſe. Sed cùm riſum moviſſet aliis, compertam habentibus ſummam Petri eruditionem,* mox errore ſuo liberatus fuit, nimirum non eâ cum exceptione illum reſpondiſſe, ſed ſolùm quòd in quarta ſtuduerit, quod quidem veriſſimum erat.

Sic loquitur R. P. Dominicus Biſſelius interpres Vitæ illius *Lib. 1. cap. 11.*

VII. Seraphinus de Seraphinis integro volumine, quod Martinus Benckendorffius tametſi acatholicus illuſtravit præclaris Commentariis, ſeu Additionibus, proponit, exponit, ampliat, limitat centum ſeptuaginta quatuor privilegia juramentorum, præcipua ſeu uſu frequentiora ex iis indico duntaxat ſequentia. 656
1. Juramentum probat latentia in animo. 2. Ignorantiam, & ſcientiam. 3. Hoc aut iſtud eſſe factum ſola urgente neceſſitate. 4. Facit plenam probationem in cauſis levis præjudicii. 5. Præſumptionem inducit pro jurante. 6. Probat expenſas. 7. Facit ſemiplenam probationem. 8. Probat quantitatem mutui in amiſſione ſcripturarum. 9 Rem de novo ad notitiam perveniſſe. 10 Titulum. 11. Donationem inter patrem & filium reddit validam. 12. Impedit allegari poſſe errorem.

VIII. Juramentum ſoli Deo, aut ſoli homini, aut homini ſimul & Deo factum, quomodo tollatur, dixi ſuprà *num. 508.* & videri poteſt Tamburinus *Lib. 3. in Decal. cap. 7. § 1. num. 5. & 6.* exprimens, licèt non poſſit Epiſcopus diſpenſare in juramentis, quæ ſunt juncta voto reſervato Pontifici, probabiliter tamen poſſe, ſi abſque voto, ſed ſolo tali juramento ſe quis adſtrinxit ad materiam talium votorum. Vide Sanch. *Lib. 3. in Decal. cap. 21.* & Palaûm *Tract. 14. Diſp. 3. punct. 4.* Benedictini, & conſequenter Mendicantes Confeſſarii, ut ſubdit idem Tamburinus *num. 9.* diſpenſant in juramentis etiam Epiſcopo reſervatis. Idem obſervans ex noſtris privilegiis, illos ſolos Confeſſarios noſtros diſpenſare, qui à Superioribus accepêre poteſtatem peculiarem. Oportet autem in his omnibus caſibus habere juſtam cauſam. 657

COLLECTANEUM II. De Mendacio.

SUMMARIUM.

Factum Rudolphi I. Imperatoris defenditur à Mendacio contra Zahnnium, & Lipſium. 658. & ſeqq.

De Mendaciis Luſorum, debitâque reſtitutione. 666.

De Simulatione in ſponſionibus mutuis. Ibid.

 Amiſſa

*Amiſſa Luſu Chartarum & Alearum (niſi cum
Juramento promiſſa ſit ſolutio) poſſunt repeti.
667.*
*De Mendaciis Paſquillorum, omniúmque Libel-
lorum famoſorum. 668.*
*De Affectatis & mendacibus Complementis. 669.
& ſeq.* (*& ſeq.*
De Mendaciis Mercatorum, & Propolarum. 671.
*De Mendaciis Confitentium & Concionatorum.
673. & ſeq.*
An & quomodo peccet, qui dicit alteri : Menti-
ris? *677. & ſeq.*
De Pœnis mentientium. 680.

658 HUjus Collectanei primum locum ſibi ven-
dicat

Rudolphus I. Auſtriacus.

Defenſus adverſus Calumnio-
lam.

P*Ervulgatum eſt id, quod Juſtus Lipſius in*
Monitis, & Exemplis Politicis Lib. 2. c.
9. Mon. 3. *refert fuſiùs, ego ex ipſo breviùs,*
de Rudolpho I. qui intellecto, Norinbergen-
ſem hoſpitem, ſeu diverſitorem inficiari, eſſe
apud ſe depoſitum (qui tamen à mercatore
apud eum depoſitus, & Rudolpho probè de-
ſcriptus erat) ſacculum, ſeu vidulum, ducen-
tis argenti ſelibris, ſeu marcis plenum, na-
ctúſque ſingulari dexteritate pileum diver-
ſitoris apud ſe detenti, miſit nonneminem ad
uxorem, cum pileo, hoc mandato : Heus ma-
trona, maritus jubet, ut ſacculum illum
talem ad eum mittas: opus habet, & ecce
teſſeram fidei meæ hunc ejus pileum. *Tra-*
didit mulier vidulum : Rudolphus oſtendit
cauponi, qui denique fraudem faſſus, grandi
pecunia mulctatus. At Rudolphus omnium
ore & ſenſu laudem, & decantatum in Ger-
mania ſatis hoc factum fuit.

659 Hoc abrupto epiphonemate claudit proli-
xiorem narrationem Lipſius, ſcribens, Rudol-
phum uſum hîc fuiſſe *aſtu*, Zahnnius *Lib. 1.*
De Mendacio cap. 44. bis exprimit, id factum
cum *ſalubri*, & *ſubtili mendacio.*

660 Diſſentio abſolutè à Zahnnio, quia credo,
omne ſeu craſſum, ſeu *ſubtile*, ſeu pernicioſum,
ſeu *ſalubre*, officioſúmve mendacium eſſe pec-
catum. Suprà *n. 589.* abſit autem ut tali Soli,
qualis fuit Rudolphus, adhæſiſſe ejuſmodi ma-
culam fatear, niſi me cogat veritatis vis. Diſ-
ſentio & à Lipſio, ſi, ut communiùs accipiunt
Grammatici, atque ipſi Jureconſulti, per *aſtum*
intelligit, vafriciem, malitioſámve deceptio-
nem, aſſentior, ſi Lipſius aſtutum voluit eſſe
eundem cum cauto, reconditi, circumſpecti
ingenii &c.

661 Inculcant millies, & millies Jureconſulti, ex
Leg. Meritò. ff. Pro ſocio, peccatum non eſſe
præſumendum: Omnes Theologi, poſt Gregor.
IX. *Cap. 2. De Reg. jur. in 5.* clamant, dubia
eſſe in meliorem partem interpretanda, & ſin-
gulariter, quæ circa dicta, facta ſummorum
Virorum referuntur. Fuit autem Rudolphus
Primus, ille, inquam,

Maximus Auſtriaci Conditor Imperii

paucis omnino Imperatoribus Chriſtianis ſe-
cundus rebus fortiſſimè, ſapientiſſimè geſtis,
ergo liberandus labe mendacii, ſi poteſt, po-
teſt autem abſque omni abſurditate negari, Ru-
dolphum fuiſſe uſum illis ipſis (quoad Gram-
maticalem ſenſum) verbis, quibus mandatum
Cæſaris expoſuit Lipſius, cùm ipſe ea non de-
ſcripſerit ex ullo Authentico, ubi formalitas
verborum ſolet obſervari, inſtrumento, ſed ali-
quo alio hiſtorico, non multùm ſolicito (ut
revera non ſolent eſſe) de formalitate, ſed ſub-
ſtantia verborum.

Quid ſi ergo Rudolphus potiùs mandavit 662
nuntio, ut diceret uxori hoſpitis: *Maritus tuus*
eſt apud Cæſarem, jubet ipſe, ut ſacculum talem
ad ipſum mittas? Equidem ſi per relativum *ipſe*
deſignavit, ut revera potuit, Rudolphum, ab-
fuit omnis ſpecies mendacii. Quid ſi potiùs ut
diceret: Der Herr: *Dominus mandat, ut actu-*
tum mittas ſibi ſacculum B. potuit enim illa
nomine *Domini* intelligere (imitata Saram *Ge-*
neſ. cap. 18.) ſuum virum, Imperator ſe ipſum,
qui per antonomaſiam erat Dominus. Quid ſi
nuntius ſolùm dixit : *Domina da mihi confe-*
ſtim vidulum B. maritus tuus illum vult habere?
Vel: *Illum valde deſiderat*, certè nec ejuſmodi
verba abludebant ab ingenio Rudolphi, nec ex-
cludebant verum, eúmque ſatis obvium ſen-
ſum. 2. Eſto Rudolphus poſuerit in os famu-
li, ut loquar cum Thecuitite. *2. Reg. 14.* omnia
verba, quorum ſenſum genuinum reddidit Li-
pſius, haud tamen rectè inde infert Zahnnius,
Rudolphum fuiſſe ſubtiliter mentitum, qui
enim alium jubet mentiri, haud rectiùs dicitur
ipſe mentiri, quàm Sempronius bibiſſe ad ebrie-
tatem uſque, ſi fortè unum ex Collegis ſuis im-
pulit ad hauriendos tres, quatuórve ex Zytho
Saxonico, tricongios, quibus hauſtis mentem
amiſerit.

3. Fuit utique Rudolphus locutus ſuo, id 663
eſt Teutonico, verè maſculo idiomate, ergo di-
xerit nuntio : Gehe hin zur Wirthin mit dem
Hut/vnd ſage jhr/man laſſe jhr befehlen den Sä-
ckel ꝛc. herzugeben / vnd jhm zu zuſchicken. Quod
verbum : laſſen eſt ambiguum, ſignificat enim
tum jubere, tum permittere, ſeu non impedi-
re, ut proinde uſitatiſſimo joco dicant multi :
Jch hab diſes / oder jenes laſſen machen / in iis
circumſtantiis, in quibus plerique intelligunt,
illos curâſſe, ſeu juſſiſſe hoc, aut illud fieri, cùm
tamen non mandârint, aut curârint, & tamen
non fuiſſe ullo modo mentitos ſtatim cre-
dant auditores, dum ita locuti ſe ſe explicant,
ali-

Digitized by Google

aliquando quidem ſat frigido, & prope Rhipheo joco, aliàs autem feſtivo, imò & opportuno ad juſtè retundendam aliquorum curioſitatem, aliúmve finem honeſtum, dicentes: ſe imò permiſiſſe, ſeu non impediiſſe. Quia igitur caupo permiſit, ſeu non impedivit, peti vidulum, potuit tam Imperator, quàm hujus interpres, abſque etiam tenuiſſima labecula mendacioli proloqui illa verba. 4. Cùm dixit Cæſar: *Hoſpes jubet ad ſe mitti ſacculum*, potuit cum reſtrictione mentali ſubaudire clauſulam: *De jure*. Licèt enim de facto non mandârit, mandabat tamen de jure, quia tenebatur parere voluntati Rudolphi, imperantis reddi mercatori, quod ſuum erat.

664 Poſtremò, quid ſi apertè dicam, & veriſſimè dicam: Imperatorem juſſiſſe quidem proferri à nuntio verba Lipſii, at non ſignificativè, ſed ſolùm recitativè? ſeu non formaliter, ſed materialiter, ſicuti efferret in proſcenio actor comœdiæ, qua exhiberetur hæc à Rudolpho juſſa. Potuiſſe id fieri non ſolùm phyſicè, quod nemo negâſſit, ſed etiam moraliter, ſeu abſque peccato, in confeſſo eſt apud omnes Amphibologiarum patronos, cùm Cæſari ſuppetierit juſtiſſima cauſa expiſcandi hac ratione veritatem facti, utpote qui habuerit jus adhibendi machinam eruendæ veritati ſeveriorem, ſicut & potuit præcipere nuntio, ac dicere: Ito ad illam Bertham A. ac dicito: *Cæſar dicit, tuum virum eſſe apud ſe, petereque ſacculum B.* Potuit equidem Cæſar hæc verba eloqui, & ſcribere ſine ullo etiam tenuiſſimo mendacio.

665 Atque hæc dicta (prolixiùs, ac deſtinaveram) ſunto tuendo etiam in re tantilla honori illius piiſſimi olim Comitis, quem ob venerationem ſub velo Euchariſtico exhibitam ei, qui dixit: *Ego ſum Veritas*, videtur promeritus, ut ſua poſteritas ad hæc tempora propagata, daret mundo decimum quartum Regem Romanorum. Nunc, qua potero brevitate, ſubjiciam pluſcula de variis generibus mendacium, mendaciorúmque.

666 I. Sunt Luſores, quo genere hominum, jam ſuprà *num. 524.* in ſcenam producto, nullus frequentiùs patrat mendacia verbalia, aut realia, ſeu per propriè dictam ſimulationem. Qui quidem mortaliter cum onere reſtitutionis peccant, quando ſimulant e.g. bis, térve dedita opera imperitè ludendo, ſe multò ſimpliciores, imperitiores, infeliciores altero, & ſic emungunt duobus jactibus longè plùs, quàm amiſerant ſenis, denis. P. Sanchez *Lib. 1. Conſil. Moral. Cap. 8. dub. 13.* quod ipſum dic de ſimulante ignorari à ſe, ſed tantùm putari id, de cujus ſibi perſpectiſſima veritate facit cum alio ſolùm putante ſponſionem. Idem Sanchez *Ibid. num. 5.* ex communi, quia contractus debet eſſe utrinque æqualis, non eſt autem æqualis, quando nôſti certiſſimè, alter ſolùm probabiliter, ſecùs ſi dicas alteri, te certò ſcire, ipſe autem nihilominus faciat ſponſionem de contrario.

2. Et is tenetur reſtituere, qui ſeu veris, ſeu etiam fictis minis traxit alterum invitum ad ludum, éſtque ab eo lucratus. Sanch. *Dub. 9*

3. Sicut & is, qui dedita opera, ſed diſſimulanter ſe ita collocat, ut poſſit inſpicere in chartas ſui ſocii, ſecùs ſi hic tam incautè eas teneat, ut poſſit quiſque facilè inſpicere. Idem Sanchez *dub. 12.* qui rectè negat, illum teneri ad quidquam reſtituendum, qui fingit ſibi obtigiſſe malas, aut etiam bonas chartas, hácque ratione auget pretium ludi. 667

4. Qui vel fictè, vel etiam ſeriò promiſit, ſe ſoluturum id, quod amiſit ludendo chartis, aut aleis (alia ratio honeſtorum, ſeu non interdictorum ludorum) non obligatur etiam in foro conſcientiæ ad ſolvendum. Leſſius de juſtit. *Lib. 2. cap. 16. dub. 4.* quia poteſt objicere illi Leg. *Alearum. Cod. De relig. & ſumpt. fun.* certè in Leg. *Maritus. ff. De Reg. juris.* dicitur: *Cui damus actionem, eidem & exceptionem competere multò magis quis dixerit.* Atqui cit. Leg. *Alearum* datur actio, júſque repetendi id, quod amiſſum eſt ludo alearum, ergo multò magis permittitur, ut quis non ſolvat id, quod ſe ſoluturúm promiſit. Si tamen acceſſit juramentum, oportebit illo ſtare. Laymannus *Lib. 3. Tract. 4. cap. 21. num. 3.* quia videtur eſſe idcirco petitum, ut excluderetur exceptionis Beneficium.

II. Mendacia Paſquillorum, omniúmque libellorum famoſorum meritò inhibentur *Leg. unic. Cod. De famoſ. Lib.* ſub pœna capitali, ſi nimirum crimen contentum in libello famoſo ſit morte dignum. Menoch. *De arbitr. jud. Lib. 2. Caſ. 263.* & ſine dubio talis ſcriptor tenetur recantare, quod ſcripſit, ſi revocatio videatur reſtitutura famam iniquè læſam. Silveſt. verb. *Libellus famoſus in fin.* minimè tamen probandus, quatenus ibid. *num. 5.* abſolutè negat, pœnas etiam canonicas decretas in autores talium libellorum extendi ad caſum, quo in iis continentur vera crimina, eò quòd expediat peccata nocentium eſſe nota. Expedit ſanè eſſe nota, ſed viâ legitimâ. Quare tum Menoch. *loc. cit.* tum Covarr. *Lib. 1. variar. cap. 11. n. 7.* meritò diſſentiunt à Silveſtro. 668

III. His Paſquillis opponuntur quaſi extremè Complementa, ſeu, ut vocant Galli, *les compliments*, verba, inquam, affectata, demonſtrantia ſingulare ſtudium, offerentia omne ſervitium, cùm nihil ejuſmodi habeatur in animo. Zahnnius. *De mendac. Lib 1. cap. 38.* qui deſcriptis ex Lipſio *Epiſt. 85. Centur. 3.* hiſce verbis: *Germania regio mihi ſemper amica, ob gentis ingenium natura rectum, probum, & virtutis candida amicum*, dolenter ſubdit hanc lamentationem: Tractu tamen temporis Germania „ degeneravit: mores mirè mutati, Germano- „ rúmque Gallizantium hodie ita plerique eju- „ rant Germanam ſinceritatem, & verborum „ candorem exoticis illis Complementorum „ mendaciis, tam gnaviter ſe mancipantes, ut „ 669

» jurato negarent, ſe Germanos eſſe, niſi lin-
» gua illos proderet. Ita Zahnnius Dentato ſuo, ſimúlque veraci calamo.

670 IV. Quòd ſi perconteris, utrùm ejúſmodi complementa verborum, quæ ad libellam grammaticam examinata ſunt pura (potiùs impura) putáque mendacia, ſint etiam expenſa ad Theologicam, Zahnnius *loc. cit. num. 2.* aſſentitur Optato Lib. 1. ſcribenti: *Complimenta nil niſi verba ficta: officia picta, aliud habet animus, aliud reſonat ſermo.* Et præced. *num. 1.* notat albo calculo illud Gallis ipſis uſitatum diverbium: *Un complimenteur eſt un accomplis menteur.* Id eſt: *Perfectus Complementarius eſt perfectus logodædalus.* Ego tamen ſentio, communia complementa non eſſe accenſenda mendaciis. Qui enim iis utuntur, vel revera ita ſentiunt (quod ſatis rarum) ut loquuntur: vel (quod communiſſimum) nolunt indicare, ſeu profiteri affectum, quem verba præ ſe ferunt, ſed duntaxat intendunt vel honore, vel gaudiolo aſpergere illos, erga quos adhibent haſce phres, ſibi enim plerique honori ducunt, quòd major in dignitate utatur hiſce erga ſe verbis honorificis, humilibus, benevolis. Ut proinde qui audiunt, non ſolùm non credant dici ex animo, & ſignificativè, ſed etiam nôrint, eſſe meros loquendi modos, eſto, qui ita loquitur, dicat ſexcenties: *Je ſuis vôtre tres humble Valler:* Ich bin deß Herren gehorſambſter Knecht/ vnd Sclav.

671 V. Plurimis mercatoribus, & propolis mendacia eſſe familiariſſima docet uſus, & ſine his non poſſe mercaturam exerceri abſque damno, fortè plurimi cenſent cum illo Colonienſi, de quo P. Drexelius noſter in Phaëtonte *Cap. 37. §. 3.* Quæ quidem mendacia ſi adhibeantur ſolùm idcirco, ut obtineatur pretium ſummum inter tria naturalia, ſeu firmata conſuetudine, non ſordent per ſe, niſi labe mendacii officioſi: ſi ut obtineatur aliquid notabile ſupra ſummum uſu proborum mercatorum receptum, additur peccatum injuſtitiæ inducens obligationem reſtitutionis.

672 Cùm jurant propolæ, ſe vel non poſſe dare viliore pretio, vel ſibi ipſis conſtitiſſe tanti, quantum offert licitator, excuſantur in priore caſu à perjurio, etiam quando nôrunt, ſe poſſe ſine ſuo poſitivo damno dare viliore pretio, at non poſſe cum honeſto, & mediocri lucro. In ſecundo caſu poſſunt cum illo pretio, quo ſibi conſtitiſſe jurant, computare proportionalem partem expenſarum, quas toto Anno faciunt juxta communem proborum morem, in ſuam communem negotiationem. Addunt Sanctgallenſes *cit. Tom. 7. Tract. 1. Sect. 3. q. 5. dub. 2.* eoſdem mercatores, quando jurant, hanc aut illam mercem conſtitiſſe ſibi tot, vel tot aureis, non ſolùm non pejerare, ſi ſubaudiant hæc verba: *Unà cum aliis*, ſed etiam non peccare graviter, quando nec lædunt graviter emptorem, nec dant grave ſcandalum.

VI. Mendacium Confitentium, & Con- 673
cionatorum non eſt ſemper mortale. Reginaldus in Praxi *Lib. 14. cap. 1. Sect. 4.* contra Cajetan. *2. 2. quæſt 69. art. 1.* ſed ſolùm tunc, quando materia eſt talis, ut ſine ea nequeat per ſe ſubſiſtere abſolutio, vel Confeſſarius habet jus interrogandi, ſicuti habet ſingulariter circa circumſtantias notabiliter aggravantes, ut dixi in Experientiis *Tract. 1. num. 223. & Tract. 6. Caſ. 15. num. 396.*

Quando Concionatores falsò narrant ali- 674
quas pias hiſtorias, ſeu facta Sanctorum, de quorum veritate dubitant, non ſunt communiter damnandi de mortali, quia & nulli nocent, & non notabiliter (quando id perrarò fit) inhonorant verbum Dei. At quando ſcienter aliquid hiſtoriis in divina ſcriptura contentis additur quaſi revelatum à Deo, cùm ſciatur non eſſe revelatum, teſtatur Diana *Part. 10. Tract. 16. Reſol. 37.* viros doctos diſſentire à P. Arriaga *Tom. 5. Diſp. 21. Sect. 5.* negante, hîc intervenire tantum crimen. Quod ipſe probat praxi etiam timoratæ conſcientiæ Conciona-
torum. Quæ doctrina non eſt revocanda in 675
dubium, quando ex ipſo narrandi modo apparet aliquid ipſi verbo divino addi ab ipſo explicationis, vel ornatûs cauſa, imò nec improbabilis in circumſtantia, quam exprimit hic Autor. Qui utique excuſaret à mortali etiam illum, qui dubitans hæc ne, an illa hiſtoria contineatur hoc, an illo potiùs libro, aut capite Scripturæ, exprimit contra ſuam conſcientiam illud, quod venit ipſi in buccam. Judicent tamen de hoc viri docti. Equidem Cardinalis de Lugo *Diſp. 14. De Fide Sect. 3* teſtatur, ab aliis autoribus aſſeri ab aliis negari, intervenire grave peccatum, quando Concionator citat unũ Prophetam pro altero, ipſe tamen *n. 51.* nihil concludere vult, præmittens autem, tametſi Navarrus in Man. *Cap. 25. num. 141.* rectè ex communi ſcribat abſolutè, mendacium in materia Fidei eſſe peccatum mortale, non tamen negare, quin negatio externa fidei in re parvi momenti poſſit eſſe peccatum veniale.

VII. Exclamat P. Drexelius in David. *Cap.* 676
3. meritò: *O bona veritas, quàm ubique nullo, aut malo admitteris hoſpitio!* Idem in Phaëtonte *Cap. 26. §. 4. poſt med.* quæritur his verbis: *Cùm Mendaciis plena ſint omnia, audire nolumus, quod facimus, erubeſcimus mendaces dici, cùm ſumus: ridendo rem patramus, ſed tamen vindicamus ferro &c.*

Cùm ergo homines tam ægre ferant, ſe di-
ci mendaces, ſeu mentiri, aut mentitor eſſe, 677
quæritur, *an qui alteri dicit:* Mentiris, *ſeu, ut loquuntur Politici,* dat *ipſi mentitam, ſit reus peccati mortalis?*

Diana *Part. 5. Tract. 13. Reſ. 26.* abſolutè ſcribit, eſſe mihi id licitum, quando propalas meum aliquod crimen, quod vel tibi aperui ſub ſecreto naturali, vel eſt ita occultum, ut mortaliter pecces illud revelando, in utroque

enim

Digitized by Google

enim caſu verbo: *Mentiris*, ſignifico, me non ita admiſiſſe illud crimen, ut ab aliis ſciatur. Quando autem falſum crimen mihi affingis, tametſi non peccem contra juſtitiam arguendo te mendacii, excedo tamen terminos juſtæ defenſionis, adeóque admiſceo privatam vindictam, ſi poſſim alia facili ratione tueri meum honorem, quàm objiciendo tibi mendacium cum tuo ſummo dolore, & dedecore, ſed hoc verbum capiunt multò pauciſſimi.

678 Quòd ſi quis de te crimen aliquod vulget, bona fide putans eſſe verum, ſéque licitè hîc, & nunc illud evulgare, palàm eſt, graviter peccari poſſe dando Mentitam, quando ſuppetit alia ratio ſarciendi famam. Reſpectu plebejorum raro graviter peccatur dicendo: *Tu mentiris*, at ſæpe reſpectu Nobilium &c.
679 In foro tamen externo non facit diſtinctionem Zahnnius *De mendac. Lib. 1. cap. 4. num. 3.* quando fit, ut fieri debet, tuendi honoris cauſa contra falſam objectionem criminis. Debet tamen illa mentita reponi, ſtatim poſtquam audiſti, hoc aut iſtud de te falsò dici. Zahnnius *ibid.* ſubdens *num. 4.* illa Germanica phraſi: Du leugſt es durch dein Halß / in dein Hertz hinein ſignificari: *Tu mentiris ex propoſito*, illam verò: Du leugſt es wie ein Ehrloſer Mann / tunc ſolùm licitè adhiberi, quando ſceleſtum aliquod facinus eſt falsò objectum.

680 VIII. Præmia, & pœnæ mendacium ſunt hæc. 1. Ariſtoteles interrogatus, quid lucri haberet mendax? *Hoc unum*, ait, *ut cùm vera dixerit, nemo credat.* Drexelius *loc. cit.* § 3. quia ſcilicet ſemel malus, ſemper præſumitur eſſe malus. *Reg. 18. in 6.* adeò, ut ex mendaciis oriatur fortiſſima doli, fallaciæque præſumptio. Zahnn. *Lib. 2. cap. 1.* & qui ſemel in mendacio deprehenditur, omnem veritatem proſtituiſſe, & cuncta doloſè egiſſe cenſeatur. Idem poſt Cravettam *Conſil. 142. num. 17.* atque alios, & mendax ſemel in uno, judicetur mendax ſemper, & in omnibus. Idem poſt Pariſ. & alios. Ideo mendax in pœnam mendacii gravatur onere probandi id, quod alteri parti probare incubuiſſet. Idem poſt Caſtrenſ. & alios, qui rectè præmiſerat, non extare in Jure ſcripto legem, aut canonem, conſtituentem aliquam pœnam mentientibus in genere, ſed ſolùm circa quaſdam certas materias. Vide Menoch. *Lib. 2. De arbitr. judic. Caſ. 276.*
681 Quibus verò pœnis variæ nationes plexerint mendaces, vide, ſi placet, P. Drexelium *loc. cit.* §. 3. & plura addentem Zahnnium *Lib. 2. cit. cap. 1.* Pœnas mendacii jurati proponam ſequenti Corollario, priùs tamen referam quæſtionem, qua Owenus poëta Anglus apud Caramuelem ingenioſè tentat logodædalum hiſce verſibus:

Major ut in dictis conſtantia, quàm ſit in actis,
Os idcirco tibi, non dedit ora Deus.
Cur binas Deus ergo manus, linguam dedit unam,
Unde manus ſimplex eſt tibi? lingua duplex?

COLLECTANEUM III.

De Perjurio.

SUMMARIUM.

Perjurium propriè dictum ſemper eſt peccatum mortale, niſi excuſet inadvertentia. 682.
Non datur in eo parvitas materiæ. Ibid.
Omnia Perjuria ſunt ejuſdem Speciei. Ibid.
Variæ formulæ, de quibus dubitatur an contineant Juramentum. 684. *& ſeqq.*
Contra Perjurium Judex procedere poteſt & præcedente accuſatione, & per inquiſitionem, & ex officio. 683.
Recenſentur variæ Pœnæ Perjurii ex Iure Canonico. 687. *& ſeqq.*
Aliquæ ex Iure Saxonico. 689. *ad finem.*
Maledictio Iurantis mendaciter ex S. Scriptura. 690.
Autores qui ſcripſerunt Exempla tragica perjurii divinitus puniti. Ibid.
Recenſentur duo ex Bollando, Undecimo Ian. in Vita S. Egwini. 691. *& ſeq.*

SUppoſitis iis, quæ dixi ſuprà *num. 579. & ſeqq.* de perjurio ſtrictè, latè, impropriè dicto, addo ſequentia:

I. Perjurium propriè & ſtrictè dictum non 682
ſolùm eſt ſemper, niſi excuſet inadvertentia, peccatum mortale, adeò ut nequeat ex parvitate materiæ fieri veniale, ſed etiam graviſſimum mortale, quia repugnat nobiliſſimæ virtuti, ac reverentiæ erga Deum, attamen neque eſt tam grave crimen, quàm blaſphemia, ut videbimus infrà *num. 791.* neque etiam gravitate æquat homicidium adæquatè ſumptum. Pax Jord. *Elucub. Vol. 3. Lib. 14. tit. 22. num. 189.* ſicut nec differt ſpecie unum perjurium ab altero per ſe loquendo, omnia autem perjuria ſunt ita mala, ut nullo caſu eſſe licita etiam credant, ni fallor, ii, qui permittunt in certis caſibus mendacium. Unde licèt fortè multi Legati facto ipſo confirment deſcriptionem Legati, quam alibi retuli ex Carolo Paſchalio, & quam etiam ex Henrico Wotono refert Zahnnius *Lib. 2. De mendac. Cap. 50.* his verbis: *Legatus eſt vir bonus, peregre miſſus ad mentiendum Reipubl. cauſa*, attamen neque ii, neque quiſquam ſanus dixerit, Legato eſſe fas pejerare nomine ſui Domini. Tametſi autem ſeu verè, ſeu falsò aſſerat, ſuum Dominum jurare hoc, aut illud à parte rei falſum, non tamen idcirco jurat ipſe, ſicut nec pejeras, etſi dicas vel: *Poſſum jurare, ſeu jurabo, hoc aut iſtud* (quod nôſti eſſe falſum) *veriſſimum eſſe*: vel: *Meus Rex jurat per Deum, ſe hoc, aut illud feciſſe, aut facturum eſſe*, eſto noveris, non facturum. Caramuel in Theologia Præterintent. Præcept. *2. quæſt. 5 num. 2267.* Vide, quod de Legato notavi ſuprà *num. 584.*

II. Per-

Digitized by Google

II. Perjurium puniri poteſt non ſolùm præcedente accuſatione, ſed per inquiſitionem, & ex officio. Jordan. *loc. citat. numero 248.*

684 III. Zahnnius De mendac. *Lib. 3. cap. 9. num. 36.* negat cum Berlichio, eſſe reos perjurii (latè dicti) qui non ſervant pacta firmata illis verbis, quibus loco juramenti utens dicit: *Per juramentum*: *Per Baptiſmum*: *Per fidem Chriſtianam*: *Sub periculo animæ*: An Eydſtatt: beym Eyd: bey dem Chriſtlichen Tauff: bey Verlurſt der Seelen Seeligkeit &c. additque hanc rationem, quòd talia verba non contineant juramentum, & proinde ſolùm habeant in terris
685 Brandenburgicis vim ita firmandi contractus, ut excludantur remedia reſciſſoria. Et verò non dubito, quin poſſit induci conſuetudo uſurpandi illa verba ſine ulla intentione vocandi Deum in teſtem, & proinde ita adhiberi, ut neque coram hominibus, neque coram Deo habeant vim juriſjurandi, quandoquidem illam omnem ſaltem in foro Dei ſortiuntur ab intentione, cenſeo autem, eſſe communem uſum Catholicorum, quidquid de ſuis Symmyſtis teſtetur Zahnnius, receptum, ut propriè quis cenſeatur jurare, quando dicit: vel: *Per Baptiſmum*, cùm Baptiſmus ſit res ſacratiſſima, vel: *Per fidem Chriſtianam.* Suprà *num. 486.* vel: *Sub periculo animæ.* Ibid. *num. 487.* ubi etiam refero, quid ſentiendum de illa formula: *Per meam animam*, quod videtur idem, ac ſi dicas: *Sub periculo animæ meæ*, & quid, amabo, eſt juramentum execratorium propriè dictum, ſi non eſt illud: Bey Verlurſt meiner Seelen Seeligkeit? id eſt: *ſub pœna excidendi regno cœleſti?*

686 Quid ſentiam de illa: Beym Eyd jam dixi ſuprà *num. 488.* At quando rem falſam confirmas dicendo: An Eydſtatt, id eſt: *loco juramenti*, ſunt ſine dubio in foro externo conſiderandæ circumſtantiæ, & negotii, quod geritur, & perſonæ, cui loqueris: cum qua contrahis &c. & tui ipſius. Poteſt enim fieri, ut in his, aut illis circumſtantiis ſufficiat, ſi illa verba proferens indicare velis, te quidem nec implicitè, nec explicitè jurare velle, at ſperare, fore, ut his tuis verbis tanta fides adhibeatur, quanta, ſi vel explicitè, aut implicitè jurares, & tunc locum habet, quod dicit Zahnnius: *Aliud eſt, quid eſſe tale, & loco talis accipi*, in aliis autem circumſtantiis faciunt hunc ſenſum: Nolo quidem expreſſè jurare dicendo: *Teſtor Deum*, *Per Deum ita eſt*, his tamen verbis volo æquè allegatam autoritatem Dei, ac ſi dicerem: *Teſtor Deum.* In primo caſu evadis reatum perjurii, ſi diſſentias à veritate, non tamen in ſecundo. Equidem Covarruvias in Cap. *Quamvis pactum. De pact. in 6. Part. 1. §. 7. num. 51.* obſervat, illa præcepta, quæ plerumque injunguntur à Prælato ſubditis, qui juramento obedientiam promiſère his verbis: *Sub pœna præſtiti juramenti*, non efficere, ut qui ea non ſervat, ſit verè perjurus, ſed ſolùm ut poſſit puniri tanquam perjurus.

IV. Prœmia, & pœnæ perjurii ſunt ſequen- 687
tes: 1. Semel perjurus ita deſtituitur omni fide, ut ei non credatur in judicio, etſi emendato. Cap. *Teſtimonium. De teſt.* Maſcardus deprobat. *Concluſ. 1174.* Zahnnius *Lib. 3. De Mendac. Cap. 20. num. 5.* rectè limitans *num. 19.* poſt Maſcardum: *Niſi ſit abſolutus à Papa, vel abſolutus ab alio pœnitentiam egerit.* Idem *n. 20.* Imò multi contra alios ſentiunt, apud eundem Zahnn. *num. 27.* perjurium repelli ſolùm ab illo judicio, & in illa cauſa, in qua pejeravit, non autem in aliis, quæ opinio utpote clementior mihi probatur in eo ſaltem caſu, quo jam pridem contigit illud perjurium, & interea vixit ille, ut bonus Chriſtianus, quare in tali non habet Alciati *Regula. 2. præſumpt. 10.* locum: *Perjurus ſemel, ſemper præſumitur pejeraturus.*

2. Multi Jureconſulti contra alios negant, 688
ullam certam pœnam eſſe jure civili ſtatutam in perjurum. Zahnnius *loc. cit. Cap. 15.* At verò ſequens caput decimum ſextum orditur his verbis: *Rectè ſtatuit jus Canonicum, quòd nullius rei cura major, quàm animarum haberi oporteat, quia majus damnum in unius animæ amiſſione eſt, quàm mille corporum. Cap. Si habet 24. quæſt. 3.* ex S. Auguſtino, eam ob rem Sacri Canones variis locis ſuſtulerunt occaſionem pejerandi ut Cap. *Clericos. De cohabit. Cleric. & mulier.* Cap. *Ex tenore. De ſentent. excomm.* puniunt autem perjuros variis modis. Etenim Clericus perjurus eſt incapax omnium beneficiorum Eccleſiaſticorum Cap. *Tantis. diſt. 81.* habitiſque privatur Cap. *Pervenit. De jurejur.* ſi videlicet fuit in judicio commiſſum perjurium. Diaz in *Pract. crim. Cap. 29.* Perjurium punitur etiam excommunicatione. *Cap. Cùm ergo 22. quæſt. 1. & quæſt. 5.* Qua de re vide Jordanum *loc. cit. num. 310. & ſeqq.*

Ad hæc perjurus eſt infamis etiam ante ju- 689
dicis ſententiam, de quo mox ex Zahnnio, ſecundùm multos apud Jordanum *loc. cit. num. 281.* contra alios, ſubdente eodem Jordano *n. 297.* infamiam contrahi ſolùm per perjurium latè dictum, ſeu violationem juramenti promiſſorii, & quidem tunc ſolùm, quando juramentum fuit adjectum contractui vel pacto, in commodum alicujus, addente inter alia Zahnnio *Cap. 18.* communiter perjurum (in juramento aſſertorio) non eſſe infamem jure, ſed ſolùm poſt latam judicis ſententiam *num. 14.* at juratæ fidei contravenientem effici ipſo jure infamem, etſi non intervenerit juramentum perſonale, ſed ſola fidei præſtatio *num. 16.* Idem Zahnnius *Cap. 17.* præmiſerat, hodiéque perjuros puniri jam carcere, jam relegatione, jam abſciſſione digitorum non totorum, ſed articulorum priorum in digitis duobus, ſingulariter in Saxonia Electorali. Si videlicet quis in judicio juramento à judice delato conceptis

ver-

Digitized by Google

verbis pecuniæ nomine, vel lucri alterius gratia pejeret. Subjungit *Cap. 20.* Nobilem perjurum excidere nobilitate, Conſiliarium Conſiliaratu, Doctorem Doctoratu, Vaſallum jure feudi.

690 V. Ut ut ſe habeant illæ pœnæ Civiles, & Canonicæ, certum eſt, eſſe in omnes verè rigidè, & deliberatè perjuros latam divinitus Zachariæ *Cap. 5.* hanc fatalem ſententiam: *Maledictio commorabitur in domo jurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus ejus, & conſumet eam, & lapides ejus, & ligna ejus.* Certum quoque, fuiſſe perjuros ſæpiſſime divinitus, manifeſtéque punitos. Hujus rei exempla planè tragica legere eſt multa apud Majolum dierum Canicul. *Tom. 4. coll. 2.* Tympium, in Theatro vindictæ divinæ, Zahnnium *cit. Lib. 3. cap. 22.* deſcribentem complura, Theophilum Raynaudum de Virtutibus *Lib. 4. Sect. 3. cap. 2. num. 336.* ubi etiam de gravitate hujus ſceleris. Ego iis prætermiſſis claudo totam de Juramento diſſertationem duplici Caſu perjurii à Deo palàm caſtigati.

Primus Caſus eſt impiè Æquivocantis.

691 RUſticus quidam partem terræ S. Egwini ſurripuit, *& cùm judices ſanxiſſent, ut certo die veniret*, & terram (id eſt fundum, ſeu agrum) *ſuam eſſe juraret, pulverem de domo ſua* ſumpſit *& ſotulares* (calceos puto) *implevit, ut tutò jurare poſſet, quod ſuper terram ſuam ſtaret. Cúmque ſuper reliquias S. Egwini juraturus manum porrigeret, ferro falcaſtico* (id eſt ſimilitudinem falcis referente) *quod in manu geſtabat, neſcio quo caſu in cerebro percuſſus ſubitò ad terram mortuus corruit, & vitam cum terra coram omnibus amiſit.*

Hæc verba leges apud Bollandum noſtrum, mirificum omnis antiquitatis perveſtigatorem, interpretémque ſolertiſſimum, ad diem undecimum Januarii in Vita S. Egwini Epiſcopi Wigornienſis in Anglia *Cap. 14. num. 19.* cui non importunè addo ex eodem hunc

Secundum Caſum perjuri, ridiculè, & ſeriò caſtigati.

CUm alius quidam terram S. Egwini poſſideret, judicum ſententia decernitur, ut manu propria ſuper reliquias S. Egwini jurando terram acquireret, erat enim ille Vir grandævus, & barbâ prolixâ barbatus. Aſſurgens ergo barbam propriam concludit: Per iſtam, inquit, *barbam mea eſt terra, & eam poſſidebo jure hæreditario. Vix emiſerat verbum, & ecce totam barbam coram cunctis ita projecit ad terram, ac ſi appoſita fuiſſet, non naturaliter nata. Sic qui alienam terram injuſtè invaſit, jure cum ipſa terra barbam propriam perdere meruit.* 692

Hoc epilogo obſignat illud perjurii ſupplicium jocoſo-ſerium vetuſtus hiſtoriographus. 693
Ego utrumque hoc Virgiliano acroamate:

Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere divos,

ut certè temnunt hos, horúmque, & omnium mortalium Dominum, ac judicem, qui vel apertis, vel inconceſſarum æquivocationum velamento tectis verbis adulterant veracitatem. O quot incederent imberbes, ſi iis eſſent è barba evulſi tot pili, quot mendaciis vel nudis, vel fœdiſſimè juramento veſtitis inceſtârunt auram, quam hauriebant? Meminerint hi ſeu comminationis, ſeu vaticinii in perjurum expreſſi à Tibullo hoc Diſticho:

Ah miſer! Et ſi quis primò perjuria celat;
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

PARS

PARS TERTIA, DE BLASPHEMIA.

QUID SIT BLASPHEMIA, ET QUÆ DE EA TRADANT DOCTORES.

CASUS XX.

Miſſi ad blaſphemandum.

SUMMARIUM.

Refertur Blaſphemia Legati Regis Aſſyriorum ex S. Scriptura. 694.

Diem, quo Rabſaces prædicta verba evomuit, vocat Scriptura Diem Blaſphemiæ. 695.

Fuiſſe Blaſphemiam propriè dictam oſtendunt ipſa verba. Ibid.

694 Verba S. Scripturæ: *Hæc dicetis Ezechiæ Regi Judæ: Non decipiat te Deus tuus, in quo tu confidis dicens: Non dabitur Jeruſalem in manu Regis Aſſyriorum. Ecce tu audiſti omnia, quæ fecerunt Reges Aſſyriorum omnibus terris, quas ſubverterunt. Nunquid eruerunt eos Dii gentium, quos ſubverterunt patres mei? Ubi eſt Rex Emath, & Rex Arphad, & Rex Sepharvaim? Quis eſt ex omnibus Diis terrarum iſtarum, qui eruerit terram ſuam, ut eruat Jeruſalem Dominus de manu mea?*

695 Divina Scriptura referens *Iſaiæ Cap. 36.* & 37. hæc verba, illum diem, quo Rabſaces Legatus Regis Aſſyriorum, evomuit hæc verborum portenta, non immeritò indigitat *Diem Blaſphemiæ*, addens, Legatum illius fuiſſe *miſſum ad blaſphemandum Deum viventem.* Et verò fuiſſe veri nominis blaſphemum demonſtrant verba, quibus & Deus impiiſſimè innuitur eſſe fallax, & comparatur Diis, ſeu Idolis gentium, & denique negatur poſſe defendere illam urbem adverſus abjectiſſimum, propudioſiſſimum homuncionem, terræque fungum, & abortum. Demonſtrant, inquam, ea verba, Rabſacem propriè fuiſſe ad blaſphemandum miſſum à Principibus tenebrarum, & Aſſyriæ, ſingulariter ſi conferantur cum iis, quæ hoc *Caſu XX.* proferam in medium *de Ratione, & Accidentibus blaſphemiæ.*

SECTIO I.

Quid ſit Blaſphemia, & quibus verbis ſolita exprimi.

SUMMARIUM.

Quid ſit Blaſphemia generatim, prout etiam homines Blaſphemari dicuntur? 696.

Quid propriè dicta in ſenſu Chriſtianorum? 697.

Fit vel Cogitatione, vel Verbo, vel Scripto. 698. & *ſeq.*

Geſtus indecens & Idololatria non ſunt Blaſphemia. Ibid.

Quomodo Blaſphemia fiat Directè & Indirectè? 700. & *ſeqq.*

Caſus medici curantis Melancholicum per ſimulatam iram & Blaſphemiam. 704. & *ſeqq.*

Formulæ Undecim Blaſphemandi, communes variis Nationibus, examinantur. 710. & *ſeqq.*

An abuſus S. Scripturæ ſit annumerandus Blaſphemiis? 718. & *infrà* 775. *ad finem.*

Quid de jurantibus per falſos Deos aut falſos Prophetas tanquam teſtes infallibiles veritatis? 722.

Blaſphemum dictum Alphonſi X. Hiſpaniarum Regis. Ibid. *ad finem.*

Blaſphemare etiam cenſentur, qui Deo aut Sanctis malum imprecantur. 723.

Et qui Deum verbis obſcænis laudant. Ibid.

Formulæ Blaſphemandi propriæ Italorum, Hiſpanorum, & Gallorum examinantur. 724. & *ſeqq.*

Formulæ Blaſphemandi propriæ Germanis. 731.

Caſus declarans vocem Sacrament: & beym Sacrament. *in partibus Helvetiæ ſignificare Blaſphemiam.* 749.

In Helvetia Catholica rariſſimæ ſunt Blaſphemiæ. 750.

Quæritur I. *Quid ſit Blaſphemia.* Reſp. 696
Licèt Blaſphemia ex verbo Græco derivata generatim ſignificet execrationem, maledictionem, & convitium. Budæus apud P. Suarez de Religion. *Tract. 3. lib. 1, cap. 4. numero 1.* & proinde etiam dicamur blaſphemare hominem quoque. S. Paulus *in Epiſt. ad Titum Cap. 1.* tunc ſcilicet, quando optamus ei malum in futuro. Bartolus *Leg. Item apud.* §. *Ait:* Præ-

Digitized by Google

Prætor. ff. De jurejur. attamen communis uſus jam obtinuit, ut ſolus Deus, ejúſve Sancti, adeóque res ſacræ dicantur blaſphemari.

697 Eſt autem blaſphemia, ut ſic, ſeu ſpectato uſu omnium Chriſtianorum propriè verbum contumeliæ, vel maledictionis in Deum. Suárez *loco citato* conformiter doctrinæ S Thom. *2. 2. quæſtion. 13. articul. 1.* bene explicati à Patre Gregorio de Valentia *Tom. 3. Diſputat. 1. quæſtione 13. punct. 1.* Unde noſtri Teutones, ſicuti aliàs ſexcenties ſuperant Latinos, Latinizantéſque Italos, Gallos, Hiſpanos compoſitione vocabulorum continentium deſcriptionem, & quaſi definitionem rei, per illam ſignificatæ, ita etiam in præſenti materia nomen Græcolatinum *Blaſphemia* tam aptè convertêrunt ipſi in ſuum idioma, ut, qui Germanicè intelligit, mox hoc ipſo cognoſcat, quid Theologicè ſit Blaſphemia, ſiquidem Germani & blaſphemare ajunt eſſe Gottläſtern *Gottleſteren* Deo convitiari, & ipſam blaſphemiam nuncupant Gottläſterung *Gottsleſterung*, quaſi dicas uno vocabulo: *Deiconvitium.*

698 Sicuti autem tunc ſolùm, & ſemper dicimur convitiari homini, quando verbo interno, vel externo, eóve ſeu ſcripto, ſeu voce prolato minuimus directè, vel indirectè reverentiam, honorem, laudem ipſi debitam, ita etiam tunc ſolùm, & ſemper blaſphemamus, quando verbo, vel ſcripto (non verò ſi indecente corporis geſtu) inferimus Deo contumeliam, ſeu convitio illum petimus.

699 Equidem ſicuti laus Dei in eo conſiſtit, ut aliquid dicamus ad honorandum Deum. S. Thom. *2. 2. quæſtione 103. articul 1. ad 3.* ita & Blaſphemia contrariè oppoſita laudi Dei, proindéque virtuti Religionis, conſiſtit in eo, ut aliquid contumelioſum, injurioſum Deo deliberatè cogitêmus, loquamur, aut ſcribamus. Et proinde Blaſphemia etſi etiam cogitatione committi poteſt, attamen nulla exteriore actione committitur propriè dicta. Sanchez *Lib. 2.* Moralium *Cap. 32.* cum pleriſque contra alios, nec enim Idololatriam, quæ ſummè repugnat honori divino, vocamus blaſphemiam.

700 II. Voluntas inhonorandi Deum per blaſphemiam, eſt, ut inſinuavi, *Directa*, vel *Indirecta. Directa*, quando quis verbis contumelioſis utitur eâ expreſſâ intentione, ut convitio afficiat Deum, oſtendátque, illum à ſe parvi fieri. Hæc quia vel maximè reperitur in Cacodæmonibus, & damnatis, idcircò rectè nuncupatur planè Diabolica, uſurpata quidem non ſemel ab hominibus, ſed non niſi ſceleſtiſſimis, & novo prorſus dignis inferno, ſingulariter autem uſurpata fuit tum ab illis Veneficis Sileſiæ, de quibus ſcribo in Quinario *Tractatu 5. cap. 42. Sect. 2. numero 62.* tum ſuperioribus Annis à ſæviſſimo tyranno Japoniæ, haud ſemel edicente: *O ſi haberem in manibus ſceleratum Deum Chriſtianorum! longè aliter illum tractarem, quàm Iudæi*: tum vel maximè à Sennacheribi Legato, de quo noſter Caſus *Miſſi ad blaſphemandum*, tum ab illis, quos nominabo *num. 710.* ſub initium, & *759. in fin.*

701 *Indirecta* verò intentio blaſphemandi eſt, quando non quidem expreſſè volumus ullo convitio afficere divinam majeſtatem, neque minuere illius honorem, attamen uſurpamus verba talia, quæ hîc & hunc verè, prudentérve judicentur continere imminutionem reverentiæ, laudíſque divinæ, ſeu vilipenſionem excellentiæ divinæ. Nec poteſt univerſalior » Regula pro hac re dignoſcenda dari, quàm » ea, quæ petitur ex modo, & circumſtantiis » dicendi: ſi enim ſeriò blaſphemia dicatur, & » ex quadam indignatione, quæ prudenter exiſtimetur quodammodo pertinere ad Deum, » erit vera blaſphemia. Si autem jocò, vel alio » fine, ut ad docendum, conſtat non eſſe blaſphemiam, quamvis poſſit aliunde id eſſe peccatum levitatis, vanitatis, aut ſcandali. Quod » intelligo, niſi ex jocoſo modo proferendi talia verba emergeret diminutio divinæ laudis, » & exiſtimationis.

702 Ita poſt P. Valentiam ſapienter P. Sanchez *cit. Cap. 32. numero 2.* à quo non diſſentiunt tres Germani Doctores, P Tannerus, P. Laymannus, & doctiſſimus autor Curſûs Sanctgallenſis. Nam primus *Tom. 3. Theol. Scholaſticæ Diſp. 1. quæſt. 8. num. 138.* ait, *Indirectam* blaſphemiam eſſe, quando quis ipſo modo loquendi (ſeu ſcribendi) ſignificat, Deum eſſe contemptibilem, ut e. g. quando quis indignè nominat quædam Chriſti membra. Laymannus autem *Lib. 4.* Theol. Moral. *Tract. 10. cap. 6. num. 6.* ait, blaſphemiam *Indirectam*, & Virtualem eſſe, cùm quis ſcienter ſeriò loquitur verba, quæ vel ex propria ſignificatione, vel ex modo proferendi, aliíſve circumſtantiis, divini nominis imminutionem continent, quamvis eam homo directè non intendat.

703 Denique tertius *Tom. 7. Tract. 3 Sect. 2. q. 1. dub. 2.* ſic breviter deſcribit: Blaſphemia *Indirecta* eſt, cùm quis ſeriò, & ſcienter ex ira, & impatientia in hominem, aut aliam creaturam profert verba convitiativa Dei, vel Sacramentorum, non tamen animo convitiandi.

704 Ex quibus deduces; an indirectè blaſphemârit is, de quo

Hodierna Narratio.

ILlo quippe die, quò ſcribebam antecedentes verſus, quidam hujuſce loci Canonicus, morum integritate conſpicuus, mihi, ipſi recenſuit, ſe abhinc Annos complures laboráſſe

Digitized by Google

phantaſia ita turbata, ut tametſi caterà ſana mentis, attamen crederet, mortem telo armatam inſidiari ſibi viſibiliter, eam ob rem & ipſe jaculabatur in ipſam. Ingenioſus quidam Medicus diſſipaturus humores, & ſpiritus melancholicos, ac fingens ſe ſummè iratum, quòd æger parere nollet monitis, prorupit in hac verba: Du hundert tauſend Sacrament Pfaff / daß dirs der Teuffel geſegne / *quod latinè ſonat:* Tu centum millium Sacramentorum ſacrificule, Cacodæmon tibi benedicat. *Æger ſacerdos primò attonitus hoc tonitru verborum, & deinde excandeſcens ob adeò, ut rebatur, contumelioſam tum in Deum: tum in ſe compellationem, ſenſit mox ita mitigata, aut diſſipata melancholica phantaſmata, ut nihil ampliùs cogitârit de Mortis inſidiis, ſed primùm iræ, deinde ſpleni, ſeu riſui frena laxaverit, iræ, dum arbitrabatur, verba illa perquam probroſa fuiſſe ſeriò prolata: riſui autem, dum medicus aperuit hujus in ſpeciem contumeliæ, ſeu convitii cauſam.*

705 Et verò illa verba: hundert tauſend Sacrament eſſe per ſe blaſphema, dicam infrà *num. 739.* illum autem medicum probabiliter non blaſphemâſſe, ſeu non admiſiſſe crimen blaſphemiæ, tenent conſequenter Sanctgallenſes, ut probat *Indirecta* blaſphemiæ deſcriptio ex iis prolata, & etiam inde fit mihi veroſimile, quòd, ut Chriſtianè ſuppono, ille Hippocraticus alumnus, non modò non intenderit temerare Sacramenta, ſed etiam potuerit ea verba proferre eo modo, quo proferrentur vel ab aliquo Comœdo, vel à Concionatore ſine omni aſſenſu, ſed recitativè duntaxat, adeóque ea intentione, ut auditores intelligant, ſeu quænam in ſpecie ſint verba blaſphema, ſeu quouſque impietatis prorumpant mali Chriſtiani.

706 Nec obeſt 1. Quòd Laymannus relatus *numero 702.* in deſcriptione blaſphemiæ *Indirecta* videatur tenere, hanc committi, quoties quis profert verba, quæ ex propria ſignificatione continent imminutionem divini nominis, eſto hæc non intendatur directè. Verba autem illa medici, quæ retuli, hanc continent ex propria ſignificatione. Reſpondeo enim, rectè addi ab ipſomet Laymanno Clauſulam: *Seriò.* Medicus autem ille non protulit ſeriò, ſed fictè; ſeu ſimulando ſe iratum, ſerióque hæc verba proloqui in, & ex ira.

707 *Quid ſi autem circumſtantes autumâſſent, ſicut revera autumavit æger, proferri ab eo illa verba ſeriò, atque ex mera paſſione? an tunc fuiſſet reus veræ blaſphemia Indirectæ, ſaltem præviſa illa falſa opinione, & conſequenter ſcandalo?*

Ratio dubitandi eſt, quia citati DD. nominatim Valentia, & Sanchez, aliique communiter, videntur rationem blaſphemiæ *Indirectæ* conſtituere in eo, quòd verba ex ſe convitiativa Dei, ut loquar cum Sanctgallenſibus, proferantur *ſcienter* in iis circumſtantiis, in quibus auditores prudenter judicant, Deum (ſeu res ſacras) vilipendi à loquente.

708 Sed reſponderi poteſt 1. Alios, qui adſtabant, fortaſſe ſciviſſe, quo animo ea proferrentur verba, eſto hic animus latuerit infirmum, cujus unius falſum judicium non erat magni faciendum. 2. Eſto potuerint omnes circumſtantes id mali ſuſpicari, ſeu judicare, quia tamen poſtea ſuam ſinceram mentem aperuit medicus, videtur excuſandus à gravi peccato. Hæc reſponſio ſupponit, blaſphemiam *Indirectam* lethalem non committi, quando per verba blaſphema datur ex cauſa gravi, & honeſta occaſio ſeu vilipenſionis divinæ per breviſſimum tempus, ſeu itidem per breviſſimum tempus judicandi, Deum vilipendi. Etſi enim brevitas temporis non excuſet à mortali illum, qui blaſphemat deliberatè Deum, videtur tamen excuſare illum, qui nequaquam vilipendit, ſed ſolùm dat gravi ex cauſa occaſionem vilipendendi breviſſimo tempore. Cùm enim videatur nec ille delinquere, qui gravi ex cauſa ſine ullo pravo affectu dat occaſionem alicujus actus idololatrici, aut dicit aliquid verum de proximo, ob quod audientes concipiant de eo falſum judicium, ſed momentaneum, & mox corrigendum, quidni hoc ipſum proportionaliter locum habeat in blaſphemia *Indirecta*? Hunc diſcurſum ſubjicio integre judicio ſapientum, emendaturus, ſi fuerit iis improbatus, & conſequenter vel ſtaturus ſola prima ex his duabus reſponſionibus, vel damnaturus gravis delicti illum medicum, niſi ignorantia, adeóque bona fides patrocinetur, uti ſanè fieri potuit. Quæ enim Hippocratis, aut Galeni conventio cum Theologiæ Coryphæis?

709 Quia verò facta eſt hîc mentio hujus in ſpecie blaſphemæ locutionis, placet ad majorem elucidationem dictorum, dicendorúmque ponere ſub unum aſpectum verba, de quibus eſt vel certum, vel probabile, eſſe blaſphema, aut aliqualiter dubium. Et in primis illa, quæ non ſunt propria alicui Chriſtianæ nationi, ſed quaſi communia, quia ſcilicet vel ea, vel iis ſimilia uſurpantur in diverſis, aut pleriſque orbis Chriſtiani partibus, vel certè non ſunt peculiaria alicui nationi particulari. Deinde illa, quæ ſunt propria, aut ferè propria Italis, Hiſpanis, & Gallis. Tertiò, quæ Germanis. Præſtabo, ut opinor, opellam non ingratam Confeſſariis noudum uſu peritis, ac proinde hinc cogniturus, an, & quando ſuos pœnitentes tractare debe-

Digitized by Google

debeant ut blaſphemos præſertim ſicubi vel excommunicatur non deferens blaſphemum ad tribunal Epiſcopi, aut Inquiſitoris, ſicuti fit Mediolani teſte Bonacina in Decal. *Diſp. 3. q. 8 punct. 2. num. 6* & fieri mandavit Julius III. referendus infrà *num. 805.* vel blaſphemia accenſetur caſibus reſervatis, vel gravi ſupplicio plectitur, ut metum hujus ſupplicii injiciant prudenter, non autem imprudenter ſuis pœnitentibus.

§. I.

Verba Blaſphema communia.

710 I. O *Injuſtum Deum!* II. *Deus eſt injuſtus, ſi non puniat meum hoſtem.* III. *Vah! qui deſtruis templum Dei, & in triduo readificas illud!* IV. *Viciſti Galilae.* V. *Non credo Deum; ſeu: abnego Deum, ſi ita res non eſt: Deus eſt injuſtus, ſi te non percuſſero.* VI. *Quod dico; eſt tam verum, quàm ipſum Evangelium.* VII. *Velit nolit Deus hoc faciam.* VIII. *Quid curo Mariam?* IX. *Carolus Borromæus fuit Naſo. Sancti Criſpinus, & Criſpinianus Sutores.* X. *Bibite, & inebriamini Chariſſimi.* Pro XI. *Statuo verba Rabſacis, de quibus* num. 694.

711 Pro his, & ſimilibus; gravioribus, levioribus, veris, aut apparentibus blaſphemiis dijudicandis, eſt in primis recolenda doctrina, quam ſapienter ſuo more expreſſit S. Thom. *2. 2. q. 73. art. 2. in corp.* ſcribens: *Peccata verborum maximè ſunt ex intentione dicentis dijudicanda.* Quæ doctrina habet etiam locum in verbis blaſphemiam ex impoſitione ſonantibus, & non ſonantibus, quibus enim cunque verbis utàre; non tamen eris reus blaſphemiæ in foro Dei, ſi abſit omnis tam indirecta, quàm directa intentio inhonorandi Deum, quia *divina judicia talia verba noſtra audiunt, qualia ex intimis proferuntur* S. Gregorius relatus Cap. *Humanæ, 22. quæſt. 5.* Vice verſâ punieris ut blaſphemus, ſi etiam ſanctiſſimis verbis inhonores ex intentione Creatorem tuum. In foro externo præſumeris fuiſſe eo ſenſu locutus, quem verba ex communi uſu tuæ patriæ indicant, propter legem *Labeo. ff. De ſupell. leg.* & quia *humanæ aures verba noſtra talia judicant, qualia foris ſonant.* S. Gregorius *cit. Cap. Humanæ aures.* In dubio autem, ſi non ſis infamis à libidine blaſphemandi, præſumeris non blaſphemâſſe, propter ſexcenties repetitum à Jureconſultis ex Leg. *Meritò. ff. Pro ſoc.* Axioma: *Non datur facilè præſumptio delicti.* Sin cognoſcaris eſſe aſſuetus proculcationi hominis, numiniſque divini, in te quadrabit illud ſolenne: *Semel malus ſemper præſumitur eſſe malus.* De quo repete dicta ſuprà *Caſ. 19. num. 680.*

Secluſa autem hac, aut illa ſpeciali intentione, dicendum eſt, Tres priores ex allatis lo- 712
cutionibus continere apertè blaſphemiam, quia convenit eis definitio, & explicatio blaſphemiæ allata ſuprà *num. 697.* & *ſeqq.* Si quis autem diceret. *O qui deſtruis templum Dei, & in triduo readificas illud, redde mihi amiſſam valetudinem*, piè loqueretur, impiè, qui dixerunt *Vah!* hæc enim interjectio eſt inſultantis, aut abominantis.

IV. Utique blaſphemavit impius Apoſtata Julianus, dum eructavit illa duo verba, quia ex contemptu in illum ipſum, ad cujus tribunal erat jam jam rapiendus à legione tartareorum carnificum, attamen per ſe nullum omnino probrum continet ea compellatio, quare ſingulariter applicanda fuit Juliano gnome relata ex S. Thoma, & S. Gregorio *numero præced.*

De Quintæ phraſis utroque membro eſt diſſen- 713
ſio. Etenim P. Tamburinus in Decal. *Lib. 2. cap. 6 §. 4. num. 22.* contra P. Sanchez *Lib. 2. Moral. cap. 32. num. 24.* & P. Palaum *Part. 3. Diſp. 2. punct. 2. §. 3. num. 3.* inficiatur, eſſe blaſphemum, eò quòd talibus verbis non velimus indicare exiſtentiam, vel juſtitiam divinam dependere à noſtra pravitate, vel executione hujus, illiúſve boni, malive propoſiti, quod utique foret perquam ignominioſum Deo. Sed quidquid ſit, hujuſmodi locutio eſt quoad primam partem valde ſcandaloſa, ac proinde tametſi non indicet apertè vilipenſionem Dei, dat tamen audientibus occaſionem vilipenſionis. Ergo ſi abſque gravi cauſa uſurpetur coram indoctis, erit graviter peccaminoſa uſurpatio. I-
mò non me pœnitet ſcripſiſſe ſuprà *Caſ. 15. n.* 714
485. illam: ſcilicet: *abnego*, ſeu *nego Deum*, eſſe blaſphemiam cum ſuo autore, id eſt uſurpatore ad imâ tartara relegandam. Sicut è diverſo negavi *num. 484.* blaſphemari ab eo, qui de re, quam habet pro omnino certa, dicit: Eſt hoc tam verum, quàm quòd Deus ſit in Cœlo: Id ipſum probabiliter dic de uſurpante verba ſecundi è duobus membris ejuſdem locutionis, & judica, eſſe potiùs hyperbolicam locutionem, & comparationem, quàm blaſphemam, qualis utique foret, ſi acciperetur propriè.

Utenti phraſi ſeptima convenit id, quòd Ju- 715
dæi falſiſſimè dixerunt de Chriſto: *Hic blaſphemat.*

Octava, & Nona locutio petit illam quæ- 716
ſtionem, an, & quatenus cavillationes, convitiáve in Sanctos, annumeranda ſint propriè dictis blaſphemiis? Quam quæſtionem reſolvam infrà *numero 757.* Interim obſervo, rectè, atque ſingulariter à Sanctgallenſibus *Tom. 7. cit. Tract. 3. Sect. 2. quæſt. 1. dub. 2.* negari; eſſe blaſphemiam, tametſi quis S. Carolum

lum Borromæum ex contemptu illius, tanquam hominis, vocet Naſonem; quod ipſum pronuntiabis de dicentibus: *Criſpinus, & Criſpinianus fuêre viles ſutores, Joſephus vulgaris faber, Joannes & Paulus Eunuchi.* Etenim omnis blaſphemia eſt neceſſariò convitiativa Dei. Suprà *num. 697.* & *703.* nullum autem convitium jacitur in Deum, quando etiam per contemptum inſtituitur ſermo de defectibus naturalibus nimis honoratorum amicorum iſtius, ſed eſt tantùm peccatum, idque mortale contra duliam. Sanctgallenſes *loc cit.*

717 *At quid ſi ex ſolo joco compellentur tales?* Reſpondent iidem poſt Bonacinam, & Sanchez, intervenire culpam ſolam venialem, quibus aſſentior. At periculoſum eſt jocari cum illis, quorum Principatus, adeóque principalis dignitas dicitur eſſe nimis confortata.

718 Decima oratio tangit difficultatem, utrùm abuſus S. Scripturæ, & quatenus ſit computandus in blaſphemiis? Qua in re certum eſt, illas e.g. meretriculas eſſe dignas, quæ fulmine petantur, dum ei, cum quo ſæpius conſueverunt, neſcio, à quo Cacodæmonis mancipio doctæ dicunt: *Domine probâſti me.* Etenim non poteſt non cedere in graviſſimam injuriam verbi divini, & conſequenter illius, cujus digito id ſcriptum eſt, abuti illo ad res nefarias, ac generatim ſcribit Suarez *Tom. 1. De Relig. Tract. 3. cap. 6. Quando eſt tantus abuſus divinæ ſcripturæ, ut veritati, & autoritati talium verborum derogetur, profectò contumelia tranſibit in autorem illorum, & malitiam blaſphemiæ participabit.*

719 Quapropter foret hoc ipſo ſubitaneo ſupplicio dignus, qui verbis illis: *Bibite, & inebriamini Chariſſimi*, uteretur, ſeu potiùs abuteretur ad perſuadendam alicui ebrietatem, potúmve exceſſivum, ſicuti liquet ex iis, quæ diſſerit Graſſiis *Deciſ. aurear. Lib. 2. cap. 19. num. 17.* & huic blaſphemiæ jungi malitiam ſacrilegii circa res ſacras patrati clarum eſt ex deſcriptione ſacrilegii, quòd ſcilicet ſit indecens rerum ſacrarum tractatio, ſeu earundem violatio. Quemadmodum autem non omne ſacrilegium continet noxam lethalem, ita neque omnis irreverens tractatio Verbi divini. Unde excuſantur à mortali utentes ad honeſtos jocos, quibuſdam textibus ſacrorum Codicum, non autem quibuſcunque. Siquidem omnes, aut ferè omnes Chriſtiani cenſent, graviter inhonorari Deum, ſi quis etiam joco de ſuo corpore, appoſitâ ad illud manu dicat: *Hoc eſt corpus meum.*

720 Illa Centurionis Evangelici humillima profeſſio: *Domine non ſum dignus*, conſuevit in rebus profanis ita frequentari, ut nullum prorſus ſcandalum inde oriatur, nec ulla imminutio divini honoris, quare necdum damno culpæ lethalis, ſecùs, ſi ad laſciva adhiberetur. Remotiores adhuc à blaſphemia ſunt, qui aut in convivio, in quo aliquamdiu nemo locutus eſt, depromunt illud ex Apocalypſi: *Factum eſt ſilentium magnum*: aut homini auſteri, melancholici vultûs applicant illud ex pſalmo *147. A facie frigoris ejus, quis ſuſtinebit*? aut amico dicunt: *Sede à Dextris meis.* Conſentit Suarez *loco citato numero 17.* ſic ſcribens: Etſi nonnulli blaſphemiis annumerant abuſum verborum S. Scripturæ ad jocos profanos, aut actiones ludicras, & ſimilia, hoc tamen vitium regulariter eſt potiùs Sacrilegium, quàm blaſphemia. Nec diſſentit Tamburinus *loco citato numero 17.* tametſi Jacobus de Graſſiis *Libro 2. capit. 19. numero 17.* abſolutè pronuntiet, etiam tales peccare mortaliter, eò quòd ſit immanè ſcelus verba Spiritus Sancti in ludibria convertere. Quæ tamen cenſura eſt injuſta reſpectu illorum, qui ad ſimilia utuntur verbis tantùm materialiter ſacris, ut ſunt, quæ in Bibliis non aſſeruntur, ſed referuntur, ſeu narrantur duntaxat tamquam prolata ab aliis. Sicut illa Judæorum. *Audiſtis blaſphemiam? Non habemus Regem niſi Cæſarem.* Equidem non video ullam irreverentiam in profano uſu horum verborum. At per abuſum formaliter ſacrorum, id eſt illorum, quæ Deus ipſe per ſe, divinóſque ſcriptores tradidit, vel à Sanctis dicta approbavit, tantò gravius ſacrilegium, aut blaſphemia admittitur, quantò ſacratiora myſteria ſignificant. Atque ita olim reſolvit in conferentia Caſuum domeſticorum commendatus alibi à me P. Simon Felix.

721 In Rabſacis Oratione continentur abſque dubio tres illæ blaſphemiæ, quas ſignificavi *numero 693.* ſiquidem ſingulæ tum ex ſe: tum ex intentione tam Sennacheribi, quàm Rabſacis dirigebantur ad imminutionem honoris Domini Dei Sabaoth, ideóque multò juſtiſſimè caſtigatam tum internecione centum octoginta quinque millium militum, illata à bono (ſicuti apud Salianum *ad Annum Mundi 3324.* indicant Sanctus Hieronymus, & Abulenſis) genio: tum nece ipſiuſmet ſtolidiſſimi Regis illata à proprio filio.

722 Pro XII. Blaſphemia addenda eſt tum illa, quæ fit, ſed à ſolis Ethnicis, jurantibus per ſuos Deos, tanquam teſtes infallibiles veritatis, quam omnium blaſphemiarum nefandiſſimam appellat Sanchez *citato Capite 32. numero 9.* addens non immeritò cum Alcazar, contra Suarez, carere labe blaſphemiæ, ſi per jocum, animóque Deos irridendi juretur per eos. Tum illa, quam ſuo Chirographo ſignavit Solymannus, jurando per impuriſſimum Mahometem, quemadmodum deſcripſi ſuprà *Caſu XV. numero 447.* Cedit quippe in divinæ Ma-

jeſtatis contumeliam tribuere, cuicunque creaturæ, præſertim ſceleratiſſimæ, aliquod attributum Deo proprium, ſicut eſt infallibilitas.

Et id quoque cedit in probrum Dei, quod Alphonſus X. Hiſpaniarum Rex, ut refert Juſtus Lipſius *in exemplis Politicis Lib. 1. cap. 4.* Atque ex eo P. Drexelius in Phaëtonte *Capit. 2. §. 3.* dicere auſus fuit: *Si principio mundi ipſi Deo adfuiſſet, multa meliùs, ordinatiúſque fuiſſe condenda.*

723 Sed & rectè ex communi ſenſu fidelium ſcribit Bonacina *loc. cit.* & Tamburinus *cit. Cap. 6. num. 15.* eſſe generatim blaſphemis verbis accenſenda illa, quibus, aut Deo, ejúſve Sanctis aliquod malum precamur, aut Deum verbis obſcœnis laudamus, talis enim laudatio eſt potiùs irriſio. Lege ſi placet ea, quæ in Quinario *Tract. 5. cap. 49.* ſcripſi de cantantibus laſciva ſub officio divino, atque adde ex eodem Tamburino, aliiſque, quando laſcivi juvenes ſuas pellices, vel Amaſias, appellant ſuas Deas, communiter loqui tantùm hyperbolicè, non dubito tamen, quin horum aliqui adeò perditè, atque impiè haſce ſtercoreas creaturas depereant, ut iis æquè conveniat illud teſtimonium Paulinum: *Quorum Deus Venter eſt*, ac nonnullis Verbi divini corruptoribus propriè convenire notavi ex Leſſio, & Baldello in allegato Quinar. *cit. Tract. 5. cap. 23. Sect. 2. Subſect. 5. num. 29.*

§. II.

Blaſphemiæ propriæ.

Quà Italorum, quà Hiſpanorum, quà Gallorum.

724 Harum primas, & ſecundas repræſento ex Didaco Covarruvia in Cap. *Quamvis pactum. De pactis in 6. §. 7. num. 21.* Menoch. *De arbitrar. jud. Caſ.* 375. P. Sanchez *cit. Lib. 2. Moral. Cap.* 32. Et P. Tamburino *cit. Cap. 6. §. 4. num. 15.* I. *Malgrado habbia Idiò:* id eſt: malum Deo contingat. II. *Al diſpetto di Dio, vel di Di.* III. *Nego*, ſeu *renego Deum*, quam blaſphemiam eſſe communem Italis, & Hiſpanis diſco ex Sanchez, & Tamburino, & nimis ſæpe uſurpari à Gallis, ſeu Gallicè loquentibus didici puer. IV. *Deus nequit hoc, aut illud facere.* V. *Deum tædeat: Deo diſpliceat.* VI. *Per vitam Dei ita eſt.* VII. *Caput Dei: Venter Dei*, ſeu: *per Caput Dei: Ventrem Dei: per viſcera Dei: per pudenda Dei.*

725 Prima illarum eſt propriè blaſphemia, cùm cenſeatur eſſe graviſſima inhonoratio, ſi quis aut patri, aut Regi, præſentibus audientibus malum precetur, audit verò, éſtque præſentiſſimus Deus, quando illi maledicis. Unde teſtantur Covarr. & Sanchez *loc. cit. num. 12.* in Jure Hiſpanico annumerari veris blaſphemiis, quod & *num. 15.* teſtatur de ſecundæ formulæ primo membro, & meritiſſimò, licèt nonnulli apud ipſum negent eſſe blaſphemiam, comminiſcentes explicationem alienam à communi uſu. De ejuſdem ſecundæ formulæ membro ſecundo videbimus infrà *num. 747.*

Tertia aliquando abſolutè profertur, aliquando hypotheticè, ut: *Nego Deum, niſi hoc aut iſtud fecero*, & quidem ſæpiſſime hac phraſi firmant ſua propoſita de vindicta ſumenda, alióve malo patrando, quod dum faciunt, rei ſunt triplicis ſceleris, ſcilicet in primis illius, quod repugnat virtuti, contra quam militat malum propoſitum. Deinde illius, quod *Caſu 15. num. 463.* dixi admitti à firmantibus ſua prava propoſita invocatione divini Nominis. Tertiò blaſphemiæ, qua divinam exiſtentiam volunt quaſi pendere ab executione mali propoſiti, de quo ſuprà *num. 715.* Mihi revocanti in memoriam illos, quos novi aſſuetos uſurpationi horum verborum, eſt perſuaſiſſimum, eos perſæpe cum quadam diſplicentia Numinis, & quaſi indignatione, malevolentiáque in illud hæc eructare verba. Jam pridem elatus eſt Princeps, qui etiam quando malè cedebat luſus grandis pilæ, ſublatis in cœlum oculis, & pugnis, ac frendens dicebat iteratò ſuâ, quam non nomino, linguâ: *Renego Deum.* 726

Quartò, qui de objecto implicante contradictionē dicit, illud non poſſe fieri à Deo, non blaſphemat per ſe loquendo, utpote qui dicit ipſiſſimam veritatem. Quia tamen teſtatur Sanchez *l. c. n. 17.* hanc locutionem inter blaſphemas ſtatui Jure, ſeu ſcriptis legibus Regiis Iberorum, ex iis autem, quæ rarò accidunt, non ſolent jura conſtitui, *Leg. Ex his*, & Leg. *Nam ad ea ff. De Legib.* fatendum eſt, ſi non omnes, certè multos ex iis Hiſpanis, qui uſurpant illa verba, illis ipſis uti vel quando eſt ſermo de objecto poſſibili, vel cum inſultatione quadam, ſeu quaſi inſultando Deo, quòd, cùm velit dici omnipotens, nequeat efficere, ut tria ſint æqualia, mulier corrupta ſit Virgo &c. 727

Quinta, quam Covarruvias, & Sanchez *loc. cit. num. 17.* teſtantur etiam interdici Lege Hiſpana tanquam blaſphemiam, omnino eſt pro tali habenda, ſi referatur ad res bonas, & ſanctas, repugnat enim bonitati divinæ, faſtidire tales, non autem faſtidire malas, perverſáſque. 728

Sexta eſt dubia, & hîc & nunc dijudicanda ex ſola ferè intentione adhibentis illam, juxta aurea pronuntiata Sanctorum Gregorii, ac Thomæ repræſentata ſuprà *num. 711.* Si enim ex hujus intentione efficiat hunc ſenſum: Pereat vita Dei, ſeu moriatur Deus, ſi fallo, involvit apertam blaſphemiam. Si autem hunc; 729

Quàm verè vivit Deus, tam ego vera loquor, non olet ullam per ſe irreverentiam. Covarruvias *loc. cit.* P. Sanchez *numero 25.* cum multis æſtimat, communiter ab ita loquentibus intendi primum illum diabolicum ſenſum; Pater Tamburinus *num. 23.* negat poſt Decianum Jureconſultum. Et quia Covarruvias, atque Sanchez non ſolùm teſtantur, hanc locutionem ceu blaſphemam ſeverè inhiberi Jure Regio, & inſuper Hiſpani Doctores, quos citat Sanchez, habent eandem pro tali, idcirco fit mihi veroſimillimum, pleroſque Hiſpanos eſſe reos blaſphemiæ coram Deo, quando utuntur talibus verbis in aliqua paſſione. Siculos autem, inter quos ſcripſit P. Tamburinus, laudabiliter curioſus in examinandis ſuorum Siculorum moribus, uſurpare ut juramentum, nec ſcandalizari auditores, quando uſurpantur in re ſeria, proinde ſi quibus etiam aliis familiaris eſt ea phraſis, non eſſe in dubio damnandos de blaſphemia, & ſic intellige ea, quæ breviter indicavi ſuprà *Caſ. 15. num. 489.*

730 Septima verſatur, prô dolor, nimis ſæpe in ore eorum, tam qui ſolâ linguâ, quàm qui natione ſunt Galli, & quidem jam ſine, jam autem cum præpoſitione *Per*, ut Itali, Par, ut Galli, ſeu Francigenæ, ut loquitur, & docet Boërius ipſe Gallus *Deciſ 301. num. 14.* & quia omnes pii propè contremiſcunt ad ejuſmodi verba, tanquam cedentia in manifeſtum probrum, deſpectum, aut vilipenſionem Dei, eam ob rem illa ſemper annumeravi verè, & propriè blaſphemis, ſingulariſſimè illud poſtremum etiam idcirco ſummè deteſtatus, quòd audientibus præſertim mulieribus, & adoleſcentibus (nec enim verentur hæ Stygiæ buccæ talia effutire coram talibus, & propriis liberis) ingerunt imaginationes ſummè indecoras, ac faceſſentes diuturnas moleſtias, nec lubet alia de his huc adducere, niſi quod Silveſter verb. *Blaſphemia* meritiſſimò tales vocet *Ribaldos*, voca & tu. Jam gradum facio ad precationes, ſcilicet, prope ſolis Germanis familiares.

§. III.

Blaſphemiæ Germanorum.

731 Quia mei Libelli leguntur etiam in Italia, in qua & recuſi, atque in Gallia, Poloniáque, his autem gentibus eſt nimis Peregrinus character Germanicus, eam ob rem non modò latinè reddam verba Germanica, ſed eadem quoque exprimam typo latino, illo autem, qui vocatur à pleriſque *Curſivus*, ab aliis *Gryphius* teſte Caramuele in erudito, utili, & curioſo Syntagmate de *Arte Typographica*, quod in Editione Lugdunenſi An. 1664. annexum eſt Theologiæ Præterintentionali.

732 Prima, & innumeris propè *intercalaris* eſt: *Sacrament*: *Sacramentum*, ita tamen, ut rarò pronuntietur ſine aliqua particula adjecta, vel ad initium, vel ad finem. Itaque ſicuti eſt in iis Teutonibus, qui ſalem Italicum, vel Gallicum linxerunt, familiariſſimum dicere: *Per Dio*, *Par Dieu*, ita iis, qui callent ſolum idioma Germanicum eſt II. in uſu non ſolùm *Bey Gott*, per Deum, ſed etiam: *Beym Sacrament*: per Sacramentum. III. *Botz herrgott*: *Botz hundert herrgott*, quæ ſyllaba: *Botz* nihil ex ſe ſignificat, ſed eſt ſolùm interjectio, & communiter ſignum alicujus admirationis. IV. *Gotts Sacrament*: Deus, aut Dei Sacramentum. V. *Bluet Sacrament*: ſanguis Sacramentum. VI. *100. 1000. 100000. Sacrament.* VII. *Sacrament ſchend.* VIII. *Sacramentiſche Huer*: ſacramentalis meretrix: *Sacrament Schelm*, Sacramentum, ſeu ſacramentalis nequam &c. IX. *Tonner Sacrament*: Tonitruum Sacramentum. X. *Gotts Creutz*: Dei Crux. *Gotts Wunden*: Dei vulnera. XI. *Das dich Gott Schend.* XII. *Das dich Gotts Chryſam*: *Gotts Leyden*: *Gotts Sacrament*: *Gotts Bluet ſchend.* XIII. 1000. 100000. *Saffrement.*

733 Porrò horum jacula verborum aliqua jaciuntur in homines, alia in res diverſas ab homine, alia nec in has, nec in illos. De ſingulis promam meum, aliorúmque uſuperitorum à me lectorum, & interrogatorum judicium.

734 I. Non eſt cenſenda continere pluſquam irreverentem uſurpationem illius ſacri nominis. Laymannus *Lib. 4. Tract. 10. cap. 6.* quod ipſum aſſerit de dicentibus *Gotts Wunden*, *Gotts Chryſam*: &, proinde ſubdit, debere abſolutionem impertiri Centurioni, aut Tribuno confitenti, ſe ſolere in ira ſine ulla mala intentione hæc fulmina verborum jacere in milites, idcirco, quòd nequeat aliâ ratione incutere eis timorem, & reverentiam debitam; debere, inquam, abſolvi, etſi non proponat firmiter deſiſtere. Quæ doctrina quatenus ſit vera pluribus indicabo infrà *num. 743.* & *749.* juncto *num. 756.*

II. Non eſt plus, quàm juramentum, ſed plerúmque minimè neceſſarium, & proinde repugnans per ſe loquendo ſoli ſecundæ conditioni cohoneſtanti juramentum, & explicatæ ſuprà *Caſ. 15. num. 459.* Licèt ergo difficulter excuſarem à peccato mortali hominem Religioſum, utentem hac tota ſecunda formula, re enim vera & ſuammet Religionem graviter infamaret, & valde ſcandalizaret auditores, ſaltem altero membro hujus elocutionis, facilè tamen excuſo ipſos ſæculares Laicos (Clerici fortè alicubi jam ſunt ita noti à libidine effutiendi hæc verba,

ut

Digitized by Google

ut nemo ampliùs in eo diſtrictu ſcandalum inde ſumat) à mortali , etſi de die centies , ut plurimi , temerent hac ratione Sacroſancta myſteria.

735 III. Quoad primum membrum patet ex nunc primùm dictis, eam eſſe immunem à blaſphemia , etſi non ab omni irreligioſitate, altera adjungens ſigno admirationis *Botz herr gott. Dominus Deus*: ſeu *Dominum*: itidem continet etiam ex audientium ſenſu ſolum peccatum aſſumentium Nomen Dei in vanum , notántque ſingulariter Sanctgallenſes *Tom.7. Tract. 3. ſect.2. quæſt.1. dub.2.* At tertia : *Botz hundert herrgott. Botz centum Dominus Deus* (ut verbum verbo reddam) eſt certo blaſphema , vel hæretica , ſi proferatur eo ſenſu, quem præſens formula Grammaticaliter, & cum ſoloeciſmo ſumpta ſuggerit, ſiquidem honori divino plurimùm derogatur, ſi ſeriò dicantur eſſe centum Domini Dei, aut centum Dominus Deus, at ſi proferantur non attendendo ullatenus ad ſenſum Grammaticalem ; ſed ſolùm intendendo dare ſignum alicujus admirationis , alteriúſve paſſionis, rurſum dico , intercedere ſolùm venialem culpam irreverentis nominationis. Et verò ſcio eſſe multos,qui nullo modo unquam attendant, vel attenderint ad Grammaticalem ſenſum, de quo paulò antè, quique abſtenturi fuiſſent , ſi vel ſuſpicio de tali ſenſu oborta fuiſſet, alii, ut certiùs evadant periculum blaſphemiæ, dicunt : *Botz herrget*, mutatione literæ *o* in *e* efficientes, ut illic non nominetur Deus, nilque ſignificetur. Igitur erit Confeſſarii quærere, quid cogitàrit pœnitens, dum ita loquebatur, & hortari, ut deſiſtat à formula non mutata, ſaltem propter liberos , & alios domeſticos , fortè inde in gravius peccatum inducendos.

736 Formula quarta non exhibet quidquam ex ſe culpabile , ſum tamen expertus , ſcandalizari mulieres, & juvenes ; indignari conſcientiæ Religioſæ viros, qui hæc audiunt. Hanc circumſtantiam eſſe tam gravem, ut ſit explicanda in Confeſſione nolo primus ſcribere. Certè P. Tannerus *Tom. 3. Theologiæ Scholaſt. Diſp. 1. quæſt.8. dub.7. num. 13.* de Germanis ſic ſcribit: „ Qui , ut fieri ſolet, ex indignatione ſolùm „ erga hominem , aut beſtiam &c. non erga „ Deum temere pronuntiaret Corpus , vel San„ guinem,vel Vulnera Dei, vel Sacramenta Dei, „ nihil ulteriùs perverſi ſubintelligendo , nec „ aliis circumſtantiis ſignificando,ſe malè erga „ Deum, aut res ſacras affectum eſſe, is quidem „ vana pronuntiatione rerum ſacrarum , quin „ etiam ſæpe ratione ſcandali ; vel propriæ „ conſcientiæ graviter peccabit , ſed veram , & „ formalem blaſphemiam non committet. Ita „ Tannerus poſt Cajetan. & Valentiam.

Noto autem pro extraneis, ad intelligentiam hujus ejuſdem , & proximè ſecuturarum formularum , Germanos Nobiles, & ignobiles longè plurimos conſuêſſe Sacramentis liberrimè annectere in fine, aut initio nominationis Sacramenti jam hoc, jam illud verbum ſanctū, profanum , ſpurcum , & id quandoque in colloquio familiari , ſeu extra omnem paſſionem, plerumque verò in paſſione iræ, in hujuſmodi autem copulatione plerumque valde informi contineri manifeſtam inhonorationem Sacramenti ; non tamen in omni ; ac proinde licèt pleræque ejuſmodi copulationes ſint peccamino ſæ , non tamen omnes per ſe pertingere ad noxam mortalem, ut oſtendo examinando ſingulas à formula quinta incluſivè (jam enim aperui meum ſenſum de tertia) uſque ad decimam excluſivè.

Itaque quinta tametſi nihil falſi , vel indecori ex ſe ſonet , cùm Sacramentum Euchariſtiæ ſit propriè Sacramentum Sanguinis , & omnia reliqua rectiſſimè indigitentur Sacramenta Sanguinis , utpote ſuam omnem energiam trahentia ex Chriſti Sacroſancto Sanguine. Inprimis tamen certum eſt, habitum iri pro detritæ frontis,& conſcientiæ homine Clericum, & maximè Religioſum, qui deliberatè , & ex more effutiret unam è ſex indicatis, ſeu à quinta ad decimam excluſivè. Deinde graviſſimè offendi aures omnium piorum talia audientium. Tertiò ſaltem crimen ſacrilegii latere in ejuſmodi connexione pleraque,denique etiam ſæpiſſimè ſcelus blaſphemiæ propriè dictæ , ac proinde confeſſarium in conſcientia teneri ſaltem exquirere numerum talium caninorum è ſtyge latratuum. Declaro ſigillatim. 737

Itaque licèt Sanguis Chriſti nequaquam ſit æquè ſanctus , atque Deus ipſe , attamen Chriſtiani Catholici apprehendunt in quinta formula majorem irreverentiam , quàm in quarta, fortè idcirco, quòd credant, utentes quarta partim non facere tantam reflexionem , quantam faciunt in quinta , partim non eſſe tam perverſos, ut velint directè vilipendere Deum, utpote evidentiſſimè ſummum increatum bonum,apud utentes autem quintâ Sanguis Chriſti non ſit pluris , quàm ſanguis hircorum , & taurorum, & cinis vitulæ, ut loquar cum Apoſtolo *Hebr. 9. verſ. 13.* 738

Sextam ego cum Tannero *Theolog. Scholaſt. Diſp. 5. cit. quæſt. 8. num. 134.* atque Laymanno *Lib. 4. Tract. 10. cap. 6. num. 12.* ſemper habui pro blaſphema , propter hæreticam ex ſe , & cum vilipenſione multiplicationem Sacramentorum , quod quidem certiſſimum eſt de illis patibulo dignis abortibus naturæ, & Ribaldis, ut Silveſtri epithetum uſurpem, qui conſueverunt eructare tonnas , & milliones Sacramentorum, & de quibus P. Drexelius in Phaëtonte *cap. 6. §. 5.* referendus infrà *Caſ. 21. num. 122.* horum linguæ ſunt propriè *vehicula Diaboli* , ſicuti blaſphemos indigitat S. Chryſoſtomus apud eundem Drexelium *loc. cit. cap. 7. §. 1.* 739

Septima eſt evidenter blaſphema ; ſi proferatur in eo ſenſu, in quo proferri cenſuit nonnemo teſte P. Tannero *loc. cit. dub. 7. num. 136.* 740

Iii 4 impre-

Digitized by Google

imprecando videlicet, ut Sacramentum, vel Deus, juxta undecimam formulam, turpi, & venereo modo corrumpat hunc, vel hanc &c. at nego cum eodem Tannero, eſſe hunc communem ſenſum, ſed potiùs illum, quem Comici exprimúnt hiſce verbis: *Dii, Deǽque te perduint verbero: maſtigia &c.* hoc enim Teutonicum verbum *Schenden*, vel Schänden vulgò ſignificat, ut obſervant Sanctgallenſes, deſtruere, perdere, contaminare, & etiam, ut notat Tannerus, zu ſchanden machen/ pudefacere, ſicut ſine dubio poteſt Deus ſummo jure hæc decernere in improbos.

741 Nihilominus tamen iidem Sanctgallenſes *cit. dub. 2.* meritò agnoſcunt indirectam in uſu talium verborum blaſphemiam, ideóque hanc informem formulam ſtatuunt pro paradigmáte blaſphemiæ indirectæ, addentes, quamquam hæc verba: Daß dich Gott ſchänd: daß dich Gotts Chryſam: Gotts Leiden: Gotts Sacrament ſchänd; jactata ex impatientia in hominem, & aliam creaturam, non ſint graviora cæteris peccatis Religioni oppoſitis, eſſe tamen peccata mortifera ſatis magna, quia graviter lædunt honorem divinum. Ita illi.

742 Octava de ſacramentali meretrice, & nona de ſacramentali nebulone prolata ex conſuetudine deliberata, demonſtrat, Sacramenta vix pluris fieri à tali blaſphemo, quàm corium à futore, nec eſt pius Chriſtianus, cui non moveatur bilis, quando ejus aures feriuntur tali verbere vocum æternis ſuppliciis mulctandarum. Quamobrem & illi accenſendi ſunt blaſphemis, qui vel ſemel plenè deliberatè ſic loquuntur: Idem pronuntio de utentibus Nona formula.

743 De formula decima quomodo ex parte loquantur tum Laymannus, tum P. Tannerus retuli *num. 734. & 736.* Sanctgallenſes *cit. dub. 2.*
„ ſic ſcribunt: Si dicantur hæc, aut ſimilia ver-
„ ba: *Gotts Creutz* (Dei Crux) *Botz Sacrament:*
„ *Botz herrgott*, hoc dicendi modo neque Deo
„ aliquid attribuitur, quod ipſi non conveniat,
„ neque negatur, quod ei tribuendum ſit. Ve-
„ rùm tametſi talia verba ſacra in rixa temere,
„ & irreverenter prolata non ſint propriè blaſ-
„ phemiæ, ſunt tamen peccata cujuſdam irre-
„ ligioſitatis, ſive ſacrilegii altero Decalogi
„ præcepto prohibita: *Non aſſumes nomen Do-*
„ *mini Dei tui in vanum*, eſſe tantùm venia-
„ lia ajunt Cajetanus, V. *Blaſphemia*, Arimi-
„ nenſis, & Sanchez *cap. 32. num. 30.* contra
„ Suarez *cit. Lib. 1. cap. 6.* Quamvis ob ſcanda-
„ lum, vel periculum formaliter blaſpheman-
„ di mortalia fieri poſſint, ideo homines à tali
„ apparente blaſphemia ſunt abſtinendi. Ita
744 illi. Equidem P. Buſenbaum in ſua meritò toties recuſa Medulla *Lib. 3. Tract. 2. cap. 1.* loquens de dicente: *O Dei mors, Vulnera &c.* ſic concludit: *Propter periculum incidendi in blaſphemias „ & quia raròabeſt ſcandalum, ac nihilominus apud audientes Deus, ejúſque ſacra cenſentur inhonorari, raròexcuſarem* (ſubaudi: à mortali) nam priùs tales poſt Cajetanum per ſe damnaverat de graviveniali. Unde apparet, quid ex ejus ſenſu ſentiendum ſit de prorſus deteſtanda formula undecima, de qua etiam nos ſuprà *num. 740. & 741.*

Decima tertia nihil mali continet ex ſe, 745
cùm ſit vox nihil ſignificans, ſolita tamen à Germanis uſurpari eo fine, ut oſtendant, ſe ſeriò loqui, aut iraſci, non audentes autem ob reverentiam debitam Sacramentis, ea integre nominare corrumpunt in una ſyllaba verbum: *Sacramentum*: Nec quiſquam ſcandalizatur audiens tale verbum uſurpari, quin imò habetur pro homine conſcientioſo, & Religioſo ſæcularis, qui ſic loquitur, aut dicit: *Bey Gotſch*, ego autem pro valde irreligioſo illum Religioſum, qui quaſi de more proferret illa verba, ſicut & qui in indignatione nominaret diabolum ſine addito vel cum addito: Der Teuffel hol: *diabolus auferat &c.* nec cenſeretur in noſtro Ordine ille Superior rectè fungi ſuo officio, qui non mulctaret publica pœnitentia unum è ſubditis, ita locutum publicè, ſaltem poſt admonitionem.

Germanos aliqua ex parte imitantur Rau- 746
raci Bruntrutani, Delemontani, corúmque accolæ, hi enim quando ſeriò imprecantur alicui genium infernalem, dicunt conformiter ſuæ dialecto minimè Atticæ: *Lo diaile: lo cincent diaile tanpottet*, & ad literam: *Quingenti Diabolus* (hic ſoloeciſmus latinus eſt multò excuſabilior illo morali) *te auferat*, at verò volentes tantummodo incutere terrorem, dicunt: *lo ruale, lo cincent ruale tanpottet.* Similiter teſtatur P. Tamburinus *cit. cap. 6. §. 4. num. 20.* in quibuſdam locis Italiæ eſſe morem, ut dicatur: *Al diſpetto di Di*: Rinego Di: In deſpectum *De*-(ſorbendo literam *i*) Renego *De*-tacitâ ſyllabâ *um*, negat contra Bonacinam in Decal. *Diſp. 3. quæſt. 8. punct. 2. num. 11.* eſſe ſic loquentes abſolutè damnandos de blaſphemia, ſed illos ſolos, qui, ut in Inſubria, nomen Dei faciunt ex more patrio monoſyllabum, meritò enim præſumuntur etiam in foro externo tales intelligere illo ſuo monoſyllabo Tetragrammaton Jehova, at ii, quibus Deus eſt diſſyllabus, vel triſyllabus *Dio*, aut *Iddio*, hoc ipſo quòd ſint contenti monoſyllabo, judicandi ſunt idcirco abſtinere enunciatione ſecundæ ſyllabæ, ne temerent nomen Altiſſi-
mi. Quando Ruricolæ confitentur ſe dixiſſe 747
Safframent, aber nit geſchendt/ quandoque ſuſpicor dixiſſe: *Sacrament*, quia ad ita ſuſpicandum me induxit experientia: quæ etiam docuit fuiſſe quidem verè dictum Element/ at quando fuit additum ſchendt/ interveniſſe propriè dictam maledictionem, ſeu imprecationem.

Cæterùm quia, ut dixi, vel inſinuavi non 748
ſemel in hac prolixiore, ac deſtinaveram Sectione, ut rectè pronuntietur, utrum hîc, &

nunc

nunc ſit revera blaſphematum, rationem ſingularem eſſe habendam circumſtantiarum, adeóque moris uſitati in aliquo loco, ſeu provincia, refero valde ſingularem

Caſum, cujus ſum teſtis auritus.

749 *CUm enim Anno 1638. migrans Friburgo Helvetiorum Lucernam, tranſirem (ſingulari de cauſa) per Surlacum, oppidum Lucernenſis, ſeu Dominii, ſeu protectionis, atque ad communem tabernam divertiſſem, nonnemo plebejus in eodem, in quo ego, conclavi potitans cum aliis, cæpit aliquoties ſine cauſa juſta nominare Sacramenta dicendo*: Sacrament: Beym Sacrament, *nec deſtitit niſi ægre, increpitus à caupone, ac demum juſſus faceſſere ex ædibus. Eo digreſſo convenit me caupo, ſeu diverſitor, precabundus, ne ſcandalizarer ad ejuſmodi voces blaſphemas, prorſus inſuetas id loci, at certo certiùs proximè mulctandas à magiſtratu graviſſimè.* Quibus ex verbis ego non irrationabiliter conjeci, illas duas voces haberi in eo oppido, & quidni in adjacentibus quoque pagis? pro verè blaſphema, vel morta-
750 liter irreligioſa. Equidem illis viginti quatuor Annis, quos tranſegi partim in ipſa Helvetia, partim in adjacente Helvetis urbe Conſtantia, obſervavi, eſſe apud Helvetos pleroſque tam rarum uſum locutionum ex communi Theologorum Germanicorum ſenſu blaſphemarum, ut cenſeam, non patrari in univerſa Catholica interiore Helvetia tot ejuſmodi crimina unius Anni decurſu, quot unius menſis ſpatio in tribus, vel quatuor oppidis, vel frequentioribus pagis unius provinciæ mihi non ignotæ, & quidem communiter impune. Et quia Sanctgallenſes verba illa, quæ deſcripſi ſuprà *num.*741. miſerunt recentiſſimè (nam decem illi docti, ſolidíque Tomuli Curſus Theologici prodierunt è prelo Anno primùm 1670. in lucem & quidem in Helvetia) præſumendum eſt, ea verba jam à pleriſque Helvetis haberi pro blaſphemia, an ergo etiam ab aliis Germanis? Nego conſequentiam, quia Helveti, ut dixi, ſunt etiam hac in re ſingulariter Religioſi.

SECTIO II.

Quotuplex ſit blaſphemia: An etiam poſſit admitti in Sanctos nondum Canonizatos: An in creaturas irrationales: An ejuſdem ſemper Speciei?

Caſus Accipitris blaſphemum caſtigantis.

SUMMARIUM.

Caſus Accipitris caſtigantis votifragum & Blaſphemum Aucupem. 751.
Quatuor diviſiones Blaſphemiarum ultra directam & indirectam, de qua Sect. præced. actum eſt. 754. & ſeqq.
An reſpectu Sanctorum committatur Blaſphemia? 757. & 770. §. Cæterùm.
Lutheri octo horrendæ Blaſphemiæ. 759.
Calviniani Poppæ Blaſphemia cælitus punita. 760.
Calvini ipſius quinque inſignes Blaſphemiæ. 761.
An Blaſphemia propriè dicta committatur in Beatos nondum Canonizatos? 762. & ſeqq.
An & in illum, qui necdum eſt beatificatus, imò adhuc mortalis? 769.
An etiam in creaturas irrationales? 771.
An omnes Blaſphemiæ ſint peccata Mortalia? 772.
An plures Blaſphemiæ ejuſdem ſpeciei uno continuo actu prolatæ ſint plura peccata? 776.
An in Blaſphemiis jactis contra Sanctos, quatenus in terris vivebant, detur parvitas materiæ? 777.
An omnes mortales Blaſphemiæ ſint ejuſdem ſpeciei? 778.
Quiſnam fuerit primus Blaſphemus? 781.

DYnaſtæ perilluſtris Auceps Æſalonis tertiarium omnino inſignem habebat, cui 751
perdices in dies ſingulos aucupari quàm plurimas ludus erat. Itaque ales homini aucupatoriam factitanti chara admodum, & pretioſa erat. Cùm verò tentata eſſet gravi valetudine, ita ut ejus ſalus deſperaretur, Auceps mærore tabeſcens monetur à Domina, ut votum concipiat, appenſurum ſe cereum librarum ſeptem in æde ſacra Deiparæ, cui nomen à Valle florida. *Concepto voto ales ilico perſanatur, & craſtina die ad aucupium adhibita pro more, decem perdices eſt aucupata. Proximo Sabbato auceps ab hera de voto concepto fruſtra monetur, altero rurſus ſabbato perſtat voti contemptor, quod negaret, B. Virginem cereo ſuo, ac reculis egere. Tertio Sabbato obdormiſcit in voti neglectu & cùm ales arbori, quæ in arcis area erat, ſana, & valens inſideret, advocatur ab Aucupe, & pro more prehenſurum chirothecâ è cervino corio obdu-*

obductâ infixo ei validè roſtrò quadrupliciter transfigit, ita ut nunquam deinceps, quantumvis adhibitis per chirurgum remediis explicare, & contrahere digitos miſer Auceps potuerit. Eo autem ſic mulctato, ales quaſi perfunctâ officio, mortua concidit. Fiſſum alitis cadaver abſque ulla veneni ſuſpicione apparuit, ita ut indubium omnibus fuerit, divinam manum in avis interitu ad mulctandum voti contemptorem interveniſſe. Franciſcus Damaſſon probatæ vitæ Religioſus, qui omnia oculis ſuis uſurpavit, teſtimonium perhibuit.

752 P. Theophilus Raynaudus inter cæteros rariſſimæ eruditionis Tractatus unum conſcripſit, conſtantem integra Centuria hiſtoriarum, quibus interfuit vel ipſe, vel alii, è quorum ore accepit, vel certè accepêre ii, qui immediatè recenſuêre P. Raynaudo. Eam centuriam meritò vocat *Pratum ſpirituale*, eſt enim Viridarium jucundiſſimum, in quo ſtationem octogeſimam obtinet hæc ultio illata ab Æſalone.

753 Eſt autem Æſalon genus accipitrum, quod ſolum ex omnibus conſueverat ætate Plinii ſenioris toto Anno perſiſtere in Italia, cæteris hyeme abeuntibus, ſicuti teſtatur ipſe in ſua Hiſtoria naturali *Lib. 10. cap. 8.* Et fateor quidem, hinc clariùs elucere malitiam violati voti, quàm blaſphemiæ, ac proinde ſuprà *num. 443.* cùm retuliſſem plura exempla vindictæ divinæ in Votifragos, recepi me aliud, adeóque decimum additurum hoc loco, nihilominus tamen illum contemptum Voti habuiſſe adjunctam aliquam ſeu irriſionem, ſeu importunum ſanè jocum in Deiparam, videtur ille modus loquendi ſatis indicare, & conſequenter mihi ſuppeditare anſam ſpecialiter inquirendi in hac Sectione, an, & quatenus comittatur propriè dicta blaſphemia in Sanctos? Igitur explicabo primo loco: *Quotuplex generatim ſit blaſphemia.* 2. *Quales ſint ii Sancti, in quos dicitur admitti blaſphemia.* 3. *Quomodo in creaturas irrationales.* 4. *Quomodo nonnulli Pontifices loquantur, & ſtatuant de blaſphemis.* 5. *Quid Confeſſario blaſphemi incumbat?*

754 Quæritur I. *Quotuplex ſit blaſphemia generatim?* Reſpondeo, præter Directam & Indirectam, de qua ſuprà *num. 701. & 702.* dividitur blaſphemia, ut pulchre exprimunt Sanctgallenſes *cit. Tract. 3. ſect. 2. quæſt. 1. dub. 2.* inprimis ex parte actûs, qui eſt exterior, vel interior, ideóque alia eſt merè *Interna*, alia *Externa.* Hoc jam etiam indicavi ſuprà *n. 699.* II. Ex parte cauſæ; hinc alia *Hæreticalis*, alia *Simplex*, ſeu *Non-Hæreticalis*, ut vocat Bonacina. *Hæreticalis*, qua vel expreſſè, vel implicitè aſſeritur aliquid de Deo, quòd ipſi non competit, ſeu quod repugnat ejus excellentiæ, vel negatur quod competit.

755 III. Dividitur ex parte modi, & ſic alia eſt *Enuntiativa*, ut quando per enuntiationem Logicam contrariam revelationi divinæ aliquid de Deo aſſeritur, vel negatur: alia *Dehoneſtativa*, ut cùm dicis: *O injuſtum Deum!* Ubi quia implicitè aſſeritur Deus eſſe injuſtus, eam ob rem committitur blaſphemia, quam ſuprà vocavi *Hæreticalem*, qua implicitè, & in actu exercito, etſi non ſignato, de Deo aſſeritur aliquid repugnans ejus Majeſtati, Bonitati &c. Pro exemplo ponit P. Sanchez *Lib. 2. Moral. cap. 32. num. 16.* ſi quis e. g. dicat: *Maledictus ſit Deus*: aut: *In deſpectum Dei hoc faciam.* Negat tamen Suarez *cit. Tract. 3. Lib. 1. cap. 5. n. 7.* ſimilibus verbis ſeu formaliter, ſeu virtualiter errorem ſpeculativum contra fidem contineri, quod & mihi videtur veroſimile, tametſi error practicus iis ineſſe dici queat.

IV. Dividitur blaſphemia ex parte termini, 756
ut videlicet alia ſit immediatè in Deum, ſicuti declarant exempla antè adducta, alia ſolùm mediatè in hunc, immediatè autem, vel in Sanctos, vel in aliquam creaturam, quatenus ea refertur aliquo modo ad Deum, ſicuti jam declaro ſigillatim.

Quæritur enim II. *An & quatenus reſpectu* 757
Sanctorum committatur propriè Blaſphemia?

Reſp. I. Quando aliquid per probrum, vel contemptum verè, aut falſò dicitur de illis, ſpectatis præciſè quatenus erant mortales, ſeu narratur aliquod eorum, olim probroſum factum cum illorum ut ſic aliqua vilipenſione, non admittitur blaſphemiæ peccatum, ſed ſolùm repugnans duliæ, & obſervantiæ Religioſæ, nec oportet confiteri tanquam blaſphemiam. Rationem attuli ſuprà *n. 716.* & conſentit Sanchez *cit. cap. 32.* cum aliis, contra alios apud Dianam *Part. 5. Tract. 5. Reſ. 4.* habentem pro probabili utramque ſententiam. Quod quidem peccatum eſt mortale, ſi de iis falſò aſſeratur quidpiam grave, quandoquidem etiam Cœlites retinent jus famæ, utique non minùs quàm Cacodæmones, de quibus tamen contemptim ſimul & falſò loquendo poſſe admitti crimen detractionis, notavi alibi ex Cardinali De Lugo.

Reſp. II. At verò afficere eos ut Sanctos ali- 758
qua contumelia, probro, convitio eſt blaſphemia, talis enim injuria, inhonoratióque redundant in eorum ſupremum Dominum, cujus nunc Aulici ſunt. *S. Thom. 2. 2. quæſt. 13. art. 1. ad 2.* cenſet autem Suarez *cit. cap. 5.* Sanch. *cit. cap. 32. num. 27.* quoties quis loquitur contumelioſè de Sanctis, committere blaſphemiã, niſi expreſſè præſcindat habitudinem, quam habent ad Deum, quia videlicet quando non ita præſcindit, omnino prudenter judicatur eſſe ita malè affectus erga eos, ut ſit ei perinde, ſive ſint in Cœlo, ſive in Orco. Summa autem contumelia jacitur in illos, quando vel iis æquiparantur mortales, præſertim cooperti ſceleribus, vel Principi tenebrarum tribuitur id, quod eſt iis, vel Deo proprium. Unde inferes, quid pronuntiandum ſit de hiſce effatis

Luthe-

Lutheranorum Quinti Evangeliſtæ.

759 I. *Domina noſtra* (Mater Dei) *non eſt tanti facienda.*

II. *Sumus tam Sancti, quàm Maria aliíque Cælites.*

III. *Sancte Sathan ora pro me.*

IV. *Sancte Sathan ora pro nobis.*

V. Lieber Teuffel bitt Gott für mich.

VI. *Dilecte Diabole rogo te, ut pro me velis precari Deum.*

VII. *Credo, Chriſtum fuiſſe omnium, quos terra tulit, maximum peccatorem.*

VIII. *Chriſto Sanguineum ſudorem expreſſit tentatio, quòd neſciret, utrùm ſuus Pater cæleſtis eſſet Deus, an diabolus.* Locos, quibus hæc dixit, ſcripſit hic Germaniæ novus Apoſtolus, ſignat partim in Luthero *Devoto* §. 9. partim in Luthero *Fideli* §. 2. & 4, M. Conradus Andreæ Editione Germanica *Anno* 1606. Rationes, cur hæc effata accenſeam propriè dictis blaſphemiis petet facilè quiſque ex hactenus diſputatis, ac judicabit, fuerítne illud Iſlebienſe os dignum eo ſupplicio, quod oculatos teſtes omni exceptione majores retuliſſe teſtatur in ſuo Prato Spirituali *Hiſtoria quarta* Raynaudus

His omnino verbis.

760 P*Oppa Calvinianus, cui nomen Ferando à Mura, cùm Eberduni apud Delphinates pro concione adverſus Deiparam vomuiſſet, quæ præſtat chartis non illinere, blaſphemam adhuc, & in æſtu, ac æſtro dicendi linguam protenſo ſeſquipede exeruit, non ſecùs, ac ſi bos eſſet, & deinceps adeò lingua torpuit, ut qui anteriùs bene valens, ac expeditiſſimè loquens erat eo blaſphemiæ inſtrumento, paralyſi percuſſo, deinceps manſerit elinguis.* Sic multavit Deus Poppam inſigni petulantia. *Ita Raynaudus.*

761 At quo fuit ſupplicio dignus hujus Poppæ Magiſter Calvinus? Dum 1. *in Lib. 1. Inſtitut. cap. 18.* ita ſcripſit: *Abſolon inceſto coitu patris torum polluens deteſtabile ſcelus perpetrat, Deus autem hoc opus ſuum eſſe pronuntiat?* Dum 2. quaſi ſui ipſius clarior interpres *Lib. ſeq.* ſeu 2. *cap. 4.* ſubdit, Deum non *tantùm permittere peccatum, ſed illud velle: movere: impellere, hominem ad peccandum, eſſéque omnium peccatorum autorem,* expreſſè addens: *Dicitur etiam Sathan excæcare infidelium mentes, ſed unde hoc, niſi quod à Deo ipſo manat?* Dum 3. *in Admonit. ad Polonos* ſcribit: *Quamquam ab antiquis ſententia Chriſti*: Pater major me eſt, *reſtricta fuerit ad humanam ejus naturam, ego tamen non dubito ad totum complexum extendere*, id eſt, dicere, Chriſtum etiam quoad divinam naturam fuiſſe Patre minorem. Dum 4 verba illa Chriſti Domini Matth. 26. *Pater, ſi poſſibile eſt* &c. appellat *vacillationem, & verbum Chriſto ſubitò elapſum, quod exin caſtigaverit, & revocaverit.* Dum 5. cit *Lib. 2. Inſtitut. cap* 6. De eodem Salvatore agonizante rurſum loquens ſuũ de illa agonia ſenſum exprimit his verbis: *Diros in animo cruciatus* (horret animus exarere, quod ſequitur, exarat tamen) *damnati, & perditi hominis pertulit &c.*

Quæritur III. *Sitne noſtra, & communis doctrina producta numero 758. intelligenda de ſolis Sanctis, qui publico, ſolennique Eccleſiæ oraculo,* ſeu apotheoſi *declarati ſunt Sancti?* 762

Hanc, à nemine, quem legerim propoſitam, diſcuſſámve quæſtionem ventilandi hoc loco occaſionem dedit hic primùm nuper à me lectus

Caſus Ignatianus.

A*Nte hunc luerat Anno* 1610. *idem ſcelus in Hiſpania Laicus alterius Ordinis. Hic prope Cordubam cùm in Societatis Coadjutorem incidiſſet, fœdis modis aggreſſus eſt illam Societatem, maximéque S. Ignatium ludere, haud pridem Beatis adſcriptum. Conviciorum, & ſarcaſmi ſatur veſtes exuit, ſéque nudus in rivum moletrinæ mittit. At ecce, dum natat, in quo erat expeditiſſimus, videt iterum Adjutorem noſtrum, &*: O! *inquit*, tenerem hic Patrem veſtrum Ignatium, ego illum potarem tam liberaliter, ut inpoſterum ſitiret nunquam. *Fuit hic eius, & verborum, & vitæ horrendus finis, ſubitò enim velut plumbum in ima deprimitur, & aquis præfocatur.*

Deſcripſi hæc ex Vita Noſtri S. Patris per- 763
ſcripta à P. Daniele Bartoli *Lib. 5. num. 3.* circa quæ notanda tria, Primum, quòd hic ſcriptor idcirco exprimat: *Ante hunc luerat idem ſcelus &c.* quia videlicet immediatè ante hunc ipſum Caſum retulerat alium adhuc magis horrificum, editum in ædibus Doctoris Gillabodi circa alterius Ordinis Religioſiſſimi Concionatorem, per ludibrium dicentem, vel: *Jeſuitarum Fundatoris eò ſumma pertingit poteſtas, ut ſanet dolorem dentium, non plus ultrà*, ut loquitur idem Bartolus interprete P. Janino: vel, ut explicatiùs tragicum hoc exemplum proponens, P. Raynaudus in Prato Spirituali *Hiſtor. 1.* referénſque, fuiſſe eundem noſtrum Fundatorem nomine Sancti honoratum à Doctore Gibballotio, (ut ipſe vocat,) inducit loquentem illum Concionatorem: *Quem tu mihi,*

Digitized by Google

hi, inquit, *Sanctum adducis, qui vel morbo dentium laborantem ſanavit nunquam?*

764 Alterum ex tribus notandis eſt hoc, quòd hi duo ſcriptores conveniant in tribus: 1. In loco, in quo, & perſona, coram qua res geſta. 2. In eo, quòd ille Religioſus inſultârit Ignatio in materia de ſanatione dentium. 3. Quòd fuerit poſt hanc inſultationem, ludibriúmque correptus inſano dolore dentium, eodémque confectus. Diſſentiunt inprimis in facili errore, dum unus appellat Doctorem Gillabodum, alter Gibbalotium, qui error fortè commiſſus eſt à ſolo typotheta. Deinde in eo, quòd Raynaudus aſſerat, illum Religioſum *leniter, & tamen efficaciter increpitum à Gibbalotio, illico, in illo ipſo hemicyclo, in quo colloquens ſedebat, acutiſſimo dentium dolore correptum, atque inde in lectum proxime ſtratum aſportatum, intra quartam circiter horæ partem animam exhalaſſe.* At P. Bartolus ait, ſupplicium dilatum fuiſſe à die lunæ mediæ quadrageſimæ ad alterum poſt Paſcha diem, eodémque loco, quo prolocutus fuerat ſuperiora verba, *in eo enim manu pateram tenens*, ait Bartolus, *ut biberet, improviſo inhorreſcit, vociferatur, ſibi dentes diſſilire, & os prorſus occludi, planéque poſt hæc confixis veluti maxillis verbum nullum emiſit, ſed mugitu, & fremitu deſperabundi more adſtantes exterruit; ſub hæc enim miſere abripi, furere, convelli, exagitari tam validè cœpit, vix ut quinque, aut ſex hominum manibus teneretur. Inter hos dolores triduum ſuperſtes, eloquenter populo reverentiam Beatis debitam ſuo ſupplicio ſuaſit, ac finem denique vivendi fecit: nec pœnitudinis, aut alterius cujuſvis bonæ mentis indicium verbo ullo dedit.* Ita Bartolus.

Tertium ex notandis eſt, quòd Raynaudus diſertè exprimat, hæc geſta fuiſſe tunc, *cùm plena vindicatio eccleſiaſtica nondum inter divos prorſus compertæ ſanctitatis tranſſcripſerat*, qua locutione indicat, fuiſſe id temporis duntaxat Beati titulo donatum à ſede Apoſtolica, unde etiam Bartolus reflexè appellat Beatum.

765 Addo, quandoquidem idem Bartolus diſertè teſtatur, illum Fratrem Laicum, de quo *numero 762.* fuiſſe divinitus ita miſerabiliter caſtigatum Anno hujus ſæculi 1610. noſter autem Patriarcha fuit Anno illum præcedente, adeóque 1609. adſcriptus Claſſi Beatorum, ſatis credibile eſſe, quòd ille idem Frater vel penitus ignoraverit, vel non liquidò ſciverit, præceſſiſſe dictam Beatificationem, id quippe prudenter ſupponitur vel propter diſtantiam locorum, vel quia tam apertum ſcelus non eſt præſumendum de homine Religioſo, quantumvis Laico: ſicuti è diverſo veroſimillimum eſt, illum complura audiviſſe de magna ſanctitate hujus Divi, eſto credere noluerit. Sanè cùm S. Ignatius fuerit Nobilis Hiſpanus, atque ad Cœlos migrârit Anno 1556. adeóque 54. Annis ante hunc ſeu importunum jocum, ſeu ſerium deſiderium malè de illo merendi, vix potuit ab illo Fratre ignorari, quanta ſanctimoniæ fama tunc jam inclaruerit Ignatius.

At revera nulla ignorantia excuſavit illum Concionatorem Polonum, qui Anno 1658. ægerrimè ferens, ceſſationem peſtis in urbe Leopoli adſcribi ab omnibus Patrocinio B. Staniſlai Koſtkæ, cui ſe erecturam duo magnifica anathemata, ſi impetraret à Deo integram liberationem, voverat (cum optato effectu) civitas univerſa, palàm, & pro concione per Sarcaſmum appellavit illum *Fabrum miraculorum*, at mox ſecutâ luctuoſa mercede. Vix enim domum redux, corripitur Primò amentia. Deinde ſtulta imaginatione de jam jam imminente ſibi incarceratione ob neſcio quod ſcelus. Tertiò horrendo ſanguinis profluvio. Quartò extrema melancholia. Quintò denique tanto furore, ut elapſus è manibus eorum, qui ipſum tenebant, ſeſe ex alto præcipitem dederit in terram, atque rupto ventre efflârit animam, ut teſtatur P. Daniel Bartoli in hujus Beati Vita *Lib. 2 cap. 10.* editionis Germanicæ Conſtantiæ, in quo capite decimo Nobilis Vir Adamus Burkacki cui miraculoſè adfuerat ille Beatus, bis térve appellat expreſſè blaſphemiam aliquod convitium, quo quidam Schiſmaticus in ejus præſentia petiverat eundem Beatum Adoleſcentem. Unde conjicio, haberi etiam à Polonis pro blaſphemiis verba Beatis injurioſa. 766

Hiſce præmiſſis: Reſpondeo ad quæſtionem *num. 762.* propoſitam I. Propriè dictam blaſphemiam poſſe admitti in Beatificatos. Probo inprimis, quia ſententia communis, quòd poſſit admitti peccatum blaſphemiæ inhonorando Sanctos, non fundatur in eo, quòd ii certò, & infallibili teſtimonio jam potiantur æterna beatitudine, nec enim Doctores ſeu Theologi, ſeu Canoniſtæ nituntur hac ratione, ſed maximè eâ, quòd Sancti ratione ſtatûs, quo fruuntur, habeant peculiarem habitudinem ad Deû, tanquam ejus Amici, aut Miniſtri, ſicut cæteros inter, imò præ cæteris explicat Suarez *cit. Tract. 3. Lib. 1. cap. 5. num. 6.* conſentiente Sanchez *cit. cap. 34.* Atqui Beati, etſi nec dum relati in ſyllabum Sanctorum, potiuntur illa habitudine. Quin addit ibidem Suarez, tametſi quis non cogitet expreſſè de illa habitudine peculiari ad Deum, attamen ad blaſphemiam ſufficere, ſi cogitetur de illius Sanctitate, & nihilominus probroſè quis loquatur de illo, niſi, ut exprimit Sanchez *cit. cap. 32.* ita probroſè loquens expreſſè faciat præciſionem à ſanctitate. 767

Quin idem Suarez *ibid. num. 5.* præmiſerat hæc verba: *Alii verò Autores* (quibus ipſe aſſentitur) *ſimpliciter, & ſine diſtinctione* (inter habentes Directam & Indirectam intentionem convitiandi Deo, quando convitiantur Sanctis) *aſſerunt, contumelias Sanctorum, præſertim Defunctorum, & cum Chriſto regnantium, eſſe veras & proprias blaſphemias in Deum.* Ubi notandæ duæ clauſulæ: *Præſertim*: &, *Defunctorum.* 768

ctorum. Nam hæc ſecunda æquè comprehendit duntaxat Beatificatos, atque jam ſolenniter Canonizatos, imò etiam omnes planè Cœlites, ideóque parvulos quoque ſtatim poſt Baptiſmum defunctos. At prior clauſula, ſeu Dictio: *Præſertim*, cùm ſit implicativa contrarii, exprimens Caſum minùs dubitabilem, & implicans magis dubitabilem *Leg. fin. ff. De liber. Exhibend.* & ibi Gloſſ. *in verb. Præſertim*, ſatis communiter recepta, videtur Suarezius teſtari, Alenſem, S. Thom. & alios plures, (quos allegat pro communi ſenſu, quòd convitium in Sanctos reverà redundet in Dei contumeliam,) implicitè tenere, ſuam doctrinam eſſe intelligendam etiam de Sanctis nondum vitâ functis, quod & ego reor eſſe veriſſimum, quia ubi eadem eſt ratio, ibi & eadem juris diſpoſitio. *Leg. Illud. ff. De Leg. Aquilia.*

769 Unde, ſicuti ſacrilegium materiale committit, qui indignè tractat hoſtiam conſecratam, aut ſacras exuvias Beatorum, ignorans tamen eſſe conſecratam hoſtiam, eſſe pignora alicujus Sancti, ſicuti & ille eſt materialiter blaſphemus, qui de illa eadem hoſtia, de illis iiſdem Lipſanis contumelioſè, laborans indicata ignorantia, blaterat, eâdem ratione arbitror, admitti materialem blaſphemiam, quoties aliquo convitio afficitur non ſolùm quivis Beatus, ſed etiam quivis adhuc mortalis excellenti ſanctitate conſpicuus, aut etiam ſola gratia ſanctificante præditus, niſi illud convitium præſcindat à Sanctitate, ſicuti paulò ante indicatum ex Suarez, & Sanchez: formalem autem blaſphemiam, quando extra illam præciſionem afficiuntur tales contumelia ab iis, quibus ſuppetunt argumenta ſufficientia ad tales habendos pro amicis Dei, ſeu pro veſtitis veſte nuptiali, ex pravo autem affectu, ſicuti illi duo Religioſi, de quibus ſuprà, præſertim primus, nolunt iis argumentis aſſentiri, quemadmodum ſine dubio foret is reus ſacrilegii formalis, qui malè affectus in Chriſtum Dominum, aut S. Dominicum, & prorſus temere credens, hanc numero hoſtiam non eſſe ſacram, hoc numero os non eſſe de corpore S. Dominici, ſed latronis alicujus, utrumque conſpurcaret, pedibus tereret. Et quis Rex non judicaret, ſcelus morte luendum patrari ab illis ſubditis, qui malè affecti in ipſum prorſus temere ſibi imaginantes, eum peregre redeuntem non eſſe ſuum Regem, ſed alium à tyrannide infamem Principem, luto, lapidibus &c. eum peterent? Ad voluntarium indirectum ſatis eſt, quòd potuerit, & debuerit cogitari, inquit, ad propoſitum Suarez *cit. cap. 5. num. 6.* Plenæ ſunt Vitæ Sanctorum ſuppliciis ſubitaneis, quæ ſumpſit Deus de iis, qui ipſos adhuc mortalitati obnoxios ſarcaſmis, contumeliis, peramaris jocis habuere derediculo. Ut proinde videatur Dominus Deus omnes planè ſuos Amicos deſignâſſe, cùm dixit: *Nolite tangere Chriſtos meos.*

Dixi ſuprà: *Ex malo affectu*, quia Tannerus *cit. quæſt. 8. num 137.* tradit, non admitti blaſphemiam propriè dictam, quando ea jactatur per ignorantiam etiam craſſam, abſque ulla intentione dehoneſtandi Deum. Hunc quoque meum diſcurſum ſpecialiter ſubjicio benignæ cenſuræ mei lectoris. Profectò foret mihi difficile excuſare à crimine blaſphemiæ eum, qui lectis, quæ de Joanne Avila ſcripſit Ludovicus Granat. quæ de hoc ipſo Ludovico Granatenſi P. Franciſcus Diago, quæ de P. Petro Caniſio Sacchinus, aut Raderus noſtri, quæ de P. Petro Forerio Reformatore Canon. Regular. in Lotharingia P. Joannes Bedel &c. de horum aliquo vel tam ſcurriliter jocaretur, vel tam infeſto animo, quàm ille, de quo ſuprà *num. 762.* loqueretur. 770

Cæterùm blaſphemiæ propriè dictæ crimen poſſe adverſus Sanctos patrari, certum eſt non ſolùm ex rationibus ſuprà allatis, concordíque ſenſu Theologorum poſt S. Thomam *2. 2. quæſt. 13. art. 1.* ſed etiam ex Jure Canonico *cap. 2. De maledicis* ibi: *Si quis contra Deum, vel aliquem Sanctorum ſuorum, & maximè B. Virginem linguam in blaſphemiam relaxare præſumpſerit &c.* ſicut in Concil. Lateranenſ. ſub Leon X. in Bulla: *Sacroſancto* §. *Ad abolendam* fit expreſſa mentio Sanctorum, aſſentientibus Julio Claro §. *Blaſphemia*, Farinacio *in Praxi quæſt. 20. num. 25.* Navarro *in Manual. cap. 12. num. 84.* Deciano, Covarruvia *in cap. Quamvis pactum. De pact. Part. 1. §. 7. num. 14.* Barboſa *in cit. cap. Statuimus*, ſeu *2. De maledicis. num. 5.* & *De offic. Epiſcopi Part. 3. allegat. 50 num. 91.* aliique communiter, etſi diſſentiant nonnulli apud eundem Farinacium. Potuit autem Balthaſar Zahnnius in ſuo *De Mendac.* Libro dare vel primum, vel certè ſecundum locum illi manifeſtiſſimo ſimul, & atrociſſimo commento, quo vel ex ſuo, vel ex aliorum Symmyſtarum ſenſu indicat *Lib. 1. cap. 22. n. 8.* à quibuſdam Doctoribus Catholicis tradi, cauſam, ob quam ſcribunt, poſſe etiam in Sanctos committi crimen blaſphemiæ, eſſe hanc, quòd illis honor divinus habendus ſit. Eſt hæc hercle palmaris, decumanáque calumnia; nec enim ullus orthodoxè ſentiens, vel adhibet, vel adhiberi poſſe Sanctorum ulli divinum honorem exiſtimat. Poterat igitur Zahnnius ſuũ cætera eruditum librum non contaminare hoc commento.

Quæritur III. *An, & quatenus blaſphemia poſſit etiam in creaturas irrationales admitti?* 771
Reſpondeo, poſſe committi concors eſt opinio Theologorum poſt S. Thom. *cit. quæſt. 13. art. 1.* Tunc autem admittitur hoc peccatum, quando iis tanquam creaturis Dei maledicitur. Cajetanus *2. 2. quæſt. 13. art. 1.* ſub fin. Navarrus *loc. cit.* adeóque quando œſtro iracundiæ correptus, & cogitans, hanc, aut illam tempeſtatem provenire à Deo, devoves eam mille Cacodæmonibus; ſecùs; ſi nihil de ejus depen-

Digitized by Google

dentia à Deo effundas verba maledictionis devovendo omnibus diris bovem, à quo cornu petitus, canem, à quo morſus es &c.

772 Quæritur IV. *An omnes blaſphemiæ ſint peccata mortalia, an verò aliqua ſolùm venialia?*

Reſp. I. Saltem propter defectum perfectæ advertentiæ aliquæ ſunt tantùm venialiter mala. Ille autem advertentiæ defectus poteſt eſſe, quia is, qui verbum ex ſe blaſphemum eructat, vel non perfectè advertit eructari à ſe, quia ſcilicet lingua prævenit mentem, vel advertit quidem, à ſe proferri id verbum, at non perfectè animadvertit eſſe blaſphemum. Et eſt quidem communis opinio ex S. Thom. *cit. quæſt. 13. art. 2. ad 3.* utramque hanc prolationem vacare culpa mortali in eo ſaltem, qui nec eſt, nec fuit unquam aſſuetus blaſphemiis, & certò certiſſimè abſtinuiſſet, ſi adfuiſſet perfecta ad utrumque illud advertentia, etenim blaſphemia mortalis debet eſſe voluntaria, quia omne peccatum ita neceſſariò eſt voluntarium, ut non ſit peccatum, niſi ſit voluntarium. S. Auguſt. *Lib. 1. retract. cap. ult.*

773 At verò quando quis proloquitur talia verba inadvertenter quidem, attamen ex prava conſuetudine, quam non conatur ſeriò extirpare, cenſet Tannerus *cit. quæſt. 8. num. 141.* atque Texeda, loquendo de perjurio, cujus eſt in hac quæſtione eadem ratio, quæ blaſphemiæ, apud Dian. *Part. 10. Tract. 14. Reſol. 13.* fusè cum aliis, continere propriam malitiam blaſphemiæ. Ego inhærens doctrinæ tum S. Thom. non facientis, loco nunc primùm citato, diſtinctionem inter aſſuetum, & non aſſuetum: tum illi, quam tradidi in Experientiis *Tract. 7. num. 586* cum Cardin. de Lugo, nego ejuſmodi blaſphemias eſſe aut mortales, aut neceſſariò confitendas in individuo, ſed ſufficere modò aſſuetus illis aperiat, ſe, ob non adhibitum debitum conatum extirpandi maledictam conſuetudinem blaſphemandi, expoſuiſſe ſe periculo blaſphemandi toties, aut toties in die, hebdomade, menſe &c. P. Matth. Stoz in ſua Inſtruct. confit. *num. 106.* negat, talia verba eſſe tunc vocanda materiales blaſphemias, multò minùs formales. Cæterùm Diana *Part. 3. Tract. 5. Reſol. 62.* malè meretur de P. Tannero, dum hunc allegat, quaſi docentem, illa etiam verba blaſphema, quæ proferuntur inadvertenter etiam ex illa conſuetudine, quam eradicare quis ſeriò conatur, eſſe veras blaſphemias, nihil enim tale ſomniat P. Tannerus. Quamquam fateor, Cardinalem Toletum in ſumma *Lib. 4. cap. 13.* agnoſcere etiam in hoc caſu noxam venialem, ſicuti ſtatuit lethalem in caſu, pro quo paulò ſuperiùs retuli Tannerum, & Texedam.

774 II. Si eædem blaſphemiæ contigerunt in plena ebrietate, an & quatenus ſint aperiendæ in foro Sacramentali, ediſſerui diſtinctè in Quinario *Tract. 5. cap. 19. num. 39.* præmiſeram autem *cap. 9. num. 49.* quid pronuntiandum de illo, qui ideò ſe inebriat, ut tantò animoſiùs blaſphemet in ebrietate.

III. Omnes omnino blaſphemias plenè voluntarias directè prolatas in Deum fœtere labe 775
peccati mortalis ſcribunt paſſim, credúntque Theologi cum S. Thom. *cit. art. 2. ad 3.* à quibus in re tanti momenti diſcordare non eſt tutum, tametſi diſſentiat Villalobos deſcriptus à Diana *Part. 5. Tract. 5. Reſol. 3.* Equidem divina Majeſtas eſt tam infinitæ excellentiæ, homo tam infinitæ quodammodo vilitatis, & contemptibilitatis, quia infinitæ potentiæ ad peccandum, infinitæ impotentiæ ad aliquid boni ex ſe agendum (ut de ſe ipſo ſentiebat, & dictitare ſolebat illuminatiſſimus noſter P. Ludovicus de Ponte) nominatim quando per mortalem noxam factus eſt mancipium tyranni acherontici ut non poſſit non eſſe extremæ nequitiæ auſus, quo homuncio directè intendit loqui de Deo tanquam contemptibili. Unde conſequenter dicendum eſt, abuſum ſacræ ſcripturæ in jocos non turpes, non eſſe propriè blaſphemiam, ſed ſacrilegii quandam ſpeciem, de quo vide ſuprà, alioqui non poſſent excuſari à mortali. Etſi autem, ut dixi, omnes 776
blaſphemiæ directè petentes Deum ſint mortaliter malæ, attamen probatur mihi reſponſio, quam Diana *Part. 1. Tract. 7. Reſol. 51.* ſeu *De Circumſtant. aggravant.* dedit ad hunc

Piſcatorium Caſum.

Piſcatoris, inquam, qui ſæpius convitia horrenda, non tamen ſpecie diverſa in Deum, ſi piſces non ſumeret, unico actu protulerat, & tamen in Confeſſione non expreſſerat, ſe ſæpius protuliſſe ea verba, illum quippe excuſavit à repetitione Confeſſionum Diana loc. cit. *intelligens, ut interpretor, per*: Sumere piſces *idem, quod Joannes* cap. 21. *per* prendere.

Reſponſum Dianæ illuſtro pluribus exemplis in Experient. *Tract. 6. Caſ. 16. num. 403.* & etiam tenet P. Matthæus Stoz *loc. cit.* habétque hæc doctrina locum etiam in foro externo. Decianus in Praxi *Crimin. Lib. 6. cap. 5.*

IV. Major pars Theologorum apud eundem 777
Dian. *Part. 5. Tract. 5. Reſol 3.* contra Lorcam tenet, dari parvitatem materiæ in blaſphemia contra Sanctos, quando convitium jacitur in eos non tanquam Sanctos, ſed referendo ad ſtatum, quem habebant ante mortem, ſicuti aliquot exemplis declaravi *num. 716.* At verò è diverſo negant plerique contra Villalobos deſcriptum à Diana *cit. Reſol. 3.* illam parvitatem dari reſpectu eorundem tanquam Sanctorum. Unde conſequenter damnabitur peccati mortalis ex communi ſententia is quoque, qui parvulos defunctos poſt baptiſmum ante uſum rationis Sanctulos vocaret per jocum, & cum aliquali vilipenſione, qui enim derogat

alicui

Digitized by Google

alicui Sanctorum, derogat & Deo, & cæteris omnibus in regno cœlorum. Thomas de Kempis *De imit. Chriſti. Lib.3. cap.58.* ex meditullio veræ Theologiæ.

778 Quæritur V. *Sintne omnes blaſphemiæ ita unius ſpeciei, ut ſufficiat in Confeſſione dicere: Toties, aut toties commiſi mortalem blaſphemiam.* Diana *Part.2. Tract.7. Reſ.50.* & *Part.5. Tract. 13. Reſ.21.* conſtanter cum multis contra alios defendit, omnes blaſphemias in Deum, & homines eſſe ejuſdem ſpeciei, niſi contineant hæreſin, vel imprecationem cum odio Dei. Quare *cit. Reſol.50.* reſpondit ad hunc

Clericalem Caſum.

Clericum, *qui Beatiſſimam Virginem graviter inhonoraverat blaſphemiâ, non fuiſſe obligatum aperire in Confeſſione, utrùm linguam ſolverit in Matrem Dei, an verò in alium Sanctum, ſed ſatiſfactum fuiſſe obligationi Confeſſionis dicendo*: Semel commiſi peccatum mortale blaſphemiæ.

779 Unde diſſentit à noſtro P. Hurtado de Mendoza *in 2. 2. Diſp.91. ſect.12.* ſcribente, eſſe in Confeſſione explicandum, utrùm blaſphemiæ fuerint in Deum, an in Sanctos, utrùm in Deiparam, an in alium Sanctum; quam doctrinam ipſe Diana meritò habet pro probabili, obſervante P. Suarez *cit. Tract. 3. cap. 6. n. 19.* tametſi facilè defendi poſſet, omnes omnino blaſphemias eſſe in ratione blaſphemiæ præciſè conſideratas ejuſdem ſpeciei, ipſi tamen rationi, & malitiæ blaſphemiæ perſæpe addi aliam circumſtantiam mortaliter malam, quæ non ſufficienter aperiatur, quando præcisè fit Confeſſio blaſphemiæ, ut quando hæc habet adjunctum peccatum hæreſeos formale, odium expreſſum Dei, vel Sancti, maledictionem ſeriam, ſeu imprecationem. Idem Suarez cum Sanchez *num.40.* ideo etiam vult exprimi, utrùm blaſphemia fuerit contra Sanctos, quia huic additur peccatum contra Duliam, ut jam inſinuavi ſuprà, ſed negat Diana, ac plures alii.

780 Quæritur VI. *Quantum peccatum ſit blaſphemia, & quomodo Confeſſarius ſe debeat gerere erga blaſphemos?*

Reſp. Utrique huic quæſtioni ſatisfactum iri *ſeq. Caſ.* ſeu *Capite XXI.* Interim propono, & reſolvo hanc

Curioſam quæſtionem.

781 Quis *videlicet ſit parens omnium blaſphemorum*, ut nimirum hi nôrint, quæ, & quanta hæreditas illos maneat?

Reſp. Unus, & idem eſt genitor mendacii, ac blaſphemorum; ſiquidem Julius Prognoli in Alexicaco *Part. 1. Diſp. 2. num. 182.* poſt Rupertum Abbatem *Lib.3. De Trinitate* obſervat, diabolum, quando Geneſ. *cap. 3.* tentabat Evam, ſignificâſſe, quòd & Deus falsò dixerit eos morituros, quacunque die comederent de ligno ſcientiæ boni, & mali, & ex invidia interdixerit ipſi, atque Adamo eſu de ligno. Igitur primum omnium peccatorum, ad quod fuit tentata Eva erat, ut judicaret, Deum, ſummam, inquam, veritatem falſum dixiſſe, alterum, Deum, ſummum bonum, eſſe invidiæ obnoxium, quod ea credere, dicerêve non potuit abſque nefanda blaſphemia.

BLASPHEMIÆ TURPITUDO, CURATIO, ET POENA.

SECTIO I.

Quantum ſcelus ſit blaſphemia, & quomodo emendandum à privato, & à Confeſſario?

CASUS XXI.

Omnium terribilium terribiliſſimus.

SUMMARIUM.

Caſus Juvenis blaſphemi, à Dæmone in fruſta diſſecti. 782.

Parergon de mirabili memoria P. Theophili Raynaudi, ex quo præcedens Caſus eſt ſumptus. 787. *& ſeq.*

An Blaſphemia ſit omnium peccatorum maximum? 789. *& ſeqq.*

An & quomodo audiens blaſphemantem teneatur illum corrigere? 794 *& ſeqq.*

Chriſtiani magis obligantur corrigere etiam privatim blaſphemantes, quàm pleroſque alios peccatores. 797.

Confirmatur hæc doctrina ex Concilio Lateranenſi ſub Leone. 798.

Et ex Bulla Julii III. 804. *& ſeqq.*

Et ex Conſtitutione Pii V. 807.

Explicatur Præceptum I. Contentum in allatis verbis Concil. Lateran. De acriter objurgandis blaſphemis. 808. *(cem.* 810.

Et alterum Præceptum, ut deferantur ad Indi-

Et Tertium, ut in foro conſcientiæ non poſſint abſolvi, abſque graviſſima pœnitentia, ſeveri Confeſſoris arbitrio injunctâ. 811.

An imitandus ille Confeſſarius, qui ſceleratiſſimo cuipiam dixit: Zieh die Schuech ab/vnd fahr dem Teuffel zu? 815. *& ſeqq.*

Faciendum à Confeſſariis diſcrimen inter aſſuetos blaſphemiis, & non aſſuetos, & quid cum utriſque agendum? 818.

Duo inſuper monita pro Confeſſariis blaſphemorum. 821.

Remedia ex P. Fornario contra Blaſphemandi Conſuetudinem. 822. *&* 823. *ad finem.*

Alia Remedia Auctoris contra eandem. 823.

Digitized by Google

Ante injunctionem Pœnitentiæ explores Confeſſarius diligenter: An pœnitens revera propriè, & deliberatè blaſphemaverit? 824. & ſeq. Duæ Sententiæ ex SS. Cypriano, & Ephrem. 826.

782 *IN Gallia Celtica juvenis nobilitate, quàm moribus clarior, Ordini militari adſcriptus vomendis blaſphemiis, præter cæteras labes, gentilitiam claritatem, & profeſſionem Religioſam dehoneſtabat, quòd à venatione, cui pro gentis more addictus erat, ſeriùs, quandoque domum rediret, à matre vidua increpitus, ac ni maturè deinceps regrederetur, cœnæ multatione intentata deterritus, minas omnes, ut fœminarum terriculamenta deriſit.*

783 *Sed cùm poſtridie domum cum fratre, & alio quopiam è venatione alta jam nocte repetens, juſſa materna à promo, & coquo, omnibúſque domeſticis adminiſtris obſervari exquiſitè vidiſſet, atque adeò ex matris præſcripto, quæ jam cubitum ſe receperat, obſeratis omnibus, poſt clamores fruſtra jactatos hæreret, horribili devotione, & execratione Satanam excivit, & in Deum indigna relatu concitatione blaſphemè, & furioſè bacchatus eſt. Reprimere fratris furorem fruſtra conatus frater, qui erat è ſæculo, & ipſe mulctæ maternæ particeps, in oppidum mittit, qui in frugalem cœnam aliquid conquireret, & allatis paucis ovis fame cum fratre blaſphemo, ac tertio ſocio, ut licuit, depulſa, in lectum, qui unus pro tribus præſto fuit, recepere ſe ſe, medius fratrem inter, & alium Nobilem venationis ſocium jacebat blaſphemus Eques irarum plenus, ob ſubductas epulas, & cubationem incommodiorem. Affuit non ita multò poſt gigantis ſpecie Satan duobus comitantibus moloſſis horrendæ magnitudinis, ac ferocitatis. Horripilatio corripuit accubantes, blaſphemiarum paulò antè profuſarum haud immemores. Sed attoniti, ac horrore, & ſtupore defixi haſére, qui extremi accubabant, cùm medium blaſphemum evocari à Satana ferociente, & fruſtra renitentem prehendi, ac eluſâ ſociorum operâ abſtrahi per vim è lecto viderunt, & in menſam, quæ aderat, pertractum grandi cultro diſſecari in fruſta, eáque moloſſis duobus vo-*
784 *randa projici. Ferali officio perfunctus Satanas juſtum Dei judicium in impium conteſtatus, nec ſibi in cæteros quidquam licere profeſſus exceſſit, ſemineces præ conſternatione relinquens, quos habuerat adeò luctuoſæ tragœdiæ ſpectatores. Frater ob fratris cladem ſupra modum mæſtus, ubi ſuſpiria utcunque ſtitit, & lachrymas ſiccavit, cordolium perenne habiturus, cogitavit ſæculum abjicere, & in ſacram quandam familiam adſcriptus, ibi hodiéque ſuperſtes eſt, vitam vivens concepto de divinis judiciis horrori conſentientem. Hæc quantumvis mira extra quotidianum divinæ patientiæ uſum patrata, ſine ambiguitate adſcripſi, quòd teſtes omni exceptione majores à me auditi adſtipulentur.*

Hæc omnia, nullo verbo addito, vel muta- 785
to, deſcripſi ex jam aliquoties laudato *Prato Spirituali* P. Raynaudi, in quo hæc tragica narratio obtinet locum LXXVIII. Qui Pater, cùm è vivis Annos 79. natus exceſſerit Anno 1663. datis ad me trimeſtri antè humaniſſimis, ut ſolebat, literis Lugduno, atque illud Pratum conſcripſerit haud multis Annis ante obitum, quia ſcilicet poſt jam luci datam à P. Daniele Bartolo vitam noſtri Sancti Fundatoris, ut manifeſtum ex prima Hiſtoria dicti libelli; pronum eſt ſuſpicari, fratrem illius calamitoſiſſimi blaſphemi, vel hodiéque adhuc vivere, vel certè nondum multis abhinc Annis evocatum fuiſſe ad non paulò clementiorem, quàm infeliciſſimus frater, Judicem. Quia denique idem Scriptor juriſperitiſſimus optimè noverat, teſtes de auditu, ſeu ex ſola relatione aliorum, non eſſe omni exceptione majores, nec ſufficere ad mandandum typo *ſine ambiguitate* factum hactenus inauditum, indicare voluit, illos ipſos teſtes hæc audiviſſe ex ore vel utriuſque Nobilis ſuperſtitis, vel ſaltem alterutrius, cum talibus circumſtantiis, ut nemo prudens potuerit dubitare de veritate. Equidem abſtinuiſſet P. Raynaudus nominatione Provinciæ, & Ordinis Militaris, cùm horum ſint pauci in Gallia Celtica, ſeu Lugdunenſi, in qua hanc ipſam hiſtoriam tranſmittebat ipſe ad poſteros, niſi noviſſet, hoc tragicum, cui ſuppar repræſentabo infrà *num. 868.* exemplum eſſe pervulgatum.

Dat verò id anſam explicandi, quàm dete- 786
ſtabile ſcelus ſit blaſphemia, ſiquidem Deuteron. *cap. 25.* ſcriptum eſt: *Pro menſura peccati, erit & plagarum modus*, & Bonifacius VIII. in cap. *Felicis. De pœn. in 6.* reſcripſit: *Iudex pœnam metiatur ex culpa, ut ſecundùm quod exceſſus acciderit, vindicta procedat*, quod Reſcriptum licèt non utique liget manus ſupremi Judicis Dei, cum tamen ſit omnino conſentaneum rectæ, à Deo ipſo conditæ rationi, inferendum eſt, crimen blaſphemiæ eſſe horrendiſſimum, quandoquidem punitum fuit tam horrendo, inauditóque ſupplicio, ſupplicio, inquam, omnium horribilium ideo horribiliſſimo, terribilium terribiliſſimo, ut mortem nuncupat Ariſtoteles, quòd & videatur eſſe horribilius eo, quo idem Deus plexit multiplex ſcelus

Datha-

Dathani, & Abironis, & vel maximè idcirco, quòd ſuppetant multò rariſſimè exempla tam terrificæ vindictæ divinitus, vel humanitus, ut ſic loquar, ſumptæ, tametſi olim Calviniſtæ, atque modernus tyrannus Japoniæ excogitaverint in Catholicos tam ingenioſè immania ſupplicia: vix ut Cacodæmon valeat quidquam æquè ſævum comminiſci. Sed & S. Hieronymus referendus infrà *num. 792.* diſertè ſcribit: *Nihil horribilius eſſe blaſphemiâ*, cùm ergo illa Cacodæmonis victima, de qua noſter Caſus, vomuerit quidquid blaſphemiarum in mentem, ſeu memoriam venit, meritò noſter hic XXI. Caſus appellatur omnium *terribilium terribiliſſimus*.

787 Dabit autem mihi Lector, ut ſpero, veniam, atque ignoſcet, ſi de illo, de quo jam toties in hoc Alphabeto, atque alibi feci, faciámque mentionem, aliquid memorem; quod lectoribus ejuſdem poſt meâ quoque fata ſit illaturum ſeu admirationem, ſeu delectatjunculam; eſt autem ejuſmodi. Acceperam à Viro magnæ autoritatis, qui P. Theophilum Raynaudum noverat familiariter Romæ, eum nullis adverſariis fuiſſe unquam uſum. Videbatur res mihi propè incredibilis, recolenti, eſſe ab illo eruditiſſimo viro, qui me aliquot epiſtolis honorare dignatus eſt, edita octodecim volumina, in quorum ſingulis propè paginis legere eſt permultas citationes diverſiſſimorum, magnam etiam partem vulgo literario ignotorum ſcriptorum, & quidem ſexcenties in argumento rariſſimo, imò & leviſſimo. Quare dedi abhinc triennium literas Lugdunum, quem locum incoluit P. Raynaudus plurimis Annis, ad quendam è noſtris Patribus rogans, ut me edoceret de veritate illius relationis. Reſpondit autem » in hæc verba: P. Theophilus Raynaudus ha» buit equidem Adverſaria, eáque locupletiſ» ſima, fuit tamen tam felici memoriâ uſque » ad ſupremam ætatem, ut quacunque de re » eum percontaremur, expeditè non ſolùm » nominaret autorem, de eâ ſcribentem; ſed » etiam deſignaret locum Bibliothecæ, in quo » reperiendus eſſet liber, & ipſam inſuper pagi» nam, in qua diſſerebatur de illo argumento.

788 Miranda quidem fuit memoria Doctoris Angelici; utpote de quo Ribadeneira noſter in *Floribus* teſtatur; eum nihil oblitum fuiſſe eorum, quæ unquam legiſſet, ſed & mirandâ quoque illa P. Theophili, utpote qui ultrà omnes Sanctos Patres notos vulgariter doctis, & præter pleroſque Theologos alicujus nominis, legerat alios pluſquam nongentos, ut videre licet in ejus Indice decimo tertio, ſeu Onomaſtico, alios, inquam, quorum maxima pars ne de nomine quidem eſt cognita niſi longè ſuprà vulgum eruditis, hos autem erat ita complexus ſua memoria, ut de quacunque re inſtitueretur percunctatio, poſſet confeſtim dicere, quanam in pagina diſſereret de eâ hic, aut ille ex tot Scriptoribus. Jam redeundo ad ſemitam

Quæritur I. *Quanta malitia ſit blaſphemia?* 789
Reſpondeo. Si ſtetur nudis verbis Gloſſæ *in cap. 18.* Iſaiæ, ad illud verbum: *Ad populum terribilem*, quam Gloſſam citat S. Thom. *2. 2. quæſt. 13. art. 3.* dicendum eſt, blaſphemiam eſſe omnium peccatorum maximum, ſiquidem illa Gloſſa, quæ deſumpta eſt ex S. Hieronymo, ſic loquitur: *Omne peccatum blaſphemiæ comparatum levius eſt*, at verò ſi non figuratè, ſed propriè, & nudè loquamur, dicendum eſt cum eodem Angelico Doctore *loco citato* in Corp. *Quandoquidem blaſphemia opponitur confeſſioni fidei, ideo habet in ſe gravitatem infidelitatis: Unde cùm infidelitas ſit maximum peccatum, conſequens eſt, quòd etiam blaſphemia ſit peccatum maximum ad idem genus pertinens, & idem aggravans.* Ita S. Thomas, cujus doctrina clariſſima eſt loquendo de illis blaſphemiis, quæ ex pravo affectu in Deum enuntiant apertè aliquid falſi de eo, quas blaſphemias vocavimus ſuprà *Hæreticales*. Si autem ſit ſermo de illis, 790
quæ proferuntur ab homine, nihil falſi de Deo cogitante, habet doctrina S. Thomæ difficultatem, ob quam Toletus *in Inſtruct. Sacerdot. Lib. 4. cap. 13.* fatetur ſe diſſentire ab eo; ac verò Azor *Inſtit. Moral. Part. 1. Lib. 9. cap. 28. quæſt. 1.* intelligit S. Thomam, quaſi loquentem de ſola *Hæreticali* blaſphemia. Hoc certum eſt 1. Quòd blaſphemia non ſit tam grave peccatum ex ſe, quàm eſt formale odium Dei; utpote quod opponitur Charitati ſuperanti Fidem, & Spem juxta Apoſtolum. 2. Quòd etiam ſit levius peccatum, quàm deſperatio formalis; quandoquidem hæc eſt directè contraria ſpei divinæ. 3. Quòd ſi blaſphemia, & ho- 791
micidium conſiderentur in ordine ad objecta, in quæ peccatur, blaſphemia præponderet homicidio, ut loquitur S. Thom. *loc. cit. ad 1.* Si autem conſiderentur ſecundùm effectum no» cendi; homicidium præponderat, plus enim » homicidium nocet proximo, quàm infamia » Deo, inquit idem S. D. Quia tamen in gra» vitate culpæ magis attenditur intentio vo» luntatis perverſæ, quàm effectus operis, ideo » cùm blaſphemus intendat (*Directè, vel Indi» rectè,*) nocumentum inferre honori divino; » ſimpliciter loquendo graviùs peccat, quàm » homicida. 4. Quòd ſimiliter blaſphemia ſit » gravius crimen, quàm perjurium, ut docet etiam S. Thom. *loc. cit. ad 2.* inde probans; » quòd qui pejerat, non dicat, aut ſentiat ali» quid falſum de Deo, ſicuti blaſphemus; ſed » Deum adhibeat teſtem falſitati, non tanquam » affirmans, Deum eſſe falſum teſtem, ſed tan» quam ſperans, quòd Deus ſuper hoc non te» ſtificetur per aliquod evidens ſignum. »

Cùm virtus Religionis teneat principatum 792
inter virtutes morales S. Thom. *2. 2. quæſt. 81. art. 6.* blaſphemia autem non ſolùm repugnet directè virtuti Religionis. Suprà *num. 699.* ſed etiam inter peccata Religioni oppoſita videa

tur peccatum blaſphemiæ eſſe maximum ex genere ſuo, conſequenter dicendum eſt, eſſe ex ſuo genere omnino ſummum crimen inter ea, quæ non repugnant fidei, ſpei, aut charitati. Sanè blaſphemia ex propria ſua ratione opponitur divinæ excellentiæ, & quaſi aperto Marte pugnat contra illam, ſicuti obſervat Suarez *loc. cit. cap. 6. num. 3.* Etenim blaſphemus ponit in Excelſum os ſuum, ut loquitur S. Hieronymus in Iſaiæ *cap. 18.* inde inferens: *Nihil horribilius eſt blaſphemia*, & S. Chryſoſt. *Homil. Ad popul. Antioch. Nihil pejus eſt blaſphemia, eáque veniam non meretur.* S. Hieronym. contra Ruffinum. Julius autem Tertius in Bulla referenda *num. 799.* appellat *horribilem, impiam, execrandam, & Chriſtianis auribus intolerabilem divini Nominis blaſphemiam*, eſto hanc ſuperet expreſſum odium Dei, itémque Idololatria, quandoquidem Idololatria, continet profeſſionem fidei diverſæ à verè divina. Sanè indigniſſimum eſt *proſilire in illius opprobrium, qui probra noſtra portavit*, ut loquitur Innocent. III. *Cap. In Nonnullis. De Jud.* Jure objurges blaſphemum metro Aſcetæ poëtici (P. Jacobi Maſenii in Duce Vitæ fol. 120.)

------- *Vah portio terræ*
Vilis homo! tantum ſpernis, iniquè, Deum?

793 Meritò & S. Ephrem *Parænesi 43.* hiſce verbis invehitur in blaſphemantem: *Audes*, inquit, *os tuum aperire audacter! & in cœlum emittere juramentum, & blaſphemias, & non times, ne forte falx ignea, quam Propheta* (Joël cap. 3. verſ. 13.) *vidit, demoretur in domo tua, donec ex ea, quæ ſub cœlo eſt, excidas, & ſic audes os aperire adverſus Deum Omnipotentem, in quem Angeli, Archangeli, Cherubin, atque Seraphin non audent oculos conjicere? Cùm probrum*, inquit S. Auguſtinus *Lib. 2. cap. 9.* De Civit. Dei, *jacitur in Principem patriæ bonum, atque utilem, nónne tantò eſt indignius, quantò à veritate remotius, & a vita illius alienius? Quæ igitur ſupplicia ſufficient, cùm Deo ſit iſta tam nefaria, tam inſignis injuria!* Diſertiſſimus ſimul & ſapientiſſimus Judæorum Philo *Lib. 3. De vit. Moyſis* (quem refert Raynaudus) *De Virtut. & Vitiis Lib. 4. Sect. 3. cap. 2. num. 332.* diſſerens de turpitudine blaſphemiæ ſanè non immeritò ſcribit, *mirari ſe, quomodo ad tam nefariam vocem aliquando prolatam lingua loquentis non ſit tacta paralyſi, & aures auditui non ſint obſtructæ*, & verò fuiſſe aliquando tactam paralyſi docuit ſuo tremendo exemplo Poppa Calvinianus, de quo *num. 760.*

794 Quæritur II. *An, & quatenus audiens blaſphemantem teneatur illum emendare, ſeu corrigere privatum.*

Reſp. Ultra generale præceptum de privata correptione, ſeu correctione fraterna, datum à Chriſto Domino omnibus hominibus apud Matth. *cap. 18.* & explicatum à Theologis poſt S. Thom. *2. 2. quæſt. 33.* extat in omnibus Bibliothecis Homil. 1. S. Joannis Chryſoſtomi *ad populum*, Antiochenum, in qua cùm expreſſit id, quod retuli *num. 792.* paucis interjectis reſpondet ad propoſitum: *Sed poſtquam de blaſphemia nobis verba nunc facta ſunt, unam à vobis volo nunc petere tributionem, pro concione hac, atque ſermone, ut in civitate blaſphemantes mihi caſtigetis. Et ſi quempiam in bivio, & foro Deum blaſphemantem audieris, accede, increpa: & ſi verbera infligere oporteat, ne recuſes, ipſius faciem alapa percute, contere os ipſius, percuſſione manum tuam ſanctifica, & ſi illi accuſaverint, & ſi in carcerem traxerint, ſequere. Et ſi judex pro tribunali pœnam repopoſcerit, dic cum libertate, quòd Angelorum Regem blaſphemârit. Si enim Regem terræ blaſphemantes puniri oportet, multò magis illum contumelia afficientes. Commune crimen eſt, publica injuria, cuique licet accuſare volenti. Diſcant & Judæi, & Gentiles, quòd Civitatis Salvatores ſunt Chriſtiani.*

Hæc & alia os illud aureum, cui jungere lubet Theodoretum, virum planè doctiſſimum, 795
ut rectè ſcribit Bellarminus *ad Ann Chriſti 430.* & S. Chryſoſtomo juniorem quidem, ſed tamen coævum. Is *Orat. 1. De Providentia, ſub ipſum initium* pulcherrimè philoſophatur hunc in modum: *Natura hanc mortalibus legem poſuit, ut filii parentibus illatam injuriam vindicent, & ſervi dominorum ſuorum cauſam aſſerant, & cùm civitates ab hoſtibus oppugnantur, cives patriæ periculis ſe ſe opponant, ut denique quicunque beneficia ab aliis acceperunt, dignas benefactoribus ſuis gratias pro virili ſua retribuant. Sed & reges videre licet, quòd ubi commiſſum ſibi populum juſtè, rectéque gubernant, & poteſtatem clementia temperant, in bellis per ſcutigeros, & ſatellites acriter defenduntur.* Et paucis interjectis *Quòd ſi verò*, ſubdit, *pro parentibus liberos, pro dominis ſervos, pro civitatibus cives, pro Regibus ſatellites, regiique corporis cuſtodes natura pugnare jubet, multò utique ſanctius, & juſtius eſt, ut qui à Deo conditi, & ſalvati ſunt, non modò verbis pugnent, ſed & mortem extremam eligant. Hic enim & parentibus propinquior, hujus enim beneficium eſt, quòd illi parentes vocentur, & dominus.* Rurſum poſt pauca format idem Theodoretus hanc conſecutionem. *Quandoquidem ergo Deus & pa-* 796
rentibus nobis propinquior eſt, & dominus præſtantior, & omnibus benefactoribus magis providens, cùm omni muro firmior, & tutior, decet omnino, ut nos, qui & idipſum, quod ſumus, & quòd incolumes, ac ſalui ſumus, ab ipſo accepimus, impiis, qui illum con-

vitarii

vitiari audent, linguas noſtras opponamus; & piis rationibus impios illorum ſermones retundamus? Non equidem ut tanquam indigo noſtri opem feramus, linguam tamen ſuas laudes celebrantem probat, & pro ſe pugnantem dignis præmiis remunerat &c.

Hæc, & alia Theodoretus, idcirco à me cum præcedentibus commemorata, ut Parochi lecturi hunc Libellum habeant, unde potentiùs invehantur non ſolùm pro concione; ſed etiam aliàs in eos, qui non verentur coram ipſis laceſſere Deum, & Sanctos impiis ſuis vocibus.

797 Et verò ex rationibus productis è S. Chryſoſtomo, Theodoretóque infero, Chriſtianis incumbere frequentiorem, majorémque obligationem, corrigendi etiam privatim blaſphemantes, quàm corrigendi pleroſque alios peccatores, partim quia quantò gravius eſt crimen, tantò enixius eſt emendandum, partim quia revera eſt res pudenda, indigna homine Chriſtiano, ſi quis tam facilè, ſeu leviter negligat occaſionem vindicandi, ſeu impediendi injuriam ſuo Summo Principi illatam, inferendámve. Et utique debet non ſemel, ſed crebriùs à Parochis repræſentari parentibus, maritis, heris, quàm horribile judicium ipſis immineat, ſi per ipſorum ignavam diſſimulationem tam crebrò laceretur, conculcetur ab ipſorum ſubditis Deus, ejus Sancti, Sacramenta, aliæve res ſacratiſſimæ.

798 Confirmo hanc doctrinam authoritate concilii Generalis, & Oecumenici Romæ apud S. Joannem Lateranenſ. ſub Leone X. *Seſſ. 9.* celebrati Ann. 1514 præſentibus ipſo Leone, Cardinalibus viginti quinque, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis centum quinque &c. In ea Seſſion. ejúſque Seſſionis Conſtitutione, quæ incipit: *Sacroſancto.* §. *Ad abolendam*, ſtatuuntur ſequentia: *Ad abolendam execrabilem blaſphemiam, quæ in maximum divini Nominis, & Sanctorum contemptum ſupra modum invaluit, ſtatuimus, & ordinamus, ut quicunque Deo palàm, ſeu publicè maledixerit, contumelioſíſque, atque obſcœnis verbis Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum; vel glorioſam Virginem ejus genitricem expreſſè blaſphemaverit, ſi munus publicum, juriſdictionémve geſſerit, perdat emolumenta trium menſium, pro prima, & ſecunda vice, dicti officii, ſi tertiò deliquerit, illo eo ipſo privatus exiſtat. Si Clericus, vel Sacerdos fuerit, eo ipſo, quòd de delicto hujuſmodi fuerit convictus, etiam beneficiorum, quæcunque habuerit, fructibus, applicandis ut infrà, mulctetur, & hoc ſit pro prima vice, quâ blaſphemus ita deliquerit, pro ſecunda verò, ſi ita deliquerit, & convictus (ut præfertur) fuerit, ſi unicum habuerit beneficium, eo privetur, ſi autem plura, quod Ordinarius maluerit, id dimittere cogatur. Quòd ſi tertiò ejus ſceleris arguatur, & convincatur; dignitatibus, ac beneficiis omnibus, quæcunque habuerit, eo ipſo privatus exiſtat, ad eáque ulteriùs retinenda inhabilis habeatur.*

Laicus verò blaſphemus ſi Nobilis fuerit, pœna 25. Ducatorum mulctetur, & pro ſecunda vice quinquaginta fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe applicandis, & aliis, ut infrà deducitur, pro tertia verò nobilitatem perdat. Si verò ignobilis, ac plebejus fuerit, in carcerem detrudatur. Quòd ſi ultra duas vices publicè blaſphemus deprehenſus fuerit, mitra infami per integram diem ante fores Eccleſiæ principalis mitratus ſtare cogatur, ſi verò pluries in hoc ipſum peccatum lapſus fuerit, ad perpetuos carceres, vel triremes damnetur, ad judicis deputati arbitrium. 799

In foro autem conſcientiæ nemo blaſphemiæ reus abſque graviſſima pœnitentia, ſeveri Confeſſoris arbitrio injuncta poſſit abſolvi. 800

Qui verò reliquos Sanctos blaſphemaverit, arbitrio judicis rationem perſonarum habituri mitiùs aliquanto puniri volumus.

Statuimus autem, ut ſæculares judices, qui contra blaſphemiæ convictos non animadverterint, eóſque pœnis minimè affecerint, quantum in eis fuerit, quaſi eidem ſceleri obnoxii, eiſdem quoque pœnis ſubjiciantur. Qui verò in illis inquirendis, puniendíſque diligentes fuerint, pro qualibet vice decem Annorum indulgentiam conſequantur, & tertiam partem mulctæ pecuniariæ habeant. 801

Quicunque verò blaſphemantem audierit, eum verbis acriter objurgare teneatur, ſi citra periculum ſuum id fieri poſſe contingat, eundémque deferre, vel notificare apud judicem Eccleſiaſticum, ſeu ſæcularem intra triduum teneatur. Quòd ſi plures dictum blaſphemantem audierint, ſinguli eum accuſare teneantur, niſi fortè omnes convenerint, ut unus pro cunctis tali fungatur officio. Quos omnes in virtute S. Obedientiæ hortamur, & monemus in Domino, ut pro divini nominis reverentia, & honore in ſuis dominiis, & terris præmiſſa omnia ſervari, & exactiſſimè exequi mandent, ac faciant, uberrimam ab ipſo 802

Digitized by Google

pſo Deo tam boni, ac pii operis mercedem habituri, ſimilémque Annorum decem indulgentiam ab Apoſtolica Sede conſecuturi cum tertia parte mulcta, qua dictus blaſphemus plectetur, quoties tale ſcelus puniendum curaverint &c.

803 Hæc, in rem noſtram exhibet dicta Conſtitutio Leonina, quam placuit huc totam tranſcribere variis de cauſis 1. Quia eâ integre deſcriptâ utar commodiùs ad aliqua dubia paulò pòſt decidenda. 2. Ut DD. Parochi (in quorum præcipuè gratiam conſcripſi hunc, & omnes præcedentes Alphabeticos,ut appello libellos, & quos rogo, & obteſtor, ut ſinguli maximo ſtudio, induſtriâque conentur è ſuis ſinguli parochiis eliminare, & ſi nequeant penitus eliminare, ſaltem plurimùm minuere in iis frequentationem hujus execrandi ſceleris,) habeant in promptu judicium Univerſalis Concilii de officio incumbente omnibus Chriſtianis, operam omnem poſſibilem dandi, ut honor Summi Dei, Sacratiſſimæ Virginis, omnium Cœlitum perſiſtat illæſus, ſaltem à viliſſimis terræ fungis, qui abſque pudore, ſed inverecundiſſimè aperiunt os ſuum in Excelſùm, digniſſimi ſanè, qui ab Excelſo demergantur in profundum lacus, pice, & ſulphure ſtagnantis.

804 Proderunt hanc in rem ea, quæ iſtam ipſam ob cauſam deprompſi plura meo more ex S. Chryſoſtomo, ac Theodoreto, exempla quoque vindictæ divinæ, & humanæ, quæ partim jam indicavi, partim indicabo dedititiſſima opera, hunc ipſum in finem dabo hîc aliquas plagulas ex Bulla Julii. III. quam pòſt Leon. X. edidit Ann. 1554. conteſtans: *Nihil eſſe, quod animum noſtrum*, inquit, *magis exulceret, & confodiat, quàm horribilis, atque impia, & Chriſtianis auribus intolerabilis divini nominis blaſphemia, cùm audimus ſacroſanctiſſimum Dei, & JEſu Chriſti Domini noſtri nomen, quod ſuper omne nomen cæleſtia venerantur, terreſtria adorant, inferni contremiſcunt (quod ne temere quidem à quopiam propter ejus ſublimitatem, ac majeſtatem uſurpandum ſit) paſſim pravorum, efferatorúmque hominum vocibus ſcindi, unáque cum Sanctiſſimæ ejus genitricis, & Venerabilium Sanctorum & Amicorum ipſius Summi Domini nomine deteſtandis blaſphemiis, maledictiſque lacerari, ut minimè mirandum ſit, ſi à Chriſtianis populis, in tantis calamitatibus conſtitutis, divinæ iracundiæ flagella non amoveantur, propterea quòd juxta Sapientis dictum*: A viri multùm jurantis domo non diſcedet plaga.

805 Hæc præfatus Julius injungit blaſphemis pœnas non multùm diſſimiles iis, quas decrevit Leo, faciens quoque diſcrimen inter blaſphemias in Deum, in B. Virginem, & in alios Sanctos, item inter Nobiles, & plebejos, ſeu viles, quibus vult imponi fuſtigationem, aut deportationem ad triremes per triennium, & exilium perpetuum, rurſum vocans paulò inferiùs blaſphemiam *horrendum, & impium crimen*, ac deinde ſubdit: Inſuper ne ſacrilega, & mortifera hæc peſtis, ſi lateat, minùs curari, vel præcidi poſſit, ex Omnipotentis Dei authoritate mandamus, omnibus, & ſingulis, cujuſcunque ſint gradus, & conditionis: qui ſciverint, aliquos blaſphemâſſe, ut ſuprà, quòd eos denuntient infra triduum Reverendiſſimis Judicibus &c. ſicque omnes & ſingulos in diſtricto Dei judicio requirimus, & eorum conſcientias aggravamus; monendo tamen eos, quòd ſi conſtiterit, aliquem ſcientem noluiſſe denuntiare, cujuſcunque fuerit ſtatûs, dignitatis & conditionis, præter ultionem juſtitiæ divinæ; quam ei annuntiamus, & præter culpam mortalem, quam incurrunt ob inobedientiam, & ob neglectum honorem Dei, punientur eiſdem pœnis, quibus blaſphemi, & ſic eos mulctari præcipimus, non enim ſolùm digni ſunt pœna, & ſupplicio, qui ea faciunt, ſed & qui non corrigunt facientes.

Hactenus Julius, qui poſtea decernit in condemnando hoc *execrabili*, ut rurſum vocat, ſcelere ſtandum eſſe duobus teſtibus fide dignis, & loco teſtis poſſe haberi; & admitti teſtem unum denuntiantem cum juramento, monens, *ut, qui non accuſatione denuntiati fuerint, lachrimis, orationibus, & cæteris voluntariis pœnitentiis peccatum maximè deteſtandum redimant, in miſericordia Domini.* 806

Verùm quia hæc Bulla fuit edita pro ſolis Romanis, ut indicant tum Rubrica Cherubini: tum Proœmium ipſiuſmet Pontificis, à quibus finem, limitéſque Legis deſumendos eſſe teſtantur Doctores alibi à me laudati, Beatus Pius V. in Conſtit. 5. incipiente: *Cùm primùm*, exprimit innovari à ſe Conſtitutionem Leoninam, de qua ſuprà, conditam pro univerſo orbe Chriſtiano, nihil aliud injungens, quàm ut *ad abolendum nefarium, & abominabile blaſphemiæ ſcelus, quod in antiqua Lege Deus morte puniri voluit, & Imperialibus quoque legibus receptum eſt, nunc autem propter nimiam judicum in puniendo ſegnitiem, vel potiùs deſuetudinem, ſuprà modum invaluit, animadverteretur in Nobiles blaſphemantes in Deum, vel Virginem Matrem, gravioribus mulctis pecuniariis ab ipſo expreſſis, quàm ſanxerit Leo. Qui verò plebejus fuerit, nec erit ſolvendo, pro prima vice, manibus* 807

poſt tergum ligatus ante fores Eccleſiæ conſtituatur per diem integrum, pro ſecunda fuſtigetur per Urbem: pro tertia lingua ei præſcindatur, & mittatur ad triremes. Qui reliquos Sanctos blaſphemaverit, pro qualitate blaſphemiæ, atque perſonæ puniatur arbitrio judicis.

Ita piè Beatus Pius, ob cujus, uti & Leonis Bullas, (de Juliana utpote omnes quidem Chriſtianos terrente, docente, at ſolos Romanos, quatenus eſt juris novi, ſtringente, non eſt hujus loci diſſerere) ex parte repræſentatas,

808 Quæritur ulteriùs III. *Quomodo ſit intelligendum præceptum Leonis X. relatum* num. 802. *De acriter verbis objurgando illo, quem quis blaſphemantem audierit, ſi citra periculum ſuum id fieri poſſe contingat?*

Reſp. Navarrus in Manuali *Cap. 12. n. 83.* & apud Sanchezium Petrus de Ledeſma cum Lopez, intelligunt verba Leonis planè ut jacent. Eſſe ita rigidè intelligenda negat A-

809 zor *Lib. 9. cap. 28. quæſt. 7.* Ego omnino judico, fuiſſe Leonis eam mentem, quam demonſtrant verba tam clara, atque hanc tam acrem objurgationem decretam fuiſſe tanquam partem pœnæ commeritæ à blaſphemo, ita ut auditores blaſphemiæ fuerint à Leone, adeòque à toto Concilio Generali conſtituti partiales executores juſtitiæ, nec dubium, quin potuerit ob nimis exorbitantem nequitiam hujuſce execrabiliſſimi ſceleris non ſolùm permittere, ſed imperare quoque cum limitatione, quam ipſemet exprimit, dictam objurgationem. Nihilominus ſentio cum eodem Sanchez *Lib. 2. Moral. cap. 32. num. 46.* illud ſtatutum Concilii à parte rei, & in actu ſecundo jam non obligare (ob contrariam conſuetudinem) tam generaliter, quàm indicat Concilium, ſed in eo ſolo caſu, quo nequis blaſphemantem corrigere alia ratione, quàm acriter objurgando, qui caſus eſt valde rarus, niſi quando liberi coram parentibus, uxor coram marito, adoleſcentes coram conſtitutis in autoritate, famuli vel ancillæ coram heris bacchantur blaſphemiis in Deum, aut Cœlites.

810 Quæritur IV. *An, & quatenus illa eadem Conſtitutio relata* num. 798. *vim habeat, in quantum* num. 802. *tam diſertè mandat, ut blaſphemantes deferantur ab audientibus ad judicem.*

Reſp. Eſſe in hoc quoque membro Conſtitutionis explicando diſſenſionem inter Autores, ut videre eſt apud Sanchez *loc. cit. num 47.* dum aliqui rurſum id intelligunt ad literam, rati, eſſe à Concilio conditum novum jus. Alii arbitrantur, intelligendum eſſe duntaxat ſervato illo ordine correctionis fraternæ, quem Salvator præſcripſit *Matth. 18.* adeòque eſſe priùs privatim corrigendum blaſphemum; ſi prudenter ſperetur profutura correctio; ſi autem hæc non ſperetur obtinenda ea ratione, tunc primùm eſſe rem deferendam ad judicem. Ego ex una parte conſiderans, eſſe decretis Pontificiis ſtatutum, ut qui novit, eſſe ab aliquo prolatam hæreſin, aut à Confeſſario factam ſolicitationem ad turpia, deferat rectà tales ad competentem judicem, ex altera aliquas blaſphemias eſſe tam execrabiles, quàm ſit hæreſis, aut ſolicitatio, cenſeo fuiſſe mentem Concilii, ut ſaltem tales manifeſtentur judici. Quia tamen ſaltem in Germania noſtra non viget ullus talis mos, nollem meum pœnitentem obligare ad quid ſimile.

Quæritur V. *Specialiter de Confeſſario, quomodo teneatur ſe erga blaſphemantem gerere tum in abſolvendo illo, tum in remediis adhibendis?* 811

Reſp. I. Navarrus implacabilis, & meritò, hoſtis blaſphemorum, ſeu potiùs blaſphemiæ (debemus enim amare etiam peccatores, odiſſe peccata) tam in Manuali *cit. Cap. 12. num. 83.* quàm in Commentario, quem ſcripſit in Cap. *Inter verba. 11. quæſt. 3. num. 228.* vult ad unguem, & literam obſervari à Confeſſario mandatum Leonis, de quo ſuprà *num 800.* ut videlicet in foro conſcientiæ nemo blaſphemiæ reus abſque *graviſſima* pœnitentia ſeveri confeſſoris arbitrio injuncta poſſit abſolvi.

Et agnoſco ſanè, id Lateranenſe Decretum eſſe juſtiſſimum, quia *pro menſura delicti debet eſſe & plagarum modus.* Eſt autem blaſphemia crimen graviſſimum, ergo eſt & graviſſima pœnitentia injungenda per ſe loquendo. Sed in primis videtur mihi Concilium loqui ſolùm de blaſphemiis contra Deum, & B. Virginem, quandoquidem ante hunc §. fuerat ſermo de ſolis blaſphemiis in Deum, Deique Matrem, at in §. immediatè ſequente inſtituitur primùm ſermo de blaſphemia contra alios Sanctos, atqui juxta Regulas Jureconſultorum Clauſula poſita inter duo membra diverſa, debet potiùs referri ad præcedens membrum, quàm ad ſequens, quando ſine relatione ad ſequens habet illa clauſula ſenſum perfectum. 812

Deinde teſtatur Sanchez *loc. cit. num. 44.* poſt Armillam, Azorium, Suarez, *Tom. 1. De Relig. Tract. 3. cap. 7. num. 2.* hanc conſtitutionem non eſſe uſu receptam, ſed confeſſarios procedere cum blaſphemis circa injunctionem pœnitentiæ eo modo, quo putant hic & nunc eſſe procedendum, adeòque injungunt, ut reor, tales pœnitentias, quales cenſent eſſe hîc & nunc injungendas ſpectatis omnibus, certè ſi ſeveriſſima injungatur pro blaſphemia non prorſus extraordinaria, nemo perſolvet, cur igitur injungatur? Scripſi ego in Experientiis *Tract. 7. Caſ. 21. num. 745.* Confeſſarium nunquam debere pœnitenti injungere pœnitentiam, quam omnino credit non eſſe impleturum. Rationem, & autoritatem vide ibi, & judica, qua pœnitentia plectendi ſint ii, de quibus 813

P. Je-

Digitized by Google

P. Jeremias Drexelius.

814 TEſtatur enim, ac ſummè dolet in Phaëtonte *Cap. 6. §. 5. reperiri* (repertos fuiſſe audivi & ego) *non impios milites, non Bellonæ, ſed Minervæ, & literarum alumnos, qui tam immanes evomunt execrationes, ut nemini mirum videri poſſit, ſi terra illis dehiſceret. Omnia Chriſti Sacramenta, orbis elementa, omnia Chriſti vulnera, crucem, angores, cruciatus: omnia cæli fulgura, & fulmina in eos cogunt numeros, ut illis ludus, & jocus ſit centies centena, aut centies millies millia, vel fulminum, vel Sacramentorum, vel vulnerum ore impio jactare, & cùm numeri deficiunt, ſtellas, & ſidera ad numeros vocant, & iis triremes, turres, maria, imò & tartarum implent.*

815 An ſequendum hîc eſt exemplum

Confeſſarii multùm Zeloſi?

QUi *videlicet nactus unum aliquem ex hiſce ſceleratiſſimis, eorúmve perſimilem, dixit ei*: Ziehe die Schuch ab / vnnd fahr dem Teuffel zu: Exue calceos, atque ad diabolum abi, te non abſolvam.

816 Fluxerunt Anni admodum quadraginta, cùm hoc audivi de Confeſſario, cujus & nomen edebatur, qui ſanè abſolutè imitandus non eſt, etiam dum quiſpiam ex hujus peſſimæ, venenatiſſimæ farinæ juvenibus detegit hæc ſua portenta blaſphemiarum, quandoquidem non eſt abſolutè neganda abſolutio talibus ritè diſpoſitis, uti ſanè diſponi poſſunt multi, ſi non plurimi, eſto eadam abſolutio differri quandoque poſſit. Illa quoque ablegatio ad Diabolum eſt communiter valde aliena à gravitate ſacerdotali, atque inſtar gravis convitii, atqui Confeſſario nefas eſt pœnitentem convitiis etiam in ipſo Confeſſionali plectere propter peccata tunc audita. Sicuti obſervavi ex Cardinali de Lugo in eodem *Tract. 7. Caſ. 23.*

817 Nihilominus fuit fortaſſis ille pœnitens, ſeu potiùs confitens ita contumax in reſpuenda juſta pœnitentia: tum vindicativâ: tum etiam medicinali, ut in primis rectiſſimè fuerit dimiſſus abſque abſolutione, potuerit deinde illa ipſa oratio ita proferri, ut haberet illic ſenſum potiùs vaticinantis, ſeu denuntiantis præciſè vel damnationem ad malam crucem, vel æternam cum Cacodæmonibus manſionem, (caſu, quo non obtemperaret Confeſſario,) quàm ablegationem ad illos. Certè verba imperativi modi perſæpe in S. Scriptura, & colloquio inter homines habent duntaxat ſenſum permittentis, aut denuntiantis. Unde ſicuti factum illius Confeſſarii non propono tanquam paradigma imitandum, ita etiam non pronuntio eſſe nunquam omnino ſequendum, quaſi prorſus inexcuſabile.

Practicè autem loquendo faciendum eſt diſcrimen inter aſſuetos hiſce blaſphemiis, & non aſſuetos. Quando quis ex nulla prava conſuetudine, ſed alia occaſione extraordinaria, gravique ira prorupit ſemel, biſve intra menſem, ex quo non eſt confeſſus, in blaſphemias atroces, abſtinendum eſt omnino verbis Confeſſarii, à nobis in hanc ſcenam è tumulo producti, utpote & valde inſuetis, infamantibúſque Sacramentum pœnitentiæ, & minimè tunc neceſſariis, injungendæ aliquot (ſi obiri queant) Confeſſiones, jejunium unum, alterúmve: terræ quotidiana deoſculatio per octiduum unà cum humili percuſſione pectoris, petitionéque veniæ pro tam grandi exceſſu, aut aliquid ejuſcemodi cum bona eleemoſyna; quam doctrinam extendes proportionaliter ad alias numero, & qualitate blaſphemias. 818

At verò loquendo de aſſueto blaſphemiis hiſce aut aliis. *Reſp.* II. Diſtinguendum eſſe, utrùm is poſt ultimam Confeſſionem, admonitionémque adhibuerit ſerium conatum ad extirpandam pravam conſuetudinem, nec ne? Si adhibuit, & nihilominus eſt relapſus, tunc licèt Medina, Lopez, & alii apud Sanchez *cit. num. 45.* exiſtiment, eſſe non quidem abſolutè negandam, ſed differendam abſolutionem, aſſentior tamen Sanchezio id neganti; tametſi enim ego in Experient. *cit. Tract. 7. Caſ. 7. n. 320.* ex communiore Theologorum dico contra Joannem Sanch. *in Select. Diſp. 9. num. 13.* poſſe quandoque etiam in tali caſu negari, ſubdo tamen, vix unquam expedire. Non igitur eſt doctrina Medinæ communiter practicanda cum illo genere blaſphemorum, de quibus eſt hic ſermo, ſed tunc ſolùm, quando Confeſſarius habet ita perſpectam indolem pœnitentis, ut poſſit ipſi cum ejus fructu ſpirituali dicere; *Quandoquidem tot tentatis remediis, tam parùm aut nihil proficimus, nolo te nunc abſolvere, ſed redi poſt ſex, octo dies &c. & interim certa viriliter.* 819

Si verò abſolutè nullam, aut vix ullam adhibuit diligentiam, nec præſeferat animum ſeriò utendi remediis à Confeſſario adhibendis, neganda eſt abſolutio. Cùm enim experientia doceat, aſſuetos huic deteſtabiliſſimo, & mille tartaris digno flagitio non emendari, niſi magnam ſibi vim inferant, utantúrque medicinis præſervativis, hoc ipſo demonſtrant carere ſe firmo propoſito emendationis. Si autem nullam quidem adhibuit diligentiam, at ſeriò dolet, proponitque adhibere, impertienda eſt ipſi abſolutio præmiſſa injunctione pœnitentiæ, ut rectè Sanchez *cit. num. 44.* poſt P. Azor. *cit. Cap. 28. quæſt. 18.* 820

Quibus addo duo: Primum, nunquam, aut ferè nunquam dimittendum eſſe blaſphemum 821

ſine

ſine ſeria demonſtratione, quàm ſit res indigna Chriſtiano ſummum Deum, cúmque ſeveriſſimum judicem irritare læſione ſui honoris, cùm viliſſimus quiſque homuncio perægre ferat ſe vilipendi, aut contemni. Faciunt hanc in rem, quæ ſuprà retuli ex Sanctis Chryſoſtomo, & Ephrem. Alterum, par omnino eſſe, ut quando eſt injungenda pœnitentia pro hoc ſcelere, confeſſarius exiſtimet, proponi ſibi tunc vel maximè à Synodo Trident. *Seſſ. 14. cap. 5.* illam commonitionem, & comminationem *Debent ſacerdotes Domini, quantum Spiritus, & prudentia ſuggeſſerit pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatiſfactiones injungere.* Ne, ſi fortè indulgentiùs cum pœnitentibus egerint, leviſſima quædam opera pro delictis graviſſimis imponendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Et quid ni Confeſſarius quandoque dicat: *Ignoſce mihi Domine, quod tibi tam ſeriò ob oculos ponam indignitatem harum tuarum blaſphemiarum: Tu inſurrexiſti in Dominum meum: quid ni igitur oſtendam gravitatem injuriæ illatæ ipſi à te, qui & ejus es, ſicut ego, mancipium, toties intra tam breve tempus, nulla tibi ab ipſo data cauſa?* Hanc admonitionem juſtificat ſententia, quam *num. 826.* referam ex S. Cypriano.

822 Quia verò compertum mihi eſt, plurimos parochos, aliósque Confeſſarios non habere ad manum ullum librum, è quo petant remedia opportuna ad extirpandum è ſuis pœnitentibus crimen blaſphemiæ, transferam ad hunc locum ea, quæ P. Fornarius noſter conſcripſit de hoc argumento in Inſtit. Confeſſarii *Tract. 3. cap. 4.* in hæc verba: *Proderit ut quiſque ab hoc peccato abhorreat, diligenter perpendere primùm, quàm grave ſit peccatum, eſt enim majus homicidio.* Addo ego omnino expedire, ut nonnullis dicatur, quàm graviter de atrocitate hujus criminis loquantur Pontifices relati ſuperiùs, atque Patres. Secundò, *quàm ſit injuſtum crimen, & contra rationem, quia eſt immediatè contra Creatorem, in quo vivimus, movemur, & ſumus, & à quo omnia bona exſpectamus.* Tertiò, *quàm inutile delictum omnino ſit, imò pernicioſum, horrendum eſt enim incidere in manus Dei viventis* Hebr. 10. Quartò, *quàm periculoſum ſit, nam etiam in hac vita vindicare hanc injuriam Deus ſolet, ut in Sennacherib.* 4. Reg. 19. *Antiocho.* 2. Machab. 2. Hanc in rem (ut ex meo addam) facient tam horrenda exempla, quæ retuli ſuprà *num. 751. 760. 762. 763. 782.* & referam infrà *num. 827. 832. 867. 868.* Quintò, *juvat etiam vitare occaſiones, ut ludos, juramenta, pravas conſuetudines.* Sextò, *examen particulare quotidie adhibere, & gravem pœnitentiam ſponte aſſumere.*

823 Addo ego, quandoque eſſe pœnitenti injungendum, ut per menſem e.g. quotidie, cùm ſurget, proponat firmiſſimè, non blaſphemare die illo, & ſi nihilominus contingat eſſe evomitam blaſphemiam, ſeponat certam pecuniam dandam pauperibus, quoties relapſus fuerit in illud crimen, quam pecuniæ elargitionem quandoque imperabit arcanus judex pro blaſphemiis jam primùm detectis in exhomologetorio, ſeu confeſſionali. Erat Nabuchodonoſor ſummè blaſphemus in Deum, huic autem Propheta Daniel *Cap. 4.* nihil ſuaſit aliud, quàm ut *peccata ſua* adeóque blaſphemias *redimeret eleemoſynis, & miſericordiis pauperum.* Et quid ni pro re nata quandoque imperetur ex præſcripto *Cap. Statuimus. De maled.* ut vel ſeptem feriis ſextis jejunet in pane, & aqua, vel totidem diebus Dominicis paſcat unum, alterúmve pauperem? O ſi Deus donaret omnes confeſſarios, atque concionatores efficaci Eliæ Zelo tuendi, ſarciendíque ſui diviniſſimi nominis per blaſphemias indigniſſimè læſi! quot earum centeni milliones arcerentur partim ab ore, partim etiam ab animo?

Septimò ſcribit quidem etiam Fornarius, non eſſe abſolvendum pœnitentem, niſi impoſita graviſſima pœnitentia, ſed jam aperui ſuperiùs, quid videatur mihi practicè agendum. Vult etiam idem Autor, ut idem Confeſſarius injungat divinas laudes, & orationes, officium, coronam: ut ſæpe terram oſculetur pœnitens, ut benedicat Deum: Dicat *Gloria Patri &c.* frequentet uſum Confeſſionis, & Euchariſtiæ.

Priùs autem quàm vel injungat pœnitentiam, vel impertiatur abſolutionem, debet utique nôſſe, an, qui ſeu Germanicè, ſeu Latinè confitetur ſe blaſphemâſſe, reverà propriè, aut blaſphemârit, aut blaſphemâſſe ſe putet. Et in primis Germanicè dicentibus: Ich hab Gott geläſtert / raró fidem habeat, re enim vera longè plurimi confundunt das Gottsläſtern / ſeu Gottsläſterung cum juramentis nudis, aut cum imprecationibus diaboli, fulminis &c. multi è ruſticanis interrogati, quomodo blaſphemârint, reſpondent, ſe hoc aut illud grave convitium jeciſſe in aliquem, quod etiam multò ſæpiſſime intelligunt, quando dicunt: Ich hab geflucht / quare ego ne quidem unum è decem, ex ita confitentibus ſolitus ſum abſolvere, niſi priùs interrogatum, quibus verbis in individuo eſſet uſus. Et quot centenos, ne dicam millenos latinè confitentes ſe blaſphemâſſe, manifeſtè deprehendi nihilo magis propriè quàm agreſtes locutos fuiſſe? 824

Sed & P. Laymannus *Lib. 4. Tract. 16. cap. 6.* in fine communem, & neceſſariam doctrinam de interrogando pœnitente, utrùm planè deliberatè blaſphemârit, applicat ſingulariter illi, qui confitetur ſe dixiſſe: Gantz Donner Sacrament: Gantz Galeen Sacrament: daß dich Gotts Chryſam ſchendt / quæ quidem verba apertiſſimè ſonant ipſo quoque teſte blaſphemiam. *Sæpe enim homines*, inquit ille, *ejuſmodi verba blaſphema proferunt inadvertenter, ac ma-* 825

materialiter tantùm, non attendentes quid ſignificent: tum verò excuſandi à gravitate peccati propter imperfectionem cognitionis, & voluntarii, modò interim conentur perverſam ejuſmodi conſuetudinem deponere. Ita ille.

826 Claudo hanc ſectionem duabus illuſtribus ſententiis, petitis ex Divis Cypriano, & Ephremo. Quorum primus *in Lib. De hæretic. baptizand.* ſic ſcribit: *Si cujus patri aliquis convitium fecerit: ſi contumelioſus, & procax, pudorem ejus, & honorem maledico ore laceraverit, indignatur filius, & iraſcitur, & laſi patris injuriam quibuſlibet modis vindicare conatur. Tu Chriſtum putas impiis, & ſacrilegis in patrem ſuum blaſphemiis veniam dare?*

Alter *in Paræneſi 43.* lamentatur in hunc modum: *Quouſque tandem exacerbamus eum, qui tanta nobis bona donavit? qui pulverem è terra capiens formavit hominem, & inſpiravit in eum ſpiritum vitæ, qui cuncta ſubjecit ſub pedibus ejus, & nos dormientes cuſtodit, & excitatos protegit, & eſurientes nutrit, ac nudos veſtit, puſillanimes conſolatur, corripit, & miſeretur, qui etiam Filium ſuum Unigenitum pro omnium vita tradidit, nos autem pro beneficiis ejus ſpinas, & tribulos proferimus, quorum conſummatio in combuſtionem.*

SECTIO II.

De Pœnis Blaſphemorum.

SUMMARIUM.

Blaſphemo juſſu Dei lapidato, datur Judæis Lex generalis de lapidandis blaſphemis. Levit. 24. *827.*

Verba Philonis in prædictum Scripturæ locum. 828. & ſeq.

Sententiæ tres SS. PP. contra Blaſphemos. 831.

Exemplum mulieris blaſphemæ in S. Sigebertum, cujus os uſque ad aures retortum fuit. 832.

Lex lapidationis, utpote judicialis, non ampliùs ligat Chriſtianos. 834.

Æmulatio tamen ſeveritatis Divinæ eſt laudabilis. Ibid.

Jus Canonicum non judicat neceſſarium aut utile eſſe omnes blaſphemos morte punire 835. & ſeq.

Caſus blaſphemi Tigurini Conſtantiæ tam clementer puniti, aut Autor, qui id reſolviſſe videbatur, multos offenderit. 837. & ſeqq.

Quomodo varii Principes & Magiſtratus punierint blaſphemos? 840. & ſeqq.

Quid Statuant Leges Civiles de blaſphemis? 843.

Quid ſanxerint Maximilianus. I. & Carolus. V. Imperatores? Ibid.

Quid cenſeant hac in re Juriſconſulti? 844.

Defenduntur fusè duæ Reſponſiones datæ ad Caſum blaſphemi Tigurini. 846. & ſeqq.

Caſus Blaſphemi, à Judice tranſeunte abſciſſione linguæ puniti. 857. & ſeq.

Quis ſit Judex in cauſa blaſphemiæ? 860.

Quid ſit Blaſphemia Realis, & quomodo punienda? 861.

Blaſphemi non gaudent Jure Aſyli. 862.

Quid Chriſtus reſponderit Roberto Regi Galliæ, de blaſphemiis ſui Regni? 863.

Exhortatio 1. Severa ad extirpandas Blaſphemias ex Tiberio Deciano Comite. 864.

Exhortatio 2. Lenis, ex Martino Navarro Canon. Regul. 865.

Exhortatio 3. Prolata ab ipſo Dæmone poſt terribile ſupplicium de blaſphemo ſumptum ex Zahnnio Juriſconſulto. 867.

Exhortatio alia à Dæmone prolata poſt terribiliſſimum ſupplicium blaſphemi, ex P. Martino Delrio. 868.

Tredecim Rationes conſiderandæ Principibus, ut magno Zelo extirpent blaſphemias. 870. & ſeqq.

Adhortatio ad Parochos, ut conjunctis animis expugnent hoc vitium. 888. & ſeqq.

Sententia Guilielmi Peraldi de blaſphemis. 891.

Et S. Chryſoſtomi. Ibid. *& ſuprà 831. ad finem.*

Et S. Ephrem. 892. & ſuprà. 831. circa medium.

Proponam primo loco aliquas pœnas in hos ſtatutas à Deo. Secundo ſtatutas ab hominibus. Sit igitur prima hanc in rem. 827

Pœna manifeſtè Divina.

Ecce egreſſus filius mulieris Moabitidis, quem pepererat de viro Ægyptio, inter filios Iſraël, jurgatus eſt in caſtris cum viro Iſraëlita. Cúmque blaſphemâſſet nomen (Dei) *& maledixiſſet ei, adductus eſt ad Moyſen, miſeruntque in carcerem, donec noſſent, quid juberet Dominus, qui locutus eſt ad Moyſen dicens: Educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes, qui audierunt manus ſuas ſuper caput ejus, & lapidet eum populus univerſus. Et ad filios Iſraël loquêris: Homo, qui maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum: & qui blaſphemaverit nomen, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo; ſive ille civis, ſive peregrinus fuerit. Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur.*

Hanc generalem ſimul & individuam blaſphemiæ manifeſtè à Deo decretam pœnam leges Levitic. *Cap. 24.* recenſitam verbis huc tranſlatis, in quam Philo Judæus tam graphicè, luculenterque commentatus eſt *Lib. 3 De Moyſis vita*, ut facere nequeam, quin plagulam huc transferam: *Moſes quidem*, ſcribit Philo, *amentiam perditam, & immanem audaciam* 828

effer-

efferveſcentem miratus, quamvis generoſa indignatione cuperet manu ſua ſceleſtum conficere, veritus tamen eſt, ne is ad hunc modum leviore, quàm pro merito, defungeretur ſupplicio, par enim tantæ impietati pœna ab hominibus inveniri non potuit, cùm impius ille polluta lingua, vocéque auſus ſit eum execrari, quem ne honoris quidem gratia fas
829 *eſt nominari ab omnibus. Ideo Moſes, dum vinctum in carcere aſſervari præcepit, ſuppliciter à Deo flagitabat veniam dari oculis, auribúſque non ſponte pollutis, idcirco rogabat, quid oporteret pati inventorem ſceleris infandi, & inauditi ad illum diem. Deus ſic conſultus lapidari juſſit, quòd animam haberet blaſphemus duriſſimam, & planè ſaxeam, utque manibus totius gentis, in ultionem avidæ, ſumeretur ſupplicium, quia non poterant aliter cominus ferire tot millia, & ut ſanguis ipſe illic ſparſus horrori eſſet omnibus, docerétque blaſphemiam deteſtari.*

830 Hæc, & alia eleganter, piè, ingenioſè Philo, referente P. Drexelio in Phaëtonte *Cap. 7. §. 1.* quod totum legant, & quaſi vivæ memoriæ mandent omnes tum Confeſſarii, tum Concionatores locorum, à quibus cupiunt penitus eliminare, aut ſaltem plurimum imminuere frequentiam hujus deteſtabiliſſimi, atque æternùm damnati proprii quarto modo ſceleratiſſimi ſceleris, ſi crebrò lectitent, habebunt ſemper in promptu machinam peraptam frangendo etiam adamantino pectori blaſphemi, quem habet concioni aures præbentem, vel genua coram ſe flectentem in confeſſionali.

831 Et quia hæc ſaxea pectora emolliuntur potiùs metu ſuppliciorum, etiam ante comparitionem coram terribiliſſimo tribunali illius, quem tam indignè, petulanter, protervè, ex mera libidine parentandi ſuo veſano furori, toties rurſum crucifixerunt (*non enim minùs peccant, qui blaſphemant Chriſtum regnantem in cœlis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris* S. Auguſtin. *Cap. 26. in Matth.*) ſuis blaſphemis linguis, quàm pondere verborum, idcirco ingerenda omnino ſæpe illa comminatio ſimul & obteſtatio S. Ephremi cit. Paræn: *Deſine*, ait, *O homo blaſphemare, ne fortè idem ſermo, quem contemnis, fiat flamma in ore tuo, & tuam linguam comburat.* Comburat, ajo, illam linguam, quæ à lingua aurea S. Chryſoſtomi appellatur aptiſſimè *Vehiculum Diaboli.* Imò caveat blaſphemus, ne repetatur in eo hoc

Exemplum abominabilis ſupplicii ſumpti de muliere blaſphema.

Quæ opibus quidem larga, ſed virtutibus 832
non ſatis referta, cùm in medio vicinorum ſederet, audivit quoſdam miracula per venerabilem virum Sigebertum patrata narrantes, illa verò audita non ſolùm credere noluit, verùm etiam quædam contumelioſa, & probroſa verba proferre non erubuit. Verùm ut verba ejus proruperunt, ipſum os blaſphemum uſque ad aures retortum tali hiatu cunctis videntibus miſerabile præbuit ſpectaculum.

Teſtis hujus ità deſcripti, abominabilis vultûs effecti eſt Anonymus apud Bollandum ad 833
1. Februarii in vita S. Sigeberti Regis *fol. 239.* addens, eam feminam pœnitudine ductam poſt humillimam deoſculationem hujus Sancti Reliquiarum ſanatam fuiſſe. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, inquit Salomon *Sap. cap. 11.* per vehiculum diaboli peccavit illa mulier, per illud & torta fuit.

Sed redeundo ad ſemitam, obſervo, tametſi tam grave ſupplicium, quàm eſt lapidatio, 834
fuerit à ſupremo Nomotheta Deo ſtatutum Lege tam expreſſa, & cum immani ſcelere à Judæis extenſa ad S. Stephanum Protomartyrem, attamen quia fuit merè judicialis, Leges autem merè judiciales, & merè ceremoniales antiqui teſtamenti ſepultæ ſunt cum Chriſto, qui ſuſtulit jugum, quod neque Judæi illius ævi, neque eorum patres portare potuerunt teſte S. Petro *Actor 11.* eam ob rem non ligat Chriſtianos Magiſtratus, qui tamen ſi, quoad poſſunt omnibus ſpectatis, æmulentur ſeveritatem ipſius ſupremi judicis Dei, facient per ſe loquendo rectiſſimè, piiſſimè, quandoquidem primum in unoquoque genere eſſe exemplar cæterorum non modò tradunt philoſophi poſt ſuum Magiſtrum Ariſtotelem, ſed etiam reſcripto ſuo confirmavit Innocentius III. Cap. *Ex literis, §. Quia.* Verb. *Noſtri. De conſtit.* Deus autem O. M. eſt primus non ſolùm tempore, ſed etiam, & vel maximè ſapientia in ſanciendis legibus adverſus illos, qui ponunt in cœlum os ſuum, linguam relaxando in blaſphemias. *Cap. 2. De maled.*

Nihilominus tamen uſus non modò omnium ſæcularium Principum, ſed etiam Romano- 835
rum pontificum, ipſiúſque adeò Concilii univerſalis, & Oecumenici Lateranenſis relati ſuprà *num. 798.* itémque Julius III. & B. Pius V. etiam ſuprà nominati judicârunt, nec eſſe neceſſe, nec etiam expedire, ut in omnes omnino blaſphemos animadvertatur ſupplicio ca-

pitis, fortè etiam ob cauſam, quam expreſſit valdè cæteroquin, & ſingulariter in hac materia, Religioſus Julius Clarus, dum in *Pract. Crimin. Verb. Blaſphemia. num. 3.* ſcitè, & argutè ſcripſit: *Si omnes blaſphemi decapitarentur, pauci ſupereſſent, qui blaſphemare poſſent.* Quod pronuntiatum eſt ſingulariter intelligendum de provinciis ſimilibus ei, in cujus oppidis etiam paucis dixi ſuprà *num. 750.* eructari intra menſem unum, alterúmve plures blaſphemias, quàm toto Anno in univerſa Helvetia Catholica.

836 Et verò non modò tres illi pontifices, de quibus ſuprà, in ſuis, ut ita loquar, Extravagantibus nullam mortis pœnam ne indirectè quidem (directè non ſolent, quia Eccleſia Dei gladium non habet niſi ſpiritualem. Text *Cap. Inter hæc. 33. quæſt. 2.*) quod fit per degradationem realem, ſolitámque ſequi traditionem in manus ſæcularis magiſtratus, ſed neque jus Decretalium, quod habetur Cap. *Statuimus. De maled.* ubi præcipua, & ſaluberrima, ſi poſſet in uſum reduci, pœna eſt, ut *ſi quis contra Deum, vel aliquem Sanctorum, & maximè B. Virginem linguam in blaſphemiam publicè relaxare præſumpſerit, per Epiſcopum ſuum tali pœnæ ſubdatur, ut ſeptem diebus Dominicus præ foribus Eccleſiæ in manifeſto, dum aguntur Miſſarum ſolemnia, blaſphemus exiſtens ultimo illorum dierum Dominico pallium, & calceamenta non habens, ligatus corrigia circa collum, ſeptémque præcedentibus feriis ſextis in pane jejunet, & aqua, Eccleſiam nullatenus ingreſſurus.* Et hæc ſufficiunto hoc loco de pœnis Eccleſiaſticis ſtatutis in blaſphemos, nunc diſſerendum de civilibus, cujus diſſertationis cauſam dedit hic

Caſus Conſtantienſis recentiſſimus.

837 *Anno enim ſuperiore, adeóque 1671. Joannes Hartmannus N. Annos 18. vel 19. natus, coriariam operam locans civi Conſtantienſi ejuſdem opificii, interrogatus de patria, in domo heri ſeu Magiſtri, à cive Conſtantienſi murario, jam ſatis compertum habente, quid reſponſurus eſſet, profitetur ſe civem eſſe Tigurinum* (Tigurini propugnant ſectam ex Catholica, Zwingliana, & Calviniſtica conflatam) *atque filium Prædicantis. Subdidit murarius: Tigurinos eſſe ejuſdem quidem (quoad commune Chriſtianorum nomen) Religionis cum Catholicis, at factis eâdem non demonſtrare, quandoquidem ii unum articulum nempe hunc:* Natus ex pura Virgine Maria, *non credant, proinde eorum Religionem nihili eſſe faciendam. Reſpondit coriarius: omnino ſumus ejuſdem vobiſcum Fidei, at non poſſumus agnoſcere, Mariam eſſe puram Virginem, quandoquidem ipſa fuit peccatrix, atque Chriſtus Dominus expulit ex ea ſeptem dæmonia.*

Hæc blaſphemia delata ad magiſtratum civicum, atque coriario abducto (poſt informationem huc ſufficientem) in carcerem, nullo autem teſte qui, verba præſens audierit, præter murarium, producto, reo tamen faſſo ſuum crimen, at excipiendo, ſeu potiùs minuendo illud ex eo, quòd, antequam in hæc verba prorumperet ipſe, fuerint atrociſſimis convitiis ſuus parens, ſua Religio, hujus anteſignani impetiti à murario, ob quæ ira percitus effutierit illa verba, placuit Ampliſſimo Senatui exquirere per virum Clariſſimum Procancellarium Urbis, quo ſupplicio dignum cenſerem illum reum? Certa de cauſa nolui dare categoricum abſolutúmve reſponſum, ſed ſolùm dixi, ſuppoſita veritate narratorum, videri mihi coriarium non eſſe afficiendum graviore ſupplicio, quàm fuſtigationis, ut vocant Itali, ſeu flagellationis ex betula (ut moris eſt apud Germanos) è Curia uſque ad portam urbis continuatæ à carnifice, unà cum æterna proſcriptione è civitate Conſtantienſi, è diverſo videri non infligendam minorem pœnam, quàm ſi reus cum infamia deducatur itidem è curia ad portam urbis, jubeatúrque æternùm abſtinere ingreſſu Conſtantiæ. 838

Primo meo reſponſo vix abſimile dedêre duo Juris-Conſulti, ut poſtmodum comperi, illorum enim unus cenſuit, eſſe collum ejus inſerendum ferreo collari, linguam ferro candente urendam, atque damnandum æterno exilio, alter autem non quidem mortis, alia tamen gravi, eáque arbitraria pœna mulctandum. Senatus mitiora ob magnorum virorum interceſſionem, quæ ſine notabili incommodo repudiari nequibat, ſecutus, cenſuit, eſſe à duobus lictoribus educendum ex urbe, unà cum perpetua proſcriptione. Tam 839
lenis ſententia, cujus autorem me extitiſſe dictitabant nonnulli, haud ſine nominis mei flagellatione, offendit animos multorum laicorum, & Eccleſiaſticorum, ea ſingulariter de cauſa, quòd diceretur ille coriarius non ſolùm intra privatos parietes, ſed inſuper etiam loco publico coram aliquot evomuiſſe illa Chriſtiano homine indigniſſima verba, certè non ſemel duntaxat, ſed iteratò, & ex intervallo illa protuliſſe in concertatione, ſeu altercatione cum coriario.

Ve-

Digitized by Google

Verùm non modò ſpecies facti, quæ propoſita mihi fuit, nihil ejuſmodi continebat, ſed neque etiam acta judicialia, quæ poſt ſententiam executioni mandatam fuêre communicata mihi, meditanti hanc de blaſphemia materiam, quidquam ejuſmodi inſinuant. Quapropter perſiſto in utroque reſponſo, quod dedi, & nihilominus defendo clementiam ſententiæ re ipſa latæ, producturus hujus utriuſque rationes, ubi retulero 1. Facta nonnullorum principum, tribunaliúmque circa reos blaſphemiæ. 2. Leges latas in blaſphemos. 3. Judicia, opinionéſque jureconſultorum, quibus tanquam magiſtris hac in re meritò tribuitur maxima autoritas.

840 Atque ut à primò ordiar Juſtinianus I. Imperator primum Annum ſui Imperii auſpicatus eſt ſententia juſta, & ſevera, dum mandavit radicitus linguam evelli blaſphemo (teſtibus Evagrio, & Nicephoro apud Zahnnium *Lib. 2. De mendac. Cap. 12.*) nonnemini hujus ſceleris comperto. S. Ludovicus Galliæ Rex audito, quemdam genere nobilem vomuiſſe blaſphemiás, mandavit ejus ſupplicio ſanciri legem à ſe paulò antè latam de blaſphemi labiis infami ſtigmate inurendis, reſponditque deprecantibus ſupplicium: *Ego ipſe*, inquit, *honori mihi ducerem, vel mea fronte hoc ſignum recipere, modò vel hac ratione damnatiſſimum iſtud vitium*
841 *meo Regno pellerem.* Ita ex Paulo Æmil. *Lib. 7. Hiſtor. Franc.* P. Drexelius *loc. cit.* §. 4. ex quo memorandum & illud, quod ipſe ſubdit de Ruperto Imperatore optimo (refero de eo in Experient. *Tract. 8. Caſ. 22. num. 881.* quid ſenſerit de extremæ Unctionis Sacramento) quòd videlicet delatis ad ipſum nominibus exulum, qui varia crimina patrârant, & cognito cujus quilibet eſſet reus, omnes gratiâ donârit; uno unico excepto, qui ludo incaleſcens aliquoties impias voces in Deum jecerat. Erat ille quidem non infimæ familiæ, & ſtipatus câterva tum cognatorum; tum etiam urbis Spirenſis, in qua tunc erat Rupertus, at nihilo-
842 minus debuit exilio luere flagitium. Alia plura particularia Regum facta circa hoc genus hominum refert P. Drexelius; & poſt illum, ac ferè ex illo Zahnnius *loc. cit.* quibus addam nonnulla infrà *num. 875. & ſeqq.* adde tu ex Jul. Claro *in Pract. crimin. verb. Blaſphemia. n. 3.* quendam Barbinum pro grandi blaſphemia fuiſſe à Senatu Mediolanenſi per biennium tranſmiſſum ad triremes, qui fuiſſet laqueo ſuſpenſus, ſi eum non excuſâſſet ruſticitas. Sicut & alium Antonium Zunzam homine propter atroces blaſphemias fuiſſe ſententia ejuſdem ſenatûs damnatum ad triremes perpetuas, ſi aptus eſſet, ſin ineptus, furcis ſuſpendendum. Aliis lingua perforata fuit, teſte de Afflictis apud eundem Clarum, teſtante Deciano in Praxi *Crimin. Lib. 6. cap. 6. num. 9.* propriam (ex conſuetudine) pœnam eſſe amputationem linguæ, vel ejus perforationem. At verò Covarruvias *loc. cit. num. 21. & ſeqq.* refert, quo pacto Hiſpani, & Galli primam, ſecundam, imò ſextam blaſphemiam puniant citra mortem, incipiendo à mulcta pecuniaria, deinde augendo hanc, poſtmodum ad pœnas corporales deveniendo. Ferè eadem habet Boërius *Deciſ. 301.* ex quo referam infrà *num. 875.* nonnulla particularia. Vide etiam Barboſ. *De offic. Epiſcop. allegat. 30.* multa cumulantem.

Quia tamen potiùs legibus, quàm exemplis judicandum eſt *Leg. Nemo. Cod. De ſentent. & inter. omn. judic.* præſertim quando exempla & peregrina, & pervetuſta ſunt; noto in primis præter ea, quæ à jure Canonico ſtatuta dixi ſuprà *num. 835.* Covarruviam *in Capit. Quamvis. De pact. §. 7. num. 20.* exiſtimare, eſſe in Cap. *Si quis per capillum. 22 quæſt. 1* ſtatutum, ut clericus blaſphemus (ſi ſit incorrigibilis) degradetur, & brachio ſæculari tradatur. Similiter in Authent. *Ut non luxur. hom. contr. natur. §. Præterea.* capitis ſupplicium decerni in blaſphemos, illos videlicet, qui ex conſuetudine blaſphemant, & incorrigibiles ſunt. Cynus, Baldus, Salycet. cum, & apud Covarr. *loc. cit. num. 21.* cum Deciano *in Praxi Lib. 6. cap. 5.* Zahnnius verò *loc. cit. num. 3.* indicans varias ſanctiones editas à Maximil. I. & Carolo V. teſtatur, iis indefinitè decerni pœnam mortis, aut mutilationis membri, addens, jure Saxonicò hodiéque obſervari, ut lingua blaſphemi amputetur, quam tamen non amputari, ſed clavo perforari voluere alii, atque alii Reges apud Covarr. at non pro prima blaſphemia. Idem Covarruvias *num. 14.* teſtatur, jure Hiſpanico illum, qui linguam blaſphemam laxavit in B. Virginem, duplo majore pœna affici, quàm, qui in alium Sanctum. Sanè Cardinalis Toletus *Lib. 4. cap. 13.* ſcribit rotundè, graviſſimum, inter omnia peccata, quæ contra Sanctos fiunt, eſſe contra Beatam Virginem blaſphemare. 843

Ex his patet, quantopere à ſe invicem diſtent: tum leges ipſæ; tum judiciales, & individuæ ſententiæ à diverſis Legiſlatoribus, atque Judicibus latæ in reos blaſphemiæ. At jureconſulti conveniunt in *ſeqq.* 1. Quòd lex civilis infligens mortis pœnam, ſit deſuetudine abrogata. 2. Quòd fuerit lata non adverſus omnes blaſphemos, ſed ſolùm adverſus aſſuetos blaſphemiis, adeò ut Decianus, & Menochius. *De arbitrariis Caſu 375.* Farinacius *in Praxi Lib. 1. quæſt. 20. num. 4 & ſeqq.* aliique plures inficientur, [illegible], qui tantùm bis, aut ter blaſphemavit, eſſe, ſtando præciſè jure *tit. Authentic.* morte mulctandum. 3. Quòd teſtes ſingulares non ſint admittendi ad probandam conſuetudinem blaſphemandi. Decianus *tit. Cap. 5.* poſt Jaſon. Alexand. & alios. 4. Nec diſſentit Decianus, atque Farinacius poſt Boërium 844 845

rium *Deciſ. 301.* à Jaſone, atque Alberico ratis, mitiùs eſſe puniendum, qui rarò, quàm qui conſuevit blaſphemare, quod etiam tenet Menoch. *loc. cit. num. 32.* exprimente Damhouderio *in praxi Cap. 61. num. 27.* poſt Caſtrenſem, eſſe hîc ſingulariter attendendam aſſuefactionem. 5. Addit idem Decianus *num. 8.* poſt Grammaticum, in illum quoque eſſe leniùs procedendum, qui ex cauſa ſatis colorata in maximam iram incidit, propter quam blaſphemavit, aſſentitur Menoch. *num. 33.* referens alios. 6. Jura decernentia capitale ſupplicium in blaſphemos, intelligenda ſunt de blaſphemantibus publicè. Damhouder. *loc. cit. num. 28.* id eſt taliter, ut multi conſpicientes ſcandalizati ſint. Idem doctiſſimus & religioſiſſimus Damhouderius, atque ante illum Tiraquellus *Tract. De pœnis minuend. Cauſa 1. n. 14.* & meritò, quia majus peccatum eſt manifeſtè peccare, quàm occultè. Gl. *in Cap. Nemo 32. quæſt. 4.* in verb. *Tolerabilius*. Denique Udalricus Zaſius *Conſil. Lib. 1. conſil. 19. num. 38.* loquens in ſpecie de blaſphemia ſcribit ex omnium ſapientum ſenſu: *Inſpiciendum in prædictis eſt id, quod conſuetum eſt fieri in ſimilibus.*

846 Hiſce poſitis facilè oſtenditur veritas mei primi reſponſi, quia Reus, de quo nobis ſermo, tantùm ſemel blaſphemavit, etſi enim vomuerit tres blaſphemias de Matre Dei, dicendo in primis, ſe non poſſe credere fuiſſe puram, deinde adferendo duas blaſphemas probationes hujuſce primæ blaſphemiæ, quia tamen prima concordabat reipſa cum ſecunda, nec enim Maria fuit pura, ſi fuit peccatrix, dicendæ ſunt potiùs duæ, quàm tres blaſphemiæ. 2. Etiamſi duæ diverſæ blaſphemiæ proferantur uno impetu, habentur tamen in foro externo pro unica. Decianus in terminis *loc. cit. Cap. 5. num. 14.* eò quòd minus crimen abſorbetur à majore. Gloſſ. in Leg. *Si familia. ff. De juriſd. om. jud.* Confirmatur tum reſponſo ex Diana producto *num. 776.* tum ex eo, quòd communis Theologorum ſententia teneat, & rectè, omnes hæreticales blaſphemias eſſe unius, ejuſdémque ſpeciei.

847 3. Dato, non conceſſo, fuiſſe revera tres blaſphemias, non tamen inde infertur, illum nomine, atque animo durum, ſaxeúmque Hartmannum fuiſſe accenſendum ſolitis, ſeu aſſuefactis blaſphemare: tum quia Doctores relati *num. 845.* exigunt ad hanc denominationem plures actus, quàm tres: tum quia etiam quatuor, aut quinque ſeu boni, ſeu mali actus exerciti eodem tempore non inducunt, nec innuunt conſuetudinem. Ex quibus etiam infertur, huic reo, quoad mitigationem pœnæ patrocinari Doctores, qui *num. 845.* relati ajunt, eſſe leniùs habendum, qui rarò, quàm qui ſæpe blaſphemat, quorum doctorum judicium roboratur illa diſtinctione pœnarum, quæ, ut retuli ex Covarr. *num. 843.* tam in Hiſpania, quàm in Gallia obſervatur pro prima, ſecunda, ſexta vice &c. poſtremo illæ ſeu duæ, ſeu tres blaſphemiæ effutitæ ſunt non publicè, & cum multorum ſcandalo, ſed in domo privata, audiente uno unico, igitur ſi ſapientiſſimus Damhouderius conſuletur Conſtantiæ, ſicuti fuit conſultus in toto Belgio, negaret eſſe cogitandum de graviore ſupplicio, quàm vel flagellationis, vel perforationis, aduſtioniſque linguæ, quantumvis ſupponamus, ut ex rei veritate ſupponendum eſt, illam impiiſſimam vocem de ſeptem dæmonibus annumerandam perquam atrocibus, & fortè nunquam hactenus in Germania auditis blaſphemiis in Sanctos.

2. Iracundia, ſeu potiùs ira maxima, quæ hic interceſſiſſe refertur, fuit verè colorata ſpecie juſtitiæ, & proinde meruit aliquam indulgentiam. DD. ſuprà relati cum Damhouderio *cit. Cap. 61. num. 22.* favente huic conſequentiæ apertè *Regul. 84. Quidquid calore. ff. De Reg. jur.* & *ibi* Decio *num. 7.* Idipſum voluit Zaſius, dum *loc. cit. num. 37.* ſcripſit, conſtitutionem in Authent. conſuetudine non ſervari niſi in enormi blaſphemia, quæ ex *deliberato*, maligno, & doloſo propoſito ad perniticioſum exemplum Dei, & hominum proferatur. Clariùs idem tenuit Tiraquellus *Tractat. De pœnis temper. cauſa 1. num. 14.* ubi cum aliis & abſolutè loquitur de ira magna, & in ſpecie de blaſphemia prolata in ira. Vide eundem *numero 22.* & adde illud vulgatum ex Gloſſa, *in Authentic. De appellat. §. 1. in fin.* 848

Impedit ira animum, ne poſſit cernere verum.

Cui conſonat illud: *Duo adverſiſſima rectæ menti*, Celeritas, & Ira. Thucydid. Et verò iram illam fuiſſe coloratam ſpecie juſtitiæ inde probatur, quòd filii jure iraſcantur, quando eorum parentes ſummo probro afficiuntur. Theodoretus relatus ſuprà *n. 795.* Decianus referendus infrà *n. 864.* quibus junge atrocia, & tamen à ſapientibus non damnata exempla vindictæ, quam nonnulli Latini, & Græci ſumpſerunt ob injuriam illatam cognato ſanguini. *Ira furor brevis eſt*, occinit Horatius, aſſerit autem reus, ſuum patrem fuiſſe, priuſquam bilem ſuam exoneraret ipſe, à murario appellatum Kezzer, quod convitium eſt in Helvetia tam probroſum, contumelioſúmque, ut nullum, aut vix ullum Helvetum nobilem, aut ignobilem, orthodoxum, vel heterodoxum reperire ſit, qui non vel ſtatim vindicet ferro, ſi ad manum habeat, vel certè vindicandum judicet, ut proinde hujuſcemodi convitium habeatur in vicina Turgoia pro maximo maleficio, luendo gravi pœna corporali, vel mulcta aliquot millium florenorum, ſi convitiator ſit locuples.

Igitur illud convitium conjectum in genitorem, & conſequenter in omnes conſor- 849

tes

Digitized by Google

tes Religionis, attulit reo juſtum, eundémque maximum dolorem, atqui in primis difficillimum eſt juſtum dolorem temperare Text. *in Leg. Si adulterium* §. *Imperatores. ff. De adult.* quem textum ait Tiraquellus *loc. cit. num. 3.* eſſe penitus infigendum præcordiis memoriæ, adeóque eſt tali difficillimum cohibere ſe à dicendis, faciendis, quæ minimè dicenda, vel facienda ſunt, præſertim juvenibus, in quibus & ſanguis fervet, & ratio languet. Deinde qui provocatus ad iracundiam deliquit, eſt mitiùs puniendus, quàm non provocatus. Argum. ejuſdem *Leg. Si adulterium*, Abbas & Felinus in Cap. *Dilecti. De except.* Tiraquell. *loc. cit. n. 5.* Reus autem fuit provocatus, ut loquitur ſpecies facti. Ergo conficitur, nequaquam eſſe Legum ſeveritate agendum cum hoc Reo.

850 Nec obeſt, quòd ex ſpecie facti eluceſcat, murarium negare, illa tam grandia convitia fuiſſe jactata à ſe, antequam reus diabolica planè furia jactaret eas voces in Matrem Dei puriſſimam, etenim cùm jura partium ſunt obſcura, reo potiùs favendum eſt, quàm actori *Reg. 11. in 6.* obſcurum autem eſt, utrùm ea verba Acherontica prolata ſint ante, an poſt ſecundum convitium, igitur credendum eſt potiùs coriario reo, quàm murario, qui dum vulgavit illas blaſphemias, videtur in ſe ſuſcepiſſe partes actoris. Certè cùm aſſerenti incumbat probatio, hoc ipſo, quòd murarius infamârit coriarium de effutita blaſphemia, videtur ſuſcepiſſe in ſe onus probandi. Siquidem qui agit ex Lege *Diffamari. C. De Ingen. manumiſſ.* habetur à Covarruvia *Lib. 1. variar. cap. 18. num. 4.* & aliis pro Reo, is autem contra quem agit, pro Actore.

851 3. Huic reo ſuffragatur & illa communis doctrina, quòd ob ætatem floreſcentem minuatur ſupplicium. Leg. *Auxilium* §. *In delictis. ff. De minor.* Quam, aliáſque Leges intelligit Tiraquellus *in cit. Tract. cauſa 7. num. 5.* etiam de adoleſcentibus, & meritò, ſiquidem *Leg. 1. ff. De minor.* rectè pronuntiat Jureconſultus, *infirmum* eſſe hujus ætatis *conſilium.*

852 4. Blaſphemus non eſt ordinariâ pœnâ plectendus, niſi convictus teſtimonio vel duorum (etſi non omni exceptione majorum. Decianus *loc. cit. Cap. 3. num. 22.*) vel unius, ſaltem cum denuntiatore. Julius III. in Bulla deſcripta *num. 806.* Atverò cùm propoſita mihi fuit ſpecies facti, ne unus quidem teſtis, ultra denuntiatorem, indicatus fuit, tametſi poſtea relatum, quòd reus eſſet ſuum crimen abſque ulla tortura, confeſſus. Licèt autem Confeſſio propria ſit omnium probationum firmiſſima *Leg. Generaliter. 13. Cod. De non numerata pecunia.* hæc tamen Confeſſio de jure communi nihil obfuit huic blaſphemo, quia Confeſſio criminis facta à minore nihil ei nocet, ſi curatore carens deliquiſſe fateatur, cùm judicium ſit nullum. Leg. *Cùm & minores. Cod. Si adverſ. rem judic.* Menochius, *De arbitr. judic. Caſu 268. num. 3.* quiritans, hanc communem doctrinam malè obſervari à Mediolanenſibus, & Venetis.

Igitur niſi Conſtantiæ vigeat (ſicuti vigere eſt mihi vero ſimile) mos procedendi contra minorem faſſum ſine curatore crimen, ne quidem proſcriptione, ne dum aliqua pœna corporali graviori potuit mulctari. Accedit, quòd ex quo judicium legitimè fundatum non fuit, ſequitur Confeſſionem non nocere *Leg. In univerſis. Cod. Qui dare tut. poſſ.* Menochius allegato *Caſ. 268.* Judicium autem fundatum in teſtimonio, ſeu fide ſolius denuntiatoris, non eſt bene fundatum. Siquidem & unus teſtis, nullus teſtis, & denuntiator adeò non eſt dignus fide in delictis gravibus, ut niſi probet veritatem ſuæ denuntiationis, puniendus ſit tanquam calumniator, ut probo ipſe in Quinario *Tract. 5. cap. 42. num. 257.* Potuit quidem ſua dicta probare fama, ſed præterquam quòd fama ſit teſtis admodum lubricus, quando illa habuit ortum à ſolo denuntiatore, non eſſe ea ſtandum, nec autorem illius eſſe pro teſte idoneo habendum ſufficienter, ut reor, probo *in cit. Cap. 42. num. 250.* & defendo in edit. altera ejuſdem Quinti Tractatus. 853

5. Denique repeto, quod ſcripſi ſuprà *numero 845.* ex Zaſio, Deciano, aliis, ſtandum eſſe in hoc quoque delicto conſuetudine loci. 854 Atqui in primis nemo unus Conſtantienſium meminit fuiſſe vel capite, vel membro, vel linguæ radicitus evulſione mulctatum Conſtantiæ ullum blaſphemum, ſed inſuper eſt ita notoria clementia Ampliſſimi Senatus Conſtantienſis, penes quem eſt minuere, vel augere ex cauſa pœnas, irrequiſito cujuſquam conſenſu, in quorumlibet reorum caſtigatione, ut Ovidius Naſo videatur, quaſi Vates deſignâſſe hujus celeberrimæ Urbis Senatum, jam abhinc Annos 1690. circiter, cum cecinit:

A Senibus nomen mitè *Senatus habet.*

Judicem ſemper commendat clementia Damhoud. *in Praxi. cap. 55. num. 4.* Urbs Conſtantia veneratur Auſtriacam Potentiam, quid ni & imitetur Auſtriadum clementiam, ubi magna ſubeſt ratio?

Atque hæc ſufficiant ad probandum, dictum Tigurinum non fuiſſe graviori ſupplicio 855 plectendum, quàm virgidemiæ, & proſcriptionis. A qua opinatione vix diſſenſit ille è duobus Jureconſultis, qui, ut jam expreſſi *numero 838.* judicavit, linguam fuiſſe perforandam, nec enim dubito, quin multi mallent hanc transfixionem, quàm flagellationem perpeti. Porrò dum reſpondi ego, non videri acriùs eſſe animadvertendum in illum, nequaquam indicare volui, aut potuiſſe, aut debuiſſe dari locum huic ſupplicio, etſi enim ex ſpecie facti relata mihi verbo tenus perſuadebam mihi, non eſſe ulteriùs procedendum, quia tamen ignorabam, an non laterent adhuc a-

liæ circumſtantiæ minuentes crimen, ultra ea, quæ in favorem rei produxi *num. 845.* & *ſeqq.* conſultò abſtinui à reſponſo affirmativo, contentus negativo.

856 Jam quod attinet alterum meum reſponſum etiam negativum, ideo videbatur mihi niti magna veri ſimilitudine, quòd tantò ſeveriùs ſit plectenda blaſphemia, quanto crimen eſt gravius. Siquidem convenit, pœnam conformem eſſe delicto. *Leg. Reſpiciendum. ff. De pœn.* delictum autem illius coriarii eſt tam atrox, ut ipſi quoque acatholici vel capite, vel alio graviſſimo corporali ſupplicio punirent, ſeu civem, ſeu peregrinum, qui temere, plena cum deliberatione, adeóque ex mera petulantia eructaret vomicam, qua Conſtantienſem aërem inceſtavit ille reus. Tametſi ergo rationes, quas protuli ſuprà in purgationem Rei, videantur ſatis probare, non fuiſſe flagris publicè cum proſcriptione mulctandum, haud tamen probant, abſtinendum fuiſſe omni pœna ignominioſa, cùm præſertim dederit ille ſuo veſano, impiiſſimo, & ex ſenſu ipſorummet Zwinglianorum apertè hæretico convitio, civibus Conſtantienſibus, habentibus honorem glorioſiſſimæ puriſſimæ Deiparæ longè potiorem fortunis & vita, cauſam ſummi doloris, atque indignationis, adeò, ut ſi publicè effutiiſſet hæc verba, auditores fuiſſent repetituri aliquid non extremè diſſimile huic

Executioni multùm Exoticæ.

857 *Cum enim celeberrimus Jureconſultus Paris de Puteo fungens officio judicis, tranſiret per quoddam nemus, audiviſſétque ſuis auribus quendam paſtorem blaſphemantem, ſtatim examinavit teſtes, qui audierant, & ſtatim fecit ei amputari linguam nulla data defenſione, & illam affixit cuidam arbori.*

858 Ita refert, & loquitur ipſe Paris apud Boërium *Deciſ. 301.* & Decianum *cit. Lib 6. cap. 5. num. 1.* obſervantem quidem, hoc factum non eſſe abſolutè ſequendum, cùm nullum ſit tam grave crimen, in quo ſit deneganda defenſio, utpote quæ ſit de jure naturæ *Leg. Ut vim. ff. De juſtit. & jur.* addit tamen, Paridem potuiſſe excuſari idcirco, quòd illa blaſphemia fuerit ita ipſi, aliiſque audientibus, notoria, ut certum eſſet, nullam ipſi paſtori competere defenſionem. Hoc, inquam, exemplum fuiſſent ex parte multi Conſtantienſium (& vel maximè Tigurini, ſi quis Catholicus eorum doctorem Zwinglium in foro atrocibus convitiis petiviſſet) imitati, ſi quæ Hartmannus dixit privatim, dixiſſet publicè, equidem notâſſent illum tot plagis, quot eructavit ſyllabas.

Igitur illa blaſphemia, cùm jam eſſet ita notoria, ut nequiverit ulla tergiverſatione celari, nec cuiquam perſuaderi, fuiſſe confictam, & inde etiam credibilior evaderet, quòd domeſtici aſſererent, illum Hartmannum eſſe valde pronum ad diſputandum de fide, atque, utpote genitum publico hoſte Religionis Orthodoxæ, valde contumacem in hæreſi Zwingliana, potuit utique examinari à judice, ſtatique ejus reſponſo, eſto ultro demus, non fuiſſe ad unguem obſervatum proceſſum jure communi requiſitum ad ferendam capitalem ſententiam, ſatis tamen fuit ſervatus proprius loci ſtylus, qui facit jus, & pro Lege ſervandus eſt. Cap. *Ex literis. De conſtit.* in ordine ad indicatam à me pœnam, cùm præſertim & illi reo non ſit multùm moleſta proſcriptio ab Urbe Conſtantia, utpote peregrino, utque lares habenti procul Conſtantia, & vel maximè, quòd ut poſtea comperi, confrontatus, ſeu commiſſus cum denuntiatore, confeſſus denique, & quidem extra injectum torturæ metum, fuerit, ſe abſque cauſa, ſeu occaſione ſufficiente data, ſolùm ex diabolico inſtinctu, atque modo malitioſo prorupiſſe in eam blaſphemiam. Er ſeye ohne guigſamen Anlaß ꝛc. In diſe Gottsläſterung herauß gebrochen. 859

Nihilominus tamen Ampliſſimus Senatus (qui tametſi Sereniſſimæ Domui Auſtriacæ ſubjectus, attamen fruitur etiamnum plurimis juribus, & privilegiis Urbium, proindéque etiam Principum Imperii) ad inſtantiam magnorum virorum tulit hanc, ut jam ſuprà inſinuavi, ſententiam, ut à duobus lictoribus educeretur ex urbe cum perpetua proſcriptione, quod judicium nemo, ut reor, gnarus omnium circumſtantiarum, dixerit fuiſſe nimis lene, gnarus, inquam, omnium circumſtantiarum, & præcipuè Interceſſorum, de quibus vide Tiraquellum, *citato Tractatu De pœnis moderandis*, *Cauſa. 35.* ubi *numero. 5.* refert etiam illud tritum:

Eſt rogare Ducum ſpecies violenta jubendi,

quod quidem fateor non habuiſſe propriè hîc locum.

Obſervo autem ex ſenſu omnium jureconſultorum ſcribentium ex profeſſo de blaſphemia, hanc eſſe mixti fori, ita ut quando commiſſa eſt à laico, poſſit hic puniri à magiſtratu, vel civili, quatenus non eſt hæreticalis, vel etiam Eccleſiaſtico. non tamen à civili, ſi hoc genus peccati peccavit Clericus, utpote gaudens privilegio fori. Obſervante inſuper Bajardo in Julium Clarum *Verb. Blaſphemia. num. 15.* poſt Abbatem, eſſe valde ſingulare in hoc crimine, quòd, tametſi ſit mixti fori, attamen blaſphemus à laicali tribunali caſtigatus nequeat citari ad Eccleſiaſticum. 860

Obſer-

Digitized by Google

861 Obſervo deinde, à Deciano, Damhouderio, Menochio, aliis paſſim Juſtinianeis exequentibus hanc materiam blaſphemiæ *Verbali* jungi *Realem*, quæ fit per fractionem, aut conſpurcationem ſacrarum imaginum, déque hac ab iis ſtatui idem, quod de verbali, quod ignoro, utrùm ſit uſu receptum, conſpurcatio enim ejuſmodi facta ex contemptu eſt gravius peccatum, quàm verbalis præciſè, & ſolet involvere verbalem.

862 Iidem negant, blaſphemum gaudere jure immunitatis Eccleſiæ, ſeu aſyli, quæ doctrina eſt obſervanda utrique Magiſtratui, quem utrumque Magiſtratum petit Julius Clarus *in Verb. Blaſphemia. num. 3.* ſic ſcribens: *Meo judicio graviter peccant Principes Chriſtiani, & eorum Magiſtratus, qui hoc crimen ſeveriſſimè non puniunt. Et in hoc Reſpublica Chri-*

863 *ſtiana magna indigeret reformatione.* Quam reformationem meritò perſuadere debeat illa formidanda comminatio, qua ipſe Salvator, referente Boërio *deciſion. 301. num. 4.* erga laudatiſſimum Galliæ Regem Robertum, Hugonis Capeti filium, efflagitantem ab eodem Salvatore pacem pro ſuo Regno, uſus fuit, cùm dixit: *Pacem non impetrabis, Roberte, priuſquam blaſphemias ex Regno extirpaveris.* Perſuadere & debent duæ ſapientiſſimorum virorum cohortationes, ad omnes principes, judicéſque Chriſtianos, quas ego idcirco hunc in locum transſcribam, quòd ſupponam, quemlibet principem, judicémque Chriſtianum profiteri de ſe id, quod Udalricus Zaſius *Lib. 1. conſil. 19. num. 36.* ſcripſit: *Blaſphemiam odi cane pejus, & angue*, eámque ob rem eſſe vacivas aures præbendas.

Exhortatio I. Severa.

864 Hic contineri non poſſum, quin judices, & principes moneam, ne ſuper his impiis blaſphemiis conniventibus oculis pertranſeant: Tenentur enim honorem Dei vindicare ardentiſſimè, *arg. cap. Non invenitur. 23. quæſt. 4. cap. Imperatores. 11. quæſt. 4.* Et in ſpecie Paris de Puteo monet *in Tractat. De Syndicat. ſub Titul. De Regum, Principum, & Ducum exceſſibus, num. 12.* Nam ſi injuriam ſuam, imò & cujuſque privati acerrimè, & uſque ad interitum vindicare ſolent, & debent, quomodo poſſunt horrendas blaſphemias in Deum, Creatorem, Patrem, & Salvatorem noſtrum patientia execranda relinquere impunitas? Nam, ut inquit *Text. in cap. Si is, qui. 23. q. 4.* quæ in nos committuntur, facilè poſſumus dimittere: ea verò, quæ in Deum commiſſa ſunt, cum magna diſcretione, nec ſine pœnitentia poſſumus relaxare, neque enim diſſimulare debemus illius opprobria, qui probra noſtra delevit. *Cap. In nonnullis. De Judæis*, & ita in judices non caſtigantes blaſphemos invehit *Luc. De Penna in Leg. Omnes. Cod. De Delator. Lib. 10. num. 6.* Ideo enim hoc crimen mixti eſt fori, ut omnes judices tam Eccleſiaſtici, quàm ſæculares inſurgant contra hos impios Dei & Sanctorum blaſphematores, ut omnes cognoſcant, à nemine hoc crimen eſſe diſſimulandum. Sed, ô perverſos Chriſtianorum mores! inſurgit quiſque, & furit, atque ad carceres, ad quæſtiones, ad mortem denique rapit, & urget quemcunque, qui ſuum terrenum principem, dominum, amicum, famulum, ſervum denique offenderit, vel injuria affecerit: At ſi Creatorem, & Redemptorem, ac hujus vitæ præſentis authorem, & largitorem, ac futuræ vitæ judicem, blaſphemare audeat, obmuteſcit. Et quod pejus eſt, Principes, & Nobiliores, qui contra tam impios contemptores nominis DEI, per quem ſumus, quidquid ſumus, inſurgere deberent, vel ſaltem reprehendere illos, qui ſuis in famulis alunt, & fovent, & blaſphemias audientes in Salvatorem ſuum obſurdeſcunt, in quo ergo fiduciam poſſidendi Regni cœleſtis ponent, ſi Principis illius Regni inimicos fovent, & ipſius injurias impunitas relinquunt?

Exhortatio II. Lenis.

O Duces, Marchiones, Comites, Barones, aliíque nobiles, & equites: O 865
Proreges, Archiduces, Militum Duces, Centuriones, aliíque gerentes munera publica, qui quaſi hoc lepidum, & facetum eſſet, & ad nobilitatem pertineret, ſoletis Deum abnegare, eúmque averſari, & deteſtari coram aliis, veſtráſque linguas audacter ſolvere cauſa recreationis horrendæ, vel veſtræ abominabilis impatientiæ, nominando membra pudenda pudentiſſimi illius Chriſti JESU Domini noſtri, qui noſtra ſcelera pudenda contexit, honeſtiſſimæque illius matris ſuæ, vel in injurias, & infamias aliorum Sanctorum. O Archiepiſcopi, Epiſcopi, Vicarii, aliíque Prælati, & Beneficiarii, Eccleſiaſtici, aliíque Judices ſupremi, inferioréſque, qui hæc facitis, vel ad preces amicorum non punitis hæc crimina perpetrantes. O Religioſi, aliíque con-

confeſſarii, qui pro tam gravibus peccatis, tam leves pœnitentias injungitis. O nos Chriſtiani omnes, qui tam parum honoris Chriſti ſtudioſi ſumus, & qui tanquam ſales, & condimenta audire ſuſtinemus (*pigeat licèt Deum*: *Abnego, vel renuntio ejus fidem*) aliáque verba tam horrenda, & deteſtanda, quæ piorum aures tolerare nequeunt, pigeat nos aliquando, tandem pigeat noſtræ nimiæ lenitatis, in non vituperandis eis, qui Deum ignominia afficiũt. Pœniteat nos immoderatæ noſtræ facilitatis, & indulgentiæ, qua uſi ſumus non accuſando, ac denuntiando unum, qui Deum, ſuóſque Sanctos incuſat, & injuria afficit, ac ſubducamus rationes, quoties paulò plùs vel minùs ſinguli in eo, quod ad nos ſpectat, erraverimus, eáque omnia confiteamur, ac ſi beneficia, ſeu officia propterea amiſerimus, faciamus de illis, eorúmque fructibus malè perceptis reſtitutionem, renuntiationémque debitam, cum firmo propoſito nunquam ampliùs cum Dei auxilio blaſphemandi, nec tolerandi, ut alius blaſphemet, qui à nobis non puniatur, vel arguatur, & accuſetur, ſeu ſaltem denuntietur miniſtris juſtitiæ, ad honorem, & gloriam Dei, qui in ſuo ſancto amore, atque timore perſeverantiam nobis elargiatur.

866 Primam harum exhortationum deſcripſi ex Tiberii Deciani Comitis, & Equitis Praxi Crimin. *Lib. 6. cap. 7.* qua coronat ſuam inſignem tractationem de blaſphemia. Alteram exhibet Religione, & ſapientia celeberrimus intra, & extra Europam Martinus Navarrus S. Franciſci Xaverii conſanguineus. Sol quidam Canonicorum Regularium, in Commentario, quem ſcripſit in *cap. Inter verba. 11. quæſt. 3. Corollario 57.* Huic utrique exhortationi conſcriptæ à viris ſapientia, & virtute claris jungo

Tertiam ſeveriſſimam, prolatam à Spiritu nequam.

867 IN die Joannis Baptiſtæ in pago Oſter, qui eſt ſub Ducatu Magnopolenſium, nuptiale celebrabatur convivium, cui mulier quædam effrenatæ malitiæ intereat, quæ horrendis ſuis execrationibus totos, continuóſque dies durantibus, diabolo ſe ſe dedit, nihil ſibi cum Deo commercii eſſe clamitans, in qua blaſphemia, ſua impietate, non attentis dehortationibus, perſtitit, donec Deus in ipſam Satanæ plenam concederet poteſtatem. Cùm ergo omnes eſſent animo ſecuro, totáque atria lætitiæ perſonarent vocibus, Satanas præſto fuit, arreptámque mulierem anima, corporéq; cum horriſono mugitu ſublimem abduxit, eóque clamore, & lamentis circumvexit, ut omnes pagi incolæ terrore perculſi proſternerentur, & quidam ſubitò anxietate, & metu quaſi ſuffocati extinguerentur, cúmque aliquamdiu cum miſero ejulatu eam in aëre circumegiſſet Satanas, in quatuor deinde partes corpus diſcerpit, eáſque per quatuor circum pagum vias affigit, ut omnibus, qui præterirent, punitæ blaſphemiæ exemplo eſſent. Deinde ad convivas reverſus, inteſtina mulieris in menſam, cui aſſidebat Prætor, projecit. En, *inquiens ad prætorem*, hæc tibi debentur fercula, te eadem cum iſthac muliere manent fata, niſi ab execrationibus, ſubditorúmque expilationibus deſtiteris.

Dedi verba Zahnnii ſimul & Cacodæmonis, quæ legere eſt apud illum JC. *Lib. 2. De Mendac. cap. 12.* in quo commemorat plura exempla vindictæ, quam Deus de blaſphemis ſumpſit, per ſe, ſuóſve miniſtros bonos, & malos. Iis addo iſtud

Terribilius terribiliſſimo

DAbo exemplum, quod etſi recenti ferè memoria multis notiſſimum, ſine horrore tamen nequit memorari. Loci nomen taceo. In Flandria Comitatu locus eſt. Tres illic degebant ganeones, & concubinarii, ſua cuique erat, nec pudor ullus aderat, ſimul helluari, & libidinari. Quadam die in ſeram noctem compotatione protracta, unus, qui minùs ſceleroſus, ſat (ait) Baccho, ventríque datum: Deo gratias ſaltem. Ego verò, ſubinfert alius procacior, Cacodæmoni gratias ago, & agendas cenſeo, cui operamur. Et cum riſu menſa relicta ruitur in cubilia, ſinguli cum ſcorto. Vix decubuerant, ecce tibi in triclinium vi janua reſerata dæmon magni, atri, & trucis viri ſpecie, habitu venatorio, & cum eo coci duo parvuli, obambulat, & lectos circumſpicit torvo vultu. Deinde horrenda voce: Ubi, qui mihi gratias egit? adſum, referam. Lecto abſtrahit pavitantem, traditum cocis jubet infigi veru, & luculento igne probè aſſari. Parent promptè, aſſatur infelix, emoritur planiſſimè, cæteri ferè præ formidine: aſſi corporis nidore cubiculum impletur. Demum ad ſuperſtites ſub ſtragulis trepidantes vix vivos. Digni vos 868

etiam

Digitized by Google

etiam (*ait*) pari ſupplicio, nec deeſt voluntas mihi: Vetor vi majore. Invitus abeo, & moneo: reſipiſcite, aut manent terribiliora. *Diſparent larvæ, nec tamen his altis animus rediit, vel vox, niſi clara jam luce. Ubi ſurrexêre, collegam inveniunt mortuum, & (ne viſum inane putes) planè aſſum. Haud ſcio, an ab aliquot ſæculis quidquam ad exemplum utilius acciderit, ſcio locum, & vitæ ſtatum, ſed utrumque ſilentio involvo.*

Caſum, quem ex P. Raynaudo deſcripſi ſuprà *num. 787.* appellavi quidem omnium *terribilium terribiliſſimum*, at hunc eſſe illo terribiliſſimo terribiliorem cenſebunt multi. Nemo autem dubitabit de fide P. Martini Delrii, ortu Antuerpiani, atque olim Regii Brabantiæ Conſiliarii, deſcribentis hoc ſummè blaſphemi, utpote tribuentis diabolo id, quod debebatur Deo, ſupplicium, mináſque jactatas in impuros collegas, qui applauſerant vomenti blaſphemiam, reperiet autem Lector in illius eruditiſſimi Scriptoris Diſquiſit. Magic. *Lib. 3. Part. 1. quæſt. 7. ſect. 1. §. Quando ad ſordes* edition. Anni 1603. multùm auctæ, non autem Anni 1600. quia in hac nihil ejuſmodi legere eſt.

869 Erit fortè ex meis lectoribus nonnemo, qui ſolitus ſeu invitari, ſeu non invitatus admitti ad colloquium familiare alicujus Principis ſæcularis, aut Eccleſiaſtici, intelligat ex ipſomet Principe, quanto odio proſequatur, (ut revera omnes præſertim Principes, qui tam graviter accipiunt probra ſibi illata, proſequi debent) blaſphemias, & præterea, quàm libenter impediret, ſiqua efficax ratio impediendi ſuppeteret, haſce tantas, támque crebras injurias in ſuum, ſuorúmque ſubditorum ſupremum, & terribilem Dominum. Huic ejuſmodi fortè non ſatis inſtructo rationibus tum commendandi hunc piiſſimum ſimul, & Principi neceſſarium (ſi eſſe velit fidelis Vaſallus Regis Regum, ejúſque ſimul Vicarius) Zelum, tum modeſtè indicandi modos aliquos efficaciter, dextréque exerendi illum Zelum Eliæ, Phinees, Mathatiæ, & Davidis Regis, de quo infrà *numero 875.* proferam hîc nonnullas partim ſpeculativas, partim practicas rationes, quarum meditatione, uſúque exiſtimo, ſpero, deteſtabilem conſuetudinem blaſphemandi alicubi ferè penitus extirpandam, alibi plurimùm eſſe imminuendam.

870 I. Ratio eſt hæc: Perpendat, obſecro, Princeps politicus, aut Eccleſiaſticus, quantopere ſentiret ipſe, ſi nôſſet, ſe à multis ſuorum ſubditorum vocari *tyrannum, ſtupidum, aſinum,* imò *veneficum. Quæ ſunt proximi tui* (ergo & Dei) *intellige ex te ipſo. Proverb. 31.* blaſphemiæ in Deum, qui omnium Principum Dominus eſt, continent longè majorem injuriam, quàm ſint hæ quatuor, tantò enim eſt injuria major, quantò major eſt is, cui infertur. Boërius *Deciſ. 301. num. 12.* Et quid atrocius, quàm in eum opprobria inferre, qui probra noſtra delevit? *Cap. Nonnullis. De Judæis.* Decianus *Tract. Crim. Lib. 6. cap. 3. num. 1.* Quid naturæ magis adverſum, quàm ut creatura in ſuum invehatur Creatorem? & in eum per quem ſumus quidquid ſumus, & qui linguâ, qua cæteris præſtamus animantibus, illum offendit, qui nobis dedit, ut loqui poſſimus? Decianus *loc. cit.* S. Ludovicus Rex, quemadmodum retuli ſuprà *num. 840.* ducebat ſibi ſummo honori, ſi etiam cum ſummo ſuo probro poſſet è Regno ſuo eliminare ſacrilegos blaſphematores, quid igitur par eſt facere illum Principem, qui cum immortali ſui nominis gloria poteſt, ſi ei honor ſui ſupremi Domini ſit tam pretioſus, quàm ſuuſmet, id effectum dare, ſi non omnes, ſaltem duas, tréſve ex deteſtabilioribus blaſphemiis ſupprimendo?

II. Expendat, oro, Princeps, juramentum quo ejus Vaſalli ſe obſtringunt ad tuendum ejus honorem, quódque deſcripſi ſuprà *num. 569.* & quàm ſeverè eſſet animadverſurus in Vaſallum, qui hîc deeſſet ſuo officio. Eſt Princeps, eſt Imperator, eſt Rex, eſt Epiſcopus, & Archiepiſcopus nexu Vaſalli obſtrictus Deo, quas igitur pœnas repetet ab his Dominus Dominantium, ſi deſint obligationi ſuæ, homagio ſuo? Certè eorum diſſimulationem appellat Decianus ſuprà *num. 864.* patientiam *execrandam*, quid ſi & Deus ipſe ita appellet? Quiſque Princeps tacitè promittit Deo, quod Vaſallus expreſſè ſuo Domino: *Iuro, quòd pro poſſe meo, ut non fiat tibi Contumelia, impedimentum præſtabo*, atqui longè gravius eſt æternam, quàm temporalem offendere majeſtatem *Leg. Gazaros Cod. De hæret.* 871

III. Revocet Princeps in mentem aliquas ex iis vindictis, quas audivit, vel legit ſumptas de iis, qui læſerant, vel læſiſſe videbantur honorem alienum. Regius Propheta David, confidenter quidem & humiliter ſic compellabat Deum: *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus*, hæc tamen manſuetudo ita fuit ob illatam contumeliam debilitata, ut inprimis quando audivit Nabalem dixiſſe de ſe, ſuiſque commilitonibus: *Quis, eſt David, & quis eſt filius Iſai? hodie increverunt ſervi, qui fugiunt dominos ſuos*, atque ob hanc cauſam negâſſe petitam annonam, mox dixerit pueris ſuis: *Accingatur unuſquiſque gladio ſuo: Hæc faciat Deus inimicis David, & hæc addat, ſi reliquero de omnibus, quæ ad Nabal pertinent, mingentem ad parietem.* Nocentem & innocentem volebat ex illicito vindictæ appetitu neci dare ob tale convitium *1. Reg. cap. 25.* Rurſum idem tametſi manſuetudinis laude inclitus, ob ſummam tamen injuriam ſuis Legatis illatam ab Ammonitis, alióſque popu- 872

populos in ſocietatem concitatos ab his, cùm cepiſſet regiam Urbem Rabba, *populum, qui erat in ea, eduxit, & fecit ſuper eos tribulos, & trahas, & ferrata carpenta tranſire, ita ut diſſecarentur, & contererentur, & ſic fecit David cunctis urbibus filiorum Ammon.* 1. Paral. *cap.* 20. quod etſi intelligendum eſt de ſingularum urbium ſolùm aliquibus, ut placet Saliano *ad Ann. Mundi* 2999. Nihilominus fuit ſupplicium non ſanè manſueti tunc, ſed ſeveriſſimi animi, & prorſus extraordinarium.

873 Eudoxia Arcadii Imperatoris uxor, tametſi perſpectum habens S. Joannem Chryſoſtomum eſſe ſanctitate, & miraculis in univerſa Græcia, æquè ac Thracia clariſſimum, attamen non deſtitit, donec is pelleretur in tetrum exilium, idque ob contumeliam ſibi ab eo, ut interpretabatur, illatam.

874 Clotarius II. Francorum Rex cruentum bellum movit in Saxones, quòd ſe nondum quinquaginta Annos natum velut extremæ canitiei, vetulum jumentum appellâſſent. Forſterus *in Tacitum* ex P. Æmilio. Exortum quoque fuiſſe ſæviſſimum bellum inter Francos, Slavóſque, idcirco quòd Francorum Legatus fœdus cum *canibus* (ſic Slavos appellabat) ictū dixiſſet non debere eſſe ſanctum, ſcribit idem ex eodem. Quid dicam de ultione crudeliſſima, qua Antoninus Caracalla deſæviit in Alexandrinos, ob quædam in ipſum dicteria, quibus præter alia deridebatur parvitas corporis? Autor eſt Sabellicus *Lib. 5. Enead. 7.* fuiſſe ab eo editam tantam cædem juventutis Alexandrinæ, per ſpeciem delectûs ex ea faciendi in unum convocatæ locum, ut ſanguinis rivi media planitie in Nilum defluxerint. Decantatum illud Narſetis pietate cæteroquin in Deū, & multitudine illuſtrium victoriarum celeberrimi, dum ab uxore Juſtini Imperatoris per contemptum (erat enim eunuchus) juſſus facere cum gyneceo lanarum penſa, repoſuit: *Talem ordiar telam, qualem ipſa, dum vivet, deponere, aut detexere non poterit.* Paulus Diaconus apud Baron. *Ad Ann. Chriſti 567. num. 7.* Fuit autem illa tela evocatio gentis Longobardicæ in Italiam, poſtea cædibus, direptionibus, rerum ſacrarum profanatione, ipſius Catholicæ Religionis infeſtatione fœdiſſimè ab illis barbaris vaſtatam, occupatámque. Prætereo ſexcenta alia exempla ultionis à Principibus ſumptæ ob honorem ſuum, ſuorúmve legatorum læſum. Quidni & ſeverè ulciſcantur injurias à blaſphemis illatas ei, de quo cuivis etiam principi mandatum, & ſcriptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo?* Probatio dilectionis exhibitio eſt operis, arbitro S. Gregorio Papa *Homil. 30. in Evang.*

875 IV. Timeat quiſque Princeps, ne Deus dicat tibi, etſi non audienti id, quod audienti Roberto Regi, de quo ſuprà: *Non habebis in Regno* (Provincia, Epiſcopatu tuo) *Pacem*, donec elimines blaſphemias. *Nihil eſt*, dicebat Julius III. ſuprà *num. 404. Quod animum noſtrum magis exulceret, & confodiat, quàm horribilis, atque impia, & Chriſtianis* (Chriſtianis, ô Chriſtiani Principes) *auribus intolerabilis divinitatis blaſphemia.* Hoc ipſum de ſe profiteantur, & ſeriò dici probent non uno exemplo, quotquot Chriſtianorum gloriantur elogio.

V. Revocet in mentem exempla vindictæ, 876
qua blaſphemas caſtigavêre buccas aliquæ ſupremæ Curiæ, maximíſque Principes, & quorum aliqua memoravi ſuprà *num. 842. & ſeqq.* alia congerit Riccius *Collectan. Parte 4. Deciſ.* ſeu *Collectaneo 1366* indico nonnulla breviter, Curia Burdigalenſis referente Boërio *Deciſ. 301. num. 16.* ejuſdem Curiæ olim Præſide, mandavit radicitus evelli duobus blaſphemis linguam, & præterea unum illorum comburi vivum, alterum capite minui, *qui ſolùm contra Mariam Virginem verbum protulerat injurioſum*, inquit Boërius. Conſiliarii magnam partem genere non nobiles tam ardenter ulti ſunt injurias Deo, Deíque Genitrici illatas, quidni ergo Principes ipſi imitentur illum Regem, qui *Pſalm. 100.* De ſe ipſo profeſſus eſt: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ?* interficiendo ſcilicet blaſphemos incorrigibiles, mortificando, ſeu leniùs plectendo, plectendo tamen graviter corrigibiles.

Philippus Valleſius Rex Galliæ ſtatuit, ut 877
qui prima vice eſſet deprehenſus in blaſphemia, exponeretur per menſem quotidie aliquot horis loco publico, atque à prætereuntibus peteretur luto, aliiſque ſordibus, pro altera vice mandavit etiam publicè ita ſcindi ejus ſuperius labium, ut dentes apparerent. Boërius *loc. cit. num. 15.* addens, fuiſſe in uſu, ut blaſphemi aliquoties plungerentur, id eſt immergerentur in aquam, detinerentúrque aliquamdiu ſub aqua, at rurſum extraherentur.

Alphonſus Hiſpaniæ Rex ſanxit, plebejum 878
blaſphemantem eſſe pro prima vice verberandum, pro ſecunda notandum in labiis ferro candenti, pro tertia amputari totam linguam. Covarr. *in cap. Quamvis pactum. De pact. in 6. §. 7. num. 22.* ſicuti etiam Maximil. I. & Carolus V. decreverunt indiſcriminatim ſaltem amputationem linguæ. Zahnnius mox citandus. Vide Barboſam *De offic. Epiſc.* tota *alleg. 50.* referentem plurima hanc in rem.

VI. Et quid reſpondebunt Chriſto Judici 879
Principes, Præſules Catholici? ubi cognôrint, fuiſſe, eſſéque nonnullis heterodoxis ita cordi honorem divinum, ut hodiéque blaſphemiæ rei ex edicto Electorali Saxonico mutiletur lingua

gua

Digitized by Google

gua blaſphema teſte Zahnnio *De Mendac. Lib. 2. cap. 12. num. 5.*

Quid ii, qui toto decennio, vicennio, vix ullam, aut planè nullam inſtituerint feriam conſultationem de modo, ac ratione emendandi blaſphemos? nullâ in quemquam pœnâ animadverterunt? Quis, oro, Theologus negabit eos verſari in periculo excidendi Regno cœleſti? Navarrus ſuprà *num. 865.* arguit eos immoderatæ indulgentiæ, Julius Clarus ſuprà *numero 862. gravis* peccati, addens eos indigere *magna reformatione*, Decianus ſuprà *numero 864.* inſimulat *execrandæ* patientiæ, B. Pius V. ſuprà *numero 807. nimiæ ſegnitiei*: minatur eis *diſtrictum* Dei judicium Julius, quinidem, & ante eum Leo X. ſuprà *numero 801.* illos ipſos *quaſi eidem* (blaſphemiæ) *ſceleri obnoxios* ſubjiciunt (hîc & in futuro ſæculo) *iiſdem pœnis*, quibus *convictos blaſphemiæ. Non enim ſolùm digni ſunt pœna, & ſupplicio* (in foro fori, & poli) *qui ea faciunt, ſed & qui non corrigunt facientes.* Julius III. ſuprà *num. 805.*

880 VII. Vigebat ætate Covarruviæ praxis (non ſpeculatio, non lex mortua, ſed viva, ſed praxis) ut eſt ipſe teſtis *loc. cit.* qua blaſphemus pro prima vice caſtigabatur carcere unius menſis, pro altera exilio ſex menſium, & mulcta mille quadrantum, pro tertia perforabatur lingua clavo. Et quidni hac quoque ætate poſſint Principes, ſi honorem divinum proſequantur ſaltem decima parte Zeli, quo proſequuntur ſuum, aliquas ex hiſce pœnis non ſolùm chartis mandare, ſed in uſum quoque deducere?

881 VIII. Similiter Helvetii, quantumvis præditi animis planè Martiis, clari multis ſtipendiis, attamen multò rariſſimè prorumpunt in veras blaſphemias, quia videlicet eæ graviſſimè puniuntur in ſolo patrio, equidem ſi id præſtare poſſunt Magiſtratus Catholici in Helvetia, poterunt & in hac, aut illa, quam non nomino, Provincia, ſi Principes velint per ſuos advigilare miniſtros.

882 IX. Quia tamen hoc malum ita egit altas radices, ut nequeat totum ſimul extirpari, quid ſi edicto Principis inſerantur ſolùm tres, quatuórve ex atrocioribus blaſphemiis, harúmque reis ſtatuatur pœna prorſus irremiſſibilis? O felicem Principem illum, qui, quando erit ipſi obeundum vadimonium, comparendúmque coram illo, cui omnem ſuum temporalem honorem, ac dignitatem referre debet in acceptis, dicere poterit: Nôſti juſte Judex, cùm capeſſivi habenas hujus Principatus, hanc illámve dignitatem, quot centena millia hoc aut iſtud genus blaſphemiarum tuas divinas aures probroſiſſimè verberârint, ſed & nôſti, quàm rarò, & quàm nunquam impunè mei ſubditi nunc ponant os ſuum in cœlum, idque perfectum ſummo, quo potui, ſtudio; quanta ejuſmodi Princeps excitaretur ſpe tam mitis ſententiæ, quàm ſevera plexit ipſe compertos læſi honoris divini? O viveret Epiſcopus, qui exemplo S. Gregorii Thaumaturgi ſolaretur ſe ipſum in æternitatis aditu dicendo: *Quum fuit mihi unà cum pedo Epiſcopali impertita juriſdictio temporalis in hanc mea ordinaria reſidentia, in hanc mei principatus urbem, non reperi niſi 20. cives planè alienos à blaſphemia, jam non relinquo niſi denos, qui nondum penitus exuerint inveteratam blaſphemandi conſuetudinem.*

X. Poteſt autem illa ſucceſſiva imminutio, ac denique extirpatio trium, quatuórve blaſphemiarum obtineri, ſi inprimis renovetur, inſtauretur ſanctio Julii tertii deſcripta ſuprà *num. 805.* ut videlicet, qui audierit vomentem ſive in ira, ſive extra iram, ſive ebrium, ſive ſobrium, aliquam è ſpeciatim inhibitis blaſphemiis, certo certiùs eandem ſubeat pœnam non denuntians blaſphemum, quæ perpetienda eſſet eidem impio temeratori Nominis divini. 883

Si deinde per Reverendiſſimos & Illuſtriſſimos Ordinarios, qui omnes & præibunt, ut ſanè debent, exemplo reſpectu ſubditorum in temporalibus, & cum gaudio cooperabuntur piiſſimæ voluntati ſæcularis Principis, Comitis, Dynaſtæ (faxit Deus ut aliquorum ex hiſcemet inolita Deum inhonorandi conſuetudo non deſtruat factis, quod ædificabit verbis) curent ſua mandata recitari è ſuggeſtu, in Catecheſi &c. idque non ſemel, ſed bis, térve in Anno, non abſque explicatione, commonefactione, comminatione temporalium, æternorúmque ſuppliciorum, injungendo iiſdem Parochis, ut quot menſibus edoceant ſcripto ſuos Dominos Decanos rurales, an, & qui ſuorum parochianorum ſint vel ſuſpecti de hoc ſcelere, vel in eo deprehenſi: Excitabuntur hi, & illi ad ſtrenuam vigilantiam, ſi prima quæſtio, quam Viſitator Generalis in annua luſtratione proponet, ſit hæc: *Qui res ſe habet cum blaſphemia?* 884

XI. Pars mulctæ pecuniariæ, ſi placeat hac caſtigare primò delinquentem, donanda denuntiatori, excitabit ſi non in urbibus, certè in pagis multos, qui hiſce difficillimis temporibus atripiant occaſionem honeſtiſſimè levandi domeſticas neceſſitates. 885

XII. Et quidni ſit glorioſum Principi, curas ſui Principatus, & Regni ita partiri cum Deo, ut det ad ſuos per oppida, ſeu toparchias, & provincias, miniſtros mandata, ut hi diligentiſſimè inveſtigent in ejuſmodi æmulatores dæmonum, damnatorúmque, ut docet noſter Peraldus *num. 891.* referendus, atque etiam ſemel, iterúmve in Anno hi mediati miniſtri referant, ſi non immediatè ad ipſum Principem, certè ad aſſiduos Principi Conſiliarios, 886

an,

Digitized by Google

an, & quantum profuerit ſuum mandatum. Ubi agitur de tributo, conſuevit eſſe ſumma ſolicitudo Principis, ut integre, fideliterque penſitetur ab omnibus, officialéſque fungantur ſub pœna excidendi officio, hac in re ſuo quàm exactiſſimè miniſterio. Nullum tributum offeret Deo gratius Princeps, quàm ſi interdum demat aliquid temporis ſuis non neceſſariis relaxationibus, ut recognoſcat, an, & quantùm promoverit ſuis in blaſphemos edictis, & quæ magni, parvi, nullius profectus cauſa extiterit in miniſtris. *Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* 1. Reg. cap. 2. Atqui impediens quantùm in ſe eſt, teterrimam violationem honoris divini, verè glorificat Deum: qui autem pro ſuo honore tuendo decuplo plus induſtriæ oſtendit, quàm pro ſarta tecta conſervanda reverentia Deo debita, certo certiùs contemnit Deum. Arg. Capituli: *Paſce fame. diſt. 86.* S. Ambroſ. *Si non paviſti, occidiſti.* Ergo &c.

887 XIII. Gracus graculum, cuculus cuculum canere docet exemplo ſuo, diſcunt à parentibus jurare, pejerare, blaſphemare liberi. Si patera, ut vidua mater uno Imperiali Thalero mulctarentur, quoties filiorum unus nondum egreſſus Annum ætatis decimum octavum, auditus eſſet jurare per Sacramentum, ſi, inquam, ita plecteretur hæc, & ille, emendarentur hi, ſi non illi, conſueverunt enim liberi ab hoc juramento devolvi in execrationes, maledictiones, denique blaſphemias, docti parentum exitiali, quotidianóque exemplo. Novi ego diverſis in locis permultos pueros, atque adoleſcentes, è quorum ore nullum, aut vix ullum juramentum, multò minùs ulla blaſphemiæ umbra prodierit unquam, novi & alios plurimos nequunculos, ſingulariter è Provincia NN. jam ita aſſuetos juramentis per res profanas, & ſacras, imò, & quibuſdam blaſphemiis, ut, ſicuti priores illi ſunt parentibus, educatoribúſque honori (interrogati enim utrùm jurârint, reſpondent: Non, nec enim pater aut jurat, aut jurare permitteret) ita hi poſteriores viciſſim dedecori. Unde enim hæc tanta diſſimilitudo, niſi à diſſimillimis educatoribus? *Mali Corvi malum Ovum*? Ergo qui docuit peccare, diſcat vapulare. Laudatiſſimus Petrus Forerius, de quo ſuprà *numero 595. & 598.* cùm eſſet percontatus ex duobus adoleſcentibus, utrùm aliquando fide ſua interpoſita jurâſſent, illíque affirmarent, ſubdidit: *Non modico animi dolore me hoc afficit: Sexaginta jam Annos ago, nec tamen memini me aliquando per fidem meam jurâſſe.* Sic teſtatur, & ſcribit R. P. Dominicus Biſſelius in hujus Summi dignitate, virtutéque Viri Vitæ *Lib. 1. cap. 1.* nunquam blaſphemabunt, qui nunquam jurabunt: *Frequens juramentum eſt blaſphemiæ tirocinium.*

Placuit exhibere meo Lectori haſce meas 888 cogitationes. Dictitabat noſter S. Fundator Ignatius, ſibi viſum iri optimè collocatam operam, quam impenderat magnam, faſtidioſam, adde non omnibus probatam, reducendis ad frugem publicis ſcortis, ſi omni ſuo labore impediret tantùm unius noctis offenſam divinam, me non pœnitebit, aut opellæ tributæ huic lucubratiunculæ, aut periculi impendentis mihi à multis, riſuris fortè meam vel ſimplicitatem, vel temeritatem, quòd auſim typo vulgare id, quod nullus ante me, facilè, inquam, hæc feram, ſi vel unicus è Venerabilibus Dominis Parochis conſpiret cum uno, alteróve ex optimis ſuis vicinis, conſultétque non ſemel de ſeligendo, uſurpando uno, alteróve ex hiſce aut documentis, aut monitis, hi autem maturè deliberent de illius practica unà cum Præfecto loci, ſeu Conſule, Archigrammateóque ſui oppiduli, ſi hoſce traxerint in ſuas partes, certo certiùs dabitur anſa dicendi cum admiratione, parochíque commendatione:

O Superi! quantùm hic pagus mutatus ab illo eſt!

Novi aliquot hujuſce Diœceſis zeloſiſſimos Dominos Decanos, & Paſtores, qui non modò æquarent, ſed propè ſuperarent mea vota, ſi in proximo Capitulo rurali tractaretur de hac materia, remediiſque productis tum hoc loco, tum ſuprà *num. 822.*

Inſignis quidam Curio hujus ipſius Diœceſis aſſiduo ſuo labore, contentionéque purgavit ſuum pagum intra paucos Annos duobus, 889 quæ illic regnabant, vitiis, non abſque ingenti, lætáque admiratione ipſorummet parochianorum, & vicinorum dicentium: *Manhu!* Alius etiam Diœceſis Conſtantienſis, narravit mihi haud ita pridem, fuiſſe aliquod genus ſuperſtitionis eliminatum ex toto rurali Capitulo, paulò ante indicata ratione, id eſt conſpiratione omnium Reverendorum Dominorum Capitularium. Potuerunt hi, & iſti, & tu non poteris? Quidni & tu quoque ſperes futurum, ut eadem animorum, ſimul & induſtriæ magnanima, heroica conjunctio perficiat id, quod hactenus ne tentatum quidem fuit ob apparentem impoſſibilitatem? quæ tamen mihi ita videtur eſſe nulla, ut dum hæc ipſa exaro, efferveſcat adeò animus, ut jam audeam, quod ante horæ quadrantem erubuiſſem chartæ, typóque mandare, id unum videlicet, quòd orem, precérque illos divinos Myſtas, quibus lectio meorum libellorum attulit hiſce duodecim Annis, vel minimum quid emolumenti, memores eorum, quæ hiſce vigeſimo, & vigeſimo primo Caſibus propoſui de iſto execrabili, ſumméque noxio flagitio: memores quoque ſpecialiter obligationis, qua tenentur longè arctiore ad tuendum honorem debitum

Deo,

Digitized by Google

Deo, rebúſque Sacratiſſimis, quàm ad ſuam, ſuorúmque adhuc ſuperſtitum: aut jam vita functorum parentum famam vindicandam, expreſſè, formaliter coram Venerabili Sacramento dicant:

890 *Domine JEſu Chriſte, pro cujus honore paratus ſum, ſi ita res ferat, ſanguinem fundere, is autem tam indignum in modum proculcatur per blaſphemias à patre mendacii invectas in mundum, inque tuum deſpectum, & ignominiam, firmiſſimè propono coram tota tua Curia cœleſti. fore ut ſim perſæpe, perquam ſeriò cogitaturus de efficaci ratione radicitus extirpandi è mea parochia, meóque Decanatu illud impium, nefandum ſcelus, eámque rationem & medium ſtrenuiſſimè adhibiturus. Quòd ſi vel ex deſidia, vel reſpectu merè humano neglexero occaſionem tuendi tuum, verúmque tibi conſecratarum honorem, adverſus illius Satanicos temeratores, certò ſim toties certam pecuniæ ſummulam ſeparaturus in pios uſus, quoties hoc meum firmum propoſitum fuero prævaricatus.*

891 Finem toti diſſertationi de hoc omnium horribilium horribiliſſimo ſcelere imponet inprimis Guilielmus Peraldus, qui in Summa virtutum *Tract. 9. cap. 1.* referente P. Drexelio *in Phaëtonte*, inque calce ſeptimi capitis, tribuit blaſphemis

Hoc nemini ſanè invidendum Elogium.

B*laſphemi ea cantica diſcunt in mundo, quæ canent in inferno.* Et quidni ita canant; cùm *diaboli linguam habeat, qui ut diabolus loquitur*? Sanctus Chryſoſtomus Homilia 76. in Matth. *Verè lingua blaſphemi eſt vehiculum Diaboli.* Idem Sanctus.

Imponet denique minax, objurgatoriáque 892
monitio, qua S. Ephrem *Paræneſ. 43.* corrigit, corripítque blaſphemum: *Deſine*, inquit, *O homò blaſphemate, ne fortè idem ſermo* (blaſphemus) *quem contemnis, fiat flamma in ore tuo, & tuam linguam comburat. Quomodo hodie in mundo conſtitutus, &* (fortè) *cras tribunali ipſius* (Dei) *præſentandus audes talia loqui? & non metuis, ne fortè ignis de cœlò deſcendat, & devoret te, dum tu ſic os adverſus Omnipotentem aperis? Neque vereris, ne fortè terra ſub te repente diſrumpatur, & te abſorbeat?*

PARS QVARTA, DE SUPERSTITIONIBUS.

QUID SIT SUPERSTITIO, ET QUOTUPLEX?

SECTIO I.

CASUS XVII.

Diœceſanus frequentatus.

SUMMARIUM.

Caſus mulieris, cui quidam præſcripſit media ſuperſtitioſa, ut poſſet parere vivam prolem. 893.
Quid ſit Superſtitio in genere? 896. *& præcedenti.*
Dividitur in duas ſpecies: videl. in Cultum Creaturæ divinum: *& in* Cultum Creatoris ineptum *ſeu indecentem. Ibid.*
Cultus Creaturæ divinus ſubdividitur in Idololatriam, Divinationem, Vanam Obſervantiam, *&* Magiam. 897.
Cultus Creatoris ineptus ſubdividitur in Cultum Pernitioſum, *&* Superfluum. 898.
Quid ſit Idololatria? Quid Idolum? Quid Latria? 901. *&* 903.
An Catholici, vel potiùs Calviniſtæ ſint Idololatræ? 902.
Idololatria dividitur. 1. *In* Veram *&* Fictam. 2. *In* Expreſſam *&* Implicitam. 3. *In* Formalem, *&* Merè Materialem. 904.
An adorantes Hoſtiam non conſecratam committant materialem Idololatriam? 906.
An reprehendendi, qui dicunt hanc aut illam Eccleſiam eſſe ædificatam in honorem B. V. vel alterius ſancti? 907.
Quid ſit Divinatio ſuperſtitioſa, & quid circa eam obſervandum? 908.
An ſi à Dæmone petatur ſcientia, quam habet, committatur propriè dicta Divinatio? 909.
Quomodo peccent qui conſulunt Zingaros? 911.
Divinatio ſubdividitur in Divinationem *per* Aſtra, *per* Phyſiognomiam, *per* Somnia, *per* Auguria, *& per* Sortes. 912. *& ſeqq.*
Ad has revocantur Omen, Oraculum, Necromantia, *& alia.* 917.
An habendus pro homicida, ad cujus præſentiam cadaver manat ſanguine? 918. *& ſeq.*
Quid ſit Vana Obſervantia, *& quomodo differat à* Divinatione ſuperſtitioſa? 920.
Varia exempla Obſervantiæ ſuperſtitioſæ. 921. 923. 925.
Vnde res ſacræ interdum accipiant Virtutem ſuam contra vulnerationes lethales? 922.
Quantum peccatum ſit Vana Obſervantia? 924.
Quid ſit Magia Superſtitioſa *ſeu* Diabolica? 926.
Magia Naturalis *per ſe non eſt mala: eſt tamen mala per accidens. Ibid.*
Sex Regulæ ad dignoſcendum, an effectus aliquis mirus fiat cum, vel ſine ope Dæmonis? 927. *& ſeq.*
De numero impari à medicis obſervari ſolito. 930.
An filum Cannabis, quod virgo nevit, naturaliter ſanare poſſit aliquam infirmitatem? 932.
Factum prudens Cardinalis Cajetani, convincentis alios ſuperſtitionis. 938.
Redditur Ratio Reſponſionis datæ num. 895. *Ad caſum num.* 893. *propoſitum.* 939.

Est in hoc pago femina, quæ non poteſt edere fœtum vivum, cui dixit quidam vir ruſticus quidem, ſed artis medendi morbis tam peritus, ut homines ex locis valde remotis ad eum veniant, hoc malum provenire à maleficis, eique contigiſſe in nuptiis, fore quoque, ut nunquam edat vivam prolem, niſi utatur remediis à ſe præſcriptis. Remedia autem præſcripſit hæc: 1. *Deberet peregrinari in Zigelbach ad B. V. Mariam, ejuſque infantulo facere induſium, & quidem ex ſuis veſtibus.* 2. *Deberet eadem femina inter ubera geſtare radicem, ab ipſo præbitam, & à me benedictam.* 3. *Deberet partu imminente radere radicem, & materiam abraſam bibere. His autem remediis noluit uti iſta fæmina, niſi approbarem ego. Quare maritum miſit, qui me conſuleret. Cui reſpondi, hæc remedia mihi omnino diſplicere, eum tamen poſſe conſulere viros me doctiores. Rationes meæ reſponſionis ſunt hæ:* 1. *Non poſſum credere, hoc malum eſſe à veneficis.* 2. *Non video, cur induſium ex veſtibus præfatæ mulieris factum majorem efficaciam habeat, quàm ex aliis linteis.* 3. *Non credo, quòd radix inter ubera geſtata hunc poſſit ſortiri effectum.* 4. *Oriuntur inde malæ ſuſpiciones, & detractiones. Hoc autem reſponſum ægre tulit maritus, ſtatímque conſuluit Religioſum. Qui ei reſpon-*

893

894

reſpondit, poſſe adhiberi ea remedia. Nihilominus maluit illa fœmina ſequi meam opinionem, quàm Religioſi. Ideo valde ſolicitus ſum ratione hujus Caſus, quia hic ſunt tres ſimiles fœminæ, quæ hactenus nunquam potuerunt edere fœtum vivum, & jam tres mortuæ ſunt propter partûs difficultatem. Quare gratiſſimum mihi foret, ſi R. V. dignaretur mihi aperire mentem ſuam circa hunc Caſum &c.

895 Deſcripſi verba Parochi multùm comendati à vitæ integritate, zelòque animarum Cui reſpondi, probari mihi ejus reſponſum, eò quòd ejuſmodi medicatio ſit vel certò, vel probabiliſſimè ſuperſtitioſa, ſiquidem ſuperſtitio juxta S.Thom. *2.2. quæſt.92. art.1. in corp.* eſt vitium, quo exhibetur cultus divinus, vel cui non debet exhiberi, vel eo modo, quo non debet exhiberi. Atqui in hac curatione vel exhibetur Deo vero cultus eo modo, quo non debet exhiberi, vel exhibetur Cacodæmoni, cui præſtari nequaquam debet. Utrumque membrum minoris propoſitionis, ſeu ſubſumpti probabo infrà *num.939.* ubi videlicet explicavero in hac ſectione naturam, & ſpecies ſuperſtitionis.

896 Quæritur igitur I. *Quid ſit ſuperſtitio, & quæ ejus ſpecies?*

Reſp. Superſtitio dicta eſt eò quòd homines nimium timerent iram Deorum supernè imminentem, & quaſi ſuperſtantem, ut ex Servio obſervat P.Leonardus Leſſius *Lib. 2. De juſtit. & jur. cap. 43. n. 1.* breviter eam definiens hoc modo: *Superſtitio eſt vitioſus cultus veri, vel falſi numinis,* quæ deſcriptio concordat cum ea, quam *num. præced.* attuli ex S.Thom. & proinde Superſtitio propriè dicta committitur generatim tantùm duobus modis: 1. Quando divino cultu afficitur creatura. 2. Quando creator quidem, at modo indebito, ſeu indecente. S. Thom. *loc. citat. art. 2. in corp.* qui duo modi ſunt ſpecie diſtincti, ut oſtendit Suarez *Tom. 1.*

897 *De Relig. Tractatu 3. cap. 1. num. 3.* Sub primo, quem poſſumus generatim appellare *Idololatriam*, ſeu Idololatricum, ut notat *ibid.* Suarez *num.2.* continentur tria ſpecie diſtincta vitia. Primum eſt *Idololatria* ſtrictè, rigidéque dicta. Secundum eſt *Divinatio.* Tertium *Obſervantia ſuperſtitioſa*, ut tradit *ibid.* S. Doctor, & explicat Suarez *cap.7.* monente Leſſio *loc. cit. n. 6.* ſi *Obſervantia* ſtrictè ſumatur, non poſſe ſub ea contineri *Magiam*, ſed hanc eſſe, ut ſic, conſtituendam pro quarta ſpecie.

898 At verò ſub ſecundo membro comprehendit S. Thom. duas ſpecies ſuperſtitionis. Unam, quam appellat *Cultum pernitioſum.* Alteram *ſuperfluum.* Cultus pernitioſus eſt, quo aliquid falſum ſignificatur, ut ſi ceremoniis antiqui teſtamenti vellemus ſignificare futurum adventum Meſſiæ, qui jam apparuit. Superfluus verò Dei cultus eſt, quando ad honorem Dei aliquid facimus, quod quantum eſt de ſe non pertinet ad Dei gloriam, nec mentem, aut corpus hominis Deo ſubjicit, prout debet, nec lege, vel conſuetudine impoſitum eſt, ſicut videre eſt apud eundem S. Thomam *loc. cit. art. 1.* & *2. in corp.* ac pluribus declarabo inferiùs. Quam diviſionem defendit Suarez *loc. cit. cap. 2.* exprimens, cultum pernicioſum eſſe illum omnem, 899
& ſolum, qui exhibetur cum formali, & directo, vel indirecto mendacio, ut quando uteris re ſignificante aliquid falſum, etſi non intendas, poſſis tamen ſcire eſſe falſum, ſicuti poſſunt ſcire Judæi, adventum Meſſiæ non ampliùs ſignificari per hanc, aut illam ceremoniam, & tamen eam adhibent tanquam ſignificativam, ſeu præfigurativam. Idem dic, ſi quis velit falſi miraculi narratione propagare, aut confirmare ſeu Catholicam, ſeu acatholicam Religionem. Idem quoque dic de illo, qui reliquias, aut indulgentias falſas pro veris venditat: qui ſuſpendit unum, aut plura anathemata, quaſi ſigna obtentæ divinitus ſanitatis, cùm non ſit obtenta. Sanctgallenſes in Curſu Theologico *To. 7. Tr. 3. Sect. 1.* meritò addentes, hæc, & ſimilia eſſe ex ſuo genere gravia peccata mortalia.

Cultum ſuperfluum quod attinet, Suarez il- 900
lum vocat Dei cultum *ſuperfluum*, qui quidem nihil falſi ſignificat, attamen eſt ineptus colendo Deo. Exempla petes ex iis, quæ *Caſ. 2. n. 61. & ſeqq.* attuli ad oſtendendum an, & quatenus res indifferens poſſit eſſe apta materia voti. Sunt verò indicatæ ſpecies ſuperſtitionis ita diverſæ, ut earum ſpecifica malitia nequeat intelligi, niſi nominentur, & exprimantur ſingulæ, per quas peccatum eſt, ideóque eſſe nominandas cenſet idem Suarez *num. 23.*

Quæritur II. *Quid ſit idololatria, & quæ ejus* 901
ſpecies? Reſp. I. Idololatria propriè ſumpta eſt vitium, quo divinus cultus exhibetur creaturæ. S.Thom. *2.2. quæſt.92. art.2. in c.* ſeu quo creatura colitur ut Deus. Cenſetur autem hæc coli ut Deus, quando ei defertur honor competens ſoli Deo, ſive colatur per Sacrificium, erectionem Templi, & Adorationem propriè dictam, qui tres cultus ex omnium gentium uſu ſoli Deo competunt, teſte Suarez *loc. cit. cap. 3.* ſive per alios actus, qui ex intentione directa, vel indirecta colentis debentur ſoli Deo, ut paulò pòſt patebit, quàm Idololatriæ definitionem tum ex etymologia *Idoli*, & *Latriæ* petitam, tum ex ipſa S. Scriptura, & Patribus probant Gregor. de Valentia *Tom. 3. Diſp. 6. quæſt. 11.* atque alii contra Calvinum, & Herbrandum, qui, ut Religionem Catholicam reddant ſuis miſerabilibus oviculis odioſam, & execrabilem, fingunt, omnem cultum, quo Deus indecenter colitur, eſſe Idololatriam. Deum autem coli indecenter, quando exhibetur ipſi aliquis honor, quem ipſe non mandârit exhiberi ſibi.

Unde inferunt, eſſe nos verè Idololatras Ab- 902
götterer / cùm multa faciamus ad honorandum Deum, quæ ipſe non præcepit, ſicut non præcepit vota: peregrinationes: perpetuam Virginitatem &c. Rectiùs multò inferunt Sanctgallenſes *loc. cit.* Calviniſtas eſſe verè Idololatras,

tras, ſiquidem habent pro vero Deo illum, qui ipſis eſt Autor, Impulſor, ſuaſor omnis peccati. Atqui diabolus eſt iis ſuaſor omnium, quæ dicunt, ſcribunt adverſus Orthodoxos.

903 Equidem Idolum primitus ſignificabat imaginem falſi Dei, ſeu falſi hominis, ut probat Suar. *loc. cit.* éſtque hæc vox extenſa ad ipſummet hominem, aut Deum falſum, ita ut Idolum jam vel ſignificet imaginem falſi Dei, hominiſve falſi, vel falſum Deum, hominémve falſum, per hominem falſum intelligendo aliquem ſemideum, ſemibeſtiam &c. Latria verò ſignificat propriè, & ſtrictè adorationem, propriè autem, & ſtrictè adoratio eſt ſervitus debita ſoli Deo, tametſi latè ſumptâ indicet ipſamet S. Scriptura perſæpe reverentiam, ac venerationem magno alicui viro exhibitam cum humiliatione: At Idololatria propriè, & non abuſivè ſumpta ſignificat illum ſolum cultum, qui præſtatur alicui ſubſtantiæ tanquam Deo, cùm tamen non ſit Deus. Porrò undenam originem ſumpſerit Idololatria, ediſſerit inter alios Leſſius *cit. cap. 43. dub. 3.* quem leges cum honeſta animi voluptate.

904 Reſp. II. *Idololatria* alia eſt *Vera*, alia *Ficta*, quam fictam nullo caſu eſſe licitam notant ſingulariter hîc Sanctgallenſes *loc. cit.* quia nullo caſu licet non modò ſeriò, ſed nec fictè negare veram fidem. Rurſum alia *Expreſſa*, alia *Implicita*, nimirum quando creaturam afficis divino honore, nolens tamen expreſſè ſignificare, illam coli à te ut Deum, quod quidem fit duobus modis, ſcilicet petendo à creatura rem excedentem vires omnis naturæ, vel cognitionem rerum, quam nequit impertiri niſi Deus, ut ſunt ea, quæ pendent à Dei, vel hominis pu-
905 ro puto arbitrio. Unde rei ſunt *Implicitæ Idololatriæ*, qui poſtulant à Dæmone, atque hujus miniſtris divinatoribus diſcere, quot uxores ſit hic vir ducturus, ad quas dignitates promovendus, quámque diu conſervaturus illas? Denique *Idololatria* dividitur in *Formalem*, & *Merè Materialem*. *Formalis*, prout opponitur *Merè Materiali*, eſt, quando colis ut Deum aliquam creaturam ſciens, aut facilè ſcire valens non eſſe ulla divinitate præditam. *Merè Materialis* eſt, quando bona fide exhibes alicui creaturæ cultum divinum, inculpabiliter ignorans ei non deberi illam venerationem?

906 Hujus *Merè Materialis Idololatriæ* rei ſunt hodiéque multi barbari, præſertim adoleſcentes adhuc, qui ſecuti inſtitutionem, & exempla parentum, habent pro Diis vera idola, aut etiam beſtias. Poſſunt & illi Catholici dici admittere idololatriam materialem, qui adorant hoſtiam, aut vinum non conſecrata, inculpabiliter ignari defectûs ſubſtantialis, qui intervenit in materia, forma, intentione, aut preſbyteratus collatione, quamquam multi negant, etiam *Materialem* illam *Idololatriam* committi in ejuſmodi caſu, eò quòd Catholici habeant implicitè, vel explicitè intentionem adorandi ſolùm hypotheticam, ſi videlicet præceſſit legitima conſecratio, qua de re vide ſi placet, quæ propoſui in Experientiis, *Tract. 3.* ſeu *De Sacrificio num. 99.* Vide etiam Breſſerum *De Conſcient. Lib. 5. num. 101.* & Vaſquez *Lib. 3. De adorat. Diſp. 1. cap. 5.*

Etſi autem dixi ſuprà, Templa erigi ſoli illi, 907
qui habetur pro Deo, non tamen ideo reprehendendi ſunt ii, qui dicunt, hanc aut illam Baſilicam eſſe ædificatam in honorem B. V. aut S. Petri, non enim negant hi, eſſe primariò ſtructam in honorem ſummi Dei, ſicuti etiam licèt nos æquè detegamus caput, quando nominamus Mariam Virginem, ac quando JESUM, & etiam æquè flectamus genua ante imagines SS. ac ante Chriſti, non tamen cenſentur honorem divinum æquè Cœlitibus, ac Chriſto deferre, alioquin etiam eſſemus dicendi exhibere divinam reverentiam illi Principi, coram quo nos æquè profundè inclinamus, atque coram Numine. Verum quidem eſt, honorem eſſe materialiter eundem, at formaliter, ſeu ratione intentionis diſtinctiſſimus eſt.

Quæritur III. *Quænam ſint obſervanda circa ſuperſtitioſam Divinationem.*

Reſp. ſeqq. I. *Superſtitioſa Divinatio* eſt, 908
quando quis ope, vel diſciplina dæmonis indagat rem occultam, quam humano modo cognoſcere nequit. Leſſius *cit. cap. 43. dub. 5.* conformiter doctrinæ S. Thom. *2. 2. quæſt. 95. art. 1. in corp.* II. Hæc indagatio fit cum invocatione Dæmonis expreſſa, vel implicita, ſeu tacita, ut cùm cupis notitiam alicujus rei occultæ nanciſci ex aliquo ſigno, quod eam ſignificandi non habet vim ullam vel naturalem, vel ex divina inſtitutione, e. g. quando puellæ nubiles pridie S. Andreæ averſæ lectum ingrediuntur eo fine, ut de nocte appareat iis maritus, quem ſunt nacturæ, ut olim factitabatur à multis in Rauracia: vel quando in die Epiphaniæ plures ſeligunt ſibi ſinguli folium hederæ, illúdque ut ſuum immittunt in ſcutellam, aliúdve vaſculum aqua plenum, cupientes conjecturam mortis ſibi eo Anno impendentis (ut ſæpe vidi, ne dicam feci puer) ſi mergatur illud ſuum folium. Idem dic de Zingaris, divinantibus ex aſpectu manus, & fibrarum, multitudinem Annorum vitæ adhuc numerandorum.

Quæ, & ſimilia ſi fiant ex intentione inde 909
cognoſcendi veritatem circa futuritionem talium eventuum, certum eſt ex communi Theologorum cum S. Thom. *loc. cit. art. 3.* intervenire pactum implicitum cum principe tenebrarum, clarum eſt enim, ejuſmodi res, aut actiones non habere vel naturalem, vel ſupernaturalem connexionem cum talibus effectibus, adeóque nec à Deo, nec à Creatura eſſe inſtituta ſeu per ſe, ſeu per accidens tanquam ſignâ ejuſmodi futurorum contingentium, igitur nemo poteſt ea futura prædicere niſi vel bonus, vel malus genius, bonus genius non prædicit, cum & nemo ad id eum invocet, & ſit indignum tanto Principe operam ſuam ſingularem

addi-

Digitized by Google

addicere tam ridiculis, ſæpe quoque perverſiſſimis hominibus, conſequenter dicendum eſt, invocari atrum genium, qui licèt nequeat quidquam certi pronuntiare de eventibus pendentibus ex libero arbitrio, poteſt tamen veroſimiliùs de iis loqui, quàm ullus mortalis; imò perſuadet ſuis miniſtris, ſe ſcire, cùm minimè noverit. Unde ulteriùs infertur, adhiberi Cacodæmoni tunc cultum divinum; ſiquidem tunc rogatur is tacitè, ut tribuat notitiam, quam ſolus Deus poteſt communicare, aut ſi fortè poteſt dæmon ex inſpectione manuum conjicere numerum Annorum, quibus adhuc es futurus ſuperſtes, eo caſu tametſi Valentia *cit. quæſt. 17.* negat à te admitti propriè dictam ſuperſtitionem, aſſerunt tamen admitti Suarez *loc. cit. cap. 8. num. 16.* Tannerus *num. 25.* & alii. Equidem præterquam quòd dæmon ideo talia revelat, ut ſibi deferatur quidam divinus honor, aditur periculum idololatriæ.

910 Nec excuſaris I. Etſi neges, aut etiam formaliter proteſteris, te velle quidquam negotii habere cum avernali tenebrione, ſiquidem hæc proteſtatio eſt contraria facto. Non excuſaris 2. Indè, quòd plures id factitent, nam totus mundus eſt plenus mendaciis, & mendaciloquis, haud tamen inde infertur eſſe fas mentiri.

911 III. Nihilominus aliquæ ex ejuſmodi actionibus poſſunt exerceri citra mortalem, aut etiam venialem noxam. Citra mortalem, ſiquidem tunc ſolùm per eas peccatur mortaliter, quando ſeriò attenditur talibus ſignis, & cum animo adhibendi fidem. Suarez *loc. cit. cap. 9. num. 11.* Atqui plurimi nec ſeriam reflexionem faciunt ad talia; nec adhibent ullam, aut non niſi modiciſſimam fidem. Sanè, quod ſuprà *num. 908.* memini de foliis hederæ, factitabatur ſolùm per jocum; atque ad vexationem aliquam, idcirco aberat omne peccatum.

Zingaros quod attinet, qui oſtendit ipſis manum ad prognoſticationem de numero Annorum, ſi id faciat ſolùm ad captandum riſum; non delinquit peccato ſuperſtitionis formaliter, peccat tamen peccato ſcandali inducendo Zingarum vel ad mentiendum, ſi prognoſticet aliter, quàm ſentiat in animo, quòd quidem ſæpiſſime fit, vel ut indicet ſeriò; & ex animi ſententia, tunc enim admittit ipſe Zingarus crimen ſuperſtitionis, cujus tu das occaſionem. Jus Bavaricum, de quo infrà *numero 1013.* jure mandat ſeverè puniri tam qui conſulunt, quàm qui conſuluntur.

912 Quæritur IV. *Quot ſint ſpecies divinationis ſuperſtitioſæ.*

Reſp. Sunt præcipuè quinque: Prima eſt Aſtrologica, ſeu Aſtrologia judiciaria, quando videlicet quis ex curſu, vel concurſu ſiderum vaticinatur de eventibus habentibus neceſſariam dependentiam à libero arbitrio. Etſi enim multi naturales effectus, ut venti, pluviæ, frigus poſſint vel probabiliſſimè, vel etiam certò prædici ex aſpectu ſiderum, utpote quæ ſunt cauſæ naturales paſſionum contingentium in media, infimáque regione aëris, licet quoque viri magno ingenio, judicio, longo uſu, cauſarúmque cum effectibus collatione præditi poſſint ſagaciter multa conjicere eorum, quæ ſine influxu liberi arbitrii fieri nequeunt, multa tamen viciſſim nequeunt cum ulla veri ſpecie prædicere, aut conjicere, multò minùs quidquam certò vaticinari, ut ſolet demonſtrari in phyſica, & conſtat ex illa Jeremiæ *cap. 17.* ſententia: *Pravum eſt cor omnium, & inſcrutabile; quis cognoſcet illud?* Equidem Leander *cit. Tract. 9. Diſp. 2. quæſt. 43.* ſcribit contra P. Palaum, eſſe certum; quod nihil eorum poſſint cum vera probabilitate præcognoſcere.

913 Unde patet, quid cenſendum de Calendariopœis, prædicentibus bella, pacem rebelliones, & ſimilia. Si enim ſua de his judicia volunt haberi pro oraculis, Vulcano conſecranda ſunt eorum Calendaria, ipſi verò interrogandi, an præviderint in aliqua conſtellatione, ſe illo Anno mancipatum iri carceri, & ſeu negantes, ſeu aſſerentes, tradantur cuſtodiæ. Haud tamen reor, eſſe quemquam è Catholicis, qui aut ita judicet, aut judicanti credat, alioquin delinquerent haud leviter Magiſtratus ſæculares; & Eccleſiaſtici, permittentes impreſſionem, nundinationémque ejuſmodi putidarum mercium; cùm ne quidem probabilis talium eventuum conjectura deſumi poſſit ex conſtellationibus, ut demonſtrat tam multiplex, & quotidiana in contrarium experientia, addente Suarez *loc. cit. cap. 11. num. 8.* contra Tannerum *cit. quæſt. 7. num. 8.* genethliacos vix ſuſpicionem, ne dum conjecturam; vel cognitionem probabilem poſſe habere de futura alicujus in hoc, aut illud vitium propenſione, multò minùs de hoc, aut illo patrando delicto, capeſſenda hac, illáve dignitate poſſunt quidquam certi pronuntiare, liquétque ex bulla Sixti V. quam deſcribit Suarez, in qua etiam mandatur, ut illi genethliaci plectantur, tametſi proteſtentur, ſe non pro certo, ſed ſolùm probabiliter talia deducere ex nativitatis conſtitutione. Hinc expreſſè docet Suarez *num. 31.* & Leſſ. *cit. cap. 43. numerò 42.* contra nonnullos, eſſe reos ſuperſtitioſæ divinationis etiam illos, qui ex ſolo aſpectu ſiderum dicunt; eſſe probabile, quòd hic jam ſanus homo ſit tali morte hoc tempore periturus, futurus homicida &c. E diverſo Leander *loc. cit.* aſſentitur P. Tamburin. *in Decal. Lib. 2. cap. 6. num. 20.* neganti delinquere te ſaltem mortaliter, ſi pauculas ex his tuis nemini noxiis actionibus moderêris juxta prædictionem periti aſtronomi, ut ſi e. gr. navem non conſcendas eo die, quo te ſubmerſum iri prædixit: ſi Romam petas ſpe obtinendi Prælaturam, cujus obtinendæ ſpem fecit Aſtrologus judiciarius.

914 Secunda ſpecies divinationis ſuperſtitioſæ eſt phyſiognomia, quando ex oculorum, vultûs, manuum, inceſſûs conſideratione vel aſſeveranter prædicitur effectus neceſſariò dependens à libero arbitrio hominis, vel de præteritis, aut præſentibus penitus occultis fit indubitata aſſeveratio.

915 Tertia eſt per ſomnia, quorum obſervatores increpat non ſemel divina ſcriptura, ſingulariter *Levit. cap. 19.* illos, ajo, qui ex rebus lætis, aut triſtibus objectis ſibi per ſomnia, inferunt, hoc aut illud certò factum jam eſſe, aut futurum, faciendúmve: vere enim autor hujus illationis eſt ſolus pater mendaciorum, communiter loquendo, tametſi Deus ipſe haud rarò immiſerit talia ſomnia. Quam ob rem excuſari perſæpe poſſunt à mortali nonnulli, aut nonnullæ, qui ſibi perſuadentes, ſe moneri per hoc, aut illud ſomnium, ut ſibi caveant ab hoc, aut illo malo, faciant hoc, aut illud ex ſe non malum, obſequuntur practicè huic perſuaſioni, licèt enim tunc intercedat aliqua levitas, vel nimia timiditas, ſimplicitáſve, haud tamen apparet gravis malitia, præſertim quando tales non tam credunt, illud ſomnium eſſe immiſſum à Deo, quàm fortè eſſe immiſſum. Suarez *cit. Tract. 3. Lib. 2. cap. 3. num. 15.* Et verò Cajetanus in Summa verb. *ſomnium* ſcribit, hominem poſſe quandoque abſque omni peccato ex aliquo præſagio cavere ſibi prudenter ab imminentibus, *dubitando ne præſens occurſus ſit ſignum veri, ex communi utriuſque cauſa cœleſti, ſeu ſiderum, vel divina, ut ſi quis cadens humi, timeat ne honore, aut vita excidat*, eúmque abſolutè ſequitur Tannerus *num. 44.* Sed Leſſius limitat ad Caſum, quo adſunt circumſtantiæ, in quibus tale quid prudenter timeri poteſt, alioqui negat excuſari à veniali, eò quòd ſit gradus quidam ad ſuperſtitiones, & ad mentem variis inutilibus curis implicandam. Quare ſingulariter, & periculoſè peccant hîc illi, qui in lecto captant illum ſitum corporis, in quo per ſomnum edoceantur præterita, vel futura, aut prudenter facienda. De ſomniis vide plura infrà *Sect. 2. num. 1006.* ſed prius lege hoc

Præſagum Somnium.

916 S*Omnium, inquam, Venerabilis P. Petri Fererii, qui laborans febri perquam atroci dixit medico, ſe nocte ſomniâſſe tanquam cum ſua febri dialogum inſtituiſſet, & conqueſtus fuiſſet, quòd ab ea tam atrociter haberetur, tum replicâſſe febrim.* Nec eſt, qui de manu mea poſſit eruere. *Hinc alloquens Medicum ſubjunxit Petrus, quidquid tentaturus eſſet, fore fruſtraneum, atque laborem inutiliter inſumptum iri.* Sic teſtatur perquam Religioſus Autor Vitæ. Lib. 1. cap. 24. ſapienter monens: *Virum hunc ab omni vanitate, levitatéque alieniſſimum, aliunde, atque adeò divinitus didiciſſe, hanc febrim fore ſibi fatalem.*

Quarta ſpecies divinationis ſuperſtitioſæ eſt per auguria, ſeu cantum, volatúmque avium. 917

Quinta per ſortes, quæ tamen ſortes ſi adhibeantur ſolùm ad dirimendam aliquam controverſiam, non autem ad cognoſcendum, utrùm hoc aut illud ſit prudenter, utiliterve faciendum, vacat omni culpa, tunc enim non ſunt ſortes divinatoriæ, quæ ſolæ prohibentur, ſed diremptoriæ, ſeu diviſoriæ, ut quando jacitur alea pro dividenda hæreditate, aut etiam pro evitando patibulo, ſicuti fit, quando plures milites rei capitis jubentur ludere ludum fatalem, in quo qui ſuccumbunt, occumbunt ſine ulla divinatione.

Ad has quinque ſpecies divinatorias ſpectat juxta S. Thomam Magia, de qua *numero 927. & ſeqq.* Item Omen, Oraculum, Necromantia, & alia minutiora, explicata à Leſſio *num. 25.* Tannero, & aliis.

At quid cenſendum de hoc ſæpe repetito Caſu?

Q*Uo videlicet factum, ut qui homicidium voluntarium patrârat, ſponte, aut juſſu delatus ad cadaver interfecti, habitus eſt pro homicida, quando ad ejus præſentiam manavit, ut non rarò factum, ſanguine cadaver.* 918

Noſter P. Simon Felix à me alibi meritò commendatus à rara ſcientia Theologica, reſolvit in Conferentia Caſuum domeſticorum, illam conjecturam niti tam multis experimentis, ſine cooperatione cujuſquam alterius, de quo poſſet formari ulla etiam tenuiſſima ſuſpicio ullius pacti cum illo, qui *homicida erat ab initio.* Joann. 8. verſ. 44. ut negaret, ejuſmodi conjecturam eſſe accenſendam vanis obſervantiis, aut divinationibus, illam autem ſanguinationem, ſeu ſanguinis fluxum contigiſſe aliquando per antipathiam occiſi adverſus occiſorem, aliàs autem per ſingularem cooperationem Dei. Quod judicium eo uſque mihi probatur, ut cenſeam inprimis, judicem poſſe inſtituere ſpecialem inquiſitionem in eum, ad cujus unius adventum cœpit cadaver mittere ſanguinem. Poteſt, inquam, inſtituere illam inquiſitionem tum ad inſtantiam partis fortè id exigentis, tum etiam ex officio. Prima pars patet ex communi doctrina apud Villagut *in Practica Crim. Lib. 3. cap. 13. Concluſ. 1.* altera pars inde, quòd judex poſſit ex officio inſtituere inquiſitionem, quando & delictum eſt indubitatum, & aliquod præambulum legitimum præcedit, quod aperiat judici viam ad procedendum contra aliquem. Julius Clarus *Lib. 5. §. fin. quaſt. 6. num. 1.* illa autem manatio ſanguinis

ſguinis eſt aliquod præambulum, ut ſupponitur, éſtque legitimum, ut probatur inde, quòd etiam levia indicia ſufficiant ad inquiſitionem ſpecialem. Clarus *loc. cit. quæſt. 20. num. 2.* & quidem ad inquiſitionem ſimul & citationem, etenim etiam ad citationem ſufficere ſaltem ex conſuetudine indicia non validiora illo, de quo hîc agimus, tradunt Boſſius, & alii apud Clarum *loc. cit. num. 3.* cùm præſertim mos ferat, ut is, ad cujus præſentiam fit fluxus ſanguinis, ſtatim vocetur ab aliis præſentibus in ſuſpicionem vehementem ſceleris, diffametúrque per totam viciniam.
919 2. Si citatus, interrogatúſque neget factum, nec aliud prorſus indicium ſuppetat, plurimi quidem cenſent, poſſe ſubjici torturæ, ego tamen memor eorum, quæ in Clypeo Clementium Judicum ſcripſi de opinionibus lenioribus communiter ſequendis à judice, præſertim quando agitur de vita Rei, memor quoque, me in Quinario *Tract. 5. cap. 42. num. 48.* ſcripſiſſe, nulli eſſe torturam adhibendam, niſi ſuppetant indicia luce meridiana clariora, conſequenter inficior, talem poſſe torqueri, ſiquidem illam ſanguinationem eſſe indicium luce meridiana clarius pernegant multi contra multos ſpeculativos, & practicos Jure-Conſultos apud Menochium. *De arbitr. jud. Caſ. 270. num. 16.* & fuſiùs. *De præſumpt. Lib. 1. quæſt. 89. num. 118.* ubi etiam citat Theſſaurum *Deciſ. 173.* & Andream Gomeſium fuſiſſimè, doctiſſimè differentes hac de re. His omnibus ſcriptis reperio, Candidum Broglonum in Alexicaco *Lib. 2. num. 274.* eſſe cum multis, quos refert ejuſdem mecum opinionis, ob fallacitatem hujus indicii non ſemel deprehenſam.

920 Quæritur V. *Quid ſit Vana Obſervantia, & quando peccetur per illam?*

Reſp. I. Vana Obſervantia, ut vocat S. Thom. *2. 2. quæſt. 96.* ſeu obſervatio, ut loquuntur alii, eſt, cum aliqua fiunt, vel adhibentur ad aliquem effectum, ad quem neque à Deo, neque à natura ullam vim habent. Item cum ex conſideratione alicujus eventus fortuiti conjicit quis aliquid proſperi, vel adverſi, & inde moderatur ſuas actiones. Leſſ. *cit. Cap. 44. num. 62.* conformiter S. Thomæ. Ut proinde ſtrictè loquendo Vana Obſervantia differat in hoc à vana divinatione, quòd per divinationem tantùm intendamus acquirere cognitionem rerum occultarum, at per vanam obſervantiam intendamus aliqua commoda ultra cognitionem, ad quæ commoda procuranda nullam vim habent illæ res ſeu à Deo, ſeu à natura. Ergo vel nullam abſolutè, vel ſi aliquam, tunc à Javernione Orcino; cum quo proinde pactum ſaltem implicitum habet utens iis obſervantiis, in ordine ad adipiſcendum eum effectum.

921 Fit in primis cum Anabaptiſtis, qui ſumpto bolo eorum ſuperſtitioſæ, fictæque Euchariſtiæ, conſequuntur ſcientiam divinarum ſcripturarum, ſicuti teſtantur Leſſius *loc. cit.* Florimundus Remondus, & P. Petrus Tyræus *Lib. De Dæmoniac. Part. 2 cap. 22.* etenim diabolus loquitur, diſputátque per os illorum. Quod patet etiam inde, quòd quamprimum abjurant ſectam Anabaptiſticam, deleatur omnis memoria Bibliorum.

Fit deinde idem in iis, qui adhibent verba, ſigna, ceremonias, ad obtinendam ſanitatem, quam procurandi nullam ex ſe vim habent: Ergo ſi habent aliunde: tum vel ab albo, vel ab atro genio accipiunt, accipere ab albo, bonóque Angelo ſi inficientur Prælati Eccleſiæ, aut Theologi uno ore, præſumenda eſt ars diabolica.

Fit tertiò in eo, qui geſtat amuleta, involucra, & alia ejuſmodi, ut evadat invulnerabilis. Eſt enim concors judicium Theologorum, non poſſe rem ullam nominari, cui Deus indiderit vim reddendi invulnerabilem, ergò ſi geſtationem hujus, aut illius rei ſequatur invulnerabilitas, credendum omnino eſt, intervenire cooperationem dæmonis.

Quia tamen leguntur paſſim in libris aſce- 922
ticis exempla illorum, quos à lethali læſione præſervârunt res aliquæ Sacræ, ut Agnus Dei, Officium B. Virginis, Scapulare Carmelitanum, Imago hujus, aut illius Sancti, ſi quis lectis talibus exemplis muniat ſe tali amuleto, quando initurus eſt prælium e. g. muniat, inquam, cum pia invocatione Cœlitum, atque pia itidem ſpe felicis ſucceſſus, damnandus non eſt peccati.

Et poteſt contingere, ut intus ita animetur à Deo, vel aliquo Sancto, ut abſque omni temeritate ſe ſe committat ex gravi cauſa in evidens periculum vulnerationis futuræ lethalis, niſi præſervaret amuletum. Extra ſpecialem inſpirationem, ſeu excitationem divinam nolim eſſe autor, ut quis inſtructus tali re ſacra conjiciat ſe in majus vitæ diſcrimen, quàm ſi non eſſet ea inſtructus, alioquin dicetur tentâſſe Deum. Ut ad maleficia avertenda geſtes è collo unum, aut plura Evangelia permittit cum communi Leander *Tract. 9. quæſt. 19.* His adde, ſi lubet, mirificos effectus circa homines, & pecudes patratos vi ſchedulæ, cui ex inſtitutione Venerabilis P. Petri Forerii inſcripta erant hæc verba: MARIA *ſine peccato concepta fuit.* Hos effectus notatos reperies in hujus laudatiſſimi Regularium Canonicorum Reformatoris Vitæ *Libro 2. cap. 20. fol. 515. & 516.*

Poſtremò ſpectat vel maximè ad vaniſſimam 923
Obſervantiam, quando quis poſt egreſſum è domo impingit in ſcandalum, ſeu lapidem, ideóque rurſum ingreditur domum veritus, ne illa impactio ſit omen ſiniſtri Caſus, aut quando induens calceos ſternutat, ideóque lectum repetit, ne eveniat malum, quod ab ea ſternutatione portendi autumat. Plura alia ridi-

Digitized by Google

cula refert P. Leſſius *num. 65.* ubi etiam ſuperſtitioſæ Obſervantiæ reos agit illos, qui nonnullos dies habent pro fortunatis, alios pro infauſtis, taléſque obſervatores puniri mandat Jus Bavaricum De Superſtitionibus *fol. 36.* Hiſce phantaſticis junge illos, & illas, qui aut quæ idcirco ægerrimè commodant alteri quidpiam die Lunæ, quòd arbitrentur fore, ut neſcio, à quo genio cogendi ſint poſtea quotidie aliquid dare commodato, vel mutuo.

924 Reſp. II. Tametſi Leſſius *num. 64.* atque alii meritò ſcribunt, haſce, atque alias vanas Obſervantias eſſe ex ſuo genere peccata mortalia, multi tamen excuſantur à mortali ob ignorantiam, vel bonam fidem, quæ tamen bona fides deſinet, aderítque mala, quando commoniti à Confeſſariis, vel Parocho nihilominus adhærebunt talibus nugis. Vide tamen ea, quæ ſuprà *num. 915.* retuli ex Cajetano, & ex dictis infer, quid cenſendum de hiſce

Congenſium Stultitiis.

925 1. *QUando ingreſſi aliquod iter impingunt in lapidem, revertuntur domum, rati fore iter infauſtum, ſi ulteriùs moveant pedem.* 2. *Avicula mæſtum canente ſuprà tectum domûs, certiſſimò ſibi perſuadent, fore ut quis ex ea domo brevi efferatur.* 3. *Si veſpa, vel apis volitet juxta aures, judicant revelari ſibi ab illo animalculo aliquod ſecretum, e.g. imminere ſibi ab aliquo proditionem, aut ſi quis junctus Matrimonio ſit, ejus uxorem habere conſuetudinem cum alio, & vice verſa maritum non ſervare fidem conjugalem quando apis, aut veſpa volitat circa conjugatæ aures.*

Ita refert (Italicè) P. Joannes Franciſcus Romanus Capucinus Miſſionarius olim Pontificius in Regno Congi *fol. 92.* Liquet autem ex dictis in decurſu, hæc omnia eſſe veris, atque jure divino, naturalique vetitis ſuperſtitionibus, ſeu divinationibus, & obſervantiis accenſenda, & patere vel hinc, ardeliones Stygios uti iiſdem technis in remotiſſima Africa, quibus in Europa.

926 Quæritur VI. *Quid ſit magia, & quæ poſſint tradi Regulæ ad dignoſcendum, utrùm aliquis effectus mirus ſit habendus pro verè magico, adeóque ſuperſtitioſo.*

Reſp. I. Magia propriè eſt ratio quædam operandi mira per ſigna ope dæmonum. Leſſius *Lib. 2. De juſtit. cap. 44. num. 2.* diſtinguens *num. 6.* illam ab obſervantia vana, cùm tamen confundant S. Thomas, Suarez, Tannerus, alii plures. Eſt autem Magia duplex, ſcilicet Superſtitioſa, & Naturalis. Superſtitioſa, ſeu Diabolica eſt ea, quam deſcripſi, & quæ intelligi ſolet, quando hac ætate effertur nomen *Magi*, aut *Magiæ*: at Naturalis eſt ratio operandi mira per cauſas naturales ſine opera dæmonum, quæ quia non eſt per ſe mala, ſed tantùm per accidens ratione variorum malorum, quæ recenſet Leſſ. *Cap. 44. num. 1.* ideo de ſola Superſtitioſa tradam hîc potiora. Quia verò multa mirifica efficiuntur artibus merè naturalibus, quarum vim & cauſam ignorant plurimi homines, & nequiſſimi magi ſuos Acheronticos effectus attribuunt artibus naturalibus, non autem dæmoni, idcirco traduntur à ſapientibus nonnullæ Regulæ, ex quibus dignoſci queat, utrùm mirus aliquis effectus adſcribendus ſit integre cauſis naturalibus, an verò etiam cooperationi Diaboli?

927 Regula I. Eſt hæc. *Cùm & nemo præſumatur eſſe malus, niſi probetur, & mira ſit tum rerum naturalium: tum artis & induſtriæ humanæ vis, efficaciáque, non eſt quis bona fama, magnique ingenii vir facilè damnandus magiæ,* ſed potiùs ingenuè fatenda propria ignorantia, ingeniique debilitas, qua nequimus aſſequi, quo pacto hæc & talia fiant, niſi ad illam damnationem adigat magna ratio, vel commune ſapientum judicium. P. Tannerus *citata quæſt. 7. dub. 2.* multùm lenis in hac materia.

928 Regula II. *Quidquid præter Eccleſiæ conſuetudinem adhibetur ad operationem aliquam ſecuturam, quam vel abſolutè, vel tali modo, tempore, loco efficiendi vim naturalem non obtinet, id ad magicam ſuperſtitionem, & ad tacitum, vel expreſſum cum diabolo pactum referri debet.* Leſſius *cit. Cap. 44. dub. 3.* Tannerus *loc. cit. quæſt. 7. dub. 2.* Laymannus ſingulariter *Cap. 4. num. 3.* Candidus Brogionus in ſuo erudito Alexicaco *Part. 2. num. 312.* ex communi perſuaſione omnium piorum, & doctorum.

Ut autem hæc Regula ſubſiſtat, cenſendum eſt id ſolùm fieri præter Eccleſiæ conſuetudinem, quod vel fit contra morem Eccleſiæ, vel cui nil ſimile fit ab Eccleſia. Addendum quoque, hanc Regulam eſſe veram, niſi alia argumenta perſuadeant, hæc talia (non adverſantia poſitivè mori Eccleſiæ) peragi abſque ullo pacto cum tartaro, ut declarant autores exemplo Hiſpanorum Salutatorum, de quibus infrà *num. 951.*

929 Regula III. *Pro manifeſtè magicis, aut ſaltem valde ſuſpectis mediis ad aliquid acquirendum, vel impediendum, habenda ſunt illa omnia, quibus, tanquam neceſſaria, adhibenda ſunt, ſeu admiſcentur circumſtantia vana, inepta, ridicula.* Ita citati cum aliis poſt Cajetanum in *Summula Verb.* Incantatio. *num. 3.* quem maximi facio in re etiam morali. Ratio eſt, quia cùm ille effectus non poſſit provenire ab ejuſmodi circumſtantiis, utpote minimè operativis, & energeticis, Deus autem iiſdem, utpote vanis, non præſtat ſingularem opem, fit, ut præſtet eam Lucifer, qui iis circumſtantiis tanquam ſignis allicitur ad præſtandum id, ad quod has circumſtantias, & res vanas inſtituit. Leſſius *loc.*

Digitized by Google

loc. cit. num. 13. atque alii. Omnis circumſtantia inutilis, ſi tanquam neceſſaria adhibeatur, reddit opus ſuperſtitioſum, inquit Broglonus *cit. Tom.* 2. Alexicaci *Diſp.* 1. *num.* 272. ex ore omnium Theologorum, quia ſcilicet hoc ipſo, quòd ſit ex ſe inutilis, non poteſt adhiberi ut cauſa, ergo adhibetur ut ſignum infallibile, at quis promiſit hanc infallibilitatem? Quid igitur pronuntiandum

De Medicis?

930 *Qui tam Religioſam, & ſcrupuloſam rationem habent numeri, etiam dum præſcribunt pilulas ſumendas numero impari, non autem pari?*

Reſp. Broglonus *loc. cit.* meritò damnat illos ſuperſtitionis, ſi exiſtiment, eam ipſam quantitatem, & qualitatem Ingredientium, quæ operatura ſit ad votum, ſi dividatur in novem, vel undecim portiones, non operaturam, ſi præbeatur in octo, decem, vel duodecim. Ratio eſt evidens, quia ex omnium Philoſophorum mente numerus eſt res omnino iners: imò planè nihil eſt in rebus ipſis, atqui nonentis nullæ ſunt qualitates, ſeu accidentia. Igitur cùm præſcribunt grana, & alia ejuſmodi in numero inæquali, non ſunt cenſendi tracturi ad ſuum tribunal pharmacopœum, ſi hic quantitatem præſcriptæ materiæ diſpertiatur in 14. non autem in tredecim bolulos e. g. Longè ſunt ſapientiores, quàm ut ſuſpicentur, nedum credant, ullam vim latere in numero.

931 Regula IV. *Quando eſt dubium, utrùm effectus productus proveniat a cauſa naturali, an à Dæmoniaca, ſeu magica, adſcribendus eſt potiùs illi, quàm huic* P. Sanchez *Lib.* 2. *Moral. cap.* 40. *num.* 44. P. Tamburinus in *Decal. Lib.* 2. *cap.* 6. §. 1. *num.* 63. permittens tibi uſum rei, per quem productus eſt ejuſmodi effectus. Ratio eſt: tum quòd infinita fiant naturaliter, quorum tamen cauſæ merè naturales nos latent: tum quòd ſit melior conditio noſtræ libertatis volentis uti tali re ad talem effectum. Excipe primò: niſi ille effectus ita eſſet ſuprà naturam, ut à nulla naturali vi eſſe poſſet, ut eſt e. g. reſuſcitatio mortui. Excipe ſecundò: niſi docti, & ſapientes viri unanimiter cenſeant, cauſam illam impotentem eſſe ad talem effectum. Excipe tertiò: niſi adhibeantur quædam, quæ aliàs in iiſdem omnino circumſtantiis appoſita, clarè apparuerunt ejuſmodi vi nequaquam pollere, ut ſi quis lapide omnino communi attraheret ferrum eo modo, quo magnes. Excipe quartò: niſi vana, & ſuperſtitionem ſapientia naturalibus admiſceantur. Has quatuor exceptiones ponit ſapienter Pater Tamburinus *loco citato numero* 64. & *ſeqq.* declarans *num.* 67.

hoc

Valde ſingulari Caſu.

Filum cannabis, quod puella Virgo neverat, aſſumebat quidam, eoque ſubmurmuratis quibuſdam precibus utebatur ad ſanandos infirmos. Mater hujus puellæ quæſiit ex Patre Tamburino, eſſetne ſibi fas uti ejuſmodi filo, ad depellendam quandam infirmitatem? Quid fuit reſpondendum? 932

Reſpondit ipſe, quandoquidem ille medicus petebat ad ſe id filum mitti, priuſquam adhiberetur corpori matronæ infirmæ, probabiliſſimè ſubeſſe ſuperſtitionem, ac proinde periculum, ne medicus ſubmurmuratis quibuſdam verbis evocaret è ſtyge diabolum, ſeu cooperationem ejus. At verò ſi ea matrona illo duntaxat filo ſine medici interventu voluiſſet uti, *non utique fortaſſe uti prohibuiſſem*, inquit idem *cit. num.* 67. Cur enim (pergit Tamburinus) non poſſit Virgo innocens, non verò mulier corrupta, particeps eſſe alicujus efficaciæ nobis incognitæ, ut ſuis manibus, imò etiam ſuo ſputo, quo nendo ſolent mulieres filum inungere, occultam virtutem ad aliquem morbum propellendum communicare? Ita ille. His jam deſcriptis video, alteram reſponſionem hujus Doctoris probari Leandro *Tract.* 9. *Diſp.* 1. *quæſt.* 40. ob hanc rationem, quòd, ut refert ipſe ex Ruperto, planta non viri, ſed mulieris nuda efficaciam habeat perimendi ſerpentem etiam vivaciſſimum, de quo viderint alii.

Regula V. *Quando eſt dubium, utrùm aliquis effectus proveniat à Deo, an à diabolo, præſumendum eſt, eſſe potiùs diaboli, quàm Dei, niſi vel maxima operantis ſanctitas, vel alia urgentiſſima indicia aliud perſuadeant.* Sanchez *loc. cit.* poſt S. Thom. *quæſt.* 96. *art.* 2. *in C.* & communem aliorum teſte Tamburinò *loc. cit. num.* 68. Quam Regulam admittit ipſe tum univerſim, quando applicationi cauſæ adjunguntur circumſtantiæ vanæ, ridiculæ, nec enim Deus immiſcet ſe nugis: tum extra hunc etiam utrumque caſum, ſeu circumſtantiam, regulariter, non autem omnino ſemper, ſiquidem fieri poteſt, ut applicationi cauſæ dubiæ fuerit planè per accidens in aliquo particulari caſu, & eventu juncta cauſa merè naturalis occulta. 933

Unde negat, eſſe ſemper (eſto regulariter) legitimam hanc argumentationem Sanchezii: Hæc cæremonia vana non agit ex vi naturali ipſius, nec ex vi divina, ergo ex pacto cum dæmone, ideo autem rectè exiſtimat conceſſo antecedente negari poſſe conſequentiam, quia poteſt fieri e. g. ut quis impoſtor amoverit febrim quartanam propinata ad manducandum papyro, quibuſdam circulis ſcripta, amoverit autem illam non vi aut chartæ, aut dæmonis, ſed quia planè caſu factum ſit, ut eo ipſo tempore fuerit comeſa illa charta, quo per ſe 934

ipſam

Digitized by Google

ipſam erat deſitura qualitas peccans, inducénſque febrim. Hæc doctrina perplacet mihi, quæ tamen locum non habet, quando communiter, vel frequenter ſequitur illas ineptas ceremonias optatus eventus, quæ enim à caſu fiunt, rarò fiunt.

935 Addit idem Tamburinus *num. 70.* & *ſeqq.* duo. Primum: Si in illo dubio, de quo noſtra quinta Regula, infallibilitatem ſincero animo excludas, nec certò exſpectes effectum, excuſaberis à ſuperſtitione mortali, ſemel, iterúmve adhibendo rem illam, quia tunc vel eſt actus imperfectus, vel non eſt grave periculum commercii cum dæmone, neque alterius notabilis inconvenientiæ. Secundum: Probabile eſt non peccari per ſe loquendo, quando ad curandam e.g. infirmitatem gravem uteris medio, de quo in eadem hac Regula quinta agimus, modò ſincerè proteſteris, te nihil negotii velle habere cum orco ſeu ulla ſuperſtitione, etenim magna neceſſitas, vel utilitas facit tibi jus ad exponendum te dubio periculo ſuperſtitionis. Ita ille, citans pro ſe Salas, Sanchez, & Leſſium *cit. Cap. 44. num. 46.* cujus doctrinæ ſequelam practicam ſicuti non damnarem in caſibus raris, ac defectu aliorum mediorum certò immunium ab omni ſuperſtitione, ita locum non darem frequenter, & quando ſuppeteret alia naturalis ratio ſuccurrendi.

936 Regula VI. *Dæmonis tacita invocatio eſſe præſumitur, quando adſunt 1. Verba non ſignificativa. 2. Figuræ inutiles. 3. Falſitas, ut quod Chriſtus Dominus habuerit febrim. 4. Conditiones vanæ. 5. Promiſſio effectus infallibilis.* Ita ex communi Theologorum Tamburinus *loc. cit. num. 23.*

937 Hiſce ſex Regulis jungo has duas valde practicas doctrinas. Prima eſt hæc: Sola proteſtatio, quòd quis nolit exſpectare à dæmone optatum effectum, non excuſat à mortali, quia proteſtatio contraria facto rejicitur in foro fori, & poli. Secunda eſt hæc: Licèt Sanchez *cit. Lib. 2. cap. 40. num. 13.* inficietur, dari in peccatis *Superſtitionis*, & conſequenter *Magiæ* communiter parvitatem materiæ, niſi propter defectum perfectæ deliberationis, adeóque omnia eſſe communiter, & per ſe mortalia exiſtimet, probabiliter tamen tam ipſe quàm Valentia *Tom. 3. Diſp. 6. quæſt. 13. punct. 3.* admittit, & poſt hos Tamburinus *loc. cit. num. 49.* parvitatem, adeóque culpam non pluſquam venialem, quando eſt modica *Superſtitio*, ſeu *Vana Obſervantia*, ut quando ex commercio ſolùm tacito cum dæmone, non imminet notabile damnum ſalutis habenti tale commercium, ut placet Valentiæ, vel poſita parvitate materiæ actus non fit ſeriò, ſed joco, & ex curioſitate, vel ad experiendum, vel deníque ex animi quadam levitate. Sanchez *loc. cit.* Et quis damnet peccati hoc

Factum ſapientiſſimi Cardinalis Cajetani?

938 Qui, *ut convinceret, illos habere pactum tacitum cum dæmone, qui recitatis verbis cujuſdam pſalmi admovebant quoddam filum annulo, qui movebatur mox poſt illam admotionem, ſicut ferrum ad præſentiam magnetis, applicuit ipſemet illud filum proteſtans, ſe neque velle quidquam commercii habere cum diabolo, neque cenſere, poſſe illum motum cieri, nec experiendi animo id facere, ſed ſolùm idcirco applicare, ut, quoniam ipſe ſapienter ſupponebat, annulum hunc non motum iri, emendaret ſtultitiam aliorum.* Ita teſtatur ipſe de ſe in Summula verb. *Incantatio. num. 5.* addens, annulum manſiſſe tunc immotum.

939 Ex omnibus hactenus prolixa Sectione productis in medium, & declarandis multiplici varietate reſolutionum, adferendarum ſequenti Sectione, & Caſu XXIII. reddam breviter rationem reſponſi, quod ego ſuprà *num. 895.* dedi ad Caſum propoſitum *num. 893.* Etenim illam curationem prægnantis fuiſſe ſuperſtitioſam patet inde: tum quòd ea circumſtantia de induſiolo faciendo ex pannis à matre geſtatis, ſit vana, & impertinens ad cultum B. Virginis, & conſequenter rejicienda per Regulam traditam *num. 929.* tum quia ſi illa impotentia pariendi prolem vivam provenit à dæmone: non impediet geſtatio radicis inter ubera, cauſæ enim naturales, & materiales non poſſunt vincere vires dæmonis; ſi autem impediat, certè impediet ſolùm ut ſignum ab eodem inſtitutum, cujus proinde poſitioni cooperari non licet, eſto liceat amovere poſitum ejus juſſu. Infrà *num. 943.* Et oro, unde novit ille ruſticus, impotentiam edendæ vivæ prolis eſſe adſcribendam potiùs operationi dæmonis, quàm naturali conſtitutioni corporis, ſeu uteri illius mulieris? Cùm contrà ex dictis Reg. quarta ſeu *num. 931.* ſit in tali Caſu potiùs tribuenda naturæ? Unde idem didicit eſſe hæc facienda? An à bono Angelo? Ubi & quando hic eſt factus ipſi aſpectabilis? An à malo? At nefas eſt eſſe diſcipulum diaboli, velléque ejus opera uti. An ab alio homine? Quo illo? & quali? Claro ſanctitatis nomine, an ex tribu levi? Quid ſi ille prodigioſus vir uſus eſt arte illa, qua is, de quo infrà *num. 967*? Dicendum igitur eſt cum Cajetano *loc. cit.* & aliis: *Diabolus hæc appoſuit, ut ſua ſacra.* Monent enim omnes, qui ſcribunt de ſuperſtitionibus, & ſingulariter, ſæpéque Candidus Broglonus in ſuo Alexicaco, Luciferum ſemper, & ubique inſidiari occaſioni inducendi, propagandi ſui venerationem expreſſam, vel implicitam, adeóque cri-

erigendi ſibi Altare juxta , vel contra Altare Dei.

940 Tametſi autem ſuprà *num. 935.* dixi ex Tamburino, poſſe in dubio, de quo ibi ſermo, adhiberi res ex ſe non malas, exiſtimo tamen, illam circumſtantiam de induſio, déque geſtatione inter ubera eſſe ita manifeſtè vanam, ut non relinquat rem in dubio, ergo nequit huc applicari ea doctrina. In vicem hujus inſulſæ, & à proprio parocho per fraternam correctionem, denuntiationémve emendandæ, ſeverè autem à Magiſtratu tam Eccleſiaſtico, quàm Laico plectendæ curationis, tranſmiſi illi optimo Curioni aliquot icones noſtri S. Fundatoris, ſolenniſſimi Patroni parturientium, quibus an ea, & aliæ gravidæ fuerint uſæ debito modo, & cum optato fructu needum comperi.

Explicatis generalioribus dubiis circa ſuperſtitiones ſubjiciam ſequenti Sectione plurimas particulares, ac breviſſimè

COROLLARIA PLURIMA PRACTICA DEDUCUNTUR EX DICTIS TOTA SECTIONE PRÆCEDENTE.

SECTIO II.

Caſus occultè Dæmoniacus.

SUMMARIUM.

Caſus mulieris invertentis ſcopas, ut exploraret, num altera eſſet venefica vel non. 941.

Caſus comburentis ſoleam equi maleficio extincti, ut deprehenderet autorem maleficii. 942.

An liceat adigere maleficum, ut tollat maleficium? 943.

Signa vitæ, quæ infantes, ſine Baptiſmo mortui, edunt impoſiti certis Aris, meritò adſcribuntur Deo, ideòque rectè baptizantur. 945. Remiſſivè.

Qui ad miros effectus conſequendos utuntur rebus ſanctis: aut partim ſanctis, partim non apertè malis, à mortali excuſari poſſunt. 946.

Hortandi tamen, ut vel abſtineant, vel ſaltem in iis certam ſpem non collocent, alioquin peccant graviter. Ibid.

Media ad quorum uſum requiruntur certæ circumſtantiæ loci, temporis, perſonarum, numeri &c. habenda ſunt pro Dæmoniacis, aut meritò ſuſpectis. 947.

Caſus de immerſione Statuæ S. Urbani in fontem, ad impetrandas pluvias. 948.

Exempla variarum Superſtitionum ex Martino Delrio, quibus Autor addit duas alias. 949.

Quas actiones Adamus Tannerus cum Communi annumeret Superſtitionibus, & quas à ſuperſtitione excuſet? 950.

Quaſnam Leſſius & alii damnent ſuperſtitionis? 951.

De Salutatoribus Hiſpanicis quid ſentiendum? Ibid. §. VIII.

Recenſentur ſuperſtitiones collectæ à Leandro, omiſſis tamen, quæ hactenus jam indicatæ ſunt. 952. & ſeqq.

Caſus Epiſcoporum Heduenſium, qui per Officialem ſuum noxiis beſtiolis imperant ut diſcedant, & ſi non pareant, Anathemate illas feriunt. 955.

Judicium Raynaudi de ſimili proceſſu Epiſcopi Trecenſis contra Bruchos, Ibid. §. *His.*

Recenſentur nonnullæ Superſtitiones, quas idem Raynaudus examinat in Heteroclitis Spiritualibus. 956. & ſeqq.

An rectè ſuperſtitionis arguat illos, qui defunctis donant omnes ſuas ſatisfactiones? 960.

ANonyma habens aliquam mulierem ſuſpectam de commercio cum diabolo, & proinde dubitans, eſſétne venefica, nec ne, cùm hæc ſubiiſſet conclave Anonymæ, deinde autem pararet reditum ad ædes proprias, invertit ipſa Anonyma ſcopas, ita ut manubrium inſiſteret immediatè pavimento domûs, ſcopæ ipſæ, ſeu rami betulæ eſſent ſurſum erectæ, quo facto miſera illa Candidia nequivit ex hypocauſto egredi, niſi averſa, ſeu more cancrino. Quæritur, an deliquerit Anonyma? 941

Narro rem compertiſſimam mihi, atque reſpondeo peccâſſe utique. Licèt enim ſit controverſum inter Doctores, utrùm ſit fas deſtruere ſigna, quibus non deſtructis dæmon pergit veneficum juvare in ſuis maleficiis, vel conſervare jam illatum maleficium, certum tamen eſt, imò certiſſimum, ut loquitur Leander *Quæſtionum Moral. Part. 1. in Ord. 6. Tract. 9. Diſp. 5. quæſt. 60. & 61.* nefas eſſe, habere cum dæmone cummunicationem, velléque uti ejus miniſterio, quod quidem fit, quando idcirco invertis ſcopas, ut venefica ſuam nequitiam prodat gradiendo retrorſum, non enim ita incedet, niſi impulſa, vel tracta à ſuo ſpurciſſimo Amaſio. Unde ſubinferes, quid pronuntiandum de hoc

Altero Caſu Helvetico.

CUm ſcilicet nonnemo, cui veneficus ipſi ignotus occultè interfecerat duos, tréſve equos, ut deprehenderet autorem mali, combuſſit ſoleam unius, ex equis extinctis. Vix fuit admotus ignis illi ſoleæ, cùm & cœpit ardere igne inviſibili veneficus, & proinde accurrere ad rogum, rogaréque, ut eximeretur ſolea; qua exempta lenitus eſt paulatim, & demum, integre ſopitus dolor. 942

Hunc

Digitized by Google

Hunc Caſum voco alterum Helveticum, quia immediatè præcedens contigit etiam in Helvetia. Liquet autem interveniſſe & hîc operam Cacodæmonis, dicere enim, quòd bonus Angelus ita cruciârit reum facinoris, eſt ſine fundamento divinare, quòd Deus ſuis bonis miniſtris talia mandet.

943 Dixi *num. 941.* Eſſe controverſum apud Doctores, utrùm ſit fas adigere maleficum, ut tollat maleficium, ſi poſſit hic abſque novo maleficio id præſtare, etſi enim omnes ante Broglonum Doctores, ut fatetur ipſus *cit. Tom. 2* Alexicaci *Diſp. 3. num. 481.* nominans in ſpecie quinquaginta antiquos, & novos, qui exiſtimârunt, fas id eſſe, ipſe tamen precatus veniam ſui diſſenſûs ab iis, cenſet probabiliùs negari illam doctrinam, fundamentaliter idcirco, quòd dæmon ſit cauſa principalis illius deſtructionis, venefica autem ſit tantùm ejus miniſtra in deſtruendo. Verùm quia minimè ſunt mutanda, quæ ſemper certam habuêre interpretationem, ut ait Paulus *Leg. Minimè. ff. De Leg.* non eſt ob hoc, aliáve non firmiora argumenta nominati ſcriptoris, recedendum à communi, & certa, ut loquitur Leander *cit. Tract. 9. Diſp. 3. quæſt. 24.* perſuaſione, eſt enim certum, quòd malefica poſſit abſque neceſſario concurſu dæmonis, ſed inducta ſolo rogatu, pretio, minis, ire ad locum maleficii, vel oſtendere ubi lateat. Si autem unà cum hiſce minis, aut pollicitatione jungatur mandatum Dæmonis, vel impulſus, non debet per hunc inutilem, ſeu non neceſſarium vitiari utilis, honeſtáque petitio, vel comminatio.

944 Et quamvis fortè Dæmon dixerit mulieri, maleficium non poſſe jam reperiri in priſtino loco, ſed in alio, poterit tamen adigi ipſa, ut quærat in eo loco, & tollat, etſi quippe nefas eſt, velle aliquid ex diabolo cognoſcere, fas tamen eſt uti notitia, ſeu ſcientia profecta ab eo, hæc enim jam non eſt ejus cognitio, ſeu ſcientia, ſed noſtra. Tamburinus *citato Capite 6. §. 2. numero 11.* ex communi.

Quòd ſi dubium ſit, an poſſit diſſolvi maleficium abſque cooperatione dæmonis, cenſeo non eſſe licitum inducere eam ad diſſolvendum, quia in dubio præſumitur malum de malo homine, & genio, Leander tamen *quæſt. 27.* poſt Tamburinum *loc. cit.* cenſet eſſe licitum in aliquo caſu.

Ex dictis autem in præcedente Sectione deduco ſequentia Corollaria.

945 I. Jure merito dixi in Experientiis *Tract. 2.* ſeu Alphabeto Baptizant. *Caſ. 8. num. 273.* illos pueros, qui mortui ante Baptiſmum deferuntur Bruntrutum, ad ædiculam B. Virginis Lauretanam, extra muros, Braſneckium in Tiroli, ad Eccleſiam Parochialem, Miorecurium in Lothariogia ad templum PP. Franciſcanorum, & poſt preces illic fuſas præbent talia ſigna vitæ, ut ob illa tingantur baptiſmo, poſſe abſque metu ſuperſtitionis, ſeu cooperationis diabolicæ ablui ſacris undis. Etenim dixi ſuprà *num. 933.* quando eſt dubium, utrùm aliquis effectus proveniat à Deo, an ab ejus ſimia Diabolo, eſſe præſumendum, proficiſci à Deo, ſi adſint urgentiſſima indicia, atqui indicia, quæ ibidem memoro, ſunt urgentiſſima, ſingulariter ſi conferantur cum rationibus, quas illic produco: tum in altera ejuſdem Alphabeti Editione Monacenſi (nam in prima nihil dum innotuerat mihi de illis tot prodigiis) tum vel maximè in Veneta, in qua *cit. num. 273.* in Append. *Lit. a.* profero novum authenticum de illa prodigioſa reſuſcitatione Bruntruti fieri ſolita, inſtrumentum, & inſuper diſputo, an parentes talium liberorum non teneantur ſub mortali curare illos eò deferri, concludens teneri.

II. Multi, qui ad miros effectus conſequendos utuntur rebus aut merè ſanctis, aut ex una parte ſanctis, ex altera non apertè malis, poſſunt excuſari à peccato ſaltem gravi, ſuadendum tamen, ut in poſterum abſtineant. Martinus Delrius *Magic. Diſquiſ. Lib. 3. Part. 2. quæſt. 4. Sect. 2.* vel ut in iis ſpem non collocent, ſed ſolùm adhibeant ad ſe ipſos excitandos ad pietatem, fiduciámque erga Deum, vel ſi Confeſſarius putet, ſe cum talibus nihil profecturum, eò quòd ægerrimè deſerent ea, quæ à majoribus ſine ſuſpicione mali didicerunt, ſunt in ſua ſimplicitate relinquendi, ut cùm in feſto S. Stephani tundunt venas equis, aut eos ter circum templum ducunt, aut in feſto S. Joannis Baptiſtæ decerpunt flores, rati habere majorem vim naturalem, aut inſerunt arbores in feſto Annuntiationis Deiparæ, aut ex nummis Crucifixo in die Paraſceves oblatis faciunt annulum ad morbos pellendos teſte Delrio *Sectiòn. 6.* Laymanno *Lib. 4. Theol. Moral. cit. Tract. 10. cap. 4. num. 5.* Tannero *Theol. Scholaſt. Tom. 3. Diſp. 5. quæſt. 7. num. 48.* poſt Cajetanum *2. 2. quæſt. 96. art. 4.* ubi loquens de illo annulo ſic ſcribit: *Neſcio excuſare hoc à vanitate, niſi putet quis, effectum ex devotione, quòd Deus alicui ſancto viro hoc inſpiraverit. Videntur ergo ſimilia ex ſimplici corde credentes, & facientes ex devotione excuſandi, quia non peccant, aut venialiter tantùm, ex quo principale, puta, quòd divina aſſiſtat virtus, poteſt ſuſtineri, licèt neſciant aliam reddere rationem, quare has conditiones, quæ vanæ ſunt, obſervant, niſi quia acceperunt à majoribus.* Cajetano ſubſcribunt etiam Sanchez *Lib. 2. Moralium, cit. cap. 40. num. 31.* Leander *cit. Tract. 9. Diſp. 1. quæſt. 36.* Trullenck, & Fagundez apud ipſum obſervantes, & eſſe ſuperſtitionem mortalem, ſi quis infallibiliter ſperet inde ſanitatem, e. g. depulſionem ſpaſmi, & petentibus conſilium eſſe dicendum, quòd non liceat iis rebus in eum finem uti.

III. Partim pro dæmoniacis, partim pro meritò ſuſpectis habenda ſunt ea media, ad quo- 947

Digitized by Google

quorum uſum exigitur (hanc exactionem habent ſummè ſuſpectam, & deteſtandam omnes Doctores citati, & citandi in decurſu) ut fides habeatur certa, quòd ab iſto homine, & non ab alio, cum hoc certo numero jejuniorum, certis precibus, certo die, certa hora, certo numero fundendis, vel habentibus admixta verba peregrina, aut ignota, ſicuti obſervat ipſe S. Thom. *loc. cit. art. 4.* ut cùm inſcribuntur pani hæc verba: *Irioni: Kirioni*. vel contra morſus canum proferuntur iſta: *Hax: pax: max*; vel contra febrim geſtatur ſcriptum verbum *Abrocúltabra*; de quo infrà *num. 983.* aut ſi proferantur, geſtentúrve ſententiæ falſæ, aut ſi geſtentur ſacra Evangelia, vel alia ſacra verba non ex mera devotione, ſed cum certis circumſtantiis, e. g. ut ſic vel ſic ſint ſcripta, vel Reliquiæ ſint in vaſe trigono, aut rotundo, vel verba ſint ſcripta in virginea pergameno, verſus orientem, & ſint alligata tot filis, & non pluribus. Item ſi quis faciat eleemoſynam ex bonis acquiſitis per eleemoſynam, credens eá eſſe majoris efficaciæ ad obtinendum finem. Item ſi mergas imaginem alicujus Sancti in aquam, pro pluvia impetranda, qua de re audi

Caſum Ratiſbonenſem:

948 *Cum enim Ratiſbonæ morarer An. 1651. & duobus inſequentibus, Lutherani cives irriſere in popinis, & exedris Catholicos, quòd ruſtici, in pago, tres vel quatuor horas diſſito, ſtatuam S. Urbani; ni fallor, merſerint in fontem, exoraturi hac ratione, per ejus interceſſionem pluvias. Re delata ad Reverendiſſimum Dominum Sebaſtianum Denichium (quem, utpote inſignem benefactorem hujus noſtræ Provinciæ honoris cauſa nomino) id temporis Suffraganeum ſimul, & Vicarium Generalem perquam ſtrenuum, mox viſitationem inſtituit, atque ſeverè inhibuit, ne quid ejuſmodi fieret inpoſterum.*

Verè multi Catholici præbent Acatholicis anſam ſubſannandi noſtram Religionem, atque abhorrendi ab ea, dum vacant, & mordicus quidem ſuperſtitioſis quibuſdam actionibus, quare tenentur Præſides Eccleſiarum ſtudioſè hic advigilare.

949 IV. Huc facit, ſi facias ligaturam, ne vaccis lac effluat. Si metiaris (quod ſcio factum alicubi ſæpius) cingulo ægrorum, ut dignoſcas ex menſura, à quo Sancto ſit ſanandus. Si bipenni ſtramen dividas; ut tumores manuum conſanentur. Si ferrum; quo læſus es; infigas in lardum porcinum, ut ſanêre. Si loco vulneris circumligandi liges arborem fune. Si, ne olera rodantur ab erucis, ſummo mane ea ſcopis tangas. Si laves ideo manè manus, ne ſagæ nocere valeant. Si ferrum catenæ, è qua pependit fur, adhibeas pro medicinis. Si uxor, ut diligatur à marito, accipiat de crinibus omnium ipſius corporis partium, & illas ter ad altare cum cereo ardenti ferat ſuprà ſuum caput: Si pro inveniendo fure affigas alicui januæ neſcio quam ſchedam, ad quam fur velit, nolit venire debeat. Hæc & alia refert cum aliis probatiſſimus Theologus ſimul & Juriſperitus P. Martinus Delrius *loc. cit. Sect. 4.*

Quibus addo; mirari me, quòd Magiſtratus certæ urbis, in qua vixi pluribus Annis, non animadvertat ſeriò in carnificem; ad quem fit notoriè affluxus pro rebus perditis inveniendis. Talis carnifex eſt certiſſimè vel impoſtor; vel diſcipulus veteratoris à vernalis. Et quo ſupplicio dignæ mulieres, quæ nonnunquam è ſuo ſemine (Vah probrum) quidpiam miſcent bolo; quem præbent illi, cujus ambiunt amplexus! Philtra, ſeu amatoria pocula omnes accenſent artibus diabolicis; ego infrà *n. 973.* producam horrendum hanc in rem exemplum, & *n. 974.* pœnam.

950 V. Tannerus quoque *Tom. 3. Diſp. 5. cit. q. 7. n. 31.* meritò cum communi adnumerat magicis inſtrumentis imagines aſtronomicas, ſeu planetarum, ut ſolis, martis &c. quando adhibentur ad phyſicos effectus producendos: Item *n. 34.* rurſum cum communi unctionem armorum, quæ in diſtans ſanare putetur. Item *n. 35.* vulgares illas excantationes mulierecularum ad morbos pellendos, quandoquidem eæ plurima vana adhibent, tanquam neceſſaria, quamquam *n. 36.* aſſentitur Navarro in Manual. *Cap. 11. n. 36.* ſic loquenti: *Mulieres utentes quibuſdam ſignis, & benedictionibus, ſine ſuperſtitione, & vanitate licitis orationibus, & exorciſmis obteſtantes per paſſionem Chriſti, & alia ejuſmodi, non peccant mortaliter: Verùm ejuſmodi uſus debet illis meritò interdici, quoniam ſæpiſſime multa vana, & ſuperſtitioſa intermiſcent, niſi aliàs ſint honeſta, & prudentes.* Item *n. 38.* idem P. Tannerus meritò rejicit conſuetas excantationes ſerpentum, aliorúmque animalium ſolitas uſurpari à plebeis hominibus, eò quòd eæ plerumque habeant illicitas obſervantias, & per Dæmones ſortiantur effectum, ut loquitur S. Thom. *q. 96. a. 4. ad 2.* permittens tamen illas excantationes, quando reſpectus habetur ſolùm ad verba ſacra, & ad virtutem divinam.

VI. Idem Tannerus *n. 45.* poſt P. Gretſerum permittit morem, quo panis, & lardum, & alii cibi in Paraſceve Crucifixo admoventur in remedia morborum impendentium: aut quo pecora ægra introducuntur in templa Sanctorum quorundam: aut quo in feſtis quorundam Sanctorum colliguntur, vel adhibentur res nonnullæ ad tantò certiorem effectum. Quamvis autem in hujuſmodi ſuperſtitio interveniat, ſi tamen, inquit, Cajetanus in Summula Verb. *Superſtitio*, ex mera devotione fiant; & non niſi à Deo intendant, & expoſcant effectum, putantes

Deum inſpiráſſe alicui Sancto viro, non audeo damnare, ſed tolerabile mihi videtur. Ita Cajetanus, quem jam ex parte retuli ſuprà *n. 946.* Addit Tannerus *n. 47.* hæc verba: *Imò etiam apertæ ſuperſtitiones, ſi bona fide abſque expreſſa Dæmonis invocatione exercreantur, & nulli alioquin pernicioſæ ſint, privata quidem admonitione, non ſine debita cautione improbandæ ſunt, ne plus alioquin obſit correptio, quàm proſit, dum, qui priùs ob bonam fidem nihil, aut ſolùm venialiter peccabant, poſtea, ſublata ignorantia, nihilominus pergendo in eadem re peccent mortaliter.*

951 VII. Leſſius *Lib. 2. De juſt. & jur. cit. Cap. 43. n. 63.* atque alii damnant eos, qui aliquas reliquias, aut ſchedulas verbis etiam ſacris inſcriptas, aut munitas ſigno Crucis ſecum geſtant, ne à quoquam lædi, vel ſine Confeſſione mori poſſint, quia etſi nihil admiſceant ſapiens ſuperſtitionem, animus tamen rebus illis utitur ſuperſtitioſè, non enim colitur Deus uſu rerum ad effectus, ad quos eas minimè deſtinavit aut ipſe, aut natura. Idem Leſſius *n. 73.* damnat eos, qui ad luxationes equorum ſanandas proferunt illa verba: *Conſummatum eſt*: ad canes ſopiendos illa: *Maxillas eorum conſtringe.* Nec obeſt, inquit Leſſius, quòd non niſi ſacra proferantur, nam illa non diriguntur ad Deum, neque eo ſenſu proferuntur, quo ſacra ſunt; ſed animo profano, ut ſcilicet effectus vanus, & à Deo non intentus proveniat. Vide, quæ ex Delrio, & Tannero retuli, & cum his concilia.

VIII. Nec integre hic prætereundi ſalutatores Hiſpanici, qui videlicet ex una qu=dam ſtirpe Hiſpana per longam ſeriem geniti, habent in hodiernum diem (etenim recentes ſcriptores Hiſpani, Siculi, Itali, ut Palaus, Diana, Tamburinus, Leander, Broglonus ſcribunt de iis veluti adhuc præditis illo dono,) aut habere putantur gratiam ſanandi varios morbos incurabiles, ut eſt, judice Leandro *cit. Tract. 9. Diſp. 1. quæſt. 47.* morſus canis rabidi, & quidem jam tactu, Leander *loc. cit.* jam ſaliva & halitu, quem aſpirant. Broglonus *cit. Tom. 2. Diſp. 1. n. 257.* communiter autem adhibitis certis precibus, atque cæremoniis, relatis à Delrio *Diſquiſition. Lib. 1. cap. 3. q. 4.* & Sanchez *Lib. 2. Moral. cit. cap. 40. n 47.* notante, vocari *Salutatores* idcirco, quòd conſueverint ſalutare panem, quo ſanant ægritudines. Et quidem Delrius, Tannerus, alii plures negant eſſe credibile, quòd omnes ſint aut naturali, aut ſupernaturali virtute præditi ad tam mira patranda, at Navarrus, Azor, Leſſius, Sanchez: recentiſſimi, Tamburinus, & Leander *cit. q. 47.* & *ſeqq.* non dubitant de permultis. Broglonus etiam recentiſſimus rectiſſimè monet, omnes eſſe ab Epiſcopo rigidè examinandos, priuſquam auſpicentur hoc publicum munus. Dubito ego, eſſétne optandum nec ne, ut & Germania noſtra educaret hujuſmodi ſalutares Salutatores.

952 IX. Citatus Leander, *in cit. Tract. 9.* collegit ferè omnes ſeu veras, ſeu apparentes ſuperſtitiones, quas legerat in Theologis moralibus, præſertim hujus ſæculi, atque in quinque Diſputationibus illius Tractatus proponit longè plurimas quæſtiones, nominatis autoribus pro, & contra, lubet aliquem numerum reſolutionum, quas collegit, ac dedit, huc transferre, indicando vel generatim, vel in ſpecie, an, & quis diſſentiat ab eo, illis omnibus omiſſis, quas jam exhibui (eo nondum lecto) in hac, & præcedente Sectione, & inchoando à prima diſputatione illius Tractatus Noni, ponendóque ſolas illas actiones, in quibus ipſo judice admittitur per ſe ſuperſtitio, omittendo autem illas, in quibus admitti negat.

953 Primò itaque ſuperſtitioſus eſt abſtinens (cùm aliàs edat) à carnibus diebus Paſchatis, & à fortiori, ſi ex voto abſtineat, aut ad tollendas tertianas abſtinens tribus diebus Dominicis. *Diſp. 1. q. 9.* 2. Zonâ prægnantis mulieris pulſans campanam, ut ſic proſperum obtineat fœtum. *Quæſt. 11.* 3. Admittens orationes, quibus ſagæ benedicunt Roſaria pro parturientibus, vel morbo laborantibus. *Quæſt. 13.* 4. Recitans aliquos verſus ex pſalmo, aut alio libro ſacro ad ſiſtendum ſanguinem, ſi quidem fiat cum certa ſpe optati effectus. *Quæſt. 14.* 5. Morbum caducum patienti dicens ad aures hæc verba: *O creatura Dei memento Creatoris tui*, niſi dicat voce intelligibili, & citra credulitatem certi eventus. *Quæſt. 15.* 6. Verba aliqua inſufflans in aures equi, patientis dolorem inteſtinorum. *Quæſt. 16.* 7. Recitans aliquas orationes, vel ſecum geſtans cum fide, quòd non ſit extinguendus ſubitanea morte, vel non incurſurus hoc, illúdve malum. *Quæſt. 18.* 8. Ratus, herbas, quas in feſto S. Joannis colligit non habituras ullam vim, ſi oratio pro obtinenda efficacia, fiat primum poſt ortum ſolis. *Quæſt. 20.* 9. Aut in nocte ejuſdem Sancti fundens preces, ut manifeſtetur cui, quæ ſit nuptura. *Quæſt. 21.* 10. Obſervans aliquos dies ut fauſtos, alios ut infauſtos. *Quæſt. 22.* Cum omnibus contra Campanilem, fingentem, quod familia Mendozana in Hiſpania habeat à Tribunali Inquiſitionis privilegium non laborandi diebus Martis, utpote infauſtis illi Illuſtriſſimæ familiæ. *Quæſt. 21.* E diverſo idem Leander. *Quæſt. 23.* & *ſeqq.* negat contra nonnullos, eſſe ſuperſtitioſum, qui ex tempeſtate, quæ fuit in feſtis SS. Vincentii, Urbani, Converſionis S. Pauli conjiciunt, qualis ſit futura per Annum, aut habent rationem dierum ſeu criticorum in morbis, ſeu Climactericorum, ut eſt ſexageſimus tertius. At verò eodem judice damnandi ſunt ſuperſtitioſis. 11. Confratres S. Marci ducentes feſta luce hujus Divi ferociſſimum taurum in Eccleſiam illius, & jubentes ut manſueſcat, excuſante tamen à mortali bona fide, & tolerantiâ parochorum Hiſpanorum *Quæſtion. 34.*

12. Du-

Digitized by Google

954 12. Ducens in feſto S. Antonii novies per templum ejus pecudem aliquam ad obtinendam, vel conſervandam ſanitatem illius, ſi actionem illam exerceat, tanquam ex ſe efficacem ad exorandam opem divinam, ſecùs ſi ducat ad tantò magis ſe excitandum ad piam orationem *q. 35*. Vide, quod infrà *n. 956*. ex Raynaudo referam, 13. Credens firmiter imminere ſibi aliquid mali ex eo, quòd audierit ululantem lupum, mugientem bovem &c. ſecùs ſi ob aliquos eventus leviter aut credat, aut timeat. *q. 42.* 14. Fundens preces certas eo fine, ut Chriſtus, aut Mater ejus ſibi appareant in extremo agone. *q. 42.* 15. Credens ſe non ducturum uxorem eo Anno, quo coram ſe ignis fuit coopertus cineribus. *q. 46.* 16, Utens certo numero Miſſarum, aut candelarum, ſi obtentionem gratiæ conſtituat in illo numero. *q. 54.* ſecùs ſi fiat in memoriam alicujus myſterii, Idem. 17. Conſulens Aſtrologum judiciarium ad inveniendum furtum occultum, occultúmve theſaurum. *Diſp. 2. q. 52.* 18. In dubio, utrùm ſomnium ſit immiſſum à Deo, an à Diabolo, credens eſſe à Deo. *q. 63.* poſt Palaum; præmiſerat autem *q. 61. & 62.* undenam dignoſci poſſit hoc ſomnium eſſe potiùs à Deo, quàm à Diabolo, & potiùs ab hoc, quàm ab illo immiſſum, qua de re etiam Delrius *Lib. 4. Diſquiſ. cap. 1. q. 3.* & Palaus *Diſp. 1. punct. 5.* 19. Ægrotorum pulvinari, vel lecto ad ſomnum conciliandum ſubjiciens cornua capræ, aut bovis. *q. 73.* 20 Judex cauſa curioſitatis, vel verificandi delicti, vel alterius finis mandans malefico, ut ranam e. g. excitet. *Diſp. 3. q. 38.* 21. Adjurans creaturas irrationales, ne incipiant, aut pergant nocere. *Diſp. 5. q. 25. & 26.* qui *q. 27.* poſt Navarr. *Lib. 5. Conſil. De ſentent.* excommunic. *Conſil. 2.* aliàs 5. Delrium *Lib. 3. Diſquiſition. Part. 2. q. 4. Sect. 8.* & aliòs communiter damnat ſuperſtitionis illos Prælatos, qui quandoque locuſtas, bruchos, & alia ſimilia animalia noxia citant ad judicium, dantes eis patronum, ſimul & accuſatorem, & denique excommunicationis ſententia ferientes illa, ut declaro hoc

Multis Riſum moturo Caſu.

955 *Pars Ducatus Burgundiæ abundat ut plurimùm animalibus, grandioribus muſca, ac ſummè noxiis vitibus, quibus inſident. Solent autem illi Burgundiones pro remedio recurrere ad Heduos, ac petere, ut per Officialem Sedis Epiſcopalis Heduenſis detur illis animalibus, ſeu vermibus præceptum, ut inde faceſſant, ut ampliùs non noceant, cui præcepto ſi non pareant, Anathematis pœna, ac maledictionis perpetuæ plectuntur. Huic poſtulationi locum dare conſuevit Epiſcopus, atque executioni mandare.*

Sic teſtatur Heduorum Ulpianus Bartholom. Chaſſanæus in omnium primo Conſiliorum ſuorum, ſubdens *n. 7.* illa animalia poſſe ex Plinii *Lib. 27. cap. ult.* vocari *Volvolos*, & ſub initium proponens has quæſtiones. 1. *Utrùm illi Volvoli citari poſſint.* 2. *An citari per procuratorem, & ſi ſint citati perſonaliter, utrùm poſſint per procuratores apud judicem eos citantem comparere.* 3. *Quis ſit eorum judex competens.* 4. *Quis modus contrà eos procedendi ſervandus.*

Reſpondet autem (ut defendat illum olim in pluribus Gallicanis Epiſcopatibus morem, atque ſtylum tam uſitatum) affirmativè ad duo priora dubia. Ad tertium reſpondet *n. 39* Eccleſiaſticum judicem eſſe competentem eorum judicem, probátque hac, ut vocat *invincibili* (rectiùs appellaret *imbellem*, quia nimis multum probantem, ſcilicet non tantùm poſſe, ſed etiam debere inſtitui illum proceſſum, & quidem ex officio, non autem ſolùm ad inſtantiam partis; nam Volvoli illi ſunt publici graſſatores, contra quos procedit judex ex officio) ratione; quòd ſcilicet magis dignum trahat ad ſe minus dignum, atqui magna pars illarum vinearum ſpectat ad Eccleſiaſticas perſonas, quæ perſonæ quia pro delictis puniuntur à judice Eccleſiaſtico, ſicut & ii, qui in ea re Eccleſiaſticis damnum aliquod inferunt, idcirco putat ille Doctor, neceſſariò ſequi, quòd & illi Volvoli poſſint pœnâ Eccleſiaſtica plecti ab eodem magiſtratu. Ad quartum reſpondet *n. 80.* poſſe illos Volvolos à judice Eccleſiaſtico anathematizari, ſeu maledici.

Verùm haſce reſolutiones habent pro ridiculis plurimi. Ego ſolùm dico, mihi non probari, ſicut nec probantur Germanis, Italis, Hiſpanis Doctoribus. Sanè ſi animalia nocentia prædiis Eccleſiaſticorum jure plectuntur pœnis Eccleſiaſticis, viciſſim favores Eccleſiaſticos merebuntur canes arcentes ab iiſdem prædiis apros, cervos, vulpes. At cui unquam in mentem venit quid ejuſmodi? Quando autem adjurari dicuntur ex more Eccleſiæ ſal, nubes, tempeſtates, non adjurantur talia directè, utpote expertia omnis cognitionis, & intelligentiæ, ſed adjurantur partim Deus deprecativè, partim Dæmon imperativè, ut hic inhibitione divina coërcitus non noceat per creaturas. Vide ſingulariter de hac adjuratione periti ſſimum hujus artis Broglonum in Alexicaco *Tom. 2. Diſp. 4. n. 731. & ſeqq.* poſt Sanch. *Lib. 2. Moral. cap. 42.* Valentiam *To. 3. Diſp. 6. quæſt. 8. punct. 2.* & alios.

His omnibus ſcriptis incidi in Patris Raynaudi Monitorium Eccleſiaſt. Excommunic. (Tractatus hic inſertus eſt Tomo XIV. Operum hujus Doctoris) *Cap. 12. n. 2.* ubi non ſolùm refert ex Chaſſanæo generatim, quæ ego ſpeciatim, ſed inſuper deſcribit ſententiam Excommunicationis ab Epiſcopo Trecenſi latam in ejuſmodi beſtiolas, ſeu *Bruchos*, ut vocat, ſimilem illis, quas pro Heduis, & aliis repræſentat Chaſſanæus §. ſeu *Cap. ult. n. 125.* & poſt deſcriptionem fert *n. 4.* idem Raynaudus hanc cenſuram: *Eſt*

Digitized by Google

abuſus, eſt enim ad minimum anilis nugacitas litem intendere beſtiolis, nec proclivius quidquam eſt, quàm ut cum ea anilitate ſuperſtitioſus, & damnabilis ritus adhibeatur. Et verò non poſſe propriè excommunicari, probat etiam expreſſa autoritate Navarri *Lib. 5. Conſil. 51. De ſentent. excommunic.* Nihilominus tamen oblectat, eruditque lectorem exhibendo miros eventus excommunicationum impropriè, ſeu ſimilitudinariè dictarum, quas viri etiam Sancti tulêre in beſtias, in plantas, & in res inanimas. Appellat autem illas excommunicationes *ſimilitudinarias*, quæ erant veræ adjurationes, attamen veſtitæ nomine *excommunicationis*.

956 Collectis ex Leandro ſuperſtitioſis actionibus ſubjungo nonnullas, quas idem P. Theophilus Raynaudus examinat in ſuis mira eruditione refertis Heteroclitis Spiritualib. *Part. 1. Sect. 2. & ſeqq.* Inter quas illud memoro primo loco, quod jam olim ſæpe uſurpatum, hac verò ætate creberrimè factitari audio, video, lego, videlicet de obſervatione numeri noveni: Noſtræ literæ Annuæ, libelli, libríque de geſtis hac ætate miraculis ope Sanctorum, nominatim noſtri S. Fundatoris, & S. Franc. Xaverii continent multa prodigia edita poſt emiſſum votum factitandi aliquid novies, aut decies, ad honorem hujus, aut illius Sancti, edita autem vel antequam impleretur numerus ille piarum actionum deſtinatus, vel ſtatim pòſt. Et verò idem Raynaudus *cit. Sect. 2. punct. 2. n. 21.* teſtatur, fuiſſe duos homines Gallos conſanatos Anno 1605. & 1611. poſtquam voverant novendialem ſupplicationem ad S. Valerium Epiſcopum Cæſar-Auguſtanum, primum quidem quarto die, alterum autem novenâ exactâ. Et fatetur quidem, obſervationem hujus numeri dimanâſſe ab Ethnicis ad Chriſtianos, damnaríque ſuperſtitionis à quibuſdam, addit tamen & eſſe per antiquam, & probari aliis antiquis ſcriptoribus, defendit etiam eo loco *n. 17.* illam, quæ novies ab aliquibus fit, circuitionem circa altaria, refert tamen *cit. n. 21.* Sanctum Auguſtinum malentem obſervari numerum ſeptenarium, eò quòd hujus fiat mentio in Sacris Scripturis ſæpius, quàm novenarii.

957 Itaque licèt ſuperſtitionis foret reus, qui cenſeret, obſervationem numeri ſeptenarii, vel novenari, vel alterius, eſſe ex ſe, id eſt ſuapte natura, efficacem ad exorandam opem divinam, ſicuti jam retuli *n. 954.* ex Leandro, nihilominus tamen exiſtimo ego, tot prodigiis, miraculoſis eventis, quæ contigere circa obſervantes novendialia jejunia, viſitationes Ædium Sacrarum, has aut illas preces &c. ſufficienter probari, eſſe pergratum Deo, ut obſervetur numerus novenarius, ita ut ipſe decreverit multa dona largiri iis, qui Religioſam actionem obituri eſſent novies, quas non largiretur obeuntibus, ſeu obire deſtinantibus rariùs. Utrùm verò id deſtinârit ad honorandos hac ratione novem Choros Angelorum, an verò, quia numerus novenarius eſt primus inter eos, qui ſingulis trium Divinarum Perſonarum poteſt tribuere laudem æqualem, ſimul & referentem numerum Perſonarum ſua triplicatione, an quæ ſit alia cauſa, cognoſcemus, quando ipſam Trinitatem non jam in ænigmate cernemus. At verò cauſa, cur in pluribus locis Italiæ, Germaniǽque Sanctus Indiarum, Japoniǽque Apoſtolus colatur à multis, nec fruſtra, decem ſextarum feriarum obſervatione, adfertur in publico typo hæc, quòd iſte eximius Dei ſervus & decennio Chriſtum prædicârit in Indiis, ac Japonia, & ad cœlos evolârit feriâ ſextâ.

Idem Raynaudus *loc. cit. n. 10.* teſtatur, muli- 958
eres cujuſdam Provinciæ Lugdunenſi vicinæ frequenter, cùm gravidæ ſunt, ut proles ipſis obtingat maſcula, quindecim diebus, priuſquam pariant, ubi aram novies circuiverint, votum vovere, quo ſe ad prolem, ſi maſcula edatur, albi, vel Leucophæi, alteriúſve certi coloris veſte per Annum, vel Annos aliquot amiciendam, & inibi repræſentandam, obſtringunt, non abſque cereoli, alteriúſve munuſculi deſponſa penſitatione, pro more. Reprehendit autem illud votum propter abſurditatem, qua petunt, ut vel proles, quæ jam fere novemmeſtris eſt, qualiſcunque tandem ſit, naſcatur virilis, vel Deus per miraculum vertat ſexum fœmineum in virilem. Igitur licèt votum ſit actio ex ſe ad cultum Dei promovendum apta, ut vidimus ſuprà *Caſ. 1. & 2.* ejuſmodi tamen voto coli Deum, qui credit, ſuperſtitioſus eſt, non autem qui certi coloris habitum geſtat in memoriam beneficii accepti interceſſione illius Sancti, qui olim ſolebat incedere in tali amictu. Idem ſuperſtitionis damuat tum condentes pia teſtamenta cum damno illorum, quibus deberent ex juſtitia, vel charitate ſuccurrere. *Sect. 2. punct. 4. numero 8.* tum volentes in proceſſionibus honorare Deum inducendo equitatum. *Punct. 8. num. 18.* tum actum illum, quo ad honorandos Sanctos Innocentes pueri miniſtrantes Eccleſiaſticis obeunt in die illo SS. Innocentium variis locis ſupplicationem ea ratione, ut unus ex illis occupet locum cum ſuo imaginario Epiſcopo honorabiliorem, eo verò loco, quem ordinariè tenent, locantes Decanum, & Priores Canonicos. *loc.
cit. num. 20.* tum volentes honorare S. Thomam, 959
aſſerendo, S. Thomam *eſſe Regulam fidei, à qua deſciſcere nequeant ſive Pontifices, ſive Concilia. Sect. 3. punct. 3. num. 5.* ubi plura ejuſmodi effata refert, quæ omnia ſi vera ſunt, clariore jure dicemus, non poſſe ſedem Apoſtolicam; vel Concilium Generale deſciſcere ab iis, quæ S. Fundator noſter ſtatuit in libello Exercitiorum ſpiritualium, ſuiſque Conſtitutionibus. Etenim Paulus III. in Bulla præfixa libello Exercitiorum expreſsè approbavit, nequidquam frendente Melchiore Cano, hiſce verbis: *Documenta, & Exercitia prædicta omnia, &*

ſin-

Digitized by Google

ſingula in eis contenta, ex certa ſcientia, approbamus, collaudamus, hortantes plurimùm omnes, & ſingulos utriuſque ſexus fideles, ut tam piis documentis, & Exercitiis uti, & illis inſtrui devotè velint: Gregorius verò XIII. in Bulla *Aſcendente*, Gregorius XIV. in Bulla: *Eccleſia Catholica*. Paulus V. in Bulla: *Quantùm Religio*, profitentur, à ſe ex certa ſcientia, *Approbari, confirmari omnia, & ſingula* contenta in noſtris Conſtitutionibus &c. ignoro autem, utrùm quiſquam Pontifex profeſſus ſit, à ſe approbati, confirmari omnia, & ſingula, quæ docuit Angelicus Doctor, & tamen cenſerem, à me adhiberi Deo cultum indebitum, adeòque eſſe me reum ſtultæ ſuperſtitionis, ſi avidus præſtandi Deo gratum obſequium, arbitrarer, aut ſcriberem, *neque Pontifices, neque Concilia poſſe deſciſcere* à doctrinis, documentis, Regulis contentis libello Exercitiorum, atque Inſtituto noſtro.

960 Idem Raynaudus *cit. Tractatu* arguit de ſuperſtitione tum decernentes jejunio honorare Natalem illius Sancti, quem ſortitione menſtrua adipiſcentur, non excipiendo diem Dominicum, aut alios ſolenniores *ibid. n. 27.* & *ſeqq.* tum ſuas omnes ſatisfactiones transferentem in defunctos, ſi transferat in tempore ſuæ ſummæ neceſſitatis, quale eſt, cùm quis multo reatu temporaneo gravatus videt ſibi imminere mortem, nec dubitat, quin, ſe ſpoliando ſuis ſatisfactionibus, trudendus ſit in purgatorium, tunc enim ea tranſlatio eſt eo arbitro illicita, quia contra propriam charitatem *cit. Sect. 3. punct. 6. num. 10.*

Verùm Jacobus Hauttinus noſter in Patrocinio defunctorum *Lib. 2. cap. 3. art. 1.* autoritate Suarii, Gardin. De Lugo, & P. Weckemi, qui fuit Theologus Alex. VII. ac rationibus non ſpernendis probat, eſſe ſanctius etiam tunc donare, quàm ſibi reſervare. Alia, quæ tum in iiſdem Heteroclitis: tum in Anomalis pietatis profert idem eruditiſſimus Pater, prætereo brevitatis causâ, nihilominus Caſ. ſeq. *n. 968.* proferam ex eodem Caſum miri teſtamenti, priùs tamen hîc obſervo, ab eodem in Tract. De *Gladio*, & *Pileo* à Pontifice initiatis §. 5. vocari ſuperſtitioſam anilitatem, & barditatem illorum, qui exiſtimant, indulgentiam ſeu permiſſionem, ex qua nonnulli Epiſcopatus veſcuntur carnibus quolibet Sabbato interjecto inter Natalem Domini, & Purificationem, quando id Domini feſtum occurrit in Sabbato, niti ea ratione, quòd illis ſex hebdomadis recolatur languor Deiparæ ex partu, cui eſus carnium, ad reparandas vires fuerit neceſſarius. Apage craſſam ignorantiam.

FARRAGO CASUUM DE SUPERSTITIONIBUS, ET POENÆ HARUM.

CASUS XXIII.

Omnino novus, & ſingularis.

SECTIO I.

Reſolvuntur ex Dictis toto præcedenti XXII. Caſu plurimi particulares Caſus de Superſtitionibus.

SUMMARIUM.

Caſus. I. De pulvere, ſiſtente ſanguinem, & ſanante vulnera recentia in diſtans. 961. & ſeqq.

Caſus II. Fabri ſanantis varios morbos equorum, dummodo uxor eodem tempore in alio loco lavaret frenum equi ægri. 965.

Caſus. III. Necantis fœtus tam pecudum, quàm hominum per lacertam ſubter limen domûs abſconſam. 967.

Caſus. IV. Mulieris ſimplicis conſtituentis B. Virginem hæredem omnium ſuorum bonorum operum. 968.

Quid ſi & nomen ſuum donâſſet B. Virgini? 970.

Caſus. V. Sacerdotis per certa amuleta, rebus etiam non ſacris referta, Dæmonum præſtigias arcentis. 971.

Caſus. VI. Servi à Dæmone proditi, quòd philtro Filiam-familias in ſui amorem traxiſſet; ideòque clam aufugientis. 973.

An Judex Superſtitioſus fuiſſet, ſi motus teſtimonio ſolius Dæmonis torturam ſervo intuliſſet? 974. (Dei. 975.

Caſus. VII. Citantis injuriantes ſe ad tribunal

Caſus. VIII. Abbatis, citantis Præpoſitum Cathedralem fruſtra accuſatum, ad tribunal Dei poſt 40. dies. 978. & ſeqq.

Quo jure liceat inimicos citare ad Dei tribunal, cùm Chriſtus mandet inimicos diligere? 981. & ſeq. (983. & ſeq.

Caſus. IX. De Voce Cabaliſtica Abrocultabra.

Caſus. X. Senis, poſt pactum cum Diabolo defodientis theſaurum ſuum, quem tamen poſtridie Ruſticus ſuſtulit. 987.

Alii caſus plus quàm triginta, qui breviter tantùm proponuntur a n. 988. uſque ad 1016.

An Judex eſſet ſuperſtitioſus, ſi inter duos, quorum alterutrum ſcit certò reum, deformem priùs ſubjiceret torturæ quàm formoſum? Aut Judam *nomine, præ* Joanne? *1017. & ſeqq.*

Appendix Variarum Superſtitionum ex ultima Suecia, & Lithuania ſeriùs allatarum. 1019. & ſeqq.

Adhortatio ad Parochos, ut pugnent contra Dæmonis præſtigias. 1035.

Zacharias pollet arte conficiendi pulverem, ex materia venali in pharmacopolio. 961
Modus autem conficiendi non eſt alius, quàm ut

ut materia illa ex ſe duriſſima certo tempore (arbitror ego in ſolſtitio, vel ſimili) ad ſolem exponatur, hujus enim virtute intra non multos dies in pulverem reſolvitur, ita ut materia intra hoc tempus ſingulis ferè diebus, alium, & alium colorem induat. Pulvere iſto ſiſti poteſt ſanguis ex vulnere, vel naribus fluens cuicunque, &, ut ex ipſomet Domino Zacharia intellexi, ad quamcunque diſtantiam, modo ſanguis læſi adferatur ad habentem pulverem, & ſi integre concretus ſit liqueſiat, pulviſque ille commiſceatur. Quin imò idem Zacharias ait, illo pulvere ſanari poſſe dicto modo vulnera, ſi recentia ſint, ſe tamen ejus rei experientiam hactenus non habuiſſe, eò quod non tentârit. Scire cuperem, utrùm iſte Dominus, vir utique honeſtus, & bonus, ſacriſque Ordinibus initiatus hanc ſuam artem exercere poſſit, ſalsem facta proteſtatione, ne effectum habeat, ſi quid ſuperſtitionis lateret.

962 *Ratio dubitandi eſſe poteſt, quod P. Laymannus Lib. 4. Tract. 10. cap. 4. n. 6. ſcribat: Si dubitetur, utrùm rei ad ſanandum applicandæ ejuſmodi vis naturalis ineſſe poſſit, non ſtatim tanquam ſuperſtitio magica damnari debet &c. Subjungit autem n. 7.* Verùm ſi certum, aut propè certum eſt, rem, quæ adhibetur, ſecundùm ſe vanam, & inutilem eſſe, non excuſabit proteſtatio, cùm ſit contraria facto. *Mihi videtur aut manifeſtè probari experientiâ hac pluribus comperta actionem in diſtans naturaliter non implicare: aut ſi Philoſophis non improbabiliter poſſibilis videtur (quem ego non legere me memini, qui ad quamcunque diſtantiam admitteret) prædictum Dominum uti poſſe arte ſua, ſaltem cum addita proteſtatione: aut ſi actionis in diſtans poſſibilitas negatur, omnino ab ea abſtinere debere, donec probabilis modus afferatur, quo virtus pulveris ſanguini mixti per medium tranſmitti oſtendatur. Quid Reverentia Veſtra ſentiat mihi, quæſo, ſignificare velis. Dat. NN. 2. Septembr. Ann. 1671.*

963 Ita ad me vir ſcientia philoſophica excellens, ac ſpeciem facti deſcribens ex ore D. Zachariæ, ſpeciem, inquam, facti, notoriam in urbe percelebri, ex qua literæ datæ. Reſpondi, probari mihi judicium ejuſdem viri docti, validéque firmari verbis P. Laymanni admiſſis ab omnibus ſcriptoribus, quos retuli ſuperiore Caſu 22. Verè enim certum, aut propè certum eſt, actionem in diſtans quantacunque diſtantia non poſſe dari naturaliter, id eſt: Nullum agens creatum poſſe agere in rem loco diſſitam, niſi vel per ſemetipſum, vel per aliquid ſibi conjunctum producat aliquid in medio uſque ad illud diſtans. Quam explicationem & concluſionem eſſe non ſolùm omnium Thomiſtarum, ut per ſe notum eſt, ſed etiam Scoti, & ipſiuſmet Ariſtotelis olim in Phyſica probavi claris textibus utriuſque, diſſolvens omnia in contrarium argumenta. Vide etiam noſtrum P. Burghaberum in ſuis concinnis admodum Centuriis *Cent. 3. n. 19.* negantem omnem probabilitatem opinioni aſtruenti actionem in diſtans.

Addo nihilominus, expedire pro bono com- 964
muni, ut illa materia coëmatur ex diverſis pharmacopoliis, atque ſimiliter à diverſis etiam bonæ famæ, ut eſt Zacharias, hominibus exponatur ſoli ſolſtitionali, à diverſis quoque hominibus miſceatur ſanguis vulnerati, multúmque diſtantis (multùm diſtabit ſi 200. aut 300. paſſibus) cum pulvere. Poſſe id fieri ſalva conſcientia liquet ex dictis ſuprà *n. 931.* & facto Cardinalis Cajetani relato *n. 938.* hic enim non dubitatur, utrùm illa ſanatio proveniat à Deo, an à Diabolo, ſed utrum à Diabolo, an à natura. Facit etiam huc illud, quod ſuprà *n. 935.* protuli ex Tamburino, & *937. in fi.* de captante experimentum in re dubia. Quòd ſi poſt illam novam induſtriam fuerit conſecutus optatus effectus, videant Philoſophi, quomodo concordent cum concluſione, ſeu generali doctrina etiam Scoti, & Ariſtotelis hîc expreſſa. Jam proponamus hujus Farraginis

Caſum II. Ridiculè Superſtitioſi.

Babylas faber ferrarius Alſata ſanat feli- 965
citer equos, varia ægritudine affectos, neſcio qua medicina. Interim dans operam, ut dum ipſe medicinam non ſine pia precatione adhibet, uxor ſua frenum illius ipſius equi, cui tunc præbet ipſemet actu medicinam, alio etiam in loco diſſito lavet. Monitus à ſuo Viceparocho, ut deſiſtat ab illa ſuperſtitioſa lotione freni, utpote inducta à malo genio, reſpondet animoſè id ſolùm: Jch mag nit dem Schelmen nichts zuthun haben: Nolo quidquam commercii habere cum illo (Tartareo) nebulone. *Quæritur, an ſit ille faber in bono ſtatu?*

Ille ipſe Venerabilis, atque omni fide digniſ- 966
ſimus D. Proparochus narravit mihi hunc Caſum Anno ſuperiore, affirmans, illum fabrum ita ſibimet reſpondiſſe. Mihi certum eſt, omnes ſcriptores, quos toto præcedente Caſu XXII nominavi, quóſque nominat P. Burghaber *cit. n. 19.* eſſe uno ore damnaturos ſuperſtitionis illam freni lotionem, utpote quam non niſi ſtultè credi poſſit eſſe vel à Deo, vel à natura inſtitutam ad hunc effectum, haberéve vim agendi in diſtans. Cajetanus in Summa Verb. *Incantatio numero 2.* rotundè ſcribit: *Poſt monitionem non excuſantur* (apponentes conditionem vanam, ut neceſſariam) *ampliùs; quia ceſſat bona fides.* Vide ſuprà *n. 929.* quare cenſeo, non eſſe abſolutionem impertiendam illi fabro, ſi deſiſtere nolit ab illa infulſa lotione, quod enim fit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam *cap. Literas, De reſtit. ſpoliat.*

Ca-

Caſus III. Malefici.

967 *Cornelius ex oppido Diœceſis Lauſannenſis abſconſione lacertæ ſubter limen domus necavit ſeptem abortivos infantes cujuſdam mulieris, idémque præſtitit in fœtoſis pecudibus, quorum nulla toto illo tempore edidit. Sublatáque lacerta, tam mulieri, quàm pecoribus fœcunditas reſtituta fuit.*

Ita ex Nideri *Lib. ult.* Formicarii deſcribit Broglonus *To. 1 Alexicaci Diſp. 3. n. 660.* Quam lacertæ ſublationem ſi ab eo malefico petiviſſet mulier illa, ſeu quiſpiam alius, Broglonus egiſſet reum gravis delicti, nos nullius, ob rationem, & autoritatem contra ejus fundamentum productam ſuprà *n. 943.* Porrò illam necationem proveniſſe ex lacertæ ſpiritibus immiſſis in pecora, aut in mulierem prædictam nemo, puto, medicus dixerit, ergo Theologus pronunciabit, nequitia dæmonis id eveniſſe.

Caſus IV. Pietatis Heteroclitæ.

968 *Dionyſia Beatæ Virgini impensè addicta teſtamento ſolenni conſtituit eam hæredem omnium omnino bonorum operum ſuorum, præteritorum, præſentium, futurorum, quam diſpoſitionem irrevocabili devotione ex tunc firmatam, atque immobilem ea tunc codicillo eſſe voluit. Inſuper Beatiſſimam Virginem corporis ſui, & animæ, cordis quoque ac vitæ, & etiam mortis hæredem eſſe voluit. Clauſit teſtamentum accitis novem Angelorum Choris &c. additáque ea conteſtatione, cujus etiam vades, ac teſtes adhibuit omnes Cœlites, in votis ſibi eſſe hæreditatem illam Marianam augere tot ſanctorum actuum operibus, quot ſunt Stellæ cœli, & arenæ grana ad littus maris, quot atomi ad ſolis radios moventur, quot creaturæ fuerunt, ſunt, erunt, aut etiam per totam æternitatem produci poſſent. Quid cenſendum de hoc teſtamento?*

969 P. Theoph. Raynaudus in Heteroclit. Spiritual. *Sect. 2. punct. 4. num. 14.* (habetur hic Tractatus *in Tom. 15.* operum hujus Doctoris) deſcripſit hoc teſtamentum ex Autore pio, & docto, approbante omnes illius clauſulas, & hortante alios ad imitationem, ipſe autem Raynaudus *num. 15.* fert hanc ſanè rigidam cenſuram: *In hoc teſtamento præter bonam voluntatem ex pia ſimplicitate profectam, ideóque excuſabilem, vix aliquid eſt dignum comprobatione, multa verò ſunt imperitè, & inſulſè geſta.* Unde apparet, idem teſtamentum haberi ab ipſo pro ferè totaliter *Superſtitioſo*, ſanè illa bona mulier non habuit in actus jam præteritos ullum jus diſponendi de illis, nec potuit quidquam ex actibus, quos fortè eſſet ex ſe pios elicitura in ſtatu peccati mortalis, donare alteri, quandoquidem illi actus non ſunt aut meritorii, aut ſatisfactorii. Ad hæc mors nihil eſt, anima & corpus ſingulariter poſt mortem ſunt ſub ſolius Dei dominio &c.

At, *quid ſi eadem matrona ſuum quoque nomen tranſcripſiſſet Beatiſſimæ Virgini?* Riſiſſet P. Raynaudus, tum quia cenſet cum Abulenſi, & Suarez *De Attrib. Dei cap. 31.* contra Serarium & alios, non eſſe in cœlis uſurpationem ullorum nominum, utpote quæ non poſſint niſi ad abſtractivam rerum notitiam deſervire, cùm tamen Cœlites gaudeant notitia intuitiva, tum vel maximè quia imprudenter creditur fore ut aliquis Sanctus, vel Sancta aſſumat nomen donatum ſibi ab altero, præſertim mortali, quod ego exiſtimo verum. 970

Caſus V. Cribratus.

Eduardus Sacerdos Religioſus, & peregrinus tum aliis locis, tum in Bavaria nova quædam, & inſolita viſus eſt adhibere media, Dæmonū præſtigiis, & infeſtationibus depellendis, & præcavendis idonea à quibus etiam non exiguum ſibi nomen comparaverat. Media illa erant amuleta quædam è collo ſuſpendenda, quæ tum certas quaſdam execrationū, & adjurationum formulas adverſus Dæmonum illuſiones, tum varias res naturales ab eodem ſacerdote priùs benedictas continebant, & inter alia aurum, corallium, gemmas benedictas. De his quæſtio erat, an velut proba adverſus Dæmonum illuſiones antidota probanda eſſent, an potiùs tanquam ſuperſtitioſa damnanda, de quibus meam ſententiam, & cenſuram, quæ mihi etiamnum probatur, & tunc, aliis viris doctis probata fuit, his verbis conſcripſi. 971

His verbis illum Caſum refert P. Adam Tannerus *Tom. 3. Diſput. 5. quæſt. 7. dub. 2. num. 52.* quem caſum teſtatur fuiſſe pluribus aliis Theologis propoſitum reſolvendum, fuit ergo cribratus. 972

Reſpondit autem 1. Brevia illa, ſeu amuleta non fuiſſe ex ſuo genere mala. 2. Nec conſuetum uſum eorundem fuiſſe malum. 3. Eſſe quidem in iis aliqua ſatis inconcinnè poſita, ut e. g. illa verba: *Per bonitatem Spiritus Sancti qui totam Legem adimplevit, qui eſt, erat, & venturus eſt Soter &c.* Etenim hi quaſi materiales errores non deſtruunt autoritatem ſpiritualem, bonamque fidem, conſequenter nec effectum, ſed corrigendi ſunt, inquit ille. 4. Spiritualis, ſacerdotaliſque poteſtas extendit ſe utique ad benedicendum aurum, gemmas, quas res pretioſas fortè idcirco præ vilioribus benedicit ille Sacerdos, quòd decentiùs dentur Magnatibus. Hæc, & alia ille multò utiliſſimæ, clariſſimæ, & à pluribus, quam ſit, lectu digniſſimæ Theologiæ ſcriptor

Caſus VI. Veri Aſmodæi.

973 *FAbiola Mercatoris Veneti filia Annorum 17. cùm vehementer diligeretur à quodam famulo domeſtico, is, ut optatâ adoleſcentulâ carnaliter frui poſſet, ad quandam ſagam confugit, cujus ope eam amoris maleficio affecit, quæ ſtatim nocturno tempore clamare cœpit:* En morior, niſi mihi concedatur in lecto concumbere cum famulo noſtro. *Accurrerunt ipſius parentes eam reprehendentes. At illico dæmon, qui eorum ancillam poſſidebat, famuli crimen patefecit, qui ſine mora è domo aufugit. Poſtera autem die ego vocatus acceſſi, & interrogata adoleſcentula, an voluntariè talibus verbis eſſet uſa, reſpondit, ſe inopinanter ſenſiſſe ſibi cor aduri amore erga illum ſervum phantaſiam turbari, voluntatem crebris ſuggeſtionibus ſolicitari &c. ita ut abſtinere non poſſet, quin talia verba proferret. Quibus à me auditis ſtatim admonita, ac ſuaviter correpta genu flexa ante Crucifixi imaginem, omnia ſua peccata deteſtari cœpit, ad Deum confugit, & tandem poſt nonnullos fidei, & fiducia in Deum actus, à quocunque maleficio Deo adjuvante, ac præceptis à me contra Dæmonem formatis perfectam coram me conſecuta eſt ſanitatem Venetiis Ann. 1648.*

Sic ſcribit fide digniſſimus Candidus Broglonus in jam toties laudato, laudandóque Alexicaco *Tom. 2. Diſp. 3. num. 651.* reticens tamen illa præcepta, quæ formaverat. Equidem exiſtimo, ſimilia maleficia plerumque non aliter ſanari, quàm ſpiritualibus remediis.

974 Quæret autem quiſpiam non utique extra rhombum, *utrùm judex fuiſſet peccaturus peccato ſuperſtitionis, ſi motus teſtimonio Dæmonis, famulum carceri mancipâſſet, eúmque metu torturæ compuliſſet edicere veritatem.*

Reſp. Peccâſſet utique. Revera enim nimis multùm honoris detuliſſet patri mendaciorum, ſi ejus ſolius denuntiatione fretus conjeciſſet in carcerem, ne dum ſi intentâſſet torturam, ut liquet ex iis, quæ de neceſſariis ad inquiſitionem ſpecialem, torturámque dixi ſuprà *num. 919.* An verò fuga famuli fecerit illum ita ſuſpectum, ut ea fuerit habenda pro quadam quaſi confeſſione extrajudiciali, ſufficiente tamen ad torturam, diſceptarent haud dubiè in utramque partem Jureconſulti. Profectò ſi fuit ipſe conſtanter probus juvenis, nullúmque adfuit prorſus indicium præter fugam, ob verba dæmonis, cenſerem fuiſſe potiùs præſumendum, quòd fugerit, ne prorſus innocens ſubjiceretur torturæ, quàm ob conſcientiam ſceleris, & ſic haberet locum doctrina Maſcardi *De probat. Concluſ. 818. num. 11.* quòd fuga inita ex *rationabili cauſa* nullum faciat indicium. Si verò caruit teſtimonio bonæ famæ, non damnâſſem Judicem, qui rapuiſſet in vincula, & ad quæſtionem, etenim quando conſtat de commiſſo crimine, poteſt quis mancipari carceri, & ſecundùm aliquos ſubjici quæſtioni, propter vehemens indicium, atqui ex una parte conſtabat, vel conſtare poterat, illum inſanum amorem tam repentinum in puella honeſtiſſimè educata, erga famulum non proveniſſe niſi ex aliquo maleficio, ex altera autem parte tam vehementibus indiciis contra fugientem accenſetur fuga, ut cenſeatur efficax ad ſubjiciendum reum tormentis. Maſcardus *loc. cit. num. 4.* quando videlicet delictum eſt capitale, ſeu morte, vel mutilatione dignum. Maſcardus *n. 18.* Fuit autem delictum famuli digniſſimum morte, aut mutilatione, ut videlicet amputaretur ipſi manu carnificis id, quo amputato roboraretur cum ampliatione æquiſſima illa ſententia divina: *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Et verò id ſupplicium haud ſemel fuiſſe de ſtupri reis ſumptum probat eruditè ſuo more P. Theophilus Raynaudus *in Moralib. Tract. De Eunuchis cap. 4. §. 1. n. 5.* Sortilegio (id eſt maleficio) jure civili pœna mortis imponitur, ſive ad divinandum; ſive *amoris cauſa* committatur. Menoch. *De arbitrar. jud. Caſ. 388. n. 5.* & Jure Bavarico mortis pœna plectitur præbens (etiam ſine maleficio) poculum amatorium, infrà *n. 1044.* quidni & probroſa caſtratio in tam qualificato ſcelere, quàm fuit illius conſcelerati famuli; de quo noſter Caſus? In pœnam ſimplicis philtri deportandus eſt id præbens ad metalla in perpetuum. Damhouderius *in Pract. Crim. cap. 61. n. 8.* quanto graviore ſupplicio plectendum ſcelus ſimile præſenti? Sumopere in omnibus caſtitas procuranda eſt, & defendenda. Toloſanus mox citandus, ſingulariter in ſexu debiliore, ſiquidem in mulieribus ingenuis caſtitatis obſervatio præcipuum debitum eſt. *Text. in Leg. Si qua. Cod. ad SC. Orfitian.* adeò, ut licèt reliquæ virtutes utcunque diſſimulari à fœminis poſſint, caſtimonia tamen ſit eis gloriandum. Maria Luſitana apud Fam. Strad. *Dec. 1. Lib. 4.* Sententia mortis lata fuit Romæ in viros, qui occurrerunt nudi Liviæ Tiberii Cæſaris matri. Greg. Toloſ. Syntag. *Lib. 34. cap. 12. n. 12.* quantò gravius crimen committit philtro, aut alia re honeſtam puellam dementans ad libidinem probroſiſſimam?

Caſus VII. Citantis & Citati.

GRacchus laceſſitus injuriis à duobus; iis condonare noluit, niſi coram ſe, antequam animam efflaret, comparituri eſſent. Interea nullo comparente mortuus eſt Gralchus in ſuo malo propoſito perſeverans, nimirum illos citando ad divinum tribunal, ſive, ut cum vulgo loquar, ad Vallem Joſaphat, quorum quidem unus opinione populi innocens paulò pòſt infirmitate correptus obiit. Jam quæritur, utrùm nocentes, & innocentes ſine diſcrimine taliter 975

citati

citati ſemper comparere debeant, an nocentes ſolùm, & an ſemper? Quaſo humillimè &c.

976 Ita ad me haud ita pridem inſignis quidam parochus Diœceſanus, cujus dubium ideo pono hoc loco, quòd haud immeritò quæri poſſit, an divinationibus ſuperſtitioſis ſit accenſenda credulitas illorum, qui ex tali citatione inferunt, imminere ſibi mortem, & fortè faciunt omnia, quæ præſtarent, ſi hæc verba excepiſſent ex ore Dei.

Reſp. I. Si quis planè innocens habeat fidem tali citationi, reus eſt *Superſtitioſæ Divinationis*, quia hæc intervenit, quando notitiam rei occultæ captas ex aliquo ſigno, quod eam ſignificandi non habet vim ullam, vel naturalem, vel à divina inſtitutione. Suprà *n. 908.* atqui citatio innocentis ad divinum tribunal non habet à Deo, vel natura vim ſignificandi certum periculum mortis, ergo innocens, qui ex illa citatione credit impendere ſibi mortem, captat mortis indicium ex re non habente à Deo vel natura vim ſignificandi. Confirmo inde, quòd P. Drexelius noſter in ſuo Tribunali *Lib. 2. cap. 3.* diligentia omnino ſingulari producat in ſcenam viginti quatuor ejuſmodi citationes, effectum ſuum conſecutas, at nonniſi reſpectu illorum, qui memorantur fuiſſe injurii in citantes.

977 Reſp. II. Non eſt damnandus ſeu *Superſtitionis*, ſeu ridendæ ſimplicitatis, timiditatiſve, qui conſcius injuriæ, à ſe illatæ eum ad tribunal expreſſè citanti, multùm formidat, ne cogatur brevi comparere, eámque ob rem diſponit ſe, ſuáque ad emigrationem è ſtatione vitæ. Ratio eſt, quia tot, quot P. Drexelius, & alii referunt exempla illorum, qui poſt ejuſmodi provocationem ad tribunal divinum extincti ſunt, præter omnium opinionem, videntur omnino probare, immitti perſæpe à Deo præproperam mortem Reis illatæ, & non expiatæ injuriæ, contempta citatione. Novi ipſe virum primarium, quem ferebat fama fuiſſe ita evocatum. Placet confirmare hoc

Caſu VIII. Magnatibus ſingulariter formidando.

978 *Humbertus nobilis adoleſcens Leodii cœnobium S. Jacobi ingreſſus eſt Religionis cauſa. Quod ubi cognatus ipſius Leodienſis Præpoſitus inaudiit, ægerrimè tulit. Mox Abbati Manlianum imperium deferri jubet: conſobrinum reddat, aut vim expectet. Recuſat Abbas nolentem, & invitum extrudere. Ergo Præpoſitus ſatellitium cogit, monaſterium aperit, juvenem rapit, & Religioſis veſtibus detractis eum profanis induit. Abbas adſcitis in patrocinium Civitatis primoribus ad Epiſcopum ſe confert, injurias exponit & vim ſuo Monaſterio illatam, idque Præpoſito præſente. Epiſcopus has querelas ægre admittere, in Præpoſiti partem non diſſimulanter vergere, & Abbatem duriùs objurgare. Abbas prompti conſilii, mox ſubmiſſis humi genibus, & ad Præpoſitum verſus clementi voce:* Contra tuas injurias, *inquit*, O Præpoſite, æquum judicem in terra obtinere non poſſum, cœlum igitur peto; & ſummum judicem interpello, ut intra quadraginta dies uterque noſtrum coram eo compareat, ſententiam pro meritis auditurus. *At Præſul cum ſuis liberaliter cachinnatus priſcam hominis ſimplicitatem iriſit, dimiſitque non ſine ſcommate.*

Expectate paululum! Altiſſimus *enim* eſt patiens redditor. *Eccl. cap. 5. Die abhinc quadrageſimo Abbas ante meridiem circiter horam nonam mortuus eſt. Eo tempore Præpoſitus balneo domeſtico uſus lavabat. Cúmque audiret æs campanum inſolitùm concrepare, quæſiit, quid hoc iſto tempore? cui famuli*: Ajunt Abbatem ad S. Jacobi defunctum eſſe. *Præpoſitus continuò memor quadrageſimi diei ab Abbate dicti expaveſcens, & attonitus*: Mox, foras, *inquit*, foras: habeo, quod agam: heu comparendum mihi hodie eſt coram judice ſupremo. *Cúmque properaret thermis egredi, inter adſtantium manus collapſus diro cum ejulatu abiit è vita ad indictum utique judicium, ubi cauſarum ſtrepitus ceſſabit, ubi nullus cachinnorum locus, ubi juriſperitorum codices obmuteſcunt, ubi nec preces, nec aurum, nec ferrum liberant.* 979

Admenſus ſum verba P. Drexelii *loc. cit.* §. 2. 980
qui hanc tragicam hiſtoriam deſumpſit ex graviſſimo ſcriptore Thoma Cantipratenſi, Suffraganeo Cameracenſi, Condiſcipulo (ut exprimit Bellarminus de ſcriptoribus Eccleſiaſtic.) commilitonéque S. Thomæ Aquinatis in glorioſiſſimo illo Ordine, & de quo Cantipratenſi Bellarminus *loc. cit. in Scriptoribus Eccleſiaſticis* fert hoc teſtimonium: *Miracula, & Exempla ſui temporis verè, fideliterque deſcribit.*

Quæret autem fortè quiſpiam, *quo jure liceat inimicos citare ad Dei tribunal*, cùm Chriſtus Dominus tam diſertè, & ſub interminatione damnationis æternæ præcipiat, ut unuſquiſque remittamus *De cordibus noſtris* proximo noſtro. *Matth. 18. verſ. ult.* 981

Reſpondeo, dum jubemur offenſas remittere, non præcipitur plus, quàm ut non retineamus odium, ac rancorem in proximum ob injuriam illatam, & ob hanc ipſam injuriam non negemus ipſi illa officia charitatis, quæ tenemur aliis exhibere, nec aliqua negemus in meram vindictam. Igitur non tenemur remittere actionem injuriarum coram competente Judice. Gloſſa in Cap. *Si quis contriſtatus diſt. 90.* Sylveſter *verb. Charitas. q. 6.* Gregor. de Valentia *Tom. 3. Diſp. 3. q. 3. p. ult.* Eſt autem Deus utique Judex competens, adeóque per ſe loquendo licitè provocatur ad illum, quando alius æquus judex haberi non poteſt. Etſi autem plures ex iis viginti quatuor citatoribus, de quibus ſcribit P. Drexelius, fuerint celebres à ſanctitate, mo-

morúmque integritate, attamen inſtituere ejuſmodi citationem in articulo mortis eſt communiter illicitum, quia comuniter gignit grave ſcandalum, ſingulariter quando injuria non fuit valde atrox, ſicut revera fuit atrociſſima tum Præpoſiti, tum Epiſcopi ipſius, cujus Præpoſiti Caſum idcirco ſcripſi eſſe *Formidandum Magnatibus*, quia revera omnibus ſæculis, omnibus ætatibus fuerunt edita nimis multa exempla grandium injuriarum, quibus multi Magnates tam indignis modis læſerunt in bonis, juribus, perſonis ipſis Clerum Regularem, ſæcularémque, ut innumeris dederint cauſam uſurpandi illa verba mitiſſimi Davidis *1. Regum cap. 24.* adverſus Saulem: *Judicet Dominus inter me, & te, & ulciſcatur me Dominus ex te.*

982 Hinc Gracchus noſter non peccavit graviter; ſi & injuria fuit valde gravis, ut quia e. g. fuit aſperſus nequiter gravi infamia redundatura in liberos, & nequiit alium habere æquum judicem, quàm Deum, & nullum rancorem, odiúmque retinuit adverſus illos ſuos duos inimicos: at verò deliquit grviſſimè peccato ſcandali, ſi injuria fuit vulgaris, aut gravis quidem, ſed emendanda per ſententiam judicis terreni, peccavit & mortaliter contra charitatem, abſtrahendo etiam à ſcandalo, ſi noluit, ut ſatis indicant literæ, aliter ignoſcere inimicis, quàm ſi coràm illo comparerent, etenim potuit ſatisfieri alia ratione, quàm tali comparitione, ideóque fuit periniqua illa petitio, ſingulariter autem fuit iniqua, & orcum merita, ſi alter fuit innocens. Et quia abſolutè indicant eædem literæ, noluiſſe ignoſcere, niſi ſub illa conditione comparitionis, addúntque obiiſſe *in ſuo malo propoſito*, eam ob rem reſpondi, potuiſſe per ſententiam Domini Ordinarii privari ſacra ſepultura, potuiſſe, inquam, ſi conſtaret animam exhalâſſe in eo malo peſſimo propoſito. Adde hiſce ea, quæ de pœna hiſce citatoribus decernenda referam infrà *num. 1047.*

Caſus IX. Cabaliſticus.

983 *Icarus quidam me quartána laborantem convenit, dixitq; velle ſe conſcribere ſchedam geſtandam à me novem diebus, ac poſtea igne, vel flumine delendam, at ſcribere noluit, niſi averterem oculos à charta, quibus averſis prodiit hæc, quæ adjacet ſcriptura, quam aſſerebat, accepiſſe ſe à quodam P. Carthuſiano, foréq; ut febris certò evaneſcat, ſi pendula ex collo geſtetur novem diebus, & poſtea aut igne cremetur, aut flumine mergatur. Aveo ſcire, num verbum iſtud;* Abrocultabra *ſit ex hieroglyphicis Ægyptiacis, vel à Sapientibus Chaldæis excogitatum. Fortè autem idem eſt, quod:* Abi proculcabes. *Sin verò nullum fortè haberet implicitum pactum cum diabolo, & ſecura mente geſtare liceret, darem etiam experiundi gratia uxori meæ ejuſcemodi ſchedulam, quæ quartana graviſſimè laborat.*

A
Ab
Abr
Abro
Abroc
Abrocu
Abrocul
Abrocult
Abroculta
Abrocultab
Abrocultabr
Abrocultabra

984 Sic ad me Anno proximè ſuperiore ornatiſſimus quidam Vir, cui reſpondi, ſchedam illam eſſe utique pro ſummè *Superſtitioſa* habendam, tum quia nec ille ordo characterum, nec verbum, aut oratio ex iis conflata, obtinent vim ullam ſeu à Deo, ſeu à natura: tum quia imperium ſeu neceſſitas avertendi oculos reddit illum Icarum ſuſpectum de adhibitione aliorum aut verborum, aut ceremoniarum, vel ludicrorum, vel manifeſtè diabolicorum: tum quia chartæ deſtructio per ignem, vel aquam, & hanc quidem non qualemcunque, ſeu ſtagnantem, ſed fluentem, eſt apertiſſimè anile ſomniū, ut nihil dicam de novem præcisè diebus, déque ſuſpēſione è collo, quaſi verò non ſufficeret geſtatio è brachio. Quare addidi, graviſſimè peccaturum, ſi vel ipſe, vel uxor uterentur ea charta, ſeu feriò, ſeu ſolùm experiendi cauſa; eò quòd & ſit manifeſtiſſimum, illam chartam eſſe vel nullius prorſus efficaciæ, vel ſi ſit alicujus per accidens, provenire à ſtygio panurgo, cujus ope præterquam, quòd non liceat per ſe uti, periculum graviſſimum eſt, ne ſi fortè eam ſuſpenſionem è collo, aliáque requiſita ſubſequatur effectus deſideratus, hunc excepturi ſint graviora mala corporalia, ſpiritualiáque. Cauſas fundamentales reſponſi petet Lector ex Regulis præced. Caſu *XXII. Sect. II.* traditis.

Porrò utrùm illi barbaro nomini conveniat allata explicatio, me latet. Oppido variarum linguarum peritia orbi notus P. Athanaſius Kircher literis à me interrogatus reſpondit ſequentibus verbis:

985 *Quod Reverentia Veſtra ſibi exponi deſiderat illud decantatiſſimum magnum amuletum ABROCULTOBRA, cùm illud jam tum in aliis libris meis, tum potiſſimùm in opuſculo:* De Myſteriis numerorum, *explicaverim, ſupervacaneū eſſe ratus ſum de eo verboſiùs agere. Itaque primò ſcire velim Reverentiam Veſtram, dupliciter conſiderandum eſſe hoc, de quo me conſulere voluit, amuletum, prius eſt antiquiſſimum, ex Gnoſticorum primi ſæculi hæreticorum Sathanica ſchola productum. Alterum ex modernorum Cabaliſtarum impiis dogmatis erutum, & ad imitationem veteris præſcriptum, ſive murmur vocum, ſive earum ſyſtema in triangularem figuram adaptatum ſpectes. In quo ne quæras radices, aut etymon, cùm magorum proprium ſit ad ſuſcitandos animos barbara, & aſimata* (id eſt, nihil ſignificántia) *nomina, quæ portentoſum quid ſonent, adhibere, ut rectè D. H:eronymus contrà Baſilidem Gnoſticorum caput, & D. Irexaus contra eoſdem integro libro oſtendit. hæc enim nullam phyſicam efficientiam ad ea, quæ prætendunt conſequenda obtinere optimè R. V. demonſtrat. Romæ 13. Maii 1672.*

Ex

986 Ex quibus apparet, inprimis illud vocabulum communius efferri hoc modo: *Abrocultobra*, quàm iſto *Abrocultabra*, Deinde non eſſe propriè hîc hieroglyphicum, ſiquidem hieroglyphica conſtant ſignis diverſis à charactere Alphabetico, ut reliquos inter obſervat in ſuo eruditiſſimo Prodromo Copto, ſeu Ægyptiaco idem P. Athanaſius. At illud inficetum amuletum ex meris ejuſmodi elementis fabricatum eſt. Facit autem ille Pater idcirco mentionem *prioris*, & *poſterioris* amuleti, quia iiſdem literis deſcripſerat, aut depinxerat priore loco Amuletum Gnoſticorum non multum diſſimile noſtro Cabaliſtico,

Reſpondi II. Haud dubie mentiri in collum ſuum nefarium illum Sycophantam, dum aſſerit, ſe à quodam P. Carthuſiano eſſe edoctum illam artem ſtygiam, longè innocentiores ſimul & ſapientiores viros educat illa Sanctiſſima Religio, quàm ut quidquam conſuetudinis habeant cum hujuſmodi vaframentis, & impoſturis.

Caſus X. Senecionis Argyrophili lepidè deluſi.

987 K*Imbi avarus ſenex magicis artibus theſaurum noctu terræ infodit, hac habita cum Dæmone conventione, ut nemini theſaurus patere poſſet, niſi ei, qui in ipſo theſauri loco exiſtens bonæ bultis pingui patina ſe recrearet, vinúmque biberet liberaliter. Inaudiit quidam ruſticus, non longè ab illo loco ſortè decumbens: manè pulſem comedit, vinum hilariter bibit, theſaurúmque ſibi, nullo repugnante, arripuit.*

Ita ſe puero narratum fuiſſe à quodam, ſcribit P. Tamburinus *in Decal. Lib. 2. cap. 6. §. 2. num. 12.* addens, haud peccâſſe (peccato *Superſtitionis*) ruſticum, dum quæſivit theſaurum ſecutus verba, quæ audiverat ex ore ſenis Capularis, quia ſolùm appoſuit ſignum contrarium, quo poſito Dæmon promiſerat, ſe non ampliùs cuſtoditurum theſaurum. Eſt autem hæc reſolutio conformis illis, quæ ex inſtituto tradidi *præced. Caſ. XXII. Sect. II. num. 943.* de licita amotione ſigni, quo permanente perget diabolus nocere per ſagam, aut veneficum.

Hiſce decem Caſibus fuſiùs diſcuſſis, & reſolutis ſubjiciam plurimos alios, ſed pleróſque longè breviſſimè, ne fortè pariam Lectori tædium.

988 XI. *Herum eſt novella ſponſa, quam cùm ſponſus vellet amplecti, quamvis eam vehementer diligeret, illico adeò erga eam ira afficiebatur, ut nec illius præſentiam ferre poſſet, qui quidèm ſponſus priùs maleficiò ligaminis fuerat affectus, ſed à Deo media mea inſtructione, & benedictione liberatus eſt. Itaque dicta ſponſa ad mè unà cum ſponſo confugiens poſt debitas inſtructiones, & actus fidei, tanquam perfectam ſanitatem eſt aſſecuta.* Sic de ſe ipſo, & illis ſcribit Gandidus Broglonus in Alexicaco *Tom. 1. Diſp 3. numero 655.*

XII. *Sponſi & Sponſæ, qui maleficio affecti con-* 989
cumbere nequibant, ac licèt ſe diligerent, attamen ſe ſufferre nequibant. Hi a me fuerunt benedictionibus muniti, at cùm perfectam liberationem non eſſent aſſecuti, præcepi, ut unà cum illis venirent eorum parentes, quibus præſentibus, ab eiſque unà cum filiis ſimul deſponſatis fidei, & fiducia in Deum actibus elicitis receſſerunt liberi à quocunque maleficio. Ita rurſum Broglonus *loc. cit.*

XIII. & XIV. *Caſus ſunt duorum Sponſo-* 990
rum, quorum primus cùm vellet experiri, an eſſet præditus virilibus, nihil planè reperiebat. Alter reperiebat, ſed vas uxoris penetrare non poterat, quem utrumque maleficio liberatum teſtatur idem Broglonus loc. cit. num. 657. & 658. *poſtquam iis impertiit benedictiones eccleſiaſticas, piiſque monitis inſtruxit.*

XV. *Soliti pecora tabe laborantia curare ap-* 991
pendendo eorum collis ex, vel de feretro, in quo jacuit fœmina unà cum prole mortua. Ita ad me optimus quidam Curio. Riderent, puto, Medici omnes, ſi quis diceret, ineſſe tali ligno illam energiam, ergo eſt annumeranda magicis, & non temere credo, accedere aliquas alias circumſtantias apertè *Superſtitioſas*, quare non eſt utendum tali medicina.

XVI. *Mulieris, tam graviter ægrotantis, ut* 992
debuerim (ſcribit idem Curio) *illam providere circa mediam noctem, nihilominus Extrema Unctione muniri recuſavit, obtendens, ſe poſtea peccaturam, ſi nudis pedibus ambularet ſuper terram.*

Ita idem Parochus die 28. Jan. hujus 1672. Anni. Hanc, & unam, alterámve adhuc *Superſtitionem* cum pluribus exemplis ita delirantiū protuli in Experientiis *Tract. 8. Caſ. 22. Sect. 2.* ſingulariter in Editione Veneta.

XVII. Fœminæ, *quæ dum nequiit butyrum* 993
efficere, virgis verberavit vas, in quo lac in butyrum coagulatur, donec venit alia mulier, diſſuadens iſtam verberationem, quam proinde ſuſpectam habuit de magia.

Et verò meritò habuit ſuſpectam, ſi hæc non potuit niſi à Dæmone reſcire verberari vas, aut ſi ſenſit, dum fiebat illa verberatio, dolorem in corpore, quemadmodum *præced. Caſ. XXII. num. 942.* retuli in Caſu Helveto. Si autem aliunde reſciit, nec dedit ullum doloris ſignū, eſt potiùs cenſenda veniſſe animo corrigendi illam manifeſtam *Superſtitionem*, nec enim verberatio vaſis facta virgis habet vim condenſandi lac in butyrum. At vi impediendi coagulationem præditum eſſe ſaccarum immiſſum in lac aſſeveravit mihi hæc commentanti vir Religioſus.

Et quia incidit ſermo de lacte, ſit propter affinitatem materiæ hic Caſus

XVIII. Alterius mulieris, *cujus lac cùm* 994
nullo labore, aut induſtria verteretur in butyrum, ſuaſū neſcio cujus, accepit ſeram omnino novam,

novam, & nulli eo uſque uſui adhibitam, injecitque in vas illud lactarium, ut ſic loquar, móxque pro lacte habuit butyrum.

Ita mihi, cùm jam ſcripſiſſem Caſum præcedentem, aſſeruit Prælatus Regularis, omni fide dignus, addens, eam praxin eſſe certò frequentiſſimam in loco, ubi multos Annos egit. Videtur autem ea ſordere labe *Superſtitionis*. 1. Quia non apparet, quomodo ferrum in feram formatum, ſit energiæ majoris, quàm aut rude, aut alia figura donatum. 2. Quia ſtultum eſt, exiſtimare, ineſſe ferro, quod ſemel adhibitum eſt ad uſum, quo minimè alterantur ejus qualitates naturales, minus virium; quàm ei, quod primulum prodit ex officina fabrili jam rigidum. Idem, qui mihi recenſuit hunc Caſum, addidit alterum hunc

995 XIX. Alterius mulieris, *cujus vacca, cùm redderet lac ſanguinolentum, materiam illam admovit igni, vixque cœperat bullire, cùm accurrit neſcio quæ Canidia toto vultu rubens, ardenſque & obteſtans, ut amoveretur illud adulterinum lac.*

Certus ſum, hoc non eſſe fabulam; ſimul certus, interceſſiſſe operationem Dæmonis, ſicuti interceſſit in Caſu Helveto &c. de quo ſuprà. Confirmo hoc Caſu

996 XX. Alterius mulierculæ, *ſeu rectiùs* mancipii avernalis, *quæ adhuc hærens in lecto, miſerandum ſimul, & juſtiſſimum in modum ardere cœpit, poſtquam paterfamilias alterius domûs non ſerio, ſed per merum jocum, nihilque prorſus ſuſpicatus de maleficio* (quod tamen patrârat dicta muliercula) *mandârat, ut in clibanum ardentem conjiceretur pullus Indicæ gallinæ, omnino debilis, & vix hærens oſſiculis, ſpectans tamen ad ipſum.*

997 XXI. Fabri lignarii, *qui acquiſivit lapidem fulmine dejectum, eúmque poſuit ad altare, ut tria Sacra ſuper eum legerentur, poſtmodum potuit vi ejus lapidis profligare, & ſuperare quatuor viros robuſtos.*

Ita ad me is ipſe optimus Paſtor, ex quo habeo Caſus relatos *num. 991. 992. 993.* Et quidem dubium non eſt, quin, ſicuti fulmen habet mirificas vires, ita etiam aliquæ ex iis rebus, quæ ſunt fulmine tactæ, quidni enim valeat aliquibus harum communicare quidpiam ſuarum qualitatum? At quòd geſtatio nudæ rei fulmine tactæ, vel dejectæ, decuſſæve poſſit Herculeum robur afflare ſeu ante, ſeu poſt illa tria Sacra, non credo, verè enim Sacrificium Miſſæ non eſt ullo modo inſtitutum ad hunc finem, & utique rideretur à Theologis ille, qui curaret fieri tria, aut trecenta Sacra eâ intentione, ut poſſet ſive geſtando talem lapidem, ſive aliquid aliud, aut nihil, profligare, humique ſternere quatuor robuſtos viros. Si quilibet lapis fulmine tactus tribueret cuilibet id virium, permitterem ejus uſum.

998 XXII. Viri boni, *qui in die Palmarum circuit ter domum cum ramo palmarum, húncque ſervat tribus diebus extra domum, ratus, hoc medio muniri domum contra fulmen.*

Sic ſcribit idem, de quo in præcedente Caſu, in quo non improbo vel ternam circuitionem in honorem Sacroſanctæ Trinitatis, vel intentionem, ob quam ea facta eſt, ſiquidem in Miſſali, ubi agitur de benedictione palmarum, lego hæc verba Oremus &c. *ut in quemcunque locum introducti* (rami palmarum) *fuerint, tuam benedictionem habitatores illius loci conſequantur, & omni* NB. *adverſitate effugata dextra tua protegat &c.* Aſſervatio extra domum olet *Superſtitionem*, quia conditionem vanam, imò repugnantem uſui Eccleſiæ, benedicentis ideo, ut aſſerventur domi, ergo ſuperſedendum hac circumſtantia.

XXIII. *Aſſidentis convivio cum aliis duodecim convivis, & rati, quòd, ſicut ex tredecim celebrantibus ultimam in Bethania Cœnam, unus, videlicet Chriſtus Salvator, paulò pòſt mortuus fuit, ita etiam obiturus ſit eo Anno vel ipſe, vel unus ex iis.* 999

Sic teſtatur P. Tamburinus *in Decal. Lib. 2. cap. 6. §. 1. n. 36.* meritò adſcribens *n. 76.* hanc opinionem *Superſtitioſis*, & excuſans à mortali illum; qui levi duntaxat timore ductus, recuſat accedere convivium, cui interſunt non plures, non pauciores quàm duodecim, non excuſans, ſi ex certa credulitate omittat illum acceſſum.

XXIV. *Mulieris ſolitæ laborantibus febri ſchedam in remedium dare appendendam, in qua ſequentia ſcripta erant:* 1000

Ein magere Speiß iſt im Mertzen
ſelten feiſt:
Es weiſt der HErr JEſus Chriſt/
Wie diſes ein ſchlecht freſſen iſt.

Eſt hic primus è viginti ſeptem Superſtitioſis Caſibus; aut factis, quos Caſus ad me quidam Capellanus curatus, atque Theologiæ Doctor perſcripſit 31. Januarii hujus Anni 1672. aſſerens, ſe vel pleroſque habere ex iiſmet, qui etiam exercuerunt, vel coram adfuiſſe præſentem, quando exerceri debebant, vel interrogatum ſe fuiſſe, an permitti poſſent. Nonnullos ex his huc tranſferam, ubi reſpondero ad hunc primum inter eos, videlicet eſſe certo certiùs vel magicam curationem, vel promiſſionem fraudulentam; cùm enim hæc verba ſint profana, imò ridicula, ſtultum eſt tribuere iis vim ullam ſupernaturalem, naturali nil poſſe norunt Analphabeti.

XXV. Illius, *qui valde perplexus ob cauſam litigioſam, ſolet die Dominica Orationem S. Eraſmi cum certis quibuſdam ceremoniis dicere, ut ſuis tricis expediatur.* 1001

Si ceremoniæ illæ omnes ſunt conformes ritibus Eccleſiæ, nec credatur, eas, orationémque adjunctam nihil profuturas, niſi Religioſus ille actus die Dominica exerceatur, non eſt cur damnetur ille vir bonus, ſecus ſi interveniat alterutrum ex his duobus. An S. Eraſmi patrocinium plus quàm aliorum Divorum valeat ad expediendas lites, ignoro, fortè idcirco peculiariter invocatur in litigioſo negotio,

quòd

Digitized by Google

quòd compedes, quibus erat vinctus, & quaſi
intricatus in carcere, ſoluti fuerint inſtar li-
queſacti plumbi, & tunica ærea, qua candente
totus erat cinctus, nullum attulerit ipſi dolo-
rem. Surius ad ſecundum Junii,

1002 XXVI. Illorum, *qui tres virgas ſalicis du-
cunt, ſeu trahunt per os laborantis graveolentia
oris, deinde eaſdem ſuſpendunt in camino, ut iis
penitus areſactis deſinat illa graveolentia.*

Sed, oro, quæ cauſa hujus deſitionis? An il-
larum virgarum attactus, tractióve per os? Er-
go ſupervacanea erit earum areſactio. An ari-
ditas? At quid ſi ille putentis animæ vir, aut
fœmina diſtet tunc mille leucis? Et cur tres,
non autem duæ, vel quatuor virgæ trahendæ
per os, ſeu inter labia?

1003 XXVII. Aviæ, *quæ ſuam neptem, mihi no-
tiſſimam* (ſcribit ille D. Doctor) *ita docuit tolle-
re ſtrumam. Sturmoſus obverſus Lunæ creſcenti
debet ſtrumam apprehendere manu, ac dicere:*
Quod video, creſcat, & quod tango, detume-
ſcat.

Anilis eſt illa curatio, non nitens ullo pror-
ſus naturali, vel divino fundamento, quare ſi
conſequatur effectus, adſcribendus eſt malo
genio, qui cùm non ſoleat gratis operam cui-
quam locare, reperiet modum extorquendi
mercedem, ab ea, cui medicatus eſt, mercedem
autem centuplo duriorem, quàm exegiſſet ul-
lus Galeni diſcipulus.

1004 XXVIII. Alterius fœminæ, *mihi*, (ait idem)
*notæ, & apud nos degentis, quæ multos Annos
morbis colicis, & iis, qui ſunt mulierum proprii,
ſic medebatur. Flectebat genua coram ægrotan-
te, dicebat certam orationem hujus tenoris:*
Quàm verè Chriſtus paſſus eſt ſimilia, tam cer-
tò tibi auxilium feratur. *Poſtea dicebat quin-
quies Pater, & Ave, & ſanabantur omnes, ut
mihi referebat. At me diſſuadente ceſſavit hanc
artem exercere.*

1005 Meritò quidem deſtitit, quia verba, quibus
utebatur, potiùs oberant, ſuapte inſtitutione,
(cui tamen contrariam habebat pro vera illa
ſtulta mulier,) quàm proderant, etenim falſum
eſt id, quod ab illa Xantippe credi volebat
Alaſtor infernalis, ſcilicet, Chriſtum laboráſſe
ex Colica, ut nihil dicam de morbo muliebri,
ergo reipſa petebat illa muliercula, ut ſicut
Chriſtus Dominus non fuit obnoxius tali mor-
bo; ita non liberaretur Colica is, qui ab hac
infeſtabatur,

Cupio memoria retineri hunc Caſum, in
quo, cùm ſit manifeſtum, quàm nequiter im-
poſtor tartareus, conſtantérque miſceat rebus
ſacratiſſimis, ut eſt precatio Dominica, & ſalu-
tatio Angelica (in cujus cœlitus allatæ pervi-
gilio hæc ipſa ſcribo) apertè falſas, imò pro-
broſas Chriſto, blaſphemáſque, ſaltem loquen-
do de ſecunda, jure merito debent haberi o-
mnia illa, quæ ſacris miſcentur præter Eccleſiæ
uſum, pro valde ſuſpectis, nec adhiberi, niſi ex
conſilio unius, alteriúſve viri docti, & pii.

XXIX. XXX. & XXXI. Illarum puella- 1006
rum nubilium, *quarum una, ut nôſſet, quem fo-
ret nactura ſponſum, accepit ex more multarum
aliarum in Vigilia S. Andreæ aquam, ſalem, &
farinam æquali menſura ſingula, inde pinſuit pa-
nem, quem ſerò manducavit, & ante cubitum
in quatuor angulis domus oravit, ſperans ſe in
ſomno divinaturam, quem eſſet ſortitura mari-
tum. Altera itidem more aliarum eodem die tres
candelas æquales poſuit in tribus menſæ angulis,
aſſignans aliquam certam perſonam, quam deſi-
gnari voluit per illas candelas, accendit illas, co-
ram iis genuflexa oravit, ſperans obventurum il-
lum, cujus candela de menſa caderet omnium
poſtrema. Tertia ante paucas hebdomadas con-
feſſa mihi fuit, ſe, ni fallor, hoc Anno in prædicta
vigilia ante cubitum quinquies Pater, & Ave,
recitáſſe, (neſcio, an jejunaverit) cum intentio-
ne, ut ſibi de nocte appareret ille, qui futurus e-
rat ſuus ſponſus: De nocte apparuiſſe quemdam
juvenem, quem de ſui amore habebat ſuſpectum,
ſe verò territam fuiſſe, & crucem feciſſe, omnia
deinde diſparuiſſe: hæc vocant* Andreßlen / *ſive*
Loſen. Ita idem fidei integerrimæ Dominus.

Quæ omnia prodeunt ex officina, diſcipli-
náque Orci, ac proinde à Parochis graviter,
ſeveréque reprehendenda. Tolerabilior eſt
phantaſtica illarum mulierum perſuaſio, de
quibus hic Caſus

XXXII. *Quæ ſcilicet primum ovum, quod* 1007
*gallina quæpiam parit, cenſent eſſe dandum pau-
peri, eo fine, ut hæc, & aliæ gallinæ ſuæ ſint tutæ
ab accipitre.* Eſt, inquam, tolerabilior, attamen
vera ſuperſtitio, ſi ei fides adhibeatur, nec enim
Deus annexuit huic eleemoſynæ promiſſionem
tuendi reliquas gallinas. Et quidni faciliùs ex-
oraretur illa divina protectio, ſi loco ovi unius
darentur ſex ova, aut panis, butyrum, farina,
vel pecunia æquans pretio ſex, vel octo ova?

Et quia eſt de ovis mentio, nota *Superſtitio-
nis* damnari à Delrio, Sanchez, Tamburino, &
Leandro *Tract. 9. Diſp. 1. quæſt. 31.* contra non-
nullos, illos, qui arbitrantur, ova excluſa die
paraſceves pollere vi extinguendi ignem. At
quid pronuntiandum de hoc Caſu

XXXIII. *Cum mulier non procul à nobis* 1008
*ante aliquot Annos quinquies enixa proles mor-
tuas docta fuit, quando poſt proximum partum
acceſſura eſſet Eccleſiam, & de more petitura be-
nedictionem, rogaret perſonas, quæ primæ futuræ
erant obviæ, ut vellent eſſe patrini primæ ſobolis,
quam eſſe à ſe vivam edendam ſperabat. Prima
fuit obvia facta ſoror R. D. Georgii N. Secundò
hic ipſe Dominus Parochus Georgius. Hos ergo ha-
buit patrinos ſua prolis, quam poſt aliquot men-
ſes feliciter peperit vivam.*

Si quid aliud fuiſſet adhibitum, non præ- 1009
teriiſſet ſilentio ille hujus Alphabeti locuple-
tator. Rogatio illa nihil mali continet, ſecutus
eandem rogationem effectus, fuit ſuper au-
rum, & topazion æſtimandus: fuiſſe obtentum
ſine cooperatione, planè ſingulari, Domini Dei,

Digitized by Google

vel pacti taciti cum Dæmone fortè nullus medicinæ Doctor credet, ſi memor, lecta eſſe à ſe multa exempla mulierum, quæ edidêre aliquot proles mortuas, at non memor (eſto alii quidam ſint memores) quòd ulla earum, quæ jam quinas pepererat exanimes, luci dederit unam, aut plures vivas. Malim ego dicere, quòd Deus reſpexerit & mœrorem, quem illi Catholicæ mulieri attulit æternus interitus tot liberorum, & preces fuſas eo fine, ut ſaltem unam poſſet cœlo gignere. Gens illa, unde mihi ſcripta, quæ narro, eſt perquam pia. Et quid ſi expreſſè cogitavit, etiamſi occurrerent ſibi duo mendici, ſe tamen pudorem ſecuturum ex vilitate talium patrinorum, poſtpoſituram ſaluti æternæ ſui futuri fœtus? Hic actus heroicus, ſingulariter; ſi ea mulier fuit conjux ex honeſtioribus, potuit promereri de congruo illam Cœleſtem benedictionem: malim ſanè hanc actionem permittere, quàm illam, de qua in Caſu perſimili, illi, quem retuli ſuprà *Caſ. 22 n. 893.*

1010 XXXIV. *Solitorum ſub elevatione ſacra hoſtia recitare Pater, & Ave, contra dolorem dentium, aut ſub eadem, ut vidi ipſe ſæpiſſimè in noſtra Helvetia, 1 aliáque ambabus manibus faciem perfricare, ita ut oculos, & aures contingant, ad fugandos dolores ſenſuum, eóſque præſervandos à quibuſlibet malis.*

Recitatio illa, ſi careat firma credulitate, ſed habeat ſolùm adjunctam ſpem aliquam obtinendi immunitatem à dolore dentium, tolerari poteſt, non item illa perfricatio facta in eum finem; cùm enim ſit actio per ſe profana, & adiaphora, quis niſi demens adſcribat illi talem effectum, etiam ſæpe miraculoſum? Adde, quòd detur occaſio (quam Dæmon intendit) cogitandi non tam de illo, qui elevatur, quàm de præſervatione ab hoc, & illo malo: quæ præſervatio, ſi non ſequatur, minuitur reverentia in velatum ſpeciebus panis. Cæterùm quod ſcribit ſe vidiſſe ille Vir Clariſſimus, vidi & ego non ſemel.

1011 XXXV. *Divinantium fore ut brevi diſſolvatur Matrimonium aliquod morte alterutrius conjugis, quando contingit, ut duo Sacerdotes celebrantes, ſimul elevent ſacram hoſtiam.*

Teſtatur idem, qui ſuprà, adhuc apud multos hanc, ut rectè vocat, vanam obſervantiam vigere, quæ deterior evadet, ſi efficiat apud unum, aut plures timorem, ac ſolicitudinem, ne ipſos tangat objectum illius vani prognoſtici. Olim Ingolſtadii cùm vix eſſem Sacerdotio initiatus, fuit mihi, aliiſque unà Neomyſtis data hæc doctrina moralis, & ſalutaris, ut quando commodè fieri poſſet, non exiremus è Sacriſtia duo, tréſve ſimul, ſed interjecto aliquali temporis ſpatio, ne concurreremus in elevatione, daremúſque adgeniculantibus occaſionem formandi varias ineptas cogitationes, ſingulariter dum unus alterum jam prævertit, jam ſequitur. Ego hunc concurſum caverem ea etiam de cauſa, ne impedirem multiplicationem adorationis, quæ multiplicatio fit, quando unus poſt alterum oſtentat piæ plebi Deum ſuum.

XXXVI. *Norinbergenſis civis, qui ſtrumam, ſicut alii permulti, depellebat ducendo filum per oculum utrumque muris, atque ea ligando circa collum ſtrumoſi, ita ut illo filo putrefacto emigraret ſtruma. Narravit id puella Norinbergenſis converſa ad fidem Orthodoxam, aſſerens, eſſe id apud multos in more.* 1012

Si & illi, & quilibet alius Acatholicus, & Catholicus poteſt ita ſanare ſtrumam, negabo intervenire magiam, aliámve ſuperſtitionem, ſed pluris faciam mures, quam hactenus fecerim, utpote quorum cadavera ſint ita ſalutifera. Si ſolùm pauculi, induam aliam mentem. Sanè ſuſpecta viris ſapientioribus eſt conditio de putrefactione.

XXXVII. *Puella mihi fideliter ante duos menſes narrantis, ſe abhinc aliquot Annis, ut juvenem quempiam alliceret ad ſui amorem impurum, ſuppoſuiſſe trifolium mappis altaris, & poſt trinam ſuper eo factam celebrationem, illud involuiſſe diſſimulanter veſtibus dicti Juvenis, qui mox cœperit ardere in ipſam amore inhoneſto, at poſt ſatiata impura deſideria evanuiſſe omnem amorem.* 1013

Nequitia Stygii veteratoris ita hic ſe ſe ipſa prodit, ut non relinquat locum conjecturis. Memoro autem idcirco, ut, quoniam legi multa acherontica facta per res mappis altarium (relege Caſum 21, relatum ſuprà *num. 997*) ſubſtratas, Parochi, atque æditui arceant, quantùm poſſunt, profanas manus à contactu altaris, quando nemo adeſt, qui videat, quid agant. Lubet omiſſis brevitatis cauſa aliis ab illo perquam officioſo Doctore ſubminiſtratis claudere hanc Sectionem. I. Uno Caſu Principali II. Duobus ridiculis, uno ſtulto, & denique quæſtione curioſa. Sit ergo

XXXVIII. Caſus Principalis, *illius, inquam Magni Principis, à ſingulari dexteritate ſimul & celeritate equitandi celebratiſſimi, qui ſcilicet equum aſcendit nunquam niſi munitum, aut munitus S. Georgii, ut vocant, Thalero, Nummo, inquam, argenteo, æquivalente uni Philippeo, quem benedictum vel geſtat ſecum, vel habet inſutum ephippio. Non contentus eo antidoto pronuntiat illa verba Joannis 19. Os non comminuetis ex eo. An ſubeſt hic aliquid Superſtitionis? Maximè cùm ille Princeps habeat ſibi perſuaſum, fore ut vel non cadat ex equo, licèt velociſſimè currente, vel ſi cadat, lapſui ſit innoxius futurus.* 1014

Reſpondeo, geſtationem talis nummi in finem indicatum non poſſe damnari ullius *Superſtitionis.* 1. Quia nummus ille eſt & benedictus à Sacerdote, & inſignitus effigie hujus Sancti Megalo-Martyris, ut vocant Græci, ſeu Sancti Equitis, ut communiter Germani. 2. Quia plurimi Præſules ſæculares, & Religioſi

gioſi etiam geſtant ea ratione, & intentione.
3. Quia idem nobiliſſimus Chriſti pugil non raro fuit viſus in aëre inſidens equo, atque pugnans contra hoſtes illorum, qui ipſum invocaverant, ſicuti videre eſt apud Scriptorem, cujus cenſor eum meritò appellat *Totius Literaturæ arcam*; Patrem, inquam, Theophilum Raynaudum, in eruditione refertiſſimo tractatu de hoc glorioſiſſimo Martyre. Et verò quòd ille Sereniſſimus Princeps ponat certam ſpem in hujus etiam Turcis ipſis eximiè honorati (ut legere eſt etiam in Itinere Jeroſolymitano P. Ignatii Reinfeld, Capucini) Equitis Patrocinio adverſus lapſum valde noxium; facit Experientia frequentior, quàm quis de tanto Principe facilè credat. Et quia notiſſima ejuſdem Principis pietas non permittit dubitare, quin illa ſacra verba proferat cum intentione, ut ſicuti Pater Cœleſtis non permiſit ullum os confringi in filio, ita dignetur impedire, ne ullus lapſus adferat ſibi ullam ullius oſſis aut fractionem, aut luxationem ex ullo lapſu, eam ob rem eſt ea uſurpatio divinæ illius ſententiæ, expers omnis *Superſtitionis*, vel abuſus, niſi forte (quod non credo) conjiceret ſeſe temere, & ſine ulla neceſſitate, in evidens periculum lapſûs.

1015 XXXIX. *Caſus illius, qui, cùm ego* (ſcribit idem, qui ſuprà Doctor) *vellem utpote Paroechus, unam admodum deformem januam Eccleſiæ lapidibus complere, atque muro hanc æquare, interceſſit nonnemo, negans id fieri poſſe congruè, eò quòd per illam januam animæ ſuorum parentum, & majorum tranſierint, non ergo expedire; ut illis bonis animabus præcludatur illac tranſitus, & cogantur cum ſuo aliquo incommodo per ambages ad ſuum locum tendere.*

Ut fuit albæ mentis vir ille, ita & albæ, vel potiùs fuligine tartarea obſitæ illæ duæ
1016 XL. & XLI. Caſibus exhibitæ vetulæ, quarum una pellendis febribus utebatur hiſce frigidis Rhythmis, quos & dabat ſcriptos.

Ein Zettel für das Fieber.

O mein liebe Alte /
Nimb das für das Kalte /
Hilffts dir nit / ſo ſchadts dir nit /
Schlieff in Beltz / ſo frierts dich nit /
Das iſt gut für das Kalte.

Altera blaſphema, quia falſa, & Deo indigna exprimentibus.

Für den Wurm am Finger.

Gott der Vatter fahrt gen Acker /
Er ackert gar wacker /
Er ackert drey Würm auß /
Einer war weiß / der ander ſchwartz /
Der dritte roth /
Hie ligen alle Würm todt.
Im Nahmen Gott deß Vatters / ꝛc.

Quæſtio Curioſa eſt hæc Judicialis.

HAbet judex in vinculis duos, quorum 1017
alteruter certò patravit crimen notorium, mortéque mulctandum, at ignoratur, uter eorum id patrârit, nullo prorſus indicio, præjudicio, præſumptionéve magis unum gravante, quàm alterum, eſt tamen unus utcunque deformis, alter honeſtâ undécunque formâ. Igitur deformem ſubjicit primo loco torturæ, ſubjecturus & alterum, ſi ex deformi nequeat exprimere Confeſſionem delicti. Eſtne talis judex damnandus de Superſtitione, *quòd ex illa phyſiognomia accipiat rationem ità procedendi? Et quid ſi uterque foret liberalis formæ, at uni eſſet nomen* Ioannes, *aut cognomen* Agnellus: *alteri* Judas, Latronianus, *aut* Lupus?

Ad hanc ſecundam quæſtionem quod ſpectat, ſatis, ut reor, probavi in Experientiis *Tr. 2. Caſ. 12. num. 343.* illos Juriſtas eſſe *Superſtitionis* reos, qui ex pulchritudine, vel turpitudine nominis tracti à majoribus tametſi probis, vel impoſiti in baptiſmo, conjiciunt, aliquem eſſe animi probi, aut improbi.

Ad primam quod attinet, Andreas Tiraquellus ille infinitæ lectionis Jureconſultus *in Leg. 2. Connub. num. 54. & ſeqq.* omni genere teſtimoniorum probat veritatem horum pronuntiatorum: *Species corporis ſimulachrum eſt mentis, figuráque probitatis.* Ambroſ. Lib. 2. De Virginib. *In pulchro pulchra reſidet anima.* Cynus *in Leg. 1. ff. De juriſd. omn. judic. Rarenter in corpore deformi nobilis, formoſúſque animus reſidet.* Abb. *in cap. Quæ diverſitatem.* De conceſſ. præb. *Cujus facies deformis, vix poteſt habere bonos mores.* Rhaſis inter medicos magni nominis. *Lib. Ad Almanſorem* cap 33. *Incompoſitio corporis inæqualitatem indicat mentis.* S. Auguſtin. relatus *in diſt. 45. cap. ult.* Judicium Tiraquelli ſequitur Menoc. *De arbitr. judicum, Caſ. 226. n. 5.* ubi ſic pronuntiat: *Fieri non poteſt, ut qui omnino deformis eſt, bonus ſit.*

Quare teſtatur Leander *Tr. 9. Diſp. 3. quæſt.* 1018
106. eſſe hanc apud judices praxin, ut quando plures ſunt torturæ ſubjiciendi, incipiant ab eo, qui deformior eſt; tanquam magis ſuſpecto de crimine, citátque hanc in rem Baldum *in Leg. 2. Cod. Quorum appellat. non recip. n. 5.* Marſilium, Hippolytum, & Torreblancam. Nec audeo integrè diſſentire ab his Doctoribus; ſi inprimis agatur de deformitate magna, eáque naturali, ſeu ab ortu, non de orta ex morbo, vulnere &c. Si deinde ſint illi duo, quorum alteruter commiſit ſcelus, ſimiles in iis, ex quibus ſumuntur præſumptiones de moribus, non autem diſſimiles, ut ſunt; quando deformis gaudet fama virtutis, & integrita-

gritatis: alter laborat aliqua infamia; iſte educatus inter malos: primus cum bonis, & probis; primus dives: alter pauper, in caſu, quo agitur de furto. Præſumptiones, in quibus fundantur hæc tria exempla, notæ ſunt omnibus juris peritis, & fortiores deſumptis ex ſola deformitate, atqui debilior præſumptio cedit fortiori. *Leg. Quinctius. ff. De donat. inter virum & mulierem.*

Cæterùm non cenſeo, ab ullo Theologo excuſatum iri eum, qui ſolùm ſuſpicaretur (nedum ſi judicaret) ex ſola deformitate corporis, hunc aut illum eſſe inquinatum hoc aut illo vitio, non tamen damno illos, qui vetularum admodum deformium ſimul & vilium contactum vitant, quoad ſine earum probro, vel alio incommodo poteſt fieri, metuentes, ne fortè quidpiam mali affricetur ſibi ab ipſis, poteſt enim hic metus, & cautela eſſe ſine prava ſuſpicione, at cenſura Menochii eſt ſine dubio falſa, ſi intelligatur ut jacet, cùm ſingula ſæcula tulerint aliquos corpore deformes, animo formoſos. Sicut & uſus eſt hyperbole Tertullianus, cùm *in Lib. De Reſurrect. carnis. cap. 15.* ſcripſit: *Facies intentionum omnium ſpeculum eſt.*

Appendicula ad præcedentes Superſtitiones.

1019 Erant jam deſcripta omnia, quæ congeſſi de Superſtitionibus, cùm devenerunt in meas manus literæ ex extrema Suecia, ipſa Lithuania, atque aliunde, exhibentes ad meam inſtantiam ultra octoginta Superſtitiones, & quidem pleraſque diſtinctas ab enumeratis toto Caſ. XXII. & XXIII. Viſus mihi ſum non luſurus operam, ſi nonnullas ex iis huc referrem, atque meum de iis judicium proferrem.

1020 *Reperiuntur adhuc, ſcribit Lithuanus Pater Vilnâ, in pagis, & Eccleſiis remotioribus nonnulli ita rudes ruſtici, ut adhuc pagano more alant ſerpentes domeſticos, pro illis ſub menſa cibum deponendo, cùm ipſi prandent aut cœnant. Sic enim perſuaſi ſunt, ſerpentium ejuſmodi aſſervatione rem familiarem optimè cedere.*

Si Præſides Eccleſiarum habent compertam hanc ſuperſtitionem, & non adhibent media neceſſaria illi emendandæ, faciunt ſe participes alieni, ejúſque gravis peccati, & ideo gravis, quòd & periculum ſit, ne aut illis beſtiis deferatur aliqua reverentia, aut ex caſuali compreſſione irritatæ mordeant, venenúmque inſpirent. Adde quod certum ſit, earum aſſervationi nullam eſſe à Deo promiſſam remunerationem.

1021 *Nec ſunt excuſandi illi patreſſamilias, qui in eodem Magno Ducatu collectis frugibus occidunt gallum gallinaceum, de quo non licet famulis, aut operariis diurnis, ſed ſoli patrifamilias, uxori, ac liberis edere, idque in gratiarum actionem, quòd fuerint eo Anno præſervati ab igne.*

1022 Gratiarum actio eſt quidem per ſe res ſancta, ſed cum hiſce circumſtantiis, utpote nihil prorſus facientibus ad Dei cultum, eſt Superſtitioſa per doctrinam traditam ſuprà *n.897.* Sicut nec facit mactatio arietis facta ea intentione ut obtineatur fortunata conſervatio pecudum, quemadmodum memorant eædem literæ. Sanè hæc actio ſapit priſcum gentiliſmum, adeóque morem beſtias immolandi Jovi, aliiſque Diis.

Magiam autem, & Diabolicam cooperationem conſanatio variorum morborum, quam Lithuana mulier conferebat herbis, quas unà cum rore illis inſidente collegerat in feſto S. Joannis Baptiſtæ ante ſolis ortum. Tametſi enim poſſunt eæ herbæ eſſe efficaciores, quàm collectæ poſt ſolis ortum, attamen eſſe aptas pellendis variis morbis non credent Medici, ergo Theologi applicabunt huc Regulam quintam traditam *num.933.* Retuli autem ſuprà *n. 953.* ex Leandro, ſi illis herbis ita jungatur oratio, ut putetur hæc non exaudienda, niſi fundatur antequam dici poſſit: *Jam lucis orto ſidere*, hoc ipſo admitti *Superſtitionem.* 1023

Corrigendi & illi 1. Qui die ſumptæ Sacræ Euchariſtiæ abſtinent à lacte edendo, interim litantes liberaliter genio ex aliis cibis, ſi quos habeant. 2. Quæ nuptæ vel innuptæ non audent incedere ſine Zonis, ne ſubjiciantur poteſtati Dæmonis, utpote quæ ſint inſtar vaſis non ligati. 3. Qui, aut quæ in feſto Aſcenſionis Domini abſtinent omni cibo, donec Chriſti ſtatua ſit de more plurimarum Germaniæ Diœceſeon ſublata in ſublime, & quaſi in cœlum, obeúntque illam abſtinentiam, ut vel febri liberentur, vel ab ea præſerventur. 4. Qui dum 1024
audiunt cœlum mugire tonitruis, ſternunt ſe humi, atque hinc inde ſe volvunt, ac revolvunt, rati hac volutatione averruncandum dolorem tergoris. 5. Qui os infantuli tunc ovo inungit, quando prima vice eſt delatus in aliquam domum, & ideo inungit, ut tantò citiùs denteſcat. 6. Qui laborans catharrho, vel alia diſtillatione, deponit humi nummum involutum panno, ea intentione, ut in eum, qui nummum ſuſtulerit, immigret diſtillatio. 7. Qui volens ſiſtere ſanguinem è naribus manantem, imponit unam cruculam pectori, alteram cervici, tertiam tergo. 8. Qui accipiunt aquam benedictam libentiùs ex aliena, quàm propria parochia, rati illam eſſe hac efficaciorem. 1025

Nam Primi volunt Deum colere delectu ciborum, non placente Deo in tali circumſtantia. Secundi trepidant timore, ubi non eſt timor, & eis propriè convenit etymologia *Superſtitionis*, relata *Caſu XXII. num. 896.* Tertii nullam poſſunt exhibere promiſſionem, quòd Deus ſit eos præſervaturus, aut curaturus à febri propter illam tam longam à cibo abſtinentiam. Adde quòd ſeligere feſtum ſolenne ad jejunandum ſapiat *Superſtitionem*, ſuprà *numero 953.* Quarti merentur, ut ipſorum ſtoliditas, vel ſimplicitas plectatur divini- 1026

vini-

vinitus illo ipſo dolore, ob quem evitandum
imitantur laſcivientes equos tergore terram
1027 fricantes. Quintus ineptè tribuit plus primo
ingreſſui, quàm ſecundo. Si igitur illa unctio
valet aliquid ad maturiorem dentium protube-
rationem, valebit etiam ſecundus ingreſſus.
Eſt autem mihi veroſimile, unctionem illam eſ-
ſe prorſus inefficacem, alioquin eſſet nota do-
ctis, & indoctis. Sextus invocat implicitè o-
peram Dæmonis ad inferendum illud malum,
eſt enim certum, quòd illa ſublatio nummi è
terra non fit ex ſe aut expulſiva, aut cauſativa
catarrhi, ergo ſi eam ſequatur ejus immigra-
tio in alium, cauſabitur hæc per illam, tan-
quam merum ſignum, adeóque non phyſicè, ſed
moraliter per malum genium.

1028 Dignus eſt ille Septimus mala cruce, ſi repre-
henſus à Confeſſario, vel parocho adhibet di-
cto modo illas tres cruces, ſeu cruculas: tum
quia ſine fundamento ſupponitur eſſe à Deo in-
ditam cruculis talem energiam: tum quia di-
verſitas illarum trium partium nihil confert
ad effectum. Igitur eſt huc applicanda Regula
allata *num. 928. & 929.* Denique ſi eam geſta-
tionem non ſequatur optatus eventus, incipit
vel minui veneratio crucis, vel conjici ſuſpicio
in aliquam, aut aliquem, veluti maleficio im-
pedientem effectum. Poſtremi peccant, quia
& ſine fundamento plus tribuunt aquæ unius
Eccleſiæ, quàm alterius, & dant ſuis parochis
occaſionem offenſionis, fortè etiam ſuſpican-
di, haberi de ſe ſiniſtram aliquam opinionem.
Et ſic ſatiſfactum octo Caſibus, quos inter plu-
res alios conſcripſerat in meam gratiam præci-
puæ cujuſdam Eccleſiæ D. Parochus.

1029 9. Nihilo magis excuſandi illi, qui, ut nar-
rant literæ Suecicæ, *perempto gallo gallinaceo
criſtam abſcindunt, eáque os infantuli fricant,
quò citiùs lallare, loquique poſſit.* Nec enim cri-
ſta galli pollet ea vi ſuapte natura, nec Deus
utitur ea tanquam inſtrumento, utitur ergo
Dæmon per Regulam quintam ſuperiùs *n. 933.*
poſitam. Vel 10. Dat infantulo edendum um-
bilicum, eo fine, ut evadat in virum doctum,
multarúmque capacem ſcientiarum, talem e-
nim damnat etiam noſtra quinta Regula. Vel
11. *Ligneam ſtatuam alicujus Sancti poſitam in
Eccleſia idcirco vertit, ut maritus, qui aufugit,
mox revertatur.* Certè ille Sanctus non flectetur
ea ratione ad reducendum directè, vel indire-
ctè maritum. Ergo Dæmon injiciet mentem re-
deundi.

1030 Vel 12. Ille auriga, *qui, quando in horreum
invehit primum currum mergitibus onuſtum, ut
tam id, quod tunc vehit, quàm quod poſtea inve-
cturus eſt, evadat dentes murium, gliriúmque
dicit:*

Da führe ich ein das täglich Brodt/
Ratzen und Mäuſſen den bitteren Todt.

Profectò, qui arbitratur hiſce verbis ineſſe
vim abigendi, vel compeſcendi glires, mures-
ve, non ſapit plus, quàm quilibet mus, ſape-
ret autem ut Chriſtianus, ſi animo Chriſtiano
diceret: *A fulgure, & tempeſtate, & ab omni
malo libera meum horreum, meáque omnia Do-
mine.* Quam monitiunculam dirigo etiam ad
illos, qui 13. in Nocte Nativitatis Domini ſub
primum campanæ pulſum currunt ad omnes
angulos domûs, dicúntque hæc verba:

Ratzen und Mäuß ganget hinauß/
HErr JEſus iſt in meinem Hauß.

Circumſtantia illius noctis: pulſûs, & cur- 1031
ſûs ad omnes angulos ſunt vanæ, tacita invoca-
tio Chriſti Infantis eſt quidem ſancta, ſed reve-
ra hîc fit contrarium quid communi doctrinæ,
quòd ſcilicet Sacrum trahat ad ſe non Sacrum.
*Cap. Quod in dubiis. De conſecrat. Eccleſ. vel al-
taris.* & ibi *Gloſſa* & dignius minùs dignum *Leg.
Quæ Religioſis. ff. De rei vindicat.* Contrarium,
inquam, communi huic doctrinæ evenit in pro-
poſito Caſu, etenim vanæ illæ circumſtantiæ,
quarum videtur haberi major ratio, quàm piæ,
& Religioſæ invocationis, deſtruunt vim hujus
Sacræ nominationis.

Licèt autem fortè nonnemini videri queat,
eſſe quaſi ridicula precatio, qua hic aut ille
rogat piè, Religioſéque Deum, ut arceat à ſua
domo omnes glires, & mures, ego tamen judi-
co, eſſe abſolutè immunem omni per ſe nævo,
ut ſic loquar, quod enim licitè, honeſtéque
petimus à Deo implicitè, poſſumus ſapienter
petere etiam explicitè, quando autem genera-
tim ſupplicamus Deo, ut nos liberet ab omni-
bus malis internis, externíſque, oramus impli-
citè ut ab illis, aliíſque noxiis, moleſtíſve be-
ſtiolis, ut ſunt non modò mures, ſed pulices
&c.

Illi quoque ſunt decimo quarto ridendi, qui 1032
*verrucas, quibus notata eſt facies, manus, aliá-
ve pars corporis, numerant, numerant & tot
piſa, quot habent verrucas, mittúntque hæc in
Clibanum, at mox aufugiunt, ne audiant crepi-
tum, quem correpta igne edunt piſa, ſi enim non
audiant, ſeu crepitum, ſeu ſtrepitum, arbitran-
tur fore ſe liberos verrucis.*

E diverſo credunt ſapientes, delirare hujuſ- 1033
modi ridiculos homines, cùm neque exuſtio
piſorum agat quidquam phyſicè in verrucas,
neque ſi ageret, oporteret aufugere, ſed poti-
ùs illic permanere, ut calor, aut ſpiritus piſo-
rum, quibus adſcribenda eſt illa conſanatio, ſi
negetur cacodæmonis operatio, tanto certiùs
pervenirent ad partes malè affectas. Si igitur
eſt aliquando conſecuta (ſicuti ſuppono, petii
enim ab iis omnibus, qui ſubmiſêre mihi Cata-
logum Superſtitionum, ut mitterent uſitatas
illic locorum) depulſio verrucarum, habendus
eſt quidem Cacodæmon pro medico, aut Chi-
rurgo, at abſque gratiarum actione, imò cum
deteſtatione ipſius.

Et quis 15. excuſet illos, qui Infantem pedibus 1034
*captum collocant in maſſa, ſeu paſta coquenda in
panem, quem panem poſtmodum donent pauperi
uni, vel pluribus, ut poſt hanc ſtipem poſſit in-*

fans ingredi, ac proinde ponere firma veſtigia?

Certum enim eſt primò, Eleëmoſynam illam, quæ utique à talibus habetur pro conditione *ſine qua non*, haud requiri ex parte Numinis. Certum eſt etiam ſecundò, quòd collocatio in paſta ſi tribuit naturaliter facultatem gradiendi, poſſit hanc tribuere ſine reſpectu ſeu ad panis futuram coctionem, ſeu ad hujus elargitionem in pauperes, ergo ſive mox rectè incedant illi infantes, ſive non, confitebitur autor hujus actionis, ſe exercuiſſe opus magicum, & proinde habuiſſe cum cacodæmone pactum implicitum, per dicta ſuperiùs *n. 929. 933. & 936.*

Adhortatio ad Parochos.

1035 T*Am multiplices experientiæ, quas produxi mixtas ex rebus ſacris, & profanis, imò ridiculis, imò impiis, ac proinde redundantes in contemptum, ludibrium, ſummam injuriam ipſiuſmet Domini Dei, & Salvatoris noſtri* JESU, *meritò excitabunt omnes animarum Curatores, ut inprimis conſervent in viva memoria illas Regulas, quas non ex me, ſed ex ſapientiſſimis, uſu peritiſſimis viris ſtatui ſuprà* num. 928. 929. & 933. *atque procedant cum ſuis ſeu ovibus, ſeu hircis ſecundùm illas, quamdiu nihil in contrarium evidenter apparuerit.*

1036 Deinde concepto novo, eóque flagrantiſſimo odio in Cacodæmonem, inventorem, fabrúmque harum præſtigiarum, & ideo inventorem, ut ſaltem occultè, & implicitè, ſi non explicitè, & formaliter deferatur ſibi honor, ſoli Deo debitus, exclament cum Archiſtratego Cœleſti Michaële, *Quis ut Deus?* Cum eodem corripiant arma: Dent Cœlitibus occaſionem, causámque cum immortali plauſu, & applauſu dicendi: *Prælium magnum fit in terra: Hic, & ille Epiſcopus, hi, atque illi Angeli ejus parochi, præliantur cum dracone, & draco pugnat, & Angeli ejus, & hi non prævalebunt, neque locus invenietur eorum ampliùs in hac, aut illa olim ſuperſtitionibus inquinata Terra.* Amen.

SECTIO II.

De Pœnis, & emendatione Superſtitioſorum.

Caſus occæcati.

SUMMARIUM.

Caſus Subulci tribuentis Schedulæ, cui nomen S. Blaſii inſcriptum erat, nimiam virtutem. 1037. & ſeqq.

Prima *& graviſſima pœna, qua Deus ſuperſtitioſos punit, eſt occæcatio, induratio, ſubtractio gratiæ, lapſus in magiam. 1039.*

Secunda *eſt mors corporalis. 1040.*

Tertia *eſt interitus integrarum gentium. 1041.*

Quarta *ſunt pœnæ decretæ in Jure Canonico. 1042.*

Quinta *ſunt pœnæ ſtatutæ in Codice Juſtinianeo. 1043.*

Sexta *ſunt pœnæ ſtatutæ in Jure Bavarico, exprimente multas ſuperſtitiones in ſpecie, quæ referuntur. 1044. & ſeqq.*

His additur pœna arbitraria, qua Jureconſulti plectendos ſentiunt eos, qui alios citant ad Dei tribunal. 1047.

Ad quod forum ſpectet Crimen Superſtitionis? 1048.

Quid intelligant ſacri Canones nomine Maleficii. Ibid.

Excitantur Judices utriuſque fori ad puniendum hoc ſcelus. 1049. & ſeqq.

Z*Oticus ſubulcus habebat in baculo ſuo paſtorali ſchedulam nomine D. Blaſii inſcriptam, cujus baculi potentia porcos ſuos ab omni luporum vi tutos credebat, ac tantum ſchedulæ tribuebat, ut etiam porcos in agro ſolos paſcendos abigeret. Tamen contingente quodam tempore, cùm paſtor gregi deeſſet, & quidam prætериens Dæmonem cuſtodire vidiſſet, illique dixiſſet: Quid hic cuſtodiret, qui hominum perſecutor foret peſſimus? Reſpondit:* Porcos cuſtodio. *Retulit alter:* Cujus juſſu? *Dæmon inquit:* Stultæ paſtoris confidentiæ. *Nam ſchedulam quandam ſuo bacillo incluſit, cui divinam adſcribit virtutem, vel inde, quòd S. Blaſii nomine eſt inſcripta, & eam porcos ſuos à luporum injuria defendere, contra legem ſuam credit, mihi falſa ſuſpicione inhærens: ubi per me fuiſſet vocatus, & denuo vocatus, & non comparuiſſet; me S. Blaſii vice huc cuſtodiendum contuli,* ut enim ſemper libens, Dei, & SS. vices gero, ita & nunc libentiſſimè pro ſuo S. Blaſio illi porcos cuſtodio, ut ſtultum hominem in ſua vana confidentia extollam, ac roborem, ac eò perducam, ut talem ſchedulam pluris *NB.* quàm Deum faciat. 1037

Repræſento ex Delrio *Diſq. mag. Lib. 5. Sect. 1. q. 1.* verba Abbatis Spanhemenſis unà cum gloſſa itidem Delrii, ſic loquentis: *Non ſimplex ſanè hic paſtoris error fuiſſe deprehenditur, non quòd S. Blaſii devotus eſſet cultor, & ei ſe, ſuáque commendaret, verùm quia fiduciam in ſchedula collocabat, & quia ſchedulæ divinitatis aliquid tribuebat, & quia Deum tentabat, relictis ſuibus in ſchedulæ tutela, non etiam Sanctorum auxilium impetrandum ſibi, ſed nudo nomine ſchedulæ inſcripto opinabatur.* 1038

Ita

Ita Delrius, ita & ego, hoc unum addens, graviſſimam pœnam, qua Deus plectit deditos ſuperſtitionibus, eſſe occæcationem, qua fit, ut ea ſuſcipiant, & auſint, quæ ipſius verbi divini ſanctionibus, omnium Theologorum ſcitis, judicióque adverſantur, atque ita occæcati, nulla criminum pœnitudine purgati, denique fiant Cacodæmonis contubernales perpetui. Sit igitur

1039 I. Pœna, qua Deus animadvertit in ſuperſtitioſos, ſcilſcet occæcatio, induratio, & generatim ſubtractio gratiæ, & providentiæ divinæ ſingularis &c. & inde certò, etſi non neceſſariò, conſequens lapſus in ſcelera deteſtanda, nunquam priùs cogitata. Ipſam veram magiam, adeóque negationem Dei, ſuimet traditionem in Dæmonis ceu Domini jus, & imperium, profectam eſſe ex minutioribus ſuperſtitionibus probare poſſem multis millibus exemplorum, ſi & literis conſignata eſſent, quæ ad hanc materiam facientia faſſi ſunt venefici, & veneficæ, ſeu ſtriges, lamiæve, & ego ea penes me haberem.

1040 II. Pœna eſt ea, quam Deus ipſe Lege ſanxit Exodi 22. *Maleficos non patieris vivere*, per maleficos intelligens omnes habentes pactum (etiam tacitum) cum Dæmone, Suarez. *De Relig. Tom. 1. Tract. 9. lib. 2. cap. 19.*

1041 III. Pœna eſt ejuſdem Domini Dei, indicata Deuteron. *Cap. 18.* teſtantis, & denuntiantis, fore ut illæ gentes, quas poſtea Joſue delevit in Palæſtina, aliiſque locis, deleantur propter ſuperſtitiones expreſſas *verſ. 10.* & *11.* quas inter ſunt obſervatores ſomniorum; augures, qui variolos conſulunt.

1042 IV. Eſt multiplex decreta in ſacris Canonibus apud Gratianum. Cauſa. *26.* tota. de quibus vide Suarez *cit. Cap. 19.* latè diſſerentem, & Silveſtrum *verb.* Superſtitio *q. ult. ad finem.*

1043 V. Eſt etiam multiplex ſtatuta in Codice Juſtiniani *Lib. 9. Tit. 18. De malef.* & *mathem.* ubi inter cæteras Leges extat hæc V. Conſtantii, & Juliani Impp. *Augurum, & vatum prava Confeſſio conticeſcat &c. Sileat perpetuò omnibus divinandi curioſitas. Etenim ſupplicio capitis ferietur gladio ultore proſtratus, quicunque juſſis noſtris obſequium denegaverit*, id eſt, non paruerit huic Legi.

1044 VI. In Jure Bavarico Titul. Landtgebott wider die Aberglauben / id eſt: *Provinciale mandatum contra ſuperſtitiones*, ultra maleficia, quibus quis uſus eſt in damnum alterius, ultra etiam expreſſam Dei abjurationem; & obedientiam Diabolo promiſſam; pœnáſque jure communi ſtatutas in tales, in eóque Provinciali mandató confirmatas, exprimuntur multæ ex iis ſuperſtitionibus, quæ involvunt duntaxat tacitum cum Dæmone pactum, & nominatim

1045 1. *Omnes Benedictiones, ad quas contra Eccleſiæ Catholicæ morem, & approbationem adhibentur certa verba, rhythmi, & ceremoniæ, perinde ac ſi abſque iis non eſſet ſecuturus effectus.* 2. *Qui quaſi profeſſionem faciunt benedicendi homines, beſtias, tempeſtates, habentur illic pro ſuſpectis de veneficio, & ſi ſint pertinaces, eſt cum iis procedendum ſicut cum ſuſpectis de veneficio, quemadmodum & illi, qui dant res geſtandas ſine approbatione Eccleſiæ.* 3. *Qui faciunt invulnerabiles, aut geſtant in hunc finem ſecundinas, aut infigunt lardo clavum, gladium, aliud, quo ſunt ſauciati.* 4. *Chirurgus, balneator, alii, qui equis mittunt aliquas guttas ſanguinis, & pro vertigine curanda abdunt in arbore, claudúntque.* 5. *Utens certis characteribus ad effectum diverſum à ſignificatione.* 6. *Obſervans in feſto SS. Andreæ, Thomæ, Natalis Domini pro cognoſcendis futuris eventis, aut differentias dierum, temporúmque nihil naturaliter operantes; ſicut & interdicuntur Calendaria, in quibus notantur dies faſti, & nefaſti.*

1046 Hi omnes pronuntiantur habere pactum ſaltem implicitum cum Dæmone, jubentúrque examinari à Judice, quamdiu ſit quis uſus tali ſuperſtitione, quando, ubi. Si nequeat convinci de explicito pacto cum Dæmone, tradendus eſt cuſtodiæ, atque menſe integro plectendus jejunio in pane, & aqua, quod jejunium ſi perferre nequeat, mancipatur annuo labori operis publici, ſubminiſtrando ipſi duntaxat, ſine ulla mercede, neceſſarium pro vita ſuſtentanda victum. Laborans autem pluribus ſuperſtitionibus puniatur rigidiùs: ſi monitus non deſiſtat, ſubjiciatur torturæ, interrogetúrque de pacto Explicito, ſi tortus nihil fateatur, nihilominus ſeverè puniatur. At verò is, qui vocat ad ſe divinum, ut futura, vel occulta diſcat ex eo, punitur exilio perpetuo, qui verò ex improviſa occaſione illum interrogavit, ejúſque divinationi fidem habuit, mancipatur annuo carceri in ſolo pane, & aqua; ſin fidem nullam habens, interrogavit ſolùm joci cauſa, menſe integro incarceratus veſcatur pane & aqua ſolis. Quòd ſi librum divinatorium habens nequeat adferre juſtam cauſam retentionis, jubetur perpetuò exulare. Denique, ut omittam alia atrociora, præbens philtrum jubetur truncari capite. Hæc omnia ſanxit ſapientiſſimus Bavariæ Elector Maximilianus.

1047 Hiſce addo pœnam, qua plectendos cenſent Jureconſulti illos, qui, ut retuli ſuprà *n. 982.* citant ad tribunal Chriſti, ſeu ad Vallem Joſaphat eos, à quibus affecti ſunt injuria, ſcribit enim Julius Clarus in Pract. Crimin. *Lib. 5. q. 83.* atque Menochius eum ſecutus. *De arbitr. Judic. Caſ. 388. n. 16.* puniendos pœna arbitraria, teſtatúrque idem Clarus, unum hujus delicti reum fuiſſe Mediolani incluſum infami carcere, alterum juſſum renuntiare illi præcepto, ut vocat Clarus, Vallis Joſaphat, ſeu citationi, ac deinde juſſu ſenatus fuſtigatum fuiſſe die 10. Sept. Ann. 1550. Quin Bajardus *in cit. locum Clari* cenſet cum Boſſio, tales eſſe relegandos, ſicuti aliquot fuêre relegati teſte eodem Boſſio.

Quòd

Digitized by Google

1048 Quòd ſi quæras, *ad quod forum ſpectet crimen ſuperſtitionis*? Reſp. Quando aut Reus eſt Eccleſiaſticus, aut Laicus quidem, ſed ſuperſtitioni addidit hæreſin, ſolùm judicem Eccleſiaſticum eſſe competentem, ut per ſe clarum eſt. Si verò ſit citra hæreſin, eſſe locum præventioni, cùm crimen maleficii ſit mixti fori. Abbas *Cap. 1. De ſortileg.* Delrius *Lib. 5. diſquiſit.* Gregor. De Valent. *Tom. 3. Diſp. 6. q. 3. p. 4.* ante §. 1. ſubdens (quod probè notandum pro praxi) *ibidem* §. 2. nomine *maleficii* à ſacris Canonibus, & communi Doctorum ſententia intelligi *opus excedens communem captum, & facultatem hominum, diaboli opera; & libero voluntatis humanæ conſenſu factum, interveniente nimirum pacto explicito, vel tacito hominis cum Diabolo.* Ita ille. Idem cum Silveſt. *Verb.* Maleficium *q. 5.* ſcribit: Omnia maleficia poſſe revocari ad divinationem, infirmitates mirabiliter inferendas, vel auferendas, ad falſas, & præſtigioſas apparitiones, & actiones, denique ad motus, vel mutationes rerum, & effectus mirabiles, & communi judicio hominum impoſſibiles.

1049 Sanè cùm uſus ſuperſtitionum etiam in ſpeciem non valde pravarum ſit gradus ad graviores, atque ad apertè diabolicas, clarum eſt, illud ad judices directum à Deo imperium: *Maleficos non patieris vivere*, ſuo etiam modo extendi ad facientes impune ea, quæ ſuapte quaſi natura tendunt ad maleficium in rigore dictum.

1050 Eam ob rem non video, quo pacto valeam excuſare, ſeu Politicos, ſeu ſingulariter Eccleſiaſticos Magiſtratus, ſi fortè in eorum Epiſcopatu, aut territorio uſurpentur notoriè ſuperſtitiones, una, aut plures ex enumeratis Section. præced. & Caſu XXII. & tamen non incumbant in abolitionem, extirpationem earundem.

Obtendent fortè ignorantiam. Sed Regula decima in Quinto expreſſè ita ſonat: *Non poteſt* NB. *eſſe paſtoris excuſatio, ſi lupus oves comedit; & paſtor neſcit*, quia ſcilicet tenetur ipſe inquirere. Barboſa *in cit. Reg.* poſt Coſm. & Avilem. Paſtoris autem nomine intelligi etiam ſæcularem Principem, nôrunt omnes docti à Poëtarum ſapientiſſimo Homero, qui Reges perpetuò vocat *Paſtores populorum.* Poſſunt 1051
non quidem omnia, ſed valde multa præſtari per Parochos, Decanos, Viſitatores. Demonſtranda in Concionibus, & Catecheſibus gravitas hujus criminis, ſummùmque periculum prolabendi in deteriora cum diſcrimine vitæ, & infamiæ redundaturæ in totam familiam. Ut primùm Curio aliquid inaudiit ejuſmodi factitari, inveſtiget veritatem, ea comperta vocet ad ſe infamatum de hac, aut illa *Superſtitione*, comminetur certiſſimam delationem ad judicem ſæcularem, aut Eccleſiaſticum, ſi in poſterum uſurpare ſuſtineat.

Sæcularis autem Magiſtratus omnino pro- 1052
vidè aget, ſi quoad fieri poterit, animadvertat in ſuperſtitioſos illis pœnis, quas ex Jure Bavarico, quaſi paradigmata quædam dedita opera deſcripſi ſuperiùs. Idem etiam atque etiam perpendet id quod *n. 1041.* retuli, quòd videlicet ipſe Deus ſit profeſſus, à ſe idcirco deletum iri omnes Paleſtinas gentes, quòd vacâſſent actionibus *Superſtitioſis.* Meminerit il- 1053
lius, quod ſuprà memoravi *num. 874.* fuiſſe à Chriſto Domino dictum Regi Roberto: *Non habebis in Regno tuo pacem, donec elimines blaſphemias.* Blaſphemus Dei honorem temerat verbis, *Superſtitioſus* factis, ægerrimè ferunt Principes, dum læditur ipſorum honor, & dum is, qui debetur ipſis, transfertur in alterum, *Superſtitioſus* lædit, ut dixi, honorem Dei, ac transfert in Cacodæmonem, ergo ſi Princeps facit pluris, ut facere debet, honorem Dei, quàm ſuum, vindicet legibus, & pœnis divinum. Natura hanc mortalibus Legem 1054
poſuit, ut filii parentibus illatam injuriam ulciſcantur, & ſervi Dominorum ſuorum cauſam aſſerant. Theodoretus *Tract. 1. De provident.* Atqui ex una parte Principes boni ſunt filii Dei: mali, ſunt, velint nolint, ſervi Dei, ex altera honor ipſorum Patris ac Domini læditur per *Superſtitiones*, ergo tenentur ex doctrina Theodoreti impedire, vindicaréque illum læſum per *Superſtitiones*, quod fiat.

Ad majorem Dei Gloriam.

INDEX,

ET

COMPENDIUM,

RERUM AC VERBORUM PERQUAM COPIOSUM, AD COMPLURIUM INSTANTIAM CONFECTUM.

Primus numerus deſignat Tractatum. Secundus numerum marginalem illius Tractatûs.

A.

Abbas.

ABbates non conſecrantur propriè, ſed benedicuntur. *VIII. n. 144.* Cur afficiantur honore peculiari? 144. Conferunt minores Ordines ſuis Religioſis. 324. Etiam Novitiis. 324. Abbatis nomine intelliguntur hîc omnes Prælati Regulares præditi tribus conditionibus. 325. Jam non poſſunt conferre Ordines Religioſis alterius Monaſterii, aut ſæcularibus, etſi accedat voluntas Superiorum. 326. Praxis tamen alia viget in Epiſcopatu Conſtantienſi. 324. Declaratur Caſu recenti. VIII. 328. Et quamvis conferant contra Decretum Congregationis, non tamen incurrunt ſuſpenſionem. 714. Et valet collatio. 336. Cujus jus comparare poſſunt, etiam per errorem communem. 340. Sicut, & reipſa illud acquiſierunt per conſuetudinem. 341. *& ſeq.* Debent autem intra ſuam Eccleſiam conferre, ſicut & alia Pontificalia exercere. VIII. 343. Niſi à Prælato exempto invitentur ad ſuam Eccleſiam. 344 An Abbas utens Pontificalibus extra Diœceſin incurrat ſuſpenſionem? 345. *in App. lit. a.* An qui renuntiavit dignitati, poſſit Novitio conferre Ordines Minores? VIII. 347. *& 349.* fides habenda Abbati teſtanti aliquid ſuo chirographo. 409. Dat dimiſſorias ſuis Regularibus ſubditis. 567. An etiam ſæcularibus? 574. Præditus poteſtate quaſi-Epiſcopali diſpenſat in denuntiationibus matrimonialibus. X. 504.

Abbatiſſa.

ABbatiſſæ non eſt fas concionari in Eccleſia, ſed in Refectorio, aut Capitulo. *VIII. n. 81.*

Abbatiſſa nequit recipere ad habitum puellam abſque prævio examine Epiſcopi. X. 316.

Abavus.

ABavus, Atavus, Avunculus, qui dicantur? *IX. n. 155.*

Actus. Actio.

ACtus publicè celebratus defenditur adverſùs omnes præſumptiones. *Tr. X. 430.* Actiones venereæ licitæ, & illicitæ conjugibus. 649. *& ſeqq. diſtinctè.* Item ſponſis. 670. Et viduis. 675.

Actio in diſtans.

NOvus Caſus, quo oportet vel concedere actionem in diſtans, vel virum probum damnare taciti cum dæmone pacti. *XI. 961.*

Adminiſtrator.

CAret poteſtate donandi, aut liquidum jus remittendi. *XI. 238.* Eccleſiæ adminiſtrator, ſeu procurator nequit propria autoritate ita commutare vota realia alterius, ut accipiat minus pecuniæ, quàm valeant illæ, quæ de jure debebantur, res voto promiſſæ. *ibid. & num. 260.*

Digitized by Google

Adulterium.

1 ADulterium eſt impedimentum dirimens matrimonium. *Tr. IX. n. 191.* Quando ſcilicet perſona conjugata committit cum alia, ſeu ſoluta, ſeu conjugata adulterium cum promiſſione matrimonii futuri poſt mortem conjugis propriæ. 192. Debet autem illud adulterium eſſe, & formale. 193. Et completum per immiſſionem ſeminis. 203. Promiſſio autem debet eſſe ſeria. 196. Et acceptata ab altera parte. 197. Et abſoluta. 198. Non tamen requiritur aut repromiſſio, aut juramentum. 197. Sicut nec, ut dicat adulter. *Te ducam poſt mortem mea uxoris, ſi mihi feceris poteſtatem tui corporis.* 199. Sed ſufficit, ſi adulterium præcedat, aut ſequatur fidem datam. 199. Non eſt probabile, ad incurrendum hoc impedimentum requiri, ut ſciatur, id oriri ex tali adulterio. 201. *in App. §. His.* Declarantur dicta reſolutione variorum Caſuum. *num. 205. & ſeqq.*

2 Adulterium privat jure petendi debiti conjugalis, at non niſi quando altera pars conſcia recuſat id reddere. *X. 600.* Duo adulteria tolluntur mutuâ compenſatione quoad effectum negandi debitum. 600. Uxor, & maritus ſunt pares in jure dimittendi quoad torum partem adulterio pollutam. 722. Quo ſenſu Chriſtus Dominus prohibuerit divortium, niſi ob adulterium. *Tract. X. num. 728. §. Porrò.* Adulterium ſororis barbarè punitum à fratre. 724.

Æquivocatio.

ÆQuivocatio quid ſit? *XI. 602.* Nulla eſt per ſe propriè mendacium. 601. & 603. Exemplum ejus licitum. 604. Et plura alia. 653. *& ſeqq.* Illicita. 605. 606. 612. *& ſeqq.* Æquivocatio licita certo caſu. *Tract. IX. n. 628. & Tr. X. 371.*

Ætas.

1 ÆTas pro Ordinibus qualis olim requirebatur? *Tr. VIII. n. 511.* Qualis poſtea ſufficiebat? 511. Qualis nunc requiratur, & ſufficiat? *ibid.* & 508. Exemplum pueri ordinati in Diaconum Anno ætatis decimo tertio. 512. Etiam infans conſecratur validè in Epiſcopum. 506. Privilegia circa ætatem conceſſa Auguſtinianis, & Minoribus ſunt revocata *VIII.* 514. Quid ſi bona fide ſit quis ex vi illorum promotus ad Sacerdotium? an licitè ſacrificabit ante ætatem in jure requiſitam? 515. Quæ ætas requiratur ad Papatum, Cardinalatum, & alia quædam officia, ſeu dignitates? 517. Sufficit ſi annus pro ætate legitima requiſitus à Tridentino ſit inchoatus per momentum. 516. Debet autem eſſe phyſicè inchoatus. 521. Oppoſita tamen ſententia eſt probabilis, & alicubi practicata. 519. & 524. Quid ſi deſit integer dies? 527.

2 Ætas pro Ordinibus quomodo probetur? VIII. 529. Singulariter probatur per librum Baptizatorum. 499. Et per ephemerides parentum. 500. & 503. *in App. lit. b. ad fin.* Quando quis ſecutus fidem parentum ſuſcepit ante legitimam à parte rei ætatem aliquem Ordinem, non incurrit quidem ſuſpenſionem, attamen nequit in eo miniſtrare ante adeptam ætatem. 497. *& ſeqq.* Dubitans, an habeat legitimam ætatem, debet abſtinere ſuſceptione Ordinis. 530. Quando deſunt tantùm tres dies, diſpenſat Epiſcopus juxta Zanardum non admiſſum. 531. Cùm nequidem Nuntius Apoſtolicus poſſit diſpenſare, quoad diem unicum. 531.

3 An jura præſumant, ætatem hominis extendi ad centum Annos? IX. 291. Ætas apta Matrimonio quæ? 450. Apta ſponſalibus quæ? X. 114. & 287. Ætatem quo ſenſu dicatur ſupplere malitia? *IX. n. 450.* Utrùm Anni biſſextiles ſint attendendi, quando agitur de ætate pro Ordinibus, & aliis? vide infrà verb. *Annus biſſextilis.* Diſpenſationes ſuper ætate pro Ordinibus quomodo intelligendæ? vide verb. *Diſpenſatio. n. 4.*

Qua ætate ſoleat juxta Summiſtas, & Canoniſtas communiter adeſſe uſus rationis ad edendum validè votum? XI. 164. Qua juxta S. Thomam, & Suarez? 165. Et qua juxta Autorem? 166. & 167. Faciendum eſt diſcrimen inter pueros Italos, & Germanos. 166. Item inter pueros, & puellas. 167.

Affinitas.

AFfinitas eſt duplex: Directa, & Indirecta. *Tr. IX. n. 396.* Directa eſt propinquitas perſonarum proveniens ex copula carnali. *ibid. &* 389. Hæc ſola dirimit Matrimonium. 399. Nec contrahitur, niſi per copulam perfectam. 390. Et probabiliter ad eam requiritur, ut etiam mulier ſeminet. 390. & 399. *§. Porrò.* Et oſtenditur, quomodo poſſit cognoſci, an mulier emiſerit ſemen. 391. Variis Caſibus declaratur, an revera ſit contracta Affinitas, necne. 392. *& ſeqq.* Traditur & Regula cognoſcendi, in quali gradu Affinitatis quis exiſtat cum alio. 400. Hæc ipſa Regula declaratur practicè. 404. Affinitas contracta ex copula illegitima dirimit uſque ad ſecundum gradum incluſivè, ex legitima uſque ad quartum. 400 Et quidem jure naturæ in primo gradu. 408. Refertur rurſus Caſus Affinitatis indirectæ. 387. Et reſolvitur. 398.

Alanus.

AD quid promittendum adegerit ordinandos? VIII. 751. *in App. lit. b.* Quoties viſitaverit totam ampliſſimam Diœceſin? IX. 715. *in App. lit. c.* Fuit noſtri ſæculi alter Saleſius. *ibid.*

Alu-

Alumnatus.

ALumnatus Pontificius communiter non ſufficit pro titulo ad Ordines Sacros. *Tr. VIII. n.* 836.

Caſus alumni Pontificii non admiſſi, ſine alio titulo, ad Ordines. 609. *in App.*

Amens.

AMenti à nativitate, ſed jam adulto, an præbenda extrema, Unctio? VIII. 825. Quid ſi aliquamdiu antè fuit compos mentis? IV. 135. & VIII. 825. Declaratur Caſu novo. 828. Aut in peccato mortali factus amens? 827. & 912. Exemplum amentis in uno genere, ſapientis in aliis. X. 28. Vide infrà verb. *Fatuus.*

Amor.

AMor naturalis eſt quandoque ſpecies furoris. X. 26. Et hoc furore nihil vehementius. *ibid.* Caſus allegantis vehementiam amoris ad liberandum ſe obligatione promiſſionis matrimonialis. 23. Communiter debet locus negari tali allegationi. 25.

Angelus.

FAcit reverentiam recens creato Sacerdoti. VIII. 134. Dubia circa Officium S. Angeli Cuſtodis recens cum Octava inſtitutum diſcutiuntur infrà verb. *Feſtum. n. 4.*

Annulus.

ANnuli immiſſio an ſignificet ſponſalia? *Tr. X. n. 67.* Quid ſi immittatur in medium digitum? 68.

Annus.

NOmine Anni aliquando intelliguntur ſex menſes, & aliquot dies ſuprà. IX. 449. *in App. lit. q.*

Annus Biſſextilis.

ANnus Biſſextilis unde dictus? *Tr. VIII. n.* 542. Quomodo nominetur à Germanis? 540. Probabile eſt, quando eſt ſermo de uno duntaxat Anno, ſi fortè ille ſit Biſſextilis, poſſe in materia odioſa intelligi de diebus. 365. In favorabili de 366. *ibid. n.* 545. At in materiis, in quibus ſit mentio multorum Annorum explicitè, vel implicitè continuorum, ſemper intelligendos eſſe annos ſecundùm ſupputationem nihil cogitantium de Biſſextilibus. 546. *& ſeqq.* Declaratur hæc doctrina variis inſtantiis, & nominatim annorum duorum requiſitorum pro Novitiatu. 550. Item aliis. *n.* 551. *& ſeqq.* Nominatim Sacerdotum Jubilæorum. 557. Conſequenter in annis pro Ordinum ſuſceptione requiſitis non eſt cogitandum de Biſſextilibus. 539. Contrarium tamen eſt probabile practicè, & ſpeculativè. 549. Declaratur duobus veris Caſibus. 534. & 537. Quando anni non ſunt ne quidem implicitè continui, poteſt in odioſa materia dies Biſſextus numerari pro uno die. 555. Adeòque juſſus jejunare quatuor annis in pane, & aqua poteſt tranſilire intercalarem, ſeu Biſſextilem. 555.

Apologia.

COntra Stephanum à S. Paulo. X. 50. *in App. Apologetica.*

Apoplexia.

APoplexiæ obnoxii, an & quando extremè ungendi. VIII. 875.

Appellatio.

AN locum habeat poſt fatalia, ſi non fuit ob pauperiem introducta ſuo tempore? X. 242. *in App. lit. I.* Intra quantum temporis ſit appellandum? *lit. L.* An permittenda Regulari reclamanti contra valorem profeſſionis Quinquennio poſt hanc emiſſam *lit. O.* Quibus caſibus non deferatur appellationi? *ibidem. lit. p.* Appellatio eſt theriaca contra venenum judicum. *ibid. lit. l.*

Aratrum.

ADfertur duplex interpretatio illius ſententiæ: *Nemo mittens manum ad aratrum &c.* XI. 19. Utraque probat, eam ſententiam non repugnare negantibus, receſſum à bono propoſito eſſe per ſe loquendo culpabilem. *ibid.*

Archidiaconus: Archiepiſcopus: Archipreſbyter.

ARchidiaconus quis? *Tract. VIII.* 150. Archipreſbyter quis? 151. Archiepiſcopus quis? 157. Nequit abſolvere excommunicatum à ſuis Suffraganeis, niſi per appellationem. *ibid.* Nec licitè ordinat horum ſubditos. 312. In Appellationibus concurrit cum Nuntio Apoſtolico. IX. 194. *prope finem.* Soli ferè Archiepiſcopo mittitur pallium. VIII. 159.

Archidux Leopoldus Guilielmus.

PIiſſimus modus, quo quotidie imitabatur miniſtrationem Extremæ Unctionis. VIII. *n.* 904. Ejus in negotio matrimoniali pronuntiatum cedro dignum. IX. 449.

Arctatus. Arctari.

QUid ſit arctari, vel arctatum eſſe Beneficio? VIII. 456. Cum talibus diſpenſant Nuntii Apoſtolici, ad extra. 455.

Arrha.

ARrha, & arrhabo quid ſit? *Tract. X. n.* 175. An reſiliens à ſponſalibus perdat arrhas? *ibid.*

Aſcenſus.

AScenſus ad ſcholam ſuperiorem an, & quatenus poſſit eſſe validus finis voti? XI. 66.

Digitized by Google

Aſylum.

UTrùm negans aditum confugienti ad aſylum, peccet contra juſtitiam? XI. 156. Quid ſi non occludat quidem januam, non tamen velit aperire? *Ibidem.*

Auguſtiniani.

AN Auguſtinianis Eremitis fuerit revera conceſſum Privilegium diſpenſandi in primo gradu Affinitatis. *Tract. IX. num. 719.* Qua ætate poterant olim creari Preſbyteri? VIII. 514.

B.

Bacillus.

BAcillo, ſeu virgula miniſtranda eſt tempore peſtis quandoque Extrema Unctio. *Tr. VIII. 902.*

Baptiſmus.

BAptiſmus eſt janua Sacramentorum. *Tract. VIII. n. 820.*

Barba.

BArba ſua probroſè mulctatur perjurus. XI. 692.

Beatus.

UTrùm liceat vota edere ad illos, qui ſine ullo teſtimonio Eccleſiæ, ſed ſola opinione communi habentur pro Beatis. XI. 399. An aliis pietatis officiis eos colere. *Ibid.* Quid ſi cultus ſit omnino privatus? 401. Quid agendum Anathematis. quæ ſuſpenduntur ad tumulos talium Beatorum. 405.

Benedictio.

BEnedictio matrimonialis ſpectat per ſe ad ſolos Parochos. *Tract. X. n. 559.* Quomodo cenſeatur dare tacitè alteri facultatem benedicendi? 550. *& ſeqq.* Ponitur ſpecies facti. 549. Non peccant conjuges non petentes benedictionem. 561. Et verò nec licet petere pro ſecundis nuptiis. 563. Quid ſi viduus ducat Virginem? 564. Quo tempore ſit illicita? 567. Fruſtra nonnulli judicârunt, irritum eſſe Matrimonium, quod ſine benedictionibus erat initum. 569. Mos Venetus circa Parochi jus ad benedicendum. 571. Veſtes ſacras quis benedicat, & quomodo amittant benedictionem? Vide verb. *Veſtes ſacræ.*

Beneficium.

BEneficium Eccleſiaſticum eſt jus perpetuum percipiendi redditus è bonis Eccleſiaſticis propter aliquod ſpirituale Officium, autoritate Eccleſiæ inſtitutum. *Tr. VIII. 630.* Dicitur tribus modis *perpetuum.* 631. Monachatus non eſt per ſe Beneficium. VIII. 459. Quid intelligatur nomine *Beneficii*, ratione cujus acquiritur domicilium, & jus accipiendi Sacros Ordines? 310. *diſtinctè.* Beneficio arctari quid ſit? 456. Qualitates, & ſpecies Beneficii, ad cujus titulum quis ordinatur. 639. *& ſeqq.*

Nomine Beneficii poſiti in diſpenſationibus pro extra non intelligitur manuale, ſed perpetuum. *Tract. VIII. 459.* Hoc tamen nequaquam eſt neceſſariò curatum. 458. Sufficit, ſi Beneficium habeatur tunc, quando quis eſt vi diſpenſationis promovendus ad Ordines. 751. Non competenter Beneficiatus quis dicatur? VIII. 459.

Conditiones, & qualitates Beneficii, ad cujus titulum quis ordinatur, explicantur diſtinctè. VIII. à n. 630. ad 638. Singulariter, quòd debeat poſſideri pacificè. 632. Et non eſſe Manuale, ſeu Vicaria temporanea. 934. Nec communiter Alumnatus Pontificius. 636. Nec Capellania privata alicujus Magnatis. 639. Nec poteſt illud Beneficium reſignari, niſi facta mentione tituli. 638.

Bernardus Colnagus.

EJus parens omni modo conatus fuit illum abſtrahere à conſilio ineundi Societatem. XI. 161. Fuit illuſtriſſimus miraculis. 398. An ſubſiſtat votum, quo quidam Nobilis Neapolitanus promiſit Deo, ſe facturum omnes ſumptus neceſſarios ad ſolennem Canonizationem. 430. Refertur inter reliqua inſigne miraculum patratum ad ejus invocationem. 397.

Berruca.

BErrucæ, ſeu fictitii capilli geſtatio continua non facit irregularem. VIII. 680.

Bibere.

BIbens vitrum vini poſt votum non bibendi, quando peccet mortaliter bibendo. XI. 92. Ponitur caſus de hac materia. 81. Examinatur ſingularis doctrina. 92. & 93. Fit hac in re diſtinctio inter ventricoſos, & graciles, inter viros & mulieres, obſtrictos voto abſtinendi potu vini. 93.

Bigamia.

BIgamia eſt triplex. VIII. 650. Quo modo efficiat irregularem? *Ibid.*

Blaſphemia.

QUid ſit. XI. 696. Voluntas inhonorandi Deum per illam eſt duplex. 700. Refertur caſus valde rarus de blaſphemia indirecta. 704. Referuntur etiam in primis communes modi blaſphemandi. 710. Deinde blaſphemiæ communes ferè ſolis Italis, Hiſpanis, Gallis. 724. *& ſeqq.* Item aliæ Germanis. 732. *& ſeqq.*

Quo-

Digitized by Google

Quotuplex ſit blaſphemia. XI. 754. An etiam reſpectu Sanctorum? 757. Et duntaxat Beatificatorum. 762. Et illorum, qui ne quidem ſunt declarati Beati, attamen ſunt clari nomine Sanctitatis. 769. Quantum ſit peccatum blaſphemia? 772. 775. 777. 780. An ſint omnes ejuſdem ſpeciei? 778. Quis primus Blaſphemus? 781. Horribilia ſupplicia blaſphemi. 721. 751. 760. 762. 763. 766. 782. 827. 832. 857. 867. 868. 875. An blaſphemia ſit omnium peccatorum graviſſimum? 789.

Blaſphemantem audiens an, & quatenus teneatur eum corrigere. XI. 794. An etiam alapa illum percutere? *Ibid.* Quid Leo X. ſtatuerit circa correctionem blaſphemantium? 798. Quid Julius tertius? 804. Quid B. Pius V? 807. Quomodo intelligendum præceptum Leonis X. de corripiendo blaſphemo? 809. Aut de illo deferendo ad judicem? 810. Aut de gravi pœnitentia injungenda à Confeſſario? 811. & *ſeqq.*

Blaſphemiæ pœna divinitus ſtatuta. XI. 817. Statuta à diverſis Regnis, & Provinciis. 840. & *ſeqq.* 876. & *ſeqq.* Blaſphemus caſtigatus à Laicali magiſtratu nequit caſtigari ab Eccleſiaſtico, licet blaſphemia ſit mixti fori. 860. Blaſphemus caret jure aſyli. 862.

Bruntrutani.

Quomodo hi, & Delſbergenſes ſeriò maledicant aliis? XI 746. Quomodo non ſeriò, in ira tamen? *Ibid.*

Bulla.

Bulla & Inſtructio Clementis X. de teſtibus matrimonialibus examinandis. X. 820. & *ſeqq.*

C.

Calix.

An pro Subdiaconatu debeat eſſe vacuus? *Tract. VIII. num.* 53. An pro Preſbyteratu non vacuus? 90. An conſecratus? 93. *prope finem.* An abſolutè ſit pro Preſbyteratu neceſſarius? 93. & 95. An phyſicè, & immediatè tangendus? 60. & 100.

Calvinus.

Calvini quædam blaſphemiæ. XI. 761. Calviniſtæ rabulæ blaſphemia divinitus punita. 760.

Cancellarius.

Cancellarii deſcriptio ex Chaſſaneo. XI. 637. Quàm fidelis obtigerit Ferdinando II. Imperatori. 636.

Canoniſtæ.

Canoniſtæ ſæpe errant in quæſtionibus de Sacramentis. VIII. 13. 257. & 353. Ipſi non habent clavem. 13.

Capitulum.

An ſede vacante dare poſſit tunc facultatem Ordines conferendi? VIII. 266. & *ſeqq.* An ſaltem per Epiikiam? 273. Declaratur Caſu ſpeciali. 275. An concedere literas dimiſſorias? 268. & 567. An teſtimoniales? *Ibid.* Capitulum Cathedrale intelligitur nomine Ordinarii. 262.

Capucini.

Diſpenſant in Provincia Helvetica circa quædam impedimenta Matrimonii. IX. 724. Vivæ vocis oracula non ſunt in ordine ad ipſos revocata. 731.

Caput.

Capite tecto non licet celebrare, niſi tegatur capillo fictitio, ſeu berruca. *Tract. VIII. n.* 680.

Cardinalis: Cardinalatus.

Cardinalium Declarationes quanti faciendæ? IX. 362. & 482. Cardinalium antiquitas & numerus. VIII. 162. Quando cœperint eligere Pontificem? 163. Cardinalatus non eſt Ordo ſacer, ſed officium. 162. Nec omnes obtinentes titulum Epiſcopalem, vel Preſbyteralem, ſunt Epiſcopi, aut Preſbyteri. 162. Etiam non Epiſcopi conferunt Minores Ordines. 346.

Caſtitas.

An voveri poſſit ab iis, qui, vel quæ ignorant, quid ſit impudicitia. XI. 121. Declaratur Caſu Angeli incarnati. *Ibid.* Vota caſtitatis, & religionis æquiparantur inter ſe. 126. 219. 339. Caſus lamentabilis caſtitatis. 268. An valeat votum caſtitatis editum à juvene, ſolito ſuccumbere gravibus, quas ſentit, tentationibus? 271. & *ſeqq.* An deſinat obligare votum caſtitatis editum à conjugato, quando verſatur in periculo peccandi contra ſextum præceptum, niſi petat debitum. 273. & 277. Quid ſi velit uxor, ut ipſe cubet ſecum in eodem lecto? 281.

Caſtitatis nomine abſolutè ſumpto, quid intelligatur? XI. 282. Peccata caſtitati oppoſita, quæ committunt obſtricti voto ſimplici, vel ſolenni caſtitatis, ſunt ejuſdem ſpeciei, & ideo confitenda eodem modo. 283. Nomine peccati caſtitati repugnantis, quid intelligatur in ordine ad reſervationem in Religionibus. 284. Varia de voto caſtitatis indicantur remiſſivè. *num.* 285. Refertur votum caſtitatis ſub conditione: *Si uxor moriatur*: vel: *Ducendi aliam, ſi reperiatur uxor, quæ velit etiam ſervare caſtitatem.* 286. Dubitans voveritne dependenter, an independenter à religione caſtitatem, non tenetur hanc ſervare in ſæculo, ſi non ſuſcipiatur ad Ordinem religioſum. 304. *Caſu* 3. Ut caſtitatis votum ſit reſervatum, debet

 bet

Digitized by Google

bet eſſe caſtitatis & perfectæ, & perpetuæ. 315. *Remiſſivè.* Caſtitatis tria elogia. 974. *circa finem.* Vide alia verb. *Reſervatio.*

Caſtratio; Caſtratus.

CAſtratio permiſſa ob conſervandam vocis teneritudinem non adfert Irregularitatem. VIII. 690. Adfertur Caſus hanc in rem. 689. Caſtratus an ſit habilis Matrimonio? Vide verb. *Impedimentum. num.* 7.

Catharina Senenſis.

QUàm maturo conſilio ediderit anno ætatis ſeptimo votum perpetuæ caſtitatis? XI. 216. Peccàrintne ejus parentes, conati eam avertere à propoſito caſtitatis? *ibid.* & 219.

Cauſa.

CAuſa voti finalis, & motiva quænam dicatur? XI. 110. Et quæ dicatur merè impulſiva? *ibidem.*

Cautio.

CAutio juratoria quando ſufficiat? XI. 154.

Cella.

CElla eſt nobile in Styria Sacellum Deiparæ. XI. 265. Reddita illic amenti ſanitas mentis. 264. Et mortuo vita. 267. Fuit reſpectu primi editum votum ſatis rarum. *n.* 265.

Cenſura.

NUlla cenſura incurritur ab ignorante, eſto laboret ignorantiâ craſſâ. VIII. 666. Quæ Cenſuræ arceant à ſuſceptione Ordinis Sacri? VIII. 664. Qui dubitat, an cenſuram incurrerit, poteſt poſt factam inquiſitionem ſe gerere, ac ſi non eſſet ullâ irretitus. 667.

Certitudo.

NEc certitudo *moralis* de morte mariti requiritur, ut *licitè* tranſeat uxor ad ſecunda vota. IX. 299. Certitudo *moralis* aſſeritur ab aliquibus reperiri in caſu, in quo negatur ab aliis. 308. Quid jura intelligant per certum nuntium? *ibid.*

Chorepiſcopus.

CHorepiſcopi qui fuerint olim? *Tract.* VIII. *num.* 87.

Chriſtus.

EJus pronuntiatum de ignorato à ſe die Judicii non poteſt ſine reſtrictione, ſeu reſervatione mentali ſalvari. XI. 623. Roberto Regi Galliæ dixit: *Pacem non impetrabis, Roberte, priusquam blaſphemias ex Regno exturbaveris.* 863.

Chriſtiani.

QUi vixit Chriſtianè, præſumitur habuiſſe intentionem moriendi ritu Chriſtiano. VIII. 827.

Ciſtercienſes.

GEneralis Abbas Ciſtertienſium, & quatuor alii Coabbates potuerunt olim ex privilegio conferre etiam Diaconatum ſuis Regularibus. VIII. 329. Et hodie factitant id ipſum. *ibid.*

Citatio.

AD hanc ſufficiunt indicia etiam levia. XI. 918. Quid cenſendum de illis, qui ad divinum Tribunal citant eos, à quibus graviter ſunt læſi? 979. Tremendum exemplum unius, ita citati. 978. Alia viginti tria recenſet P. Drexelius. 981. Pœnæ ſtatutæ in tales citatores. 1047. Timenda eſt oppreſſoribus pauperum, & Religioſorum illa citatio. 981. Fuit David uſus illa. *ibid.*

Clauſula.

NUlla clauſula debet in aliqua diſpoſitione eſſe ſuperflua. *Tr. IX.* 313. *lit. c.* Sed debet aliquid operari. *ibid.*

Cæcus.

ETiam planè cæcus Miſſam faciebat ex diſpenſatione Pontificia. *Tract.* VIII. *n.* 651, *ad finem.*

Cognatio.

Cognatio Naturalis.

COgnatio eſt triplex: *Naturalis, Spiritualis, Legalis. Tract. IX. num.* 151. *Naturalis* eſt vinculum perſonarum plurium inter ſe ſanguine communicantium. 152. Theologi non faciunt diſcrimen inter cognatos, & agnatos, faciunt tamen Juriſtæ. *ibid.* Conſtat ea lineis, & gradibus explicatis, *numero* 154. & 157. Referuntur complures Grammaticales nomenclaturæ cognatorum. 155. Proponuntur Regulæ pro diſtantia graduum in foro Eccleſiaſtico. 158. & *ſeqq.* Alias obſervant Juriſtæ. 162. Cognatio intra quartum gradum dirimit Matrimonium. 163. Non in quinto, ut declaratur caſu rariſſimo. 164. Inſtruitur *practicè* Parochus pro Cognatione cognoſcenda. 166. Traditur, quo jure hic, aut ille gradus dirimat Matrimonium? 168. Et in quoto diſpenſare poſſit Papa? 168. Olim non valuit Matrimonium intra ſeptimum gradum. 163. Non ſolet excreſcere ſoboles ex conjugio junctorum ſecundo gradu conſanguinitatis. IX. 606. §. *Lege.*

Co-

Cognatio Spiritualis, & Legalis.

2 Cognatio *Spiritualis* eſt, quæ oritur ex Baptiſmo, vel Confirmatione. *Tract. IX. 170.* Conſuetudo ſingulariter exerit vim ſuam circa hujus cognationis ortum & occaſum. IX. 171.

Ignorantia *facti* impedit hanc Cognationem, non tamen ignorantia *juris*. *Tract. IX. num. 172.* Impedit & defectus judicii in pueris ſingulariter. 173. Unde non eſt de Germanis in dubio præſumendum, quòd ſtatim poſt ſeptennium ætatis contraxerint hanc Cognationem. 173. Quid judicandum de ſtatu, quo decennis levavit è fonte Baptiſmali puellam, adultior verò factus ignorat, an tunc ſciverit, tentionem in Baptiſmo, vel Confirmatione eſſe cæremoniam ſacram. 175. Plura vide infrà verb. *Patrinus.*

3 Cognatio *Legalis* eſt propinquitas orta ex adoptione alicujus. *Tract. IX. num. 176.* Eſt ea *perfecta*, vel *imperfecta*. 176. Inducit impedimentum inter uxorem adoptantis, & adoptatum, intérque adoptatum, & legitimos liberos adoptantis. 177.

Cohabitatio.

Cohabitatio conjugum eſt per ſe præcepta, vide verb. *Matrimonium. num. 12.*

Comites Palatini.

Hi communiter non poſſunt legitimare, ad Ordines & Beneficia. VIII. 441.

Communio.

An neceſſariò obeunda à recens Ordinatis? VIII. 358. An à Neopresbytero. 359.

Commutatio voti.

Quid ſit, & quomodo differat à diſpenſatione? XI. 343. Potens diſpenſare, poteſt & commutare. 355. Quatenus quis ſuum votum commutare valeat? 356. & *ſeqq.* An etiam reſervatum? 357. An habenda ratio expenſarum, quando commutatur votum peregrinationis? 363. Proponuntur varia paradigmata commutationum remiſſivè. 365. Et ſingularis caſus illius, qui voverat jejunia in pane & aqua, cupiebátque commutare. 414.

Complementarii.

An verborum complementa, ſeu complimenta ſint communiter mendaciis accenſenda. XI. 670. Singulariter quando iis utentes profitentur ſe ſervos illorum, quibus nullum officium præſtare cogitant. 670. Diverbium de Complimentariis. *ibid.*

Conceſſum.

Conceſſo uno conceduntur omnia neceſſaria ad illud. IX. 449. *in App. lit. x. & gg.*

Concio: Concionari.

Parochus, etſi non Sacerdos, licitè concionatur propria authoritate, ſpectato jure communi. VIII. 77. Et alius non Parochus licitè ex conceſſione Parochi. 78. Propria autoritate nemo concionatur, niſi curam animarum obtinens. 79. Et conſequenter neque Diaconus non Parochus. *ibid.* & *ſeqq.* Quæ intellige de prædicatione in Eccleſia ex pulpito, ſeu ad populum in publico cœtu. 81. At in Refectorio, vel Capitulo licitè ſuis Monialibus prædicat Abbatiſſa. 81.

Concionator.

Concionator falsò narrans aliquas pias hiſtorias quantùm peccet? XI. 674. Quantùm, quando hiſtoriis biblicis aliquid tanquam revelatum à Deo addit? *ibid.* Aut quando dubitans utrùm aliqua ſententia, vel hiſtoria contineatur in hoc, an potiùs in illo capite, vel libro ſcripturæ, abſolutè citat illud caput? *ibid.* Concionatori ſubminiſtratur materia pro invectivis contra blaſphemos. XI. 792. 793. 795. 796. 826. 828. 830. 864. & *ſeqq.* & 892.

Conditio.

Conditio, prout eſt Impedimentum eſſentiale Matrimonii, ſignificat ſervitutem. 1 *Tr. IX. num. 135.* Licèt nonnulli aliter intelligant. 135. Ejus ignorantia officit valori Matrimonii, quando laborans ignorantia eſt perſona libera. 130. Illa ſervitus debet eſſe propriè dicta, adeóque non extendenda ad ſervos de gleba. 131.

Conditio, prout non eſt Impedimentum 2 Matrimonii, nec deſignat ſtatum hominis, accipitur latè, & ſtrictè. *Tract. X. num. 145.* Latè ſignificat idem, quod *modus. ibid.* Strictè eſt accidens, aut circumſtantia, quibus contractus diſpoſitio ſuſpenditur, donec in futurum eveniat. 449. Suſpenditur, inquam, vel quoad ſuum eſſe, vel quoad liberum uſum. 449. atque efficit diſpoſitionem conditionalem. *Tract. IX. num. 150. lit. d.* Conditio ſignificat etiam conventionem. *ibid. lit. f.* Declaratur duplici inſtantia. X. 383. Utrùm verò ſit fas adjicere conditiones contractui matrimoniali, aut ſponſalitio, quidque cenſendum de valore, & obligatione talium contractuum? Vide infrà Verb. *Matrimonium. num. 6.* Itémque verb. *Sponſalia. n. 6.*

Conditio, quæ vel tacitè, vel de jure ſubeſt, non reddit actum conditionatum. IX. 150. *lit. a.* Declaratur duplici exemplo. X. 383. Conditio, & modus implendus in favorem tertii ſemper cenſetur cauſa finalis. IX. 707. Non ſunt paria declarare Conditionem facto & verbis. X. 148. Conditionem fuiſſe adjectam contractui ſi aſſerat reus, teneatúrne ipſe probare hanc adjectionem? X. 183.

Con-

Digitized by Google

Conditioni, *ut ſit Magiſter Philoſophiæ*, non ſatiſfacit is, qui eſt proximè futurus Magiſter. VIII. 609. *App. 2. lit. e.*

Conditio differt à conventione inter partes. X. 383.

Conditio propriè, & rigidè quid ſit? XI. 33. Quomodo differat à modo? *Ibid.* Quando obliget, aut non obliget? *ibid.* An obliget ad ſe non reddendum impotentem? 34. Singulariter quando verſatur circa rem non præceptam. 35. An ſi nequiter impediiſti impletionem conditionis, tenearis nihilominus implere votum conditionale? *ibid.* Quid ſi parens moriatur, antequam approbârit votum editum ſub conditione conſenſûs paterni? 36. An valeat votum conditionale de non ingredienda, niſi certa aliqua Religione? *ibid.*

Confeſſarius.

QUid aget cum ſponſa aperiente, cùm imminent nuptiæ, Impedimentum probroſum? *Tract. IX. 265. & 558.* Quid? quando ſunt factæ nuptiæ. 557. Quid? quando mulier vult transire ad ſecundas nuptias, allegans mortem mariti? 301. Quomodo cognoſcet, an mulier, confitens tactus, ant etiam copulam, ſeminârit? 391. Rogatus à pœnitente, ut ipſe petat diſpenſationem in Impedimento Matrimonii occulto, & probroſo quid aget? IX. 577. Aut à nova nupta interrogatur, quid circa commercium carnale liceat, vel non liceat conjugibus? X. 648. & *ſequentibus.* An petet delegari ſibi vices Parochi in copulandis concubinariis occultis, qui manifeſtari nolunt? *Tract. IX. 529. & Tract. X. num. 507.* An quandoque *licitè* utatur exorciſmis erga pœnitentem energumenum ſolitum his juvari? *Tract.* VIII. 69. An *licitè* excipiat Confeſſionem ſcientis, ipſum eſſe ſolùm probabiliter verum Sacerdotem? *Tr. VIII.* 186. & 187.

Quà præciſè talis non pollet poteſtate commutandi ullum votum. XI. 360. Quatenus commutet tempore Jubilei? 364. *Remiſſivè.* Quatenus obligetur plectere graviſſimâ pœna blaſphemum pœnitentem? 811. & *ſeqq.* Caſus Confeſſarii præfervidi hac in re. 815. Quomodo emendabit talem pœnitentem? 818. & *ſeqq.* Singulariter. *n. 822.* & *823.*

Conjugatus.

OBſtrictus voto caſtitatis, vel impedimento affinitatis, utrùm licitè ſine diſpenſatione petat debitum, quoties verſatur in magno periculo impudicitiæ? XI. 273. Aut quoties uxor vult, ut cubet ſecum in eodem lecto? 281. Tenetur non concumbere, ſi uxor ſit contenta, & ex concubitu immineat periculum lapſus. *ibid.*

Conſervator.

COnſervatores Apoſtolici qui dicantur? & quod Officium illorum? VIII. 149.

Conſiliarius: Conſilium.

COnſiliarii juramentum improbum de re vera. XI. 463. Cavendum ne conſiliariis nimis multùm credatur conſulentibus in cauſa ſui Principis. 545. Non eſt de iis ſcriptum, quòd eorum aures ſint ſimplices. *ibid.* Sint tenaciſſimi ſecretorum. 564 Et memores adagii relati. *n. 568.* Perjuri privantur conſiliaratu. 689.

Conſilium Evangelicum.

COnſilia ſæpe rectè præponuntur Præceptis. X. 491. *in Append. lit. e. & ſeqq.* XI. 68.

Conſiſtorium.

COnſiſtorium Epiſcopale ſæpe expedit Caſus occultos, nemini manifeſtandos. X. 646. *in Append. lit. c.* Declaratur Caſu valde ſingulari. *ibid.*

Conſtantienſes.

EOrum Statutum circa ſteuras, ſeu collectas. XI. 627. Sententia, quam tulerunt adverſus hæreticum blaſphemum in B. Virginem. 838. Defenditur. 839. & *ſeqq.*

Conſtantienſis Diœceſis Stylus, Rituale, Conſtitutiones indicatæ, & quandoque explicatæ, ac confirmatæ in iſto Opere, circa Ordines, Extrem. Unct. & Matrimonium.

COnſtitutiones Conſtantienſes requirunt, ut initiandus Ordinibus ſit Origine, Beneficio, aut decennali Domicilio Diœceſanus. *Tr.* VIII. 307. Ut Subdiaconatu ordinandus impenderit biennium Theologiæ Morali. 373. Parochi examinentur, quoties mutant Beneficia. 401. Dimiſſoriæ non dantur, niſi cum duabus Clauſulis ſatis ſpecialibus. 579. Non continent, eſſe proviſum de titulo. 585. Non exigunt pro Patrimonio, niſi octingentos florenos. 610. Patrimonium pro Ordinibus juxta eas non eſt neceſſariò conſtitutum in bonis certis, aut poſſeſſis ab Ordinando. 615. Defenditur tamen tale Patrimonium. 617. & *in Append. lit. b.* Sicut & formula Extremæ Unctionis multùm diverſa à Romana. 803. & *ſeqq.*

Rituale mandat non niſi pectus puerperarum, leproſorum, ſqualidorum extremè ungi. *Tract.* VIII. 7-8. Monentur tamen Curiones, ne nimis laxè interpretentur hanc Ordinarionem. 810. Conſtitutiones negant Viaticum pia-

præberi non confeſſis in Paſchate, & deinde ſubitò privatis uſu ſenſuum. 899. Sicut & furioſis. *ibidem*. Explicantur hæc duo. *ibidem*.

3 Impedimentis Matrimonium impedientibus accenſetur hæreſis alterius è ſponſis. *Tr. IX.* 9. Impedimenta dirimentia hîc loci proponuntur aliter, quàm alibi. 15. Et Impedimentum conditionis etiam aliter explicant Conſtitutiones. 135. Improbant conjugia cum hæreticis. 217. Non permittunt Parochis, ut copulent mulieres allegantes abſentiam virorum. 301. Præſumpta licentia Parochi pro copulandis alienis non admittitur. 489. Nec licet Parocho conjungere vagos. 495. Aut alios extra Eccleſiam. 499. Quinam ex ſtylo Curiæ habeantur pro pauperibus? quando paupertas allegatur in ordine ad diſpenſationem matrimonialem? 658. 660. Vetatur, ne Preſbyteri exequantur diſpenſationes Papales, priuſquam oſtendantur Ordinario. 690.

4 Sponſalia clandeſtina improbantur ab iiſdem Conſtitutionibus. *Tract. X.* 16. Quomodo dirimatur lis ſponſalitia, quando in dubio pars negat, ſe ſeriò promiſiſſe? 72. & 73. Non compellitur quis ducere illam, cui promiſit Matrimonium ſub conditione copulæ non purificata. 159. Pars injuſtè reſiliens à ſponſalibus non compellitur facere compenſationem ob neglectum commodius conjugium. 182. Puellæ aſſerenti, ſe ab aliquo defloratam, non creditur ſine probatione. 186. Fatens, ſe hanc aut illam defloràſſe, jubetur diſjunctivè ducere, vel dotare. 208. At quomodò dotare? 209. Diſſolventes ſponſalia, etiam ex libero conſenſu, incurrunt Caſum reſervatum. 262. 264. & 333. Quando poſt promiſſionem factam ſub conditione honeſta cognoſcit ſponſus ſponſam, cenſentur ſponſalia tranſiſſe in abſoluta. 276. Quomodo intelligenda Conſtitutio Synodalis ſeverè prohibens, ne quis Clericus ſe immiſceat cauſæ matrimoniali controverſæ? 363.

5 Quæ ſit formula matrimonialis contractûs & copulationis? 393. Aufertur Parochis poteſtas diſpenſandi in denuntiationibus matrimonialibus, excepto uno Caſu. 492. Quis modus harum, quando ſponſi ſpectant ad diverſas Parochias? 515. Et quis benedictionum reſpectu viduorum? 564. Matrimonia hæreticorum ordinaria habentur conſtanter pro indiſſolubilibus. 710. Conſtantienſis Epiſcopatus eſt omnium Europæorum ampliſſimus. IV. 90. *ad finem*. Hæc ſufficiunt de hac Diœceſi, in cujus metropoli conſcripti ſunt hi omnes Tractatus.

Conſuetudo.

POteſt ponere Impedimenta Matrimonii ac tollere. *Tract. IX.* 22. & 23. Et ſingulariter Cognationis Spiritualis. Suprà verb. *Cognatio Spiritualis*.

Nihil operatur, niſi præſcripta cum permiſſivo conſenſu Superioris. IX. 24. In Diœceſana contraria juri communi diſpenſat Vicarius generalis. VIII. 463. *in App. lit. c.*

Pro recta interpretatione tui voti dubii, eſt perſæpe recurrendum ad conſuetudinem illorum, qui tibi ſimiles ætate, educatione, natione emiſerunt votum ſimile tuo. XI. 89. 101. 106. 117.

Contractus.

COntractus communiter nequeunt claudicare. *Tract.* IX. 383. *lit. a.*

Contractus eſt ultro, citròque obligatio. *Ibid. lit. b.* Sequitur Leges loci, in quo celebratur. IX. 479.

Contractuum jure invalidorum aliqui ſunt ita invalidi, ut nequeant ſine peccato ſervari. XI. 531. Alii invalidi quidem, at non illiciti. *ibid.* Alii validi quidem jure naturæ, at permittitur à jure poſitivo illorum reſciſſio. 531. An tam illi, quàm priores obligent ſuperveniente juramento. 531. & 532.

Copula Carnalis.

COpula Conjugalis perfecta quæ ſit? *Tract.* IX. 390. Utrùm ad eam requiratur etiam mulieris ſemen? *Ibid.* Prodeſt Confeſſario, & aliis ad praxin hoc nôſſe. *Ibid.* Unde cognoſcetur, adfuiſſe illam ſeminationem? 391. Copula ſecuta, ſed non cum ſpe impetrandi faciliùs diſpenſationem, non impedit hujus vim. 627.

Copula habita poſt ſponſalia, ſub conditione de futuro facit, ut hæc tranſeant in abſoluta. *Tract. X.* 70. & 276. Secùs de ſponſalibus initis ſub conditione de præſenti, aut præterito ignorata. 452. Declaratur Caſu ex Fagnano. *ibid.* Non reperitur è viginti puellis honeſtæ familiæ, aut famæ una, quæ abſque promiſſione Matrimonii faciat crebrò juveni paris conditionis copiam ſui corporis. 82. & 276. Eadem copula habita ſæpe inter paris conditionis, atque bonæ famæ eſt ſignum promiſſionis conjugalis. 82. Secùs, ſi adſint aliæ circumſtantiæ. 90. §. IV. Fatenti copulam ſolùm imperfectam non creditur. 190. In dubio de habita copula cui credendum? 403. & 188.

Cœptam copulam conjugalem abrumpere, quatenus ſit fas, aut nefas? *Tract. X.* 592. Vide alia verb. *Debitum conjugale*.

D.

Damnum.

DAmnum emergens è ſponſalibus non ſervatis, an reparandum? *Tract. X. num.* 265. *& ſeqq.* Non eſt quidquam reſtituendum pro damno, in cujus periculum inefficax te conjeci.

Digitized by Google

X. 220. Damnum pati, & lucrum perdere an ſit idem? *Tr.* VIII. *721. lit. c.*

Debitum Conjugale.

1 DEbiti conjugalis petitio, hujúſque accidentia. *Tract.* *X. 577. & ſeqq.* Et nominatim, quando adeſt Votum caſtitatis. 579. & 626. Finis non debitus. 580. Aut tempus ſacrum. 582. Aut excommunicatio. 583. Aut non ſervatur modus, ſitúſve debitus. 584. & 586. Aut adeſt delectatio de alio objecto. 587. Aut provocatio ad celeriorem ſeminationem. 588. Aut jam perfecta eſt viri ſeminatio. 589. Aut periculum effundendi partem ſeminis. 590. & 669. Aut impotentia ſeminandi intra vas. 591. Aut propoſitum abrumpendi actum conjugalem ante ſeminationem. 592. Aut periculum abortûs. 594. Aut fluxus menſtruus. 595. Aut periculum, ne multiplicetur proles. 597. Solus ille modus concumbendi cum uxore in vaſe naturali eſt peccatum mortale, qui aptus eſt impedire generationem, vel cauſat effuſionem ſeminis extra vas naturale. X. 597. Quatenus adulter habeat jus petendi, aut non habeat? 600. Quatenus inceſtuoſus? 601. Singulariter, quando interceſſit ignorantia juris, aut facti. 603. Qui diſpenſent cum talibus? 604. Quatenus Cognatio Spiritualis privet jure debiti? 605.

2 Debiti conjugalis redditio quatenus licita, præcepta, illicita? *Tract. X 609. & ſeqq.* Nominatim, an ſit mortale, negare debitum ſemel, iterúmve? 611. & 614. Quandonam cenſeatur maritus petere irrationabiliter? 615. Singulariter, quando eſt leproſus. 617. Quæ actiones licitæ, vel illicitæ ſint conjugibus? Vide verb. *Matrimonium. n. 15.*

Decanus.

3 DE Decanis nullus titulus reperitur in Jure. *Tract.* VIII. *num. 152.* Qui vocentur Decani in Hiſpania, Gallia, & Germania? 152. Eorum præeminentia, & poteſtas. *ibid.* Decanorum Ruralium officium. *ibid.*

Defloratio.

Deflorationis probatio.

1 NOn eſt ſtandum nudâ aſſertione fœminæ affirmantis, ſe à Cajo defloratam, ſeu carnaliter cognitam. *Tract. X. 186.* Imò nec juratâ, ſive criminali, ſive civili judicio contendat mulier. 187. Et quidem licet illa fœmina fuerit ſemper integræ famæ. 188. Fuſè contra Antonium Fabrum. Ergo confugiendum (ſi omnia alia deficiant) ad juramentum ſemiplenâ probatione ſuffultum. 189. Et ad aliquos ex modis, quibus probatur adulterium. 190. Nec ſufficiet, ſi plebejus homo fateatur, ſe decubuiſſe in eodem lecto, negans interim, ſe quidquam aliud feciſſe. *ibid.* Secùs, ſi fateatur copulam, addens tamen, fuiſſe imperfectam. *Ibid.* Fugiet licitè, qui defloravit quidem, ſed ſub idem tempus, quo alii. 19. Quid ſi maritata juret, ſe non à marito, ſed ante Matrimonium fuiſſe à Cajo imprægnatam? 185. & 195. Defloratio ſtrictè eſt fornicatio cum virgine. 200. Latè fornicatio etiam cum corrupta. IX. 501. *in App. 4. lit. n.* Defloratio præſumpta quid ſit? *ibid.*

Deflorationis obligatio.

DEflorator virginis non tenetur ante judicis ſententiam illam ducere. *Tract. X. numero 207.* Nec ſolet Conſtantiæ abſolutè condemnari ad eam ducendam, ſed ſub diſjunctione: *Duc, vel dota. 209.* Et præſumitur puella potiùs precibus, quàm ſponte inducta ad facinus. 210. Ad nihil tenetur deflorator Virginis ſine metu conſentientis. 212. & 213. Quid ſi promiſſionem præceſſit votum Caſtitatis? 228. Quid ſi puella erat conſcia voti facti? 2[illegible]. Quid ſi ſolùm fictè pollicitus eſt Matrimonium? 230. & 232. Quid ſi ex Matrimonio tali ſunt ſecutura gravia ſcandala? 234. Quid ſi plures etiam decepit, qualem ex iis ducet? *236. & ſeqq.* Quid ſi fuit quidem aliqua, non tamen ineluctabilis vis illata? 240. *& ſeqq.* Caſus novus de defloratione. X. 731. *in App.* 2

Delectatio.

DElectatio talis eſt, quale eſt ejus objectum. *Tract. X. 653.* Licita eſt conjugatis delectatio carnalis, quæ capitur ex imaginatione liciti congreſſûs habiti, vel habendi cum propria jam uxore, ſi abſit periculum pollutionis. 654. An etiam quæ ex aſpectu imaginis tempore congreſſûs? 669. §. *His adde.* Aut quam ſponſa percipit, vel ex amplexu ſponſi. 672. Vel ex cogitatione futuri actus conjugalis, idque vel in corpore, vel in ſola mente? 674. Aut quam ſimiliter ſentit vidua ex recordatione præteritorum actuum conjugalium? 675. Delectatio carnalis aliquando accipitur pro mera ſenſitiva, etiam partium honeſtarum, ſed frequentius pro illa, quæ redundat in partes generationi deſtinatas. 672. §. *Et verò.* Utram intellexerit Alexander VIII. In ſuo novo Decreto? *ibid.*

Delegare.

PRincipes, poſſunt ſubdelegare quando eorum induſtria non eſt electa. *Tract. IX. 714.* Ii, quorum perſonæ induſtria eſt electa ſubdelegare non poſſunt. IX. 714. Quandonam cenſeatur eſſe electa induſtria? 702. 710. & 714. Non debet in dubio præſumi, electam fuiſſe induſtriam perſonæ, 702.

Denunti-

Digitized by Google

Denuntiationes matrimoniales.

1 QUid de his, ſtatuerit Concilium Tridentinum ? *Tract. X. num. 477.* Refutatur latè Menochius contendens, eas eſſe de ſubſtantia Matrimonii. 478. Referuntur tredecim cauſæ diſpenſandi in iis. 481. Quatenus peccet eas omittens ? 478. & 497. Conjuges, qui eas non procurant ante copulationem carnalem, peccant mortaliter. 497. Si laborent impedimento etiam occulto, proles nata ex tali Matrimonio habetur pro illegitima. 501. Nec diſpenſat poſtea cum talibus Papa. *ibid.* Afficiuntúrque omnibus pœnis ſtatutis contra clandeſtinè contrahentes. 502. Qui in denuntiationibus diſpenſent ? Vide verb. *Epiſcopus*, verb. *Parochus*, verb. *Vicarius* Singularis Caſus, in quo erant omittendæ denuntiationes. X. 506. A quo faciendæ ? 511. Quis cenſeatur hîc proprius Parochus ? *ibid.* Caſus de hoc ſingularis. 512. Quid intelligatur per dies *continuos*, quibus eæ faciendæ ſint ? 517. *& ſeqq.* Quid ſi duæ fiant uno die denuntiationes ? 523.

2 Obligatio denuntiandi impedimenta quæ? X. 529. An ab ipſiſmet ſponſis etiam cum periculo infamiæ ? 530. An ab alio conſcio etiam in caſu, quo aut ſponſi ignorant impedimentum ? 532. Aut quo ipſe ſolus novit ? 533 Aut eſt teſtis de ſolo auditu ? 535 Aut intellexit ſub ſecreto ? 536. Aut non priùs fratérne monuit volentem malitioſè contrahere ? *ibid.* Aut ex denuntiatione imminet grave malum revelanti, alterive innocenti ? 537. Refertur hanc in rem Caſus tragicus. 538.

Quid aget Parochus, comperto impedimento ? vide verb. *Parochus. num. 12.* Quid agendum, quando vel Teſtis metuit propalare impedimentum occultum ? *Tract. X. num. 540.* Vel Teſtis de intercedente conſanguinitate audivit tantùm ex uno, & injuratus depoſuit ? 542. Vel, proclamationibus præpropere factis, deprehenditur, jam inito Matrimonio impedimentum detectum primùm tunc ? 543. Vel quando detegitur immediatè ante copulationem ? 544. & 545. *in Append.* Aut ſponſus laborat impedimento impotentiæ, ſed cupit cum ſponſa vivere, ſicut frater, & ſoror ? 546. Teſtis impedimenti non debet communiter audiri, ſi prodeat primùm poſt Matrimonium celebratum in conſpectu Eccleſiæ. 543. Denuntiationes matrimoniales quando nequeunt fieri ſine jactura Benedictionum, prudenter omitti latè defenditur. *Tract. X. num. 509. in App. Apologetica.*

Diaconatûs ratio.

DIaconatûs materia propria eſt tactus libri Evangeliorum, & fortè etiam impoſitio manuum. *Tract.* VIII. *num. 50.* Et illud ipſum Miſſale, quod traditur Diacono, poteſt etiam tradi Subdiacono. 50. Eſt Diaconatus verè Sacramentum. 84. Nec tamen repetendus, quando probabile eſt fuiſſe validè collatum. 170.

Diaconus.

SI ſit Parochus, licitè prædicat in ſua Eccleſia. *Tract.* VIII. *75. & ſeqq.* Aliàs non, niſi accedat voluntas Parochi. *79. & ſeq.* Ejus officium eſt ſolenniter per modum Catechiſmi exponere fidei articulos. 81.

Diaconiſſa.

DIaconiſſæ olim, vel erant legitimæ uxores Diaconorum, vel miniſtrabant in templo, inſtruendo alias mulieres. *Tr.* VIII. *88.*

Dignitas.

DIgnitas Eccleſiaſtica propriè quid ſit? *Tract.* VIII. 149. Superiores Ordinum, etiam Mendicantium, ſunt propriè conſtituti in dignitate Eccleſiaſtica ? 149.

Diſpenſatio.

Diſpenſationis generalia.

DIſpenſandi facultas eſt latè interpretanda, ipſa verò diſpenſatio ſtrictè. *Tract.* VIII. *n. 443.* Diſpenſationem vitiat falſitas. 724. At non ſemper. 732. Generatim quando pro diſpenſatione adfertur unica cauſa, ſi hæc ſit falſa, corruit diſpenſatio IX. 633. Secùs, ſi è duabus ex ſe ſigillatim ſufficientibus altera ſit vera. VIII. 732. Quid ſi autem adjectio cauſæ falſæ ſit in cauſa, ut Papa faciliùs diſpenſet ? IX. 634. Et vocatur diſpenſatio ſubreptitia, vel ob taciturnitatem veri, vel ob expreſſionem falſi. *Tract.* IX. *num. 611.* Quid ſi error *ſubſtantialis* eſt commiſſus à ſolo ſolicitatore, vel ſcriba? VIII. 447. *in App. Ubi adfertur novus Caſus.* 1

Illorum ſolorum taciturnitate impeditur valor diſpenſationis Pontificiæ, quæ à Jure, vel ſtylo Curiæ mandantur exprimi. IX. 611. Et illorum ſolorum expreſſione falſa vitiatur conceſſio, quibus ſecundùm jus, & ſtylum curiæ movetur Papa in gratia concedenda. *ibid.* Explicatur hæc generalis doctrina. *n. 613.*

Diſpenſandi cauſa eſt, vel *finalis*, vel *impulſiva* tantùm. IX. 614. In dubio, an cauſa tacita ſit *impulſiva*, debet haberi pro *impulſiva*. 614. Et in dubio, an ſatis ſit probata cauſa diſpenſationis, præſumendum eſt pro ſufficientia. 615. Sufficit, ſi cauſa diſpenſationis adſit tunc, quando eſt mandanda executioni. 677. Utrùm in diſpenſationibus valeat argumentatio à majore ad minus ? 588. §. *Caterùm. & ſeq.* Diſpenſatio poteſt impetrari etiam ignoranti, & invito. *Tract.* VIII. *num. 748. juncto. 745.* & *Tract.* IX. *num. 641.* Nec tenetur orator, qui jam ſemel impetravit diſpenſationem, facere hujus mentionem, quando rurſum ſupplicat pro alia. 616. Excipe tres caſus. *ibid.* Nec facere mentionem repulſæ, quam eſt paſſus, 623.

613. Debent autem exprimi illa, cum quibus non niſi ægerrimè diſpenſatur in raro caſu. 617.

2 Diſpenſationum Bullæ aliæ continent eſſe jam diſpenſatum, aliæ delegant diſpenſandi facultatem. In his error circa Diœceſin faciliùs, quàm in prioribus, vitiat Reſcriptum. *Tr.* IX. *n. 636.* Diſpenſatio, quando incipiat valere? *669.* An, ſi certò conſtet, Papam jam diſpenſâſſe, at necdum adſit Bulla? *670.* Quid ſi tantùm veroſimiliter credatur jam diſpenſâſſe, ſeu dediſſe facultatem diſpenſandi? 741. Declaratur Caſu novo. 741. Quid ſi huic veriſimilitudini jungantur gravia pericula? 590. Cauſa diſpenſationis quando debeat adeſſe. *676.* & *677.* Quid agendum in propriè dictis, & perſeverantibus dubiis circa diſpenſationem? *679.* & *ſeqq.* Nominatim, an indigeas diſpenſatione? *681.* Aut an data valeat? *682.* Aut an adſit cauſa ſufficiens ad diſpenſandum? *683.* Aut an diſpenſatio ſe extendat ad hunc, illúmve caſum. 680. Quando jus eſt jam acquiſitum alteri, ſolus Supremus Princeps diſpenſat in Promiſſione. X. 281. Diſpenſatio data motu proprio debet innotuiſſe ipſimet diſpenſato. *Tract X.* 553. Vide plura verb. *Licentia.* Diſpenſatio Pontificia non derogans expreſſè Statutis Diœceſanis exigentibus certam qualitatem in ordinando, non ſubſiſtit, ſi abſit illa qualitas. VIII. 751. *in Append.* Diſpenſatus cum clauſula: *Si ſis adſcriptus alicui Eccleſiæ,* ſatisfacit ingrediendo Novitiatum Regularem. 495. *in Append.* 2. Regularis Prælatus an, & quatenus diſpenſet? Vide verb. *Regulares. n.* 4.

Diſpenſatio circa ſpectantia ad Ordines ſacros.

3 SOlus Papa diſpenſat cum illegitimis, quoad Ordines Majores, Dignitatem, & Beneficium curatum. *Tract VIII.* 442. Epiſcopus quoad Ordines Minores, & Beneficium ſimplex. 442. Imò etiam quoad Majores reſpectu illius, qui eſt ad illos bona fide promotus. 442. Et indirectè ad Beneficium curatum. 443. Quid ſi diſpenſatus reſignet Beneficium, pro quo impetrârat diſpenſationem? 443. Quid exprimendum in libello illegitimi pro diſpenſatione? 444.

4 Diſpenſatio pro *extra*, facta à Nuntio Apoſtolico non valet, niſi pro arctatis Beneficio. *Tract.* VIII. 455. At Papa diſpenſat ſine hac conditione. 495. *in Append. 1. lit.* a. Quando diſpenſatur, ut tribus diebus accipiantur Majores, intelligitur de interpolatis, niſi exprimatur contrarium. 464. Quid verò per dies feſtivos, & *De præcepto*? Vide infrà verb. *Feſtum.*

Solus Papa diſpenſat ſuper ætate pro Ordinibus. *Tr. VIII. num. 726.* Exprimuntur ſeptem cauſæ, ob quas ſolet diſpenſare Papa. 726. Etſi aliquando in literis diſpenſationis ponatur falſò clauſula: *Tu, qui, ut aſſeris, es in Ordine Diaconatûs conſtitutus*, ea falſitas nihil obeſt diſpenſationi. 728. & 729. fervens deſiderium eſt etiam ſufficiens cauſa. 731. & 733. & Philoſophici curſus abſolutio in Germania, licèt deſint quinq; menſes. 739. Nec obeſt, licèt in tergo literarum ſcriptum ſit: *Clerico*, quando orator non eſt Clericus. 740. Aut licèt ſit erratum in nomine Diœceſis. VIII. 741. Et quandoque licèt pro *Auguſtana Diœceſis Clerico* exprimatur; *Ordinis Fratrum Eremitarum S. Auguſtini Profeſſori. 742.*

Generatim obſervandum, modò bona fide procedatur in petenda diſpenſatione, adſitque una è cauſis illis ſeptem, de quibus paulò antè, valere reipſa diſpenſationem, etſi hæc contineat errorem. *Tr.* VIII. 737. & 738. Valuit diſpenſatio, quam Dominus impetravit pro ſuo mancipio non conſentiente. 745. & 748. Occaſione recentis Papalis Diſpenſationis ſolvuntur duo dubia circa clauſulam: *Dummodo ſervitio alicujus Eccleſiæ te adſcribas, ſi nondum ſis adſcriptus. 495. in Append. I.* Regulares Prælati an, & quatenus diſpenſent circa irregularitates? Vide verb. *Regulares n. 8.*

Diſpenſatio pro Matrimonio.

5 PApa nequit diſpenſare circa ullum Impedimentum juris naturalis. *Tr.* IX. *num. 603.* In aliis diſpenſat ob tres præcipuè cauſas. 604. & 605. Quibus junguntur aliæ quinque. 606 Et circa votum Caſtitatis, aut Religionis diſpenſat ob quamcunque cauſam obſtantem executioni voti. 608. & quandoque cum impuberibus. 610. Quid ſi impetrâſti diſpenſationem ducendi Bertham, & velis ducere aliam? 617. Laborans pluribus impedimentis debet omnia exprimere. 618. & 619. Quid ſi juncti duobus gradibus inæqualibus exprimant ſolùm diſtantiorem? 620. Reſpondetur ad difficilem objectionem ex Barboſa. 620. & 621. Quid ſi ſcribas, te eſſe conſanguineum in ſecundo gradu, cùm ſis in ſolo tertio? 622. Aut te conſanguineum, cùm ſis ſolùm affinis? *ibid.* Aut expreſſiſti in tuo libello affinitatem, ſed ſcriba Pontificius ſcripſit conſanguinitatem. 639. Quid ſi petas diſpenſationem, non exprimendo lineam rectam? *622. prope finem.* Aut utrum ex Baptiſmo, an ex Confirmatione ſis patrinus, aut compater? *ibid.* An laborans pluribus impedimentis debeas omnia exprimere in uno eodémque libello. 624.

6 Quid ſi non feciſti mentionem, aut Matrimonii ſcienter invalidè initi, aut omiſſarum denuntiationum. *Tr. IX. 625.* & 632. Quid ſi habita copula inceſtuoſa? *626.* & *628.* ac *ſeqq.* Quid ſi altera pars peccavit ſub ſpe facilioris diſpenſationis, & tamen in Reſcripto ſit expreſſum? *Dummodo non ſub ſpe?* 627. Declaratur ſpecie facti. *ibid.* Nec obeſt, licèt alteruter habuerit copulam ſub tali ſpe. *Ibid.* & *626.* Error etiam in nomine hîc non officit. 635. An for-

forte in Diœceſi illius, cui commiſſa eſt diſpenſatio? 635.

7 Diſpenſatio ob anguſtiam loci habet locum etiam in ipſis viris. *Tr.* IX. 646. Quid in ea intelligatur nomine oppidi? 648. Quid ſi reperiatur intra eandem Parochiam, ſed latè patentem? 649. Quid deſignetur clauſula: *Non reperiuntur multi?* 650. Et clauſulâ: *Paris conditionis?* 651. Quid ſi tali reſcripto exprimatur major ætas? 653. Quid nomine paupertatis veniat in ejuſmodi diſpenſationibus. 656. & *ſeqq.* An exprimenda ex utraque parte? Vide verb. *Paupertas.* Diſpenſatio facta cum ſponſo an extendatur ad ſponſam? 589. Quid ſi deformitas ſponſæ ſit in cauſa, ut debeat adferre dotem ſolito majorem? 665.

8 Quænam obſervanda ſint circa clauſulas literarum, quæ ex Romana Dataria mittuntur ad Ordinarios, ut hi diſpenſent in Matrimonio? *Tr.* IX. 685. & *ſeqq.* Quomodo intelligendæ illæ, quæ ex Pœnitentiaria Romana diriguntur ad Confeſſarios, pro diſpenſatione in foro interno? 693. *Remiſſivè.* An, & quis diſpenſet in ſponſalibus? *Tr. X.* 279. & *ſeqq.* An in poteſtate diſpenſandi delegata valeat argumentum à majore ad minus? IX. 588. §. *Quamvis.* Quomodo diſpenſet in his, & aliis cauſis Nuntius Apoſtolicus: Epiſcopus: hujus Vicarius: Regulares, & nominatim Capucini? Vide verb. *Nuntius*: verb. *Epiſcopus*: *num.* 5. Verb. *Vicarius*: verb. *Regulares*, & verb. *Capucini.* Delegata poteſtas diſpenſandi inter levantem è Baptiſmo, & parentes levati, videtur contineri in poteſtate diſpenſandi inter levantem, & levatum. IX. 588. §. *Reſpondi.* & §. *Quamvis.*

Diſpenſatio in Votis.

9 AN ſubſiſtat votum de non petenda diſpenſatione in voto? XI. 69. Adfertur hanc in rem novus Caſus. XI. 333. Eſt Curiæ Romanæ perantiquus ſtylus, ut nunquam concedatur pura diſpenſatio, ſed ſemper admiſceatur aliqua commutatio. XI. 207. Declaratur caſu antiquo. 206.

10 Quid ſit diſpenſatio? 343. Sitne actus juriſdictionis, an dominii. XI. 344 Quis diſpenſet in votis tam reſervatis, quàm non reſervatis? 346. Septem Pontifices diſpenſârunt in voto Profeſſionis ſolennis. 346. Papa diſpenſans in voto Caſtitatis, non diſpenſat integre, ſed tantùm reſpectu Matrimonii, actuúmque matrimonialium. 348. & *ſeqq.* Quatenus cæteroquin tam ipſe, quàm Regulares diſpenſent in votis reſervatis, & non reſervatis? vid. *num.* 349. & *ſeqq.* Item verb. *Jubilæum.*

Domicilium.

1 DOmicilium reſpectu Ordinum licitè ſuſcipiendorum eſt triplex: Originis: Habitationis: & Beneficii. VIII. 289. 306. & *ſeqq.* Originis illud, in quo natus es non caſu, & per tranſennam. 279. Non autem, in quo ſolùm baptizatus. 280. Domicilium originis paternæ cenſetur eſſe, & tuæ originis domicilium. 282. Non autem maternæ, niſi tu ſis illegitimus. 284. Aut ignoretur domicilium paternum. *ibid.* Quid ſi quis natus in loco, in quo terminantur duo Epiſcopatus? 285. Quid ſi ignoretur domicilium tam paternum, quàm maternum? 285. & 286. An poterit quivis Epiſcopus eum initiare Ordinibus. 287. Quid ſi quis natus, baptizatus, & infans per annum moratus in loco peregrino? 280. Et ut quis dicatur *Originarius*, ſeu naturalis unius loci, debétne ipſe, aut pater eſſe ibi natus? 293.

Domicilium habitationis eſt, in quo quis 2
habitat. *Tr.* VIII. 289. Hoc domicilium plerumque intelligitur, quando nomen domicilii abſolutè profertur. 289. Acquiritur Origine: Lege: Habitatione. 289. Origine, ut explicatum paulò antè. Lege, ut per Principis privilegium, Statutum, adeptionem dignitatis. 290. Habitatione, quando in aliquo loco degis cum animo claudendi ibi vitam. 291. & 292. Poteſque habere, ut ſic, duplex habitationis domicilium. *ibid.* Modò regulariter non inæqualiter habites in duobus locis. 293. In dubio, an habueris animum claudendi vitam in aliquo loco, recurritur ad conjecturas, & nominatim, quando decem annis alicubi habitâſti. 292. & 297. Attamen ſtudioſi literarum non cenſentur decennali habitatione acquiſiviſſe domicilium. 298.

Impuberes habent communiter idem domi- 3
cilium, quod patet. VIII. 299. Et Nobiles cenſentur eſſe cives omnium locorum in quibus poſſident feuda. 300. Nequit tamen Princeps inire Matrimonium coram quolibet Parocho unius, aut plurium Dominiorum, quæ habet. 300. & *Tr.* IX. 497. At verò Officiales habentes officia perpetua alicujus loci, obtinent pro ſe, & filiis illic domicilium in ordine ad ſuſceptionem Ordinum. VIII. 301. Quid ſi ſit officium quidem biennale, attamen adminiſtretur à membro Reipublicæ illic imperantis? 302. Et qui plura habet domicilia, poteſt unum Ordinem, in uno, alterum in altero accipere. 304.

Domicilium Beneficii pro Ordinibus eſt, in
quo obtines vel Beneficium propriè dictum, etſi 4
tenuiſſimum, vel impropriè dictum. *Tr.* VIII. 310. Ediſſeruntur aliæ hujus conditiones. *ibid.* Peccatur autem mortaliter ſuſcipiendo Ordines in loco, in quo nec originis, nec habitationis, nec Beneficii domicilium obtines. 311. Regulares verò cenſentur habere domicilium in Monaſterio illo, in cujus familia poſiti ſunt. 405.

Dormitans.

QUid obſervandum circa illos, qui fuerunt à dormitante Epiſcopo promoti ad Sacerdotium? VIII. 199. & *ſeqq.*

Dos.

COrruptor Virginis tenetur lege Moſaica non ſolùm hanc ducere, ſed, & dotare. *Tr. X.* 202. Non niſi autem poſt judicis ſententiam. 207. Qui hac ætate non ubique condemnat,

niſi ad alterutram pœnam. 208. Et quidem non ad præſtandam totam dotem, ſed duntaxat ad augmentum. 209. Si autem vi oppreſſit, non eſt in ejus arbitrio, velitne ducere, an potiùs dotare. 217. Dotis defectum quando dicatur pati puella? IX. 658. §. *Sanè*. Vnde congruitas dotis deſumatur? *ibid.* An poſſit eâ privari filia nubens ſine conſenſu patris? X. 110. An reſtituenda dos, quando Matrimonium fuit ob impedimentum erroris nullum? *Tr.* IX. *129.* *in Append. lit.* n. Caſus mirabilis. *ibid.*

Dubium.

Diſtinguitur dubium à ſcrupulis. VIII. 207. & 225. Declaratur duplici Caſu. *ibid.*

Refutatur quædam P. Tamburini explicatio de privilegio poſſidentis in dubio. VIII. 203.

In dubio de repetendo Ordine quid faciendum? Vide, *Ordo dubius.*

Dubitans, an laboret impedimento, quid aget? IX. *62.*

Dubitans, an ſuam virginitatem promiſerit ſoli B. Virgini, an etiam Deo, rectè præſumet ſe voviſſe etiam Deo. XI. 21. In dubio fueritne metus gravis, an levis, præſume fuiſſe levem. 138. In dubio ſitne votum editum ante, an poſt uſum rationis, non obligat votum. 182. In dubio quoque utrùm ſit editum in eo ſtatu, in quo erat irritabile, an pôſt, licitè irritabitur. 201. Aut etiam, an ante *ibid.* Aut an fuerit debitè confirmatum. *ibid.* Vota dubia plerumque non obligant: quandoque tamen obligant. XI. 390. & *ſeqq. Diſtinctè.* Proponitur individuus Caſus verè ambigentis, utrùm ediderit votum, an ſolùm propoſitum. *n. 395.* In dubio, utrùm quis juraverit, quid ſentiendum? 481. Juramentum promiſſorium in dubio interpretandum inſtar voti. 493.

Ducatus.

Ducatus de Camera quomodo differat à Germanico. VIII. 447. *in App. litt. m.*

E.

Ebrietas.

An ebrietas præſtet ſufficientem cauſam divortii? *Tr.* X. 731.

Eccleſia.

Poteſt mutare materiam, & formam Sacramentorum. VIII. 97. Quomodo nihilominus ſit in Eccleſia uniformitas, quoad materias, & formas Sacramentorum? *ibid.*

Eccleſia Cathedralis.

Eſt mater cæterarum Diœceſanarum. VIII. 479.

Unius Eccleſiæ unicus eſt Epiſcopus. *Tr.* IX. *num. 591. in App. 2. lit. m.*

Edmundus.

Edmundi Campiani mors illuſtris. VIII. *662.*

Educatio.

Educatio prolis quanti facienda? X. 196. & 683.

Energumeni.

Sitne fas Minoriſtis abſque facultate Epiſcopi energumenos juvare exorciſmis? VIII. 68. Energumenorum exorcizatio non facilè ſuſcipienda. 69.

Epileptici.

An ſint Irregulares? *Tract.* VIII. *num. 652.*

Epiſcopus.

De Epiſcopatu, & Epiſcopi variis adjunctis, & muniis.

Epiſcopatus, ſeu Ordinatio Epiſcopi eſt Sacramentum. *Tr.* VIII. *137.* Differt à Sacerdotio ſolùm inadæquatè. *ibid.* & 465. Ejus materia, & forma. 137. Epiſcopi officium. 143. Jure Divino excedit Sacerdotium 138. A quo, & qualibus conſecretur Epiſcopus? 137. 139. & 146. Conſecratur die Dominico. 450. & 465. Epitheta inſignia attributa Epiſcopis. 141. & IX. *num. 501.* §. *Reſpondi.* An duo Epiſcopi poſſint præfici uni Diœceſi. IX. 501. *in App. lit. M. & ſeqq.*

Titulares ſunt propriè Epiſcopi. *Tr. VIII.* 145. An propriè Epiſcopi, qui carent Ordine, at non Juriſdictione? 145. A quibus olim ſoliti eligi. 155. & 156. Ferè omnes Presbyteri erant olim Epiſcopi. 155. Poſtea illi ſoli, qui præerant alicui toti urbi. *ibid.*

Viſitatio Diœceſis eſt una ex præcipuis ejus functionibus. IX. 715. Cur Epiſcopi Germani tribuant ſuis Vicariis Generalibus peramplas facultates. IX. 686.

Non diſpenſat, quando jus eſt jam acquiſitum alteri. X. 281.

Epiſcopi Germaniæ electi poſſunt ante confirmationem adminiſtrare omnia. VIII. 571. *in App. lit. f.* Non tamen ſolent. *lit. e.*

Epiſcopus reſpectu Sacramenti Ordinis, Extrem. Unct. & Matrim.

Epiſcopus dormitans ſub Ordinatione, an valide conferat Ordinem? *Tr.* VIII. 200. Declaratur contingentia facti. 199. Epiſcopus eſt ſolus Ordinarius miniſter Ordinis. 245. *invalide* ordinatus Diaconus ordinat *validè* Diaconum. 249. An *licitè* conferat Majores Ordines, alio legente Miſſam? 254. Declaratur practico Caſu. 260. Et ſingulariter, quando ipſe jam antè ſacrificavit 261. Solus ordinarius Epiſcopus *licite* ordinat. 262. & licitè ſolos ſubditos 276. & *ſeqq.* Dubium tamen Ordinem *licitè* emendat quivis Epiſcopus. 232.

Epiſco-

Digitized by Google

2 Epiſcopus Originis quis dicatur? *Tract. VIII.* 279. Declaratur. 280. *& ſeqq.* Epiſcopus Originis paternæ eſt etiam originis tuæ. 281. Non autem avitæ. 283. Quid ſi neſciatur, ubi quis natus? 286. An Epiſcopus *licitè* exerceat Pontificalia in aliena Diœceſi? VIII. 314. Etſi ſit tantùm Titularis. 316. Quid ſi ipſe edicat: Non intendo ordinare ullum irregularem, aut alienigenam. 316. An *licitè* miniſtret Majores in loco privato? 318. An *licitè* ſine omnibus ordinariis paramentis. 321. Quid ſi renuntiavit Epiſcopatui? 349. Quid ſi non jejunus. 352 *& ſeqq.*

3 Epiſcopus quantâ ſcientiâ debeat eſſe præditus. *Tr.* VIII. *374.* Quo caſu *licitè* ordinet deſtitutos requiſitâ ſcientiâ. 383. *& ſeqq.* Et ſingulariter Muſicos. 390 *Juncto.* 368. Atque pauperes. 386. Ac bonos Sacriſtas 393. Exhortatio Epiſcopi Jordani ad Epiſcopos, ne promoveant indoctos. 399. Debent ipſimet intereſſe examini. 398. Epiſcopi Diœceſani nomine quis intelligatur. 411. Poteſt utique Epiſcopus ex rationabili cauſa conferre alicui Subdiaconatum, & quatuor Minores eodem die. 460. *& ſeqq.*

4 Qualis Epiſcopus det dimiſſorias? *Tr.* VIII. *567.* Ordinarius quis? *ibid. &* 262. & 411. Epiſcopi Germani benigniores erga Religioſos, quàm quidam alii. 584. Quis Epiſcopus debeat alere Ordinatum ſine patrimonio. 606. & *ſeqq.* An peccet graviter, quando non benedicit ſatis multum olei pro infirmis? 788. Iacobus Marchantius eos orat, ut diſtribuant in majori quantitate. 789. A quibus ſuſpenſionibus abſolvant? *715.* Et quas irregularitates tollant? 716. Quid faciendum rebus, quas Epiſcopus invalidè conſecravit, vel benedixit? 236. An Epiſcopus *validè* ſtatuat impedimentum Matrimonii dirimens. IX. 19. & 194. Quam certitudinem de morte mariti exquiret, antequam permittat, vel ratas habeat nuptias ſecundas uxoris? 305. & 308. Plura vide, Infrà, *num.* 6. 7.

Epiſcopus reſpectu Voti & extirpationis Vitiorum.

5 QUouſque ſe extendat diſpenſatio, quam Epiſcopus, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus facit circa votum caſtitatis in caſu neceſſitatis. XI. 350. An votum de non admittenda epiſcopali dignitate ſubſiſtat? 425. Navarri exhortatio ad Epiſcopos, ut incumbant in extirpationem blaſphemiæ. 865. Oſtenditur modus. 884. & 888. Additur ſtimulus. 883. Sunt inexcuſabiles, ſi non allaborent, ut ſuperſtitiones eradicentur, vel minuantur. 1050. Adhortatiuncula. 1036.

Epiſcopus diſpenſans in lege Papali.

6 NOn poteſt ordinariè in ea diſpenſare. *Tract.* IX. 382. *lit.* c. At declarat, an hic & nunc ea obliget. *ibid. lit.* e.

An diſpenſet *in Cap. De illis. De deſponſ. impub?* *Tr. IX.* 382. Diſpenſat pro Ordinibus cum illegitimo occulto. VIII. 428. Et quandoque cum manifeſto. 442. & 718. Et juxta Zanardum, quando deeſt pro legitima ætate ſolùm triduum. 531. Et cum debili non valente ſervare cæremonias. 674. An cum non valente tollere hoſtiam? 675. An in Germania cum hæreticis converſis. 656. Aut cum filiis Prædicantium? 688.

7 Epiſcopus diſpenſat in omni Irregularitate proveniente ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentioſum. *Tract.* VIII. 716. Non diſpenſat in Bigamia. VIII. 718. Nec in defectibus corporis manifeſtis. *ibid.* Declarat tamen, an ii verè faciant Irregularem. *ibid.* Et non tenetur ſtare judicio Prælati, cenſentis ſuum ſubditum non eſſe in hac materia Irregularem. 720. An diſpenſet in defectu perfectæ lenitatis? 718. *Paulò antè Append.* Et cum deſtituto ſcientiâ neceſſariâ? 388. Et interſtitiis Ordinum? 491. & 492.

8 Epiſcopus quo ſenſu exigat à Neomyſtis etiam exemptis promiſſionem obedientiæ? *Tr.* VIII. 773. An *licitè* diſpenſet quoad Benedictionem nuptialem? IX. 73. Et quoad votum Caſtitatis perpetuæ? 96. Et quando quoad Impedimentum dirimens? 576. Et quidem etiam quoad ſecundum gradum. 742. An, quando eſt facilis recurſus ad Nuntium Apoſtolicum? 581. Et an aliquando ante contractum Matrimonium. 582. An Germani Epiſcopi diſpenſent quoad quartum gradum? 586. An *validè* deleget alteri commiſſionem ad ſe Româ directam? *Tract. IX.* 686. An *validè* diſpenſet, quando literæ Pontificiæ ſunt directæ ad ejus Vicarium? 687. Et an, quando, Sede vacante non expedivit Vicarius, poſſit novus electus? 688. An, quando habet privilegium diſpenſandi in ætate, aut extra tempora, ſed cum clauſula: *In actu viſitationis.* Debeat ipſemet viſitare? 703. Et an poſſit alteri tunc delegare poteſtatem diſpenſandi. 709. & 710. Incumbit ipſi ſumma obligatio viſitandi. 715. *& in Append.* Epiſcopus non diſpenſat in ſponſalibus. X. 281. An teneatur diſpenſare in denuntiationibus matrimonialibus tunc, quando poteſt? 505. §. *6. Epiſcopus.* Peccat mortaliter, diſpenſans ſine juſta cauſa. 505. §. *4. Sicuti.* Quando ſuo Vicario ſubdelegavit poteſtatem conceſſam à Papa, nequit alteri ſubdelegare. VIII. 447. *Initiò.*

Epiſcopiſſa.

EPiſcopiſſæ, quæ fuerint olim? *Tract. VIII. numero* 89.

Error.

ERror circa ſubſtantiam dirimit Matrimonium. *Tract. IX.* 105. & 106. Quando cenſeatur adeſſe talis error? 107. Quandonam error in qualitate cenſeatur redundare in ipſam

ſub-

Digitized by Google

ſubſtantiam? 113. & ſeqq. Declarantur hæc variis Caſibus. 103. 110. 119. & ſeqq. Error in nomine an vitiet diſpenſationem? 635. Error communis circa Parochi poteſtatem facit Matrimonium ex invalido validum. X. 737. & ſeqq. An error circa impedimenti nullitatem efficiat ex invalido validum? 744. & 745. Et ſingulariter, ſi junctus cum ignorantia facti? 746. Sicut & an error Communitatis falſò credentis, Concilium Tridentinum de clandeſtinitate non fuiſſe promulgatum in ſua Parochia. 748.

Caſus, in quibus error non vitiavit diſpenſationem. VIII. 447. lit. a. 735. 738. 739. 740. & ſeqq. 751. IX. 637. in App. 1. & 2. 638. 642.

Error appellatur ignorantia poſitiva. XI. 114. An & quatenus irritet votum. Vide verb. Ignorantia. An irritârit votum illius, qui arripiens è ſacco nummum aureum, ratus eſſe argenteum, promiſit, ſe illum donaturum Virgini Deiparæ? 103. & 120. An, & ad quid teneatur, qui vovit Deo calicem, falſò putans fuiſſe argenteum, cùm eſſet aureus. 120. Mulier falſò putans, ſuum ſponſum eſſe leproſum, & idcirco vovens religionem, tenetur eam ingredi. 124. Error interveniens in voto caſtitatis, aut religionis, non tam facilè elidit vim voti, quàm ſi interveniat circa aliam materiam. XI. 117. & 126. Error eſt aliquando cauſa finalis voti, aliquando ſolùm occaſio. 126. Declaratur practicè. ibid. & n. 128.

Evangelium.

Vide ſuprà verbo: *Epiſtola.*

Examen.

Examen pro Ordinibus debet eſſe non perfunctorium, ſed rigoroſum. *Tr.* VIII. 399. Ei debet, per ſe loquendo intereſſe ipſe Epiſcopus. 398. Examinatoribus nihil accipere licet tanquam pretium. 401. An dimiſſi cum literis dimiſſoriis debeant, per ſe loquendo, examinari à dimittente? 577. Poteſt jam examinatum rurſum examinare is, ad quem dimittitur quis. 580. Probatur Caſu notabili. 581. Caſus notabilis unius, qui alium pro ſe ſubſtituit examinandum. 397. Et rudiſſimi ridiculè admiſſi ab examinante. 402. Examen teſtium in cauſa Matrimonii ineundi quale debeat eſſe juxta recentiſſima Decreta? *Tr. X.* 820.

Exceptio.

Fundans ſe in ea, debet illam probare. X. 183. *lit. a.*

Excommunicatio.

NOn excommunicatur, qui percutit Clericum cum uxore turpiter agentem. X. 5.

Excommunicatus petit licitè debitum conjugale. X. 583.

Exercitia Spiritualia.

OBeuntes hæc exercitia donantur indulgentiâ plenariâ. VIII. 864. Etſi tunc morbo lethali corripiantur, poſſunt à nobis extremè ungi. *ibid.*

Exorciſmus.

EXorciſmis poteſt, per ſe loquendo, uti etiam ſolo Ordine Exorciſtæ inſignitus. *Tr.* VIII. *numero* 68.

F.

Faber.

FAbri Ferrarii ſuperſtitio in ſanandis equis. XI. 965.

Facere; Factum:

REgula illa: *Qui facit per alium, eſt perinde, ac ſi faciat per ſeipſum*, quandonam fallat? *Tr. IX.* 714. Factum per alium fictè dicitur factum per ſe. 712. Quando agitur de iis, quæ per modum conditionis adjiciuntur, non ſunt paria declarare facto, & verbis. *Tr. X.* 148. Vide plura *in Florilegio. lit. F.*

Facies.

FAcies Eccleſiæ quid deſignet. *Tract. X. n. numero* 575.

Fama.

FAma quid ſit. *Tr. X.* 535. Ei plus creditur, quàm rumori. *ibid.* Attamen ſola abſolutè nihil probat. IX. 317. At verò ſuffulta adminiculis parit certitudinem moralem. 318. Debet autem ea probari per duos Teſtes omni exceptione majores, qui deponunt, ſe audiviſſe à fide dignis. 320. Atque adeò publicè, atque à digniore parte populi, in quo eſt orta fama, nominando illos, à quibus audierunt, & à quibus ortum habuerit fama. *ibid.* Niſi ea firmetur probabilibus conjecturis, vel de ea teſtentur ſeptem, vel octo. *ibid.* Iidem Teſtes de fama debent deponere, ſe credere, famam eſſe veram. *ibid.* Nihil tamen horum tenentur juramento roborare, poſſúntq; examinari, parte non citata. *ibid.* Exemplum, quo juxta multos fama parit certitudinem moralem. *num.* 321. Et quando agitur de impedimento Matrimonii ineundi, multùm valet. X. 535. At orta poſt accuſationem nihil probat. 548. *ante Append.*

Famâ an probetur mors alicujus. IX. 317. & ſeqq. An ſufficiat ad ſemiplenam probationem ſponſaliorum? X. 93.

Familiaris.

QUis dicatur eſſe de familia hujus, aut alterius Monaſterii? VIII. 415. Et quinam in materia de adminiſtranda Extrema Unctione familiaribus intelligatur hoc vocabulo? VIII. 862.

861. Familia honeſta dicitur, quæ nullâ turpitudinis nota laborat. IX. 678.

Ferdinandus II.

REfertur ejus quoddam votum conceptum clauſula multùm ambigua. XI. 369. Liber vitæ ipſius eſt virtutibus illuſtriſſimus. *ibid.* Latina lingua erat ipſi familiaris. 370. Quàm fuerit execratus ſimulationem? 636. Quàm ſeverè puniverit Aulicum, qui ejus nomine ſimulationem adhiberi volebat? *ibid.*

Feſtum.

Feſtum cum reſpectu ad Ordines Sacros.

PRobabilius eſt, hoc nomine intelligi Feſtum fori, ſive de Minoribus, ſive de Majoribus Ordinibus agatur. *Tract.* VIII. 472. At etiam probabile eſt comprehendi feſta etiam ſolius chori. *ibid. & ſeqq.* Adeóque etiam Feſta ad lubitum, ſi ſint Duplicia. 474. *ad finem.* Id ſæpe in Duplicibus quoad ſolum chorum practicatum eſt cum hominibus Societatis noſtræ, & cum alumnis Pontificiis. 475. Solvitur difficile argumentum. 476. Epiſcopi non debent eſſe difficiles in praxi illius mitioris ſententiæ. 477. At quando in Bullis Diſpenſationum, Privilegiorúmque exprimitur clauſula: *Dies feſtivus de præcepto*, intelligitur Feſtum fori. VIII. 482. *& ſeqq.* Non autem Feſtum etiam Chori, quatenus opponitur Feſto ad libitum, ut viſum eſt nonnemini. 480. Sufficit tamen, ſi illud Feſtum fori celebretur, vel in uno ſolo Monaſterio. VIII. 486. Vel etiam ex ſola devotione. 487. Quando in diſpenſationibus exprimuntur tres dies feſtivi ſine clauſula: *Interpolati*, ſubauditur illa. 464.

Feſtum in ordine ad vota.

AN, & quo titulo teneantur poſteri obſervare feſta, quæ voverunt parentes ipſorum? XI. 41. Declaratur caſu ſat raro. *ibid.*

Fictio.

FIctè promittens Matrimonium ad quid obligetur? *Tract. X.* 230. *& ſeqq.* Singulariter ſi impetravit copulam. 230. & 231. Fictè ſe contraxiſſe dicenti, an credendum? *Tract. X.* 441. Quomodo probare poſſit. 442. 443. Propriè dicta Fictio eſt peccatum. 413.

Fidejuſſio.

QUid cenſendum de juramento nunquam fidejubendi. XI. 520. Emendanda prava conſuetudo vexandi fidejuſſorem, quando principalis eſt ſolvendo. 521.

Filius Filia Filiatio.

FIlius legitimus ſequitur Originem patris, illegitimus matris. *Tract. VIII.* 284. Unde præſumatur quis eſſe filius alicujus? 432. 436. 438. & IX. 449. *in Append. lit. dd.* Filiorum officia erga parentes. X. 785. *& ſeqq.* An peccet mortaliter tollendo manum ad percutiendum patrem, vel matrem? 787. Filiationis cauſa meritò magni fit in utroque foro. X. 196. Filii non ſubſunt parentibus in iis, quæ ad prolis generationem pertinent. X. 03.

Filius, & filia an, & quatenus poſſint obligari votis parentum. XI 39. Singulariter quando ab his devotus fuit Religioni. *Ibid.* Declaratur duobus caſibus. 40. Quid ſi promiſit moribundo patri, ſe executurum votum ejus perſonale, an peccabit contra religionem non exequendo? 43. An mortaliter? 44. Quid ſi fictè promiſit? *Ibid.*

Prudentérne agant filii, & filiæ ſi parentes ſuos conſulant circa electionem ſtatus? XI. 160. & 161. Fuſè, eorum vota quatenus validè, vel invalidè irritent parentes. Vid. verb. *Parentes.* Singulariter reſpectu illegitimorum. *Ibid.* Filio puberi fas eſt etiam repugnante parte ſuſcipere peregrinationem brevem. XI. 195. Filii quandonam cenſeantur per ſe eſſe emancipati. *Ibid.* Puberes non ſunt ſub poteſtate alterius, ſi ſint liberæ conditionis, quantùm ad ea, quæ ſuam perſonam ſpectant. 196. Filii an validè vota realia, vel mixta edant de pecuniis miſſis à parentibus pro ſtudiis. 199. Aut quas lucrantur ex opificio. *Ibid.* Aut ex bonis Caſtrenſibus. *Ibid.* Præceptum antiquæ legis de votis filiarum ſtatim irritandis, ſilentióque patris, non obligat in nova lege. XI. 209. Et proinde quæ Theologi tradunt de jure, aut vi irritationis votorum nuncupatorum à filiis, ſeu maſculis, eadem intelliguntur de iis, quæ filiæ, ſeu fœmellæ nuncupârunt. 210. Eſto hæ jam ſint aſſecutæ pubertatem. *n. 211.*

Fiſcalis: Fiſcus.

QUando agitur de tranſitu ab Ordine Sacro ad Matrimonium, Fiſcalis quandoque conſtituitur advocatus Sacramenti Matrimonii. XI. 149. Fiſcus non eſt propriè hæres illius, cujus bona confiſcantur. 47. Habetur tamen loco hæredis. *Ibid.* Et tenetur ad ſolvenda omnia debita Rei, adeóque legata, & vota realia. *Ibid.* Fiſcus præſumitur eſſe ſemper ſolvendo, & immortalis. 628. An qui eum defraudat in ſteuris, ſeu collectis peccet mortaliter? *Ibid. & ſeqq.*

Fœmina.

IN dubio de promiſſione matrimoniali magis favendum eſt fœminis, quàm maribus. X. 77. Vide plura Verb. *Mulier.*

Fœtus.

FOetus quamdiu poſſit hærere in utero? X. 95. *in App. lit P.*

Fornicatio.

FOrnicationem eſſe commiſſam unde probetur? *Tract. X.* 190. *Remiſſivè.* Præcedens, aut ſequens ſponſalia, an dirimat illa. 307. *& ſeqq.* Spiritualis Fornicatio quæ? 306. Fornicatus cum virgine an, & quatenus teneatur eam ducere? 198. *& ſeqq.* Fornicationis malitia in quo conſiſtat. 196.

Forum.

AN judex fori externi poſſit ad ſacros Ordines admittere irregularem occultum, quem tamē ſcit, eſſe diſpenſatum pro ſolo foro interno? VIII.721. *in App. 3. lit. q.* Declaratur Caſu notabili. *ibid. lit. p.*

Franciſcus.

S. Franciſcus Seraphicus cenſuit, eſſe conſultius edere carnes illa feria ſexta, in quam incidit feſtum Natalis Domini, in honorem incarnationis Dominicæ, quàm abſtinere ex conſideratione, quòd ſit dies Veneris. XI. 116. Voluit, ut tunc etiam parietes ſi poſſint, carnes edant, vel incruſtentur. *ibid.*

Cur S. Franciſcus Xaverius colatur decemdialibus operibus. XI. 957.

S. Franciſcus Saleſius reſcivit rem miram geſtam cum uno è ſuis Neomyſtis. VIII. 134.

Frater.

FRater an contra fratrem teſtari cogatur? *Tr. X.* 140.

Fuga.

FUgiens ex arreſto an habendus pro confeſſo? X. 242. *in App.*

Fulmen.

AN lapis fulmine dejectus conferat illum geſtanti robur Herculeum? XI. 997.

G.

Gallia. Galli.

IN Gallia receptum eſſe Concilium Tridentinum ſingulariter circa nullitatem Matrimoniorum clandeſtinorum, probatur Authoritate Gallorum contra Gallos. IX. *num. 485. in App.*

Eorum juramenta. XI. 480. Ipſorummet judicium de verborum complimentis. 670. Blaſphemiæ eorundem. 724. Pœnæ ab ipſis ſtatutæ in blaſphemos. 842. & 876. Genus quoddam apparentis ſuperſtitionis in excommunicandis animalibus. *n. 955.*

S. Georgius.

AN damnandus ſuperſtitionis quidam Princeps, & alii, qui geſtant nummum argenteum inſignitum effigie S. Georgii, ut præſerventur à noxio lapſu ex equo. XI. 1014. S. Georgius eſt ipſis Turcis ſummo honori. *ibid.* Fuit non rarò viſus in aëre pugnans contra hoſtes ſuorum Clientum. *ibid.*

Germania.

HAbetur in Germania major, quàm alibi ratio linguæ Latinæ. VIII. 384. & 387.

Hæreſis non parit in Germania infamiam. VIII. 655.

Vicarii Generales fruuntur in Germania magna poteſtate. IX. 686. Qua honeſta ratione ſoleat per Procuratores magnorum Principum repræſentari conſummatio Matrimonii. X. 405.

Tota Germania eſt accenſenda locis valde remotis ad urbe Roma. VIII.571. *in App. lit. F.* Quod bene notandum pro praxi Epiſcoporum, & Confeſſariorum. *ibid. lit. g.*

Germani.

GErmani ſunt vindices perfidiæ, & perjurii. XI. 509. & 510. Horum juramenta. 480. & 488. Lipſii, & Zahnnii judicia contraria de eorum ſinceritate. 669. Excellunt in etymologiis. 697. Aptiſſimè nominant blaſphemiam. *ibid.* Tredecim eorum blaſphemiæ, vel quaſi explicantur. XI. 732. *& ſeqq.* Aliquæ valde execrandæ. 814. & 815. Nominationi Sacramenti addunt perſæpe in ira, & extra iram aliquod verbum indifferens, aut indecorum. XI. 736. Confitentes blaſphemias utuntur ſæpe verbo valde ambiguo, & idcirco examinandi. 824.

Plura particularia de Germanis vide ſuprà verb. *Conſtantienſis Diœceſis &c.*

Gratia.

GRatia *facienda* extinguitur morte concedentis, non autem gratia *facta. Tract. VIII.* 587. Reſcriptum gratiæ ad diſpenſationes impetrari poteſt pro alio, ſine ejus mandato. 748. juncto 745. At interpretandum ſine præjudicio alterius. *ibid.*

Gratum.

QUæ actio dicatur eſſe in individuo gratior Deo? *Tr. X. n. 406.*

H.

Hæres.

HÆres tenetur explere vota teſtatoris merè realia, non verò perſonalia. XI. 38. & 42. Et quidem debet vota realia præferre legatis etiam piis. 38. Non tenetur ſolvere expenſas itineris, quas teſtator feciſſet, ſi perfeciſſet votam peregrinationem. 88. Nec tradere monaſterio bona, quæ teſtator voverat ſe ſecum eſſe illaturum in id monaſterium. *ibid.*

Hæretici.

DUbium eſt, utrùm ſit repetenda Ordinatio illius, qui ab Epiſcopo hæretico fuit con-

ſe-

Digitized by Google

ſecratus. *Tract. VIII.* 213. Hæreſis non reddit in Germania Irregularem communiter. 655. Quid ſi quis ſit filius Prædicantis Lutherani. 688. Declaratur Caſu vero. *ibidem.* & 656.

2 Hæretici ſubſunt actu legibus Eccleſiæ. *Tr.* IX. *58. in Append. 1.* Contra Petrum Marchantium. Ineunt invalidè Matrimonium, ſi adſit Impedimentum dirimens, etiam Juris Eccleſiaſtici. *ibid. & num. 49. & ſeqq. fuſè.* Contrarium tamen non eſt omnino improbabile. 52. Et probabilius, talia matrimonia ne quidem ut contractus civiles valere. X. 700. *& ſeq. & Tract.* IX. *58. in Append. 1. lit. f.* Cur ſint indigni omni conniventiâ, aut tacitâ approbatione Papali? IX. 461 & 462. Etiam in locis permixtæ Religionis illicita ſunt Catholicis Matrimonia cum illis. *Tract. IX. num. 218.* Addunt ipſi impiè conditionem, ut pars liberorum ſequatur Religionem heterodoxam. 221. Additur quædam moderatio. 221.

3 Validè ſeparant rationem Sacramenti à ratione contractûs. 228. An ſemper ſaparent re ipſa, quando dicunt, ſe nihil negotii velle habere cum Sacramento Papiſtico? 234. An Matrimonium ſit ſemper nullum, quando contrahunt cum conditione diſſolubilitatis? 239. Eorum matrimonia non ſunt communiter diſſolubilia. *Tract. X. num. 699. & ſeqq. fuſè* Probatur argumento convincente. 701. Probatur & ſententiâ judiciali. 708. Et authentico Reſcripto. 710. *in Append.* Contraria tamen opinio defenditur à P. Habſenſi. 710. *ante App.* Et ante eum à Petro Marchantio *Tr.* IX. *58. in Append.* Diſſolvi autem debent inita cum Impedimento, juris etiam Eccleſiaſtici. *Tract.* IX. *num. 58.* Poteſt tamen gravi ex cauſa permitti perſeverantia in priore conjugio. X. 711.

4 Certum eſt, non ſubſiſtere Matrimonium hæretici cum Moniali pridem hæretica. *Tract.* IX. 41. Dicta de diſſolubilitate, & indiſſolubilitate declarantur variis Caſibus: ut Neocatholici, qui in Lutheraniſmo duxerat junctam ſibi tertio gradu cognationis: IX. *num. 1.* Alio unius Neocatholicæ. 58. Huſſitæ, qui duxerat junctam in ſecundo gradu. 56. Mulieris Catholicæ repudiatæ à marito Calviniſtâ, & ideo volentis nubere alteri. 212. Zwingliani etiam poſt converſionem ducentis ſecundam, vivente primâ. X. 695. & 698. Catholici, cui ſuaſum, ut relictâ conjuge Acatholicâ, à qua malè habebatur, ſuperinduceret Catholicam. 704 Neocatholici damnati capite ideo, quòd, repudiatâ priore acatholicâ, junxiſſet ſibi Catholicam. 708. Catholicæ, quæ ritu hæretico nupſerat heterodoxo, à quo etiam ducente aliam repudiata nupſit, & ipſa alteri. 709.

5 An hæreticorum matrimonia coram Prædicante contracta ſubſiſtant? *Tr.* IX. 29. & 463. Quid ſi coram illo contrahant in urbe mixtæ Religionis? 459. Quid ſingulariter in Hollandia? 463. & 472. & 501. *in Append. 1. lit. b. & ſeqq.* An ſaltem liceat coram illo renovare Matrimonium? *ibid. lit. b. & num. 473. 474.* Declaratur quæſtione novâ, & practicâ. 474. Nefas eſt, per ſe loquendo, vel eos copulare. 498. Vel intereſſe eorum conviviis nuptialibus. 227. & 473. Hæreſis an Matrimonium dirimat quoad torum? X. 729. Diſcutitur noviſſimus, & difficilis Caſus Neocatholicæ, volentis variis ex cauſis diſſolvere matrimonium initum coram hæretico Miniſtro. X. 712.

Saltem tolerati pollent etiam poteſtate ir- 6
ritandi vota filiorum impuberum. XI. 221. An ſi eorum filii impuberes fiant Catholici, edántque votum aliquod, cujus ipſos deinde pœniteat, ſit neceſſe petere ab ipſis irritationem. 223. Singulariter ſi ſit votum caſtitatis. 222. Et meritò dubitatur, an ſubſiſtant pleraque vota, ſingulariter Caſtitatis, quæ filii Lutheranorum edunt. 222. & 223. Si ſubſiſtunt, nequeunt ab alio, quàm à patre, dum hîc vivit, irritari. 223.

Quatenus fides jurata hæreticis ſervanda ſit 7
à catholicis. XI. 541. Speciatim quando catholicus princeps juravit ſe in ſuæ ditionis certo loco toleraturum hæreticum miniſtrum. 540. Aut etiam puniturum recipientes ſacramenta: obeuntes ſacras peregrinationes. *ibid. & ſeqq. & 546.* Declarantur ſpeciebus facti. 546. & 549. Mentiuntur hæretici Miniſtri, dum ſcribunt, eſſe doctrinam Jeſuitarum, quòd hæreticis non ſit fides ſervanda. 541. Hæretici moderni ſunt apertè patroni mentientium. 592. Mentiuntur, dum nos vocant idololatras. 901.

Helvetii.

Blaſphemandi conſuetudo apud ipſos rariſſima. XI. 750. Refertur hanc in rem individuus Caſus. 749. Habent aliqua verba pro blaſphemis, quæ non alii. 750. Severè puniunt blaſphemos. 881.

Hermaphroditus.

Hermaphroditus an irregularis? VIII. 32. Quid ſi prævaluit ſexus virilis tunc, cùm initiabatur? *ibid.*

Herodes.

Herodis juramentum proponitur. XI. *n. 460.* Examinatur. 461. & 462.

Hilarius.

S. Hilarius quàm appoſita deſcriptione retraxerit ſuam filiam à propoſito ineundi Matrimonii carnalis ad ineundum ſpirituale? XI. *numero 161.*

Homicida.

An pro homicida habendus is, coram quo corpus occiſi mittit ſanguinem? XI. 918.

An contra talem inquiſitio inſtitui poſſit. *num.* 919.

Homicidium.

VOluntarium à Caſuali quomodo differat? VIII. 670. Quomodo inducat Irregularitatem? Vide verb. *Irregularitas. num.* 3. Quomodo dirimat Matrimonium? Verb. *Impedimentum. num.* 4.

Honeſtas publica.

SOlet vocari *juſtitia publica Honeſtatis. Tr.* IX. 362. Cur ita? 363. Inducit Impedimentum ortum tum ex ſponſalibus, tum ex Matrimonio rato, & non conſummato. 365. Non egreditur jam primum gradum Cognationis, ſeu Affinitatis. 366. Nec oritur ex ſponſalibus, niſi validis. 368. Et abſolutis. 569. Durátque etiam poſt mortem ſponſæ, aut ſponſi. 370. Et ex recentiſſima Declaratione Congregationis, etiam poſt ſponſalia libere diſſoluta. 358. Licèt autori, & aliis, fuerit aliquando aliud viſum. 361. & 375. Non eſt tamen ullus ſcrupulus movendus iis, qui antea contraxerunt ex opinione contraria Declarationi Congregationis. 377. Qui fictè promiſit Matrimonium, non incurrit hoc Impedimentum. 365. Declarantur variis Caſibus dicta de hoc Impedimento, quatenus oritur ex ſponſalibus. 358. 371. 374. 378. & ſeqq. Explicatur Caſus alius implicatus variis difficultatibus. 381. 382. 383.

Quomodo idem Impedimentum oriatur ex Matrimonio rato, & non conſummato. *Tract.* IX. 384. & *ſeqq.*

Hora Canonica.

DUbitans, an ſit rite ordinatus Subdiaconus, non tenetur Breviario. VIII. 205.

Hoſtia.

HOſtia nequaquam eſt neceſſariò tangenda à conſecrando in Sacerdotem. *Tract. VIII. num.* 103. & *ſeqq.* Ideóque nequaquam iteranda eſt conſecratio ob defectum illius tactûs. 105. 108. Imò peccabis mortaliter, ſi tunc petas reiterationem. *ibid. lit. b.* & *ſeqq.*

Hundert tauſend Sacrament.

LAtinè ſonat: Centum millia Sacramentorum. XI. 732. Eſt Germanis nimiùm familiaris blaſphemia. *ibid.* & 739. Refertur Caſus verus, qui probabiliter non continebat blaſphemiam. 704. Quid cenſendum de dicente: **Hundert tauſend Safframent.** 746.

I.

Idololatria.

QUid ſit? XI. 9 1. Idolum quid ſit? 903. idololatria eſt duplex. 904. Ne ficta quidem eſt unquam licita. *ibid.* Enumerantur Caſus, quibus hodiéque Chriſtiani exercent idololatriam implicitam. 905. Et materialem. 906.

Jejunium.

QUid agendum Sacerdoti, qui in primo NatalisDomini Sacro ſumpſit conſecratam hoſtiam intinctam vino purificationis? *Tract.VIII.* 363. Quid Prælato, qui deberet eo die cantare Miſſam Conventualem, & tamen ſumpſit in primo Sacro guttas adhærentes interiori ſuperficiei calicis? VIII. 367.

Antiſtes collaturus Ordines Majores, & hos accepturus debet eſſe jejunus. *Tract.* VIII. 312. At neutrius jejunium eſt de ſubſtantia Ordinis. 353. Illud jejunium debet eſſe naturale. 354. Non tamen in eo Caſu, quo Epiſcopus continuat Ordinationem cœptam Sabbato præcedente. 355. Caſus, quo fuit Minoriſtæ non jejuno permiſſa Communio. 361. Caſus, quo non fuit permiſſa novo Preſbytero. 350. & 360. Nec Ordinaturus, nec ordinandus tenentur pridie Ordinationis jejunare. 357.

Qui vovit jejunium, at nequit obſervare ob defatigationem, non tenetur abſtinere à carnibus. XI. 77. Qui hodie vovit, ſe jejunaturum pridie feſti in pane & aqua, cras autem vovet ſe ne quidem panem eſurum, ſed ſolùm alias res, utro voto teneatur? 98. Qui vovit ſe jejunaturum omnibus ſextis feriis, non cogitans de die Natalis Domini, an teneatur tunc, cùm id feſtum cadit in dictam feriam, jejunare? XI. 115. & 117. S. Franciſ. Seraphicus quid ſenſerit de jejunio in die Natalis Domini? 116. An doctrina de non jejunando illa feria ſexta, intelligatur etiam de reliquis valde ſolennibus feſtis, incidentibus præter opinionem in illam diem, qua te voveras jejunaturum. 115.

Quomodo ſit ſuperſtitioſum jejunare in paſchate? XI. 953. An ſit ſuperſtitioſus, qui ſtatuit diem ſui Sancti menſtrui colere jejunio, eſto hoc cadat in diem Dominicum? 960.

Jephte.

EJus votum proponitur. XI. 52. Fuit id probabiliter licitum, & validum. 55. Annumeratur à Paulo Apoſtolo verè Sanctis. *ibid.* An filia fuerit obligata præbere jugulum? 56. Tertulliani ſeverum judicium de voto Jephthæo. 54.

S. Ignatius Confeſſor.

BLaſphemus Religioſus in hunc nondum tunc canonizatum divinitus punitus. 762. Alius itidem Religioſus ſupplicio mulctatus, idcirco quod per ludibrium dixerit: *Jeſuitarum Fundatoris eò ſumma pertingit poteſtas, ut ſanet dolorem dentium, non plus ultra.* XI. 763. Omnia & ſingula contenta in ejus Exercitiis ſpiritualibus, & Conſtitutionibus, ſunt approbata à ſede Apoſtolica. 959.

Igno-

Digitized by Google

Ignorantia:

1 IGnorantia quando cenſeatur verſari circa ſubſtantiam voti? IX. 92. Ignorantia Impedimenti matrimonialis inducti non in pœnam, non infringit vim Impedimenti. IX. 67. Declaratur duplici Caſu. 76. & 68. Et intelligitur etiam de ignorantia, qua laborat tota Provincia. 68. §. *Sum.* Ignorantia Impedimenti criminis an impediat vim Impedimenti? 202. Et ignorantia compaternitatis, ſecuturæ ex Baptiſmo, an impediat compaternitatem? 172.

Ignorantia facti, non juris excuſat. IX. 470.

2 Ignorantia antecedens, comitans, conſequens quæ? XI. 105. Comitans non officit valori voti. 106. Singulariter tunc nulla ignorantia officit, quando quis expreſſè vult eo modo vovere, quo alii ejuſdem ſecum conditionis. 106. Quid de ignorantia vincibili ſentiendum? 107. & 108. Singulariter quando eſt affectata. 107. Et verſans circa ſubſtantiam voti. 108. Recenſentur ſex communes, & diverſi caſus, in quibus cenſetur intervenire ignorantia circa ſubſtantiam, & conſequenter irritativa voti. 109. Singulariter. *num. 110.* Quomodo ignorantia cauſæ finalis motricis irritet votum ſimplex? 110. & 126. Et an ignorantia, vel error circa cauſam impulſivam irritet? *ibidem.* Declaratur Caſu Epiſcopi Trecenſis. 127.

3 Ignorantia negativa circumſtantiarum quatenus impediat, vel non impediat valorem voti. XI. 112. Quæ circumſtantiæ cenſeantur leves? *ibid.* Nullius circumſtantiæ ignorantia non pertinentis ad ſubſtantiam, irritat votum ſolenne. *ibid.* Nec ſimplex, ſi ſit unum è ſimplicibus, quæ edimus in Societate. *ibid.* Refertur ex S. Thoma Regula de vi ignorantiæ circa circumſtantiam voti. 112.

4 Ignorantia circumſtantiarum, quæ jam aderant tempore voti, an & quatenus illud irritet? XI. 113. Regulæ de ignorantia impediente, vel non impediente valorem ſponſalium, an habeat etiam locum in ignorantia voventis? 113. Ignorantia circumſtantiarum ſupervenientium voto jam facto, quatenus irritet votum? 114.

5 Ignorantis nullus eſt conſenſus. XI. 121. An ignorans, quid ſit impuritas, poſſit vovere caſtitatem? *ibid & ſeq.* Et validè inire Matrimonium Virgo, quæ ignorat neceſſaria ad conceptionem prolis? 122. Ignorantia juris obſcuri excuſat æquè, ac ignorantia facti. 152. Ignorantia, quòd hoc año ſit aliquod feſtum occurſurum in die Veneris, an excuſet eo die illum à jejunio, qui vovit, aut juravit, ſe qualibet feria ſexta jejunaturum. 507. Ea ignorantia tollit obligationem juramenti, quæ tollit voti. 506.

Illegitimus: Illegitimitas.

ILlegitimus cenſetur habere domicilium *Originis* eo loco, in quo ejus mater. *Tr.* VIII. 284. Epiſcopus probabiliter diſpenſat cum illegitimo occulto. 429. Filius non tenetur credere matri dicenti, ipſum eſſe illegitimum. 431. Declaratur duplici notabili Caſu. 431. & 432. Debet haberi pro legitimo infans expoſitus. 436. Salutem poſt Ordines bonâ fide ſuſceptos debet eſſe ſine metu. *ibid.* Etiam natus vel ſeptimo menſe poſt nuptias matris; vel decimo tertio poſt mortuum maritum matris, eſt cenſendus legitimus. 437. Sicut & natus ex Matrimonio invalido, ſi alterutra pars ignoravit Impedimentum. 438. Eſto ſit conceptus, lite circa valorem Matrimonii pendente. *ibid.*

Illegitimitas tollitur per ſubſequens Matrimonium. *Tr.* VIII. 439. Documentum practicum hinc deducitur. 439. Tollitur & per legitimationem, quam ſolus Papa facere poteſt in ordine ad jura Eccleſiaſtica. 440. Sicut & ipſe ſolus diſpenſat quoad Majores Ordines, & Beneficia curata. 442. Epiſcopus quoad Minores & ad, Beneficium ſimplex. *ibid.* Et diſpenſatus à Papa quoad Presbyteratum non idcirco eſt diſpenſatus pro beneficio Curato, ſed ſimplici. 443. Vide plura verb. *Patrimonium.* Quid exprimere debeat petens diſpenſationem illegitimitatis? 444. Cur à Theologis propugnentur legitimi natales? *Tr. X. 196.* Præſumptiones pro illis. 197.

Quatenus Prælati Regulares diſpenſent cum illegitimis? *Tr.* VIII. *719. & 721. in App. 2.* Reſolvuntur hanc in rem duo novi, & perquam intricati Caſus. *719. & 721. in App. 2. lit. l.* Etiam occulta illegitimitas inducit irregularitatem. *ibid. lit. a & b.*

Impedimentum.

Impedimentum generatim.

IMpedimentum Matrimonii quid, & quotuplex? *Tr.* IX. *n. 6. 7. & 8.* Explicantur breviter octo impedimenta impedientia, quæ olim erant in uſu *n. 10. & ſeqq.* Alia quatuor, quæ nunc ſunt in uſu. 69. & *ſeqq.* Enumerantur Impedimenta dirimentia. 13. & 14. Sola Eccleſia poteſt ſtatuere impedimentum dirimens, non autem Archiepiſcopus ille, de quo. *n. 19.* Poteſt tamen Magiſtratus politicus ſtatuere, ut, ſi quis velit eſſe civis, non ducat extraneam exempli gratiâ. 21. Defenditur adverſus Carillum aliquod Lucernenſe, & Mutinenſe Statutum huc faciens. 21. Quid de alio Helvetico? *ibid. in App. lit. a.* Matrimonia debent quidem eſſe libera, ſed non omni ex parte. *ibid. ante Append.* Poteſtque conſuetudo inducere novum Impedimentum, ac tollere. 22. 23. 24. & 25. Niſi damnata ſit tanquam corruptela, aut irrationabilis, qualis non eſt omnis illa, quæ contraria eſt Canonibus ſtatuentibus Impedimentum. 23. 24. Canones de Impedimentis Matrimonii obligant in actu ſecundo etiam Lutheranos, Calviniſtas &c. 27. & *ſeqq.* Ex inſtituto contra P. Habſenſem. 53. Et Petrum Marchantium relatum. *n. 58. in App. 1.* Contraria, tamen opinio non eſt omninò improbabilis, ſi abſtrahatur à Declarationibus

Digitized by Google

bus contrariis. IX. 52. 57. Impedimento qualicunq; obnoxius peccat, per ſe loquendo, mortaliter, contrahens Matrimonium. 59. Et quidem ſacrilegium committit, ſi ſit obnoxius Impedimento ſolùm impedienti; non item, ſi dirimenti. 59. 60. Quid ſi dubitet de impedimento? 62.

Quis Judex in cauſa Impedimenti? *Tract.* IX. *n.* 63. Quomodo probetur, ſubeſſe Impedimentum? 66. Ignorantia impedimenti non tollit vim hujus. 67. *& ſingulariter Caſ.* 10. *num.* 202. *in App.*

Impedimenta Matrimonii impedientia tantùm.

2 HOrum ſunt nunc duntaxat quatuor indicata hoc verſiculo.

Sacratum tempus: Vetitum: Sponſalia: Votum. Tr. IX. 8.

Sacrati temporis nomine quid intelligatur? 70. Eo vetantur ſolæ nuptiæ ſolennes. *ibid.* In quonam practicè conſiſtat ſolennitas? 70. 71. 72. Fiunt licitè Sabbato etiam præcedente primam Dominicam Adventûs. 74. Nomine *Vetiti* intelligitur inhibitio Matrimonii facta ab Epiſcopo, vel Parocho. 76. Sicut *Sponſalium* nomine venit promiſſio Matrimonialis licitè, & validè facta alteri, ſuas adhuc vires obtinens. 79. Et proinde, qui promiſit ſucceſſivè pluribus Matrimonium, tenetur ſoli primæ ſervare fidem 79. Vide plura verb. *Sponſalia. n.* 12. Denique, quomodo votum impediat Matrimonium? vide infrà verb. *Votum. n.* 3. *&* 5.

Impedimenta dirimentia enumerantur pleraque remiſſivè.

3 NOn recenſentur eodem modo ab omnibus. *Tr. IX. num.* 13. *& ſeqq.* Nos cum communiore ſtatuimus quatuordecim. 13. Primum eſt Error: de quo vide verb. *Error.* Secundum Conditio, de qua verb. *Conditio.* Tertium Votum, de quo infrà verb. *Votum.* Quartum Cognatio triplex, de qua verb. *Cognatio.* Quintum Cultûs diſparitas, de qua mox. Sextum Crimen, de quo paulò pòſt. Septimum. Vis, ſeu Metus, de quo verb. *Metus.* Octavum Ordo, de quo verb. *Ordo.* Nonum Ligamen, de quo etiam paulò pòſt. Decimum Publica Honeſtas, de qua ſuprà verb. *Honeſtas Publica.* Vndecimum Affinitas, de qua verb. *Affinitas.* Duodecimum Impotentia, de qua verb. *Impotentia.* Decimum tertium Abſentia Parochi, de quo verb. *Parochus. nu.* 6. Vltimum eſt Raptus, de quo verb. *Raptus.* Impedimenta, quæ ſuſtulit Concilium Tridentinum, ceſſant etiam in locis, in quibus non fuit publicatum Concilium. IX. 25. Matrimonium initum cum impedimento ignorato ab altera parte quomodo renovandum. IX. 560. 421. *Remiſſivè.*

Impedimentum Criminis.

4 TRiplex eſt crimen, quod inducit inhabilitatem ad Matrimonium cum aliquo genere perſonarum, *Tr. IX.* 179. Primum adulterium, de quo vide ſuprà verb. *Adulterium.* Alterum Raptus, de quo infrà verb. *Raptus*, Tertium eſt uxoricidium. *Tr. IX. n.* 179. Quod debet quidem continere veram necem uxoris propriæ. 180. & quidem factam ex intentione ducendi aliam. 180. Non autem factam ex odio, aut vindicta. 182. Declaratur duplici vero Caſu. 178. & 182. Quid ſi intentio contrahendi cum alia fuit ſolùm ſecundaria? 183. Quid ſi non uxor, ſed maritus occidatur ex illa intentione? 182. Iſtud Impedimentum non emergit, niſi inter duas perſonas. 181. At emergit non obſtante *ignorantia.* 67.

Impedimentum Cultûs Diſparitatis.

NOn oritur per ſe ex hæreſi. *Tr. IX.* 226. Nec credendum eſt, Hæreticos generatim 5
contrahere cum talibus conditionibus, aut circumſtantiis, quæ ponant ſubſtantiale Impedimentum Matrimonio. Suprà verb. *Hæreſis.* Ubi de Matrimoniis cum Hæreticis. At verò Paganiſmus, aut Iudaiſmus irritat Matrimonium per ſe inter laborantes alterutro vitio, & baptizatum. 214. Non tamen per ſe illud, cui inter utrumque infidelem inito ſupervenit alterius Baptiſmus. 215.

Impedimentum Ligaminis.

HOc Impedimentum adeſt, quando unus, vel una eſt legitimè copulata alteri. *Tr. IX. num.* 278. Nam polygamia, ſeu pluralitas uxorum eſt Lege Chriſti vetita. 279. & damnanda Regina Cingæ, quæ habuit quadraginta maritos vivos. *ibid.* Conjux dubius de morte conſortis tranſit illicitè ad alias nuptias. 281. Non tamen invalidè. 286 Captivi non poſſunt tranſire ad ſecundas nuptias, niſi habeant majorem de morte conſortis certitudinem, quàm non captivi. 285. Sola certitudo de conjugis abſentia ſeptenni non ſufficit pro ſecundis nuptiis. 287. Sufficit autem ſecundùm Bartholum quinquennis abſentia, ſi fuit facta diligens inquiſitio. 352. Vt mulier licitè nubat alteri, ſufficit ei veroſimilis præſumptio de morte mariti. 292. Declaratur tribus Caſibus. 295. *& ſeqq.* An? & quomodo fama de morte huc ſufficiat? vide verb. *Fama.*

Declaratur perplexa Ligaminis materia viginti quatuor Caſibus, illorum, & illarum, 6
ut qui contraxerunt, nondum habita certitudine de morte conjugis. 282. Et illius, cujus uxor inter cæteros teſtabatur, eſſe mortuum. 311 Mulieris, quæ poſt ſeptem annos à viri abſentia fruſtra inquiſierat de vita mariti. 283. Caji in longinquum profecti: Stichi prælium ingreſſi: Titii jam ſenis non ampliùs comparentium, & famæ vulgantis, omnes eſſe mortuos. 295. Olympiodori profecti in locum remotum, uno unico teſtante, eſſe extinctum. 296. Oſvvaldi in furorem lapſi, è catenis elapſi, & per octo annos non comparentis 297. Opimii habiti ob multas circumſtantias pro oc-

Digitized by Google

occiſo in prælio. 323. Alterius habiti etiam pro occiſo in prælio, at non ex ſufficientibus indiciis. 328. juncto 276. Abſentis per 15. Annos, teſtante uno uxori ejus, quòd vidiſſet illum ante octo annos decumbentem ex paralyſi ad mortem. 330. Lampridii allegantis, uxorem abeſſe annis tredecim, & rumorem de illius morte ſparſum. 332. Teſtis falsò jurantis, Titium eſſe coram ſuis oculis ſepultum, & ideo efficientis, ut ejus uxori fuerit permiſſus tranſitus ad ſecundas nuptias. 333. Sempronii confingentis falſas literas de morte conjugis. 335. Capitanei ſuo ſolo ſigillo teſtantis ex auditu, Titium ſuæ cohortis eſſe mortuum. 337. Septimii à 24. Annis non viſi, viſo tamen ejus cadavere, ut deponebat Teſtis de auditu. 339. Jurantis, ſe nunquam contraxiſſe cum ea, quam coram Teſtibus ſæpe dixerat eſſe ſuam uxorem, &, hâc vivâ, ducentis publicè aliam. 344. Mariti adſpirantis ad alia vota idcirco, quòd uxor, juſta ex cauſa, diſceſſiſſet aliò & ab octodecim annis nihil de ea poſſet comperire, teſtaretúrque nonnemo, eam fuiſſe receptam in hoſpitale, quod poſtea peſtis fecit vacuum omnibus inquilinis? 349. Alterius etiam ad alia vota adſpirantis, quòd uxor minimè robuſta jam viginti annis deſideraretur. 352. Alterius, quem unus Teſtis deponebat, fuiſſe ante duodecim annos in urbe, in qua multi dyſenteriâ necabantur: alius, fuiſſe viſum à ſe in eadem urbe laborantem periculoſâ dyſenteria: tertius, ſe audiviſſe ex milite reduce ex illa urbe, ipſum vitâ exceſſiſſe. 353. Alterius, cui ſe parentâſſe aſſeruit extrajudicialiter miles, hujúſque aſſertionis producti duo jurati Teſtes, addentes, eam ſibi videri veram. 375. Trium habitorum pro mortuis, & comparentium poſt ſecundas nuptias. 356. & 357? Denique unius tunc domum reverſi, dum celebrabantur ejus funeralia. 357. §. *Vt cùm.* Concluditur, DD. Ordinarios non debere eſſe faciles in permittendo tranſitu ad ſecundas nuptias. *Ibid.* §. *Ergo maximè poſt recentiſſimam Inſtructionem Clement. X. relatam in fine Tractatûs. X.*

7 Conjux, qui bonâ fide tranſit ad alterum Matrimonium, comperto, vivere priorem conjugem, debet abſtinere uſu conjugali. *Tr. IX. num. 324.* Sicut &, ſi jam ſit mortuus, ſed vivebat tunc, cùm fuit factus ille tranſitus. 325. Si autem dubitetur, an adhuc ſit, fueritve ſuperſtes tempore initi ſecundi Matrimonii, bonæ fidei poſſeſſor licitè reddet, & petet: malæ autem fidei poſſeſſor licitè reddet, illicitè petet. *Tr. X. 644. & 645.*

Impedimentum Impotentiæ.

8 IMpotentia hoc loco eſt defectus corporis, impediens perfectam copulam conjugalem. *Tr. IX. 413.* Quid per hanc intelligatur? *ibid.* Vnde proveniat? ſeu in mare, ſeu in muliere illa Impotentia? *ibid. & num. 414.* Qualis impotentia dirimat Matrimonium? 415. An, & quomodo reſpectiva? 415. Orta ex ſenio. 417. Ex impoſſibilitate retinendi ſemen? *ibid.* Exſecto rantùm uno teſticulo? 418. Aut utroque. 416. & 418. Delaratur Caſu recentiſſimo. 419. Non licet aut talibus, aut aliis impeditis, inire Matrimonium cum ea ſola intentione, ut vivant caſtè inſtar fratris, & ſororis. 419. & X. 547. Bulla Sixti V. de Matrimonio ſpadonum eſt recepta in Germania. IX. 419. §. *Non obſtat. 2.* Impotentia vel temporalis, vel ſuperveniens Matrimonio non obeſt. 421. & 423. Sicut nec ſterilitas. 426. Quid agendum, orto dubio de Impotentia, vel ante Matrimonium? 427. Vel poſt. 428. Quid, quando comperitur, fuiſſe ex falſa opinione de Impotentia diremptum Matrimonium? 430. Quid, quando dubitatur, utrùm Impotentia, quæ certò adeſt jam, præceſſerit, an ſecuta ſit nuptias? 432. Quid, quando Impotentia poteſt emendari arte medica? 434. Proponitur valde litigioſus de viro impotente Caſus. 410. Reſolvitnr ille. *num. 436. & 437.* Ubi ſingulariter quæritur, utrùm, ſi ex medicorum inſpicientium judicio fuit judicialis ſententia de Impotentia lata, debeat poſt plures annos ea ſententia revocari, ſi alii medici teſtentur, illum eſſe potentem? 437. Indicantur, & proponuntur ſex alii Caſus de Impotentia. 438. Et alii duo operoſè diſcuſſi. 445. *in App.* Impotentia exploranda per inſpectionem. *ibid. lit. g.* Omnes puberes præſumuntur eſſe non impotentes. *ibid. litt. l.* Triennium ad explorandam potentiam quomodo intelligendum. *ibid lit. m & r.* An ſit licitum medium aliquod, quo medici explorant, utrùm vir ſit potens, necne? 448. Refertur aureum pronuntiatum Archiducis Leopoldi de experimento potentiæ. 449. Quid cenſendum de Impotentia, proveniente ex ſola immatura ætate? 450.

Impoſſibile.

IMpoſſibilitas moralis eſt duplex. XI. 495. Quid cenſeatur impoſſibile. *ibid.* & *n. 80.*

Imprægnatio.

QVomodo probare debeat fœmina, ſe ab hoc, aut illo eſſe imprægnatam? vide verb. *Defloratio.*

Inceſtus.

QVomodo inceſtus commiſſus cum conſanguineis conjugis privet jure debiti conjugalis? *X. 601. & ſeqq.*

In continenti.

QVando dicatur aliquid eſſe factum *incontinenti*? *X. 95. in App. lit. c.*

Infamia.

INfamia contrahitur partim ex proprio, partim ex alieno delicto. *Tr.* VIII. *653.* Alia eſt juris: alia facti: & utraque inducit Irregularitatem. *ibid.* Sublatâ illâ, quam inuſſit Magiſtratus ſæcularis, tollitur & Irregularitas. *ibid.*

Digitized by Google

Infans.

INfantes validè initiantur etiam Epiſcopatu. VIII. 506. Sed perducti ad annos diſcretionis poſſunt inire Mtrimonium de futuro. 762. Caſus infantis promoti ad Subdiaconatum. 194. Expoſitus cenſetur eſſe civis loci, in quo expoſitus eſt. 285. Vide verb. *Domicilium.*

Inquiſitio.

INquiſitio ſpecialis quando poſſit inſtitui? XI. 919.

Inſtrumentum Pacis.

REſolvitur quæſtio, an ex vi Inſtrumenti Pacis poſſit Catholicus Dynaſta, qui titulo emptionis, vel hæreditatis nactus eſt præpoſituram A. Quam Acatholicus diu retinuerat, dici reſpectu illius præpoſituræ in foro Poli, & fori eſſe in poſſeſſione? XI. 550. Illo inſtrumento Pacis Catholici Laici non obtinuerunt jus in beneficia Eccleſiaſtica. 553. Id inſtrumentum etſi ex ſe valde pernicioſum Religioni Catholicæ, attamen ſecutæ ſunt intra paucos annos converſiones multò plures, & illuſtriores Acatholicorum ad fidem Orthodoxam, quàm intra plurimos annos illud antegreſſos. *ibid.*

Interpretatio.

OMnia Reſcripta interpretanda ſunt ſine præjudicio alterius. *Tr. IX. 501. in App. 3. lit. P.* & 182. *lit. e.* nemo eſt propriæ promiſſionis melior interpres, quàm ipſe promittens. IX. 94.

Jocus.

QUando promiſſio Matrimonialis cenſeatur facta joco? *Tr. X. 149.*

Ioſeph.

AN Patriarcha Joſeph deliquerit jurando per Salutem Pharaonis? XI. 477. Defenditur adverſus Zahnnium. *ibid.*

Irregularitas.

Irregularitatis origo.

1 QUid ſit Irregularitas? *Tr.* VIII. 649. Non incurritur, niſi in caſibus in jure expreſſis. 660. & ita clarè expreſſis, ut meritò nemo dubitare debeat, eſſe expreſſos. *ibid.* Exprimuntur autem generatim quinque ſpecies. 649. Quomodo ob defectum Sacramenti? 650. Adeoque ob bigamiam. *ibid.* Quomodo ob defectum corporis? 651. & 652. Declaratur variis Caſibus. 674. 676. 677. 679. 680. 681. 689. Aliqui defectus, qui reddunt Irregularem ante ſuſceptionem Ordinis, non faciunt Irregularem, ſi ſuperveniant jam ſuſcepto. 654.

2 Defectus animæ, ut inſcitia, fatuitas, hæreſis quomodo faciant Irregularem? VIII. 655. Servitus inducit Irregularitatem. 653. Niſi libertas ſit præſcripta ſpatio. 20. Annorum. 673. Declaratur ſpecie facti. *ibid.* Irregularitas ex defectu perfectæ lenitatis quomodo incurratur? 657. & *ſeqq.* Diſtinctè. Singulariter non incurritur, niſi ab iis, qui mortem, vel mutilationem promovent autoritate publicâ & quidem ſponte. 658. Quomodo autoritate publicâ? *ibid.* Quomodo ſponte? 659. Applicatur utraque doctrina ſingulariter Teſti. 659. Militi. 661. Et Confeſſario, aut alteri monenti carnificem, ut citò expediat reum. *ibid.* Declaratur duobus Caſibus. 662. & 663. Satellites an incurrant? 658.

Sunt decem crimina, ob quæ incurritur Irregularitas? *Tr.* VIII. 664. At per nullum eorum incurritur, niſi illud crimen ſit (excepto homicidio,) & notorium. 665. & patratum à ſciente, eſſe ei annexam Irregularitatem. 666. Et minimè dubium. 667. Excipe homicidium. *ibid.* 3

Vt homicidium cauſet Irregularitatem diſtinctam ab ea, quæ oritur ex defectu perfectæ lenitatis, debet fuiſſe commiſſum cum peccato mortali injuſtitiæ. *Tr.* VIII. 668. Declaratur tum inſtantiis aſſiſtentium periculosè ægrotantibus. 672. Tum variis particularibus Caſibus. *num.* 683. 671. *juncto.* 646. Item *n.* 689. 692. 693. 694. 695. 696. & 700.

Synopſin caſuum hîc indicatorum vide in Summario præfixo Sectioni ſecundæ Caſûs XVII. in *Tr.* VIII.

Quid in hac materia intelligatur per homicidium *voluntarium*, & *caſuale*? VIII. *num.* 670. In Irregularitate non valet argumentum à contrario. 694. §. *Reſp.* Irregularitas non incurritur in bello defenſivo. 701. *in App. 3. lit. g.* Declaratur diſtinctè. *ibid* & *ſeqq.* 4

Lepra ſuperveniens ſacerdotio non efficit Irregularem. VIII. 679. An Irregularis fiat Sacerdos celebrans eo fine, ut alius moriatur? 701. Declaratur Caſu verò. *ibid.* Irregularis non fit, qui in cenſura conſtitutus ſuſcipit Minores Ordines. *Tr.* VIII. 664.

Irregularitatis pœna, & abſolutio.

NUllam cenſuram incurrit Irregularis, niſi quam novit eſſe ſtatutam in Irregulares ratione Ordinum. *Tr.* VIII. 703. Et validè ordinatur, etſi ſe ingerat, poſtquam publicè dictum eſt: *Nullum Irregularem inſignitum iri Ordine.* 704. Enumerantur pœnæ latæ in Irregulares, vel ſuſcipientes, vel uſurpantes Ordinem ſacrum. 706. & *ſeqq.* Eas tamen non incurrit, qui die ſuæ Ordinationis vel ſacrificat cum Ordinatore, vel cantat ſolenniter tunc Epiſtolam. 713. At incurrit, qui etiam occultè committit peccatum vetitum ſub earum comminatione. 712. Quatenus Epiſcopus diſpenſationem, vel abſolutionem circa hæc impertiri poſſit? vide verb. *Epiſcopus. num.* 6. Quatenus idem præſtet Prælatus Religioſus? vide verb. *Regularis. num.* 4. An ad evadendam gravem jacturam bonorum liceat Irregulari ſe immiſcere initiandis? 721. *Diſtincte.* 5

Ir-

Digitized by Google

Irritatio voti.

IRritatio voti quid ſit propriè? XI 343. Ea eſt *Directa*, & *Indirecta*. 197. Directa quatenus competat patri in filios? vide verb. *Parentes*. Non competit Papæ niſi in illos, in quos pollet poteſtate dominativa 187. In defectu patris quatenus irritent vota impuberum Tutor, Curator, Avus, Mater, Avia, Præceptor, Socer, quivis, ſub cuius poteſtate dominativa, vel gubernativa exiſtit impubes. *n. 187.* & *ſeqq.* Vide alia huc facientia in verb. *Parentes*? Præditi poteſtate irritandi, licitè utuntur hac pro ſuo lubitu, modo res adhuc ſit integra. XI. 200. Quid ſi pater dederat conſenſum ad vovendum? *ibid.* Irritant & illa, quæ inferior emiſerat conſtitutus ſub alio ſuperiore. 201. Quid ſi dubium ſit, utrùm votum emiſſum ſit ante, an poſt pubertatem? 201. An peccent parentes ſine rationabili cauſa irritantes vota filiorum, quæ videntur eſſe emiſſa inſtinctu Spiritûs Sancti. 218. Irritatio quomodo fiat per remiſſionem tertii? XI. 499.

Iubileum.

TEmpore Jubilei quatenus poſſint commutari vota ex ſe reſervata? XI. 33?. Quatenus alia? 364. & *ſeqq.* Quæ poterant commutari tempore Jubilei, poterunt etiam decennio pôſt commutari, reſpectu illius, qui erat lucratus Jubileum, ſed vel oblitus fuit, vel noluit tunc petere commutationem. 365. Declaratur caſu novo. 371. Facta in Jubileo voti commutatione, non redit illud votum etſi non perficias omnia opera præſcripta. XI. 418. Qui vovit ſe ratione Jubilei confeſſurum, ſi nequeat perficere reliqua opera præſcripta, nec impetrare commutationem, non tenetur confiteri. 77.

Judex Sæcularis, & Eccleſiaſticus.

QUando eſt in cauſa matrimoniali lis de ſolo facto, datur locus præventioni. *Tr.* IX. 63. & 562. Non autem, quando eſt quæſtio juris. *ibid.* Declaratur duplici ſpecie facti, non faciendi. 64. & 65. Sæcularis punit etiam clandeſtinè contrahentes. 561. Et quidem, quando è loco catholico vadunt ad hæreticum. *ibid.* *Illicitè* privat hæreditate contrahentes ſine præſcitu parentum. *Tract. X. 109.* At *licitè* mulctat ſtatutâ pœnâ contrahentes cum alienigenis. I . 11. Sicut & *licitè* compellit tum ſponſos ad ſtandum legitimis ſponſalibus. X. 132. Tum conjuges ad cohabitandum, quando non eſt lis de jure ſponſalium matrimonii, vel cohabitationis. X. 54.

Nequit prohibere, ne extremè ungantur fracti rotâ, & viventes adhuc aliquot horis. VIII. 850.

An Judex Eccleſiaſticus *licitè* compellet ſtare promiſſis illum, qui ſponſalibus ſeriò adjecit turpem conditionem? *Tract. X.* 159 An renovare conſenſum illum, qui promiſit Matrimonium ſub conditione diſpenſationis Papalis, eámque obtinuit? 165. An intentabit mulctam pecuniariam, aut corporalem nolenti ſtare fide ſponſalium datâ? 179.

Quid agendum ipſi, cognito, mulierem tranſiſſe ad ſecundum Matrimonium, allegatâ, & non ſatis probatâ morte mariti? IX. 305. & 307. Quam certitudinem requiret, priuſquam permittat talem tranſitum? 308.

Non tenetur fidem habere præciſè verbis ſponſæ dicentis, ſe feciſſe votum caſtitatis *Tr. X.* 313. *in fine.* Et quando debeat abſtinere coactione ad ſervandam fidem datam? 300. & *ſeqq.* Non eſt neceſſe, ut ipſi conſtet juridicè de cauſis. 165. *lit.* d. Caſus de hac re. *ibid. lit. a.*

Judex inferior non debet manum apponere ad cauſam, quam tractat ſuperior. *Tr. IX.* 588. Judicis arbitrium maximè cernitur in qualitate Teſtium. IX. 315. Et denique habetur illa probatio pro plena, quam ipſe habet pro tali. X. 93 *ultra medium.* Quomodo ſe geret reſpectu nolentis ſtare promiſſione matrimoniali. 125.

Graviter peccat jurejurando promittens (ſed fictè) reo impunitatem, ſi hic verum fateatur. 533 Judici utenti æquivocatione cum gravi damno Rei, non patrocinantur facta Salomonis, & aliorum. 536. Fraus, qua Reus facilè illaqueari poſſit, debet eſſe procul à judice. 536. Quid aget judex, ſi nequeat pervenire in notitiam atrocis ſceleris, niſi promittendo impunitatem autori ſe ipſum prodenti? *ibid.* Quid ſi hic autor habeat plures complices? *ibid.* Quid agendum reo, qui deceptus à judice aperuit ſuum crimen, at revocat Confeſſionem cognito quod judex nolit ſtare promiſſa immunitata? 537. Teterrimum facinus unius judicis. 606. An ſit damnandus ſuperſtitionis, quando illum, qui è duobus ſuſpectis de commiſſo crimine, eſt deformior, habet pro magis ſuſpecto, quàm alterum. 1017.

Julianus.

JUliani Apoſtatæ votum impium, & crudele. XI. 56.

Juramentum.

JUramenti definitio, & hujus explicatio. XI. 450. & *ſeqq.* Etymologia. 451. Juratio non eſt Oratio. 453. Juramenti liciti tres conditiones. 456. Eſt inſtar medicinæ, & torturæ ſpiritualis. 457. Refertur barbarum, & impium juramentum Solymanni. 448. Et Herodis. 460. & 464. Explicatur juramentum Solymanni. 476. Quot ſpecie peccata commiſerit Herodes, pollicendo filiæ Herodiadis, quidquid ipſa peteret? 465.

Juramentum in varias quaſi ſpecies dividitur. XI. 468. & *ſeqq.* Omnis juramenti materia eſt actio contingens, & aliquo modo dependens à nobis. 471. In omni juramento promiſ-

miſſorio, & comminatorio involvitur aſſertorium. 472. Quandonam cenſeatur juramentum præſtari Deo ſoli? 473. Quatenus licitè juretur per creaturas? 469. Et nominatim per ſalutem Regis. 477.

3 Proponuntur octodecim formulæ jurandi uſitatæ partim probis, partim improbis. XI. 479. & 480. Explicantur illæ. 483. Rurſum aliæ. *num. 684. & ſeqq.* Omnia juramenta ſunt ejuſdem ſpeciei. 490. Juramenti promiſſorii natura, & accidentia explicantur. 493. Eſt in dubio interpretandum eo modo, quo votum. 493. Adeóque ſtrictè. *ibid.* In omni autem ſubaudiuntur hæ conditiones. 1. Si potuero. XI. 495. 2. Salvo jure ſuperioris. 497. 3. Si non remiſerit ſponte is, cui promiſi. 498. Diſcutitur, an Prælatus Eccleſiæ poſſit remittere juramentum factum Deo in favorem Eccleſiæ ſuæ? 499. Quid ſi fuit facta promiſſio in honorem alicujus Sancti? 500. Quarta conditio ſubintellecta in juramento eſt: *Si res in eodem ſtatu permaneat.* XI. 501. Juramentum etſi communiter non auget extenſivè, ſed tantùm intenſivè obligationem, auget tamen ſæpe etiam extenſivè. *n. 505.*

4 Quomodo intelligendum juramentum, quòd quis non prenſaverit hanc, aut illam dignitatem? XI. 517. Quid ſi quis prenſavit quidem, at ſine effectu? 518. Quid de juramento, quòd non fueris in loco infecto peſte? 601.

5 Ea ignorantia tollit obligationem juramenti, quæ voti. XI. 506. An neceſſariò ſervandum juramentum præſtitum ſine intentione ſe obligandi, aut præſtandi rem juramento promiſſam. 508. *ad finem.* An juramento ſtare debeat, qui juravit ſe rediturum ad juſtum, injuſtúmve carcerem? 511. & 513. Non repetiturum pecunias debitas? 514. Contentum fore ſtipendio, aut pretio taxato à magiſtratu? 515. Servaturum hæc, vel illa Statuta? 516. 530. Præſtaturum hoc, vel illud officium, at ſupervenit difficultas improviſa. 519. Non acceſſurum hujus, aut illius vicini nuptias; nec daturum unquam mutuas pecunias. 520. Nunquam pro alio fidejuſſurum. 521. Facturum aliquid vetitum legibus civilibus. 522. Vel Canonicis. 523. Non luſurum chartis, alióve luſu. Vid. verb. *Ludus*, ſe verberaturum filium. 528. Non ampliùs ſervaturum in domo hunc, aut illum famulum *Ibid.* Non eſſe priore loco ſeſſurum in menſa, non eſſe priorem ingreſſurum domum &c. 528. Non venditurum viliore pretio, non empturum chariore. 529. Staturum hoc, illóve contractu per leges invalido. 531.

6 Judex jurans cum æquivocatione quatenus peccet? Vid. verb. *Judex.* Jurans ſe ſumpturum vindictam, ſtare non debet juramento. XI. 539. Refertur hanc in rem Caſus. 538. Sicut nec ille, qui offenſus ab aliquo jurat, ſe coram judice proſecuturum ſuum jus, niſi in compenſationem detur tantum, aut tantum. *Ibid.* Juramenta Catholicorum præſtita hæreticis, an ſervanda? vide verb. *Hæretici.*

An obliget juramentum de non manifeſtanda aliqua arte, ſeu ſcientia occulta, & utili generi humano. XI. 555. Qui juravit, ſe cuipiam ſoluturum acceptos mutuos centum aureos, ſatiſfacitne promiſſioni, ſi loco paratæ pecuniæ det creditori apocham totidem aureorum, quot idem creditor debet alteri? 559. Declaratur ingenioſo facto. 558. Non eſt verum, quòd in juramento promiſſorio Deus conſtituatur fidejuſſor 581. Juramentum an licitè exigas ab eo, quem ſcis eſſe pejeraturum? XI. 645. Quæ ætas idonea ad jurandum pro tribunali? *Ibid.* An juramentum habeat vim expreſſi? 646. An tranſeat ad hæredes? 648. An additum materiæ obliganti ſolùm ſub pœna, obliget ad culpā? 516. An additum materiæ obliganti ſolùm ſub veniali addat obligationem mortalem? 649. 650. 7

Juramentum de ſecreto ſervando quatenus obliget. XI. 649. Ut & juramentum de ſervandis Statutis Academicis. 650. An extendatur ad futura. *Ibid.* An à communitate revocari poſſit ſuummet ſtatutum firmatum juramento. 651. & 652. Juramenti privilegia decem referuntur. *num. 656.* Juramentum per falſos Deos eſt omnium blaſphemiarum nefandiſſima. 722. 8

Juramentum ſequitur naturam actûs, cui apponitur. *Tr. X. 232. & 249.*

Suppletorium probationis juramentum habet locum in cauſa ſponſalitia, imò & aliquando in ſtrictè matrimoniali. *Tract. X. 90.* Debet tamen delationem talis Juramenti præcedere ſemiplena probatio. 93. Nec ſufficit fama; etſi planè probata, niſi pro cauſis non magni momenti. 93. In Germania ſatis facilè confugitur ad juramentum ſuppletorium, & deciſivum litis. *ibid.* Juramentum an deferatur illi, contra quem militat juris præſumptio? 94. Eſt deferendum reo potiùs, quàm actori. 189. 9

Juramentum ſtandi ſponſalibus quantâ neceſſitate ſervandum? *Tract. X.* 134. & 135. Juranti, ſe ab hoc, aut illo imprægnatam, non eſt facilè fides habenda. 186. Non creditur juranti adverſùs ea, quæ antea aſſeruerat. IX. 449. *in App. lit. n. & o. & Tr. X. 416.* 10

Adfertur Caſus horrendi juramenti execratorii, ob quod controvertebatur, an eſſet fides adhibenda mulieri juranti, & ſe ex metu injuſto contraxiſſe, & nunquam feciſſe marito poteſtatem ſui corporis. X. 712. & ſeqq. An animus ſufficienter probetur juramento? *Tr. X.* 712. & 713.

Juramenti relaxatio.

AN Prælatus Eccleſiæ poſſit relaxare juramentum factum Deo in favorem ſuæ Eccleſiæ? XI. 499. An magiſtratus ſæcularis relaxare illud, quod eſt factum in favorem ſolius hominis? 508.

Digitized by Google

508. Quid, quando jurans eſt ſub poteſtate Magiſtratus A. At prædium, de quo donando eſt facta promiſſio juratoria, ſub juriſdictione Magiſtratus B? *Ibid.* Papa relaxat juramentum iniquè exactum. XI. 514. At quid ſi quis juravit, ſe non petiturum relaxationem? *Ibid.* Juramentum factum ſoli Deo remittitur ab iis, à quibus votum. 508. An & quatenus communitas poſſit revocare juramenta de non revocando ſuo Statuto. 651.

Juriſconſulti.

HAllucinantur ſæpe in materia Sacramentorum. VIII. 13. 257. 353.

Juriſdictio.

CUi datur juriſdictio, conceduntur omnia ad eam expediendam neceſſaria. IX. *n.* 382. *lit.* g.

Una juriſdictio alteram turbare non debet. IX. 588. §. *Nec obeſt.* Juriſdictio poteſt ſecundùm nonnullos dari, auferrique ignoranti, at exercitium juriſdictionis non item. IX. 744.

L.

Laymannus.

COmmendatur ſingulariter in materia de Sacramentis. VIII. 781.

Legatus.

LEgati deſcriptio. *Tractat. X. numero.* 715. & XI 682. Quid de hac deſcriptione ſenſerit Archidux Leopoldus Guilielmus? 594. An ad boni Legati artes requiratur, ut per artem mentiri ſciat? *Ibidem.* Illicitè pejerat Legatus nomine ſui Domini. 682. Innoxiè tamen dicet: *Meus Princeps jurat, ita ſe rem habere,* eſto ipſe Legatus nôrit non ita ſe habere. *Ibidem.*

Legitima.

QUi habet tantùm quatuor liberos, non tenetur iis relinquere pro legitima plus quàm tertiam partem bonorum. XI. 413 Legitima non admittit ullum gravamen. *n.* 435.

Legitimus.

THeologi meritò defendunt, quoad poſſunt, legitimitatem. *Tract. X. num.* 196. Et nominatim illius, qui natus eſt poſt ſeptem à matrimonio menſes. X. 196. In dubio præſumitur quivis legitimus. *Tract.* VIII. 435. Alia vide verb. *Illegitimus.* An legitiment Comites Palatini, & Protonotarii Apoſtolici? Vide verb. *Comites*, & verb. *Protonotarii.* Quis dicatur eſſe in poſſeſſione legitimitatis. IX. 449. *in App. lit. cc.*

Leopoldus. I. Imperator.

LEopoldi I. Pia Clementia in reos perduellionis. XI. 49.

Leopoldus Guilielmus Archidux.

LEopoldi Guilielmi Archiducis animus ſummè averſus à tribus hominum generibus. XI. 594. Nominatim à mendacibus 594. Judicavit, nec pro toto mundo eſſe mentiendum. *Ibid.* Vide plura verb. *Archidux.*

Leproſus.

LEproſo quatenus uxor teneatur reddere debitum conjugale? X. 617.

Lex.

LEx generalis non derogat Concilio Generali, nec privilegiis. VIII 408. Ejus generalitas reſtringitur per intentionem Legiſlatoris. 378. 1

Non videtur extare exemplum, quo prior Lex merè declaratoria fuerit per aliam poſteriorem velut vitioſa abrogata. IX. 76. 2

Lex Eccleſiaſtica quot actibus, aut annis abrogetur? *Tract.* IX. 39. Non abrogatur autem, niſi accedat Pontificis conſenſus tacitus. 49. Lex etiam Eccleſiaſtica pendet ab acceptatione populi. 31. Excipe populum hæreticum. 50. Cur? Quia ſunt propriè rebelles. *ibid.* 3

Lex irritativa contractuum ſtatim valet, poſtquam ſufficienter promulgata eſt. *Tract.* IX. 68. Lex humana communiter non obligat cum periculo mortis. 256. Secùs, ſi ex ejus neglectu oriatur grave incommodum publicum. 257. Ut ſi iniretur abſque Parocho Matrimonium, conſummaretúrque. *ibid.*

Illa doctrina: Ceſſante in particulari fine Legis, ceſſat & Lex, non videtur admitti in foro externo. *Tract.* IX. 382. *lit. a.* Nec eſt vera in caſu, quo Lex humana prohibitiva fundatur in periculo *ibid.* 4

Leges omnes conditæ ſunt ad bonum commune. IX. 575.

Lex poſterior præferenda eſt antiquiori. IX. *ibid.*

Non ſubſiſtit Lex privans hæreditate liberos contrahentes Matrimonium, invitis parentibus. X. 108. Secùs, ſi contrahant cum extraneo. IX. 21.

Legum civilium finis eſt communiter bonum publicum, quandoque autem privatum, ſeu duntaxat privatæ perſonæ. XI. 522. At Canonicarum finis eſt ſemper bonum animæ. 523. Ideóque obligant in conſcientia. *ibidem.* Non tamen eæ, quæ ex conciliis particularibus, vel aliquibus Patribus collegit Gratianus in ſuo Decreto. *ibid.*

Liber.

LIber Baptiſmalis ſingulariter valet pro teſtimonio ætatis ad Ordines ſacros *Tract.* VIII. *num.* 503. *lit. b.* & 518. Sicut & ad Beneficia Eccleſiaſtica. 518. 1

Digitized by Google

Liber etiam Parentis probat ætatem filii pro Ordinibus. *Tr.* VIII. 500. & 503. *lit. c.* Declaratur Caſu ſingulari. 496. & 504. Quando liber parentum diſcrepat à libro Parochi, quid agendum? 503. *lit. b. in fine.*

Liber Pontificalis an ſit apta materia Lectoratûs? *Tract.* VIII. 193. Declaratur novo Caſu. 193.

Liberalitas.

Liberalitatis inauditæ exemplum in Belgico Heroë. VIII. 874. *in App. lit. c.*

Licentia.

Licentiæ tacitæ ſimul & validæ Caſus ex Quintanadvenna. *Tract.* VIII. 599. Actiones, quæ non ut validè, ſed ut licitè fiant, poſtulant conſenſum, ſi hic probabiliter præſumatur, licitè fiunt, jure ſic diſponente. VIII 859. Licentia abſolutè data durat etiam poſt mortem dantis. 263. Excipitur Caſus valde ſingularis. 265.

Tacita licentia pro aſſiſtendo Matrimonio quando adſit? Vide infrà verb. *Parochus. n. 9.* Utrobique debet exprimi ſigno externo. X. 551. & 552. Et data motu proprio debet innotuiſſe immediatè illi ipſi, qui vult ea uti. 553. Vide plura verb. *Diſpenſatio. n. 2.*

Literatus: Illiteratus.

Literatus, & Illiteratus quis vulgò dicatur? VIII. 370. Quis in materia Juris? *ibid.* Aut Oratoria? *ibid.* Quis in Divinis Literis? *ibid.* Quis reſpectu ſcientiæ requiſitæ ad ſacros Ordines? *ibid.* Quæ ſcientia neceſſaria Ordinandis, vide verb. *Scientia.*

Litera Dimiſſoria.

Sunt eæ neceſſariæ Regularibus, & ſæcularibus volentibus ſuſcipere Ordines ab alio, quàm Ordinario Prælato, ſeu Epiſcopo. VIII. 566. Et quidem Regularibus dandæ à ſuo Superiore Regulari, ſæcularibus à ſolo ſæculari Prælato. 567. Adeòque ab Epiſcopo, vel Beneficii, vel habitationis. *ibid* Vel Originis etiam paternæ. 568. Et in Germania à Vicario Generali. *ibid.* Et quidni à Nuntio Apoſtolico? 572. & 573. Dimiſſi à Nuntiis indigent teſtimonialibus proprii Epiſcopi. 573.

Epiſcopus non tenetur largiri dimiſſorias, niſi petentibus ex cauſa multùm rationabili. *Tr.* VIII. 574. Debent eæ continere diſpenſationem ſuper interſtitiis 575. Non tamen neceſſariò diſpenſationem in Impedimento Canonico. 576. An teſtimonium de ſufficiente doctrina? 577. An Epiſcopus dimittens ſit tutus in conſcientia, ſi ab alio admittatur deſtitutus ſcientiâ debitâ? *ibid.* An, quando in Dimiſſoriis apponitur conditio aliqua, teneatur Epiſcopus, ad quem dantur dimiſſoriæ, ſtare illâ. 583. An teneatur ſtare teſtimonio de doctrina ſufficiente? 580.

Ex conſuetudine Germaniæ non eſt neceſſe exprimere, quòd dimiſſo ſit proviſum de ſuſtentatione. *Tract.* VIII. 585. & 586. Quibus pœnis ſubjaceant utentes falſis? 589 Mos Germaniæ de accipiendis pecuniis pro dimiſſoriis. 590. Dimiſſoriæ quamdiu valeant? 587. Non revocantur præciſè per inhibitionem: *Ne datis utaris.* 591. Non incurrit pœnam Canonicam, qui fabricavit tunc falſas dimiſſorias, cùm jam eſſent expeditæ legitimæ, ſed nondum traditæ. 595. & 596. Nec is, qui habens dimiſſorias ad Epiſcopum A. Fecit ſe ordinari ab Epiſcopo B.

Locus Sacer, vel Pius.

Diſpenſationes matrimoniales impeditis datæ ob anguſtiam loci quomodo ſint intelligendæ *Tract.* IX. 644. *& ſeqq. diſtinctè.* Habet iſta clauſula locum etiam, quando maſculus nequit ob anguſtiam reperire parem ſibi. 647.

Lucrum.

An ſolius lucri cauſa liceat recipere Ordines in Irregularitate? VIII. 721. *lit. a.* Sitne idem damnum pati, & lucrum perdere? *ibid. lit. c.* Favendum magis eſt damnum timenti, quàm lucrum captanti. *ibid. lit. d.* Negotia, in quibus nihil amittendum timetur, ſed potius lucrum ſperatur, audacter tractanda ſunt. *Tr.* IX. *501. in App. 3. lit. p.*

Ludovicus de Ponte.

Ludovicus de Ponte vovit ſe nunquam peccaturum venialiter. XI. 73. An ſubſtiterit hoc votum? *ibid.*

Luſus: Luſor.

An ſubſiſtat votum rei ſanctæ, editum ſub conditione lucrandi per luſum alearum? XI. 65. Votum non ludendi aleis, an commutari poſſit? XI. 419. Juramentum non ludendi chartis, aut alio luſu quatenus obliget? XI. 524. & 525. Deteſtanda nonnullorum Eccleſiaſticorum ludendi chartis, & aleis libido. 525. Quando peccet mortaliter ludendo is, qui ludum abjuravit? 526. An agat contra hoc juramentum dans alteri pecunias, ut ludat ſuo loco? *ibid.* Aut ſi ipſe non ſuo, ſed alterius loco ludat? *ibid.* An excuſandi, qui debita ex luſu ſolvunt integre, non item debita ex alio honeſto titulo? *ibid.* An excuſanda vidua, quæ ludit aleis, poſtquam juravit ſe non luſuram, ad teſtandum mœrórem ex obitu mariti. 527. Qui juravit ſe nunquam luſurum, at dubitat, utrum intellexerit ſolum ludum immoderatum, quid aget? 525. *circa finem.* Referuntur varia luſorum ſeu mendacia, ſeu ſimulationes 666. *& ſeqq.* An pariant onus reſtitutionis. *ibid.* Qui fictè promiſit ſoluturum id, quod ludendo amiſit, an teneatur ſolvere? 667. Quid ſi juravit ſe ſoluturum? *ibid.*

Luthe-

Digitized by Google

Lutherus.

DEſtinavit neci omnes Epiſcopos. IX. 46. Admiſit Polygamiam. 279. Senſit commixtionem carnalem eſſe tam neceſſariam, quàm cibum, & potum. X. 713. §. *Deinde* (Ex quo deducitur reſolutio Caſûs litigioſi. *ibid. in Append.*) Item *Tract. XI. 222.* Ejuſdem ſenſus de Votis. XI. 223. Referuntur quædam ejus horrendæ blaſphemiæ. XI. 759.

Lutherani.

NOn curant, etiamſi ipſorum liberi nati ex Matrimonio, ſecundùm Leges Catholicas illegitimo, habeantur à Papa pro ſpuriis. IX. 44. Tam firmiter credunt, Papam eſſe Antichriſtum, quàm Chriſtum eſſe Salvatorem mundi. 462. Lutheranus princeps quomodo plectat perjuros? 879. Quomodo blaſphemos? *Ibid.*

M.

Magia.

QUid ſit? XI. 926. Traduntur Regulæ ad dignoſcendum, utrùm aliqua actio ſit magica, an potiùs naturalis, aut ſupernaturalis? 927. *& ſeqq.* in dubio, utrùm aliquod opus ſit diabolicum an divinum, an naturale quid ſtatuendum. 931. & 933.

Majeſtas.

MAjeſtatis læſæ Reo interdicitur omnis alienatio bonorum. XI. 48. Adeò ut ne donatio, quidem uxori facta ante illud crimen, ſubſiſtat. *ibid.* Quid ſi ante, aut poſt id crimen emiſit votum reale, nondum autem exſolvit? An tenebitur fiſcus exſolvere? 49. Declaratur caſu ſingulari. *ibid.*

Malachias.

S. Malachias ſummè dolet ob non adminiſtratam infirmæ Extremam Unctionem, eámque reſuſcitatam ungit. *Tr.* VIII. 934.

Manus.

UNctio manuum non eſt de neceſſitate Sacerdotii. *Tr.* VIII. 128. In Extrema Unctione unguntur aliter manus Sacerdotis, quàm laici. 925.

Maria.

AN fuerit extremè uncta? VIII. 821. Ejus Matrimonium cum S. Ioſepho quomodo fuerit propriè Matrimonium? X. 397. & 467.

Maritus.

MAriti nomen eſt ambiguum. *Tract. X.* 4. Maritus eſt caput uxoris. 753. Conſtituit ipſe, per ſe loquendo, domicilium. 755. Ejus officium erga uxorem, liberos, œconomiam, & bona Vide verb. *Matrimonium. n. 12.*

Quatenus irritet vota uxoris circa gubernationem domeſticam. XI. 212. Quatenus non attingentia illam. *ibid.* Quatenus ſpectantia ad caſtitatem, aut debitum conjugale. 214. An irritet etiam votum uxoris de ingredienda Religione poſt ſuum obitum? 212.

Mater.

MAter tenetur liberis præbere lac. X. 782. Et poſtea integre alere, ſi deficiat pater, & avus paternus. *ibid.* Tenetur etiam ſecundariò illos educare Chriſtianè. 783. Ac proinde etiam caſtigare. 784. At non tenetur filius ei credere dicenti, ipſum eſſe illegitimum. VIII. 431. Si videlicet fuit priùs tractatus ab ea tanquam legitimus. 432. Declaratur tribus Caſibus. 427. 431. 438. Eſto mater juramento firmet ſuum dictum. 432.

Quatens mater polleat jure irritandi vota liberorum, tum poſt fata mariti. XI. 187. Tum etiam eo vivo. 188. Et quidem aliqua etiam puberum ſi non habeant Curatorem. *ibid.*

Matrimonium.

Matrimonii in genere ratio, & diviſio.

MAtrimonium eſt contractus civilis elevatus à Chriſto ad rationem Sacramenti. *Tr. X. num.* 388. Non eſt præceptus omnibus. 406. An illis, qui voverunt? Vide verb. *Votum. n.* 7. Matrimonii deſcriptio duplex. X. 387. Solo conſenſu contrahitur. IX. 105. Eſt, per ſe loquendo, Sacramentum inter baptizatos. X. 378. Caſus, quibus ſecundùm nonnullos ratio Sacramenti abeſt à ratione contractûs. IX. 58. *in App. lit. b.* & 228. *& ſeqq. &* 242. *in App. lit. e. & Tr. X. n.* 703. *& ſeqq.* Materia proxima hujus Sacramenti quæ? X. 391. Remota quæ? 396. Forma quæ? 391. Miniſter quis? *ibid. &* 396. Quid ſi per errorem Sacerdos aſſiſtens dicat ſponſæ: *Accipiſne hunc Stichum in tuam uxorem?* & illa reſpondeat etiam per errorem: *Accipio*, an aderit legitima forma? declaratur Caſu vero. 394. 1

Matrimonia debent eſſe libera *Tract.* IX. 21. Non tamen omni ex parte. *ibid.* Declaratur inſtantiis quorundam ſtatutorum civilium. *Ibid.* Prohibens hoc, aut illud Matrimonium non punitur pœnâ ſtatutâ in impedientes libertatem Matrimonii. *ibid.* Nequeunt exhæredari liberi contrahentes inſciis parentibus. *Tract. X.* 108. An ſi contrahant cum gravi horum offenſa? 109. An dote privari filia, ſi nubat ſine conſenſu paterno? 110. Excommunicatur laicus Magiſtratus etiam indirectè cogens ad aliquod Matrimonium, non item parentes ita cogentes. *ibid.* Matrimonii valori favetur in dubio. 73. An ſponſalium? *ibid.* Statuta in cauſa matrimoniali an trahenda ad cauſam ſponſalium? 74. Quæ quidem cauſa matrimonialis accipitur ſtrictè, & latè. *ibid.* 2

Matrimonium dividitur in *Ratum*, & *Conſummatum*: *Verum*, & *Præſumptum Tract. X.* 401. *Verum*, & *Fictum*. 409. *Abſolutum*, & *Conditionatum*. 448. *Solenne*, & *Clandeſtinum*. 476. Initum per Procuratorem valet. Infrà verb. *Procurator.* 3

Digitized by Google

Matrimonii Rati & Conſummati, Veri, & Præſumpti ratio.

4 RAtum Matrimonium eſt id, quod nulla copula comitata, aut ſecuta, eſt: Conſummatum, quod aliqua. *Tr. X, n. 401.* Per copulam intelligitur perfecta, ſeu omnis illa, & ſola quæ eſt ſufficiens ad contrahendam Affinitatem veram. 401. Quæ autem præceſſit Matrimonium de præſenti, nullo modo efficit Matrimonium conſummatum. 404. Modus, quo Germani repræſentant honeſtè conſummationem Matrimonii. 405. Cùm negat uxor, maritum fuiſſe ſecum carnaliter commixtum, creditur viro aſſerenti. 403. Ratum Matrimonium eſt verum Matrimonium. X 404. Interceſſitque inter B. Virg. Et S. Ioſephum. 397. Et poteſt etiam quoad vinculum diſſolvi per Profeſſionem Religioſam. *Infrà. n. 9.* Verum Matrimonium dicitur, cui nihil ſubſtantialium deeſt 401. Præſumptum, quod ex Juris præſumptionibus habetur pro vero. Etſi fortè non ſit à parte rei verum. *ibid.* Putativum autem, quando reputantur conjuges ii, qui à parte rei eſſe non poſſunt. *ibid.*

Votum Matrimonii ineundi quomodo propriè dicatur privare majore bono, & ideo non valere? XI. 71.

Matrimonii ficti ratio.

5 MAtrimonium fictum, ſeu ſimulatum non eſt verè Matrimonium. *Tr. X. 411.* Obligat tamen ſimulatorem ad præſtandum verè, & non fictè conſenſum. *ibid.* Excipiuntur hinc quinque caſus. 412. Et quando deponit fictionem debet per ſe loquendo, petere ab uxore novum conſenſum. 414. At non neceſſariò coram Parocho, & Teſtibus. 415. Reſpondetur ad declarationem à Pontificè factam in contrarium. 419. Declaratur ea doctrina cùm Caſu malè reſoluto à Confeſſario. 408. & 420. Tum aliis quique. *num 422. 423. 424. 425.* & 434. Et alio novo, & intricato. 427. Doctrina de non neceſſaria præſentia Parochi, quando revalidatur Matrimonium fictum, eſt vera, etiam quando revalidatur aliunde nullum. *415.* & *Tr. IX. num. 500.* Marito ad ſecundas nuptias tranſeunte ob allegationem fictionis, nequit prior uxor idcirco etiam tranſire ad alias. X. 436. Declaratur Caſu vero. 434. Quid agendum tali marito, ſi à Iudice Eccleſiaſtico compellatur redire ad priorem uxorem ficto conſenſu ductam? 439. Quibus rationibus probare quis poſſit, ſe revera ſolùm fictè conſenſiſſe. 440. *& ſeqq.* Et ſingulariter. *n. 443.* Omnis propriè dicta fictio, ſeu ſimulatio eſt peccatum. 413.

Matrimonii conditionati ratio.

6 COnditio propriè quid ſit? vide ſuprà verb. *Conditio. num. 2.* Ea non adjicitur, propriè loquendo, ipſimet contractui, ſed conſenſui in hunc. *Tr.* IX. *137.* Loquendum tamen etiam hic eſt, ut plerique. *ibid.* Iura quidem permittunt potiùs, quàm prohibent adjici Matrimoniis conditionem etiam de futuro honeſtam. 136. Attamen Parochus admittere non debet ſine gravi cauſa. 138. Probatur ratione. 139. Et clara inſtantia. 143. Atque alia. *Tr. X. num. 459.* Eâ tamen admiſſâ, Matrimonium perficitur, ut primùm ea eſt impleta, etſi nec eliciatur novus conſenſus. X. 455. Nec Parochus adſit, quando aut fortè elicitur novus conſenſus. 453. & 454. Aut impletur conditio. 456. Idem dic, quando cognoſcitur adeſſe conditio de præterito, aut præſenti, quæ ignorabatur ante contractum. 456. Conſenſus conditionatus, poſitâ conditione, tranſit in abſolutum. 455. Quomodo ſit clarè explicandus conſenſus conditionatus? *ibid.* Matrimonium etiam conſummatum manet ſuſpenſum, donec impleatur conditio, ſub qua fuit initum. 457. In dubio tamen præſumitur is, qui appoſuit conditionem, recedere tunc ab ea, quando utitur copulâ. 458. Nec neceſſe eſt informare de impleta conditione Parochum. 460. Proponitur difficilis Caſus de Matrimonio licitè conditionato. IX. 144. Explicatur, quo ſenſu licita ſit hæc clauſula: *Si ſis virgo, te ducam uxorem?* X. 461.

Conditiones quænam dicantur eſſe contra ſubſtantiam Matrimonii? *Tr. X. 462. 463.* & 466. Quæ turpes? 147. Priores ſeriò adjectæ Matrimonio impediunt valorem, etiam ſecutâ copulâ, ſicuti & poſteriores. X. 464. In dubio autem præſumitur receſſiſſe à poſterioribus, qui copulam habuit. *ibid.* Sicut & in dubio præſumuntur conditiones impoſſibiles fuiſſe ſolùm adjectæ per jocum. 465. Illa conditio: *Contraho tecum, ſi prius votum edideris non petendi, aut reddendi debitum.* Non obeſt valori Matrimonii. 466. Et tale emiſit S. Ioſephus. 467. Conditio: *Lego tibi mille, ſi nupſeris: ducenta ſi non nupſeris*, eſt turpis, & habetur pro non adjecta. 469. Sicut & illa: *Lego tibi mille, ſi manſeris in ſæculo: ducentos, ſi ingreſſus fueris Ordinem Religioſum.* 470. Conditionalis: *Duco te, ſi Papa diſpenſârit*, non eſt turpis, aut impoſſibilis. 471. An obliget illa: *Ducam te, ſi Papa diſpenſârit?* vide verb. *Sponſalia. num. 7.* Quid indicet illa: *Ducam te, ſi patri, aut Deo placuerit?* Vide verb *Sponſalia. n. 7.*

Matrimonii Clandeſtini ratio.

MAtrimonium *Clandeſtinum* dicitur quatuor modis. *Tr. X. 476.* Vt ſi fiat vel inſciis parentibus, vel ſine Parocho, & Teſtibus, vel ſine denuntiationibus: vel ſine Benedictionibus. 475. Primo modo contractum ſubſiſtit. 110. Et quarto modo. *Tract. X. 562. 570.* Et *Tertio. 478. & ſeq.* Non autem *ſecundo* in locis, in quibus receptum eſt Concilium Tridentinum. *Infrà* verb. *Parochus. n. 2.* Pœnæ à Tridentino ſtatutæ in contrahentes clandeſtinè afficiunt etiam illos, qui ſine denuntiationibus malè omiſſis contraxerunt 502. Eæ ſunt juxta Tridentinum arbitrariæ. *Tr.* IX. *503.* Incertis quibuſ- 8

buſdam locis determinatæ. *Ibid.* Non omnia quocunque modo clandeſtina irritantur à Concilio Tridentino. X. 570. Contractum ſine Parocho dicitur per Antonomaſiam *clandeſtinum*, id eſt clam, aut ſecretò, aut furtivè contractum. IX. 503. Quatenus requiratur præſentia Parochi, & Teſtium ad vitandam clandeſtinitatem? vide infrà verb. *Parochus. n. 2.* & verb. *Teſtis. n. 3.*

Matrimonii indiſſolubilitas, & ſolubilitas quoad Vinculum.

9 Matrimonium dicitur diſſolubile, & indiſſolubile, vel quoad *vinculum*, vel quoad *torum*. *Tr. X.* 680. & 681. Omne verum Matrimonium habet aliquam indiſſolubilitatem. 682. Vnde proveniat illa imdiſſolubilitas? 683. Conſummatum nequit, niſi à Deo diſſolvi quoad vinculum. 684. Quando Salvator vetat dimitti uxorem, niſi *propter adulterium*, loquitur de ſola dimiſſione quoad torum. 681. & 718. §. *Porrò*, & loquitur de ſolo Matrimonio conſummato, quando dicit: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* X. 693. Hinc Matrimonium ratum diſſolvi poteſt etiam quoad vinculum per Profeſſionem Religioſam. 685. & *ſeqq.* Non autem per votum ſcholarium Soc. Ieſu. 687. Nec per votum ſolenne in ſuſceptione Subdiaconatûs. *Ibid.* Non poteſt jam ſine contumelia Sedis Apoſtolicæ negari, quin Papa valeat etiam quoad vinculum, dirimere Matrimonium ratum. 691. Refertur in hanc rem inter cæteros Caſus recentiſſimus, certiſſimus. 676. Referuntur variæ cauſæ legitimè utendi hac poteſtate. 692. & alia, in qua & autor reſolvit, poſſe id ipſum fieri in caſu non controverſo. *Tract. IX. 501. in App. lit. p.* Hæreticorum conjugia an; & quo pacto ſint quoad vinculum diſſolubilia? vide ſuprà verb. *Hæreſis. n. 3.*

Matrimonii ſolubilitas quoad Torum.

10 Matrimonium diſſolvitur propter ſævitiam alterutrius conjugis. *Tract. X.* 716. Explicatur illa ſævitia. *Ibid.* Refertur de ſævitia caſus unus barbaricus. 714? Alter ridiculus. 720. Quando eſt periculum in mora, pars metuens ſævitiam licitè deſerit propria voluntate alteram. 718. Qualis mali metus faciat jus deſerendi? 717.

Adulterium etiam facit jus divortii quoad torum. *Tr. X. 722.* Imò quoad torum, & habitationem. 723. Et quidem in perpetuum. 722. & 724. Niſi pars iñocens condonârit crimen. 722. §. *II. Si.* Aut niſi etiam ipſa fiat nocens per adulterium. *Ibid.* §. *I. Non.* Si neutrum fecit, poterit ingredi Religionem, aut ſuſcipere Sacerdotium. 724. Peccabit tamen graviter, ſi Superiori Ordinis, ad quem vult ſuſcipi, non manifeſtet ſuum Matrimonium. 726. Declaratur Caſu vero. 725.

11 Hæreſis ſuperveniens Matrimonio dat jus divortii quoad torum. *Tr. X. 729.* Et proinde aufugiendi cum communibus liberis, quando eſt periculum perverſionis. *Ibid* Alii mali mores conjugis quo pacto permittant ſeparationem? vide. *num. 730.* Et ſingulariter de ebrioſitate, quæ apud Neapolitanos permittit ſeceſſionem, non apud Germanos. 731. Quid ſi autem ebrioſitas viri præbeat uxori occaſionem gravium blaſphemiarum, & imprecationum? 730. Aut ex ſua ebrioſitate contraxit morbum contagioſum. 731. Vel contraxit aliunde? 617. Et nominatim lepram? 617.

Matrmonii Onera & Commoda.

Conjuges tenentur, per ſe loquendo cohabitare. *Tr. X. 753.* Poſſuntque ad id compelli à Magiſtratu etiam ſæculari. 754. Et ſingulariter uxor, quæ, per ſe loquendo, tenetur ſequi maritum; non autem hic illam. 755. Niſi vel aliter ſit cautum in ſponſalitio contractu. *Ibid.* Vel alia juſta cauſa ſubſit. 756. Quid ſi maritus conſtituto domicilio, commigret deinde aliò? 757. 758. & 759. Nequit longam peregrinationem ſuſcipere, invita uxore. 760. Nec hæc vovere peregrinationem, repugnante illo. 761. & 762. Obligatio cohabitationis complectitur onus vivendi in eadem domo, eadem menſa, eodem lecto. 763. 12

Maritus debet uxori ſuſtentationem, etiamſi hæc non attulerit dotem. *Tr. X. 769.* Debet & eam peccantem corrigere. 770. Quanta correctio ei competat? 771. *& ſeqq.* An ſi nactus ſit merobibulam, licitè ei appetentiam vini tollat præbito pharmaco? 774. 775. Tenetur idem maritus alere liberos. 776. Et conſequenter iis artibus, aut facultatibus inſtruere, ut adulti poſſint ſe ipſos alere. 777. Quid de illegitimis alendis ſentiendum, & an licitè etiam legitimi exponantur ad fores hoſpitalium; & an parens poſſit repetere ſumptus factos in filium pro ſtudiis literarum? innuitur. *n. 777. Remiſſive.* Graviſſimè peccat, qui militiam capeſſit, relictis egentibus liberis, & uxore. 778. *juncto. 766.* Aut quando non rectè educat liberos. 779. 13

Vxor viciſſim debet marito obedientiam. *Tract. X. 780.* Et ſuſtentationem, ſi hic nequeat ſe ſuſtentare. 781. Sicut & liberis, ſi nec pater, nec avus paternus id præſtet 782. Iiſdem liberis debet etiam rectam educationem, quatenus deficit maritus. 783. Adeóque inſtructionem in fide Catholica, etſi ſit in pactis dotalibus aliter cautum. 783. Adminiſtratio familiæ, & bonorum quatenus competat etiam uxori? vide infrà verb. *Vxor.* 14

Ad onera, & commoda Matrimonii ſpectant, præter debitum conjugale, de quo ſuprà verb. *Debitum.* Actiones aliæ venereæ, de quarum permiſſione, vel prohibitione, ſi nova nupta interroget generatim Confeſſarium, quid hic reſpondere debeat? vide. *Tract. X. num. 647. & ſeqq.* Quæ delectationes carnales ſint licitæ conjugatis, aut viduis? vide ſuprà verb. *Delectatio.* Qui, & quatenus tactus, vel mu- 15

Digitized by Google

mutui, vel proprii, ſint conjugatis permiſſi? *X. 655. & ſeqq.* Quid ſi conjux ſe ipſam impudicè tangat, abſente conſorte tori? 659. Quid cenſendum de aſpectibus, & verbis turpibus conjugatorum? 661. Quid de viro, qui cœptam copulam abrumpebat metu morbi, & conſentiente uxore, non tamen ſine periculo effundendi ſemen extra vas? 6 2 Quatenus ſint conjugatis permiſſi tactus, & ſimilia, quando ob aliquod impedimentum non licet eis exercere actum conjugalem? 663. Aut quando nullum ſubeſt impedimentum, at imminet ex iis periculum pollutionis. 665. Declaratur Caſu juvenculæ ſalacis, nuptæ vetulo. 668. An tempore congreſſus licitè aſpiciant venuſtas imagines ad voluptatem ciendam? 669. §. *His adde.*

Viduis illicitæ ſunt illæ actiones venereæ, quæ aliis omnino ſolutis. 675. At internæ delectationes ex recordatione habitæ in conjugio copulæ ſunt iis permiſſæ, quatenus eæ ſunt ſolius voluntatis ſine periculo conſentiendi in externam, ſeu corporalem delectationem oriri ſolitam ex voluptate, ſeu delectatione ſita in voluntate. 675.

Quid in hoc genere licitum ſit ſponſis; aut illicitum? vide verb. *Sponſi.* Alia vide verbo *Impedimentum.*

Medicus.

MEdicorum quædam impura praxis arguitur. IX. 449. Sicut & unius judicium de illicita copula conjugali. X. 607.

Medicus peritus artis occultæ curandi morbos graves, an teneatur eam manifeſtare alteri, ſi poſſit ſine ſuo incommodo. XI. 554. Quid ſi ille morbus ſit podagra, & obſtet vel juramentum, vel votum non manifeſtandi? 556. Medicus rara arte ſanans ſacerdotem corruptæ phantaſiæ. 704. Medici an ſint damnandi ſuperſtitionis, dum in præſcribendis pro medicina pilulis attendunt ad imparitatem numeri? 930.

Mendacium; Mentiens.

INter *mendacium dicere*, & *mentiri* quæ differentia. XI. 584. Mentiri propriè quid ſit. 586. Mentiens ordinariè quidem, non tamen ſemper intendit decipere auditorem. 588. Mendacium nullo in caſu eſt licitum. 589. Scriptura divina facit, ut Theologus faciliùs defendat, omne mendacium eſſe peccatum mortale, quàm aliqua mendacia eſſe venialia. 590. Nominantur nonnulli, qui nunquam ſunt mentiti. 591. & 592. Quid cenſendum de Patriarchis &c. In ſpeciem mentitis? 596 & 598. Mendacium inſtar blaſphemiæ fugiendum. 598. Mendacium aliud eſt Reale, aliud Verbale. 599. De Reali, ſeu ſimulatione aliqua *ibid. Remiſſivè.* & *n. 600.* Jocoſum mendacium propriè quid ſit? 604 Jubens alterum mentiri non mentitur. XI. 662. Mentientium varia genera recenſentur. *666 & ſeqq.*

Mendacia ludentium; Paſquillorum: Complimentorum: Mercatorum: Conſitentium: Concionatorum. Vide in *verb. propriis.* Mendacium Præmia ſeu pœna. XI. 680 Hoc unum lucratur mendax, ut cùm vera dixerit, nemo credat. 680. Ex mendaciis oritur fortiſſima præſumptio doli, & fallaciæ. *ibid* Mendax in pœnam mendacii gravatur onere probandi id, quod adverſario incumberet probare. *ibid* Quibus pœnis variæ nationes plexerint mendaces? *ibid. Remiſſivè.* Mendacii jurati pœnæ. Vide verb. *Perjurium.*

Mentiris; Mentita.

AN licitè des alteri *mentitam*, ſeu dicas: *Mentiris*, quando occultum tuum crimen iniquè manifeſtat? XI. 677. An quando falſum crimen affingit? *ibid.* Reſpectu fori externi oportet ſtatim dare illam mentitam. 679. Quid ſignificent illa Germanica verba: Du liegſt es durch dein Halß / in dein Hertz hinein. Item illa: Du liegſt wie ein ehrloſer Mann? *ibid.*

Mercatores.

AN ſine mendacio poſſint exercere mercaturam? XI. 671. An, & quatenus mendacia circa pretium mercium ſint peccata mortalia? *ibid.* Quatenus ſine peccato dicere poſſint, ſe hanc aut illam mercem non poſſe dare viliore pretio? 672. Quatenus, quando jurârunt ſe non eſſe daturos itidem viliore pretio, & tamen dant? *ibid.* An licitè miſceant ſinceris mercibus inſinceras? 515.

Metropolitanus.

MEtropolitanus eſt Epiſcopus, qui præeſt alicui primariæ Vrbi, tanquam Matri, & Capiti cæterarum; & proinde eſt Archiepiſcopus. *Tr.* VIII. 157. Vide verb. *Archiepiſcopus.*

Metus.

MEtus gravis eſt, quo times tibi, tuiſve probabiliter eventurum aliquod malum grave; levis autem, quo duntaxat leve. *Tract.* IX. 246. Malum grave abſolutè quodnam cenſeatur? 247. Quodnam grave reſpectivè? *ibid.* Cur metus gravis mali dicatur cadere in gravem virum? *ibid.* & 248. Metus reverentialis quis ſit? 249. An & is dicatur cadens in virum conſtantem? *ibid.* Metus abſolutè gravis dirimit Matrimonium. 244. Dirimit & gravis reſpectivè. 248. Et. 250. Et Reverentialis. 249. Et quidem omnes probabiliter jure naturæ. 244. 248. Et 249.

Matrimonium ex metu contractum non eſt favore dignum. *Tr.* IX. *250.* Involuntarium cauſatum ex metu vnde proveniat immediatè? 250. Quomodo metus vincat conſenſum? *ibid.* Metus quis dicatur incuſſus? 251. Quis dicatur incuſſus in ordine ad extorquendum conſenſum matrimonialem? 252 Hæc intentio exigitur ad id, ut metus irritet contractum. 252 Contrahens ex tali injuſto metu cum intentione exercendi actus permiſſos ſolis

veris

Digitized by Google

veris conjugibus, peccat. 256. Si autem carens illo animo fingat, ſeriò contrahere, delinquit venialiter. *ibid.* Nec venialiter, ſi ſine fictione conſentiat. 256. & 257. Cur non peccet talis, cùm videatur facere irritum Sacramentum? 257 Et cùm det alteri Poteſtatem in ſuum corpus non reducibilem ad actum ſine peccato? 259. Cur non ſit fas ob periculum mortis inire Matrimonium cum impedimento juris etiam Eccleſiaſtici? 257.

3 Quatenus copula habita in Matrimonio coacto validet, aut non validet illud? *Tr. IX.* 261. Quid agendum puellæ, quæ vel injuſtis minis parentum, vel mandato Magiſtratus Eccleſiaſtici malè informati adigitur ad Matrimonium? 263. Quid, quando ipſa detegit Confeſſario Impedimentum dirimens, quod nequit manifeſtare ſine ſuo ſummo malo, & tamen imminet hora copulationi dicta? 264. Traditur practica doctrina, prætermiſſa ad aliis. 265. Declarantur hactenus dicta variis Caſibus. *nu.* 243. 264. Et aliis quinque ſummatim indicatis 266. Et 267. Teſtes ad probandum metum, quales ſufficiant? 267.

4 Metus, ex quo eſt editum votum Ordini ſacro annexum, an hunc irritet? *Tract.* VIII. 764. Aut generatim aliud votum? *Tr. IX.* 89. & 90. Quatenus obſit valori Matrimonii? XI. 133. *Remiſſive.* Quis ſit gravis, ſeu cadens in virum conſtantem, quis levis? *ibid.* Quis metus abſolutus, & reſpectivus, & reverentialis? *ib. Remiſſivè.* Quę dicuntur de metu irritante, vel non irritante Matrimonium, dicuntur etiam de irritante, vel non irritante votum. *ibid.* Vt irritet votum, debet eſſe injuſtus. XI. 134. Probabiliter tamen ſufficit juſtus. *ibid.* Duplex eſt ſignificatio metûs juſti. *ibid.* Debet eſſe incuſſus in ordine ad extorquendum votum. XI. 135. Et probabiliùs gravis, quamvis probabiliter quoque ſufficiat levis. 136. Sicut & probabiliter reverentialis. 137. Minæ etiam tacitæ efficiunt verum metum. *ibid* Metus probabiliùs irritat jure naturæ votum. 138. Attamen in ſolenni diſſolutione requiritur ſententia judicis. *ibid.* In dubio an fuerit gravis, quid concludendum. Vide verb. *Dubium.* Incuſſus ab intrinſeco nihil per ſe officit valori voti. XI. 139.

5 Ille quoque dicitur feciſſe aliquid ex metu, cui etſi nemo quidquam mali minetur actu ipſo, attamen prudenter timetur aliquis illaturus metum, niſi hoc aut iſtud fiat. XI. 143. Quid ſi revera nullus erat ullum malum illaturus, attamen prudenter putabatur, illaturus? 144. Eundem effectum cauſat ſuſpicio de metu, aut cruciatu, quem timor ipſe cruciatûs. *ibid.* Votum & Matrimonium metu contracta, ſunt indigna omni favore. 145. Cauſa voti ſolennis ex metu editi, equiparatur cauſæ Matrimonii etiam ex metu contracti. *ibid.* Metus injuſtus probatur ſufficienter teſtimonio unius idonei. accedente aliqua præſumptione. 146. Probatur & probationibus, quæ aliàs non ſufficerent. 147. Etiam reverentialis irritat profeſſionem Religioſam. 137. 146. 154.

Minæ.

Minæ requiſitæ ad probandum fuiſſe aliquid factum ex metu, non ſunt neceſſariò actuales, ſed ſufficiunt habituales. XI. 143. Nec eſt neceſſe, ut ſint expreſſæ, ſufficit, ſi ſint tacitæ. 137. Et virtuales. 144.

Miſſa.

Votum de Miſſa audienda, obligat ſub mortali. XI. 84. Huic autem voto ſatiſfacis, etiamſi die feſto tantùm audias unam Miſſam, ſi vovisti te quotidie auditurum unam. 424. Et ſi hodie duas, dubium eſt, an ſatiſfacias audiendo duas ſimul. *ibid.*

Miſſa Cæremonia.

Quid ſiquis nequeat S. Hoſtiam præbere communicantibus niſi manu ſiniſtrâ. VIII. 701. *in App.* 1. Vel non haurire Sacrum Sanguinem niſi tenendo utraque manu Calicem, *ibid. in App.* 2.

Monachatus.

Monachatus non eſt per ſe Beneficium; & ideo non dicitur arctatus Beneficio is cujus Monaſterium laborat magna penuria Sacerdotum. *Tr.* VIII. 459. At multa Monaſteria habent juſtam cauſam petendi à Pontifice gratiam ſtatuendi, ut Monachatus ſufficiat in tali caſu. *Ibid. ad finem.* Monachatûs nomine quid intelligant Carthuſiani? VIII. 701. *In Append.* 2. *lit. f.*

Mora.

Ceſſante morâ, ceſſat culpa. X 242. *In App. lit. m.* Difficultas excuſat à mora. *ibid.* Et ceſſante culpâ ceſſat mora. *Ibid.*

Morbus.

Morbus propriè quid ſit? *Tract.* VIII. 135. Differt ab infirmitate. *ibid.*

Mulier.

Mulieris teſtimonium eſt variabile. *Tr.* X. 186. Et poſtponendum teſtimonio viri. *ibid.* Singulariter quando is aſſerit, ſe habuiſſe copulam cum illa. X. 403. In cauſa matrimoniali eſt teſtis omni exceptione major. 92.

Mulieris ſemen an neceſſarium ad generationem? *Tr. IX.* 390. Quomodo poſſit ſciri, eam ſeminâſſe? 391. Ad quid proſit hoc ſcire? *ibid.* Mulier qua ætate deſinat concipere? *Tr. X.* 344.

Vota mulieris conjugatæ, impedientia gubernationem domeſticam poſſunt directè irritari à marito. XI. 212. Quæ autem non impediunt, nequeunt irritari juxta multos contra

Digitized by Google

multos. *ibid.* & 213. Et poteſt viceverſa mulier maritata reddere irrita omnia vota mariti, præjudicantia juri debiti conjugalis, aut bonis pertinentibus ad uxorem. *ibid.* Plura hanc in rem vide. *num.* 214. Mulier vidua non ſubeſt dominativæ poteſtati cuiuſquam, per ſe loquendo. XI. 215. Idcirco vota, quæ edit, ſunt inirritabilia. *ibid.* Conjugata quas alienationes, & conſequenter qualia vota realia poſſit facere ſine conſenſu mariti? 228. Mulieris nuda planta necat ſerpentem. 932. Ingenuas ſingulariter decet pudicitiæ obſervatio. 974. *Circa finem.*

Munus.

MVnerum miſſitatio & acceptatio non eſt per ſe ſignum ſponſalium. *Tract. X. 69.* Maximè quando parentes mittunt. *ibid.*

Muſici.

AN, ſi excellant arte Muſica, poſſint promoveri ad Ordines, etſi deſtituti ſcientiâ ad hos requiſitâ? Vide verb. *Scientia.*

N.

Natalis Domini.

QUanti iſtud feſtum fecerit S. Franciſcus Seraphicus. XI. 216. An eo jejunandum? Vide verb. *Jejunium.*

Neomyſta.

DUo monita circa modum, & intentionem eorum, quando cum ſuo Ordinatore celebrant Miſſam. *Tr.* VIII. 131. Et 359. Dubium eſt, an teneantur tunc proferre verba Conſecrationis? 132. Et ſi proferant, utrùm proferant formaliter; an ſolùm materialiter? 133. Quid ſi formulam Conſecrationis abſolvant ante Epiſcopum? 133. Non peccant mortaliter, etſi non communicent ſub Sacro, ſub quo ſunt initiati. 359. Caſus hac de re ſingularis. 359. & 360.

Niſi.

VOcula: *Niſi* habet ambiguam ſignificationem. X. 59. 60.

Nobilis.

NObilis dicitur, cujus pater, non autem, cujus ſola mater eſt nobilis. *Tract. IX. 678.*

Nobiles intelliguntur etiam nomine Principum. Infrà verb. *Princeps.* Nobilitas generis æquiparatur nobilitati ſtercoris. VIII. 726. Habetur tamen ejus ratio in Diſpenſationibus, & aliàs. *ibid.*

Nomen.

SAncti in cœlo probabiliter non uſurpant ulla nomina. XI. 970 Multò minùs aſſumunt nomen donatum ſibi ab aliquo mortali. *ibid.*

Novitius Religionis.

PEccat graviter ingrediens Novitiatum ſine animo profitendi. VIII. 29. Et tenetur refundere ſumptus factos in ipſum à Monaſterio. 30. A quo accipiat Ordines, & Dimiſſorias? 421. Non poteſt ſub titulo paupertatis promoveri ad Ordines. 643. Venit in favorabilibus nomine *Regularis*, & nomine *Subditi Regularis. Tract.* VIII. 324. Præſumitur de eo, quòd velit manere conſtans in Religione. 421.

Nullatenus.

CLauſula *Nullatenus* reddit actum irritum. *Tr.* VIII. 618.

Numerus.

NUmerus impar an ſuperſtitiosè attendatur à Medicis? XI. 930. An Novenarius, aut alius piè obſervetur à multis Chriſtianis? 956. Probatur exemplis, piè obſervari. *ibid.* Illa obſervatio habet ortum ab Ethnicis. *ibid.* Cur proſit novenarius? 957.

Nuntius Apoſtolicus.

1 UNius è Nuntiis ſententia adverſùs quoddam Capitulum Cathedrale, Sede vacante. *Tr.* VIII. 275. Diſpenſant pro *Extra* reſpectu ordinandorum. 455. Idémque poſſunt eorum ſubdelegati, etſi ſimplices Sacerdotes. *ibid.* At non niſi cum arctatis Beneficio. *ibid.* Quid ſit arctari Beneficio? 456. Quale Beneficium hìc intelligatur? Vide verb. *Beneficium.* Non diſpenſant ſuper ætate requiſita ad Ordines. 531. At dant literas dimiſſorias, tum non vacante Sede. 572. Tum vacante. 573.

2 In caſu urgentis neceſſitatis debet pro diſpenſatione Impedimenti Matrimonialis potiùs ad Nuntium, quàm ad Epiſcopum recurri. *Tr.* IX. 577. Gaudet enim, ſaltem extraordinariè, majori poteſtate. 581. Et eſt Ordinarius judex in ſua provincia. 587. Ita tamen, ut Metropolitanus concurrat cum eo in appellationibus. 194. Diſpenſat autem communiter cum vinctis quarto, aut etiam tertio cum quarto gradu. 587. Ubi refertur Breve Pontificium. Specialiter autem diſpenſat cum aliis, de quibus *num.* 578. Et poteſt uti hac poteſtate erga illos, qui cum ipſo Papa tractant de diſpenſatione alterius generis. 588. Quomodo diſpenſet cum obtendentibus anguſtiam loci? 643. *& ſeqq.* Quomodo cum prætendentibus paupertatem? 655. *& ſeqq.* Et vide verb. *Pauper.* Deſcribitur una diſpenſatio ob paupertatem facta à Nuntio. 697. Infamiæ periculum, ob quod datur diſpenſatio à Nuntio, ſufficit, ſi oriatur, antequam executioni mandetur ea gratia. 677.

Nuptiæ

Digitized by Google

Nuptiæ : Nubere.

PRoprio Caſu firmatur illud monitum : *Si qua voles aptè nubere, nube pari.* X. 668. Nuptiæ ſolemnes quæ ſint? IX. 70. Et quando vetitæ ? *Ibid.* Secundæ aliquando benedicuntur. X. 564.

O.

Obligatio.

OBligatio gravis non eſt aſſerenda ſine ratione convincente. *Tr. X.* 61.

Obligatio non oritur ex facto à lege vetito, *Tract. X.* 165.

Nemo ſe obligat, qui non habet animum ſe obligandi. XI. 82. Obligatio non eſt præſumenda, ſed probanda ex verbis. *Ibid.* Obligatio circa contractus, & religioſa vota, eſt neceſſariò gravis. 83. Circa rem levem non poteſt eſſe gravis. *ibidem.* Quomodo obliget votum. Vide infrà verb. *Votum. n. 8.*

Occultum.

CRimen dicitur occultum, licèt materialiter ſit notorium, modò in ratione criminis non ſit notorium. *Tr.* VIII. 716.

Oettinga.

ESt hic ſacer locus propè idem Bavaris, & vicinis, quod Lauretum Italis. XI. 254. Reſolvuntur de peregrinationibus ad hunc locum ſex caſus. 1. An licitè fuerit loco ſtatuæ cereæ, quam mulier voverat, accepta à Præfecto illius Capellæ pecunia minoris valoris, quàm fuiſſet ſtatua? 237. 2. An Auguſtanus, qui vovit peregrinationem tum Oettingam, tum ad Montem Sanctum, qui Auguſta Oettingam petenti eſt ad dextram, ſatiſfaciat uno itinere utrique voto? 254. 3. Idem quæritur de illo Auſtriaco inferiore, qui ſe obligavit ad iter Paſſavienſe, & Oettinganum? 255. 4. An auriga advehens alios Oettingam, quo ſe obligavit ex voto, poſſit eâdem operâ illud perſolvere? 257. 5. Quid ſi occaſione nundinarum illuc eat? 258. 6. An qui voverunt ceram illuc deferre, ſatiſfaciant voto dando pecuniam, & quidem non tantam, quantam debuiſſent expendere in ceram? 260.

Officialis.

OFficialis Diœceſani diſcrimen à Vicario Generali. VIII. 718. *in App. lit. e.* Non habet per ſe dignitatem. *ibid.*

Officium.

OFficium, prout opponitur Dignitati Eccleſiaſticæ, quid ſit propriè? *Tract.* VIII. *numero.* 149.

Oleum.

OLeum Extremæ Unctionis, an licitè præbeatur laicis, uti volentibus ad morbos pellendos? *Tr.* VIII. 933. & *in Append.*

Opinio.

AN poſſit ſententia negans valorem Baptiſmi in aliquo caſu eſſe improbabilis, & tamen probabilis alia, aſſerens obligationem iterandi in eodem caſu? *Tract. VIII.* 198. Aut permittens iterationem in eodem caſu. 210. Opinio de nullitate Impedimenti Matrimonialis falſa quidem, attamen probabilis, quantum proſit ad valorem talis Matrimonii. *Tract. IX.* 377. & *Tract. X. num.* 744. Quid ſi illa opinio verſetur circa, vel Parochi habilitatem. 736. Vel factum. 745. Vel clandeſtinitatem? 748. An opinio unius pro valore matrimonii præferenda ſit communi contra valorem. X. 74.

Oppidum.

OPpidi nomine quid intelligatur in literis diſpenſationem Matrimonialium, propter anguſtiam loci. *Tr.* IX. 648.

Oracula vivæ vocis.

ORacula vivæ vocis incipiunt eſſe Bullata, quando ſunt data alicui communitati, cujus omnia Privilegia, & facultates, data, & danda confirmavit Papa per aliquam Bullam. *Tractat. IX. numero.* 736. Referuntur variæ Doctorum opiniones de intellectu Bullarum, revocantium illa oracula, 731. & *ſeqq.* Et illud ſpeciale: An, quia Urbanus VIII. Confirmavit illa reſpectu PP. Capucinorum, etiam ſint confirmata reſpectu Ordinum communicantium cum ipſis? 739.

Ordo.

Ordo generatim, & diſpoſitio ad illum.

VOx *Ordo* ſignificat duo. *Tract. VIII.* 6. In materia Sacramentorum ſignificat Ordinationem. 7. Eſtque ſignaculum quoddam Eccleſiæ, quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato. 8. Antiquitas Ordinum. 3. Quomodo iis initiatus Sanctus Ambroſius? 1. Qui ſint ſacri, & cur vocentur ſacri? 12. De ſolo Sacerdotio eſt fide Divinâ certum quòd ſit Sacramentum. 15. Effectus Ordinis qui? 16.

Diſpoſitio neceſſaria ad validè ſuſcipiendum Ordinem eſt tum Baptiſmus. *Tract. VIII.* 19. Tum in adulto voluntas aliqua. 22. & 23.

In infantibus non exigitur ulla voluntas, *Tr.* VIII. 507. Etiam pro Epiſcopatu. 506. At ſexus virilis. 31. Quid ſi quis ſit hermaphroditus? 32. Diſpoſitiones ad licitè recipiendum hoc Sacramentum, quæ ſint neceſſariæ? 20. 21. 27. 33. Quid ſi ſuſcipias ſolùm idcirco, ut declines tribunal ſæculare? 27. Quid ſi tantùm, ut aliquamdiu fruaris privilegiis Clericalibus? 28. Alia vide infrà *num.* 7.

Digitized by Google

Ordines Minores, & duo Majores.

3 MInores ſunt quatuor, Majores infrà Preſbyteratum duo. *Tract. VIII.* 40. Unde ita dicti? 12. Cur non omnes ſacri? *Ibid.* Singulorum materia duplex: ſcilicet Remota, & Proxima. 39. Quæ remota, quæ proxima? *Ibid.* Quæ generatim forma? 41. Quæ ſpeciatim quatuor Minorum materia, & forma? 42. & 48. & 64. An, ſi pro Lectoratu præbitum ſit Pontificale tangendum, valeat Ordo? 193. Declaratur Caſu vero *Ibid.* Quæ materia Subdiaconatus? 43. & 49. Quæ Diaconatûs. 44. 46. & 50. Quæ Officia Minorum? 42. & 65. Diaconatûs quomodo olim collatus? 51. Singulorum Ordinum materiam individuam non inſtituit Chriſtus. *ibid.*

4 An, & qualis Ordo collatus tantùm probabiliter validè repeti debeat. 53. Non repetendus Subdiaconatûs, etſi in ejus collatione præbitus ſit calix non vacuus. 55. 53. & 56. Nec tacti urceoli. 54. An valeat Ordo, in cujus collatione non fuit phyſicè tacta materia? 57. Quid ſi ſolùm extendatur manus verſùs materiam tangendam? 58. Aut ſolùm mediatè tangatur? 59. & 60. Aut ſolis unguibus? 62. & 101. An tangenda ea, quam non exhibet immediatè ipſe Ordinator. 63. An idem liber, qui præbetur Subdiacono tangendus, poſſit & Diacono præberi. 64. Dubium eſt, an quatuor Minores Ordines ſint Sacramenta? 83. Probabilius eſt, Subdiaconatum eſſe Sacramentum. 84. Ferè certum, de Diaconatu. *ibid.* Certum de Preſbyteratu. 85. De collatione Preſbyteratûs vide infrà verb. *Sacerdotium. num. 2.*

Ordo dubius, & iterandus.

5 PLeræque Regulæ, quæ in *Tractatu ſecundo Caſu 13.* Traditæ ſunt de neceſſitate, aut permiſſione rebaptizandi, intelligendæ ſunt etiam de neceſſitate, aut permiſſione iterandi Sacramentum Ordinis. *Tract. VIII.* 166. Adeóque ne quidem ſub conditione iterandus eſt Ordo, niſi rationabile dubium de ejus valore adſit. 167. Vice verſâ quoties tenetur quis ratione certitudinis, opinionis, aut dubii petere rebaptizationem, toties etiam iterationem Preſbyterii, aut Epiſcopatûs. 169. Non autem ſex aliorum Ordinum. 170. Imò nec illorum duorum, quando quis nec vult, nec tenetur obire Officia Sacerdotalia, aut Epiſcopalia. 171. Refertur Caſus Sacerdotis rebaptizati in agone. 180.

6 Omnis Ordo, quem conſtat eſſe invalidè collatum, repetendus eſt ab eo, qui vult in eo miniſtrare. 182. Unde petatur iſta certitudo. 184. Imò etiam ſola probabilitas de invalida collatione Preſbyteratûs, aut Epiſcopatûs inducit obligationem iterationis. 185. Quid ſi talis Sacerdos velit privatim facere Sacrum? 186. & ſeq. Vel excipere Confeſſionem ſcientis, eum tantùm eſſe probabiliter Sacerdotem? 186. & ſeqq. An repetendus Ordo qualiſcunque, quando aliqua ſententia probabiliter negat, eſſe repetendum. 197. Dubia circa Ordinis valorem raró ſunt rationabilia. 206. Et ſcrupuli ſunt hîc diſtinguendi à timore, & vero dubio. 207. Repetendúſne Ordo Sacerdotalis, quando aut tota forma pronuntiata eſt poſt exhibitionem materiæ? 209. & 212. (Ubi duobus caſibus veris hoc declaratur,) aut qui non tetigit phyſicè hoſtiam. 108. *in Append. lit. A. & ſeqq* Vel calicem *n.* 212. Vel hujus nodum. 108. *in Append. lit. m.* Vel unicâ manu *lit. o.* Vel digito madente adhuc ex Oleo *lit. p.* Vel mediatè *lit. ſ.* Vel per ſaltum factus Sacerdos. *lit. q.* Vel qui tetigit calicem, in quo erat plus aquæ, quàm vini. *n.* 99. *in Append.* Aut ſub cujus Ordinatione non fuit Miſſa celebrata. 212. Quid ſi à Calviniſta? 215. Aut baptizatus, ab obſtetrice? 216. Vel ab alio laico? 217. Quid ſi quis ſcrupulis circa valorem ſui Ordinis angatur? 222.

Quando iteratur Ordo dubius, debent ſo- 7
lùm omiſſa, aut perperam acta ſuppleri, non autem rite facta iterari. VIII. 230. Declaratur cum exceptione. 231. Et verò ſupplendi ſunt defectus, etiam accidentales Ordinis, ſiqui commiſſi ſint. 226. Et quidem ſub mortali, priuſquam miniſtretur in illo Ordine. *ibid.* Non tamen omnes ſub tanto rigore. *ibid.* Indicantur aliqui. *ibid.* Quando, ubi, quomodo, & à quo ſupplendi defectus, *num. 228. & 232.* Declarantur hæc duobus Caſibus. 227. & 233. Quo ſenſu pronuntientur in Jure illi Ordines *irriti*, quos contulêre Schiſmatici? 246. & ſeqq.

Ordinationis accidentia.

QUo loco conferendi Ordines? 318. & ſeqq. 8
An à jejuno, & ſoli jejuno, vide ſuprà verb. *Jejunium.* Nec Minoriſtæ, nec novi Diaconi, aut Subdiaconi tenentur ſub mortali, die ſuæ Ordinationis, communicare. 358. Et probabiliter, nec Neomyſtæ. 359. Declaratur vero, & perplexo Caſu. 350. & 360.

Conferendi ſunt Ordines temporibus ſtatutis à jure. *Tract.* VIII. 450. An primo Anno poſt mortem Epiſcopi? 265. & ſeqq. Prima Tonſura confertur quacunque hora, & die. 451. Minores tum quovis die Feſtivo, tum feria ſexta, & etiam quarta. 4. Temporum. *Ibid. & ſeqq.* At non quacunque feria. 454. Nomine Feſti quid intelligatur in hac materia? 472. & ſeqq. An per Feſtum *de præcepto* intelligatur hîc Feſtum, prout opponitur Feſto ad libitum? 480. & ſeqq. Quid ſi Feſtum celebretur in uno ſolùm Monaſterio? 486.

Quando Epiſcopus nequit Sabbato abſol- 9
vere totam Ordinationem, partem differt in diem ſequentem. 466. Imò poteſt ex gravi cauſa totam differre in Dominicam. 467. & 468. Non licet uno die accipere duos Ordines Sacros. 460. At licet quatuor Minores cum Sub-

Digitized by Google

Subdiaconatu. *ibid.* Sicut, & Epiſcopatum cum Sacerdotio. 465. Quando ſit poteſtas accipiendi Ordines tribus diebus feſtivis, intelliguntur interpolati. 464.

Interſtitia inter Minores Ordines nulla ſunt ſtatuta à jure. 490. Qualia inter Majores? *Ibid.* In Interſtitiis diſpenſat ille, qui dat dimiſſorias. 494. Declaratur Caſu. 493. De ætate pro Ordinibus vide verb. *Ætas.* Quæ ſcientia ordinandis neceſſaria? vide verb. *Scientia.* Quod jejunium? vide verb. *Jejunium.* Quæ pœnæ ordinatorum, aut miniſtrantium in Irregularitate, vel cenſura? vide verb. *Irregularitas, n.5.* Quis ab iis abſolvat? *ibid.*

Ordinatorum obligationes, & pœna.

10 COnſtituti in Majoribus Ordinibus tenentur obſervare continentiam. VIII. 753. Et quidem probabiliùs ex voto, quàm immediatè ex præcepto Eccleſiæ. 755. & 756. Quid ſi quis ignoret, votum eſſe annexum ſuſceptioni Subdiaconatûs? 758. Aut ſciat eſſe annexum, per ſe loquendo, nolit tamen vovere? *ibidem.* Quid ſi non fuit validè ordinatus? 760. Declaratur Caſu vero. 752. & 751. Aut ordinatus infans. 762. Aut ex metu. 764. Declaratur Caſu vero. 765. Non cenſetur talis ratificâſſe ſuſceptionem Ordinis, etſi vel cantaverit Epiſtolam in ſua Ordinatione, aut exercuerit actus proprios ſolis Canonicis. 766.

11 Quo pacto fuerit olim à Majoriſtis ſervata continentia. VIII. 753. Qua ratione Clerici teneantur geſtare Tonſuram, & Habitum Clericalem. 768. & 769. & 770. Quatenus recens initiati recitare preces præſcriptas ab Ordinatore? 771. Et ſingulariter qualem Nocturnum? *num. 772.* Quatenus promittere obedientiam Ordinario? 773. Singulariter Regulares? 774. An, & quid ſpeciale poſſit imperari Ordinando? 751. *in App.*

12 Malè Ordinati pœnæ quæ ſint? *Tract.* VIII. *706. & ſeqq. diſtinctè.* Quomodo incurrantur? 706. *& ſeqq.* Quis ab eis abſolvat? 715. Quis diſpenſet in Irregularitate tunc incurſa. 716. *& ſeqq.*

Origo: Originarius.

ORiginis domicilium quodnam dicatur? *Tr.* VIII. 279. *& ſeqq.*

Originarius, & naturalis alicujus loci quis dicatur in materia etiam ſtricta? VIII. 293.

Oſculum.

REfertur recens Decretum Alex. VII. Contra negantes, oſcula habita ob delectationem *carnalem, & ſenſibilem* eſſe mortaliter mala. *Tract. X.* 671. Movetur dubium circa ſenſum hujus Decreti. *ibid.* Refertur, & Caſus Clerici à Curia Neapolitana puniti ob oſculum puellæ præbitum ex magno amore. 673. Videtur illa Curia præſumere, talia oſcula proficiſci ex amore venereo. *ibid.* Quæ, & quatenus ſint licita ſponſis? vide verb. *Sponſus.* Quid quandoque faciendum Confeſſario cum ſponſo, confitente oſcula exercita ob delectationem veneream, ſed abſque periculo pollutionis? vide *ibid.*

Ovum.

DOnatum pauperi an præſervet gallinas ab accipitre? XI. 1007. An excluſum in Paraſceve habeat vim reſtinguendi ignem? *ibid.* An dentes protrudendi? 1025. 1027.

P.

Pactum: Paciſci.

PActum pecuniarium in remiſſione ſponſalitiæ promiſſionis non eſt Simoniacum. *Tr.* X. 270. Quatenus ſit licitum? 265. Quatenus illicitum? 267. Paciſci non videtur, qui errat. IX. 129. Pactum rei turpis non obligat. *Tr. X. n.98.*

Pallium.

PAllium Archiepiſcopale quid, & quale? VIII. 159. Cur competat? *ibid.*

Papa.

OLim eligebatur à Clero, populóque Romano. *Tract.* VIII. *num. 163.* Quando cœperint eligere Cardinales? *ibid.*

Nequaquam tacitè approbat conjugia hæreticorum inita cum Impedimento dirimente juris Eccleſiaſtici. *Tract.* IX. 43. Aut inita coram miniſtro hæretico in locis, ubi fuit promulgatum Tridentinum. IX. 461. *& ſeqq.* Quomodo ſint intelligendæ diſpenſationes, quas impertitur circa Ordines, & Matrimonium, vide verb. *Diſpenſatio.*

Papa accommodat ſe precibus Oratoris. XI. 141. Ejus mos ſequendus inferioribus judicibus. 395. An commutare poſſit votum factum alicui Eccleſiæ intuitu alicujus Sancti. XI. 411. Quatenus diſpenſet in votis vide *verb.* diſpenſatio creditur ei teſtanti ſine juramento. 644.

Parentes.

PArentes communiter ſunt conſulendi in dubio de hoc aut illo ſtatu ſæculari eligendo. XI. 160. Non item quando deliberatur, ſitne potiùs elidendus ſtatus Religioſus, an Sæcularis. *ibid.* Nominantur parentes multi, qui filios iniquè, vel minimè Chriſtianè conati ſunt abſtrahere à ſtatu Religioſo. 161. Parentibus conſultis de ſtatu à filiis eligendo, applicantur duo verſus perappoſiti. 162. Quantum delinquant, & quas pœnas incurrant avertendo liberos à propoſito Religionis, aut Virginitatis, *ibid.* & 119.

Parens validè irritat omnia vota impuberis filii. XI. 174. Jure irritandi vota impuberis validè utitur parens etiam poſt pubertatem filii, ſi hic illud non ratificavit poſt pubertatem. 175. Quid ſi autem ſolus parens ratificavit poſt dictam pubertatem? *ibid.* Duplex caſus, in quo

actum de irritatione voti petenda reipſa à patre. 182. & 185. Deficiente patre quiſnam alius irritet vota filii impuberis? *n. 187. & ſeqq. diſtinctè.* Et ſingulariter quatenus competat ea poteſtas matri, tam in jam puberum, quàm impuberum vota? 188. An pater poſſit irritare vota filii illegitimi? 189. Parentes etiam hæretici validè irritant vota filiorum. 221. Declaratur novo caſu. 220. Vide alia verb. *Hæreticus.*

Parentes indirectè irritant omnia vota filiorum etiam puberum, quando impediunt gubernationem domeſticam. XI. 194. Imò etiam directè juxta Sanchez. 197. At nulla eorundem perſonalia, niſi quatenus impediunt illam gubernationem. 196. E diverſo omnia Realia eorundem, edita ante annum ætatis vigeſimum quintum. 198. Excipe vota de bonis Caſtrenſibus vel quaſi. *n. 198.* Quàm graviter peccent avertentes ſuos filios à propoſito caſtitatis, & religionis? XI. 219. Et quas pœnas incurrant tum ii, tum magiſtratus id factitantes? *ibid.*

Parochus.

Parochus reſpectu Baptiſmi.

EJus Liber Baptiſmalis quantæ ſit Auctoritatis? VIII. 497. *& ſeqq. & 503. in App.*

Parochus reſpectu Sacramenti, Extremæ Unctionis.

1 ESt Parochi miniſtrare Extremam Unctionem. *Tract.* VIII. 858. Ne facilè credat domeſticis, negantibus adeſſe periculum mortis. 936. Extremè unctum inviſet ex intervallo. 898. Quatenus teneatur tempore peſtis miniſtrare? 902. Et quas cautelas adhibebit. *ibid.* Vide plura verbo *Unctio Extrema. n. 3.*

Parochus reſpectu Matrimonii.

2 DOcetur practicè, quomodo poſſit deprehendere, utrum inter ſponſos adſit Impedimentum Cognationis. *Tr. IX. 165.* Aut Affinitatis. 404. & 405. Inſtituens hoc examen non cenſetur ſe immiſcere controverſæ cauſæ matrimoniali. 165. Quandonam cenſeatur ſe immiſcere cauſæ matrimoniali? *ibid. & Tr. X. n. 363.* Poteſt quandoque inhibere Matrimonium. IX. 76. Nequit Epiſcopus ſua inhibitione efficere, ne valeat Matrimonium, cui aſſiſtit legitimus Parochus. 19. Declaratur Caſu vero. *ibid.* Non debet Parochus, niſi gravi ex cauſa, copulare contrahentes ſub conditione, etiam de præſenti, aut præterito. 138. Nec ſine facultate Ordinarii copulare mulierem, aſſerentem, maritum eſſe mortuum. 303. Qualem certitudinem debeat habere de illius morte? 301. & 302. Quid obſervabit circa qualitatem Teſtium de morte alicujus, quando ipſi dabitur ab Ordinario commiſſio illos examinandi. 310. Parochus teſtans, aliquam eſſe ſepultam à ſe, præbet plenam probationem. IX. 313. Non valet Matrimonium ſine ejus præſentia celebratum, ſi Concilium Tridentinum ſit promulgatum in ejus propria Parochia. 454. Et cenſetur ſufficienter promulgatum, ſi ſit uſu communi receptum. 455. Parochi ſunt patres pauperum. X. 242. *lit. b.*

3 Promulgatio formalis Concilii ſine receptione non ſufficit. IX. 454. & 456. Sicut nec ſufficit, fuiſſe receptum, ſi poſtea fuit uſu contrario abrogatum. 454. & 457. In dubio, an Lex Tridentina ſit promulgata, aut recepta in locis Hollandiæ, præſumitur, non fuiſſe promulgatam, aut receptam juxta Marchantium relatum. *n. 501. in Append. 1. lit. c. & e.* Si in Eccleſia communi Catholicis, & hæreticis fuit promulgata, hæretici ligantur eâ. *Tr. IX. 459. & ſeqq.* Eſto hæretici conficiant majorem partem illius Parochiæ. 463. Refertur & refutatur ingenioſa quædam de hoc puncto doctrina Tanneri. 466. Nec prodeſt talibus, quod miniſtri hæretici habeant titulum coloratum. 469. Contraria tamen opinio eſt probabilis. 471. An liceat ſaltem renovare Matrimonium coram illis. 473. & 474. & Verbo *Hæreſis. n. 5.* Quandonam cenſeatur miniſter hæreticus adhiberi tanquam miniſter Eccleſiæ? IX. 473. 474. *Ad finem.*

4 Quid agendum in loco, in quo jam non moratur ullus Parochus, aut Epiſcopus? *Tr. IX. 475. & 501. In App. 1 lit. b.* Quid ſi metu mortis contrahat quis abſque Parocho. 476. Aut in extremo agone pro legitimanda prole. *ibid.* Quid ſi unus duntaxat ſponſorum ſpectet ad Parochiam, in qua ſit promulgatum Tridentinum? 479. Sitne adhuc probabile, valere Matrimonium, quando ſponſi dedita opera ſe conferunt è loco, ubi viget Tridentina Sanctio, ad locum, in quo non viget. 481. 483. 520. 535. & 537. An tales ſeparandi? 521. 536. & 537. Tridentinum Decretum eſt etiam in Gallia promulgatum. 485.

5 Parochi nomine, in hac materia intelligitur etiam ille Parochus, qui eſt ſolùm Diaconus. *Tr. IX. 486.* Item Parochus loci, in quo per majorem anni partem habitare cogitant famuli, ſcholares, milites præſidiarii. 483. & 534. Ubi quis habet propriè domicilium habitationis. 486. Vel loci, per quem tranſit 484. & 487. Item Parochus, qui communi errore habetur pro vero Parocho. 487. Item Vicarius tum Generalis tum ipſiuſmet Parochi, eſto ſit amovibilis ad nutum, modò ſit Sacerdos. *ibid.* Quomodo cenſeatur Parochus dare Vicario licentiam aſſiſtendi. 487. Quomodo tacitè alteri. *Tract. X. num. 550. & ſeqq. copioſè.* Proponitur hanc in rem Caſus opportunus, & diſceptatus. 549. Certò debet illa tacita licentia exprimi ſigno externo. 551. *& Tr. IX. num. 490.* Et eſſe cognita alteri, ſi data fuit motu proprio. X. 553. An ſufficiat illa tacita, qua Parochus diſſimulat videns alienum aſſiſtere, & non prohibens? IX. 488. An extorta per vim, aut dolum? 489. An rite data exſpiret morte

con-

concedentis? 490. Tenentur quandoque Epiſcopus, vel Parochus dare licentiam copulandi etiam ipſos ignotos. 501. Et coram ignotis Teſtibus. 530. Declaratur tribus Caſibus. 501. 529. 530. An valeat data ab Epiſcopo illi, quem falsò putabat eſſe Parochum? 490 §. *Cùm.* Quomodo validè aſſiſtat Parochus per vim aut dolum adductus ad locum contractus? 491. Adferuntur hanc in rem quatuor curioſi Caſus. 506. 538. & 539. Quid ſi claudat aures, & oculos? *Tr. IX. 491.* Defenditur Sanchez contra Pontium. *ibid* Quomodo Parochus debeat formaliter ut *Parochus* adhiberi? 492. Quid ſi ſit excommunicatus, aut ſuſpenſus; an poterit aſſiſtere ipſe; an dare licentiam? 492. Aſſiſtentia propriè nec eſt actus juriſdictionis, nec adminiſtratio Sacramenti. *ibid.* Fortè non peccat, niſi venialiter, aſſiſtens, ſi omittat illa verba. *Ego vos in Matrimonium conjungo. ibid.* Singulariter notanda circa Caſum, quo aut ſponſi ſpectant ad diverſas Parochias, aut Parochus, ſuoſmet parochianos conjungit in aliena Parochia. 493. Suſpenditur, ſi alienos copulet, 494. Excuſat autem illum ignorantia, etiam craſſa. *ibid.* Matrimonio vagorum quis validè aſſiſtat? Vide verbo *Vagi*, & verbo *Peregrinus.*

6 Habens duo domicilia, in quibus habitat æqualiter per majorem anni partem, poteſt contrahere in utrolibet. *Tr. IX. 497.* Secùs, ſi inæqualiter. 508. Illa tamen æqualitas eſt moraliter intelligenda 508. Declaratur ſingulari Caſu. 507. Parochus habens in ſua Parochia hæreticos, poteſt denique aſſiſtere eorum Matrimonio. 498. Poſſitne Epiſcopus inhibere Parocho, ne aſſiſtat extra Eccleſiam? 499. Matrimonium coram Parocho initum, ſed invalidè ob Impedimentum dirimens, poteſt, ſublato Impedimento, ratificari, etſi ratificationi non interſit Parochus. 500. Et *Tr. X. n. 415.* De pœnis ſtatutis in contrahentes ſine Parocho, vide verb. *Matrimonium. n. 8.* Quale judicium ſit ferendum de Matrimonio quod contractum fuit, vel, in loco in quo contrahentes ſolebant habitare quotannis ſolùm per quinque menſes? IX. 507. Vel à Turgojo contrahente ex certa cauſa coram Parocho alieno. 511. 512. Vel à vagis coram Regulari carente juriſdictione. *Tr. IX. 513.* Vel à puella, quæ, deſerto priori domicilio, nondum pervenerat ab novum. 519. Vel à cive loci in quo receptum eſt Tridentinum, at profecto ad locum, in quo non eſt receptum. 520. 521. 535. 537 Vel coram illo Sacerdote, cui proprius Parochus conceſſerat licentiam exercendi concernentia curæ officium. 522. Aut coram illo, cui adſtiterat Sacerdos ex ſola licentia Coadjutoris Parochialis. 523. Vel à cive, qui contraxit coram Parocho A. Cùm à ſuo proprio Parocho petiiſſet licentiam contrahendi coram Parocho B. 525. Vel à concubinario, qui contraxit coram alieno, ex licentia quidem proprii Parochi, at ignorantis planè, quiſnam eſſet ille concubinarius. 528. Vel à puella coram proprio Parocho A. Cùm ancillata fuiſſet duodecim annis continuis in Parochia B. & adhuc ibi ancillaretur. 531. Vel à ſponſis, qui, nullis præmiſſis denuntiationibus, ſed adductis Teſtibus, dixerunt Parocho ſacrificanti, & nihil tale cogitanti: *Accipio hanc in meam: hunc in meum.* 539.

7 Pœna Excommunicationis ſtatuta olim in conjungentes ſine licentia proprii Parochi eſt mutata in pœnam ſuſpenſionis. *Tr. IX. 515.* Quæ explicatur. *n. 494.* Et probabiliter non habet locum in conjungentibus propria autoritate vagos. 516. Quales teſtes debeant cum Parocho intereſſe contractui matrimoniali? Vide infrà verbo *Teſtis.*

8 Quid agendum Parocho cognoſcenti ex Confeſſione Sacramentali, aliquem ſuorum velle contrahere, & tamen laborare Impedimento? IX. 551. Quid, quando id ipſum cognoſcit extra Confeſſionem? 553. Quid ſi ſolus ſine teſte nôrit illud Impedimentum? 554. Quid ſi tale Matrimonium eſt jam contractum? 555. Proponitur Caſus, in quo erravit Parochus. 548. & 564. Parochus nequit propriè diſpenſare in ullis denuntiationibus Matrimonialibus. X. 492. Poteſt tamen quandoque declarare, legem de denuntiationibus hîc, & nunc non obligare 494. Indicantur Caſus, in quibus valet talis declaratio. 483 *& ſeqq.* Stabit tamen conſuetudine Diœceſana. 494. Nec omittet, niſi ſit moraliter certus, non ſubeſſe Impedimentum. 494. Ideóque exiget à ſponſis juramentum de immunitate ab impedimento. *ibid.* Declaratur facto Marchantii. 474. 494. & 496. Idem Parochus faciet, poſt jam contractum Matrimonium, & ante hujus conſummationem, ſi fieri queat, omiſſas ob repentinum Caſum denuntiationes. 495. peccátque mortaliter omittens illas abſque legitima cauſa. 497. Et incurrit ſuſpenſionem triennalem. 499.

9 Sicut unius Eccleſiæ nequit eſſe, niſi unus Epiſcopus, ita nec unius Parochiæ, niſi unus Parochus. IX. 501. *in App. 2. lit. m.*

Parochus reſpectu Votorum & extirpationis Vitiorum.

NEquit etiam in abſentia Epiſcopi relaxare votum caſtitatis, editum à valde tentato. XI. 350. An vota ſuorum commutare in opera æquè bona? 360. Parochorum officium circa emendationem blaſphemorum. 797. 803. Subminiſtratur ipſis materia Pro emendandis blaſphemis. 803. & 804. Rogantur ſummo ſtudio, conentur extirpare blaſphemias. 803. Suggeritur ipſis modus emendandi. 884. 888. Exhortatio, & ſimul precatio ad illos. 889. Quid agent, intellecto unum aut alterum è parochianis, uſurpare aliquam ſuperſtitionem? 1036. Monitiuncula, & adhortatiuncula ad eos ratione ſuperſtitionum. 1035.

Parum

Parum.

AXioma : *Parum pro nihilo reputatur* ; & *Quod parum diſtat, nihil diſtare videtur*, ubi non habeat locum? *Tract.* VIII. *521. & 447. in App. lit. n.* Declaratur Caſu notando. *Ibid. lit. l.*

Paſcha.

PAſchatis nomine intelligunt Græci omnes dies ſolennes. XI. 491. Refertur hanc in rem caſus Græcanicus, peregrinus latinis. 492.

Paſquilli.

PAſquillum mendacem affigens, vel ſpargens quatenus capite plectatur? XI. 668. Quid ſi crimen contentum libello famoſo, ſeu paſquillo probari queat? *ibid.*

Pater.

PAter tenetur alere liberos. *Tr. X. num. 776.* Et eis proſpicere in futurum. 777. Et imbuere bonis moribus. 779. Et quos tractavit, ut legitimos, nequit poſtea repellere, ut illegitimos. VIII. 432. Vide alia verb. *Maritus*, & verb. *Parens.*

Patriarcha.

PAtriarcha quis, & quot? *Tractat.* VIII. *numero. 169.*

Patrimonium pro Ordinibus.

REfertur Sanctio Tridentina hac de re. *Tract.* VIII. *602.* Epiſcopus conferens Ordinem Majorem ſine patrimonio, tenetur alere ordinatum. 603. Excipe, niſi hic, vel finxerit falſas literas Patrimoniales. 603. Vel habeat patrem, à quo ali poſſit. 609. Nulla pœna Canonica eſt ſtatuta in fingentem falſas Patrimoniales, aut promoventem non inſtructum legitimis. 604. Sufficientia patrimonii unde ſit æſtimanda? 610. 611. Quantum exigatur Conſtantiæ? 610. Quantum in Hiſpania? 611. Quid ſi Patrimonium ſeorſim non ſufficiat ſuſtentationi integræ, at ſufficiat junctum tenuiſſimo Beneficio? 612.

Patrimonium debet conſiſtere in bonis certis, determinatis, immobilibus. 613. Et proinde non ſufficit certa promiſſio, & obligatio alendi Clericum. 614. Repugnat tamen praxis Conſtantienſis. 615. Et Auſtriaca. 617. *in App. lit. d.* Quid intelligatur per alienationem patrimonii vetitam à Tridentino? 618. Quatenus peccet mortaliter, qui fallit in nominanda quantitate patrimonii? 624. Patrimonium nequit conſiſtere in annuo ſalario, proveniente ex aliquo officio, vel arte. 626. Eſtque neceſſarium etiam Doctori Theologiæ. 627.

Paupertas.

PAupertas eſt Regularibus pro titulo ad Ordines. *Tr.* VIII. *642.*

Paupertas allegatur dupliciter in materia diſpenſationis. IX. 654. Mulier quando cenſenda pauper? 656. Quando vir? 658. An ſit alleganda paupertas ex utraque parte? 659. & 666. Caſus hanc in rem ſingularis pro Helvetiis. 667. *in App. 2.*

Alia de paupertate vide IX. *nn. 597. 651. 659. & ſeqq. & X. 242. in App. lit. l.*

Peccatum.

EST à Chriſtiana Charitate alienum, dicere ſine certa, & evidenti ratione, aliquem peccare mortaliter. VIII. 359.

An ſubſiſtat votum de nunquam committendo peccato veniali? XI. 73. An is, qui poſt tale votum peccat venialiter, peccet hoc ipſo mortaliter? *n. 75.* Quatenus multi prudenter voveant, vitationem hujus, aut illius peccati venialis? 75. An votum confitendi venialia obliget ſub mortali? *ibid. Remiſſivè.* Quot peccata mortalia patret, qui promittit patrare quodlibet malum? *465.*

Peregrinus. Peregrinatio. Peregrinantes.

POſſunt peregrinus, ac viator matrimonialiter copulari à Parocho loci, in quo tunc verſantur. IX. 484.

Peregrinationis votum cum jactura Sacri die feſto, an ſubſiſtat? XI. 68. Peregrinationes longas nequit uxor ſuſcipere abſque voluntate mariti. 212. Obligatus ex voto peregrinari ſemel ad pium locum, probabiliter ſatisfacit, ſi illuc eat mercede conductus. *num. 241. & 242.* At uno itinere nequit ſatisfacere voto de bis viſitando pio loco. 243. Sicut nec communiter per alium perficere votam peregrinationem. 244. Quid agendum, quando ob mutationem domicilii ſis remotior à loco peregrinationis? 251. Singulariter quando fuiſti in mora? 246. & 251. Quid quando jam confecta magna parte itineris cogeris redire domum? XI. 247. Expenſarum ratio quæ habenda? 249. Qui promittunt ſe loco moribundi peregrinaturos, rarò id promittunt Deo, ſed ſoli homini, & ſic delinquunt ſolùm contra fidelitatem, ſi non ſtent promiſſis. 43. 44. & 250.

Peregrinatio Jeroſolymitana olim ſummi fiebat, & in ea difficillimè diſpenſabatur. XI. 130. & 236. Filius familias licitè vovet peregrinationem brevem invito patre, non verò longam. 195. & 198. An in commutatione votæ peregrinationis oporteat habere rationem expenſarum? 363. Alia dubia vide ſuprà verb. *Oettinga.*

Perjurium.

QUid ſit? XI. 579. In perjurio juramenti promiſſorii an detur parvitas materiæ? 582. In aſſertorio non datur parvitas materiæ. 682. Eſt minus crimen, quàm blaſphemia. *ibid.* Quid comparatum homicidio? *ibidem.* Omnia perjuria an ſint ejuſdem ſpeciei? *ibid.* An ſit reus perjurii loco juramenti falſò dicens: per juramentum: per Baptiſmum: an Endſtatt: beym Verlurſt der Seelen Seeligkeit / aſſero hoc eſſe verum? 684. & ſeqq. An ſit perjurus qui juramento-

to

Digitized by Google

to obedientiam promiſit his verbis: *ſub pœna præſtiti juramenti*, & non ſervat? 686.

Perjurii pœnæ ſtatutæ jure Canonico, & Civili. XI. 687. & 688. Divinitus ſumptæ. 691. *& ſeqq.*

Perſonatus.

PErſonatus propriè eſt prærogativa quædam in Eccleſia, ſed ſine juriſdictione, vel Officio. *Tr.* VIII. *149.*

Petrus Forerius.

QUis fuerit? XI. 595. Per eum ſolum jurabant ejus parochiani. 478. Ejus Apophtegma de taciturnitate. 564. Scripſit egregiam inſtructionem Legati. 595. Mendacium volebat haberi à pueris pro blaſphemia. 598. Summam eruditionem celat ingenioſo reſponſo. 655. Nunquam juravit per ſuam fidem. 887. Somnium ejus præſagum mortis. 916. Mandat pro lue avertenda geſtari ſchedulam notatam his verbis: *Maria ſine peccato concepta.* 922.

Philtrum.

PHiltro ſeu poculo amatorio alliciens mulierem ad libidinem, qua pœna plectendus? XI. 974. Refertur hanc in rem caſus miſerabilis. 973. Judicium autoris de ſupplicio illi inferendo. 974.

Plebanus.

PLebanus propriè quis dicatur? *Tract.* VIII. *numero. 154.*

Plerique Plerumque.

VOculæ *Plerique*, *plerumque* quid ſignificent in jure Canonico? *Tractat.* VIII. *701. §. Quaret.*

Podagra.

AN ſubſiſtat votum de arte pellendi podagram nec uſurpanda, nec alteri manifeſtanda? XI. 556. Quid ſi editum ſit ob metum vanæ gloriolæ? *ibid.* An non tenetur talis agere contra ſuum votum? 557. A podagra miraculosè ſanatus. 397.

Pœna.

QUid ſit votum pœnale, & quatenus obliget? Vide verb. *Votum.* Pœna pecuniaria quænam cenſeatur gravis in voto pœnali? XI. 32. Abſolutus à pœna, quam incurrerat agendo contra votum pœnale, ſi rurſum agat contra illud votum, rurſum incurret pœnam. 306. Pœnæ divinitus ſumptæ de votifragis recenſentur. *n. 439. & ſeqq.* Pœnæ Perjurorum: Blaſphemantium: Superſtitioſorum. vide verb. *Perjurium. Blaſphemia. Superſtitio.*

Pœnitentia.

Pœnitentiæ Sacramentum.

AN formulam abſolutionis teneatur ſub mortali quivis Sacerdos ſcire? *Tr.* VIII. 382.

Pœnitentia Sacramentalis.

GRavis pœnitentia, quam Navarrus cenſuit imponendam pro defectu inculpato. *Tract.* VIII. *315.*

Poſſeſſio.

POſſidere pacificè quid ſit? *Tractat.* VIII. *num. 833.*

Præcipuè Præſertim.

QUæ ſit vis adverbii *Præcipuè*? XI. 129. Quæ adverbii *Præſertim*? 768.

Prædicare.

PRædicare, ſeu concionari cuinam incumbat, aut liceat? VIII. 76. & *ſeqq.*

Præpoſitus.

PRæpoſiti erant olim iidem, qui Oeconomi Eccleſiarum. *Tr.* VIII. *153.* Quinam ſint hoc tempore in Eccleſiis Germaniæ? *ibid.*

Preſbytera.

PReſbyteræ quænam olim fuerint? *Tr.* VIII. 88. & 89.

Preſbyter.

PLerique Preſbyteri erant olim inſigniti charactere Epiſcopali. VIII. 155. Ipſi etſi non Epiſcopi eligebant olim unà cum plebe Epiſcopum. 156.

Præſcriptio.

PRæſcribi poteſt libertas ſpatio viginti annorum. VIII. 673.

Præſumptio.

PRæſumptio habetur pro ipſa veritate, quamdiu non oſtenditur fallere. *Tr. X. 84. & 73. in App. lit.* c. Quæ faciat ſemiplenam probationem. 93. Eſt præſumptio juris, & de jure, quòd proles nata ex conjugata ſit legitima. X. 197. Et ſingulariter præſumitur, illum eſſe legitimum, qui natus eſt poſt menſem à Matrimonio ſeptimum. *ibid.* Jura non præſumunt caſus raros. IX. 291. Præſumptio probabiliſſima ſufficit homini ad ſuas actiones rectè inſtituendas. 293. Minor præſumptio cedit majori. IX. 346. Præſumitur in dubio, puellam eſſe ſeductam à ſtupratore. X. 210. De homine malo ſemper malum præſumitur. 432. Præſumitur in dubio id factum, quod plerumque fieri ſolet. X. 154. Non omnis præſumptio efficit ſemiplenam probationem in criminalibus. 93. Sententia definitiva poteſt aliquando ferri ex ſolis præſumptionibus. 640. *in Append. lit. e.* Vide plura in Florilegio *lit.* P.

Primas.

PRimas non differt ſecundùm jus Canonicum à Patriarcha. VIII. 160. Germani jam neutros habent. *Ibid.*

Princeps.

INtelliguntur etiam nomine magnorum Principum omnes Nobiles, & opulenti. IX. 678. Et diceris principalior, ſi ſis valde potens, & dives. *ibid.*

Princeps eſt quidem civis omnium pagorum ſui Principatus. IX. 497. Validè tamen non contrahit Matrimonium, niſi coram Parocho palatii, in quo ordinariè habitat. *ibid.* & VIII. 300. Quid ſi per æſtatem habitet in uno, per-

hyemem in altero? IX. 508. Declaratur Caſu vero. 507.

Tenetur ſubditus vitam exponere pro ſalute Principis. XI. 572. An etiam permittere ſe occidi ab ipſo injuſtè? 573. Principis Maxima circa ſecretum. 576. Refertur hanc in rem dictum Petri Regis. *ibid.* Graviter peccat, ſi blaſphemias non puniat ſeveriſſimè. 862. Deciani exhortatio ad Principem, ut hic corrigat blaſphemos. 864. Alia Martini Navarri. 865. Alia ipſius Cacodæmonis. 867. Suggeritur modus, quo princeps poſſit emendare blaſphemos. 869. *& ſeqq.*

Privilegium.

PRivilegiis non derogatur per legem communem, niſi fiat eorum mentio. VIII. 408. Privilegium allegans debet illud probare. 410. Debet ſervari in ſua forma. VIII. 617. *in App. lit. A.* Poteſt impetrari etiam ignoranti. VIII. 748. Privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa an hodie ſubſiſtant? IX. 736. *& ſeqq.* Privilegia ut obſervanda? VIII. 617. *in App. lit. b.*

Probatio.

PRobatio *plena* quæ dicatur Jure Conſultis? *Tract. X.* 93. Quæ *ſemiplena? ibid.* Probationes, quæ ſigillatim ſunt inſufficientes, non poſſunt in re pergravi conjungi ad efficiendam plenam probationem. 76. Semiplena unde fiat? 93. Probationes invicem conquaſſantur. 95. Probationum varia genera referuntur. Infrà verb. *Sponſalia. num.* 4. Probatio per ſeptimam manum quomodo fiat? IX. 449. *in App. lit.* ſ. t. Probatio à ſolitis fieri eſt valida. X. 95. *in App. lit.* c.

Procurator.

PRocurator matrimonialis qualis eſſe debeat? X 405. An mulier fungi poſſit hoc officio? *Ibid.* An etiam ſacerdos? *ibid. in App.* 2.

Promiſſio.

QUid ſit promiſſio? XI. 6. Quomodo differat à propoſito? 7. Includit animum ſe obligandi. *Ibid.* Promiſſio Liberalis non obligat ſub mortali. X. 36. Ficta in contractu oneroſo eſt mortaliter mala. X. 36. Et ſub mortali eſt verificanda. 230. Excipiuntur aliqui Caſus ſingulariter ſpectantes ad fictam Matrimonii promiſſionem. 232. *& ſeqq.* Item ex mente ipſiuſmet Sanchezii ille, quo Matrimonium eſt fictè promiſſum, at ſine copula. 37. Promiſſio etiam ſeria non involvit eſſentialiter animum verè promittendi, verè ſe obligandi. 35. Conjugatus promittens alteri Matrimonium poſt mortem conjugis peccat. IX. 211.

Includitur neceſſariò in Voto. XI. 4: Non tamen eſt neceſſariò explicita. 12. Et tunc cenſetur involvi in verbis futuri temporis, quando his utimur, volentes tunc aliquid impetrare à Deo, vel hominibus 14. Promiſſio emendandi vitam, facta Confeſſariis à pœnitentibus, communiter non continet vim voti. 24. Liberalis facta homini, an obliget ſub mortali? 44. Dependens ab alieno arbitrio, quatenus cenſeatur eſſe de re impoſſibili? 80.

In promiſſione præſertim liberali ſubintelligitur hæc conditio: *Si res non habet ſe notabiliter aliter, quàm nunc exiſtimo.* XI. 113. Promiſſio ſeu nuda, ſeu veſtita juramento, intelligi debet juxta prudentem, rationabilémque intentionem promiſſarii. 5 · 2 Non autem cum æquivocationibus inſolitis. *ibid.* Aliud in malis promiſſis, aliud in malè promiſſis. 279. Promiſſionis juratæ, & tamen non ſervatæ, malitia unde deſumenda? 582.

Propoſitio.

PRopoſitio negativa nequit directè probari. XI. 149. Imò nec indirectam probationem exigit, quando negans factum non fundat ſe in negativa. *ibid.*

Propoſitum.

QUid ſit propriè propoſitum? XI. 7. Etſi firmiſſimum ſit, non tamen neceſſariò includit promiſſionem. *ibid.* Nec rationem voti, etſi perſæpe repetitum. 10. Declaratur caſu practico. 9. & 11. Utrùm peccet, qui abſque rationabili cauſa deſiſtit à bono propoſito? 18. Quid ſi fuit ſæpius, & firmiter repetitum? *ibidem.*

Protonotarius Apoſtolicus.

PRotonotariorum Apoſtolicorum poteſtas circa legitimationem indicatur. *Tract.* VIII. *num.* 719. §. *Feci.* Non omnes ea pollent. *ibidem.*

Pupillus.

PUpillus quatenus dependeat à Tutore? Vide verb. *Tutor.*

Q.

Quidquid.

PRomittens alicui ſeriò, quidquid petierit, quouſque cenſeatur extendiſſe ſuam promiſſionem? XI. 416. & 465. Declaratur duplici contingentia facti. 416. & 465.

R.

Raptus.

RAptus eſt Impedimentum dirimens. *Tr.* IX. 541. Quæ circumſtantiæ exigantur ad contrahendum hoc Impedimentum? 542. *& ſeqq.* Debet eſſe fœminæ, non autem viri violenta abductio libidinis cauſa. 543. An, ſi rapiatur propria ſponſa, ſed invita? 545. Pœnæ ſtatutæ in raptores. 541.

Rati-

Digitized by Google

Ratificatio.

Ratificatio Ordinis Sacri ſuſcepti, per quos actus probetur, & non probetur eſſe facta? XI. 151. Actum metu factum, ratificâſſe non præſumitur, quiſquis aliam cauſam, quàm ratificandi poteſt addicere. *ibid.* Id quod non eſt, ratificari non poteſt. 152. Ignorans nullitatem actus, non cenſetur hunc ratificare aliquo actu alio, niſi habeat voluntatem ſupplendi omnem, ſi quis interceſſit, defectum. *ibid.* Quid cenſendum de valore voti, quod impubes edidit, at pater obiit, antequam illud ratificaret. 36.

Rationis uſus.

Rationis uſus quantus requiratur ad validè vovendum? XI. 164. Quid ſentiendum de ſemifatuis? 168. Quid de conſtitutis in paſſione turbante uſum rationis? 169. Circa horum vota facilè diſpenſatur. 170. In dubio quid pronuntiandum? *ibid* An ad valorem ſufficiat deliberatio virtualis? 172. Declaratur Caſu valde ſingulari. 173.

Rebaptizatio.

An rebaptizandus ſit Sacerdos baptizatus ſolo madido panno, applicato corpori? VIII. 180.

Rector.

Rector Eccleſiæ quis dicatur? *Tractat.* VIII. *numero.* 154.

Regularis.

Regularis cum reſpectu ad varia.

1 Quando Regularis ingreſſurus Religionem renuntiavit ex ſolo metu parentum ſuæ legitimæ, hi non ſunt tuti in conſcientia. X. 239.

An audiendi ſi contra profeſſionem poſt quinquennium reclament? X. 242. *in App. lit. o.*

Habitans in Monaſterio, ut hoſpes, an teneatur obſervare ſtatuta illius Monaſterii? VIII. 417.

2 Regularium Superiores obtinent veram dignitatem, & in Reſcriptis Pontificiis veniunt nomine perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ. VIII. 149. Poſſúnque fungi officio Conſervatorum Apoſtolicorum. *ibid.* Superioris Regularis nomine quis intelligatur? VIII. 417. & 418. Peccat, qui petit ſuſcipi ad Ordinem Religioſum, & non indicat, ſe deſeruiſſe uxorem propter adulterium. X. 726. Aut habere prolem illegitimam. 727.

Regulares cum reſpectu ad Ordines Sacros.

3 Non exigitur in Regularibus tanta ſcientia, quanta in ſæcularibus. *Tract* VIII. 422. Privilegia dimittendi pro Ordinibus ad Epiſcopum alienum, an revocata? 408. An poſſint dimitti ad Epiſcopum Originis? 412. An dimitti à Superiore Monaſterii, in quo habitant diu quidem, ſed ſolùm, ut hoſpites? 417. & ſeqq. Peccant Superiores Religioſi, ſi intuitu dimiſſionis ad alium Epiſcopum expectent mortem Diœceſani. 420. §. 1. *Licèt.* Quid ſi mittant ad tempus ad Monaſterium alterius Epiſcopatûs ibi initiandum? 420. §. *Qui.*

Regulares promovendi ad Ordines nequeunt ab Epiſcopo examinari circa mores. *Tract.* VIII. 424. An, & qui Ordines Religioſi fruantur privilegio circa interſtitia, & tempora Ordinationum? 426. An per participationem poſſint aliqui frui illo, quod circa hoc conceſſum eſt Societati Jeſu? 426. Provincialis validè dat dimiſſorias. 418 At Regularis Prælatus invalidè ſæculari. 574. Regularibus favent Epiſcopi Germaniæ, etiam in materia Ordinationis, magis, quàm alii nonnulli. 584. Promoventur ad Ordines ſub titulo paupertatis. 642. Non tamen Novitii. 643.

4 Prælatus diſpenſat cum Sacerdote debili ad celebrandum. VIII. 652. Et ſi ſit ex Mendicantibus, diſpenſat in omni Irregularitate, proveniente ex delicto, præter homicidium. 717. Item abſolutè, in omni, præter illas, quæ proveniunt ex homicidio voluntario, aut bigamia. 719. De diſpenſatione illegitimitatis etiam reſpectu ſæcularium, adeóque provenientе ex defectu corporis. 720. An cum non valente ſumere Calicem niſi utraque manu? 701. *in Append.* 2 Certè in dubio poſſunt tales Prælati declarare, an defectus inducat veram Irregularitatem. 710. *ad finem.* An, & qualem Regulares, etiam exempti, poſſint in ſua Ordinatione promittere obedientiam Ordinatori? VIII. 774. Non intendit hic acquirere tunc aliquod novum jus. 775. Sunt quinquaginta quinque actiones, & eventus, in quibus Regulares ſubjiciuntur Epiſcopo. 775.

Regulares cum reſpectu ad Extremam Unctionem, & Matrimonium.

5 Excommunicantur, ſi abſque Parochi licentia ungant hujuſmodi Parochianos. VIII. 858. Non item, ſi ſuos familiares. 862. Aut etiam extra ſepta Monaſterii ſuis ſervitoribus miniſtrent unctionem. 863. Atque aliis intra ſepta Monaſterii correptis morbo lethali. 863. & 864. Item ſuis convictoribus. 866. Et cuivis alteri, ſi nemo alius adſit. 867. Et accipere oleum à quovis Epiſcopo poſſunt. 868.

6 Examinatur privilegium diſpenſandi in primo gradu Affinitatis datum Auguſtinianis. *Tr.* IX. 719. & 720. Et an Regulares Mendicantes diſpenſent in omni Impedimento, in quo Epiſcopus in caſu neceſſitatis? 721. In quibus Carmelitani? 722. In quibus PP. Capucini Miſſionarii? 724. In quibus nos? 723. Quomodo Mendicantes diſpenſent quoad debitum conjugale cum obſtrictis, aut voto caſtitatis. X. 630. & 631. Aut crimine inceſtûs cum conjugis conſanguinea? 604.

Religio : Religioſus.

QUando conſulatur de ſuſcipiendo Ordine Religioſo, communiter non ſunt interrogandi parentes. XI. 160. & 161. An ſi egrediaris ex Novitiatu Religioſo, quem intraveras ſincero animo, lucreris legatum factum tibi, ſi fieres Religioſus? 292. An valeat votum ducendi uxorem, & ea præmortua ingrediendi Religionem? 288. *& ſeqq* Ad quid, & quantum obliget votum ingrediendi Religionem? 292. *& ſeqq.* Et perſeverandi? 295. Ære alieno preſſus an licitè fiat Religioſus? 298. An teneatur poſt profeſſionem redire ad ſæculum, ut diſſolvat debita? 299. An licitè differat ingreſſum quis, ut ſuccurrat ſorori egenti? *ibid.* An qui in ſæculo patravit delictum, poſſit à magiſtratu ſæculari puniri propter illud, poſtquam eſt ingreſſus Religionem? 300. *& ſeqq.* Quid ſit fieri Religioſum, in fraudem magiſtratûs? 302.

Quid cenſendum de illo, qui ingreſſum religionis votæ diſtulit tamdiu, ut fiat Ineptus ad Ordinem? XI. 303. Quid ſi voviſſet ſe accepturum ſecum omnem ſuam ſubſtantiam, & vellet eum recipere Abbas? *ibid.* Omnia vota poſſunt commutari propria autoritate in votum Religionis. 357. An qui in morbo dixit: *Promitto Deo, quòd nolim mori in ſæculo*, emittat votum religionis? 406. An & is teneatur ingredi Religionem, qui vovit ſe eam intraturum, ſi ejus frater veniret Romam, at frater non venit, niſi decennio poſt? 407. Et mulier, quæ obligata voto Religionis nupſit, at diu poſt nuptias maritus dat libenter ei poteſtatem intrandi. 408.

Renovatio Voti.

REnovatio voti multùm differt à confirmatione voti. XI. 176. Declaratur caſu particulari. *ibid.* Votum renovari poteſt vel relinquendo illud in eo prorſus ſtatu, & vigore, in quo fuit antè, & tunc eſt propriè dicta renovatio. XI. 179. Vel ei ſuperaddendo novum robur, & tunc dicitur propriè confirmatio. *ibid.* Superadditur autem duplici modo. XI. 181. An ſuperaddatur illud novum robur, quando eſt renovatum ab ignorante eſſe irritabile? *Ibidem.*

Res.

REs quælibet facilè ad ſuam naturam revertitur. IX. 643. *in App. lit. t.* Res judicata quid? X. 242. *in App. lit. m.* Alia vide *in Florileg. lit. r.*

Reſervatio : Reſervatum.

NOmine voti Reſervati quid intelligatur communiter? XI. 320. Vota reſervata ſunt quinque. *ibid.* Ut ſis reus voti reſervati neceſſe non eſt, ut priuſquam emittas, noveris eſſe reſervatum. *ibid.* Excipe caſum ſimilem particulari, qui refertur *num. 321.* Reſolvitur nova quæſtio, utrùm votum perpetuæ caſtitatis editum ante pubertatem, & poſt pubertatem nondum confirmatum, cenſendum ſit reſervatum, ſi vovens jam nec parentes, nec alios majores habeat ſed ſit ſui plenè juris? 324. Solvitur nova dubitandi ratio. 325. Solvitur dubium de voto virginitatis facto Beatæ Virgini, an ſit reſervatum? 317.

Vota non ſunt reſervata, quando ſunt pœnalia. XI. 328. Aut generatim conditionalia, ſive nondum ſit, ſive jam ſit impleta conditio. *ibid.* Intelligitur autem conditio, quæ de jure non ineſt. 329. Nec ſunt reſervata, quando ſunt ſub diſjunctione, cujus alterum membrum eſt votum non reſervatum. XI. 330. Aut quando eſt dubium juris, aut facti de illis. *ibid.* Reſervatorum obligatio tollitur vel per irritationem, vel per commutationem, vel denique per ſe ipſam, illis modis, qui recenſentur. XI. 338. *& ſeqq.* Per irritationem eo modo, quo vota non reſervata. 338. *Remiſſive.* Quomodo per diſpenſationem, & commutationem? Vide verb. *Diſpenſatio.* verb. *Commutatio.* & verb. *Jubileum.* Quomodo inter ſe differant irritatio, diſpenſatio, commutatio? XI. 343.

Reſervatio, ſeu Reſtrictio Mentalis.

QUid ſit? XI. 618. Declaratur caſu ridiculo. 619. Nulla reſtrictio mentalis eſt mendacium, niſi ſubaudiatur aliquid falſum. 620. Non eſt fas toties uti reſtrictione, quoties æquivocatione. 621. Reſtrictionem mentalem eſſe aliquando licitam, probatur exemplo Chriſti, & aliorum Sanctorum 622. & 623. Proponuntur inſtantiæ, in quibus judicant ſapientes, eſſe fas, uti reſervatione mentali etiam reſpectu miniſtrorum publicorum. 626. *& ſeq. ad finem.*

Reſtitutio.

REſtitutio propriè oritur ſolùm ratione, vel rei acceptæ, vel injuſtæ acceptationis. *Tr.* IX. 696. Explicantur in actu exercito hi duo termini. *ibid.*

Reſtitutio famæ non eſt neceſſariò facienda cum notabiliter majore infamia? X. 191.

Reus.

QUando reus in cauſa non criminali confitetur id, quod principaliter exigit actor, ſuam tamen Confeſſionem qualificat, nequit actor hanc acceptare in ſuum commodum, niſi ſimul accipiat qualificationem. *Tract. X.* 183. *lit. b.* Declaratur Caſu inexſpectatæ reſolutionis. *ibid.*

An à matre nominatus coram judice pater prolis illegitimæ teneatur fateri veritatem? *Tr. X. numero.* 186.

Roſarium.

OMittens ex Roſario, voto promiſſo, quinque Pater & Ave, non delinquit mortaliter. XI. 84.

Digitized by Google

84. Roſarii nomine quid intelligant Germani? 423. Qui vovit recitare Roſarium, poteſt cum ſocio recitare? 424. Et per partes tempore diſjunctas. *ibid.* Peccabis autem probabiliter mortaliter, ſi recites cum voluntariis diſtractionibus. XI. 428.

Rota fractus.

ROta fractus diu vivens poſt fractionem an extremè ungendus? VIII. 849.

Rudolphus Auſtriacus.

REfertur ejus ſagax factum. XI. 658. Cui fuiſſe adjunctum ſalubre, & ſubtile mendacium ſcribit Zahnnius Calviniſta. 659. Sed vindicatur ab hac turpi macula. 660. & *ſeqq.*

Rumor.

RUmor eſt opinio minoris partis alicujus Communitatis, manifeſtata verbis. *Tract. X.* 535. Differt à fama, & minùs probat, quàm hæc. *ibid.*

S.

Sacerdos.

1 SAcerdos dubius de ſuo Baptiſmo curabit ſe reordinari. VIII. 183. & *ſeqq.*

Dubitans, an ſit legitimè ordinatus, quid aget? VIII. 201. Quid ſi ſolùm probabile ſit, eum eſſe rite ordinatum? 185. An licitè celebrabit privatim? 186. & 187. An coram aliis gnaris probabilitatis? 188. An quivis Sacerdos teneatur ſub mortali ſcire formulas Sacramentorum? VIII. 381. Et ſingulariter Abſolutionis? 382. Sacerdotis moribundi manus quomodo ungendæ? VIII. 925.

Sacerdotium, ſeu Presbyteratus, & ejus collatio.

2 SAcerdotium eſt certò verum Sacramentum. VIII. 85. Quæ ejus materia apud Latinos? 93. & 126. Quæ apud Græcos, etiam Catholicos? 95. Tactus Calicis, & Patenæ eſt neceſſarius ſolùm ex hypotheſi? 9 . Reordinandus eſt, qui fuit ordinatus vacuo Calice. 98. Refertur in hanc rem Caſus unus antiquorum 90. Et alius recens. 98. Quid ſi nimis multùm aquæ ſit infuſum ejuſmodi Calici? 99. Caſus hac de re. *ibid.* Peccat mortaliter Neomyſta, non tangendo Phyſicè, ſaltem unguibus Calicem. 100. & 101. At nullo modo opus eſt tangere Phyſicè Hoſtiam. 102. & *ſeqq. Accuratè.* Poteſtque ſine peccato omitti ille tactus, 108. Peccaretque mortaliter, qui ob neglectum illum tactum peteret iterationem. 108. §. *Ex quibus.* Sicut & qui peteret eandem propter omiſſum Patenæ tactum, caſu, quo fuit tacta Hoſtia. 110. & *ſeqq.* Quid ſi fuiſſet, vel ſola Patena, vel ſolus Calix tactus? 27. *Remiſſivè.*

3 Impoſitio manuum Epiſcopalium ſpectat ad Sacerdotium ſubſtantialiter perfectum. *Tr.* VIII. 117. Sine qua proinde nequit dari Abſolutio Sacramentalis. *ibid.* Declaratur novo Caſu. 118. & 121. At unctio digitorum non ſpectat ad ſubſtantiam hujus Sacramenti, 128. Quid ſi fuerunt uncti Chriſmate? 129.

Forma, qua datur poteſtas conſecrandi. VIII. 112. Et, qua abſolvendi *num.* 117. Refertur Caſus, quo forma pro Conſecratione fuit ab Epiſcopo prolata integra ante tactum Calicis. 113. Valuit illa Ordinatio. 114. At mortaliter illicita. 116. An, & quatenus novi Sacerdotes conſecrent cum Epiſcopo Ordinatore? Vide verb. *Neomyſta.*

Sacramentum.

CHriſtus non determinavit ultimam ſpeciem phyſicam Formæ eorum. VIII. 97.

Samuel.

NOn potuit voto matris obligari ad perpetuum Dei ſervitium. XI. 39. Potuit tamen à patre ad temporale. *ibid.*

Sanctus.

SAnctorum facta, & dicta interpretanda in meliorem patrem. XI. 55.

Sanguis.

AN, quando cadaver occiſi manat ſanguine ad præſentiam alicujus, adſit ſufficiens indicium, ad citationem, aut capturam. XI. 918.

Satiſfactiones.

AN laudandus, qui ſuas omnino omnes ſatiſfactiones donat animabus purgatorii, etſi ſit ipſemet reus multarum pœnarum in purgatorio? XI. 960.

Scandalum.

SCandali imminentis periculum plurimùm facilitat diſpenſationem. IX. 675.

Scientia.

QUalis ſcientia neceſſaria ſit jure naturali Clericis? *Tr.* VIII. 371. Qualis jure Eccleſiaſtico? 372. Qualis ſingulariter Epiſcopo? 374. Prorſus illiteratus eſt incapax Ordinis. 375. Quid ſit, eſſe illiteratum? 376. Quid ſit, intelligere linguam? Latinam 377. Qualis intelligentia illius linguæ exigatur pro Ordinibus Minoribus? *ibid.* Qualis pro Subdiaconatu & Diaconatu? 379. Qualis pro Sacerdotio? 380. 381. An ob gravem cauſam promoveri ad id poſſit penitus ignarus Grammaticæ? 385. Et ſingulariter in Germania. 387 Quid ſi valde mediocriter gnarus Grammaticæ: at verò bonus Muſicus? 390. Declaratur caſu vero. 388. Quid ſi bonus Sacriſta? 39 .

Sententia.

SEntentia nulla nullum parit effectum. X. 242. *in App. lit. m.* Nec tranſit in rem judicatam,

Digitized by Google

tam. *ibid.* Et ſententia per ſubreptionem obtenta eſt nulla. *ibid.* Sententia etiam, quæ tranſit in rem judicatam, aliquando caſſatur. *ibid. lit. n.*

Scholaris.

QUis Scholaribus miniſtret Ordines ? VIII. 298. Quis Matrimonium ? IX. 483. Non acquirunt domicilium, ubi ſtudent. VIII. 298.

Scriptura Sacra.

HUjus abuſus an accenſendus blaſphemiis? XI. 71?. An, & quatenus contineat rationem ſacrilegii ? 719. Recenſentur variæ ſententiæ S. Scripturæ, quæ ſolent ad facetias, & alia adhiberi. 719. & *ſeqq.* Diſtinguendum inter verba, quæ proferuntur à Spiritu Sancto in Sacra Scriptura, & inter illa, quæ ſolùm referuntur ut prolata ab hominibus profanis, aut impiis. 720.

Scrupuli.

SCrupuli ſunt probè diſtinguendi à timore, & vero dubio. VIII. 207. Duo ineptè ſcrupuloſi circa valorem ſui Ordinis. 221. 222.

Secretum.

AN peccet, qui mendacio tegit aliquod ſecretum ? XI. 562. Nullum eſt ſecretum, quod non poſſit tegi ſine mendacio. 563. Adhibendo ſcilicet æquivocationem, vel reſtrictionem mentalem. *ibid.* Secreta, à quibus ſingulariter ſervanda ? 564. Locus, in quo olim ſecreta tractabantur, appellabatur *Silentiarium. Ibid.* Spirenſis Curiæ lex de Secreto ſervando. *Ibid.* Juramentum de ſervando ſecreto non ſemper obligat ſub mortali. 565. Quatenus ſecretum ſingulariter obliget, vel non obliget Vaſallum; in cauſa contra ſuum dominum? 575. Juramentum de ſecreto ſervando intelligitur juxta gravitatem, aut levitatem ſecreti in ordine ad culpam gravem, aut levem. XI. 649.

Sepultura.

HÆc verba : *Sepeliam te, ubi fueris mortuus*, ſignificant Indis promiſſionem matrimonialem. *Tr.* X. 50.

Semen.

QUando eſt noxium uxori, an hæc teneatur reddere debitum ? X. 646. *in App lit. b.* An immiſſum, licitè effundatur, ne noceat corpori ? *ibid. lit. e.* Quid ſi ut impediatur conceptio, & ſemen ſit immiſſum per vim injuſtam? *ibid in App. 2.* An quando ſemen mariti non eſt prolificum, liceat petere debitum ? X. 607. Quid ſi uxor proritet ſuum ſemen? 589.

Servus ; Servitus.

SErvitus quatenus faciat irregularem ? VIII. 653. & 673. Quatenus irritet Matrimonium IX 130. Inter Chriſtianos bello capti non fiunt ſervi. 134. Servus poteſt præſcribere libertatem. VIII. 673.

Si.

HÆc dictio verſa in linguam Germanicam, ſignificat promiſcuè tum conditionem, tum tempus, ſeu Quando. XI. 370. Latinè quoque apud Germanos ſolùm mediocriter peritos linguæ latinæ utrumque illum ſenſum habet. *ibid.* Proponuntur. *n.* 368. & 369. duo caſus, quorum primus multùm facit ad praxin.

Signum.

AN liceat inducere ſagam, ut amoveat ſignum maleficii poſitum ab ipſa ? XI. 943.

Simulatio.

SImulatio propriè dicta eſt mendacium reale. XI. 587. Eſt familiaris luſoribus. 666. & 667. Simulans, à ſe non haberi certitudinem alicujus facti, nequit ſervare id, quod lucratus eſt ab alio, negante illud factum. 666.

Societas Ieſu.

Societatis ſpecialia circa ſacros Ordines, & Matrimonium.

GAudemus privilegio, noſtros Novitios quoquo mittendi pro Ordinibus extra Diœceſin, *Tract.* VIII. 421. Et ſuſcipiendi Ordines extra tempora, & non ſervatis interſtitiis. 426. An & illi participativè, qui habent communicationem omnium Privilegiorum noſtrorum? *ibid.* Declaratur Caſu vero. *ibid.* Etiam in Feſtis ſolius Chori poſſumus promoveri ad Ordines. 4?5. Idque factum non ſemel. *ibid.* Et quidem tribus diebus feſtivis non interpolatis. 464. Quod Privilegium aliis eſt incommunicabile. *ibid.* Noſtri Scholares, etſi non Profeſſi, promoventur cum titulo paupertatis ad Ordines Sacros. 644. Et primi noſtri decem Patres fuerunt, etſi necdum Religioſi, promoti ſub hoc titulo. 645. Noſtri Superiores fruuntur peramplâ poteſtate diſpenſandi cum ſuis ſubditis ſuper Irregularitate. 719. Quali erga ſæculares extremè ungendos intra ſeptum Collegii? 864. Singulariter circa obeuntes Exercitia Spiritualia. *ibid.* Quali erga Convictores, & Seminariſtas? 866.

Vota ſimplicia, quæ edimus, dirimunt Matrimonium contrahendum. *Tr.* IX. 148. Idque ex ſola juris particularis diſpoſitione. *Ibid.* Ea vota efficiunt nihilominus verum Religioſum. *Ibid.* Et ſtatum illum non conditionatum, ſed abſolutum. 149. & 150. Probatur latè contra Neotericum Thomiſtam. *Ibid.* nequimus votis talibus illigatos ſolvere, niſi ex cauſa tum juſta, tum juſtiſſima. 150. Poſſumus quoad petitionem debiti conjugalis diſpenſare cum conjuge obſtricto voto. *Tr.* X. 632. Et Univerſim in omnibus votis, in quibus Epiſcopus ex ordinaria poteſtate. *Ibid.* Quomodo diſpenſemus

Digitized by Google

mus in quibuſdam dirimentibus Impedimentis? *Tr.* IX. 723. Plura vide verb. *Regularis. n. 6.*

Societatis Ieſu Vota.

VOta, quæ Profeſſi Societatis emittunt poſt profeſſionem ſolennem, ſunt ſimplicia. XI. 26. Cur ſint inſolubilia? *ibid.* Simplicia noſtrorum Scholaſticorum non efficiunt ſtatum Conditionatum. 29. Ignorantia verſans circa vota ſimplicia Societatis, æquè parum irritat ea, ac irritat verſans circa ſolennia. XI. 112. & 113. Etſi alia vota ſimplicia rectè comparentur cum ſponſalibus, non tamen rectè illa, quæ emittimus, poſt biennium Novitiatûs. 113. Renovatio Votorum, quam uſurpat Societas, non adfert novum vinculum. 180. Qualia peccata repugnantia caſtitati reſerventur in Societate. XI. 284. Quatenus diſpenſemus in voto caſtitatis perpetuæ. XI. 351. Omnia, & ſingula contenta in noſtris Conſtitutionibus, ſunt à tribus Pontificibus confirmata. 959.

Solvere.

SOlvere, & ligare eſt ejuſdem poteſtatis. *Tr.* IX. 603.

Solymannus.

SOlymanni juramentum execrativum, & execrandum. XI. 448. & 476.

Somnium.

QUatenus peccet obſervans ſomnia? 915. & 1006. Singulare ſomnium Petri Forerii. 916.

Sponſio.

AN qui certus eſt, hoc aut illud eſſe factum, poſſit cum alio id negante facere ſponſionem de veritate? XI. 666.

Sponſus.

SPonſi propriè ſunt, qui celebrârunt Matrimonium de futuro. *Tr. X. n.* 3. Impropriè etiam ſponſi, qui celebrârunt Matrimonium de præſenti. *Ibid.* Unde alii vocantur ſponſi *de præſenti*; alii ſponſi *de futuro. Ibid.* In materia favorabili intelliguntur tam illi, quàm hi. 4. In odioſa, & pœnali ſolùm ſponſi de futuro. *ibid.* Declaratur Caſu raro. 5. Sponſorum quæ ſint obligationes? Vide paulò pòſt verb. *Sponſalia. n. 5.*

Oſcula, tactus, & amplexus ſponſorum invicem, ſi non ſint impudici, vacant culpâ mortali. X. 670. Sæpe veniali. 671. Eſto quandoque ſubſit periculum pollutionis, ſine periculo tamen conſenſûs. *Ibid.* Modò non fiant ob delectationem veneream. *ibid.* Et fiant inter ſponſos obligatos ſponſalibus abſolutis, non verò conditionatis. 672. Quid cenſendum de illa doctrina nonnullorum: *Sponſalia præciſè ſpectata non excuſant à mortali, aut veniali oſcula, complexus, aut tactus, quæ in ipſis, ſi ſoluti eſſent, forent mortales, aut veniales. Ibid.* Vide alia ſuprà verb. *Delectatio.*

Sponſalia.

Sponſalia generatim.

SPonſalia dicuntur à ſpondendo. *Tr.* X. *n.* 2. Et ſtrictè ſunt promiſſio mutua futuri Matrimonii. *ibid.* Latè etiam involvunt Matrimonium Ratum. *ibid.* Ideóque dividuntur in ſponſalia de præſenti, & ſponſalia de futuro. *ibid.* Sponſalia ſunt Matrimonio præmittenda ſolùm ob denuntiationes. 8. Poteſt Epiſcopus cum Magiſtratûs ſæcularis conſenſu ferre Statutum irritativum ſponſalium initorum ſine Parocho, & Teſtibus. X. 12. & 13. Refertur ejuſmodi Statutum. 11. At. per ſe loquendo ſunt licita, ſine ullo Teſte facta. 15. Danda tamen opera, ut adhibeantur duo. 16. Et fortè eſt melius, ut inter eos non ſit Parochus. 15. 1

Promiſſio ſponſalitia debet eſſe mutua X. 9. & 19. Et acceptata ab utraque parte. 21. Et reſpectu aliquorum prædita majore deliberatione, quàm requiratur ad votum, aut peccatum mortale. 22. Occaſione Caſus Neapolitani diſcutiuntur quatuor dubia, circa imperfectionem deliberationis, quam æſtus libidinis videtur adferre tempore copulæ fornicariæ. 24. *& ſeq.* debet quoque illa promiſſio eſſe libera injuſto metu. 29. Et ita ſeria, ut abſit etiam propoſitum ſtandi promiſſis. 30. Reſolvitur Caſus numero Primo propoſitus de juvene dicente puellæ: *Propino tibi in Matrimonium.* Déque eadem puella præciſè reſpondente. *Deus tibi benedicat potum.* 31. *& ſeqq.* Quid ſi puella ebibiſſet poculum? 34. Promittens fictè Matrimonium ſine repromiſſione, peccat venialiter. 36. Mortaliter, ſi exigat repromiſſionem. *ibid.* An teneatur ducere? 37. *Junct. n.* 230.

Promiſſio ſponſalitia debet ſigno externo exprimi. *Tr.* X. 9. & 40. Eóque ſufficienter indicante internam promiſſionem. 44. Referuntur novem modi loquendi, certò ſignificantes ſponſalia. 48. Et alii duo nobis peregrini, quibus utuntur Indi. 50. Referuntur alii quinque, certò conſtituentes Matrimonium, & non ſponſalia. 51. Alii ſex ambigui. 53. Quos inter eſt ille: *Mea eris*: *Habebo te meam.* 58. Et præterea ille: *Aliam non ducam, niſi te.* 59. Et ille: *Nunquam te derelinquam pro alia.* 63. Et illa: *Promitto tibi amorem, & fidelitatem.* 65. Si maſculus apprehenſâ manu puellæ dicat: *Accipio te in meam.* illa autem non retrahat, an cenſebitur repromiſiſſe Matrimonium? X. 66. An ſi permittat annulum inſeri in digitum? 67. Et ſingulariter, ſi in medium. 68. Aut miſſa munera ſervet. 69. Aut taceat, quando parentes eam præſentem deſponſant alicui? 70. Quæ ſunt in jure ſtatuta de Matrimonio, aut cauſa matrimoniali, nequaquam ſunt omnia extendenda ad ſponſalia. X. 74. Ideóque cauſa ſponſalium non eſt, ut Matrimonii, æquiparanda criminali. 183. *lit. e.* 2

Sponſalibus apti.

SVnt jure naturali habiles ad ſponſalia omnes, qui poſſunt validè, & licitè inire Matri- 3

trimonium *Tract.* X. 97. Inhabiles omnes, qui laborant Impedimento vel dirimente, vel impediente. 98. Aut qui alteri jam promiſit validè Matrimonium. IX. 79. Sponſalibus validè cum prima;, invalidè cum altera contractis, quid agendum ? X. 324. Quid ſi altera evaſit gravida ? 325. & 326. Quid ſi utraque imprægnata ? 326. Quid ſi fictè pluribus promiſſum eſt Matrimonium ? 236. & *ſeqq.*

Eſt & ſingulariter inhabilis Matrimonio, qui eſt voto caſtitatis illigatus. *Tract.* X. 99. Quid ſi talis à puella uſuram corporis impetravit cum promiſſione Matrimonii? 100. & 227. 228. Item qui vult ducere hæreticam. 101. Aut contrahere inſciis parentibus. 102. Quid verò ſi velint hi injuſtè impedire Matrimonium ? 103 Quid ſi ceſſurum ſit in probrum familiæ ? 105. Aut in parentum offenſam brevem, vel diuturnam ? 106. Declaratur Caſu Belgico. 85. & 106. Neapolitano 107. Biſontino. 96. & 111.

Minor ſeptennio invalidè promittit Matrimonium. *Tr.* X. 113. Niſi malitia, ſeu uſus rationis ſuppleat ætatem. 114. Qui verò promiſit ante adeptam pubertatem, nequit reſilire, niſi eâ adeptâ. IX. 381. Et quidem licèt videatur ceſſâſſe ratio Canonis vetantis reſilire. *ibid.* Declaratur Caſu novo. 381.

Cæcus, mutus, ſurdus ſunt habiles Matrimonio, ſi aut laborent ſolùm uno ex his vitiis, aut ſolùm duobus poſterioribus. *Tr.* X. 115. Non autem, ſi omnibus tribus. 116. Licèt fortè, phyſicè loquendo, poſſit quis ex his edoceri neceſſaria ad hunc contractum. *ibid.*

Sponſalium probatio.

4 Sponſalia eſſe re ipſâ contracta, probantur
inprimis verbis, conſenſum in Matrimonium de futuro teſtantibus *Tr.* X. 89. Ut ſunt, quæ expreſſi. *n.* 48. & 49. Et quandoque illis, quæ refero. *n.* 53. Ut & illis: *Aliam non ducam, niſi te.* 59. Cujus locutionis tamen duplex eſt ſenſus. *ibid.* & *ſeq.* At non illis : *Contraham tecum Matrimonium.* 61 Nec illis: *Promitto tibi amorem & fidelitatem.* 65. Probantur ſponſalia actionibus relatis, atque admiſſis. *n.* 66. & *ſeqq.* Sicut & præſumptionibus. 90. Indicantur variæ præſumptiones. *ibid.* Quas inter eſt etiam, quando aut duo ſeſe mutuò vocant ſponſos. *ibid.* Aut puella perhoneſta, & integræ famæ facit ſæpius juveni paris conditionis poteſtatem ſui corporis. *ibid.* §. IV. Non autem illa, quæ fatetur ſe accepiſſe arrham à juvene id negante. *ibid.* §. III. Probantur quoque cum juramento ſuppletorio probationis *ibid* §. V. Et verb. *Iuramentum.* *n.* 9. Tum vel maximè Teſtibus. 91. At Qualibus ? vide verb. *Teſtis,*

Quando omnibus ſpectatis, dubium eſt, utrùm revera ſit facta aliqua promiſſio matrimonialis, Iudex non debet pronuntiare, eſſe factam. *X.* 73. Et quando dubitatur, an facta valeat, eſt pronuntiandum pro libertate; non pro valore. 73 Affertur clara ratio, ob quam in tali dubio pronuntietur pro valore Matrimonii, & non pro ſponſalium. 73. §. *Nec.* & 74. Cur Teſtes, habiles pro Matrimonio, non ſint omnino habiles pro ſponſalibus ? 92.

Sponſalium abſolutorum obligatio.

QVI ſincerè, abſolutè & validè promiſit Ma-
trimonium alteri, facta repromiſſione, tene- 5
tur ſub mortali ſtare ſuis verbis. *Tr.* X. 121. Secùs, ſi ſine repromiſſione. *ibid.* Singulariter, ſi expreſſè voluit ſe obligare ſolùm ſub veniali. 122. Tenetur tamen reparare damna ſecuta, ſi reſiliat. *ibid.* & *n.* 181.

Quando utrinque eſt facta promiſſio, maturandum eſt Matrimonium. 124. Et pars reluctans adigenda Cenſuris Eccleſiaſticis. 125. Quid ſi contumax non emendetur anathemate? 125. & *ſeqq.* Quid ſi denique ſit ceſſurus, ſed cum manifeſto periculo gravium malorum ? 129. & 182. Quid ſi cum duntaxat probabili ? 130. An inſtituendus proceſſus judicialis. 131. 337. An judex ſæcularis immittet manum? 132. Quid ſuadebit Confeſſarius ſponſæ volenti reluctantem ſponſum compellere, autoritate judicis, ad fidelitatem ſervandam? 133. & *ſeqq.* Quid ſentiendum de dubitante, utrùm aut promiſerit, aut, ſi promiſit, an fictè ? 136. Quid de illo, qui contraxit ſponſalia incerta ? *ibid.* Quid de alio, qui jam contractis abſolutè ſponſalibus addit conditionem ? 137. Sponſalia nequeunt claudicare. IX. 383. *lit. a.*

Sponſalium conditionatorum obligatio.

Conditio propriè quid ſit. *Tr.* X. 145. In 6
ſponſalibus etiam abſolutè contractis ſubintelliguntur omnes (niſi fiat expreſſa exceptio) conditiones, quæ de jure, & conſuetudine ineſſe debent. *ibid.* Harum conditionum ſubintellectio non facit, ut ſponſalia dicantur conditionata. 383. & *Tr.* IX. *n.* 150. Nominatim illa : *Si res in eodem ſtatu permaneant.* 383. Et Prodeſt ad praxin hoc obſervare. X. 383. Fas eſt, ſponſalibus adjicere quaſlibet honeſtas conditiones. 146. At non poſt ea jam contracta. 137. Nec impoſſibiles, aut turpes. 146. Quid ſi eæ ſint de præſenti, vel præterito? 148. Quid ſi ſint de futuro? 149.

Defenditur ex inſtituto, quòd licèt conditiones turpes aut impoſſibiles adjectæ Matrimonio de præſenti habeantur communiter pro non adjectis, non tamen inde ſequatur, quòd additæ Matrimonio de futuro etiam ſint habendæ pro non adjectis. *Tr.* X. 149. & *ſeqq.* Et nominatim in Germania appoſitio conditionis impoſſibilis habetur pro diſſenſu à Matrimonio. 154. Sicut & è diverſo pro aſſenſu verè conditionato, quando dicitur puellæ: *Te ducam, ſi feceris priùs poteſtatem tui corporis. ibid.* Quid ſi judex, ad quem cauſa defertur, dubitet de animo adjicientis hanc conditionem ? 156.

An, & ad quid obligent Sponſalia inita ſub 7
con-

conditione. *Si Papa diſpenſaverit. X.* 160. Singulariter quando eſt impedimentum, in quo Papa diſpenſat difficulter? 161. Quid quando diſpenſat facilè? 162. Quis teneatur facere ſumptus diſpenſationis? 164 Quid de his quæſtionibus pronuntiandum poſt recentes deciſiones Rotæ, irritantes omnia taliter conditionata Matrimonia? *Ibid. in Append.* Quid ſingulariter dicendum pro, vel contra valorem talium ſponſalium, quando non fuit expreſſa, ſed ſolùm ſubintellecta conditio diſpenſationis Papalis? 165. & 166. Eſtne poſt obtentam diſpenſationem Papalem neceſſariò renovandus conſenſus? 165. Quid ſi interea alteri non laboranti Impedimento fuit promiſſum Matrimonium, eadémque imprægnata? 165. Refertur ſpecies facti multa hanc in rem continens. *ibid*

An; & quantum obliget conditio, qua dicitur: *Te ducam, ſi pater conſenſerit. X.* 167. Aut: *Si Deo placuerit.* 169. Aut: *Si, vel quando Deus res ita diſpoſuerit. ibid.* Aut: *Si non ſteteris promiſſis, dabis mihi mille.* 170. *& ſeqq.*

Quid ſi una pars reſiliat juſta ex cauſa? 170. Quid ſi ex injuſta? 172. & 173. Quid ſi adjecta ſit conditio de pecuniis accipiendis, ſi fuerit ſervata fides? 174. Aut de perdendis arrhis, ſi non ſervata? 175. Si puella fateatur, ſe quidem repromiſiſſe Matrimonium, at verò adjeciſſe conditionem: *Si matri placuerit*, tenebitúrne ipſa probare illam adjectionem, an procus omiſſionem adjectionis? 183. Declaratur Caſu notando. *ibid.*

Sponſalium diſſolvendorum Cauſæ.

8 ENumerantur ſeptem cauſæ legitimæ pro diſſolvendis veris ſponſalibus, ad quas omnes aliæ revocantur. *Tract. X.* 245. Prima cauſa eſt mutuus conſenſus. 246. Eſto ſint ea firmata iuramento. 249. Quid ſi juramentum ſit additum principaliter in honorem Dei? 250. Et ſingulariter, ſi execratorium? 253. Cujus non ſervati punitio refertur *num.* 255. Quid ſi dixit alteruter, *Sub fide mea promitto tibi Matrimonium.* 257. Quid ſi mos Diœceſanus vetet diremptionem abſque facultate Ordinarii? 260. Conſtantienſis prohibet ſub mortali reſervato. 262. *& ſeqq.* Quid ſi ceſſio cedat in damnum liberorum jam ſuſceptorum? 277. & 286. Petenti relaxationem promiſſionis ſine legitima cauſa non tenetur gratis acquieſcere altera pars. 265. Nec committit Simoniam, petendo pecuniam pro relaxatione. 270. Peccant communiter, ſaltem venialiter, qui abſque juſta cauſa diſſolvunt mutuo conſenſu ſponſalia. 247. & 248.

9 Altera cauſa eſt conditio non purificata. X. 246. & 272. Si videlicet per neutrum ſponſum ſtet, quò minùs impleatur. 272. Quid ſi alteruter ſolùm conatus eſt impedire adimpletionem? *ibid.* Quid ſi quis duabus promiſit Matrimonium ſub conditione, & impleatur hæc reſpectu unius, nondum autem reſpectu alterius? 275. Cognoſcens ſponſam ante impletam conditionem cenſetur recedere ab appoſitione conditionis. 276. Plura de conditionatis ſponſalibus vide ſuprà verb. *Sponſus.*

Tertia cauſa eſt diſpenſatio pontificia. X. 10
246. Quam nequit altera parte invita, facere Epiſcopus. 281. Nec Papa, niſi ex cauſa graviſſima, præſertim ſi ſint firmata juramento. 282. Quæ ſit, aut non ſit juſta cauſa diſpenſandi? 283. Adfertur hanc in rem Caſus. 277. & 289.

Quarta cauſa eſt ætas. X. 246. & 287. De qua vide etiam ſuprà verb. *Sponſalia. numero.* 3.

Quinta cauſa eſt ignorantia rerum, quæ ſi cognitæ fuiſſent, non eſſet promiſſum Matrimonium. X. 246. 293. Et generatim omnis ignorantia, ſeu error ſufficiens ad juſtè diſſolvendum jam contractum Matrimonium, ſufficit & ad ſponſalia dirimenda. 292. Sufficere minorem, declaratur exemplis deceptorum circa vel divitias. 299. Vel aſperitatem morum. 303. Vel circa varios morbos. 304. Et nominatim circa herniacam paſſionem. 305. Vel circa hæreſin. 306. Vel fornicationem alterutrius. 307. Vel ſterilitatem. 308. Vel defectum natalium, etiam paternorum. 309.

Sexta cauſa recedendi à ſponſalibus eſt, 11
quando jam contractis ſponſalibus ſupervenit aliquid, quod eorum executionem reddit notabiliter difficiliorem. *Tract. X.* 246. 310. & 311. Declaratur eventu ſponſæ voventis poſt ſponſalia vel caſtitatem. 312. Vel Religionem. 314. Vel ſuſceptionem Ordinis Sacri. 319. De vi horum votorum vide infrà verb. *Votum. n.* 8. Quid ſi ſponſus, inſcia ſponſa, ſuſcepit quatuor Minores? 321. Quid ſi ingreſſus in Religionem, fiat poſt deflorationem? 318. Vel cum damno temporali. 322. Aut è Novitiatu redeat ad ſæculum? 323.

Declaratur eadem ſexta cauſa eventu tum Ma- 12
trimonii poſt ſponſalia contracti cum alia validè, aut invalidè. 324. Aut ſolùm ſponſalium, ſed ſecunda imprægnata. 165. 325. & 326. Tum fornicationis ſponſi cum ſorore ſponſæ: aut ſponſæ cum fratre ſponſi? 329. Tum contradictionis parentum? 330. *& ſeqq.* Tum defectûs corporalis, adeóque deformitatis ſupervenientis, aut proſcriptionis. 336. Tum defectus animi, ut mutationis in males mores. 337. Aut adulterii à patre patrati. *Ibid.* Tum non præſtitæ dotis. 338. Tum exhæredationis, aut paupertatis ſupervenientis. 339. Tum magnarum opum acquiſitarum. 340. Tum denique quando ſuperveniunt plures parvæ mutationes, quarum ſingulæ non ſufficerent ad diſſolutionem. 341. Quid ſi aut ſponſa ſit adultior, aut minoris Nobilitatis, quàm putabatur? 343. & 344. Aut offendendus graviter

Digitized by Google

ſponſi frater? 346. Quid ſi alteruter incipiat extremè abhorrere ab altero? X. 165. & 337. Quid ſi ſponſus, qui contraxit per procuratorem, reſiſtat, antequam reſciat, procuratorem eſſe jam functum officio? 375. Quid ſi denique ſponſus, inſcia, vel invita ſponſa, diſceſſit aliò? 349. *& ſeqq. diſtinctè*. Vel non vult Matrimonium inire condicto tempore? 357. Quid ſi nullum tempus præſcriptum? 358.

Sponſalium diſſolvendorum circumſtantia.

13 UTrùm quando ſponſus ignarus gravis defectûs, quo laborat ſponſa, urget hanc ad Matrimonium, teneatur ipſa detegere defectum? 365. *& ſeqq*. Nominantur varii defectus. 367. Quid ſi jam aderant ante ſponſalia? 368. Quid ſi ſupervenerunt ſponſalibus? 369. Quid ſi non reddant Matrimonium notabiliter difficilius? 370 Enumerantur aliqui. 371. Poteſt ſponſa interrogata de iis, e. g. De amiſſa jam virginitate, negare per æquivocationem, ſe iis laborare. 372. Imò & poſt æquivocationem cogere ſponſum, ut ſtet promiſſis. *Ibidem*. Niſi ante ſponſalia finxiſſet ſe immunem talibus vitiis. 373. Quid ſi ſponſa ſit gravida ex alio proco? 365. & 374. Et immineat ipſi occiſio, ſi indicet? 375.

14 Pars habens manifeſtam cauſam reſiliendi à ſponſalibus, poteſt per ſe loquendo, id facere propriâ autoritate. *Tract. X.* 377. Quid ſi adſit tantùm unus Teſtis vitii? 378. Quid ſi immineat infamia ſponſæ? 379. An reſiliens ex juſta cauſa teneatur alteri parti quidpiam in compenſationem præſtare? 380. & 381.

15 An, quando aderat ante ſponſalia circumſtantia, & quam ſi ſciviſſet altera pars, non contraxiſſet, & quæ poſtea cognita dedit quaſi cauſam reſiliendi, fuerint planè ſponſalia invalida, an verò valida, ſaltem ex parte laborantis illâ ignorantiâ? 382. Hæc quæſtio facit multùm ad praxin. *Ibid. & 383*. Conſcius cauſæ ſufficientis ad reſiliendum, cadit ſuo jure, ſi poſtea cognoſcat ſponſam. 384.

Spuere.

VOtum non ſpuendi in templo, quatenus valeat? XI. 50. & 66. Refertur hac de re caſus verus. 50.

B. Staniſlaus.

QUale malum timuerit inferendum ſibi à parente, ſi ei aperiret vocationem ad Societatem? XI. 161. An valuerit ipſius votum de non deſiſtendo à ſolicitatione admiſſionis ad Societatem, donec fieret voti compos? 309. Horrendè punitus Concionator, qui publicè per ſarcaſmum vocaverat illum *Fabrum* miraculorum. 766.

Statutum.

DEfenditur Statutum quoddam Mutinenſe in cauſa matrimoniali, IX. 21. Sicut & unum Lucernenſe. *Ibid.*

Steura, ſeu Collecta.

PRoponitur recens Caſus ſubditi, non indicantis integrè Magiſtratui valorem bonorum ſuorum in ordine ad ſteuram, ſeu collectam. XI. 577. Fueritne reus perjurii, etſi poſtquam juravit, ſe indicaturum ſuam totam ſubſtantiam, ſubticuit quadraginta florenos? 626. *& ſeqq*. Quid ſi quis negotiator ſubticuit bis mille Ducatos? 632. An compenſandæ ſteuræ petitæ, & per æquivocationem negatæ? 634.

Stylus.

STylus Curiæ eſt ipſa conſuetudo Curiæ. *Tr.* IX. 611. Habetur pro Lege ſi ſit inductus, ſciente Principe. *Ibid.*

Subdiaconatus : Subdiaconus.

SUbdiaconatus olim non erat Ordo Sacer. *Tr.* VIII. 753. Quæ ejus materia, & forma? VIII. 43. 49. Et an ſit Sacramentum? 84.

Quatenus Subdiaconus teneatur ſervare Caſtitatem? Vide verb. *Ordo num. 10*. Sitne certum, eum committere peccatum qualificatum, quando ſe oblectat moroſè cogitationibus venereis ſine deſiderio? IX. 272.

Subſtitutus.

QUomodo Subſtitutus differat à delegato? VIII. 718. *in App. lit.* d.

Superſtitio.

SUperſtitio unde dicta? XI. 896. Quid & quotuplex? *Ibid. & 895*. Quomodo committatur per Idololatriam? Vide verb. *Idololatria*. Quomodo per divinationem? *num. 908. & ſeqq*. Quomodo per vanam obſervantiam? *920. & ſeqq*. Uſque ad *num. 926*. Quomodo per magiam? *926. & ſeqq*. Uſque ad *n. 941*. Plurimæ particulares ſuperſtitiones nominantur, & examinantur à *num. 908*. ad *938*. Et adhuc plures à *num. 941*. ad 1035. *Adeóque univerſim plures quàm centum ſexaginta*. Pœnæ in ſuperſtitioſos ſtatutæ à Deo. XI. 1039. *& ſeqq*. Statutæ à jure Canonico. 1042. Et à jure Civili. 1043. Et à Bavarico. 1044.

Surdus.

SUrdus an ſit Irregularis? VIII. 682. Surdus, mutus & cæcus ſimul nequit validè contrahere Matrimonium. X. 116.

Suſpen-

Digitized by Google

Suſpenſio.

QUomodo incurratur per varias actiones exercitas occaſione Ordinum? VIII. 706. *& ſeqq.* Quis ab ea abſolvat? 715. *& ſeqq.* Communia huic, & aliis Cenſuris? Vide ſuprà verb. *Cenſura.*

T.

Tacens, Taciturnitas.

TAcens puella an cenſeatur conſentire in deſponſationem factam à patre? *Tract. X. n. 70.* Quandonam taciturnitas ſit ſignum aſſenſus? X. 70. Et apertæ confeſſionis? 83. Lex omnia contra tacentem interpretatur in pejorem partem. *Ibid.* & 95. *in App. lit.* m.

Tactus.

TActus phyſicus, & immediatus materiæ pro Ordinibus an neceſſarius? Vide verb. *Ordo. num. 4.*

Tactus impudici quatenus liciti vel illiciti ſint conjugatis? Vide verb. *Matrimonium. n. 15.* Quatenus viduis? Vide ſuprà verb. *Matrimonium. num. 16.* Quatenus ſponſis? Vide verb. *Sponſus.*

Tantùm.

VOcula taxativa *Tantùm* non excludit ea, quæ ſecundùm æquitatem Canonicam includenda ſunt. *Tract. VIII.* 570.

Taxa.

OFficialis jurans ſe nihil accepturum ultra taxam præſcriptam, quatenus peccet accipiendo? XI. 530. Quid ſi clam? *Ibid.*

Tempus.

QUando tempus incipit à die determinata, computatur de momento ad momentum. *Tractatu VIII.* 521. Et ibi non habet locum Axioma: *Quod parum diſtat, nihil diſtat. Ibid.*

Teſtamentum.

NOn valet teſtamentum, quatenus eo relinquuntur filio, aut filiæ, quater mille, ſi nupſerit: minus, ſi non nupſerit. *Tract. X.* 469. Aut filio plus, ſi manſerit in ſæculo: minus, ſi fuerit Religionem profeſſus. 470.

Teſtis.

1 JUs naturæ non arcet à teſtimonio dicendo, niſi quos prudenter timemus, non dicturos veritatem. IX. 502.

Teſtis in cauſa ſanguinis non fit Irregularis, ſi ferat teſtimonium coactus. *Tract. VIII.* 659. Varianti non creditur. 533. §. *Cenſui.*

2 Teſtis unus quantum probet in cauſa matrimoniali? *Tract.* IX. 66. Teſtis ad probandum metum Matrimonii cauſativum qualis ſufficiat. IX. 267. Unius, aut duorum metum teſtantium depoſitio eſt pluris facienda, quàm mille negantium. *ibid.* Uni teſti de ſuo facto deponenti non creditur, niſi ex autoritate publica fungatur officio, de cujus facto teſtatur. IX. 382. *lit.* h.

3 Duo Teſtes de viſu gignunt certitudinem moralem de morte alicujus. *Tract.* IX. 310. Quid intelligatur per Teſtem de viſu? 312. Parochi teſtimonium etiam gignit moralem certitudinem. 313. Teſtis de auditu quomodo efficiat moralem certitudinem? 314. Quomodo unus ſolus? 315. Unus gignit ſemiplenam probationem. X. 93. §. *Fuit.* Teſti non jurato non habetur fides. IX. 338. Excipe ſingulariter illuſtres perſonas in Germania. *Ibid.* Excipe quoque teſtes de fama. 320. *in fine.* Aut in inquiſitionibus demandatis à Papa. 692. Teſtis argumentans non admittitur. IX. 491. Admittitur autem pro Matrimonio ſolennizando omnis, quem jus naturæ non excludit. IX. 502. Sicut excludit ebrios, infantes, amentes, & perjuros, donec conſtet eſſe emendatos. *Ibid.* Debent autem ii eſſe ita præſentes, ut audire poſſint, vel cognoſcere ſigna exprimentia conſenſum. *ibid.* At verò pro contractu ſponſalitio exiguntur à multis teſtes omni exceptione majores. X. 92. Adeóque non admittuntur conſanguinei, niſi quando quæritur de conſanguinitate. *ibid.* Aut dirimendo Matrimonio. *ibid.* Sicut nec, quando agitur de imprægnatione conſanguineæ. *ibid.* Aut de ſponſalibus propriæ filiæ. *ibid.* Aut quando parentes multùm affectant nuptias. *ibid.* Aut quando quis etiam alienus extitit proxeneta, ſeu ſolicitator. *ibid.* Aut quando quis eſt domeſticus. *ibid.* Vel frater, aut ſoror. 140. *& ſeqq.* Sed ſenex de re, quam vidit, adhuc puer. IX. 167. Quid quando contraria deponit? 449. *in Append. lit.* g. *&* n. *X. 95. in Append lit.* c. d. & VIII. 533 Duo teſtes exiguntur pro valore Matrimonii. IX. 502. Quomodo examinandi teſtes de morte conjugis, aut carentia impedimenti Matrimonialis? Vide inſtructionem Clementis X. Deſcriptam *in fine Tract. decimi.*

4 In foro etiam externo ſtatur verbis unius teſtis jurati, quando agitur ſolùm de peccato vitando. *Tract. X* 534. Non ſi de punitione, aut damno alicujus. *ibid.* Singulariter quando agitur de diſſolvendo Matrimonio jam contracto. *ibid.* Secùs, ſi de contrahendo, ſi ſit juratus. *ibid.* Aut ſaltem fide dignus. 378. Et ſit teſtis de viſu, non ſi ſit ſolùm de auditu, niſi quando eſt quæſtio de conſanguinitate. 535. Et generatim in cauſis præjudicantibus juri alterius jam acquiſito, quod poſſit in actum redigi ſine peccato, non ſtatur teſtimonio unius. 378. *ad finem.* Nec cogendus quiſquam dare teſtimonium, niſi neceſſitas exigat. 142. Nomi-

Digitized by Google

natim contra eum, contra quem nequit de jure compelli. 143. Et à toto genere conſanguineus non eſt contra extraneum admittendus in teſtem. 143.

Teſtibus non creditur, quando interrogati, quibus verbis uſæ ſint partes, præſeferunt, ſe velle referre formalia, & nihilominus differunt in cortice verborum, eſto conveniant in ſubſtantia rei. *Tract. X. 92. in Append. propè finem.* Secùs, ſi id non præſetulerunt. VIII. 533. Et quando diſcordant in re ipſa, eſt pluribus credendum, quàm uni. *ibid.* Excipe, niſi agatur de metu injuſto reſpectu Matrimonii. IX. 267. Et major fides adhibenda deponentibus veroſimilia. VIII. 533. Item Viris major, quàm fœminis. X. 186. Et habenti pro ſe præſumptionem. 95. *in Append. lit.* e. Et deponenti contra ſe, quàm pro ſe. *ibid. lit.*d. Teſti non creditur in propria cauſa. X. 188. §. *Deinde.* Quænam dicatur propria cauſa? *ibid.* Vide plura in Florilegio. *lit.* T.

Theologi.

THeologi ſcribentes de variis particularibus modis peccandi, & non peccandi in genere luxuriæ, tam intra, quàm extra Matrimonium, non ſunt reprehendendi. *Tract. X. n. 589. §. Eandem.*

Theophilus Raynaudus.

P Raynaudi memoria prodigioſa. XI. 787. *& ſeqq.* Appellatus totius literaturæ arca. 1014.

S. Thereſia.

S Thereſiæ votum de perfectioribus ſemper ſectandis. XI. 74. An peccâſſet mortaliter, ſi vel ſemel egiſſet contra hoc votum? 75.

S. Thomas.

QUid ſenſerit de diſpenſatione in votis ſolennibus? XI. 345. Nihil oblitus eſt eorum, quæ legit. 788. An ipſe ſit Regula fidei, à qua deſciſcere nefas ſit? 959.

Tonſura.

PRima Tonſura vocatur Corona, & non eſt propriè Ordo. *Tr.* VIII. *n. 9.* Quis ejus effectus? *ibid.* An nomine Ordinis intelligatur in Bullis Pontificiis? 10. An præmitti debeat illi aut Confirmatio, aut ſtatus gratiæ? 20. & 26. Mulier eſt incapax illius. 31. Non fit Irregularis, qui ſuſcipit illam irretitus cenſuris. VIII. 764. Sumpſit originem à S. Petro. 768. Quatenus peccent Clerici, non geſtantes illam? 769.

Tranſactio.

TRanſactio ſuper cauſa Matrimonii jam contracti non ſubſiſtit, at ſubſiſtit facta ſuper cauſa contrahendi. *Tr. X.* 270.

Tutor.

TUtor nequit contrahere cum ſuo Cliente. *Tract.* IX 382. §. *Ad Tertiam.* Nec hic in ejus favorem renuntiare alicui juri ſine alio tutore. *ibid.* Nec ſine Tutoris autoritate quidquam alienare. *ibid.*

V.

Vagi.

VAgi dicuntur, qui non habent ullam certam ſedem, in qua habitent, eſto ſuperſit adhuc domicilium, in quo ſunt nati, vel educati. *Tract. IX.* 495. His annumera milites præſidiarios, pro nutu ducis amandabiles aliò. *Ibid* Et illos ſponſos, quorum alteruter eſt vagus. *ibid.* Aut qui conſtanter quidem morantur in aliqua urbe, in qua ſunt plures Parochiæ, ſed jam migrant in hanc, jam in illam. 496.

Vagi poſſunt ſecundùm Sanchez, & alios contra Perez, & alios, Sacramenta petere à quolibet Parocho, adeóque poſſunt copulari matrimonialiter à quolibet. IX. 496. Videndum tamen, an non alicubi conſuetudo ſtatuerit proprium Parochum pro vagis. *ibid.* Qui tamen Parochus illicitè eos copulabit ſine licentia Ordinarii. 495. Non incurrunt generatim cenſuram Religioſi, qui vagos conjungunt abſque, licentia Parochi. IX. 513. *& ſeqq.* Declaratur Caſu particulari. *ibid.* Vagi an ſint, idonei teſtes carentiæ impedimenti matrimonialis? X. 831. Ille etiam eſt vagus, qui deſeruit proprium domicilium, & eſt adhuc in itinere ad locum, in quo vult aliud conſtituere. *Tract. IX.* 518. *& ſeq.* Declaratur proprio Caſu. *ibid.*

Vaſallus.

VAſallorum juramentum exhibetur. XI. 569. An vaſallus teneatur vi juramenti ſui præſtare etiam cum periculo mortis ea, quæ exprimuntur in formula jurisjurandi. 570. Refertur, & refutatur ſententia Schraderi. 571. Singulariter quæritur. quatenus Vaſallus teneatur revelare ſecretum, vergens in damnum Domini? 575.

Verba.

VErba diſpoſitionis intelligenda ſunt juxta qualitatem actûs & Perſonæ. IX. 659. & 708. Verba priùs loquentis de ſponſalibus, quando ſignificant clarè promiſſionem, ea, quæ altera pars reponit. ſi ſint dubia, debent intelligi ſecundùm verba priùs locuti. X. 33. Quandonam non ſint paria, verbis, & facto mentem declarare? X. 148. *prope finem.* Varia Axiomata de verborum vi, & intellectu. Vide in Florilegio *lit.* V.

Verba futuri temporis habent triplicem ſenſum. XI. 16. Quandonam involvant promiſſionem? 14. & 17. Non directa ad hominem

nem non conſtituunt pactum, nec gignunt obligationem ad quemquam. 15. Sicut nec rationem voti, niſi directa ad Deum. *ibid.* Uſus verbo futuri temporis, dubitans autem, an cum intentione ſe obligandi, quid aget? 17. Vide plura in Florilegio.

Veroſimile.

VEroſimilium magnam rationem habent Jureconſulti. XI. 117.

Vicarius Epiſcopi.

CUr in Germania habeat ampliorem poteſtatem? IX. 686. Dat in Germania dimiſſorias. VIII. 568. An diſpenſet in iis Impedimentis Matrimonii, in quibus Epiſcopo facit jus extraordinaria neceſſitas? IX. 584. Idem eſt tribunal Vicarii, & Epiſcopi. IX. 686. Commiſſiones tamen uni inſcriptæ non poſſunt expediri ab altero. 686. Attamen in Germania factitatur contrarium. *ibid.* Commiſſio facta Vicario, ut Vicario, an, eo mortuo, tranſeat ad Succeſſorem, vel Epiſcopum? 687. Commiſſio facta ipſi quandonam cenſeatur realis, aut perſonalis? *ibid.* Aſſiſtit, ſi velit, Matrimonio tanquam Ordinarius. IX. 487. Ipſe quippe eſt propriè Ordinarius. X. 503. Et quoties aliquid (niſi fiat exceptiò) Epiſcopo conceditur, perſona Vicarii eadem diſpoſitione comprehenſa videtur. *ibid.* Quare diſpenſat in denuntiationibus matrimonialibus. *ibid.* Mortaliter tamen delinquens, ſi faciat ſine juſta cauſa? 505. Quam quidem ſufficit eſſe extra-judicialiter cognitam *ibid.* Et ſufficit unius Ordinarii diſpenſatio, quando Sponſi ſpectant ad diverſas Diœceſes. 505. Non tenetur diſpenſare in omni Caſu, in quo poteſt. *ibid.* Alia de denuntiationibus vide verb. *Denuntiationes.* Sicut Epiſcopus poteſt ſuas diſpenſandi facultates delegare Vicario ſuo, ita & hic ſubdelegare alteri, non tamen generaliter. X. 503. Non tenetur Vicarius fidem habere præciſè verbis ſponſæ dicentis, ſe feciſſe votum caſtitatis. 313. *ad finem.* Et quando abſtinere debet à coactione ſervandi fidem datam, non eſt neceſſe, ut conſtet ipſi juridicè de cauſis. 337. Vicarius Generalis quomodo differat ab Officiali. 718. *lit.* e. Quatenus ſibi ſubſtituat, vel ſubdeleget alium? *Ibid. lit.* d. An Provicarius fruatur eo jure quo Vicarius? *Ibid. lit. b.* Vide plura verb. *Judex.*

Vidua.

VIduarum vota an quis irritare queat? XI. 215. Stando jure communi non ſubſunt ullius poteſtati dominativæ. 215.

Viduus.

QUid hiſce permiſſum, aut vetitum ſit circa materiam veneream? Vide verb. *Matrimonium. num.* 16.

Vindicta.

DUplex graviſſima vindicta deſignata à Davide Rege. XI. 872. Recenſentur tres aliæ, quas ſumpſere alii Principes. 874.

Violentia.

VIolentia alia eſt *Præciſa*, & *Abſoluta*, alia *Conditionata*, & *Cauſativa*. XI. 141. Explicatur exemplo initiandi Ordine Sacro. *ibidem.* Quando jubetur probari interveniſſe vim, ſeu violentiam, non eſt neceſſe probare præciſam, ſed ſufficit, ſi probetur adfuiſſe conditionatam. 142.

Virgo. Virginitas.

VIrginitas puellę non eſt tota ipſius, ſed etiam parentum. X. 112. Virginis violatio vocatur defloratio. 200. Et ſi fiat per vim, dicitur ſtrictiſſimè ſtuprum. 201. Puellam, quæ impręgnata eſt, præſumitur in dubio, fuiſſe virginem ante illam imprægnationem. 210. *ad finem.* Præſumitur & fuiſſe ad facinus inductam, ſolicitatámve. *ibidem.* Quare non tenetur probare id in foro externo? 211. An credendum ipſi juranti, ſe fuiſſe ab hoc, aut illo cognitam? 186. *& ſeqq.*

Viſitatio Diœceſana.

QUanti hanc fecerit Bellarminus, Alanus, ac Barboſa? IX. 715. *in App.* Viſitatio eſt præcipuum officium Epiſcopi. 715. Duo ingentia mala oriuntur ex neglectu Viſitationis. *ibid. in App. lit* a. b. Eſt indiſpenſabiliter annexa Epiſcopatui. *ibid. lit.* c.

Vnctio Extrema.

Hujus eſſentialia.

HUjus definitio. *Tr.* VIII. 780 Quæ materia? 783. An neceſſariò benedicta ab Epiſcopo? 784. An, ſi benedicto Oleo miſceatur non benedictum, evadat totum benedictum? 786. Notanda circa hanc mixtionem. 787. & 788. Factum Decani ruralis benedicentis, quod infuderat. 790. Quæ materia proxima? 791. Quæ partes ungendæ? 792. Qui ſenſus? 793. *& ſeqq.* Quintuplex unctio diverſorum hominum refertur. 782. Quæ forma Sacramenti Extremæ Vnctionis? 799. Referuntur diverſorum locorum diverſæ. 800. Debet neceſſariò proferri per modum precationis. 802. Quid ergo cenſendum de Conſtantienſi diverſa à Romana? 804. An, ſi quis eâ uteretur Romæ, valeret Sacramentum? 809. Caſus dicentis in formula: *Quidquid dereliquiſti, pro deliquiſti.* 811.

Vnctionis Extremæ Neceſſitas, Subjectum, Miniſter.

CAſus ridiculè recuſantium extremè ungi. *Tr.* VIII. 813. *& ſeqq.* Per ſe non eſt præcepta

Digitized by Google

Extrema Vnctio. 816. Per accidens poteſt mortaliter delinqui, eam negligendo. 818. Non impertienda infantibus. 820. Et fortè nec adultis, qui nunquam peccaverunt. 821. Quatenus pueris? 822. Etiam in dubio de eorum diſcretione. 824. Quatenus amentibus, & furioſis? 825. *& ſeqq.* Aut ebrio? 831. Solis conſtitutis in periculo mortis. 834. Non tamen exigitur, ut hi ſint morbo propriè dicto correpti. 835. Sufficit, ſi quacunque periculoſâ infirmitate. 840. Declaratur inductione variarum infirmitatum. 838. *& ſeqq.* Nominatim ſenecionis. 838. & 851. Pede privandi. 839. Ad ſuſpendium damnati. 847. Rotâ fracti à carnifice. 848. Phthiſici. 852. Metuentis apoplexiam. 875. Sanctæ Hedwigis curantis, ſe ungi ante omnem morbum. 855. Et vellii. 874. *in Append.*

Miniſter hujus Sacramenti ordinarius eſt Parochus. *Tr.* VIII. 858. In neceſſitate quivis alius Sacerdos. 860. Quid ſi Parochus nec ipſe ungere, nec alteri permittere velit? 860. Quid peculiariter ſit de Regularibus ſtatutum? Vide verb. *Regulares. num. 5.* Traduntur Aphoriſmi, & Regulæ obſervandæ Parochis à *num. 870.* ad 902. Nominatim de feſtinatione, & curſu. 870. De nimia dilatione. 871. & 876. De obſervandis, quando æger jam agit animam. 877. Aut quando averſatur acceptionem hujus Sacramenti. 876. 880. 883. & 885. De cujuſdam ſcrupuloſitate circa hujus Sacramenti repetitionem, quando æger incidit in novum periculum mortis. 886. *& ſeqq. diſtinctè.* De repetitione, reſpectu illorum, quibus videtur nimis citò fuiſſe miniſtratum hoc Sacramentum. 890. De reviſendo interdum jam extremè uncto. 898. De obſervandis tempore peſtilentiæ. 902. An extremè ungi poſſit, cujus corporis nulla pars non tecta variolis apparet? 798. Declaratur Caſu. *ibid.*

3 Hi Aphoriſmi declarantur variis Caſibus, nominatim Parochi ſoliti omnes ungere initio cujuſvis morbi. 871. & 874. Alterius differentis ad ultimum articulum. 872. & 875. Laici habiti ſub ipſa Vnctione jam cœpta pro mortuo, deinde ad ſe redeuntis. 878. Alterius cœpti ungi, dum erat in conſueto deliquio minimè lethali. 879. Ruperti Imperatoris differentis ex falſa opinione Vnctionem. 881. Puniti divinitus ob neglectam unctionem. 883. Alius *num.* 892. 894. 896.

Vnctionis Extremæ effectus & accidentia.

4 SVnt quinque effectus Vnctionis. VIII. 909. Explicantur à *num.* 910. Ad 921. Indicantur quatuor quaſi miraculoſi. 905. 918. & 919. Quandonam ſuos effectus conferat Extrema Vnctio? 921. Et quos ritus debeat obſervare miniſter? 924. Quid ſi per errorem unxit nares ante oculos? 925. Quid ſi deſtitutus miniſtro reſpondente permittat aliquam Monialem reſpondere? 926. Aut in caſu periculi accurrat ſine lumine, & veſtibus ſacris? 927 & 928. Aut quandoque aſſervet domi Sacrum Oleum, vel Sacram Hoſtiam? 931. Et det volentibus uti pro medicina? 933. Refertur, & diſcutitur factum S. Malachiæ, qui unxit ſuſcitatam à ſe è morte fœminam, quæ obierat ſine Extrema Vnctione. 934. *& ſeqq.* Refertur modus, quo Archidux Leopoldus æmulabatur Extremam Vnctionem. 904.

Votum.

Votum Definitio.

VOti definitio. XI. 3. Voti natura includit ob- 1
ligationem, & promiſſionem. 4. Nequit eſſe vinculum iniquitatis. 6. Promiſſio incluſa in voto non eſt neceſſariò explicita. 12. Debet dirigi immediatè ad Deum. 15. 20. & 21. In dubio, an quando pueri vovent ſuam virginitatem B. Virgini voluerint ſe obligare huic ſoli, & non Deo, præſumitur, quòd etiam Deo. 21. Si quis non promiſit immediatè Deo, non emiſit votum dictum propriè, & proinde nec reſervatum. 20. & 21.

Actio elicita ex voto eſt per ſe melior, quàm 2
ſi non eſſet elicita ex voto. XI. 22. Omnes tranſgreſſiones votorum non verſantium circa materias aliunde præceptas, ſunt ejuſdem ſpeciei. 23. & 24. Votum eſt quædam lex privata, obligans per ſe ad modum legis publicæ. XI. 83. Aliud eſt *Temporale*, aliud *Perpetuum*. XI. 26. Aliud *Simplex*, aliud *Solenne. ibid.* Voti ſolennitas provenit à ſola inſtitutione Eccleſiæ. *ibid.* Rurſum aliud votum eſt *Expreſſum*, aliud *Implicitum*. 27. Aliud ſolùm in honorem Dei, aliud in honorem Dei, & ſimul bonum alterius. 28. Alter non acquirit jus in rem ita promiſſam, niſi acceptet. *ibid.* Non peccas contra juſtitiam donando Monaſterio A. Prædium, quod voveras te donaturum Monaſterio B. At nondum erat acceptata promiſſio. *ibid.*

Voti *Abſoluti*, & *Conditionalis* diviſio, de- 3
ſcriptióque. XI. 19. *Conditionale* propriè quid ſit? *ibid.* Proponuntur duo caſus valde dubii, an fuerint verè conditionales, quia formati per dictionem: *Vbi*, non autem per dictionem: *Si*. 369. & 370. Idem votum *Conditionale* dividitur in *Pœnale*, & *Non-pœnale*. XI. 30. *Pœnale* non ſubſiſtit, quando actio, cui adjungitur pœna, non eſt apta voti materia. 31. Omittens inculpabiliter actionem obeundam ex vi Voti *Pœnalis*, non tenetur hanc perſolvere. *num.* 31. Quid ſi omiſit culpabiliter, at immemor pœnæ adjunctæ? 32. An quoties contra votum *Pœnale* peccas deliberatè, toties tenearis perſolvere pœnam, ſingulariter quando ea eſt gravis? 32. Vide alia verb. *Pœna*. Voti *Conditionalis* ratio, & obligatio quæ? Vide verb. *Conditio*. Voti diviſio in *Perſonale*, *Reale*, & *Mixtum*. 37.

Vtri-

Utriuſque diverſa obligatio, & duratio. 38. *Reale* tranſit quidem ad hæredes, at non titulo religionis. *ibid.* Quomodo peccent hæres, uxor, filius, non exequentes vota moribundorum perſonalia, quæ ſe executuros polliciti ſunt? 43. & 44. Declaratur Caſu viduæ. 45.

Voti materia.

4 DEbet ea eſſe bona. XI. 51. 52. 56. & 57. Materiæ finis an, & quatenus poſſit eſſe indifferens? 60. *& ſeqq.* Debet ea materia aptè, non ineptè referri ad finem bonum. 61. An votum de non petenda diſpenſatione voti valeat, ſeu verſetur circa aptam materiam. 65. *ad finem.* Aut de non vovendo ſine præſcitu Confeſſarii. *ibid. ad initium.* Et quid ſi nihilominus poſtea votum emittatur ſine illa facultate? *ib. circa medium.* Votum debet eſſe non ſolùm de re bona, ſed etiam de meliore. 70. An illa melioritas ſit reſpectu objecti, an verò ſubjecti? 70. & 274. Privatio majoris boni repugnans valori voti, quomodo ſit intelligenda? 71. Voti materia debet eſſe poſſibilis. 72. Quid ſi ſit de vitando omni peccato etiam veniali? 73. *& ſeqq.* Quid ſi pars ſit poſſibilis, pars impoſſibilis? 76. Gravitas, & levitas materiæ unde deſumenda? 84.

Voti finis.

5 FInis voti eſt honor divinus. XI. 61. Non quælibet res indifferens poteſt referri ad hunc, *ibid.* Poteſt autem res indifferens eſſe quandoque finis voti. 66. 61. Alius finis eſt voti, alius Voventis. 62. Traditur Regula, ex qua cognoſcitur, utrùm finis voventis repugnet, an non repugnet rationi voti. 63. Enumerantur complura, quæ poſſumus licitè petere à Deo. 64. At illicitè ea petimus ad malum finem. 65. Quid ſi prævideamus ea nobis reipſa obfutura, an peccabimus edendo votum de ea conſequenda? 67. Quatenus valeat nuncupatio voti facta peſſimo fine. *ibid.* Non valet votum editum in gratiarum actionem pro ſcelere patrato. 67. An obliget ſub mortali votum de re magna, directa tamen ad finem exigui boni? 84. Quando unum membrum voti diſjunctivi eſt impoſſibile, totum votum eſt invalidum. 79.

Voti Obligatio.

6 VOtum neceſſariò involvit obligationem ſub peccato. XI. 82. De re gravi editum obligat ſolùm venialiter, ſi expreſſè intendat vovens: de re levi non poteſt ſub mortali, etſi velit vovens. 83. Excipe à priore doctrina vota conſtituentia Religioſum ſtatum. *ibid.* Generatim per ſe loquendo votum obligat, ſicut obligat lex publica lata, vel ferenda de tali re. 84. Ideóque de una Communione, una Confeſſione obligat ſub mortali *ibid.* Quid ſi autem hæc dirigantur ad finem duntaxat leviter bonum? *ibidem.* Votum de re parva quotidie facienda, an obliget ad ſupplendum altero die id, quod fuit præcedente neglectum. XI. 85. An coaleſcant denique illæ parvæ materiæ omiſſæ? *Ibid.* Quantum obliget votum de re præſtanda certo die. 86. Aut præſtanda ſine determinatione temporis. *n.* 87. Refertur lenis in hanc rem ſententia Tamburini. *ibidem.*

Votum editum ex metu etiam reverentiali probabiliter non ligat. *Tr.* IX. 149.

Qui vovit rem indeterminatam ſecundùm 7
quantitatem, & qualitatem, ad quid, & quantum obligetur? XI. 89. Declaratur ſingulari caſu. 416. Quandonam cenſeatur quis ſe obligaſſe ad aliquid majus minimo. 89. & 90. Votum non bibendi vini in qua quantitate obliget ſolùm ſub veniali? Vide verb. *Bibere.* Obligationi voti ſatiſfit etiam non cogitando de ſatiſfactione. XI. 97. Quid ſi quis perficiens opus debitum ex voto expreſſè dicat: *Nolo jam ſatiſfacere meæ obligationi*? *ibid.* Singularis caſus, in quo dubitatum, utri ex duobus votis contrariis eſſet ſatiſfaciendum. XI. 98. Quatenus obliget votum factum cum errore, vel ignorantia? vide verb. *Error & Ignorantia.* Votorum tunc maximè locus, cùm nulla vitæ ſpes eſt. *numero.* 162. *ad finem.*

Qualis, ſeu quanta diſcretio rationis exiga- 8
tur ad votum validè edendum. XI. 164. Neceſſaria diſcretio, quo anno ætatis ſoleat adeſſe? Vide verb. *Ætas.* Voti renovatio quomodo differat à confirmatione? Vide verb. *Renovatio.* Filius pubes factus non cenſetur confirmâſſe votum, ſi non ſcivit eſſe irritabile. 175. Votum perpetuæ caſtitatis æquiparant Doctores voto intrandæ Religionis. 196. Votum non admittendi Epiſcopatum certò eſt validum. 425. & 71. Probabiliter & de non ſuſcipiendo ſacerdotio ex humilitate. 425. *ad finem.* Votum includens hanc conditionem: *Si pater conſenſerit*, poteſt integre, ſeu directè irritari. 197. Includunt autem probabiliter illam etiam vota puberum filiorum familias, impedientia gubernationem domeſticam. *ibid.*

Eſt differentia inter hæc duo vota: *Voveo, ſi* 9
ſuperior conſenſerit, & : *Voveo, ſi ſuperior non contradixerit.* XI. 202. *& ſeqq.* Declaratur obligatio ita voventium. *ibidem.* & 203. Eſt controverſum, utrùm vota impuberum, & Religioſorum etiam de re minimè vetita, nec turbantia gubernationem, includant primam, an ſecundam ex duabus conditionibus, paulò antè expreſſis. 204. Votum reale an valeat, ſi poſt illud naſcantur plures liberi, quàm ante votum habebat vovens? 412. & 413. Non ſatiſfaciens voto, ob cujus nuncupationem accepit divinitus aliquod beneficium, non videtur committere ingratitudinem mortaliter malam? 440.

Digitized by Google

Votum reſpectu Ordinis Sacri, & Matrimonii.

10 Quatenus votum Continentiæ ſit annexum Ordini Sacro? Vide verb. *Ordo. numero. 6.*

Votum ſimplex Caſtitatis impedit, non autem dirimit Matrimonium. *Tr.* IX. 83. Enumerantur aliqua vota ſimplicia Caſtitatis. 86. Excipiuntur vota ſimplicia Religioſorum de Societate, hæc enim dirimunt Matrimonium poſtea contractum. 85. Quas conditiones debeat utrumque votum habere ad id, ut impediat Matrimoninum? 89. *& ſeqq.*

Quando error in voto cenſeatur verſari circa ſubſtantiam voti? *Tr.* IX. 92. Error in circumſtantia quandonam cenſeatur irritare votum? 94. Explicatur Caſus unus, quo Confeſſarius malè reſolvit, defuiſſe valorem voti. 81. & 96. Explicatur & alius controverſus de voto Religionis emiſſo, & non impleto ob negatam admiſſionem ad duo Monaſteria. 98. An tale votum ex metu emiſſum cenſeatur eſſe reſervatum? 100. Utrùm ei ſit ſatiſfactum per ingreſſum in unum Monaſterium, & egreſſum ex eo junctum petitioni ad duo alia? 101. Quid ſi voto Religionis junctum fuit votum Caſtitatis; at dubitetur, an iſtud ſecundum emiſſum ſit duntaxat in ordine ad primum; eritne obligatio ſervandi caſtitatem in ſæculo? 102. Si voto caſtitatis emiſſo, ſub conditione de futuro contrahat ante impletam conditionem, quid aget? 87.

Votum emiſſum ex metu injuſto, ſed levi an liget? IX. 90. Suæ votivæ promiſſionis optimus interpres eſt ipſe vovens. 94. Declaratur practicè. 95 Præſumitur, voventem ex metu habuiſſe ſufficientem libertatem ad vovendum. 99.

Papa diſpenſat in voto Caſtitatis, & Religionis. *Tract.* IX. 6 3. Et quando mortuâ primâ uxore, quam ob periculum incontinentiæ duxiſti cum diſpenſatione, ſupplicas pro ducenda altera, non eſt opus, ut exprimas, te jam ſemel obtinuiſſe talem gratiam. *numero.* 616.

Voti ſolennitas provenit ex jure humano. *Tract.* IX. 149. deo poteſt Papa diſpenſare in voto etiam ſolenni. *Ibidem. & Tract.* XI. *num.* 346.

Votum ſolenne Caſtitatis Religioſæ dirimit Matrimonium contrahendum. *Tractat.* IX. 148. Rurſum votum ſolenne Caſtitatis Religioſæ ſuperveniens Matrimonio Rato, non autem Conſummato dirimit illud. Vide verb. *Matrimonium. num. 9.*

Votum de ineundo Matrimonio cum certa perſona quatenus liget, aut non liget? X 42. & 43. Non ligat illud, quod edidiſti præciſè ob recipiendam gratiam Sacramenti. 406. At ſtringit editum in remedium concupiſcentiæ, ſi quis judicet eſſe ſimpliciter neceſſarium ad ſervandam Caſtitatem. 42. & 406. Hoc autem intelligitur ſolùm ex hypotheſi, quòd quis ita judicet. 406.

Probatur variis rationibus, Matrimonium nulli etiam valde luxurioſo, eſſe remedium ſimpliciter neceſſarium ad ſuperandas tentationes. X. 406. Certè non eſt neceſſarium illi, qui vovit Caſtitatem. *ibidem.*

Poteſt tamen Matrimonium voveri validè, etiam quando cenſetur eſſe remedium ad ſervandam Caſtitatem utilius, quàm cælibatus. X. 407. Secùs, ſi ſolùm æquè utile ad ſalutem. 42. Confeſſarii ſæpe prudenter ſuadent lubricis Matrimonium. 407. Voto Caſtitatis obſtrictus an, ſi defloret aliquam ſub ſpe Matrimonii, teneatur eam ducere? X. 100. & 228. Quid ſi primùm poſt deflorationem edidit illud votum? *Ibid.*

Votum Caſtitatis, aut Religionis irritat ſponſalia. Tum ſupervenientia voto jam facto. *Tr.* X. 99. Niſi ſponſa ſit imprægnata. 100. & 318. Tum præcedentia votum. 312. *& ſeqq.* Debet tamen pars, quæ vovit religionem, ſtatim exequi votum. 271. Et judex non tenetur ſtatim credere, eſſe emiſſum tale votum. 313. *in fine.* Nec ingreſſus in Monaſterium, cum propoſito illic finiendi vitam ſine profeſſione, diſſolvit utrinque ſponſalia, ſed ſolùm ex parte remanentis in ſæculo. 317.

Votum quoque vel jam ſuſcepti Subdiaconatûs, vel ſuſcipiendi, dirimit ſponſalia. X. 319. Quid ſi autem ſponſa evaſit infamis, aut prægnans, & ſponſus ſit jam promotus ad primum è Majoribus Ordinibus? 320. Quis diſpenſet quoad petitionem debiti conjugalis cum conjuge voto illigato? X. 626. & 630.

Voti ceſſatio.

Voti obligatio ceſſat. 1. Per ſe iis modis, qui recenſentur. XI. 338. Quibus adde illum, quo is, in cujus gratiam eſt editum votum, remiſit illud. 498. & 499. 2. Per irritationem. De qua vide ſuprà verb. *Irritatio.* 3. Per diſpenſationem, de qua ſuprà verb. *Diſpenſatio.* 4. Per commutationem, de qua ſuprà verb. *Commutatio.* 11

Votifragus.

Votifragus an peccet mortaliter. XI. 437. Cujus ſpeciei peccatum admittat votifragus? *ibidem.* Singulariter non ſervans votum, ob cujus emiſſionem accepit divinitus aliquod beneficium. 436. & 437. Votifragi ſæpe, & graviter puniti divinitus. 443. Et quidem graviter etiam ob non ſervatum leve in ſpeciem votum. *Ibid.*

Uxor

Vxor.

VXoris nomine quid intelligatur in diverſis materiis ? 7r. *num.* 4. Ex intellectu hujus vocabuli deciditur rarus Caſus de percuſſione Clerici. X. 5.

Uxores Moſcouiticæ habentur bene, dum malè? X. 714 Vxor tenetur, per ſe loquendo, ſequi mariti domicilium. 755. At non ſemper. 757. Peregrinari quandoque poteſt ſine conſenſu mariti. 762. Quæ ejus officia in maritum? 780. *& ſeqq.* Quæ in filios? 776. 782. & 783. Nihil tam humanum eſt, quàm fortuitis Caſibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem fieri. 781. Uxor non eſt mancipium mariti 792. Sed ſocia in adminiſtratione familiæ. 784. Quam & gubernat, abſente marito, vel amente effecto. 789. Bonorum paraphernalium, & communium quatenus adminiſtrationem habeat? 790. Quatenus faciat licitè expenſas ad avertendum malum aliquod à marito? 794. Quatenus in eleemoſynas? 795. Quatenus in ſuummet commodum? 796. & 798. Quatenus licitè ſeponat aliqua bona, quando maritus eſt dilapidator? 797. Quatenus expendat aliqua in liberos ex alio Matrimonio, vel conſanguineos pauperes? *numero.* 798. & 799. Declaratur Caſu. 801.

Uxoris vota quatenus irritare poſſit maritus? Vide verb. *Maritus.* Quatenus ipſa viciſſim irritet vota mariti? XI. 213.

SYLLA-

…LABUS POTIORUM ERRATORUM.

…Num.&c.Lin.			Menda.	Emenda.
7	40	10	Preſbiteratus	Preſbyteratus
13	84	17	Hierachiam	Hierarchiam
14	93	2	petena	patena
18	107	12	attigunt	attingunt
20	Col. 1.	7	Pabri	Fabri
21	Col. 1.	8	præſumendum	præſumendam
Ibid,	Lit. m.	*ult.*	ecuinexa	cui eſt annexa
22	Col. 1.	10	ad	ab
25	117	27	ude	unde
29	146	2	eſt	ex
32	160	17	Pimatem	Primatem
34	175	1	Miniſterio	Monaſterio
37	Tit.	*unic.*	Caſus	Caſu
45	246	6	aput	apud
63	Col. 1.	16	*Ordines*	*Ordinans*
75	Summ.	18	*Legitimatte*	*Legitimatio*
85	467	14	Epiſcopus.	*dele* punctum
Ibid,	eod.	15	potuit.	potuit,
95	Lit. f.	6	diſſextilium	biſſextilium
99	§. Cenſui	31	hereat	hæreat
110	Lit. b.	8	dubitare	dubitari
Ibid.	Lit. x.	11	accipiti	ancipiti
119	Col. 1.	*antep.*	poſſite	poſſitne
120	616	16	puando	quando
121	Tit.	*unic.*	Appendix III.	*dele* III.
139	Col. 1.	1	dixi retuliq; ſuprà	dicam, referàmq; (infrà
141	Lit. b.	4	factos	factas
149	§. Titius	12	&c	,&
153	Col. 1.	14	aliquando	aliquanto
Ibid.	Lit. m.	16	*vocem* curata	*poſtpone voci* iſta
159	748	17	fre	fer
160	750	21	obligationem	oblationem
162	758	1	hominum	hominem
167	Summ.	*antep.*	*quidquit*	*quidquid*
173	813	7	edicaret	ediceret;
176	839	7	grangrænam	gangrænam
180	863	8	experies	reperies
218	59	3	ſciviſſem	feciſſem
233	Summ.	13	*æquales*	*inæquales*
236	Lit. a.	2	teſtebatur	teſtabatur
237	Lit. e.	6	plaiè	plenè
246	206	8	ducere	duceret

Fol,	Num.&c.	Lin.	Menda.	Emenda.
247	212	22	ille	illæ
249	224	2	dicatm aritum	dicat maritum
256	256	4	moraliter	mortaliter
Ibid.	258	4	naturis	naturalis
280	Lit. h.	4	fugens	fungens
295	Lit. n.	7	ſe	de
306	474	8	Parocho	à Parocho
314	Col. 1.	3	illos	*adde* Sponſos
320	Summ.	9	508	506
321	506	2	potente	petente
328	561	4	64	63
347	647	17	integere	integre.
355	684	8	vulgo	vulgus
392	103	16	ſubjiciuntur	non ſubjiciuntur
402	Col. 1.	1	ad	ab
407	Lit. d.	9	aut	at
409	Lit. i.	13	negebat	negabat
414	195	2	184	185
435	329	4	frequenter	frequentee
Ibid.	*eod.*	*eâd.*	illis	illius
457	476	21	res	Tres
458	§. *Et vero*	*pen.*	contactarum	contractarum
471	545	39	uſdue	uſque
Ibid.	*eod.*	40	interceqit	intercedit
479	562	10	quidem	quidam
Ibid.	567	2	interdictis	interdictas
514	731	1	Id	In
523	787	*pen.*	in judico	in judicio
531	Summ.	1	noviſſe	voviſſe
595	370	15	in hac meſſem	in hanc meſſem
601	403	7	repreſentantes	repræſentantes
607	443	9	culpa	culpæ
649	704	6	mihi, ipſi	*dele* comma
659	761	*antep.*	exarere	exarare
676	Col. 2.	6	conſuletur	conſuleretur
680	807	4	intereat	intererat
684	887	4	patera, ut	pater, aut
686	Summ.	2	*probem*	*prolem*
694	939	1	ha ctam	hac tam
695	941	21	cummunicationem	communicationem
697	949	3	ægrorum	ægrotum
715	1041	ult.	variolos	ariolos

Reliqua benignus Lector facilè corriget.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google